SCOTUS ACADEMICUS,

SEU

THEOLOGIA SCOTI.

TOMUS III.

SCOTUS ACADEMICUS,

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS
Theologica dogmata,

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM ACADEMIÆ Parisiensis docendi methodum concinnavit: selectissimis SS. Patrum oraculis firmavit, & illustravit: Nec-non explanatione graviorum Controversiarum, quæ nunc temporis in Scolis agitari solent, ditavit & ampliavit

R. P. CLAUDIUS FRASSEN, Peronensis, Sacræ Theologiæ Parisiensis Doctor, & ejusdem, in majori Conventu Parisiensi Fratrum Minorum de Observantia sancti Francisci, Professor.

TOMUS III.

Complectens tres Tractatus: 1. De Incarnatione Verbi divini: 2. De Gratia. 3. De tribus Virtutibus Theologicis.

PARISIIS.
Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ Iacobæâ ad insigne boni Pastoris.

M. DC. LXXVI.
Cum Approbationibus & Privilegio Regis.



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

FRANCISCO DE HARLAY

PARISIENSIUM ARCHIEPISCOPO;

DUCI ET PARI FRANCIÆ,

REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI,

SORBONÆ PROVISORI, &c.

ERITO patrocinium Tuum ambit SCOTUS NOSTER ACADEMICUS *in hac tertia sua Theologiæ parte*, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Etsi enim summa sit totius Theologiæ cum sacra Præsulum dignitate muneris & officii consensio, quippe quæ in unum finem colliment; potiori tamen jure debuit hoc Opus Illustrissimo Nomini Tuo nuncupari; si argumenti majestas & amplitudo attendantur.*

Offert enim sese in limine stupendum prorsus & mirabile Incarnati Verbi sacramentum; cujus quidem annuntiandi munus, cùm non alteri quàm Archangelo ad Virginem destinato demandatum fuerit; æquum erat ut non aliis sub auspiciis tanti mysterii quantula-

cumque delibatio in lucem prodiret, quàm illius qui inter Ecclesiæ Militantis Angelos primas obtinet, & in desponsata Parisiensi Ecclesia Principe Archangelus apparet ad eandem Virginem à Deo delegatus. Non alios quàm Pastores vigilantes super gregem suum, ad Christi Domini recèns nati cunas advocavit Angelus, ut Deum hominem factum inter crepundia vagientem adorarent: Non debuit igitur alterius quàm vigilantissimi Pastoris clientelam aucupari tanti mysterii delineatio, ut quem adorandus ille Pastorum Princeps habet suarum Ovium custodem fidelissimum; eundem haberet suæ propalatæ veritatis Assertorem.

Est & SECUNDUM *hoc in Opere* ARGUMENTUM, *divinæ nimirùm* GRATIÆ *mysterium, quod ultrò Tibi debet esse devotum. Quis enim abstrusam & pene inextricabilem Gratiæ doctrinam fœliciùs unquam reseravit, & fœcundos illius latices propinavit uberius? In hoc Te verum & germanum præstas Apostolorum Successorem, quòd redivivus in te semper visus sit Paulus, dum recondita & involuta Gratiæ oracula tantâ fœlicitate & facundiâ pandis, ut Te de Gratia loquente ac docente planum apertumque illicò fiat, quod nodis & ambagibus aliis horrere videbatur. Non alium certè difficillimis hisce temporibus divina Providentia debebat Sorbonæ Provisorem: Non aliam Ecclesiæ Parisiensis candelabro facem; ut sua divinæ Gratiæ constaret veritas, luxque sine caligine affulgeret omnibus qui sunt in domo Domini.*

ULTIMUS *tandem, qui Te Patronum hoc in Opere non*

minori studio exoptat, VIRTUTUM *scilicet* THEOLOGICARUM *Tractatus, totus ille Tuus est,* ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME; *& certè fœtus ille degener foret, nisi ad parentis ulnas confugeret. Quò enim alio docente ac dicente Fides stat firmiùs, Spes erigitur securiùs, Charitas ardentiùs inflammatur, quàm illius ope & consiliô, cui cœlestis illius progaginis cura divinitùs commissa est?*

Novit hæc Ecclesia Gallicana, quæ Te in celeberrimo sui Cleri conventu, velut Solem inter sidera fulgentem & excepta cælitùs fundentem oracula toties demirata est. Novit Rothomagensis amplissima Civitas, dum per eam grassante infestissimâ lue omnibus omnia factus, nedum egenorum calamitates largissimis eleemosynis leniebas; sed & miserè pereuntes propriis manibus ministratô sacrô Viaticô, ac cœleste doloris linimentum stillante eloquentiâ recreabas, & BONUS PASTOR *ponebas animam tuam pro Ovibus tuis. Novit tandem ex urbe Parisiensi Orbis universus Tuam in agendis animi solertiam, constantiam in adversis, & in arduis quibusque pro Dei gloria, Ecclesiæ splendore, & creditarum Tibi Ovium salute conficiendis, felicitatem singularem.*

Hæc sunt (ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME) *quæ Scotum nostrum ad Tui venerationem non tam pelliciunt, quàm rapiunt. His adderem magnum* HARLÆI *Nomen tot sæculis famosum, totque titulis celebratum; nisi apprimè nossem Te Heroüm, à quibus ducis originem, non tam sanguine gloriari, quàm splendore virtutum, quibus ita gloriosè insignitus es.*

Hæc itaque delibasse sufficiat, ne diutiùs vim afferam modestiæ tuæ, cujus laus est maxima nolle laudari; ac Solis instar suo sub splendore delitescere; quibusque radiis fit aspectabilis, iisdem ab aspectu sui prohibere. Fave igitur conatibus nostris (ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME) *& qui cunctos tam comiter, tam blandè, tam humaniter soles excipere, pari benignitate suscipe sincerum hoc perpetuæ observantiæ in Te meæ, venerationisque monimentum. Ita enixè precatur,*

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Humillimus & observantissimus servus,
F. CLAUDIUS FRASSEN
Minorita Peronensis.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM, ARTICVLORVM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTVR.

TRACTATUS PRIMUS.

DISPUTATIO PRIMA.

6

INDEX.

DISPUTATIO SECUNDA.

DISPUTATIO TERTIA

TRACTATUS SECVNDVS.

De divino Gratiæ beneficio. 445

DIPUTATIO PRIMA.

De existentia & necessitate Gratiæ. 476

DISPUTATIO SECUNDA.

De essentia, causis, & variis Gratiæ divisionibus. 538

DISPUTATIO TERTIA.

TRACTATUS TERTIUS.

DISPUTATIO PRIMA.

DISPUTATIO SECUNDA.

DIPUTATIO TERTIA.

FINIS.

Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

ITerum è tenebris emergit SCOTUS, facem præferente *Rev. admodum Patre Claudio Frassen, Ordinis Seraphici, sacræ Theologiæ Parisiensis Doctore, & apud suos Professore.* Ut cunctis gratior in publicum prodiret Scriptor doctrinæ, non minùs quàm subtilitatis profundæ; non passus est Vir meritissimus, duplicem amplius in eo desiderari cultum, dictionis atque dispositionis. Nitorem igitur sermonis & ordinem adjecit methodicæ tractationis; atque duplicibus ita vestitum & cultiorem, è *Subtili* fecit *Academicum*: eò magis, sicuti meritò speratur, Academicis omnibus profuturum, quòd Christianæ fidei, castisque moribus omninò consentiat. Ita censemus & testamur ex animo Nos infrà-scripti Societatis Sorbonicæ Doctores in sacra Facultate Parisiensi, die 25. Maii, anno 1672.

G. LESTOCQ, Regius in Sorbona sacræ Theologiæ Professor.

A. CHEVILLIER.

Mandatum Obedientiæ & Permissio Reverendissimi Patris Generalis.

FRater Franciscus Maria Rhini de Politio, totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris nostri Francisci Minister Generalis & servus, ac in Regno Galliarum super omnes Provincias nobis subjectas Commissarius Apostolicus, &c. Dilecto nobis in Christo *Patri ac Fratri Claudio Frassen, Provinciæ nostræ magnæ Franciæ Alumno, sacræ Theologiæ Doctori Parisiensi, ejusdemque in majori nostro Conventu Parisiensi Professori.* Salutem in Domino sempiternam.

CUM (sicut accepimus) opus à te editum sit, cujus titulus *Scotus Academicus, &c.* ac illud ad majorem Dei gloriam, Scoticæ doctrinæ exaltationem, Ordinisque nostri decus imprimi cupias: Nos omnia prædicta quantùm in Domino possumus, promovere cupientes, & intelligentes tuum Librum iis omnibus non modicùm profuturum: Harum nostrarum vigore, facultatem tibi elargimur cum merito salutaris obedientiæ, quatenus præviis examine, & approbatione ejusdem Operis à RR. PP. nostri Ordinis Theologorum emeritis, & sacræ Parisiensis Facultatis Doctoribus, Fratre Claudio Domart hujus magni Conventûs Guardiano, Fratre Andrea Houbereau, & Fratre Carolo Miguer faciendis, ac servatis in reliquis sanctionibus Apostolicis, & Constitutionibus nostris, ipsum Typis mandare possis, & valeas. DATUM in Conventu nostro magno Parisiensi, die vigesima Aprilis, sub Chirographo sigilloque majori officii nostri, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

De mandato Reverendissimæ Paternitatis FRATER F. MARIA RHINI DE POLITIO, Minister Generalis.

FRATER A. E. DE LOSSADA, Secretarius Generalis Ordinis.

Approbatio & permissio R. admodum Patris Petri Buisson, Doctoris Parisiensis, Lectoris Jubilati, nec non magni Conventûs Fratrum Minorum Parisiensium iterùm Guardiani.

ECce SCOTUS noster è *subtili* redditus ACADEMICUS *per R. P. Claudium Frassen, Doctorem Parisiensem & magni nostri Conventûs Fratrum Minorum Parisiensium Lectorem Generalem*: Opus quidem tantâ Methodô atque nitore sermonis perpolitum, ut in eo nihil redundet, nihilque adversum vel fidei, vel etiam bonis moribus contineatur. Hinc illud, ut prælo mandetur, nedum permittimus, sed ut in publicam edatur utilitatem, & nostrorum studiosorum Theologiæ manibus teratur, judicamus. DATUM in magno Conventu nostro Parisiensi hâc die octavâ mensis Februarii. Anno reparatæ salutis 1676.

F. P. BUISSON, Guardianus.

Approbatio & Permissio R. admodum Patris Claudii Domart, Doctoris Parisiensis & majoris Conventûs FF. Minorum de Observantia S. Francisci Ex-Guardiani, & in eodem sacræ Theologiæ nunc Lectoris.

VIsis prioribus quum *Philosophicis*, tum *vitæ spiritualis* lucubrationibus, non possumus non sperare, quin cum omni Theologorum applausu in lucem prodeat *Reverendi Patris Claudii Frassen, Doctoris Parisiensis & magni nostri Conventûs Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Lectoris Generalis* SCOTUS ACADEMICUS: Quapropter, non modò ut prælo mandetur permittimus, verùm inquantùm hoc Opus perutile publico judicamus, ex animo optamus. DATUM in dicto Conventu Parisiensi die Aprilis decima, anni Domini millesimi sexcentesimi, septuagesimi primi.

FRATER C. DOMART,
magni Conventûs Observantiæ humilis Guardianus.

Approbatio Reverendi admodum Patris Caroli Miguet, Doctoris Parisiensis & in magno Conventu FF. Minorum de Observantia Ex-Guardiani.

DIu tandem desideratum Opus & perutilem Methodum Scholæ nostræ ad nitidam & solidam Doctoris Subtilis enucleandam Doctrinam, præsertim in tertium Sententiarum, me infrà scriptum perlegisse fidem facio: cui verè titulus est SCOTUS ACADEMICUS: Scoticæ siquidem disciplinæ validissimum & lucidissimum extabit ornamentum, Seraphicæ nostræ familiæ decus, & Theologorum ad divinam Sapientiam facilis via. Hinc est quod parum dixisse arbitror prælo dignum; verùm etiam Authorem *R. P. Claudium Frassen* Doctoris Subtilis subtilitatis se legitimum probare Hæredem, nec-non ejus doctrinæ Interpretem, sicut & in Philosophicis exhibere fidelissimum: Quare ut Typis exaretur publico profuturum, & in singularem nostræ erga Authorem amicitiæ tesseram, maximè peropto. DATUM Parisiis in magno Conventu FF. Minorum decima quinta Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

FRATER CAROLUS MIGUET,
in Theologia Doctor, & Lector Generalis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Andreæ Houbereau Doctoris Parisiensis, Ex Definitoris Generalis, & Provinciæ Turoniæ Majoris Ex-Provincialis.

EGo infrà scriptus in Universitate Parisiensi Doctor Theologus, Librum cui titulus est SCOTUS ACADEMICUS, *à R. P. Claudio Frassen*, nostri Ordinis in eadem Universitate Doctore & Professore compositum legi & pervolvi: quem singulari Doctrina, ordine & methodo elaboratum reperi: in eo enim altissima fidei mysteria, abstrusiores Theologiæ difficultates, & profundæ ipsius Scoti doctrinæ Thesauri absconditi, tam dilucidè, luculenter & nervosè aperiuntur, tantaque argumentorum & rationum densitate cumulantur, ut nullus hucusque alius eruditus ita enodârit: Unde Lectores quoslibet piorumque hominum animos pondere ipso, dulci quadam violentia in suam sententiam pertrahere videtur. Quamobrem, cùm hoc magnum opus fundatissimam in Scripturis, Conciliis, Patribus, gravioribusque Theologis doctrinam contineat, nihilque in eo omnino non sanctum, nihil non pium, nihil alienum à mente Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ, nihilque non redolens insignem Authoris eruditionem pari cum pietate conjunctam; dignissimum censeo quod in lucem prodeat, ut in omnes Christianas regiones vulgetur, ad Dei gloriam publicamque utilitatem. Parisiis in magno Franciscanorum Conventu, vigesima Septembris, anno supra millesimum sexcentesimo septuagesimo primo.

FRATER ANDREAS HOUBEREAU,
Ex-Definitor Generalis & Provinciæ Turoniæ Ex-Provincialis.

Approbatio Reverendi admodum Patris Pinault, sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, majoris Conventus Ex-Guardiani, & in eodem sacra Theologia Professoris Generalis.

HUnc Scoticæ Theologiæ cursum per *R. P. Claudium Frassen, sacræ Theologiæ Doctorem, & in almo Conventu Fratrum Minorum Parisiensium, Lectorem Generalem*, coocinnatum sub hoc verborum titulo, SCOTUS ACADEMICUS, ita luce dignum judico, ut fore summæ utilitatis, non solis Theologiæ candidatis, sed etiam de illa bene meritis censeam. Nihil ejus subtilitate profundius, Subtilis sanè dignâ Doctoris; oec quidquam tanta cnm subtilitate clariùs Auctoris adumbrans ingenii fœlicitatem: Seotentias Patrum illustrans, profundiores Theologos exornat, sacra Religionis arcana profundè rimatur & patefacit; succeditque fœliciter *Cursui Philosophico* ab eodem Authore nuper Typis mandato, nec unquam satis expetito, ut qui talem ac tantum experti fuimus ex primo in formandis Philosophis progressum, ampliorem ex secundo in Theologis instituendis, favendis, oblectandis certiorem habeamus. Sic sentit & testatur hac die 28. Maii, aoni 1672.

Fr. B. PINAULT,
Doctor, & in Theologia
Professor Generalis.

SVMMA PRIVILEGII PER REGEM Christianissimum concessi.

LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus suo Diplomate sanxit, ne quis Librum cui titulus est, *Scotus Academicus: seu Vniversa Doctoris Subtilis Theologica dogmata, &c. Authore R. P. ac F.* CLAUDIO FRASSEN, *sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & in majori Conventu FF. Minorum de Observantia S. Francisci Professore Generali*, ab EDMUNOO COUTEROT Bibliopola Parisiensi in lucem editum, præter ipsius EOMUNOI COUTEROT facultatem iotra decennium imprimat, aut alibi terrarum impressum in Galliarum Regis ditiooes importet. Qui secùs faxit, confiscatiooe librorum, & alia gravi pœna mulctabitur; ut patet fusiùs in Privilegio Regio DATO Versallii die vigesima octava Martii anni millesimi sexceotesimi septuagesimi secuodi. Sigoatum PEPIN.

Inscriptum Registro Societatis Bibliopolarum Parisiensium juxta decretum Senatus die 8. Aprilis anni 1653. ac signatum die 25. Aprilis 1672.

Signatum D. THIERRY, *Syndicus.*

Editio præsens Tomi tertii *Scoti Academici, &c.* perfecta est die 18. Martii 1676.

Errata notabiliora.

COncessa, *lege* concessæ, pag. 56. col. 2. *lin.* 27. Sasour, *leg.* Jasour, p. 59. col. 1. *lin.* 2, 22. & 34. vindiciæ; *leg.* vindiciarum, p. 187. col. 2. *lin.* 39. *Euchars*, *lege* Eucharis, p. 456. col. 1. *lin.* 38. votum, *leg.* usum, ibid. *lin.* 58. possit, *leg.* posse, p. 513. col. 1. *lin.* 45. nihil est, *leg* nihil aliud est, p. 530 col. 1. *lin.* 24. §. 111. hic Typographis excidit §. 11. qui adjicitur ad finem voluminis, indeterminabiliter, *leg.* indeclinabiliter, p. 614. col. 1. *lin.* 55. proper, *leg.* propter, p. 618. col. 2. *lin.* 16. ordini, *leg.* ordine, p. 623. col. 2. *lin.* 42. corum, *leg.* earum, p. 624. col. 1. *lin.* 15.

IN

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM,

PRÆFATIO.

G*RANDE sanè, si aliquod unquam, impræsentiarum molimur opus; utpotè qui Deum intrà* Divinitatis *&* Naturæ *lineam existentem & operantem hactenus suspeximus, eum itidem intrà* Gratiæ *ordinem subsistentem, & mirabiles effectus edentem auspicamur investigare:* Scire etiam investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis. Ephes. 3. *Ecquis enim, quantumvis oculatus, non acie palpitet, vertiginemque incurrat, dum immensas divinæ Gratiæ opes in abditis Dei Thesauris consignatas, suspicere nedum, sed effodere, ac effundere tentat? Quod quàm arduum sit, quámque paucis concessum, disertè aperuit ipsius divinæ Gratiæ verus Aquilex sanctus Augustinus, dum quæstionem de Gratiâ Dei*, Difficillimam & paucis intelligibilem *appellat.* Epist. 46. *Sed quis vel à longè speculari audeat* Incarnati divini Verbi *mysterium, possetque* comprehendere quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi Galat. 3. *& pretiosissima* Fidei, Spei ac Charitatis *dona speculari? Abyssus quidem sunt hæc, in quâ non merguntur, sed qui fundum Humilitatis tenent; quam irretortâ mentis acie penetrant, sed agrestes non raro Opiliones sub vilibus dumetis moram legentes, quos non* inflat Scientia, *sed* charitas ædificat; *cujus tandem recessus omnes securô pede pervadunt; at non multarum Bibliothecarum urinatores, è pulpitis ac subselliis phaleras verborum eructantes; sed sub ramnis humilibus sentibusque horridis purissimo, ardentissimoque Dei amore liquescentes; atque præ animi sui demissione in favillas & cineres Humilitatis evanescentes. Illi sunt dubio procul, quibus sæpè* datum est nosse Luc 8. mysterium Regni Dei, cæteris autem in Parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant. *Nam, inquit Apostolus,* Non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, &c. 1. Cor. 1.

Nihil tamen æquius, nihil gratius, nihil sublimius commendatione & investigatione divini ipsius in nos Charitatis, Redemptionis, & Gratiæ beneficio. Primum *namque filios admonet pietatis erga benignissimum Parentem, quod est debiti nostri:* Alterum *Liberatoris memoriam refricat, quod est animi grati;* Postremum, *reptantem in sordibus Naturam emaculat & ad Deum usque ac Mediatorem sublevat, quod est fastigium & apex Christianismi, ut* Qui gloriatur,

in Domino glorietur. *Non arctiùs certè inter se Charites, quàm hæc tria Dei in nos beneficia, simul cohærent & implicantur. Nam ex pia Patris benignitate, Incarnatio Filii; ex utraque conjunctim & ad utramque Gratia religatur. Rectâ igitur justâque methodô tres Tractatus, de divino* INCARNATIONIS, GRATIÆ CÆLESTIS, *ac Theologicarum virtutum* FIDEI, SPEI & CHARITATIS *beneficio suscipimus explanandos.*

Libro de tenenda Scripturæ & SS. Patrum authoritate.

Nè autem in evulgando ac referando divinæ Gratiæ fonte & effluvio, quidpiam ipsi Gratiæ minus gratum proferamus, juvat audire Lugdunensem Ecclesiam ita monentem. Habemus magnum depositum Fidei & doctrinæ veritatis, ex divinis Scripturis & SS. Patrum dictis, velut pretiosum & multiplicem Thesaurum divinitùs nobis ad custodiam commendatum, quem sine intermissione, Domino auxiliante, debemus inspicere, extergere, polire, atque excutere, ac diligentissimè servare; ne per incuriam & ignaviam nostram, aut pulvere sordescat, aut ærugine vel tineis demoliatur, aut malignorum spirituum insidiis, velut à nocturnis & occultis furibus, effodiatur ac diripiatur. Unde ipsâ Charitate provocati & commoniti, per quam in uno Christi corpore omnes unum esse debemus, ut sicut Apostolus dicit, *invicem pro se sollicita sint membra, & sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra.* Hac, inquam, Charitatis affectione, visum est nobis atque complacuit, ut hæc qualiacumque sunt ad commonitionem nostram, & ad eorum qui legere voluerint ædificationem & confirmationem compendioso & lucido, prout Dominus aspirare dignatur, sermone, scriberemus; quidquid in eo dicendum putavimus, non nostro sensu, aut præsumptione; sed manifestissimis Scripturarum testimoniis, & præfatorum sanctorum Patrum venerabili authoritate firmantes: à quorum vestigiis & unitate absit ut vel nos, vel illi quorum Charitate compulsi hæc dicimus, recedamus; ne ab ipsis divisi, etiam ab ipso Domino dividamur, qui illis specialiter dicit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Igitur quod in cæteris Christianæ religionis Mysteriis investigandis, sanctissimi Ecclesiæ Patres præscribunt, ut præpositarum rerum fides humanæ rationis conatus antecedat, illud maximè amplecti debet omnis, qui ad investigandum divinæ Gratiæ principium, naturam, & fœcunditatem sese accingit, ut aurem præbeat S. Augustino sic præclarè monenti. De credendis nullâ infidelitate dubitemus:

Lib. 9. de Trinit. c. 9.

De intelligendis nullâ temeritate affirmemus; in illis Authoritas tenenda est; in his Veritas. *Hoc enim constans & antiquum fuit penes Ecclesiam, quæ, ut*

Lib. 14. moral. c. 12.

docet S. Gregorius, in omne quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne in requisitione occultorum tumeat; & perscrutari aliqua, quæ ultra vires sunt illius, præsumat. *Divinarum equidem rerum notitia summo studio indaganda est, ait Iustinus in Expositione Fidei*: Cùm autem eam præ imbecillitate minùs assequi poterimus, revereri eam nos oportet, ut comprehensione majorem, ne evacuetur Fides nostra.

His itaque præclaris Monitis illustrati, tertium hunc Sententiarum librum tribus

Totius præsentis Libri distributio.

Tractatibus, ut jam prælibavimus, suscipimus explanandum: Quorum Primus *ipsius divinæ Gratiæ fontem reserabit,* Incarnationem *nempè Christi Domini, de cujus plenitudine omnes nos accepimus.* Secundus, *ipsius Gratiæ naturam, necessitatem, species ac fœcunditatem aperiet.* Tertius *tandem, illustres ipsius Gratiæ fœtus ac præclara germina, nempè divinas ac Theologicas virtutes,* Fidei, Spei, & Charitatis, *explicabit.*

TRACTATUS PRIMUS

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

1. ad Colossenses.

Lib. 5 contra Nestorium.

TAM altum tamque abditum ac ineffabile est Incarnati Verbi divini mysterium, ut meritò dixerit Apostolus, illud esse *absconditum à sæculis & à generationibus*, nam, ait sanctus Cyrillus Alexandrinus, *Est reverà sapientia, nec humana quidem ullo modo: sed divina potius atque in reconditis quibusdam difficultatibus posita, illud Christi mysterium: igitur beatus David in Psalmo cecinit; Et* POSUIT TENEBRAS LATIBULUM SUUM, *&c.* ex quo ibidem colligit, *Non sublimibus inquisitionibus, aut ejusmodi curiosa indagatione, quæ ingenii humani captum superet, opus esse illi Christi mysterio, sed fide potius, quæ simplici nec ullo fuco adulterata traditione constet.* Quæ verba postrema non sic accipienda sunt, quasi vir ille summus in aperiendo divinæ Incarnationis mysterio, nihil præter nudam ac simplicem fidei professionem adhiberi velit: verùm contendit tantùm ut in illo scrutando mysterio potiores partes sibi fides Christiana vendicet, ejusque ductu ac prævio lumine humana ratio gubernetur; quippe ait sanctus Fulgentius: *Magnum bonum infert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur.*

I. Quanta sit mysterii Incarnationis dignitas & sublimitas.

B

Lib. 2. ad Trasimundum cap. 3.

II. Quàm difficile sit illius naturã explicare.

Hinc est quod celebres Ecclesiæ Patres ac Doctores quotquot ineffabile hoc mysterium propugnandum aut explicandum susceperunt, illud ita commendârunt, ut obscuritatis & periculi simul moneant, nisi rationem in his mysteriis cœcam fides ducat. Ea namque ratione S. Dionysius, *ineffabilem Iesu in carne apparitionem* appellat; Cyrillus Alexandrinus, *ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quàm humani judicii trutinæ subjiciendum*: Damascenus, *novum novorum & solum sub sole novum*: Augustinus, *mirabilem mixturam*: Gregorius, *cardinem & verticem omnium miraculorum*: Denique S. Bernardus, *mixturam singulariter mirabilem, & mirabiliter singularem*: nam ut subdit, *Tria opera & tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione carnis nostræ, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram; conjuncta quippe fuerunt invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum: admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa tamque divisa ab invicem, invicem potuerunt conjungi.* Hinc rectè monebat S. Leo: *Cùm ad intelligendum sacramentum Nativitatis Christi, quâ de Matre Virgine est ortus, accedimus; abigatur procul terrenarum caligo rationum & ab illuminata fidei oculo mundana sapientiæ fumus abscedat.*

C

Serm. 3. de Nativ.

D

Serm 7 de Nativitate.

Cæterùm ut prælucente methodo, præviàque justâ materiæ tam amplissimæ ac obscurissimæ distributione, aliquid lucis affulgeat, præsentem

A Tractatum juxta servatum à nobis ordinem, tres in Disputationes totidem Articulis & Sectionibus divisas, distribuemus; quarum *Prima* referet existentiam, naturam, & causas Incarnationis; *Secunda* Christi Domini entitatem divinam & humanam, ejusque præcellentias, & operationes aperiet; *Tertia* denique supremam illius dignitatem & debitum tam illi, quàm Deiparæ Virgini, aliisque Sanctis cultum & honorem edocebit.

Tractatûs distributio.

Verùm *quoniam certum est*, inquit S. Fulgentius, *penè omnes hæreticæ pravitatis errores hinc multipliciter subrepsisse, cùm magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt: aut omnino non credunt*: nullum enim fuit totius Religionis mysterium quod Diabolus variis hæreticorum erroribus acriùs vel infuscare, vel penitùs extinguere tentaverit: ideo non ingratum fore arbitror studioso nostro Lectori, si in hujus operis limine, Incarnati Verbi mysterio inimica dogmata & in ipsum pugnantia hæresum varia monstra sigillatim exponam: nam ut bellè annotat S. Augustinus, *Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Vel ut eleganter addit S. Gregorius, *cùm graviora hostium prodiêre certamina, tunc sunt profectò subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum.*

Supra, c. 5.

Lib. 18. de Civit.

Lib. 23. Mor. c. 3.

QUÆSTIO PROEMIALIS.

Quot & quæ fuerint Hæreticorum erronea dogmata circa Incarnati Verbi mysterium.

CUM Incarnati Verbi mysterium inter cætera divina opera maximè humanam rationem trascendat; nihil enim mirabilius cogitari potest, quàm quòd, ut Ecclesia profitetur in Symbolo sancti Athanasii, *Dominus noster Iesus Christus Dei Filius Deus & homo est: Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia Matris in sæculo natus; perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens; æqualis Patri secundùm divinitatem; minor Patre secundùm humanitatem.*

III. Omnes hæreses Verbi Incarnationem impugnantes, distribuuntur in tres classes.

Quare nihil mirum si circa tam ineffabile tamque humanæ menti impervium mysterium, pluribus longè modis erratum fuerit, quàm circa quemlibet alterum ex nostræ fidei Articulis. Nam, ut missos faciam Gentiles, qui impossibile judicârunt Deum hominem fieri, nec-non &

perfidos Judæos, qui Christum merum esse hominem crediderunt; imò etiam ut hominem infimum ac deterrimum, ignominiosa nece sustulerunt, vix numerari ac recenseri possunt varia hæreticorum impia dogmata circa Incarnati Verbi assertionem. Nihilominus ut eos errores ad certum ordinem perstringamus, triplicem in classem distribuemus: quarum *Prima* aperiet principes Hæresiarchas qui Christi Domini divinitatem impugnârunt: *Secunda* referet eos omnes qui circa ejus humanitatem erraverunt. *Tertia* denique varios ac multiplices referet errores eorum omnium qui utriusque, divinitatis & humanitatis, unionem negaverunt, vel adulterare & obscurare tentaverunt. *Quidam* enim, ut scribit sanctus Leo Papa Sermone decimo de Nativitate c. 2. ex *documentis Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, quæ eum verum hominis filium demonstrabant, nihil ipsum ampliùs quàm hominis filium crediderunt, non putantes illi adscribendam esse divinitatem, quem & primordia infantiæ, & incrementa corporea, & passionum usque ad crucem mortemque conditio, non dissimilem cæteris mortalibus approbassent.*

Cæterùm hac in texenda Hæresum ac Hæresiarcharum in Incarnationem divini Verbi militantium serie, ne quid ex proprio cerebro confictum proferre videar, Lectorem monitum volui, omnia quæ narraturus sum, ex SS. Patribus illorum errorum expugnatoribus, & antiquioribus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus esse deprompta ac testimonio roborata: quamquam, ut cuique meritas ac debitas grates & laudes rependam, non denegem me plurima debere Baronio, Petavio, aliisque modernis Annalistis & Theologiæ Professoribus, qui suis doctissimis studiis & scriptis, nobis in hac texenda Hæresum Enciclopædia, imò & in difficillimo hoc Tractatu elucubrando in suppetias venêre.

Prima Classis Hæreticorum

Qui Christi Domini Divinitatem impugnaverunt.

Tredecim circiter apud Antiquos celebrantur nefandi illius erroris Assertores & Artifices: quorum impium agmen duxit *Carpocrates*, qui ipsis Apostolorum temporibus, ut recenset Irenæus lib. 1. cap. 4. præcipuus fuit Gnosticorum author, perinde ac Simon ille Samarites magus & fornicarius qui affirmabat inter cætera, *Iesum ex Iosephi & Maria conjugio cæterorum more progenitum esse, in quem post Baptismum Christus illapsus est; ac talem animam accepisse dicebat, quæ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret*: ut docent, Tertullianus lib. de Anima cap. 25. *Epiphanius*, lib. 1. de Hæresibus cap. 5. & Augustinus ibidem cap. 7.

IV. Carpocratiani.

Cerinthus Carpocratis discipulus, nihil ab impio præceptore dissentiebat; cum eo siquidem affirmabat descendisse Christum, hoc est Spiritum sanctum, in Jesum ad Jordanem in columbæ specie, ac postquam passus est Jesus, Christum revolasse sursum, Jesum autem resurrexisse. Ita referunt Irenæus, lib. 2. cap. 3. Epiphanius,
V. Cerinthiani
Hær. 28. At Augustinus, lib. de Hær. c. 8. ait Cerinthum asseverasse non resurrexisse Jesum, sed resurrecturum esse. Porro iidem authores testantur ipsum Cerinthum unum fuisse ex illis qui commoverunt multitudinem credentium adversus Petrum, eò quòd ad baptisandum Cornelium ingressus esset ad viros præputium habentes: huncque præterea esse qui sub Apostolis quæstionem illam movit de Circuncisione ac cæteris Judæorum adhibendis ceremoniis; ad quam disceptandam primum Hierosolymis Concilium habitum est, ut legimus *Act.* 15. Quæ si vera sint, oportet ipsum antiquiorem esse Carpocrate, quem sub Adriano collocat Theodoretus qui in Ægypto Cerinthum diu versatum esse refert, ibique Philosophiæ operam dedisse, atque in Asiam transisse postea; unde illud memorabile narrat Irenæus lib. 3. cap. quòd cum sanctus Joannes Evangelista ad balneum venisset, animadvertens ibi accessisse Cerinthum, statim inde exiit; *ne balneum*, inquit, *subitò cadens nos cum Cerintho opprimat.*

Ebion, à quo *Ebionitæ*, Cerinthi discipulus, cùm secta Samaritanus esset, Judæus haberi maluit, idcirco Legem Mosaïcam ac ritus Judaicos cum Christana professione conjunxit, & Evangeliis cæteris abjectis, solùm illud suscipiunt Ebionitæ, quod est secundùm Matthæum: Apostolum verò Paulum recusant, Apostatam eum legis dicentes, ut referunt Irenæus cap. 26. & Epiphanius Hær. 30. qui pariter probant Ebionem putasse Christum de Josephi ac Mariæ consortio esse genitum; quamquam Origenes lib. 2. contra Celsum, c. 3. dicat duo esse Ebionitarum genera; quorum aliqui Christum ex Virgine natum fatentur; alii verò ipsum communi cum cæteris statu procreatum. Hoc autem pessimum Dogma sancto Joanne Evangelista adhuc vivo emersisse, testis est sanctus Hieronymus, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 19. ubi scribit de sancto Joanne, *Novissimus omnium scripsit Evangelium adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime tum Ebionitarum Dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Quòd antea dixerat Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 14. *Poterit*, inquit, *hæc opinio Ebioni convenire, qui nudum hominem & tantum ex semine David natum, non item Dei filium constituit Iesum.* Hinc apprimè notat Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 21. ejus Sectatores meritò dictos *Ebioneos*, hoc est *mentis & intelligentiæ inopes*; Ebion enim lingua Hebraïca pauperem & egentem significat, quippe qui de Christo ejusque doctrina tenuiter & abjectè statuerent ac opinarentur. VI. Ebionitæ.

Elxaï, Judæus quidam impostor & Pseudopropheta, sectam mediam Judæos inter & Christianos instituit ad annum 149. Scripsit autem librum quem tanquam propheticum mirè Sectatores ejus venerati sunt; quem & cœlo delapsum esse finxerunt: quo in libro Christum magnum esse regem prædicabat, sed eum nihilominus esse puram creaturam dicebat; ab initio quidem creatam, sed quæ ut diversis, temporibus variè appareret, varias induerat formas. Erat enim virtus quædam cœlestis, cujus soror est Spiritus sanctus, qui cum ipso Christo illapsus est in Jesum ex Maria & Josepho genitum. Ita Epiphanius hær. 19. His affinis fuit *Helcesæorum* hæresis; cujus parentem agnoscit Theodoretus lib. 2. cap. 4. Alcibiadem Apamœensem. Narrat autem cap. 4. hanc hæresim ab origine statim repressam & extinctam, restauratam fuisse per Artemonem sive Artemam, qui Jesum Christum merum esse hominem asseruit, ex Virgine procreatum, & Prophetis excellentiorem; idque Apostolos docuisse quidem, sed eorum successores, eundem pro Deo veneratos esse. VII. Elxaitæ.

Circa finem secundi sæculi erupit impium

VIII. Theodotiani

Theodotianorum dogma, authore *Theodoto*, patriâ Bisantino, arte coriario, litteris apprimè erudito, qui in persecutione comprehensus cùm fidem ejurasset, pudore affectus Romam se contulit, ubi cùm nec latere potuisset, nec ferre ignominiam & reprehensionem suæ perfidiæ, quo eam elevaret, prædicare instituit Christum non esse Deum, sed nudum hominem, ac cæterorum more genitum. Ita Tertullianus lib. de præscr. & August. hær. 33. ubi eum Theodotionem appellat; fortè ut perfectius eum distinguat à Theodoto argentario vel trapezita; qui & ipse, inquit Tertullianus hæresi 55. introduxit alteram Sectam, & ipsum hominem Christum tantummodo dicit, ex Spiritu sancto & Virgine Maria conceptum pariter & natum, sed hunc inferiorem esse quàm Melchisedech.

IX. Paulianistæ.

Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus ad *Annum* 265. Judæorum & Ebionitarum hæresim instauravit; qui cum unicam in Deo personam esse diceret, duplexque Verbum distingueret: aliud æternum quod eadem esset cum Patre persona; & aliud prolativum quod quasi aërem quemdam asseverabat; hinc docebat Christum hominem justum, non Deum verum esse, quem nihilominus Deum appellabat. Sic enim de eo scribit sanctus Athanasius in libro de salutari adventu: *Paulus*, inquit, *Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, & inde existendi primordium, Regnique consecutum. Verbum tamen efficax è cœlo & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante sæcula fuisse putat, sed Nazarethi primum extare cœpisse, ut unus, inquit, sit Deus Pater.* Non tamen existimabat Christum fuisse Deum simul atque est editus, sed ex profectu virtutis Deum esse factum, ut idem refert Athanasius oratione quarta contra Arianos. Adversus illius impium dogma celebratæ sunt duæ Synodi Antiochiæ. Prima quidem circa annum 265. cui interfuit Firmilianus Episcopus Cæsareæ, Gregorius Neocæsareæ, & plures alii sanctissimi Patres: non potuit autem adesse Dionysius Alexandrinus ætatem & valetudinem excusans, at vice sua Epistolam misit qua fidem suam de Christi divinitate exposuit. Idem antea Paulum ipsum aliâ epistolâ redarguerat; cui vicissim hæreticus iste rescripsit, ac decem pro nefaria opinione sua capita proposuit adversus Christi divinitatem; quibus Dionysius exiguô libellô respondit, qui extat Tomô secundô Bibliothecæ Patrum.

Interim coram Episcopis Antiochiæ congregatis comparere coactus Paulus, eorum sedulitatem frustratus est, pollicendo se priorem sententiam revocaturum, ac subdolè Catholicum dogma præ se ferens, lusit Patrum existimationem qui eum reverà conversum existimantes Antiochia discesserunt. Sed cum postea hæresis patrocinium majore fiducia resumpsisset, iterum Antiochiam conveniunt Episcopi numero 70. ut affirmat sanctus Athanasius in libro de Synodis; vel 180. ut refertur in libello supplici quem Basilius Diaconus in Concilio Ephesino contra Nestorium obtulit: à quibus ipse Paulus citatus & hæresis convictus industriâ Malchionis Præsbyteri, viri eruditi & acerrimi disputatoris, de sede sua dejectus est. Sed cum cedere nollet, interpellatus à Christianis Præsulibus imperator Aurelianus, vi illum expelli jussit.

X. Sabelliani.

Eodem ferme tempore erupit impium *Sabellianorum* dogma authore *Sabellio*; qui cùm unicam in Deitate personam agnosceret, etiam negabat Verbum divinum incarnatum fuisse, sed volebat unicam in Deo personam homini fuisse intimè conjunctam; seu, ut narrat Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum quæ extat Tomo 3. Bibliothecæ Patrum dicens: *Illos veritas confutavit hæreticos, qui sic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipsum sibi Filium, ipsum fingerent Spiritum sanctum. Deum scilicet qui manens in cœlestibus, creaturæ totius Pater fuit, ut protensus in Virginem etiam nascendo inter homines Filius fieret: rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio, super Apostolos in linguis igneis veniens Spiritus sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi non solum Filium Dei Patris, sed Patrem credere Crucifixum.* Unde etiam *Patripassianos* appellari vetustas ostendit.

Hinc Epiphanius hæresi 62. refert illos hæreticos hac similitudine suum impium dogma declarasse, dicendo Deum esse velut solem cujus una est hypostasis, in qua tria discernuntur: illuminandi vis, nec non calefaciendi, & orbis seu globus: sic in una & singulari persona Dei dicebant Patrem appellari formam totius hypostasis; Filium vero vim esse quamdam illuminandi; Spiritum verò sanctum velut ardorem & fovendi ac calefaciendi insitam facultatem: unde de Christo pronuntiarunt, ipsum esse emissum Filium; hoc est radium divinitatis, qui omnia illa perfecit quæ ad illustrandas hominum mentes lumine ac veritate Evangelica spectabant.

Sabellii fautor imitatorque fuit Marcellus Ancyranus; qui dum Arianos vehementiùs insectatur, & unitatem divinæ substantiæ adversus eos acerrimè propugnat, in contrarium est lapsus errorem, & eandem unitatem, ad hypostases ipsas personasque transtulit. Hinc, ut refert Eusebius Cæsariensis, qui quinque libris eum impugnavit, dicebat Verbum esse expers propriæ subsistentiæ ac non nisi imperantem Sermonem in carnem subiisse, in eaque operatum esse: tuncque Christum extitisse, ac Jesum & Regem, & imaginem Dei. Quod confirmat Theodoretus lib. 2. cap. 10. dicens, *excogitatam esse extensionem quandam ab illo Paternæ Deitatis, talemque Sermonem esse, qui in Christum illapsus est: quique peracta omni functione ad Deum reductus & contractus est, à quo extensus fuerat.* Addebatque post occasum mundi ac Judicium Sermonem à carne discessurum, & ad Patrem rediturum esse; ita ut sola Verbo destituta caro relinquatur.

XI. Photiniani.

Marcelli discipulus fuit *Photinus* Sirmii Episcopus, qui disertus ac disputandi facultate peritus circa annum 337. Pauli Samosateni, ut Marcellus, dogma instauravit; ita ut Paulianistæ demum appellati fuerint Photiniani. In Concilio Sardicensi damnatus fuit, sed latæ sententiæ non acquiescens, Constantium Imperatorem adiit, petiitque Judices à quibus denuò audiretur: cui cùm annuisset Imperator, delegavit ipsi Episcopos Semiarianos qui Sirmii convenientes ipsum denuò damnaverunt, & sede sua dejecerunt; ut ea ratione Judices illi Catholici apparerent, quatenus damnarent hominem qui negabat Filium Dei ante Mariam extitisse. At illorum dolum brevi detexit Lucifer Calaritanus lib. de non parcendo delinquentibus in Deum, ubi Constantium Semiarianum Photini Judicem & damnatorem sic interpellat. *Ecce Photinus hominem tantùm profitetur Dei Filium: dicit illum non fuisse ante beatissimam Mariam; tua quoque hæc est professio,*

quod nimirum ante omnia quidem, hoc est ante cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, Filius Dei: sed quod extiterit ex nihilo, sed quod sit creatura, quid interesse arbitraris inter te & Paulum Samosatenum, vel eum tum ejus discipulum tuum Comphotiuum, nisi quia tu ante omnia dicis, ille vero post omnia? Cæterum una vobis credulitatis & incredulitatis mens est ut dicatis non habere Deum verum Filium.

SECUNDA CLASSIS HÆRETICORUM.

Eorum scilicet qui circa Christi Domini humanitatem erraverunt.

Secunda Classis hæreticorum.

CUM in homine duo sint quibus constat & ex integro constituitur; corpus videlicet humanum & anima rationalis, quæ invicem communi quodam vinculo sociantur, ex quorum unione sequitur hominem varias habere facultates, tum ex anima, cùm ex corpore promanantes, inde circa humanitatem Christi Domini variè erratum est ab hæreticis; quorum errores ut clariùs & distinctiùs appareant, proferemus primùm eos qui nefaria quædam dogmata circa Christi Domini corpus venditarunt.

Errores circa Corpus Christi Domini.

Qui erravere circa corpus Christi recensentur.

HIC non refero eos omnes Errones, qui ludicram & fictam ac specie tenus adumbratam fuisse Incarnationem defendebant. Inter quos præcipuus & omnium antesignanus videtur Simon Magus; qui, ut refert S. Irenæus lib. 7. cap. 20. à multis quasi Deus glorificatus, docuit semetipsum esse qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; in reliquis verò Gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Unde consequens erat ut Incarnationem negaret, & carnem non reverà, sed sola specie à Deo susceptam assereret. Sed his prætermissis eorum duntaxat mentionem facio, qui veram Christi carnem negabant; quorum primus prodit.

XII. Saturniani.

Saturnilus, vel ut voluit aliqui, *Saturninus* ejusdem Simonis discipulus, qui Simonis propagavit hæresim, atque inter cætera docuit Christum reverà natum non fuisse, sed putativè tantùm hominem, ut ait Irenæus lib. 1. cap. 22. vel *in phantasmate tantùm venisse*, ut docet Tertull. de præscriptionibus cap. 46. cujus condiscipulus *Basilides* ei in omnibus adhæsit, docens Christum fuisse phantasma ac reverà neutiquam passum, sed pro eo Simonem illum Cyrænæum, cui cùm Judæi Christi crucem imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, & ejus vicissim propriam induit, atque ita Judæorum lusit irrisitque conatum. Hinc negabat pro Christo martyrium subeundum esse, eo quod non ille mortem perpessus esset, ut referunt præter Irenæum Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum & alii plurimi.

XIII. Valentiniani.

Sub idem tempus idem nefarium dogma docuit *Valentinus*; qui, ut observat Eusebius lib. 4. historiæ cap. 10. viguit sub Pio, hoc est anno Christi 158. & permansit usque ad Anicetum nempe ad annum 167. qui inter cætera deliria docuit, Christum à Patre ad totius mundi salutem demissum habuisse corpus, non terrenum, sed cœleste, ac per Mariam Virginem velut aquam per canalem transiisse, nec ex ejus utero quicquam sumpsisse, ut scribit Epiphanius hæresi 31. Addit quoque Tertullianus contra Valentinianos cap. 13. ipsum Christo spirituale dedisse corpus, idque veluti aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem vel mutuantem.

XIV. Cordoniani.

Valentino annumerandi sunt plures alii, qui non minùs insanè quam ineptè de Christi Domini vero corpore senserunt. Præ cæteris verò eminent *Cerdoniani* à Cerdone, qui primus duos dixisse Deos fertur; unum bonum, alterum malum. *Hic*, inquit Tertull. lib. de Præscriptionibus cap. 51. *introducit initia duo, id est duos Deos; unum bonum, alterum sævum; bonum superiorem, sævum hunc mundi Creatorem. Hic Prophetiat & Legem repudiat, Deo creatori renunciat, superioris Filium Christum venisse tractat: hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronunciat, nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex Virgine natum, sed omnino nec natum.*

XV. Marcionistæ.

Cerdonis discipulus & pessimi dogmatis imitator ac disseminator fuit *Marcion*, qui, inquit Tertull. lib. de Carne Christi, *Christi negavit nativitatem, & ut nativitatem negaret, negavit & carnem.* Et ut addit lib. contra Marcionem cap. 5. *duos Christos constituit: alterum qui Tiberianis temporibus à Deo quodam ignoto revelatus sit in salutem omnium Gentium: alterum qui Deo Creatore (hoc est malo) in restitutionem Iudaici status sit destinatus quandoque venturus. Inter hos diversitatem & magnam differentiam scindit, quantam inter justum & bonum; quantum inter legem & Evangelium, quantum inter Iudaismum & Christianismum.*

XVI. Manichæi.

Sequitur omnium pessimus ac pestilentissimus *Manes* sive Manichæus; Magister falsitatis diabolicæ & conditor superstitionis obscœnæ, inquit S. Leo Serm. 2. de Pentecoste: cujus discipuli ait S. Aug. de hæresibus cap. 46. *Christum affirmabant fuisse, quem dicit nostra Scriptura serpentem, à quo illuminatos primos Parentes asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoscerent, eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas non ad corpora liberandas: nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solùm mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur.* Huic ut ait Tertull. de præscriptionibus cap. 51. adscribendus est *Appelles* ejus discipulus, qui Christum neque in phantasmate dicit fuisse sicut Marcion, neque in substantia veri corporis ut Evangelium docet: sed in eo qood è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aëream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse; & sic dispersis quibusque corporis sui partibus in cælo spiritum tantùm constituisse. Non refero omnes alios hæreticos, putà *Priscilianistas* & alios similes, qui inquit S. Leo epist. 93. *Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis & cognatis suis Manichæis per omnia concordantes.* Nec Phanaticos illos Arianos, qui Patripassianorum dogma renovantes, inquit S. Fulgentius lib. contra Sermonem Fastidiosi cap. 11. *Eos sua perversitas consequens ad hanc absurditatem præcipitat, ut nativitatem quidem divinam nullatenus credant, naturam vero secundùm carnem, nihilominus passionem ac mortem, resurrectionem quoque ab inferis, & Ascensionem in cœlum, & omnia illa quæ in Sacramento Incarnationis ad personam unius Filii per-*

tinent, Patri consequenter adsignent. Nec deniquè *Gaianitæ*; qui, ut scribit Leontius Scholasticus actione 10. lib. de Sectis, confitentur Deum Verbum è Virgine naturam humanam sumpsisse perfectè & verè, sed post unionem esse corpus incorruptibile dicunt.

Qui erravère circa animam Christi.

Errores circa Animam Christi.

XVII. Ariani.

PRodeunt inprimis *Ariani*; Arius namque, ut observat Manuel Caleca, assumptam cum carne animam à Christo, ante Incarnationem existere atque è cœlo venisse credidit; siquidem animarum & ipse corporibus anteriorem extantiam ponebat; vel, ut observat S. Aug. de quibusdam Arianis, Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur: quod verum esse Epiphanius non tacuit. *Et ego,* inquit, *ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè comperi.*

XVIII. Apollinaristæ.

Quibus in errore successerunt *Apollinaristæ,* affirmantes Deum Christum carnem sine anima suscepisse; docente ac dicente Apollinari hæresiarca, qui vir erat insignis doctrinæ, & antequàm in hæresim laberetur, pietate ac virtute illustris, ipsique Epiphanio & Athanasio ac Catholicis omnibus longè charissimus. *Non enim,* inquit de eo Epiphanius hæresi 77. *mediocrem litterarum scientiam fuerat vir ille consecutus: cùm & humanioribus Græcisque disciplinis esset excultus, & Dialecticam ac Sophisticam omnem imprimis calleret: esset idem porrò præcipuâ gravitate præditus: & cum fidei Catholicæ propugnatoribus summâ charitate conjunctus, antequàm in illud dogma laberetur: quin etiam exilium perpessus est idem, quòd cum Arianis convenire nollet.* Tanta erat ejus eruditio, ut de eo scribat S. Hier. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 114. *Innumerabilia scripsit volumina, & ejus adversùs Porphyrium triginta Libri inter cætera ejus Opera maximè probantur.*

Erroris illius hæresisque capita varia ac multiplicia afferuntur; sed quantùm spectat ad Incarnationis mysterium, tripliciter aberravit. *Primò* namque censuit naturam hominis in Christo esse semi-plenam, hoc est animâ carentem, cujus vicem supplebat corpori Verbum ipsum caro factum. Nam, inquit Socrates, lib. 2. cap. ultimô, *Apollinares ambo animam à Deo Verbo in dispensatione Incarnationis non assumptam: deindè quasi pœnitentiâ ducti, corrigentes semetipsos adjecerunt, animam quidem assumptam, quæ tamen non haberet mentem, sed Deum Verbum esse pro mente in hominem assumptum.* Quæ sententia fuit secundus illius error; ità quòd sentiret animam quidem à Verbo assumptam esse eâ parte quâ vegetamur ac sentimus, & communia cæteris animantibus officia præstamus; non autem eâ parte quâ rationalis est. Unde Augustinus Tractatu 47. in Joannem sic in eos declamat; *Videte absurditatem & insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, substraxerunt animam hominis.* Tertius denique error ejus fuit, quòd carnem Christi dissimilem, nec de Beatæ Virginis carne sumptam arbitratus est; sed partem ipsius substantiæ Dei in carnem esse conversam, è cœloque delapsam. Hinc Athanasius in Epistola ad Epictetum sic adversus nefarium illud dogma exclamat: *Undenam,* inquit, *ista prodierunt? quinam porrò inferi illud eructarint, consubstantiale Deitati corpus esse, quod ex Mariâ genitum est, aut Verbum ipsum in carnem, ossa, capillos, totumque adeò corpus esse conversum, & suâpte natura mutatum?* &c. Magis verò ad stuporem insanum fuit; quod, ut refert Nazianzenus oratione 46. affirmavit Apollinaris, neutiquam adventitiam esse carnem, quam ad instaurandam naturam nostram unigenitus Filius secundùm dispensationem assumpsit: verùm jam tum à principio carnalem illam naturam esse in Filio. Quod quidem impium commentum probabat ex illo Joannis 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis.

Ex illis nefandis erroribus alius ex consequenti ab eis hæreticis asserebatur; nempe Divinitatem Christi passam fuisse & mortuam, ut tacitô Apollinistarum nomine refert S. Ambrosius in lib. de Incarnatione Christi c. 6. Sunt qui in tantùm impietatis prodierint, inquit, ut putent, quia Divinitas Domini circumcisa est, & imperfecta de perfectâ facta est, & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia divina in carnis specie coagolata pendebat. Quis autem non horrescat? quis audiat, quia non ex Maria Virgine, sed ex divina substantia passibilem sibi carnem fecerit Verbum? Quod asserendo eò prolabuntur, ut non ex tempore corpus Domini esse susceptum, sed coæternum Dei Verbo semper fuisse contendant. Horum omnium authores sunt qui Divinitatem & carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt.

Qui circa facultates animæ Christi erraverunt.

Errores circa facultates Animæ Christi.

XIX. Apollinaristæ.

CErtum est Apollinaristas, de quibus mox dictum, est errasse circa intellectum humanum Christi Domini; ut potè qui affirmarent Animam in Christo propriâ caruisse mente ac intelligendi virtute; cujus vicem supplebat Divinitas Verbi, quæ mens longè est potior quàm humanus intellectus. Quam utiquè opinionem expresserat Apollinaris ex Platonicâ Philosophiâ, ut testis est Nemesius, initiô libri quem de Natura hominis inscripsit. *Quidam enim,* ait, *è quibus est Plotinus, aliud esse animam & aliud mentem statuentes, ex tribus constare volunt hominem, è corpore, anima & mente. Hos sequutus est Apollinaris Laodicææ Episcopus: hoc enim jacto fundamento sententiæ suæ reliqua dogmati suo consentanea superstruxit.*

XX. Agnoitæ.

Errârunt etiam Agnoïtæ circà annum Christi 535. sic dicti ab ignoratione, eò quòd ignorantiam Christi Domini intellectui attribuerint. De quibus Leontius Scholasticus lib. de Sectis, Actione 5. hæc refert: Cùm privatus Bizantii Theodosius degeret, Agnoitarum, sic ab ignoratione dictorum, dogma motum fuit. Nam quia Dominus ait neminem horam Judicii scire, nè Filium quidem, extra solum Patrem, quæsitum est an Christus eam ignoraret ut homo: Theodosius Christum ignorare negabat & adversus Agnoitas scripsit. Alii verò horam Christum ignorare tradebant, quemadmodùm ipsum sensisse dolorem diximus. Inde divulsi sunt à Theodosio qui Agnoitæ vocantur, cùmque sibi peculiarem fecissent Ecclesiam, scorsùm communicabant: *Et rursùs.* Aiunt per omnia nobis Christum assimilari: quòd si nos ignoremus & ipsum ignorasse. Eorum etiam meminit sanctus Joannes Damascenus lib. de hæresibus, qui observat eos etiam dictos fuisse Themistianos à Themistio, qui ex

XXI. Lutherus. sectâ Theodosianorum fuerat. Quem pridèm A sepultum errorem denuò excitavit Lutherus: multa namque ignorasse Christum ut hominem, docuit in Concione de Natali Domini, explicans illum locum Marci 13. *De die autem illa, &c.* Et Homil. 1. Dominicæ post Epiph. ad hæc verba, *Proficiebat sapientiâ & ætate.*

Errores circa Voluntatem Christi.

Qui circa Christi voluntatem erraverunt. Missos facio Apollinaristas, qui eô ipsô quòd in Christo Domino negabant animam rationalem, etiam voluntatem humanam ei adimebant; necnon & Arianos eôdem principiô nixos; ac Eutychianos de quibus infrà. Nam ex eo quòd unicam in Christo Domino naturam stabilirent, in quam volebant humanam esse conversam, consequenter unicam voluntatem in ipso agnoscebant. Profero tantùm eos, qui benè sentientes de duplici naturâ, divina scilicèt & humanâ Christi Domini, in hypostasi Verbi divini conjunctis; unicam tamen voluntatem divinam in illo esse, humanam autem nullam sustinuerunt.

XXII. Monothelitæ. Prodeunt imprimis *Monothelitæ*: cujus hæresis hac occasione initium datum esse circa Annum Christi 633. Theophanes, Cedrenus aliique passim Annales Græci perhibent; ut narrant Baronius & Petavius. Nam cùm Heraclius Imperator C confectô bellô Persicô Orientem peragrans Hierapolim venisset, cum adiit Athanasius quidam Patriarcha Jacobitarum, qui Sectâ erant Eutychiani; cui cùm Imperator dixisset illum instituturum Patriarcham Antiochenum, si Concilium Chalcedonense approbaret duasque in Christo naturas confitens, Eutichianum dogma ejuraret. Hàc spe illectus Athanasius duas in Christo naturas profiteri cœpit: tùm quæstionem oon ita pridèm à Theodoro Pharanitâ agitatam vicissim Imperatori proposuit de voluntate & actione Christi duplicemne credere oporteret, an unicam. Ad quam interrogationem hæsitans Imperator, D Sergium Patriarcham Constantinopolitanum per litteras consuluit, qui cùm & ipse Syrus ac Jacobitis ortus parentibus, atque ejusdem clanculùm defensor hæresis, quæ unam in Christo naturam, adeoque voluntatem & actionem unam agnoscebat, consentaneum errori suo responsum dedit: quod cùm accepisset Imperator, easque Cyro Phasidis Episcopo, & paulo pòst Patriarchæ Alexandrino communicasset, cùm Cyrus ipse simili labe ac hæresi esset infectus, ex tunc communicatis consiliis duo illi Patriarchæ, nempe Sergius Constantinopolitanus, & Cyrus Alexandrinus, unà cum Machario Patriarchâ Antiocheno, robur & vires dederunt huic hæresi; maximè verò Cyrus, qui initiô suæ ad E Patriarchatum Alexandrinum promotionis, prætextu reducendorum ad Ecclesiam Theodosianorum hæreticorum & Acephalorum, quorum ingens erat in illâ urbe numerus, Synodum congregavit; in qua novem Capita cum anathematismis palàm exposuit: quorum septimum erat, unam in Christo Theandricam, seu Dei-virilem esse operationem. Extant autem illa Capita in actione 13. sextæ Synodi.

Florebat tunc Alexandriæ Sophronius Monachus, vir singularis pietatis ac doctrinæ; qui cùm probè cognosceret dolos ac fallacias pacis involucrô tectas, apud Cyrum vehementer institit, ut septimum illud Capitulum rescinderet, quod utique obtinere non potuit. Quapropter Constantinopolim ad Sergium Patriarcham profectus est, ut illius opem adversus suborientem hæresim implotaret; verùm cùm eâdem labe infectos esset Sergius; nec tamen, ut erat vir astutus, adhuc suum errorem propalare vellet, cum ipso Sophronio convenit, supprimendam esse mentionem unius aut duarum voluntatum, ut videre est in Epistola ipsius Sergii ad Honorium summum Pontificem: ubi inter cætera hæc habet. *Ad ultimum stetit & placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis, nullum sermonem de cætero, de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata cantaque ac trita* B *sanctorum Patrum traditio atque doctrina, &c.*

Verùm cùm ipse Sophronius paulò pòst Hierosolimorum factus esset Episcopus, celebratâ Synodô, duas in Christo operationes ac voluntates admittendas esse decrevit, ut constat ex illâ Epistolâ quam scripsit ad Sergium, quæ lecta est & approbata in sextâ Synodo Oecumenicâ; quin etiam Romam ad Honorium summum Pontificem litteras misit per Stephanum Dorensem Episcopum quibus de nova Monothelitarum hæresi eum certiorem facit, & paulò pòst obiit.

Scripsit ad eundem Honorium Sergius eodem anno, de controversiâ inter Cyrum & Sophronium, non sine malignâ interpretatione mentis C eorum & sententiæ, qui duas operationes asserebant; tanquam inde consequens esset, duas esse voluntates contrarias, & confligentes invicem: quare consultius videri sibi, ut nec una, nec duæ operationes in Christo nominarentur, sed unus duntaxat operans. Ad quæ respondens Honorius, illud Sergii consilium probavit, retinendæ concordiæ gratiâ, alioqui non duas esse voluntates professus in Christo contrarias inter se, sed unam tantummodò, ut pugnam illam ac discordiam voluntatum intercluderet.

Moritur post hæc Honorius Papa; cui successit Severinus cujus ordinatio dilata est, quòd nondùm ab Imperatore, uti mos erat, rata esset ha- D bita illius electio; sicque Romana sedes diu vacavit. Interim cum Monothelitarum factio in dies vires acciperet ac suum virus effunderet, Heraclius Imperator authore Sergiô fidei *Ecthesim*, sive expositionem promulgavit; quâ unicam in Christo voluntatem asseveravit quidem, sed quasi aliud agendo; cùm disertè ac palàm constitueret nè quis tam onam quàm duas operationes & voluntates in Christo oominaret. Quam utique Ecthesim habita Synodo Constantinopoli probavit Sergius ac publicè proposuit, eodemque anno mortuus est, inque illius locum subrogatus est Pyrrus, ejusdem cum Sergio particeps hæresis; apud quem Joannes Quartus, qui Severino Ponti- E fici mortuo successerat, institit, ut Ecthesis illa publicis in locis affixa detraheretur ac damnaretur; quod cùm obtinere non potuisset, coacto Romæ Concilio, Moothelitas damnavit. Hoc cùm rescisset Imperator Heraclius, Epistolâ ad Joannem Pontificem professus est non se authorem fuisse illius Ecthesis, sed Sergium qui illam composuerat, rogaveratque ut illi subscriberet suoque nomine promulgari juberet.

Bienniô post promulgatam Ecthesim obiit Heraclius, cui successit Constantinus ejus filius Princeps Catholicus: at ipso post menses quatuor mortuo, non sine veneni suspicione ab noverca Martinâ dati, cujus consilii particeps Pyrrus ferebatur, imperavit alter Heraclius sive Heracleo-

nas

nas cum Martinâ matre, sed illis exilio damnatis, & naribus Heracleonæ, Martinæ linguâ Senatus decreto resectis, eorum in locum suffectus est Imperator Heraclius alter Constantini filius, qui idcirco Constantinus ac Constans à populo nominatus est, & potiùs avum quam patrem, æmulatus, Monothelitarum hæresim acerrimè propugnavit.

Interim Pyrrhus seditione populari ob Constantini necem exagitatus, Constantinopoli profugit & in Africam sese recepit, ubi celebrem collationem habuit cum sancto Maximo Abbate viro religiosissimo & doctissimo in conventu Episcoporum ac virorum nobilium; eóque res deducta est ut Pyrrhus convictus erroris, veritati Catholicæ manus daret: quapropter Romam profectus, Theodoro Papæ, qui Joanni quarto successerat, libellum obtulit, quô damnatâ hæresi suâ Catholicæ fidei subscripsit, atque ita in communionem receptus est. Verùm postea Constantis Imperatoris jussu Olympius Exarchus Ravennam excitum Pyrrhum ad resumendam professionem suam hæreticam adduxit; qua de causa Theodorus Pontifex, Pyrrhum deposuit & anathemate damnavit, eandemque sententiam tulit in Paulum, qui suffectus fuerat in locum Pyrrhi. Suadente autem ipso Paulo Constans Imperator Edictum promulgauit, quem *Typum* vocant, in quo ad sanciendam concordiam prohibuit ne quis tàm unam quàm duas in Christo voluntates usurparet.

Post obitum Theodori, Martinus primus ejus successor Romæ Lateranensem coëgit Synodum Episcoporum 105. in qua Heraclii siue Sergii *Ecthesis* & *Typus* Constantis, ac prætetea Monothelitarum fautores & dogmata damnantur. Quibus commotus Imperator Constans Martinum variè exagitavit ut damnationem revocaret: at perseverans mittitur in Exilium, ubi varias ærumnas passus martyrii coronam promeretur.

Demum Constante Imperatore Syracusis in Sicilia per insidias occiso, Constantinus ejus filius cognomento *Pogonatus*, id est Barbatus, in Imperialem dignitatem successit, qui cùm esset pius & Catholicus princeps, egit primùm cum Dumno, deinde cum ejus successore Agathone de pace Ecclesiæ componenda, quapropter Concilium Generale celebratum est Constantinopoli; cui præfuerunt Legati sedis Apostolicæ, præsens adfuit Imperator, in quo auditis denuò Monothelitis, quorum signifer erat Macharius Antiochenus, decretum est duas in Christo voluntates totidemque naturales actiones inesse. Inchoatum autem fuit Concilium anno 680. sequenti verò perfectum.

Quæ fuerit genuina eorum sententia.

Controvertitur autem an reverà Monothelitæ assererent unicam esse in Christo voluntatem; an verò duntaxat negaverint voluntatis humanæ operationem; ita quod duplex esset quidem in Christo voluntas; sola tamen divina suam operationem exerceret: tamen probabilius est illos unicam duntaxat voluntatem seu volitivam facultatem admisisse: nam imprimis supradicta Ecthesis, licèt primâ frontè expresse nec unius duntaxat, nec duarum voluntatum & operationum videatur meminisse, sed duntaxat constituisset ne pacis interturbandæ causâ quis tam unam quàm duas operationes & voluntates nominaret in Christo; tamen exclusâ operatione duplici, unicam voluntatem asserendam esse pronuntiat; quod ut appareat quædam ex ea profero. Nam post longam & Catholicam explanationem Trinitatis & Incarnationis, *Nullo modo concedit alicui ex omnibus unam, vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini Incarnatione: sed magis sicut sancta & universales tradiderunt Synodi, unum eundemque Filium unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum confiteri, operari divina & humana.* Addit subinde rationem, ob quam nec unam, nec duas patiatur operationes. *Eò quòd*, inquit, *unius quidem operationis vox, licèt ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat & extraneat quorumdam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unita sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalisare, utpotè à nemine dictam Sanctorum ac præcipuorum Patrum: sed & sequi in eo ut duas confiteamur voluntates contrariè ad invicem venientes; Deo quidem Verbo volente saluberrimam Passionem explere, Incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci: quod impium est & extraneum Christianici dogmatis.* Postquam autem de operatione sic statuit, ut neutri parti præjudicare, sed utraque suppressâ paci & concordiæ cavere videretur, mox de voluntate manifestè virus hæreticum exprimit, unam in Christo confitens; *Vnde sanctos Patres*, inquit, *in omnibus & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Iesu Christi verissimi Dei confitemur.* Igitur Ecthesis hoc habet proprium, ut operationem dici unam duasve prohibeat: voluntatem verò unam apertè confiteatur.

Probatur insuper ex illa celebri disputatione sancti Maximi cum Pyrrho; in qua præsertim immoratur sanctissimus ille vir ut probet quòd quia duæ naturæ sunt in Christo, convenienter unicuique apta est ut velit & operetur: item quòd Christus habet voluntatem humanam, quia habet naturam humanam perfectam, naturæ autem sine suis proprietatibus perfectæ dici non possunt. Item quòd Christus habuit voluntatem, quia habuit vim insitam ad tuendam suam humanitatem, unde subinsert: *Quid igitur absoni fecit Ecclesia Dei, si cum humanitate ejus & natura creata, ea etiam quæ ab ipso in creatione eidem animæ indita sunt, sine quibus natura esse non potest, plane confitetur?* Denique idipsum testatur Martinus primus in allocutione quam habuit ad Patres Synodi Lateranensis his verbis: *Et Cyrus quidem ante hos decem & octo annos unam operationem in Christo in eadem Alexandria urbe definiens, divinitatis ejus & humanitatis ad similitudinem Acephalorum hæreticorum ordinando, capitula numero novem in ambone prædicans, cum anathemate qui sic non saperet impiè promulgavit. Sergius autem per Epistolam propriam ad denominatum Cyrum scriptam, eandem similiter unam operationem suscipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare. Et non solùm hoc, sed etiam post aliquos annos ejusdem Cyri novam adinventionem, hoc est per nuper duodecimam indictionem delapsam, hæreticam & ipse conscribens ecthesim fidei, sub nomine tunc imperantis Heraclii, unam in eadem Salvatoris nostri, secundum impium Apollinarem, voluntatem & operationem instituit ex hoc quod dicit imprudenter, sequi operationem voluntatem.*

TERTIA CLASSIS HÆRETICORUM.

Circa unionem naturæ Divinæ cum humana in Christo.

XXIII. Qui pessimè de unione naturæ Divinæ cum humana in Christo senserunt.

INter omnes hæreticos qui Divinæ naturæ cum humana in unitate personæ unionem impugnârunt, omnium nequissimi fuerunt Nestoriani & Eutychiani; at diversâ & omninò oppositâ ratione; siquidem Eutychiani humanam naturam per Incarnationem in divinam traductam & veluti transsubstantiatam esse contendebant: Nestoriani verò è contra duas naturas simul & personas in Christo distinctas asseverabant: hæc autem hæresis cùm alteram tempore præcesserit, idcirco ab ea auspicandum esse duximus.

NESTORIANI.

Nestorius impii dogmatis assertor.

DIcti sunt à *Nestorio*, impio illo ac nefando architecto illius erroris, quem Suidas nepotem ac filium, hoc est, discipulum Pauli Samosateni, id est, illius damnati erroris instauratorem profert. Natus est Germaniciæ in Syria: at variis peragratis provinciis, ut scribit Theodoretus lib. 4. de hæreticis cap. 12. Antiochiæ tandem, resedit ubi Sacerdotum numero adscriptus,

Quis fuerit.

liberalibus artibus mediocriter eruditus, exercendæ voci, quæ naturâ suavis & sonora illi inerat, primùm maximè operam dabat; deinde quòd cùm sermone promptus ac disertus esset, docendique populi munus injunctum ei fuisset, non ingenuum, inquit Theodoretus Epistolâ ad Coradium, & fructuosum dicendi characterem imitatus est, qui hominum animos pascere possit, sed ad popularem auram declinando, & vanum populi applausum ut quivis alius aucupando, instabile & abjectum vulgus ad sui desiderium concitavit. Accedebat affectata quædam sanctitatis species, quam & pulla vestis ostentabat, & vultus ad tristitiam gravitatemque compositus, & index inediæ ac mortificationis pallor: insuper populi frequentiam devitans domo se continebat, ubi inter libros nihil rerum mundialium curare visus, tranquillam quietamque vitam degebat; quibus artibus plerosque in sui admirationem & affectum concitabat: in eoque vivendi instituto cùm maximam vitæ partem insumpsisset, summamque sibi hac vivendi ratione apud omnes venerationem conciliasset, tandem contigit circa annum Christi 428. quòd mortuo Sisinnio Constantinopolitano Episcopo in ejus locum selectus fuerit; cùm enim visum fuisset Imperatori externum potius quàm indigenam ad illam dignitatem promovere, judicavit ab ea urbe præsulem esse petendum, quæ tam fœlici successu Joannem antea dederat cognomento Chrysostomum.

Quâ arte Catholicos luserit.

Venit ergo Constantinopolim anno 428. ordinatusque est Episcopus Aprilis die 10. summâ omnium Catholicorum gratulatione, quòd eum fidei defensorem acerrimum existimarent. Hinc S. Cyrillus statim atque renuntiatum illum Episcopum audivit, officii plenas ad eum litteras rescripsit, ut colligitur ex Epistola illius ad Theodosium Imperatorem. Quam de se existimationem ut foveret Nestorius, vehemens in Catholicam religionem studium suum, & in hæreticos odium præ se tulit; quod utique maximè demonstravit in prima concione quam habuit coram Imperatore Theodosio, in quâ memorabilem hanc vocem, ut narrat Socrates, edidit. *Da mihi Imperator puram ab hæreticis terram, & ego tibi cælum* A *vicissim dabo: everte mecum hæreticos, & ego tecum Persas evertam.* Hujus itaque persuasione Theodosius Imperator sanctionem adversus hæreticos edidit: sed dum præclarum videbatur Catholicum facinus moliri, non solùm clam favebat Pelagianis suis amicis; nulla siquidem in ea sanctione fit Pelagianorum mentio; sed etiam eò progressus fuit postmodum audaciæ, ut ipse novæ hæresis artifex appareret, Filium Dei negans revera incarnatum hominem factum, sive ex Maria Virgine secundùm carnem genitum; qua propter Virginem sacram non θεοτόκον, hoc est *Deiparam* appellandam esse impurus homo B negabat: proque nomine isto χριστοτόκον hoc est, *Christiparam* usurpare volebat: ac propterea totus illius furor ut eradendam voculam istam *Deiparam* exarsit, ut refert Theodoretus.

Qui fuerint illius errores.

Statuebat igitur Nestorius aliam esse personam Filii Dei, & aliam filii Virginis Mariæ atque ex eo negabat genuisse Deum, & esse Matrem Dei, sed affirmabat genuisse purum hominem qui Filius Dei progressu temporis dictus fuerat propter unionem aliquam accidentalem cum Verbo: quam quidem unionem primò explicabat ratione *inhabitationis*, quia Verbum Divinum in persona filii Mariæ tanquam in templo suo ha- C bitabat, juxta illud Joan. 2. *Solvite templum, &c.* & illud 1. ad Colossenses, *in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter.* Quam quidem expositionem sic impugnat S. Cyrillus in defensione primi anathematismi. « Christum, inquit, tanquam unum Sanctorum inhabitantem habuisse Deum prædicare conantur, & « hoc sentiendum suadent, non considerantes quod « & in nobis est per Spiritum sicut in sanctis Templis omnium Deus; scriptum est enim: Nescitis « quia Templum Dei estis & Spiritus Dei habitat « in vobis? Si quis ergo templum Dei corruperit, « corrumpet illum Deus; templum enim Dei san- D ctum est quod estis vos. Sed licèt nominemur « templa Dei, cùm Deum habeamus inhabitantem « per Spiritum: attamen alterum novimus modum « Sacramenti secundùm Christum. «

Docebat insuper ex hac unione inhabitationis secutam esse ulteriùs aliquam aliam unionem *affectûs* inter Filium Dei & filium Mariæ Virginis. Juxta illud Joan. 8. *Qui misit me mecum est & non reliquit me solum: quia quæ placita sunt ei facio semper:* Ut sic intelligatur talis unio hominis ad Deum, qualis est illa de qua loquitur Apostolus primæ Corinth. 6. *Qui adhæret Deo unus Spi-* E *ritus est.* *Tertiò* ex hac unione affectûs deducebat esse aliquam aliam unionem quæ est *operationis*, per quam videlicet Verbum Dei utitur filio Mariæ tanquam instrumento quodam ad opera miraculosa patranda. Hinc in suo nono anathematismo damnabat eos qui secus sentirent. *Quartò* ex hac triplici unione inhabitationis, affectûs & operationis, alteram affirmabat oriri unionem, quam *participationis & communicationis ejusdem excellentiæ ac dignitatis* appellabat; sicut enim ex unione affectûs inter duos homines contingit interdum ut nomina, quæ propriè Deo conveniunt, ad homines transferantur, unde dicuntur dii, Filii Dei, sancti & Christi; ita etiam nomina divina propter eminentem sanctitatem filio Virginis singulari quodam privilegio deferuntur. Ita sensit Nestorius anathematismo 8. *Quintò* denique docebat quòd etsi Filius Dei & filius Mariæ sint duæ personæ, aliquando tamen duæ illæ personæ dici possunt una persona,

ficut dicitur de viro & muliere, quòd jam non sunt duo, sed una caro, idque ratione unionis istius per affectum & consensum voluntatis, quapropter Theodorus Mopsuestenus, ut refertur in 5. Synodo Collatione 8. Canone 12. dicebat talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, *Erunt duo in carne una*.

Consentiebat Paulianistis & aliis pridem damnatis hæreticis.

Porrò his in erroneis assertionibus consentiebat hæresi Pauli Samosateni, Marcelli & Photini, de quibus supra; ut probârunt Clerici Constantinopolitani adversus eundem Nestorium, comparatis inter se præcipuis utriusque Dogmatum capitibus, sicut videre est actione primâ Concilii Ephesini: maximè quòd sicut Paulus Samosatenus Mariam negabat peperisse Verbum, ita Nestorius Divinitatem; Ille hominem nostri similem ex Maria natum esse dixit: idem hoc iste docuit; Paulus Christum asseruit gratiam omnem ex Spiritu sancto assequutum esse, ex qua adoptionis duntaxat dignitatem obtinuit: Nestorius verò docuit Christum qualemcumque divinitatis communionem habuisse, quando post Baptismum Spiritus sanctus columbæ specie in eum delapsus est. Ambo denique non aliter in Christo sapientiam, vel Deum habitasse quàm in Prophetis arbitrati sunt, nisi quòd uberior in illum, quàm in istos cœlestis gratiæ copia effusa est.

Quæ fuerit prima illius hæresis propalatio.

Hujus autem hæresis promulgatæ primordium hoc refert Socrates lib. 7. cap. 32. Nestorius duxerat secum Antiochiâ Constantinopolim Anastasium quemdam presbyterum arcanorum omnium consiliorumque socium ac participem; hic cùm aliquando concionem ad populum haberet præsente Nestorio, audacter hanc sceleratam vocem protulit, *Deiparam Mariam nullus nominet: nam Maria homo erat, impossibile est autem ut homo Deum pariat*; quæ cùm magnos tumultus apud Clerum & populum excitasset, tantùm abest, ut Nestorius hunc sceleratum hominem emendaverit, quinimo ejus sacrilegum dictum probavit. Quod & præstitit quidam Episcopus nomine Dorotheus, spe sordidi quæstûs, adulationi impensè deditus, qui cùm Nestorio assentari vellet, in Ecclesiæ synaxi præsente ipso Nestorio verba faciens ad populum, inclamare ausus est; *Siquis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit*; quod impium facinus probavit Nestorius, nam illum Dorotheum statim ad communionem admisit, ut constat ex Epistola sexta sancti Cyrilli.

Quàm generosè ei restiterit S. Cyrillus.

Hinc factum est, ut narrat idem Cyrillus Epist. 9. ad Cælestinum summum Pontificem, quòd Constantinopolitanus populus universus præter paucos, leves, ac vanos homines & Nestorii assentatores, à communione ejus abstinuerint, necnon Monasteria omnia & eorum Archimandritæ: quinetiam, ut refert Socrates cap. 28. Proclus Cysici Episcopus illo tempore Constantinopoli degens, cùm Dominicâ quadam die concionem haberet ad populum, eam dixit Homiliam de Laudibus Virginis, quæ initio Concilii Ephesini præfixa legitur; in qua Mariam *Deiparam* appellat. Refert etiam sanctus Cyrillus lib. 1. contra Nestorium, quòd cum ipse Nestorius Sermonem ad populum habens quædam exceranda contra Christi divinitatem efferret, Laïcus quidam è media turba, exclamavit, quanta potuit vocis contentione, *Verbum divinum ante sæcula genitum à Patre, alteram subiisse generationem secundum carnem & ex muliere*; quod audiens Nestorius acri bile percitus, plurima in ipsum monitorem convitia evomuit, gravesque minas intentavit, quibus auditis, varium in concione murmur exortum est, plurimis in Nestorium frementibus clamantibusque, *Regulum habemus, Episcopum non habemus*.

Quid pro suo tuendo errore molitus fuerit.

Intereà Nestorius varias pro tuendo suo errore dixit & scripsit Homilias, quæ per Orientem vulgatæ sunt. Quo auditô Cyrillus Alexandriæ præsul Epistolam scripsit ad Ægyptios Monachos, quâ illos contra pestilentem hæresim præmunire conatus est, nullâ tamen authoris factâ mentione. Cujus Epistolæ exemplar Constantinopolim delatum, cùm accepisset & legisset Nestorius, adversus Cyrillum frendens, primùm blanditiis cum eo egit ut Virginem Deiparam non esse assereret: at cùm Cyrillus ad ipsum, rescripsisset varias litteras quibus illius hæresim impugnabat & damnabat, Nestorius per se suosque inaudita contra Cyrillum crimina calumniasque confingens, illius apud fideles & Catholicos authoritatem elevare nisus est, ac disseminatis ubique libellis eum refellere, suoque erroneo dogmati robur addere non desiit. Quinetiam ad Cælestinum Papam prior ipse scripsit & expositionum suarum libellos ad eum direxit; quô auditô scripsit & ipse Cyrillus ad Cælestinum, qui otrique respondens mandat Nestorio ut hæresim ejuret, & Cyrillo suas vices committit ac præcipit ut nisi intra decem dies postquam fuerit admonitus, Nestorius Catholicam fidem profiteatur, renunciet ipsum à Romanæ Sedis & omnium Episcoporum communione esse rejectum.

Cyrillus Cælestini Papæ authoritate fretus, cùm videret Nestorium in hæresi firmatum, congregatâ Synodo scripsit ad Nestorium Epistolam cum duodecim capitulis, quæ totidem anathematismis illos feriebant hæresim, denuncians ei nisi damnato errore capitulis istis subscriberet, latam in ipsum ab Cælestino ratam fore sententiam. Dedit & ad Constantinopolitanos litteras, Clerum videlicet ac populum, nec-non ad Monachos quibus eadem significavit: at Nestorius in furorem actus, duodecim & ipse capitula sive anathematismos Cyrilli totidem opposuit; quibus contra Catholicum dogma hæresim suam affirmavit.

Dirè in Catholicos sævit Nestorius.

Nec verbis solùm adversus fideles insanire, sed etiam eos insectari agressus est: nam Constantinopolitanos, qui pœne omnes ab ejus communione discesserant variis modis exagitavit, Præfectorum abusus potentiâ, præsertim adversus Monachos quos infensissimos sui erroris oppugnatores agnoscebat. Imperatorem quoque Theodosium adversus Cyrillum, calumniis suis commotiorem reddidit, quasi in Ecclesia turbas excitaret: verùm precibus Juvenalis Jerosolymitani Episcopi & Archimandritarum Monachorumque, ad id sollicitatorum à Cyrillo, scripsit ipsemet Imperator Cyrillo aliisque Episcopis, se permittere ut Synodus congregaretur Ephesi post Pascha anni sequentis Christi 431. ipso die sacro Pentecostes. Misit & qui interesset Candidianum domesticorum comitem, ut constat ex sacra quæ habetur *cap.* 35. sed eâ lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quisquam commune habeat: *Nefas esse* subjunxit, *qui sanctissimorum Episcoporum Catalogo ascriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se se immiscere*

erit; verùm tùm ut modis omnibus ab illa civitate amoveret Monachos, Laicos, cæterosque qui Synodi videndæ causâ eò confluentes, tumultu suo obstaculum Patribus afferrent: tùm ad impediendas graviores contentiones quæ ex mutuo repugnandi studio in ipsa Synodo possent suboriri: tùm ut curaret omnia proponi quæ ad fidem spectarent, omnibus responderi: tùm ne quis è Synodo discederet etiam ad Imperatorem reditum affectans ante causam finitam: tùm ne ullum negotium Ecclesiasticum ullave controversia ante moveretur, quàm quæstio à Nestorio inchoata, conclusa fuisset: tùm denique ut nulla omnino ibidem pecuniaria vel criminalis causa adversus aliquem agitaretur.

Adversus eum cogitur & celebratur Concilium Ephesinum.

Cogitur itaque Concilium statutô tempore Ephesi, adfuit in urbe longè antea, hoc est paulò post Pascha Nestorius. Interfuit ad diem datum Juvenalis Jerosolymitanus cum Episcopis Palæstinæ; abfuit Capreolus Carthaginensis & cum eo abfuerunt quoque Africani Præsules: rationem absentiæ suæ dederunt Concilio per Litteras, quòd nimirum sibi ob Vvandalorum feritatem libera non essent itinera. Augustinum addiderunt vita functum fuisse ante ipsas Litteras Imperatoris acceptas, quibus Litteris in Concilium specialiter venire jubebatur. Expectabatur Joannes Antiochenus, qui post elapsas duas hebdomadas significavit non esse quòd ipsum diutiùs expectarent Patres. Mora hæc erat ut morem gereret Nestorio. Ita esse asserunt Ephesini Patres Epistolâ ad Cælestinum aliquanto post medium *Actione tertiâ.*

Quàm audaci fronte cum suis fautoribus Concilio interesse detrectet.

Inchoatur Concilium præside Cyrillo Alexandrino qui Cælestini locum obtinebat, elapsis sexdecim diebus, ut testatus est Memnon Episcopus Ephesinus ab adventu Patrum qui erant numerô ducenti. Ante omnia lectæ sunt Imperiales Litteræ, quibus Concilium indicebatur. Habentur *1. part. cap.* 32. quibus lectis retulit Hermogenes Rhinocolorum Episcopus, & cum eo tres alii se ex ordinatione Patrum convenisse Nestorium, quem monuerunt ne vellet à Synodo ipsâ abesse die præsenti dictâ: qui respondit, *Se deliberaturum, & si necessarium judicaverit adfuturum.* Addideruntque, diem quoque se sex vel septem aliis Episcopis qui erant in comitatu Nestorii significavisse, quorum haud absimilis fuit responsio. Jubet Concilium ut denuò per Episcopos aliquot adesse moneatur. Illi in ejusdem domum veniunt, reperiunt multitudinem militum cum fustibus, qui impediunt ne eorum adventus Nestorio significetur, jussosque se dicunt ne quempiam intromitterent conveniendi illius causâ. Eadem quorumdam Clericorum, quos allocuti sunt Antistites isti, Responsio. Tandem ad eos accedit Tribunus quidam, qui cùm expectare jussisset, responsum allaturus, rediens post aliquod tempus cum clerico quodam, dixit sibi non licuisse videre Nestorium, qui tamen per alios ipsi significavit, cùm omnes Episcopi simol convenerint, tum se quoque adfuturum. Quo relatô ad Synodum, decernitur ut per nonnullos Episcopos tertiâ citatione accersatur. Parent: intra vestibulum armatos milites reperiunt, qui aiunt se in mandatis habere ne ullum omnino, qui à Synodo missus esset, ad ipsum ingredi permitterent. Sed tanta est eorum insolentia, ut ne quidem venerandos Præsules sub umbra consistere permittant, neque illos huc illucve propellentes tantillum loci concedant ubi pedem figere possint.

Redeunt cùm multas horas exspectassent absque alio responso. Post trinam citationem Doctrina Nestorii expenditur. Legitur Symbolum Nicænum. Legitur Epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ extat 1.ª *part. cap.* 8. & definitur quòd sit Nicæno Symbolo consona. Legitur Epistola Nestorii ad Cyrillum, quæ extat *ibidem cap.* 9. & judicatur contraria Symbolo Nicæno: quare omnes anathema eâ auditâ dixerunt Nestorio. Postea lecta est Epistola Cælestini ad Nestorium, quæ habetur *cap.* 18. & judicata est consona Epistolæ Cyrilli. Lectâ Epistolâ Synodi Alexandrinæ ad Nestorium quæ extat *cap.* 26. audiuntur Episcopi per quos Litteræ istæ datæ fuerunt isti Nestorio, qui referunt quòd nec responsum illis fecit, nec per eas mutatus est in melius, sed è contra multò pejora doceret ad hunc usque diem. Auditi sunt & Præsules qui etiamnum in errore suo persistere Nestorium testificati sunt. Lectæ sunt postea sanctorum Patrum, Episcoporum & Martyrum ea de re sententiæ quibus constare posset de traditione. Lecti sunt & istius Nestorii Commentarii, in quibus apertè affirmabat, *Neminem ex Doctoribus qui ante se extiterant ea populis locutum quæ ipse locutus est.* Lecta denique est Capreoli Carthaginensis Epistola, de qua supra, ubi expressè sentit, *Se antiquis fidei dogmatibus stare*, quæ etiam fuit vox omnium Episcoporum; tandem processum est ad condemnationem Nestorii ab Episcopis, lacrimis subinde profusis, quâ propter blasphemas in Christum Dominum voces Episcopali dignitate privatus est, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienus esse definitus est. Habes ista *Actione* 1.

Ab universali Concilio damnatur.

Quod ut auditum est à populo universo civitatis, qui à primo mane usque ad vesperam judicium Synodi expectaverat, Deum cœpit glorificare & Synodum laudare, quoniam fidei hostis concidisset, quin & faustis acclamationibus discedentes Episcopos, ac cum tædis, & facibus ad diversorium usque prosecutus est. Quos & Matronæ thuribula gestantes antecedebant. Tùm per totam urbem appensa lumina, in lætitiæ signum. Postridiè depositionis sententia missa est ad Nestorium ab Synodo, quæ & Constantipolitanum Clerum certiorem de ea fecit. Interim Candidianus comes Nestorio addictus, antequàm Synodalia acta conficerentur, & ad Imperatorem mitterentur, relationem ad eum scripsit mendacis, & in Synodum calumniis plenam: Idem & Nestorius cum decem Episcopis fecit, de vi & injuria ab Memnone Ephesino sibi illata conquerens: maximè quòd Joannis & Orientalium adventum expectare noluissent. Definitionem hanc Concilii approbaverunt Legati Cælestini, qui eâ factâ in Snodum venerunt, postquàm Epistolam Cælestini, quam detulerunt juxta Ecclesiæ veterem consuetudinem primò Latino Sermone, deinde Græcô legi curâssent, quæ unanimiter à Synodo recepta est, ut constat ex *Actione* 2.

Quantâ lætitiâ populus Ephesinus hanc Nestorii damnationem exceperit.

Sed Joannes Antiochenus qui post factam condemnationem, & ante Legatorum adventum accesserat ad Synodum, favens Nestorio & Candidiano, indignéque ferens damnatum se absente atque inconsulto Nestorium, coëgit Conciliabulum ex triginta Episcopis fautoribus Nestorii, vel discipulis Pelagii, vel rei alicujus criminis, in quo refutare jussum est Theodoreto anathematismos Cyrilli, Episcopalis honor & nomen ablata Cyrillo, & Memnoni, quasi idem cum Appolinari sentirent, & quicumque Concilio interfue-

Quas artes perfidiæ tentaverit Nestorius ut Concilii sententiam cum suis assentatoribus elevaret.

rum, excommunicati. Huic pseudo-Concilio nomen dant Concilii Ephesini.

Scribunt ad Imperatorem dejectos Cyrillum & Memnonem, qui falsâ schismaticorum relatione delusus, ad Ephesinam Synodum per Palladium Magistrianum scripsit, jubens irrita esse quæ hactenus facta fuerant ac de integro legitimum judicium institui. Interim Orientales schismatici cum Nestorianis, nihil non machinabantur ad opprimendam Catholicam Synodum & acta ejus obliteranda. Quippe fictis adversus illam calumniis ac mendaciis, aures Imperatorum, ac Principum impleverunt: strenuam ad hoc operam navantibus Candidiano, & Ireneo Comitibus, qui vias omnes, ac portus & navigia in B potestate habentes, sedulò id egerunt, ne quid litterarum ab Oecumenica Synodo ad Imperatorem perveniret, quò rem ut gesta erat certò cognosceret; cùm interim soli Orientalium commentarii, & Epistolæ Constantinopolim perferentur.

Maximè apud Imperatorem.

Patres Concilii acceptâ Imperatoris Epistolâ ad ipsum per eundem Palladium rescribunt, rei gestæ ordinem ex veritate narrantes; ac de comitibus Candidiano & Ireneo, à quibus multa & indigna patiebantur, querimoniam formant. Verùm Palladius acceptam Synodi Epistolam Imperatori non dedit; quocirca Patres Concilii alias litteras commiserunt mendico homini ad C Episcopos, & Monachos scriptas, quibus veritatem rei exponebant. Iis acceptis litteris Monachi strenuè operam suam dederunt, ac præ cæteris Dalmatius Archimandrita, vir sanctissimus, qui annos totos quadraginta & octo pedem Monasteriô non extulerat, quamvis de eo sæpè rogatus ab Imperatore fuisset. Verùm ut tunc exiret missâ de cælo voce compulsus est, & cum aliis Archymandritis ac plurimis Monachis Imperatorem adiens rem omnem ut erat aperuit.

Imperator ab utraque parte legatos mitti ad se postulat. Mittitur pro Orientalibus Ireneus comes qui Constantinopolim profectus Catholicæ Synodi legatos ibi reperit ac fraudi- D bus & mendaciis, adeò profecit, ut Imperator circumventus iterum, quod valde mirum sit, eò duci se pateretur, uti ratam juberet trium esse depositionem, Nestorii, Cyrilli & Memnonis, quos ab legitima Synodo damnatos omnes arbitrabatur, de quo sacram, ut appellare mos erat, scripsit ad Ephesinos Patres per Joannem Comitem sacrarum largitionum: qui cùm Ephesum pervenisset, tres illos in privatam custodiam dedit, ac litteras Imperatoris illis, quibus Patribus abeundi potestas fiebat. Tandem ab utraque parte delecti septem Episcopi ad Imperatorem mittuntur, qui veritate compertâ Cyrillum E & Memnonem liberos suis Ecclesiis restituit, Nestorium damnat eumque exulare jubet, & alium in sede Constantinopolitana ejus loco sufficit.

Qui tandem re cognitâ, Nestorium exulare cogit.

Nestorius Antiochiam reversus, in Monasterio sancti Euprepii ubi aliquando versatus fuerat, quatuor annis habitavit; sed cùm ibi plures suis colloquiis ac litteris corrumperet, Joannis Antiocheni monitu, Theodosius illum in Oazim relegari jussit; ubi multis calamitatibus agitatus linguâ eadem quâ sacrilegas in Dei Matrem voces emiserat, à vermibus depastâ cùm adhuc viveret, paulò post vel ad terram elisus, quod vult Evagrius lib. 1. cap. 7. ex amentia ac furore; vel ut habet Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, absorptus terræ delitescentis voragine miserrimè obiit.

Ubi vitam impiam miserrimè ut hominem impiissimû decebat, exuit.

At eô licet tam infœliciter extinctô non omnino sepulta jacuit illius hæresis: cùm enim illius libri Ecclesiasticâ & Imperiali constitutione fuissent prohibiti, illius defensores tres libros emiserunt, quorum primus erat Theodori Mospuesteni Nestorii Magistri, quem in varia idiomata transtulerunt. Secundus Theodoreti. Tertius fuit ille liber seu Epistola Idæ Edessenæ civitatis Episcopi ad Marim Persam; de quibus tribus libris seu capitulis in quinta Synodo actum est.

Eô tamen extinctô non jacuit extincta hæresis.

EUTICHIANI.

XXIV. Exponitur hæresis Eutichiana.

H*Æresis Eutichiana* cœpit circa annum Christi 448. authore *Eutiche* qui erat Constantinopoli Presbyter *& Monachorum in celeberrimo Monasterio*, ut ait Liberatus, *præsidens & archimandrita*. Pietate eximia clarus, sed longè clarior ob navatam strenuè operam in hæresi Nestoriana, tam crescente quàm repullulante post condemnationem revincenda, qui cùm infensissimè in Nestorianos duas in Christo personas admittentes inveheretur, in alium non minùs exitiosum errorem extremè declinavit, affirmans duas quidem in Christo fuisse naturas ante unitionem, sed in unitione humanam à di- C vina absorptam esse & subinde unicám subsistere. Cujus quidem erroris initium dedit ignorantia magis quam affectata malitia, ut testatur Leo Magnus in Epistola 13. quàm scripsit ad Pulcheriam Augustam, *Ut error*, ait, *qui ut arbitror, de imperitia magis quàm de versutia natus est, auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat, quia etiam ignorantia in graves nonnunquam incidit lapsus, & plerumque in diaboli ruit foveas incauta simplicitas, per quam in supradicto subrepsisse intelligo Spiritum falsitatis.*

Tria sunt præcipua Eutichianorum dogmata.

Triplex autem fuit Eutichianæ hæresis capitale dogma. *Primum* quidem, quòd carnem Chri- D sti ex Virgine negabat esse sumptam. Sic testatur Vigilius initiò lib. 3. contra Eutichem; *Eutichiana*, inquit, *hæresis in hunc impietatis prolapsa est errorem, ut non solum Verbi & carnis unam credat esse naturam: verum etiam hanc eandem carnem non de sacro Mariæ Virginis corpore assumptam, sed de cælo dicat, juxta infandum Valentini & Marcionis errorem, fuisse deductam, ita pertinaciter Verbum asserens factum, ut per Virginem ac si aqua per fistulam transiisse videatur, non tamen ut de Virgine aliquid, quod nostri sit generis, assumpsisse videatur.* Hoc idem ipsemet Eutyches contestatus fuerat in Concilio E Constantinopolitano, ut refert Flavianus in Epist. ad Leonem quæ est in actis Chalcedonensis Concilii. Theodoretus similiter affirmat lib. 4. hæreticarum fabularum, Cap. 13. Eutichem negasse assumptum esse corpus à Deo, *Nihil enim*, inquit, *hominis proprium è Virgine accepisse Deum Verbum, sed ipsum sine ulla mutatione conversum & carnem tantum, transiisse tantummodo per Virginem.*

Secundum Eutychiani erroris caput, fuit quòd ante unitionem naturæ extitissent duæ; ut indicat Leo Pontifex Epist. 10. ad Flavianum: ubi miratur quòd *tam absurda, tamque perversa ejus professio nulla judicantium increpatione reprehensa fuerit; & quòd sermo nimis insipiens nimisque blas-*

phemus ita omissus, quasi nihil quò offenderet esset auditum. Subditque in Epist. ad Julianum Coacensem *se suspicari talia proloquentem hoc habere persuasum, quòd anima quam Salvator assumpsit, priùs in cœlis sit commorata, quàm de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copulàrit,* Quibus constat Eutychem sensisse prioritatem illam quâ Christi humanitatem affirmabat extitisse antequam assumeretur à Verbo, non esse duntaxat prioritatem naturæ, sed temporis; cùm enim & Deum hominem esse factum ex communi Christianorum professione didicisset, & unam nihilominus naturam in Christo assereret; non aliter conciliare ista, & extricare se potuit, quàm ut ex duabus unam factam esse naturam diceret: adeoque duas antequàm inter se sociarentur naturas extitisse.

Tertium denique, & quidem præcipuum Eutychianæ hæresis caput fuit, quòd unam tantùm agnosceret in Christo naturam post unionem: quod ipsemet professus est coram Flaviano & Patribus Synodi Constantinopolitanæ, de qua mox dicemus: rogatus enim utrùm consubstantialem, & ex naturis duabus constantem post incarnationem esse sentiret Dominum nostrum, qui ex Virgine natus est, mentem suam sic aperuit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem: post unionem verò unam naturam profiteor.* Idem testatur Flavianus Epist. ad Leonem ubi Eutychis dogma referens, ait *Ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Iesu Christi duas naturas esse, divinitatis & humanitatis; post unitionem verò unam naturam factam.*

Non sibi constabat Eutiches.

Quòd utique erroneum dogma varie explicabant illius Assertores, sicut & ipsemet Eutyches, (ut hæreticorum moris est) nusquam sibi constans, nam nunc asserebat super manentem illam naturam esse humanam in quam conversa & velut absorpta videretur Divinitas, unde Theodoretus refert quod Eutiches assereret *Deum sine conversione conversum & carnem esse factum:* unde docebat *clavis suffixam & cruci affixam fuisse incircumscriptam, indeterminatam, & incomprehensam Vnigeniti Divinitatem,* ut pote quæ in humanam naturam desierat. At ipsemet Theodoretus dialogô secundô Eranitem, seu Patronum Eutichiani erroris, qui cum Orthodoxo disputat, ita pronuntiantem introducit, ut Divinitate solâ manente humanam dicat absorptam esse naturam: nam Catholico sciscitanti quomodo post unitionem unicam naturam agnosceret, utrum ex ambabus unam esse conflatam; an alterâ manente, extinctam putaret alteram? Respondet Eranites, *Ego Divinitatem aio mansisse: ab hac verò absorptam esse humanitatem.* In quo potissimùm dogmate Eutyches maximè Apollinari ac Valentino consentiebat qui unam dicebat Christi esse naturam.

Qualiter fuerit damnatus.

Hic Eutychianus error hac ratione in publicum traductus est & damnatus anno 448. Cùm esset Constantinopoli collecta Synodus Episcoporum 40. ad disceptandam controversiam inter Florentium Sardium Episcopum, Lydiæ Metropolitanum, & duos ejusdem Provinciæ Episcopos Joannem & Cossinium. Hâc lite decisâ cùm inter Judices sederet Eusebius Dorylei Episcopus Eutychi familiaris & amicissimus, qui ipsum privatis colloquiis erroris arguerat & ne talia loqueretur sępius monuerat, libellum supplicē detulit Synodo, quô continebatur Eutichianus error postulans accersiri Eutichem ad causam dicendam; at ille tertiò vocatus cùm semel & iterum respondisset delegatis à Synodo, *Sibi fas non esse è septis Monasterii egredi, in quo tanquam in sepulchro vivus jacebat,* tandem tertiò citatus, valetudinem excusans tempus sibi prorogari petiit ad septimum usque diem: quô impetratô, tandem venit, non tanquam ad Concilium, sed tanquam ad bellum; stipatus videlicet, non solùm ingenti Monachorum, sed etiam numerosâ militum coronâ, sibi commodatâ à Florentino Patricio favore Chrysaphii Eunuchi, quem è baptismo susceperat. Ibi ab Episcopis, & ab ipso Florentio interrogatus, hæreticum suum dogma coram omnibus professus, nec adduci potuit ut illud ejuraret: itaque de Concilii sententia damnatur, ac Sacerdotali dignitate & omni præfecturâ Monasterii spoliatur, ab omni communione Ecclesiastica submovetur, ut videre est actione primâ Concilii Chalcedonensis.

Verùm ejusdem Chrysaphii auxilio fretus, nil non molitur adversus Flavianum illius Synodi principem, conqueritur maximè de eo ac de cæteris Synodi Patribus apud Leonem summum Pontificem; ad eum pariter scripsit Flavianus & acta Synodalia transmisit; quibus acceptis, Eutychis damnationem ratam habuit Leo, & inter alias celeberrimam illam Epistolam scripsit ad Flavianum, quâ Incarnationis dominicæ dogma Catholicum uberrimè, eruditissiméque declaravit.

Interim Chrysaphius nihil non in Eutychis gratiam & ad Flavianum opprimendum moliebatur apud Theodosium, fictis criminationibus & calumniis in suspicionem Flavianum vocare nitens; quò illum ab Episcopali sede deiiceret, quócirca Imperator jubet congregari Synodum generalem Ephesi anno 449. cui jubet præesse Dioscorum Alexandrinum & adesse Juvenalem Hierosolimitanum, Domnum Antiochenum, Flavianum Constantinopolitanum, rogans pariter Leonem Pontificem Romanum, ut Synodo adesse dignaretur, quod cùm præstare non posset, Legatos misit Julianum, Velgibum Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, & Hylarium Diaconum cum litteris ipsius Leonis; altera ad Savianum, altera ad Synodum, continentibus rectam ac Catholicam fidem. Barsumam quoque Syrum Archimandritam, at veriùs dicam immanem sicarium Concilio adesse voluit Imperator, qui ageret pro Eutiche contra Episcopos qui illum damnaverant, quos pariter adesse voluit Concilio non ut judices, sed ut actores.

Cogitur itaque Concilium, petuntque Legati Romani Pontificis, ut illius Epistolæ juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem primùm legantur, Obstat Dioscorus procurante Eutiche, qui ante omnia examinari faciunt acta Constantinopolitana, quocirca Legati recedunt à Concilio tum ob litteras non lectas, tum etiam ob non delatum ipsis primum locum. Deinde Dioscorus lectis Constantinopolitanæ Synodi actis, mox decretum Ephesinæ primæ Synodi contra Nestorium legi voluit, quo prohibitum erat ne quis præter ea quæ ibi constituta erant de fide amplius quæreret aut retractaret, alioquin si Episcopus aut Clericus esset, deponeretur; post hæc Dioscorus contra Flavianum & Eusebium Dorilei Episcopum tanquam Decreti illius violatores; quòd novi aliquid de fide constituissent, depositionis sententiam tulit, & Eutychem in integrum restituit, suæ sententiæ subscribere cogens

cæteros Episcopos per vim intentatam à trecentis Monachis & plurimis militibus, qui armata manu auditâ Dioscori sententiâ in Synodum irrumpunt, extorquent judicia Episcoporum adversus Flavianum, illosque adigunt ut subscribant in albis membranis, in quibus quidquid voluerint posteà adjicerent, ut testatum est *actione prima* Concilii Chalcedonensis. Reclamant Legati summi Pontificis, sed & ipsi salutem suam in fuga ponere coguntur, Flavianus Romanum Pontificem appellat; at illico conjicitur in vincula à Dioscoro, calcibus appetitur, ut refert Evagrius *lib. 2. cap. 2.* plurimis plagis etiam & injuriis à militibus lacessitur, ait Liberatus; &, ut acta Chalcedonensis Synodi referunt, occiditur à Barsuma cum suis Monachis vociferante, *Occide, Occide.*

Interim gemit Leo Pontifex, qui coactâ Romæ Synodo rescindit quidquid Ephesi gestum fuerat. Tandem Theodosius Imperator acceptis à Leone summo Pontifice Epistolis, damnatam ac proscriptam audiens Eutychianam hæresim, & flagitiosa acta Synodi Ephesinæ quæ postmodum dicta est *Latrocinium Ephesinum*, rei veritate compertâ, in eos à quibus circumventus erat animadvertit: Chrysaphium malorum omnium authorem relegavit, ac paulò post moritur: cui succedens Marcianus Pulcheriam Augustam uxorem duxit; qui Leonis Pontificis hortatu animadvertit primùm in Clericos & Monachos qui relictô verò orthodoxæ Religionis cultu, Apollinaris vel Eutycheris hæresim & dogmata abominanda sequuti fuissent. Deinde Synodum generalem cogere decrevit.

Cogitur itaque Concilium generale anno 451. Chalcedonense ex 630. Episcopis; præsunt Legati Leonis, videlicet Paschasinus & Asculanus Episcopi, necnon Basilius & Bonifacius Præsbyteri. Interest etiam Dioscorus, ac lectis quæ in Constantinopolitana Synodo, & pseudo-Ephesina ab Eutychete & Dioscoro acta fuerant, discedere jubetur; ac postmodum omnibus ritè ponderatis, Episcopali honore omnibusque Sacerdotum functionibus à Synodo privatur. Post hæc plurimi ex Episcopis qui Ephesi sederant, veniam petunt, crimenque fatentur: leguntur Epistolæ Leonis ad Flavianum, cui in hunc modum acclamârunt Patres, Petrus in Leone loquutus est. Eusebius Dorilei Episcopus verè Catholicus pronuntiatur: Flavianus martyr declaratur, qui pro fidei Orthodoxæ defensione occubuit, & actione undecimâ legitur hæc vox, Flavianus post mortem vivit martyr; pro nobis oret.

Intereà Chrysaphius *Pulcheria* nutu, ut ait Marcellinus, interemptus est, & Eutyches jussu Marciani in Exilium mittitur; quid autem deinceps de eo factum sit, quemve in locum deportatus sit, & quem vitæ exitum habuerit, altum silentium est apud authores: sic fœlicem exitum habuit celeberrima illa Synodus in qua Ephesinæ latrocinalis acta rescissa sunt, & certa rataque fidei forma conscripta.

Verùm diabolus qui semper superseminat zizania, maximis hæreticorum conatibus Synodum Chalcedonensem impugnavit. Scribit enim Eulogius Alexandrinus Patriarcha post Marciani obitum, cùm ei successisset Leo, Ægyptios à Synodo reversos per totum orbem maximos excitasse tumultus; ubique disseminantes Cyrillum in illa Synodo damnatum & Nestorium pro Catholico receptum fuisse. Inde plurimi eruperunt illius Chalcedonensis Synodi detrectatores, maximè vero Alexandriæ qui Acephali dicti sunt; quod à Petro Mogo Patriarcha suo & ipso Eutychiano secedentes, seorsim & sine suo capite communicarent: neque enim ille manifestè impugnabat Chalcedonense Concilium, sed tantùm latenter ejusdem authoritatem elevare nitebatur. Severiani tamen posteà dicti sunt à Severo Eutychiano Monacho, deinde Antiocheno Episcopo constituto. Ac denique in plura alia capita pullulantes, nunc Gaïanitæ à Gaiano, Theodosiani à Theodosio, Jacobitæ à Jacobo nuncupati sunt. Conquerebantur omnes, quòd Concilium Chalcedonense conventus fuit Nestorianorum: sic enim familiare est hæreticis Catholicos hæresis ex adverso veritati Catholicæ oppositæ accusare.

Errores circa filiationem Christi.

XII. [illegible]rores, [illegible] plerique in Christi filiationem evomuerit, annotantur.

Commune est Ecclesiæ Catholicæ dogma, Christum Dominum, etiam ut hominem, Filium Dei esse naturalem; nihilominus duo Episcopi Fœlix Urgelitanus & Elipandus Toletanus regnante in Galliis Carolo Magno; Romæ verò sedente Adriano primo circa annum Domini 790. Nestorii extinctam & compressam hæresim ex parte restaurantes, Christum Deum hominemque confessi, totidem quot naturæ sunt in eo, filios inesse docuerunt; alterum *naturalem*, qui est Deus & Verbum: alterum *adoptivum* qui est homo; de quibus ita scribit Eginhardus in annalibus. Orgellis (hanc Urgellam alii nominant) est " civitas in Pyrenæi montis jugo sita: cujus Episco- " pus nomine Fœlix, natione Hispanus, ab Elipando " Toleti Episcopo per litteras consultus, quid de " humanitate Salvatoris Dei, & Domini nostri Jesu " Christi sentire deberet: utrùm secundùm quòd " homo est, proprius an adoptivus Dei Filius cre- " dendus esset ac dicendus: valde incautè, atque " inconsideratè, & contra antiquam Catholicæ " Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pro- " nuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Epis- " copum libris pertinacissimè pravitatem opinionis " suæ defendere curavit. Hujus rei causâ ductus " ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum " (*Ratisbona*) Baioaliæ civitatem, in qua & hie- " maverat, residebat; ubi congregato Episcopo- " rum Concilio auditus est, & errasse convictus, " ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus; " ubi etiam coram ipso hæresim confessus est, at- " que abdicavit; quo facto ad civitatem suam re- " versus est. "

Verùm bienniò post, cùm Elipandus eandem erroris pravitatem jam in plurimis Conciliis damnatam, maximè verò *Foro-Iuliensi* & *Ratisbonensi*, tueri ac propagatè pergeret: ac Fœlicem ad illius tesumendum patrocinium impulisset: quin etiam ad Carolum Regem pro ea scripsisset Epistolam; hic ex omnibus suæ ditionis Provinciis Episcopos & eruditionis famâ celebres viros Francofurtum ad Synodum accivit, qui invicem convenientes lectâ Elipandi epistolâ, nec non Adriani Papæ ad Hispaniarum Episcopos, & libro sacro-syllabo Paulini Aquiliensis contra Fœlicis & Elipandi hæresim, unanimi omnium consensu in illo Concilio hæc hæresis damnata fuit ac proscripta. Insuper Carolus Rex luculentam ad Hispanos contra eandem hæresim epistolam scripsit, quam cum Adriani & totius Synodi epistolis ac Paulini libro ad eos direxit.

Hæc sunt præcipua hæresum capita Christi

Domini Incarnationem impugnantia: cætera enim quæ in Christum pugnant, vel in ejus divinitatem aut meritum, aut cultum potiùs quàm in Incarnationis Mysterium militare videntur. Si quæ verò supersint ab illis antiquioribus hæresibus repullulantes, ut reverà plures esse non diffiteor, maximè hisce posterioribus tempori- A bus in quæ non solùm sæculorum fines devenisse, sed & errorum fœces effluxisse videntur, in sequentium Disputationum ac Quæstionum enucleatione sparsim commemorabunus. Quocirca ampliori hæresum relatione prætermissâ, jam auspicandus est Theologiæ Tractatus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Existentia, natura, & causis Incarnationis.

I. Varia ad explicandā Incarnationem vocabula exponuntur.

PRÆCLARE quidem monuit sanctus Maximus martyr in disputat. contra Pyrrhum, quòd *dicere aliquid hoc ejus quod dicitur varias significationes discernere, nihil aliud sit quàm confundere*: cùm enim nomina sint rerum latentium indicia, & naturis earum proprietatibusque significandis accommodata; ubi varias significationes præ se ferunt, aut ipsæ res variis nominibus efferuntur, consultò quidem ac peritè auspicantur Tractatores ab earundem rerum, quas explicandas suscipiunt, nominum declaratione & delineatione.

C Meritò igitur abditissimi hujusce Mysterii, qualemcumque explicationem auspicamur ab illis nominibus quibus veteres sapientissimique Patres ac Doctores Mysterium hoc explicandum ac celebrandum susceperunt.

Porrò varia sunt tùm à Scriptura tùm à sanctis Patribus usurpata vocabula ad istud Mysterium significandum. Dicitur θεοφανία idest Dei vel *divina apparitio*; quippe Deus per Incarnationem nobis se videndum in humanitate exhibuit ac contubernalem, juxta illud Baruch 30. *Post hoc in terris visus est & cùm hominibus conversatus est.* Visus, inquàm, tùm quia per miracula facta mediante humanitate se Deum probavit, tùm quia, D ait sanctus Paulus, *in Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*; tùm denique quia per communicationem idiomatum, fundatam in unione hypostatica, verè & propriè Deus dici potest videri, quia videtur homo qui reverà Deus est.

Dicitur etiam interdùm *descensus*. Sic Isayæ 64. *Vtinàm disrumperes cælos & descenderes.* Joan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo:* non quòd Divinitas descenderit, quippe cœlum & terram implet, sed quia Deus qui in cœlo maximè suam gloriam ac majestatem beatissimis mentibus manifestat, per Incarnationem E cœpit eam hominibus revelare.

Appellatur etiam *Missio*, quippè ait Apostolus ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere:* hinc Christus Joan. 6. *Sicut misit me vivens Pater.*

Nominatur etiam *adventus*. Sic Aggæi. 2. *Et veniet desideratus cunctis Gentibus:* & Malachiæ 3. *Quis poterit cogitare diem adventus ejus?* Similia habent sancti Patres: nam sanctus Athanasius orat. 3. dispensationem Verbi secundùm hominem vocat: Sanctus Ambrosius libello de Paschate, cap. 4. humanæ carnis ad Deum attemperationem: S. Damascenus lib. 4. cap. 2. *salutarem œconomiam*, quæ appellatio cæteris Patribus Græcis est usitatissima. Hilarius Prosâ, in B Psalmum, *corporationem* seu incorporationem nominat. Epiphanius hæresi 30. carnalem *inhumanationem*. Frequentiùs tamen tùm à Patribus, tùm à Theologis usurpatum est *Incarnationis* nomen ad significandam illam ineffabilem Divinitatis & humanitatis in una persona unionem. A Patribus, inquam, frequentatum est, nam Irenęus libro 3. cap. 21. à Theodoreto laudatus in Dialogo primo, illud usurpat: quod & fecerunt Leo Magnus, Sermone 2. de Nativitate. Aug. lib. 10. de civit. Dei, cap. 29. Hieronymus super primum caput Marci, imò & ab ipso Concilio Nicæno in Symbolo, Filius Dei dicitur *Incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Quantùm ad Theologos spectat nullus penè eorum est cui hoc vocabulum non sit familiare.

Nec quidem incongruè: licèt enim humanitas ex carne componatur & spiritu, maturè tamen nomine *carnis*, assumptio humanitatis à Verbo declaratur. Fundamentum enim hujus vocis colligitur ex Joan. 1. *Verbum caro factum est*, nam inquit S. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 19. *cum lego* VERBUM CARO FACTUM EST ET HABITAUIT IN NOBIS, *in* VERBO *intelligo verum Dei Filium, in* CARNE *agnosco verum hominis Filium. & utrumque simul in una persona Dei-hominis ineffabilis gratia largitate conjunctum.* Nec insolitum est in Scriptura nomine carnis per figuram Synecdochen, totum hominem significari. Sic Genesis 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Psal. 77. *Recordatus est quia caro sunt*, Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*, Et ad Roman. 3. *Non justificabitur omnis caro ex operibus legis:* in quibus & similibus textibus, evidens est totum hominem significari: sic & interdum idem declaratur animæ vocabulo, ut videre est, maximè, Genesis cap. 46.

II. Incarnatio potiùs dicitur à carne, quàm ab anima.

Congruentiùs autem ac maturiùs à *carne* quàm ab *anima* Mysterium istud nomen accepit, tùm ut Incarnationis veritas contra Manichæos & alios hujusmodi hæreticos negantes Verbum Divinum veram carnem assumpsisse clariùs appareret; tùm ad significandam nimiam illam divini in nos amoris profusionem quâ Divina majestas adcò depressa est, ut tam vilem & abjectam carnis naturam, ad salutem nostram operandam suum in consortium assumere non fuerit dedignata: quocirca signanter, ait S. Paulus ad Timoth. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum quod manifestatum est in carne*; tum denique ut inde luculentiùs appareret, non solùm naturam humanam à Verbo Divino assumptam esse; sed & omnes illius humanitatis infirmitates, & appendices quæ voce *carnis* plerumque designantur,

unde

unde Apostolus ad Hebræos 5. de Christo Domino loquens ait: *Qui in diebus carnis suæ preces & supplicationes offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ut autem præsentem disputationem ab hujus Mysterii quæstionibus præludiariis ordiamur, ac congruenti methodo destribuamus, eam tres in Articulos & eorum quemlibet totidem in Sectiones partiemur: quorum *Primus* erit de possibilitate, convenientia & complemento Incarnationis. *Secundus* de illius essentia, deque terminis unionis naturæ Divinæ cum humana. *Tertius* denique ejusdem causas, Physicam, Moralem & Finalem explicabit.

Disputationis distributio.

ARTICULUS PRIMUS.

De possibilitate, convenientia & complemento seu peractione Mysterii Incarnationis.

III. Quantùm dæmon elaborârit, ut Incarnationis veritatem pessumdaret.

CUM ad hoc maximè apparuerit Filius Dei ut dissolveret opera diaboli, & Princeps mundi ejiceretur foras; inde est quod dæmones omnem moverint lapidem, ut qui divinæ illius apparitionis non potuerant præpedire complementum; saltem illius fidem ac notitiam ab hominum cordibus elevarent. Illorum namque instigatione ab hostium triplici cuneo in hujus Mysterii assertionem depugnatum est; Philosophi enim Gentiles illud ut ridiculam ac inanem fabulam apertis contradictionibus pugnantem, ac subinde ut commentum factu impossibile censuerunt: Judæi Messiam expectantes, illius adventum adhuc in dies præstolantur: Hæretici verò plurimi, ut suprà observatum est, sacram hanc ac mirabilem hominis cum Deo conjunctionem ut Divinæ illius sapientiæ ac majestati minùs congruentem respuerunt. Quocirca, ut plena sit & inconcussa tanti Mysterii veritas ac fides, operæ pretium duxi tres illos infestissimos ipsius hostes tribus in sequentibus Sectionibus adoriri, quarum *Prima* aperiet Incarnationis possibilitatem contra Gentiles Philosophos: *Secunda* ejusdem contra Hæreticos egregiam sapientemque institutionem & œconomiam declarabit: Tertia denique ejusdem complementum & peractionem contra Judæos evincet.

Articuli divisio.

SECTIO PRIMA.

De possibilitate Incarnationis.

IV. Cur Theologus debeat esse instructissimus.

QUONIAM Theologia est illa mystica *Turris David, ex qua mille Clypei pendent, omnis armatura fortium*, Canticorum 4. debetque vir Theologus comparare se ad omnes prorsus eventus, congressus & disputationes, prout varia quotidie occurrunt hominum ingenia, idque monente Apostolorum Principe. *Parati*, inquit, *simus satisfacere omni poscenti rationem, de ea, quæ in nobis est spe & fide.* Hinc est quòd maturo consilio Theologiæ Principes suas de Divina Verbi Incarnatione disputationes ordiantur ab illius possibilitate & non repugnantia; quatenus dum sese offeret occasio cum Gentilibus Philosophis de Religione Christiana congrediendi, instructi sint & parati, nedum ad refellenda omnia, quæ adversus hoc ineffabile Mysterium humana mens fingere posset & objicere: sed insuper momenta ex proprio promptuario ipsi subjiciant quibus illud esse possibile, ac Deo congruum, nobisque summè necessarium suadere valeant. In quo certè subtilis Doctor ordine convenientiori quam S. Thomas videtur egisse: Hic enim primùm de convenientia disputat, ille verò à possibilitate quæstiones auspicatur; priùs autem statuendum est rem aliquam esse possibilem quàm convenientem, quippe ex possibilitate rei congruitas; non vicissim ex congruitate possibilitas est judicanda.

Cùm autem tria maximè circa præsentem difficultatem occurrere possint dubia, *Primum* an illa unio divinæ naturæ cum humana in unitate personæ sit possibilis factu. *Secundum*, an illa possibilitas sit cognoscibilis ac demonstrabilis aliqua naturali ratione. *Tertium*, quænam sint momenta quæve rationes quibus illa possibilitas possit suaderi. Hinc tres illas difficultates totidem quæstionibus in præsenti Sectione resolvemus.

Sectionis partitio.

QUÆSTIO PRIMA.

An Unio divinæ naturæ cum humana in unitate personæ sit possibilis?

V. Possibile duplex est: Logicum duntaxat & Physicum.

NOtandum primò ex subtili Doctore *in* 1.*d.*2.*q.* 7.*n.*10. possibile duplex distingui: Logicum, scilicet & Physicum. Possibile Logicum, inquit, *est modus compositionis formata ab intellectu; cujus termini non includunt contradictionem, & ita hoc modo possibilis est hæc propositio, Deum posse produci & Deum esse Deum:* Possibile verò reale seu Physicum est, *quod accipitur ab aliqua potentia in re sicut à potentia inhærente alicui, vel terminata ad illud sicut ad terminum.* Hoc est, Illud dicitur possibile Physicum quod potest esse terminus realis alicujus potentiæ productivæ, qualiter ante creationem mundus erat possibilis, & innumeræ dicuntur adhuc creaturæ possibiles quas Deus ex infinita sua potentia producere posset, nec tamen pro suo sapienti consilio producet unquam. De utraque possibilitate hic futurus est sermo: quippe determinandum suscipimus an propositio illa, Deus est homo, contradictionem aliquam implicet, atque unio Divinitatis cum humanitate supremam Dei potentiam non excedat nec fugiat.

VI. Inter possibile & impossibile nullum dari medium.

Notandum secundò, certum esse quòd non detur medium inter hæc duo, *esse possibile*, & *esse impossibile*; non enim datur aliquod medium inter implicare contradictionem, quod est impossibile; & non implicare contradictionem quod est possibile; medium tamen admittitur inter hæc duo; *demonstrare quòd aliquid sit possibile*, & *demonstrare quòd aliquid sit impossibile*, multa namque sunt possibilia, de quibus tamen nullum datur medium positivum naturale per quod demonstretur possibilitas illorum; hæc autem, quia possibilia sunt, non possunt demonstrativè probari esse impossibilia, nam verum vero non opponitur, sed soli falso: quare si verum sit quòd aliquid sit possibile, falsum est quòd sit impossibile, argumentatio autem quæ falsum concludit, nullatenus potest esse demonstrativa.

VII. Persona Divina non modò terminat Naturam Divinam, sed etiam supponit humanam.

Notandum tertiò, Deum incarnari, non esse Deum in carnem transmutari, sed Deum manentem Deum, fieri hominem in unitate suppositi; ita ut persona Divina non solùm terminet ac supponit naturam Divinam, sed etiam humanam; quare sicut Petrus dicitur homo, quia ejus persona sustentat & personat naturam humanam; sic Deus dicitur homo, quia Divina persona Verbi sustentat

Explicatur quid sit Incarnatio & qualis sit illa denominatio *Deus est homo*

ac terminat naturam humanam. Ex ea autem terminatione sequitur in Deo denominatio intrinseca, quâ dicitur intrinsecè unitus homini: ad hanc enim denominationem sufficit quòd natura humana substantialiter & intimè uniatur divinæ personæ. Non tamen eâ ratione est denominatio intrinseca, quasi natura humana informet Deum qui dicitur homo: hinc illa denominatio, Deus est homo, accedit aliquo modo ad denominationem extrinsecam, & ab ea etiam recedit. Accedit quidem, quia natura humana non informat Deum qui dicitur homo, cùm tamen aliæ denominationes intrinsecæ desumantur à forma informante. Recedit verò, quia aliæ denominationes extrinsecæ, sunt vel à formis accidentaliter unitis, vel à terminis extra subjectum denominatum existentibus: hæc verò denominatio sumitur à natura humana personaliter & substantialiter unita Verbo, quod ejus personalem dependentiam terminat.

Status Quæstionis

His ità, præmissis duo maximè hac in quæstione sunt determinanda. *Primum* quidem, an illa unio personalis divinæ naturæ cùm humana sit possibilis. *Secundùm*, an solvi possint omnes rationes quæ illam possibilitatem videntur impugnare.

CONCLUSIO PRIMA.

VIII. Possibilitas unionis naturæ humanæ cum Verbo.

Possibile fuit Naturam humanam uniri Verbo divino in unitate suppositi. Probatur primò. Ab actu ad posse legitima est consecutio: sed illa unio de facto est peracta; igitur est factu possibilis. Major constat, quod enim reverà est, non habet repugnantiam ad existendum. Minor est de fide, constatque illis omnibus momentis quibus Sectione tertiâ sequenti probabimus adversus Judæos Messiam venisse ac peractum esse Incarnationis Mysterium.

Probat secundò Doctor in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *numerò* 4. Illud est possibile, quod nullam repugnantiam præ se fert: sed nullatenus repugnat naturam uniri Verbo in unitate suppositi: ergo potest id fieri. Probat minorem: Si quæ esset repugnatia, peteretur vel ex parte Verbi assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ: sed ex neutro capite repugnantia deduci potest. *Non quidem ex parte Verbi assumentis*: id enim repugnaret, vel quia persona divina est, vel quia peculiaris est persona Verbi. Non primum, quia, inquit Doctor, terminare dependentiam naturæ humanæ, non infert aliquid repugnans personæ divinæ; quippe cùm non importet compositionem, ad quam requiritur actus & potentia; siquidem persona divina non est actus informans, sed duntaxat terminus humanæ naturæ dependentiam terminans. Nec pariter infert potentialitatem aliquam aut limitationem, aut dependentiam, quia ad illam terminationem seu unionem non requiritur aliud perse quàm quod terminans sit independens ab eo quod terminat; Verbum autem independens est à natura humana quam terminat; sicut Deus, licèt terminet dependentiam creaturarum ab ipso, non censetur ab eis ullatenus pendere.

Non etiam repugnat, quia peculiaris est persona Verbi, quia si ex hoc capite aliqua repugnantia exurgeret; maximè quia non posset dari unio ad unam personam, quin necessariò daretur ad reliquas, alia namque ratio assignari non potest: sed ita non est, licèt enim quod convenit naturæ divinæ, etiam singulis tribus personis indivisim commune sit; non tamen quod convenit uni personalitati, omnibus debet esse commune: nam paternitati convenit constituere Patrem; idipsum autem non convenit filiationi, neque spirationi passivæ: Potest igitur uni ex divinis personis convenire ratio terminandi hypostaticè naturam humanam, absque eo quod aliis idipsum conveniat. Ratio autem, inquit Doctor, quare quælibet persona divina potest terminare dependentiam naturæ alienæ est, quia quælibet personalitas divina est in se, & ex se formaliter independens: quodlibet autem independens in aliquo genere, potest terminare aliud quod in tali genere dependentiam habet: igitur persona divina in se & ex se independens, potest sufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ.

Denique non repugnat illa unio hypostatica *ex parte naturæ assumptæ*: si enim repugnaret, maximè quia singularitas personæ alicujus non posset ab ejusdem personalitate separari, ac subinde cùm non possit ulla natura assumi nisi existens, & consequenter, nisi singularis, quia existentia singularium est; idcirco nec assumi posset, nisi personata, quod cùm repugnet, etiam repugnaret naturam singularem assumi: sed hæc ratio nulla est, sufficienter enim probatum est in Metaphysicâ, personalitatem à singularitate realiter esse distinctam & separabilem, nec repugnare ut substantia aliqua sit singularis, & tamen ulteriùs communicabilis; igitur Deus poterit sibi naturam singularem unire seclusâ ejus personalitate, & consequenter ex nullo capite repugnat illa divinitatis cum humanitate unio in unitate personæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

Nullâ ratione naturali demonstrari potest divinæ Incarnationis impossibilitas. IX. Non potest evinci naturaliter Incarnationis impossibilitas.

Probatur. Verum vero non potest esse contrarium; sed verum est Incarnationem esse possibilem, ut liquet ex præcedenti conclusione: ergo nulla ratio naturalis, quæ veritatem aliquam præ se ferat, potest illius impossibilitatem suadere. *Deinde*, si quæ ratio hanc impossibilitatem evincere posset, peteretur vel ex parte Dei non valentis naturam humanam assumere in unitate personæ; vel ex parte ipsiusmet naturæ, quæ taliter non esset assumptibilis: sed ex neutro capite repugnat ut supra probatum est, & constabit amplius ex solutione omnium rationum mox objiciendarum: igitur, &c.

Objicies primò. Actus purus non est unibilis cum ullo alio; sed quælibet persona divina est actus purus: ergo non est unibilis cum naturâ extranea. Minor constat. Major pariter. Si enim actus uniretur, jam non esset actus purus, quia diceret potentialitatem ad aliud cum quo uniretur: ergo, &c.

Distinguit majorem Doctor *numero* 16. Actus purus non est unibilis cum altero per modum partis componentis, ita ut cum alio cui unitur, faciat unum per se, quod constet partibus se habentibus ut materia & forma, concedit: non est unibilis per modum termini infiniti supplentis vices alicujus termini creati, negat; & concessa minore, negat consequentiam. X. Objectiones solvuntur.

Instabis. Persona divina non potest uniri humanitati, nisi cum ipsa constituat aliquod unum per se: sed unum per se non constituitur ex pluribus, nisi unum eorum habeat rationem actus, aliud verò rationem potentiæ; igitur si Verbum divinum uniatur humanitati, necessum est quòd habeat rationem partis componentis.

Distinguo minorem. Unum per se quod fit per compositionem & informationem, fieri nequit nisi ex partibus, quarum una sit actus, alia potentia, concedo: quod fit per terminationem dependentiæ unius ad alterum, nego; Verbum autem divinum unitur humanitati ut constituat unum per se Christum, non quidem per modum compositionis formalis, sed duntaxat per modum personæ divinæ terminantis, ac supplentis vices personæ creatæ.

Urgebis. Illa unio quæ fieret per modum termini, suppleret vices personalitatis humanæ: ergo veram & realem compositionem efficeret. Probatur consequentia. Quidquid supplet vicem personalitatis, idem præstare debet quod ipsa personalitas; sed personalitas humana veram efficit compositionem cum natura individuali; est enim actus informans & perficiens ipsam naturam: ergo si persona divina suppleat vicem personalitatis humanæ, debet efficere compositionem cum ipsa natura assumpta.

Nego consequentiam; & ad ejus probationem, Respondeo primò, distinguendo majorem: Id quod supplet vicem personalitatis debet idem præstare quod ipsa personalitas: quatenus est terminus ultimus efficiens ne natura ulteriorem habeat communicationem, concedo: quatenus est actus ipsam naturam afficiens & perficiens per modum formæ, nego. Primum est de ratione formali & speciali personalitatis, quatenus præcisè personalitas est; non ita secundum, quia ratio afficiendi & perficiendi communis est personalitati cum cæteris modis & formis tàm accidentalibus quàm substantialibus, si, ut volunt aliqui, personalitas ipsa creata sit modus vel forma positiva.

Respondeo secundò negando minorem; nam ut fusè probavimus in nostra Metaphysica, probabilius est ex mente Doctoris subtilis, quòd ratio formalis personæ non sit aliquid positivum, sed tantùm connotet, supra rationem individui, negationem ulterioris communicationis ipsius naturæ individuæ alteri tanquam supposito, cum quo censeretur facere unum ens per se.

Objicies secundò. Inter ea quæ inter se invicem unibilia sunt, debet intercedere quædam proportio: sed inter personam divinam & naturam creatam nulla intervenit proportio; quippe persona divina infinita est, natura verò creata finita; finiti autem ad infinitum nulla est proportio: ergo non sunt invicem unibilia.

Distinguit majorem Doctor ibidem. Debet esse proportio entitatis ad entitatem, negat: habitudinis, qualis est inter causam & effectum, objectum & potentiam, terminans & terminatum, concedit. Inter Deum equidem & creaturam non est proportio entitatis, sed terminationis, tùm ex parte Dei, tùm ex parte ipsius creaturæ: nam creatura in ratione effectus, terminat fœcunditatem & causalitatem divinam per quam producitur; & Deus vicissim in ratione objecti, terminat activitatem intellectus & voluntatis creatæ à quibus percipitur: ergo quamvis non sit proportio entitativa inter Verbum & ipsam humanitatem, quia Verbum illam infinities excedit in perfectione & dignitate: tamen est proportio terminativa personalis sufficiens ad unionem de qua loquimur: quippe cùm Verbum sit persona infinita, virtutem habet terminandi omnem communicationem naturæ personabilis quæ ab ipso tanquam à causa dependet.

A *Subsumes.* Infinitum & finitum non possunt etiam esse simul in ratione terminantis & terminati: ergo nulla solutio. Probatur subsumptum. Contraria nequeunt simul existere propter eorum repugnantiam: sed finitum & infinitum magis invicem pugnant quàm contraria, quia sunt magis diversa, quippe cùm in aliquo genere invicem non conveniant, sicut conveniunt contraria in genere qualitatis & accidentis: igitur nequeunt simul subsistere.

Negat subsumptum Doctor, & ejus probationis negat minorem. Non enim idcirco contraria sunt invicem incompossibilia quia habent diversitatem; quia quantitas & albedo sunt magis diversæ quàm albedo & nigredo, quandoquidem quantitas & albedo spectant ad diversa prædicamenta, albedo verò & nigredo sunt ejusdem prædicamenti; unde quæ sunt diversi generis possunt invicem subsistere, ut quantitas & albedo, licèt ea quæ sunt ejusdem prædicamenti simul esse nequeant propter nativam suam oppositionem: & consequenter incompossibilitas contrariorum provenit duntaxat ex eorum repugnantia naturali. Natura autem divina & humana non habent ex natura sua particulari repugnantiam aliquam respectu ejusdem suppositi; & subindè quamvis sint magis diversæ quàm contraria, possunt faciliùs invicem subsistere in eodem supposito quàm contraria.

C *Objicies tertiò.* Si Verbum divinum posset incarnari, etiam posset pati: sed pati nequit: ergo nec incarnari. Major constat: quia sicut *Incarnare* est agere, ita *Incarnari* est pati; nam actioni omni correspondet passio.

Negat majorem Doctor, ad cujus probationem dicit, quòd quamvis actioni omni transeunti correspondeat passio, & consequenter, quamvis incarnationi activæ correspondeat aliqua passio, sicut calefactioni activæ correspondet passio calefactionis passivæ: tamen illa passio correspondens actioni incarnativæ, non significatur hoc verbo *Incarnari*, sed designatur per verbum *assumi* vel *uniri*; ex eò quòd *Incarnare* significet effectivè unire carnem seu naturam humanam supposito Verbi, efficiendo ut sit assumpta à Verbo per dependentiam illam specialem quam habet ab ipso ratione unionis hypostaticæ. Igitur verbum passivum propriè correspondens verbo activo *Incarnare*, non est Verbum *Incarnari*, sed verbum *uniri* vel *assumi*. Ex quo sequitur quòd illa passio correspondens incarnationi activæ, sit tantum in natura humana quæ assumitur, & non in Verbo quod assumit. Quamvis ergo grammaticaliter loquendo, inquit Doctor, incarnari sit verbum passivum quod videtur correspondere verbo activo incarnare, tamen realiter & significativè non est verbum passivum ipsi correspondens.

Objicies quartò. Implicat Deum mutari; sed si incarnaretur, reverà mutaretur, acquireret enim novam naturam eamque terminaret quam prius non habebat nec terminabat: ergo, &c.

Nego minorem: non enim positâ possibilitate Mysterii Incarnationis, propterea sequitur Deum mutari, tota enim illa mutatio Verbo Divino extrinseca est, cùm nullam formam in se recipiat per quam intrinsecè afficiatur de novo: sed tota illa mutatio in naturam humanam refunditur, quæ recipit personam Verbi cui substantialiter unitur, & per quam terminatur omnimoda illius communicatio. *Ad rationem* dico, quòd id quod

XI. *Deus humanam assumẽdo naturam non illam in se recipit sed tantùm illi se se communicat.*

acquirit novam naturam, mutatur quidem si acquirat illam tanquam recipiens; non verò si tanquam se tribuens & communicans illi: at quando Deus in Mysterio Incarnationis acquirit humanam naturam, non illam in se recipit, sed seipsum illi communicat, subindeque non mutatur: sic quando aliqua creatura de novo producitur, habet relationem realem ad Deum creatorem, ratione cujus Deus, qui se illi creaturæ communicat, acquirit rationem termini respectu illius, nec tamen propterea mutatur.

Instabis. Quâ ratione natura humana dicitur mutari per Incarnationem, eadem Verbum Divinum diceretur mutatum: ergo &c. Probatur antecedens. Idcirco natura humana dicitur mutari, quia recipit in se naturam divinam quam non habebat in se, seu cui non erat unita personaliter: atqui etiam Verbum Divinum per Incarnationem habet sibi copulatam personaliter naturam humanam cui antea non erat unitum: ergo pari ratione per Incarnationem dicitur mutari.

XII. *Verbum Divinum dependentiam naturæ humanæ terminat in ratione personæ, at natura humana personam Verbi Divini tanquam intrinsecũ sui complementum in se recipit.*

Nego antecedens: Et ratio disparitatis est, quòd Verbum Divinum sibi copulat naturam humanam per modum terminantis illius dependentiam in ratione personæ; natura verò humana in se recipit personam Verbi tanquam sui complementum intrinsecum; quippe, cùm Verbum gerat vices personalitatis creatæ, quæ spectat ad complementum substantiale ipsius naturæ, quò fit ut ipsa natura dicatur perfici per illam unionem personalem Verbi, quia Verbi personalitas gerens vices personæ creatæ, confert ipsi naturæ complementum sine quo illa natura censeretur incompleta. Secus autem est de Verbo Divino, quia Verbum Divinum nihil perfectionis nec complementi per illam terminationem acquirit: non enim minùs esset infinitè perfectum, etsi ipsius personalitatis creatæ vices non gereret.

Vrgebis. Quamquam Verbum Divinum habeat rationem terminantis respectu naturæ assumptæ, non minùs reverà diceretur mutari: igitur præfata solutio nulla. Probatur antecedens. Ita se habet proportione servatâ personalitas divina in ratione terminantis, ad naturam, sicut se habet intellectus divinus ad objectum intelligibile: sed intellectus divinus reverà diceretur mutari, si terminaretur de novo ad aliquod objectum intelligibile ad quod antea non terminabatur; quippe Deus censeretur aliquid cognoscere de novo quod priùs non cognoscebat, ergo, &c.

Nego antecedens, & ad illius probationem, nego paritatem. Ratio disparitatis est, quod intellectus divinus habeat pro objecto omne ens intelligibile, quâcumque ratione intelligibile sit; unde si de novo terminaretur ad aliquod objectum quod priùs non attingebat, reverà mutaretur; quia consequens esset quod non sese extenderet ad id omne quod est intelligibile, nec consequenter adæquaret latitudinem sui objecti ad quod ex infinita sua virtute naturaliter tendit: secus autem est de personalitate divina, quæ ex innata sua virtute non postulat terminare personaliter omnem omnino naturam tam increatam quàm creatam, sed præcisè & ex se fertur duntaxat ad terminandam naturam divinam: quapropter non minùs completa est ejus virtus ubi naturam divinam terminat duntaxat, quàm si quaslibet naturas creatas terminaret.

Subsumes. Idcirco intellectus divinus sese extendit ad id omne quod est intelligibile, & muta- A retur si illud non attingeret ab æterno; quia vim infinitam habet intelligendi: sed etiam personalitas divina vim habet infinitam terminandi communicationem naturæ: ergo quâ ratione intellectus divinus censeretur mutari si de novo perciperet aliquod objectum intelligibile, pari ratione divina personalitas censeretur mutari si alicujus naturæ communicationem de novo terminaret.

Nego paritatem: Quia objectum cognoscibile quà cognoscibile est, per se spectat ad adæquatum objectum intellectus divini; quod est omne ens intelligibile: natura autem omnis terminabilis hypostaticè, non per se spectat ad personalitatem divinam, quia quælibet natura ex ratione sua formali B & naturali postulat terminari per propriam personalitatem: unde non est eadem ratio de objecto cognoscibili ab intellectu divino, ac de natura terminabili à personalitate divina. His adde quòd objectum cognoscibile conferat ad perfectionem potentiæ cognoscentis: quò enim objectum præstantius cognoscitur, eò præstantior est intellectûs notitia: terminabilis autem natura non per se confert ad perfectionem personalitatis terminantis; imò ipsa personalitas ex se confert ad ipsius naturæ personatæ & terminatæ dignitatem ac præstantiam, quantò enim dignius est suppositum, tantò dignior est natura personata.

Vrgebis insuper. Quod transit de potentia ad C actum, revera mutatur: sed natura divina per Incarnationem transiret de potentia ad actum, quia de unibili fieret unita: ergo mutaretur.

Distinguo majorem. Quod transit de potentia ad actum passivè vel subjectivè, hoc est per modum inhærentis vel informantis, mutatur; quia novam recipit formam quam non habebat, concedo: activè & per communicationem, nego. Et similiter distinctâ minore, nego consequentiam: Natura enim divina unitur humanæ per modum potentiæ activæ; quia illa unio nihil aliud est quam communicatio personalitatis divinæ quâ Verbum Divinum assumit naturam humanam in unitatem D personæ.

Dices 4. Ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se: sed natura divina & humana sunt entia in actu; utraque enim habet id omne quod requiritur ad sui perfectionem: igitur vel non potest fieri utriusque unio, vel unitum non erit ens per se.

Respondeo, naturam humanam in Christo esse quidem perfectam in ratione naturæ; imperfectam tamen & incompletam in ratione personæ: quia propria personalitate caret, & ita potest subsistere per personalitatem divinam & cum illa efficere unum per se, nempe Christum.

Objicies 5. Duo contradictoria de eodem verificari nequeunt: sed si divina natura cum huma- E na posset sociari in eadem persona, sequeretur illam esse simul finitam & infinitam, creatorem & creaturam, mortalem & immortalem, quæ sunt contradictoria: igitur hæc fieri nequeunt.

XIII. *Ut contradictoria vera sint, debent esse de eodem secundùm idem.*

Distinguo majorem, Contradictoria nequeunt esse vera eodem secundùm idem, concedo: secundùm diversa, nego; nam homo simul est mortalis & immortalis; mortalis quidem ratione corporis, immortalis autem ratione ipsius animæ. Christus autem dicitur mortalis ratione humanitatis assumptæ, immortalis autem ratione naturæ divinæ.

Objicies ultimò. Deus supplere nequit effectum causæ formalis: ergo nec supplere potest effectum subsistentiæ creatæ & humanæ.

Distinguo antecedens. Omnem effectum, concedo, aliquem nego. Subsistentia autem humana duo habet. Primum ut afficiat per modum formæ, si sit aliquis modus substantialis ipsam naturam individualem afficiens, ut volunt aliqui, & hunc effectum non potest Deus supplere. Alterum ut terminet naturam ultimatè, & sic terminando denominet illam subsistentem, & hoc Deus supplere potest equivalenter per suam subsistentiam, non quidem connaturalem subsistentiam largiendo, sed aliam equivalentem & longè digniorem, putà propriam subsistentiam, quæ terminat ulteriorem communicationem naturæ creatæ; sed longè digniori modo ac præstantiori quàm à propria personalitate terminaretur.

Instabis. Non potest personalitas Verbi gerere vices personæ creatæ nisi contineat illam eminenter & virtualiter: sed ita non est, quippe inquit Doctor, cùm personalitates divinæ non sint formaliter perfectæ, nec infinitæ, non possunt virtute continere perfectionem creatæ personalitatis. Adde quod etiamsi taliter eam contineret, non propterea posset illius vices supplere; siquidem natura divina quæ continet virtualiter personalitates creatas, sicut & quamlibet creaturam, quia est formaliter infinita, nequit tamen supplere vices personalitatis creatæ: ergo neque id poterit exequi personalitas Verbi.

Negat majorem Doct. ibid. *num.* 4. Non enim idcirco persona Verbi supplere potest vices personalitatis creatæ, quia est infinita vel perfecta, sed quia est omnimodè independens in ratione personæ, idcirco supplere potest vices cujuslibet personæ dependentis: & hâc ratione licèt essentia divina virtualiter & eminenter contineat personalitates creatas, nequit tamen earum vices gerere, quia ipsa non est formaliter independens in ratione personæ. Ideò, inquit Doctor, non ex perfectione entis personalis colligitur quod personalitas Verbi possit supplere personalitatem creatam, *Sed ex hoc quod illa entitas personalis est independens; & independens in quantum tale, potest terminare dependentiam alterius ad ipsum, quod natum est habere terminum talem: ista autem dependentia nata est habere personam pro termino & non naturam: igitur persona divina independens potest sufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ ad ipsam.*

Quæstio II.

An & quo lumine cognosci possit & suaderi Incarnationis Mysterium.

I. Lumen triplex est fidei, demonstrationis, & suasionis.

NOtandum primo, triplex solitò nobis affulgere lumen quô res divinæ ac supernaturales possunt innotescere. *Primum* est lumen fidei infusæ, quô percipiuntur per speculum & in ænigmate: *Secundum* est demonstrationis vel scientiæ divinitùs inditæ, aut ex principiis revelatis & ratiocinationis adminiculo comparatæ. *Tertium* denique est suasionis, quæ petitur ex conjecturis & rationibus, ac similitudinibus nititur & firmatur. Fides informat ac illustrat fidelem per authoritatem revelantis cui credit: Scientia Philosophum confirmat & convincit per evidentiam demonstrationis & illationis unius veritatis minùs notæ, ex principiis naturaliter evidentibus. Suasio denique rudes & ignaros instruit, ac ad suscipiendam veritatem disponit per notitiam co- A rum quæ in prospectu habent. An autem triplici hôc lumine probetur Incarnationis Mysterium, quæritur apud Theologos. Conveniunt autem omnes illud quidem innotescere lumine fidei; quippè Scripturæ sacræ nihil frequentiùs efferunt quam adorandum hoc Mysterium: quocirca rectè Christus monebat Judæos Joan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Difficultas ergo est duntaxat de lumine scientiæ ac suasionis; an videlicet per demonstrationem aut per conjecturam aliquam evidenter detegi possit hoc Mysterium, tùm à Philosophis, tùm à rudioribus & ignaris.

II. Aliquid dicitur supernaturale duobus modis, quoad substantiam, & quoad modum.

B *Notandum secundo*, res supernaturales esse in duplici differentia: quædam enim supernaturales dicuntur quantùm ad substantiam, aliæ verò duntaxat quantùm ad modum. Prioris generis & ordinis sunt illa omnia quæ naturam ita excedunt, ut nullô prorsùs cujusvis intellectûs conamine, nativa ac propria virtute deprehendi possint & cognosci: putà personarum Trinitas in unitate essentiæ, decretum prædestinationis hujus aut illius hominis, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis*, inquit S. Paulus 1. ad Corinth. 2. *nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita quæ sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Posterioris verò generis sunt res illæ ordinis quidem naturalis quantùm ad entitatem, licèt non ita sint quantùm C ad modum existendi. Sic v.g. visus restitutus cœco nato naturalis est secundùm entitatem, quippe facultas illa visiva ejusdem ordinis est & rationis cùm ea quæ per generationem habetur: sed est supernaturalis quantùm ad modum; quia excedit vires naturæ & modum ac ordinem quem Deus ex ordinaria sua providentia servare solet in agendo. Controvertitur autem inter Theologos an seclusâ omni fide ac revelatione divinâ, Incarnatio Verbi ita sit supernaturalis secundùm entitatem, ut naturaliter percipi non possit. Censent aliqui quòd cùm illa non nisi extraordinariâ Dei virtute patrata fuerit, inde constare eam evidenti ratione non posse probari. Verùm, nonnulli D Theologi, quibus præivisse dicitur Raymundus Lullius, contendunt Incarnationem adversùs obnitentes Philosophos evidenter posse probari.

III. Triplex status, in quo spectari potest Incarnatio.

Notandum tertio, Incarnationem spectari posse vel ut possibilem, vel ut futuram, vel ut peractam, de quo triplici statu potest esse difficultas; qualiter ab homine viatore nec non & ab Angelis, tùm beatis, tùm damnatis possit cognosci.

Conclusio Prima.

IV. Nullus intellectus creatus potest naturaliter cognoscere Mysterium Incarnationis.

N*Vllus intellectûs Angelicus aut humanus potest naturæ viribus Incarnationis possibilitatem* E *aut futuritionem detegere; nec existentiam evidenter & certo cognoscere.*

Probatur prima pars. Entia supernaturalia secundùm substantiam non possunt naturæ viribus attingi: sed Incarnatio supernaturalis est secundùm entitatem: ergo nullo intellectus naturalis conamine percipi potest. Major constat, eò enim entia supernaturalis ordinis secundùm entitatem talia dicuntur, quòd omnimodum naturæ captum transcendant. Minor etiam patet, siquidem omnino supernaturale est quòd Deus hypostaticè sit unitus homini, quòd natura creata suo spolietur connaturali subsistendi modo: quòd naturalis subsistentiæ vices à personalitate divina suppleantur, &c.

Deinde, ut intellectus deprehendere posset Incarnationis Mysterium, deberet evidenter cognoscere potentiam obedientialem naturæ rationalis secundùm id omne ad quod illa potentia se se extendere potest; deberet pariter cognoscere virtutem Omnipotentiæ divinæ penes supremum effectum quem ipsa potest edere; siquidem Incarnatio est maximum & præstantissimum opus divinæ Omnipotentiæ: sed hoc utrumque capere non potest evidenter intellectus creatus propriis viribus: igitur nec Mysterium Incarnationis certò & evidenter detegere.

Denique, ut illa possibilitas posset conjici & alicui venire in mentem, oporteret esse aliquod medium in rebus creatis ex quo creatus intellectus illàm possibilitatem posset deprehendere: sed nullum est tale medium: tùm quia mysterium illud opus est summæ Dei liberalitatis ac libertatis; & subindè nulla illius est cùm naturalibus causis & effectibus connexio: tùm quia cùm natura quæque creata infinitè distet à Deo, ex se nihil prorsùs habet quô possibilem sui cum Deo intimam unionem ostendat: Igitur nullo medio nullaque virtute creatus intellectus seclusa fide & revelatione, potest hujus mysterii possibilitatem detegere.

Secunda & tertia pars simul: probantur, *Primò* quidem ex Scripturâ, quæ mysterium hoc creaturis absconditum pronunciat. Sic Paulus ad Ephesios 3. loquens de Mysterio Incarnationis, illud appellat *Investigabiles divitias Christi & Sacramentum absconditum à sæculis in Deo*: & 1. ad Corinth. 2. vocat *Sapientiam in mysterio quæ abscondita est*. Quapropter Christus Isaïæ 8. dicitur *Deus absconditus*, propter videlicet hominis assumpti Sacramentum. Quod eximiè probat sanctus Ambrosius in secundum caput posterioris ad Corinthios ubi ita concludit, *Abscondita est ergo Dei sapientia dum non in verbis, sed in virtute est: non humana ratione possibilis, sed Spiritus efficaciâ credibilis.* Quibus pariter quadrat illud Isaiæ 35. *Generationem ejus quis enarrabit?* Unde S. Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 3. *Mihi quidem impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum.* Et post pauca: *Non sola admirabilis ex Patre generatio Christi; admirabilis etiam ejus generatio ex Virgine.*

Idipsum testantur cæteri sancti Patres: imprimis Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 2. *Jesu*, inquit, *in carne apparitio & ineffabilis est sermone, & omni ignota intelligentiæ; ipsi quoque antiquissimo Angelorum primati non satis perspecta.* Cui concinit sanctus Cyrillus Alexand. lib. de Incarnatione Unigeniti cap. 7. dicens adunationem Verbi cum carne, omni humanâ cognitione esse superiorem. Quod apertè demonstrat sanctus Augustinus Epist. 3. ad Volusianum, ubi de hoc mysterio loquens ait: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

V. Inter esse possibile & judicare hoc ita esse datur medium.

Dices primò. Ratio naturalis non judicat evidenter incarnationem esse impossibilem: ergo judicare potest illam esse possibilem. Consequentia patet: quia inter contradictoria, qualia sunt possibile, & impossibile, non datur medium.

Nego consequentiam: licèt enim à parte rei inter mysterium esse possibile, & impossibile non detur medium; tamen datur inter judicare illud
A mysterium esse possibile, & judicare esse impossibile: etenim inter utrumque hoc judicium datur suspensio & negatio actus. Unde si aliquis Philosophus requireretur an judicaret unionem Dei cum homine esse possibilem aut impossibilem; vel suspenderet actum nihil affirmando aut negando; vel si aliquid proferret, illud certè excederet captum ipsius intellectus, mitteretque falcem in messem alienam: cùm enim Incarnatio sit ordinis supernaturalis, excedit sphæram naturalem intellectus creati, nullamque habet connexionem cum principiis naturalibus, ex quibus duntaxat Philosophus suam mutuari potest certam notitiam.

B *Dices secundò*. Angelus evidenter cognoscit Deum posse efficere quidquid non implicat contradictionem; sed etiam ipsi est evidens nullam esse contradictionem, quod Deus fiat homo; siquidem naturaliter novit quòd Deus sit subsistens & independens in ratione personæ, novit pariter subsistentiam naturæ humanæ ab illa esse separabilem: igitur colligere potest quod divina persona ratione suæ independentiæ possit supplere vices personalitatis creatæ.

Nego minorem: quamquam enim Angelus cognoscere possit subsistentiam divinam esse communicabilem, & subsistentiam creatam esse distinctam naturaliter à natura humana, tamen nesciret quô
C pactô Verbum uniri posset humanæ naturæ; quippe ipsi non esset notum, an subsistentia illa humana realiter esset à sua natura separata, & utrum ipsa natura subsisteret subsistentiâ Verbi, siquidem modus ille subsistendi est supernaturalis ordinis.

Instabis. Subsistentia creata est ordinis naturalis, & intra latitudinem objecti naturalis Angeli: ergo potest nosse Angelus illam abesse à natura individuali Christi; & proinde nosse potest naturam illam subsistere subsistentiâ Verbi.

Nego hanc ultimam consequentiam: quamquam enim Angelus agnoscere possit naturam humanam Christi non habere propriam subsistentiam,
D tamen inferre non potest exinde, illam subsistere subsistentiâ Verbi, quippe judicare posset Deum conservare illam naturam individualem absque omni subsistentia, sicut de facto conservat species Eucharisticas absque omni subjecto.

Dices tertiò. Angelus cognoscere potest resurrectionem hominis esse possibilem: ergo etiam judicare potest incarnationem esse possibilem.

Nego antecedens: quamquam enim hominis resurrectio non sit supernaturalis quoad substantiam sicut Incarnatio, tamen cùm sit ordinis supernaturalis quoad modum, pendeatque ex libera Dei voluntate, & nulla sit causa naturalis per
E quam possit fieri, hinc est quod Angelus certò non potest cognoscere naturali lumine resurrectionem esse possibilem.

Dices quartò. Philosophus aliquis peritissimus solvere poterit evidenter omnia argumenta suadentia impossibilitatem Incarnationis: igitur inferre poterit illam esse possibilem.

Distinguo antecedens. Solvere poterit negativè, hoc est negando principia ex quibus inferuntur, & ostendendo illationes ex illis principiis non convincere nec omnimodè persuadere; concedo: solvere poterit positivè, evidenter ostendendo quòd principia ex quibus procedunt, falsa sunt, & subinde quòd eorum contradictoria sunt vera, nego: non enim consequens est, quòd qui

probat evidenter aliquibus rationibus, aliquid non esse impossibile, iisdem rationibus suadeat & evincat illud esse possibile; quia possibilitas alicujus rei non pendet à rationibus quæ illam suadent, sed à suis intrinsecis principiis ex quibus fit quòd res illa sit possibilis.

His adde, quòd etiamsi Philosophus solveret omnes sibi propositas rationes contra possibilitatem Incarnationis, tamen certò judicare non posset nullam esse rationem quæ illam impossibilitatem astrueret; imò posset suspicari longè urgentiores proponi posse rationes, quæ illam impossibilitatem evincerent.

Dices quintò. Ratio naturalis suadet Mysterium Incarnationis esse evidenter credibile; ergo pariter suadet esse evidenter possibile.

VI. Aliundè petitur credibilitas, & aliundè possibilitas rei.

Nego consequentiam; nam aliundè petitur credibilitas, & aliundè possibilitas rei: possibilitas namque provenit ex principiis internis illius rei à quibus habet quòd non repugnet nec sit contradictio illam esse: credibilitas autem sumitur ex authoritate dicentis fide digni, unde quò quis magis judicatur verax in dicendo, eo etiam faciliùs & firmiùs ei datur fides.

Dices sextò. Reverà dæmones noverunt Incarnationis Mysterium & Christum esse Deum-hominem: sed illud non cognoverunt per revelationem, utpotè cùm omnis divini beneficii sint incapaces: igitur oportet noverint per nativam intelligendi virtutem. Major constat: Primò quidem ex illo Matthæi 8. ubi dicitur quòd cùm Christus Dominus venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, sævi nimis; ita ut nemo posset transire per viam illam & exclamaverunt dicentes: Quid nobis & tibi, Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Et Lucæ 4. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

Secundò, idem constat ex omnibus oraculis ab ipso dæmone in idolis editis: constat enim ut referunt Suetonius in Octavio cap. 94. Nicephorus libro primo cap. 17. & plures alii sacri Annalistæ, quòd cùm Augustus Imperator Appollinem Delphicum consuluisset, nec occlusus dæmon solita responsa daret, quænam esset causa tanti silentii obmutescentis Appolinis cùm requireret Imperator, hæc tandem ab eo responsa elicuit

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans,
Cedere, sede jubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quapropter addunt iidem Scriptores Augustum Romam reversum, aram in Capitolio erexisse, hac inscriptione notatam: *Ara primogeniti Dei.*

Respondeo distinguendo minorem. Id non acceperunt per revelationem sibi immediatè factam, concedo: per revelationem factam, tùm per Prophetas, tùm per Angelos, & exaratam in divinis Scripturis ac miraculis declaratam, nego. Certum enim est quod dæmones, inquit Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Quid ubique geratur tam facilè sciunt, quàm enunciant: velocitas, divinitas creditur, quia substantia ignoratur; dispositiones etiam Dei, & nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt, ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem dum furantur divinationem.* Potuerunt ergo nosse dæmones ex vaticiniis Prophetarum, Christum esse illum Messiam A tot votis expetitum totque promissum oraculis. Etenim si Judæi ex promissionibus factis & exaratis in divina Scriptura nosse poterant Christum esse Messiam, multò faciliùs id cognoscere potuerunt dæmones; non quidem certò & evidenter, sed conjecturaliter, tùm propter illa vaticinia, tùm propter miranda operâ quæ Christus ipse patrârat; *Si enim eum reverà cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, id est crucifigi suggessissent, ut dixit glossa primæ ad Corinth. 2. Hinc nisi sunt etiam dæmones Christi Domini mortem præpedire, ut colligitur ex somnio uxoris Pilati, quæ sicut legimus Matthæi B 27. marito suo dixit, *Nihil tibi & Iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter illum:* tunc enim diabolus valde subdubitans Christum esse Messiam, dissuadere connabatur ejus mortem: unde licèt plurima divinæ virtutis signa in Christo dæmones agnoscerent, tamen quia etiam in eo conspiciebant humanæ infirmitatis exempla; non habebant pro certo eum esse reverà Filium Dei, unde ad eum accessit tentator dicens: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.*

VII. Dæmones Christum esse verum Messiam ex oraculis potuerunt agnoscere.

Nec obest quod Evangelista dixerit, *Non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum:* nam particula (*quia*) non sumitur ibi causaliter, sed C historialiter & recitativè: hoc est, Christus non sinebat dæmones asserere quòd sciebant illum esse Filium Dei, tùm quia mentiebantur illi, cùm significare intenderent se illud certò cognoscere, cùm illud duntaxat conjecturaliter novissent: tùm quia id maximè dicebant ad, explorandum an reverà ita esset.

Vrgebis. Doctor Subtilis in 4. distinctione 10. quæstione 8. numero 12. docet, quod quicumque Angelus, etiam malus, si absolutè permittatur uti suâ potentiâ cognoscitivâ naturali, possit intelligere mysteria gratiæ jam existentia: quod etiam videtur asserere de Mysterio Incarnatio- D nis, & expressè probat per illam totam quæstionem de Existentia corporis Christi. Ait enim respondens ad tertium: *De malis Angelis dico, quod absolutè permittatur quicumque Angelus malus uti suâ potentiâ cognitivâ naturali, potest intelligere quodcumque intelligibile causatum; & per consequens posset intelligere cogitationes cordium & Mysteria Gratiæ.* Unde infert, quòd si dæmon non cognoverit Mysterium Incarnationis, illud idcirco contigisse, quia, inquit, *Non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur redemptio nostra; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, id est, nunquam me redimi ejus* E *morte procurassent:* Igitur Doctor Subtilis nobis adversatur, & nos illi.

Nego consequentiam. Loquitur enim Doctor, non de cognitione evidenti & certâ, sed argutivâ & conjecturali. *Vel* si contendas eum de priori cognitione intelligendum; *Respondeo* cum Fabro in 4. Disputatione 43. capite ultimò, quòd loquitur Doctor de Mysteriis Gratiæ supernaturalibus, quæ non involvunt ordinem ad aliquid increatum, quale est Mysterium Incarnationis, quod involvit ordinem ad Verbum, qui utique supernaturalis ordo ita cujusvis intellectûs naturalis vires transcendit, ut absque revelatione non possit cognitione clarâ & evidenti, sivè mediatâ, sive immediatâ, illud percipere, sed duntaxat argutivâ, & connaturali.

Dices ultimò: Plurimi infideles aliquam habuerunt notitiam Incarnationis Verbi, ut colligitur ex Theodoreto libro de Græcanicis affectionibus,

Eugubino libro 1. de perenni Philosophia cap. 3. Sixto Senensi libro 2. Bibliothecæ sanctæ, verbo *Sybilla*, & sancto Augustino libro 18. de civitate capite 23. ubi profert & expendit vaticinia Sybillarum, maximè verò Sybillæ Cumanæ, de Incarnatione Verbi; idque ita distinctè & expressè, ut etiam *Christi Iesu* Achrosticè nomen expresserit; quò etiam testimonio usi sunt SS. PP. quotquot adversus Gentiles causam Christianæ Religionis propugnandam susceperunt. Imò earum Sybillarum testimonium usurpare non est dedignatus S. Paulus, ut refert Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum his verbis: *Quomodo Deus Iudæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos proprie suæ lingua exercitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam à vulgo se credi, præter Petri prædicationem, declaravit Paulus dicens: Libros quoque sumite, agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significat, & ea quæ sunt futura. Hydaspem sumite, & legite, & invenietis Dei Filium multò clariùs & apertiùs esse scriptum, & quemadmodum adversus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio & qui nomen ejus gestant, & ejus fideles & adventum ac tolerantiam.* Quod utique Clemens recitat non ex Epistolis Pauli, sed ex concionibus ad populos habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures sic esse illapsa putandum est, ut nunquam ea deleverit oblivio, sed fœlici ac succedanea Traditione ad ipsius S. Clementis tempora propagata fuerunt. Quidni enim S. Paulus Sybillinum testimonium usurpasse credendus sit, cùm & Græcos Poëtas citare consueverit, ut legimus Actorum 17. Hinc frequentes erant primitus Christiani in legendis libris Sybillinis ut exinde adversus Gentiles pro Christiana Religione testimonium usurparent: quapropter; ut author est Origenes lib. 5. contra Celsum, Gentiles ipsi Christianos, *Sybillistas*, nominare consueverant.

Plurimi Gentiles agnoverunt futurum esse Deum hominem.

Maximè Sybillæ.

Unde refert Justinus Martyr in orat. ad Antoninum Pium, operâ & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium adversus librorum Hydaspis, Sybillæ, aut Prophetarum labores constitutum fuisse, ut per timorem homines ab illis (quominùs scripta legentes, rerum bonarum notitiam perciperent, sed in servitute eorum retineantur) absterrerentur: quod quidem efficere & ad finem suum perducere nequiverunt. Inde factum est, ut refert Lactantius libro 4. cap. 15. quòd his testimoniis Gentiles victi, eò confugere solebant ut dicerent; illa quidem esse Carmina Sybillina, sed à nostris ficta atque composita: *Quod profectò non putârit*, inquit idem Lactantius, *qui Ciceronem, Varronemque legerit aliosque veteres, qui Erythream Sybillam cæterasque commemorant, ex quarum libris ista exempla proferimus; qui authores obierunt, antequam Christus secundùm carnem nasceretur.* Nec etiam ista ignoravit Virgilius, quippe ex iisdem Sybillinis Carminibus Eglogâ 4. quæ de Christo ex Virgine nasciturо prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonio Pollionis filio. Canit enim:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetuâ solvent formidine terras,
Ille Deûm vitam accipiet, &c.
Clara Deûm soboles, magnum Iovis incrementum, &c.

Sed ista de Verbi Incarnatione esse intelligenda Constantinus Imperator oratione ad sanctum cœtum egregiè adversus Gentes disputavit.

Inde constans apud Gentiles etiam percrebuerat persuasio, ut refert Suetonius in Vespasiano c. 14. *Esse in fatis, ut eo tempore Iudæa petiti rerum potirentur*, quod utique rerum ignarus Suetonius Vespasiano Augusto tribuendum esse putavit. His adde id quod refert S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 3. Invenitur, inquit, in historiis Romanorum, quòd Constantinopoli tempore Constantini & Helenæ matris ejus, inventum fuit quoddam sepulchrum; in quo jacebat homo laminam auream getens in pectore, in qua exaratum erat hoc vaticinium: "Christus nascitur ex Virgine, & ego credo in eum! O sol sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis: Igitur, ex his & similibus testimoniis constat Gentiles habuisse notitiam Incarnationis Verbi, ac proinde illud Mysterium naturalem hominis captum non transcendit.

Nego consequentiam: Quamquam enim hæc omnia in objectione narrata, vera esse non dubitem; inde tamen non liquet, hanc notitiam à Gentilibus fuisse comparatam solo naturæ ductu ac lumine; aliunde enim hæc accersiri potuit. *Primò* quidem traditione, quæ ab Adamo per Patriarchas ad Noë posteros potuit invalescere: nam Protoparenti nostro factam fuisse repromissionem incarnandi Verbi Divini reparatoris ac salvatoris hominum, nemini dubium est, quæ utique fœlici traditione ad ejus posteros invaluit.

Vnde nam istam notitiam hauserint.

Secundò; Ex dono Prophetiæ plurimis Gentilibus à Deo liberaliter concesso: qualiter S. Hieronymus libro 7. contra Jovinianum existimat Sybillas dono Prophetiæ fuisse illustres: *Quarum*, inquit, *insignis fuit Virginitas, & Virginitatis præmium divinatio*, unde concors est Christianorum sententia, ut refert Lactantius lib. 1. cap. 6. Sybillas divino instinctu plura vaticinatas esse de Mysteriis Christianæ Religionis, maximè verò de Incarnatione Filii Dei, ejusque præsertim passione.

Tertiò; Ex oraculis ipsorum dæmonum quibus hoc Mysterium ante eorum lapsum revelatum fuerat. Nam censet S. Bernardus dæmones idcircò corruisse & in Deum extitisse perduelles, quòd ipsis propositus Deus homo futurus, ut omnium caput & princeps, quibus omnes creaturæ ut superiori patere deberent, noluerint se se subjicere. Imò etiam post eorum lapsum hoc Mysterium dæmoni fuisse intimatum colligunt sacri Interpretes ex illis Genesis verbis, cap. 3. ubi Deus, diabolum Protoparentum exploratorem & expugnatorem sub larvata serpentis effigie sic affatur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

Adde quòd, ut supra diximus, dæmones utpote summa intelligendi virtute præditi potuerint omnia SS. Prophetarum de Christo venturo in Scripturis exarata vaticinia cognoscere, & suis sectatoribus intimare.

Denique, eam notitiam mutuare potuerunt Gentiles ex communicatione cum Hebræis; qui plurimis captivitatibus apud varias nationes dispersi, potuerunt eis denuntiare quæ in sacris suis ac vaticiniis habebant: cùm enim tota Hebræorum spes in Christo venturo, qui eorum omnes miserias solveret, totiusque mundi imperium teneret maximè esset reposita, idque suis in angustiis solatii potissimum haberent; mirum non est si hanc eximiam suam spem Gentilibus intimârint.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. *Divinâ revelatione suppositâ, Incarnatio potest naturaliter suaderi.*

SUppositâ fide ac revelatione divinâ, potest naturalis ratio illô divinô lumine illustrata, conjecturis, & exemplis Mysterium Incarnationis suadere. Patet hujus conclusionis veritas ex sanctis Patribus, qui variis exemplis & similitudinibus, Mysterium hoc infidelibus ac rudioribus, enisi sunt intimare. Idque maximè exemplô unionis animæ rationalis cum corpore, quô utique eleganter utitur sanctus Augustinus Epistolâ tertiâ quæ est ad Volusianum, ubi de hoc Mysterio loquens: » Sic autem, inquit, quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cum hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re quæ quotidiè fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.

1. Ex unione animæ cum corpore.

» In illa ergo persona, mixtura est animæ & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quamquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur: Ergo persona hominis, mixtura est animæ & corporis: persona autem Christi, mixtura est Dei & hominis. Cùm enim Verbum Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidiè fit ad procreandos homines: hoc semel factum est ad liberandos homines. Veruntamen duarum rerum incorporearum commixtio faciliùs credi debuit, quam unius incorporeæ, & alterius corporeæ. Nam si anima in suâ naturâ non fallitur, incorpoream se esse comprehendit, multò magis incorporeum est Verbum Dei, ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quam animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere jubemur. Si autem utrumque nobis pariter inexpertum credendum præciperetur, quid horum citiùs crederemus? quomodo non fateremur duo incorporea, quam unum corporeum, alterumque incorporeum faciliùs potuisse misceri, si tamen non indignè ad ista mixtionis vel mixturæ nomen admittitur, propter consuetudinem corporalium rerum, longè se habentium, aliterque notarum?

» Verbum igitur Dei idemque Dei Filius, Patri coæternus, eademque virtus & Sapientia Dei à superno fine creaturæ rationalis usque ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, & disponens omnia suaviter, præsens, & latens, nusquam conclusa, nusquam discissa, nusquam tumida: sed sine mole ubique tota, longè alio modo quodam, quàm eo quô creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque & illum fecit unum Jesum Christum, mediatorem Dei & hominum, æqualem Patri secundùm divinitatem, minorem Patre secundùm carnem, hoc est secundùm hominem, incommutabiliter immortalem secundùm æqualem Patri divinitatem, eundemque mutabilem atque mortalem secundùm cognitam nobis infirmitatem, in qua Christus eô tempore, quod opportunissimum ipse noverat, & ante sæcula disposuerat, venit hominibus magisterium & adjutorium, ad capessendam sempiternam salutem.

A Congruè etiam unio ista mirabilis explicatur per unionem accidentis cum subjecto, quâ usus est Doctor in 3. *dist. quæst.* 1. Ut autem hæc similitudo appareat, primò venit distinguenda duplex relatio accidentis ad subjectum. Prima est informationis ad informatum, seu perfectivi ad perfectibile: & hæc, inquit Poncius *ibidem*, dicit imperfectionem in subjecto, quia potentialitas & perfectibilitas in Deo non convenit nostro proposito. Secunda est relatio sustentati naturaliter posterioris ad prius sustentans, à quo dependet tanquam à termino puro, & hæc posterior nullam notat imperfectionem in subjecto; B quia dicit tantùm proprietates naturales in illo, & sustentationem accidentis, quod est nota perfectionis. Itaque sublatis imperfectionibus ab hac unione, simillima erit unioni hypostaticæ, & per consequens eam maximè intelligibilem reddet, propter multiplicem illius convenientiam. Prima est, Sicut subjectum sustentat accidens, & accidens à subjecto dependet, ita Verbum Divinum sustentat naturam humanam & hæc dependet ab ipso speciali motivo. Secunda: Sicut accidens & subjectum simul unita, unum quoddam suppositum efficiunt, ita in hac unione, licèt duæ sint naturæ, unicum tamen suppositum habent. Sed C tertia est: Sicut accidens advenit subjecto jam existenti, sic humanitas Verbo. Quarta: Sicut accidens non est de Essentia subjecti, sic nec humanitas de Essentia Verbi. Quinta: Sicut natura subjecti non confunditur, nec permiscetur cum natura accidentis, nec è converso; sed utrumque manet integrum & impermixtum, ita de natura divina & humana dicitur. Sexta tandem: Sicut proprietates accidentis & accidens ipsum in concreto communicantur subjecto, & de eo enuntiantur, & è converso; ita proprietates humanæ naturæ, & ipsa natura, communicantur Verbo Divino & de eo enuntiantur & è converso; ut videbi- D tur ubi de communicatione idiomatum agemus.

2. Ex unione accidentis cum subjecto.

Suadet etiam idipsum ratio. Constat namque ipso naturali lumine, Deum, utpotè bonorum omnium maximum, sui esse summè communicativum: ac subindè conveniens esse, ut communicet se penes id omne quod infinitâ suâ entitate continet; videlicet, secundùm entitatem, perfectionem & hypostasiam; igitur sicut suam entitatem communicaverat in ordine naturæ omnibus creaturis, quæ illius sunt infinitæ entitatis participationes, ac defluxiones quædam; maximè vero homini, qui est ejus divinæ entitatis E spirans ac verax imago: Sicut suas divinas præcellentias in sublimi sanctitate suâ velut adunatas & expressas, hominibus justis indiderat in statu gratiæ, ut eos constitueret suos filios adoptivos: Denique, sicut beatissimis mentibus felicitatem ac beatitudinem suam indiderat in ordine gloriæ: Ita pariter conveniens erat ejus summæ bonitati, ut sese alicui humanæ naturæ individuo communicaret hypostaticè ac personaliter, quatenus homo ad divinitatis ordinem posset sublimari.

3. Ex summa Dei bonitate & communicabilitate.

Dices. Si fide suppositâ possit intellectus humanus suâ naturali virtute, Mysterium hoc probabilibus rationibus suadere: igitur etiam absque ullo lumine fidei, idem intellectus poterit illis conjecturis & rationibus Mysterium hoc possibile aut futurum judicare.

Nego consequentiam. Plura namque potest intellectus fidei lumine illustratus investigare ad veritatem aliquam confirmandam, quàm posset

illis subsidiis destitutus: faciliùs enim probantur inventa & cognita, quàm inveniantur ignota.

Adde quòd hæ rationes ac conjecturæ, quibus nunc fide illustratus intellectus utitur, eâ fide seclusâ non sufficerent ad vincendam difficultatem & repugnantiam, quam lumen naturale patitur circa hoc mysterium; & ideo seclusâ fide non forent illæ rationes ac conjecturæ sufficientes ad ferendum judicium etiam probabile, quòd tale mysterium possibile sit aut futurum.

Sectio II.

De Convenientia Incarnationis Verbi.

QUamquam nobiscum haud difficulter conveniant infideles, unionem hypostaticam Dei cum homine nullis implicari contradictionibus; nec subindè impossibilem judicari: inde tamen non eis liquet hanc unionem convenientem fuisse; plurima namque possibilia sunt, quæ cùm minùs expediant, etiam nusquam futura sunt & à Deo producenda: quapropter stabilitâ ac sufficienter probatâ possibilitate hujus mysterii, jam aperiendæ sunt rationes quibus illud congruum ac decens æstimari potest. Quod utique præstabimus, tribus in sequentibus quæstionibus. Quarum 1. aperiet qualiter decens fuerit summéque congruum, ut Deus per assumptionem humanitatis hominem ex integro restitueret. 2. Quòd convenientius fuerit humanam naturam quàm Angelicam reparari. 3. denique, Quòd convenientius fuerit, Filium quàm Patrem vel Spiritum sanctum, hoc reparationis munus assumere.

I. Sectionis distributio.

Quæstio Prima.

An conveniens fuerit Deum Incarnari?

II. Duplex est convenientia: una intrinseca, altera extrinseca.

NOtandum 1. Duplicem distingui posse convenientiam. Unam quidem rei *Intrinsecam* secundùm quam aliquid dicitur esse conveniens, quatenùs à Deo ordinatur. Nam, inquit Apostolus ad Rom. 13. *Quæ sunt à Deo, ordinata sunt.* Alteram verò *Extrinsecam*, quæ consistit in quadam relatione seu habitudine ipsius rei ad illa quibus congruit. Cùm autem Incarnatio spectari possit per respectum, vel ad Deum authorem, vel ad naturam humanam ipsius terminum, vel ad universum orbem terrarum, totamque terrarum enciclopediam; idcirco de convenientiâ illius per respectum ad illa tria agendum est: an videlicet Incarnatio conveniens fuerit, tùm respectu Dei, tùm respectu hominis, tùm respectu cæterarum creaturarum.

III. Communicatio Dei alia est ad intra, alia verò ad extra.

Notandum 2. Quod cùm bonum quodlibet sui diffusivum sit ac communicativum; cùmque Deus bonorum omnium præstantissimum sit; etiam ipsi maximè convenit sui ipsius diffusio & communicatio. *Duplex* autem est Dei communicatio. Una quidem *ad intra*, vel per fœcunditatem luminis & cognitionis, quâ Pater æternus sese communicat Filio, *Qui Deus est de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero*: vel per fœcunditatem amoris, quâ Pater & Filius divino erga seipsos amore æstuantes, producunt Spiritum sanctum, qui Patris & Filii mutui amoris fructus est ac terminus. Altera verò communicatio est

A *ad extra*, quâ tres illæ adorandæ personæ sese creaturis communicant in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ & divinitatis. In ordine quidem naturæ, largiendo videlicet ipsis omnia bona naturalia eis connaturaliter debita ad earum integritatem & perfectionem. In ordine verò gratiæ, conferendo creaturæ rationali dona illa gratuita quibus ad ordinem & finem supernaturalem promoveri potest. In ordine gloriæ, omnes suæ divinitatis præcellentias ac delicias exhibendo purissimis ac beatissimis mentibus conspiciendas ac fruendas. Denique in ordine divinitatis, per unionem hypostaticam; per quam una ex illis adorandis personis se substantialiter communicat humanæ naturæ per propriam suam subsistentiam quâ fit
B ut Deus fiat homo & vicissim homo Deus, assumendo quippè corpus & animam in unitate personæ, fit ut in homine inhabitet tota plenitudo divinitatis corporaliter.

Notandum 3. Hanc postremam communicationem omnium esse præstantissimam ac maximam. Communicatio enim aliqua censeri potest alterâ major duobus modis: nimirùm vel *intensivè* vel *extensivè*. Dicitur equidem major priori modo, quando aliquid nobiliùs & perfectiùs communicatur: secundo verò, quando ad plura subjecta, vel supposita sese extendit: quâ ratione communicatio bonorum naturalium est major extensivè;
C communicatio verò bonorum supernaturalium major est intensivè: quippè supernaturalia bona naturalibus præcellunt. Communicatio autem quæ fit per Incarnationem, haud dubiè omnium communicationum est maxima, non solùm intensivè quia ipsa substantia increata Verbi quæ est infinitæ dignitatis & perfectionis, ac subindè omnia bona ordinis naturæ, gratiæ & gloriæ superat, sese communicat humanitati: sed etiam extensivè, cùm non solùm ad hominem & Angelorum, sed etiam ad cæterarum creaturarum decus & ornamentum conferat ut patebit, in sequentibus Conclusionibus.

IV. Communicatio potest esse alterâ major tùm intensivè, tùm extensivè.

D

Conclusio Prima.

INcarnatio Verbi maximè fuit conveniens Deo.

V. Incarnatio Verbi extitit Deo conveniens

Probatur. Illud maximè Deo congruit quod confert ad manifestandas ejus divinas præcellentias: at per Incarnationem maximè elucent Dei perfectiones ac præcellentiæ: igitur illa Deo fuit convenientissima. Major constat. Conveniens est enim Deo, ut per visibiles effectus invisibiles suas perfectiones demonstret. Ad hoc quippè universum condidit, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerentur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, inquit sanctus Paulus ad Rom. 1. Minor vero probatur. Quam-
E quàm innumeræ sint divinæ præcellentiæ & divinæ dotes; maximè tamen per respectum ad Deum & creaturas, præ cæteris fulgent, Bonitas, Omnipotentia, Sapientia, Justitia, & Misericordia. Bonitas, inquam, quâ vult se-ipsum eis communicare & sui esse participationem largiri: Potentia, quâ idipsum præstat & exequitur: Sapientia, quâ creaturas debitò ac decenti ordine librat, ordinat & statuit, ac convenientem in finem dirigit: Justitia, quâ cuique quod perfectioni congruit distribuit: Misericordia denique, quâ rationalis creaturæ deffectus supplet & reficit: atqui omnes illæ quinque divinæ perfectiones maximè relucent in Mysterio Incarnationis.

VI. Inter infinitas propemodum Dei præcellentias quinque in Mysterio Incarnationis elucescunt.

Primò quidem divina *Bonitas* in illo mysterio Divina bonitas;

summè refulget: Verbum quippè divinum suam personam largiendo humanitati, largitur pariter ipsam divinitatem, & omnes suas divinas præcellentias velut in hominem effundit. Hinc divina illa communicatio dicitur divini erga homines amoris meta; unde Christus ipse ex hoc ineffabili Mysterio, Dei bonitatem & charitatem erga homines maximè commendat, dicens Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*: eumque amorem, ita summum & excellentem censet Apostolus, ut superexcellentem ac nimium appellare non erubuerit ad Ephes. 2. dicens, *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ estis salvati) & conresuscitavit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu; ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Hinc idem Apostolus ad Rom. 8. divinum illam erga nos bonitatem commendans, ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Quapropter ad Titum 3. ait. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Quæ sic expendit S. Bernardus, Serm. 1. de Nativit. Domini. Apparuerat, *inquit*, ante potentia in rerum creatione: apparebat sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas; in signis atque portentis; unde & in Lege sæpiùs invenies: Ego Dominus, ego Deus; Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, quod notum est Dei manifestum est in illis. Veruntamen & Judæi potestate ipsa premebantur, & Philosophi scrutatores majestatis opprimebantur à gloria. Potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari: nam majestatem, potestatem, sapientiam, nec imitari possumus, nec expedit æmulari.

Divina Omnipotentia.

Omnipotentia similiter mirum in modum in Incarnationis Mysterio relucet; unde Propheta Jeremias 31. ut præstantissimum hoc opus commendaret, novum appellat. *Novum*, inquit, *creavit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Quæ verba sic expendit sanctus Bernardus Hom. 2. super Missus est: *Vir*, inquit, *erat Iesus, nedum etiam natus, sapientiâ, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum.* Et paulò ante: *In hoc novo & inaudito prodigio agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plena. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.*

Quapropter Incarnatio propter sui excellentiam *Opus Dei* dicitur Abacuc 3. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud*: & beatissima Virgo in suo Cantico dicit illud esse opus omnipotentis brachii Dei: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quam utique veritatem sanctus Bernardus Sermone 3. in Vigilia natalis Domini sic commendat: Tria, inquit opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas, in assumptione nostræ carnis; ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint ampliùs super terram. Conjuncta quippe sunt adinvicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. *Primam autem illam commixtionem sic commendat*: Voluit, *inquit*, infirmiora nostra abundantiore gloriâ sublimare, & contraxit se majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret; ut in persona una sibi invicem unirentur Deus & limus, majestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta; nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili Sacramento. Et attende quia sicut in illa singularitate Trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commixtione, Trinitas est in substantia, in personis unitas: & sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita & hîc persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia & super omnia opera sua. Verbum enim & anima & caro in unam convenêre personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ; hæc est prima & super excellens mixtura, & hæc prima inter tres.

VI. Incarnatio novam mirabilem Trinitatē exhibet.

Divina Sapientia.

Celebratur pariter divina *Sapientia*, maximè in modo conciliandæ divinæ Justitiæ cum sua misericordia. Nam inquit sanctus Augustinus libro *Cur, quando, & quomodo Deus, &c. cap. 6.* Deus ab homine justè exigerat, quatenus qui per peccatum offenderat, per justitiam satisfaceret. Ad hoc autem diversitas naturarum & personæ unitas in Christo valuit, & humano generi necessaria fuit, ut quod non posset humanitas, divina faceret natura, & si quid minimè conveniret naturæ humanæ, exhiberet: & non alius atque alius, sed idem ipse esset qui ex utroque perfectus existens, per humanam solveret quod ipse debebat, & per divinam posset quod expediebat. Debitum Adæ tantum erat, ut illud non deberet solvere nisi homo, sed non posset nisi Deus: ita opus erat ut idem esset homo qui erat Deus. Quapropter necesse fuit in personæ unitate ut Deus hominem assumeret, quatenus homo qui in natura debebat solvere, & non poterat, in persona esset qui posset, quia satisfactionem pro peccato non poterat solvere nisi Deus, sed non debebat nisi homo: ergo constet ut de hominibus fiat illa superna civitatis restauratio (quod fieri nequiret, nisi fuisset prædicta pro peccatis satisfactio quam nequibat facere nisi Deus, nec debebat nisi homo) necesse fuisse ut eam faceret Deus homo. Quam utique rationem luculenter expendit S. Leo Sermone 1. de Nativit. inter cætera dicens: *Salva utriusque proprietate substantia & in unam coëunte personam, suscipitur à virtute infirmitas, à majestate humilitas, ab æternitate mortalitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno & resurgere posset ex alio.*

Elucet etiam in eo maximè, quòd humani generis adversarium, qui Protoparentes cum universa propagine reos constituerat, per hominem Deum vicerit ac superaverit. Nam, inquit Hugo Victorinus, l. 1. de Sacr. p. 8. cap. 6. *Qui astutiâ vicerat, justum fuit ut non fortitudine: sed prudentiâ vinceretur, ut in eodem quo se victor erexerat, victus sterneretur; juxta illud* Job 26. *Et prudentia ejus percussit superbum.* Quam utique rationem sic expendit. S. Augustinus libro *Cur, quando, & quomodo Deus, &c.* c. 6. Subtiliter subtilem inimicum Deus voluit expugnare, & quasi sub esca humanitatis hamum celavit deitatis, quatenus ille qui omnem carnem subegerat, talem inveniret qui sibi nihil deberet: quam dum illicitè B contingeret, meritò eam quam quodammodo possidebat amitteret: sic quippe serpens antiquus deludendus erat; ut qui homines deluserat, per hominem Deum delusus & ipse fieret. Et sicut incautum hominem sibi callidè subjecerat; ita per hominem divinitùs cautum, non callidè, sed sapienter subjiceretur. Hæc summa reverà videtur sapientia, quando illud hosti præponitur quod priùs ab hoste dejicitur: & quasi quod ceciderat vires resumeret, & expugnatus ab hoste, iterum adversùs hostem pugnare præsumeret. Provocatur itaque ad pugnam iterum hostis, ut qui priùs se vicisse gaudebat; postmodùm victus ex C toto succumberet, & sic homo valdè gloriosior à sui resumptione fieret, quàm si eum nunquam cadere contigisset. Ei concinit S. Leo dicens: *Secundùm plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam Authori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus, per ipsam quam vicerat ipse vinceretur: in quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste non in sua Majestate, sed in nostra congreditur humilitate: objiciens ei eandem formam, eandemque naturam; mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.* Hinc canit Ecclesia. *Opus nostræ salutis* D *ordo depoposcerat: multiformis proditoris ars ut artem falleret, & medelam ferret inde hostis unde læserat.*

Denique divina maximè excellit sapientia, eò quòd Mysterium hoc maximè conferat ad gloriam Dei stabiliendam, imò & augendam. Nam, inquit sanctus Bernardus, Serm. 2. de Ascensione. *Christus cùm per naturam divinitatis non haberet quò cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret invenit: veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum.* Quapropter S. Gregorius Nyss. orat. Catech. cap. 24. appellat illum Verbi Divini descensum, redundantem copiam potestatis: *Ad id autem*, inquit, *quod abjectum descensus, est quædam insignis & redundans copia potestatis.* E Cui quadrat illud Psalmi: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Unde S. Gregorius, Homil. 27. in Evangelia, *Super occasum Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit: super occasum videlicet ascendit; quia mortem quam pertulit, resurgendo calcavit.*

Divina justitia.

Eximiè pariter divina *Justitia* hoc in adorando Mysterio effulget: quippe per Christi Domini passionem & mortem, condignam pro delictis & offensis hominum satisfactionem excepit: utpote cùm Deus-homo sese æterno Patri non solùm victimam & expiationem in ara crucis obtulerit, sed etiam seipsum velut scopum ad sa- A gittam & ad severissimam divinæ justitiæ ultionem exposuerit. Hinc S. Paulus ad Rom. 3. præclarissimè Christi Domini satisfactionem & redemptionem expendens, ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ; propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei.* Commendatur etiam divina Justitia ex eo maximè quod suam in vindicandis delictis rigidam & exactam severitatem in Christi Passione & Morte exhibuerit. Si enim tam severè Pater æternus in amantissimum suum Filium, qui se pro hominum peccatis vadem constituerat, quique duntaxat induerat similitudinem carnis peccati, animadvertit; quid non terroris & formidinis inesse debet singulis peccatoribus tot ac tantis criminibus obstrictis, dum judicandi ac plectendi divinæ illi justitiæ sistentur? Nam, inquit ipsemet Salvator Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Denique divinæ justitiæ acerbitas apparet in illo infinito pretio quod pro nostra redemptione sibi pendendum voluit. Nam, inquit S. Petrus 1. epist. cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.*

Divina misericordia.

Denique divina Misericordia maximè in hoc C Mysterio effulget. Quamquam enim Deo proprium sit misereri semper & parcere, & universæ viæ Domini sint misericordia & veritas, quâ sustinet in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostendat divitias gloriæ suæ; non tamen ita enituit divina illa misericordia ante ac post Incarnationem: siquidem ad completam perfectamque misericordiam duo maximè desiderantur actus; nempe repellere miseriam alterius, & illius misereri quasi propriis affici: *misericors* enim dicitur quasi habens *miserum cor*, quia scilicet afficitur miseriâ alterius, ac si esset propria ipsius miseria. Primus quidem ex illis actibus Deo conveniebat ratione bonitatis & in- D finitæ virtutis; secundus verò ab eo maximè erat alienus; utpote cùm sit immutabilis & infinitâ ac invariabili fœlicitate fruatur. Quapropter ut omnibus numeris absoluta foret divina misericordia, oportuit Deum hominem fieri ut posset compati infirmitatibus nostris, vel ut loquitur Apostolus ad Hebræos 2. Per omnia debuit fratribus assimilari ut misericors fieret. Hinc cap. 4. ait, Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Effulget etiam ipsa divina misericordia in eo maximè, quòd Dei Filius mortale corpus assumpserit & mortem ipsam passus fuerit, ut nos a morte liberaret. E Hinc Apostolus ad Rom. 5. Commendat charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Commendat, inquam, nam ait S. Anselm. lib. 2. cur Deus homo: Quid misericordius intelligi valet, quàm quòd peccatori æternis pœnis deputato, & unde se redimeret non habenti, Deus Pater dicit, Accipe unigenitum meum & da pro te: ipse Filius, Tolle me, & redime te. Quam utique exuberantem in nos divinam misericordiam eleganter sic expendit S. Bernardus Serm. 3. de Nativitate Domini. Ludebam ego foris in platea, inquit, & in regali secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito

» diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput,
» nudus pedes, flens & ejulans quòd morte damnatus
» esset servulus ejus..... Utique ex consi-
» deratione remedii, periculi mei æstimo quanti-
» tatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce
» mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, &
» jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso san-
» guinis balsamo medeatur. Agnosce ô homo,
» quam gravia sunt vulnera pro quibus necesse est
» Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc
» ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam
» pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet
» itaque dilectissimi, propriam negligenter dissimu-
» lare passionem cui tantam a Majestate tanta ex-
» hiberi video compassionem.

Dices. Quidquid dedecet summam Dei majestatem, non potest judicari conveniens & expediens: sed carnem assumere, dedecet summam Dei majestatem: ergo, &c.

Respondet seraphicus Doctor, distinguendo majorem. Quidquid dedecet Dei majestatem, tam ratione sui quam ratione sibi uniti, non convenit nec expedit, concedit: ratione duntaxat uniti negat. Dedecet quidem Dei majestatem secundùm se humiliari, quia cùm divinitas sit omnino invariabilis, secundùm se nec exaltationis, nec humiliationis est capax. Ratione autem sibi uniti, potest humiliari ad majorem manifestationem suæ altitudinis: in hoc enim quòd Deus carnem humilem & infirmam assumpsit, fortissimum adversarium confregit, hominem infirmum stabilivit; & ideo etsi Incarnationis opus in se non videatur conducere ad divinæ majestatis honorem; maximè tamen ad id conducit considerando finem & effectum ad quem ordinatur: quippe summa Deo gloria est, quod infirma mundi elegerit ut confundat fortia, & humiles exaltet.

VII. Deum humiliari dedecet ratione sui; non verò ratione sibi uniti.

Dices secundò. Sicut vituperabilis est nimia elatio, ita vituperanda est dejectio nimia: sed quemadmodum elatio fuit nimia quando creatura appetiit esse Deus; ita dejectio est nimia; quod Deus fiat homo, qui est creatura; ergo sicut ista elatio est vituperanda, sic & vituperanda appareret dejectio quâ Deus fieret homo: at nihil vituperandum judicari potest convenire Deo: igitur, &c.

Respondet idem seraphicus Doctor, non esse paritatem: tùm quia divina natura non fuit humiliata aliquâ dejectione sui, siquidem Verbum Divinum humana suscipiens divina non amisit: cùm autem creatura appetiit esse Deus, inflata fuit aliquâ elatione, qua ultra naturalem suam sortem suumque statum efferri optabat, & ideò ex ista parte, illa nimietas & redundantia elationis vergebat in vitium; tùm quia exinanitio quæ facta fuit in assumptione humanitatis, procedebat ab excessu amoris & charitatis: elatio verò quâ voluit homo Deo assimilari, fuit ab excessu præsumptionis: Constat autem præsumptionem omnem esse vituperandam, non ita dilectionem & charitatem: & subinde exinanitio Christi non fuit vituperabilis, sed laudabilis, sicut vituperabilis fuit elatio primi parentis.

VIII. Damnanda fuit divinitatis ab homine appetitio: at laudanda humanitatis à Deo susceptio.

Dices tertio. Deo fit injuria cùm existimatur eum habere creatam aliquam effigiem. *Non enim*, inquit sanctus Paulus Act. 17. *debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidis sculpturæ artis & cogitationis hominis divinum esse simile*: Igitur maxima Deo fieret injuria, si humana effigies ipsi tribueretur: hæc autem ei tribuenda esset, si revera esset homo: ergo, &c.

Respondet idem seraphicus Doctor, verum esse antecedens, quando quis credit Deum reverà secundùm suam deitatem habere corpoream aliquam effigiem, sicut existimabant Gentiles idololatræ: secus verò quando existimat Deum non habere quidem in se creatam aliquam effigiem, sed duntaxat ratione humanitatis assumptæ, ut fit per Mysterium Incarnationis.

Dices quartò. Illud magis cedit in Dei gloriam, quod solam ejus misericordiam illustriùs commendat. Nam, ut ait S. Jacob. 2. *Misericordia superexaltat judicium*: & testatur Ecclesia Dominicâ 10. post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*: Sed longè major fuisset misericordia gratis relaxando homini debitum, quam satisfactionem exigendo: igitur convenientius fuisset Deo gratis condonare hominum offensam, quàm satisfactionem per Filii sui Incarnationem pro illa exigere.

Nego majorem. Perfectius est enim opus in quo cum summa misericordia elucet etiam summa justitia, quàm in quo sola misericordia maximè commendatur; quia *universæ viæ Domini misericordia & veritas*: cùm ipse sit summè justus & misericors: Et ideò, inquit seraphicus Doctor, in reparatione generis humani, quæ est excellentissima viarum Domini, congruum est ut simul currant misericordia & justitia, & ideò decens fuit ut Deus exigeret satisfactionem pro injuria sibi facta: quam si homo non posset impendere, tunc misericordia daret Mediatorem qui debitum solveret: nam si Deus culpam non dimisisset, sed solam exercuisset vindictam, non appareret misericordia: si verò non exegisset satisfactionem, non manifestaretur justitia: igitur congruum fuit ut ex misericordia præberetur Mediator qui debitum ex justitia solveret, sic enim *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.*

IX. Præstantius est debitum per satisfactionem exolui, quàm gratis condonari.

Dices quintò. Injustum videtur punire innocentem pro noxiis: at id fit in Mysterio Incarnationis: Igitur illud divinæ justitiæ non congruit.

Distinguo majorem. Si illud fiat per modum punitionis & vindictæ, concedo: si fiat per modum satisfactionis & reparationis, nego. Quamvis enim in puniendo peccato oporteat illum plecti qui peccavit, tamen in satisfaciendo unus ferre potest pœnam pro altero; in vindicta enim attenditur peccantis iniquitas; in satisfactione verò pro alio spectatur satisfacientis charitas.

Dices sextò. Quidquid officit divinæ æquitati, Deum dedecet: at pugnat in divinam æquitatem quòd vita Filii Dei, quæ pretiosissima est, exponatur profundenda pro re vilissima, qualis est hominum peccatorum redemptio: igitur, &c.

Nego minorem. Tùm quia Christus non sese subjecit morti ut ab illa absorberetur, sed ut devictâ morte resurgeret immortalis: tùm quia salus hominis est tantum effectus mortis Christi, non autem illius finis: tùm quia & Christi & hominum vita ordinatur ad Dei gloriam, quæ excellentior est vitâ Christi.

CONCLUSIO SECUNDA.

INcarnatio Verbi convenientissima est humanæ naturæ.

X. Incarnatio Verbi convenientissima fuit humanæ naturæ.

Probatur. Illud maximè convenit humanæ naturæ, quod eximiè conducit ut revocetur à malo & promoveatur ad bonum: at Incarnatio utrique maximè deservit. Primò quidem ut homo revocetur à malo, nam omnis mali fons & origo

vel est à diabolo instigante, vel à carne alliciente, vel à spiritu superbiente: at triplex hic totius prævaricationis fons & radix per Incarnationem adimitur & rescinditur. Siquidem per eam exauthoratus est diabolus; nam *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolveret opera diaboli; & princeps mundi ejiceretur foras*, ait Christus; Deus & ait Apostolus ad Collos. 1. *eruit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum:* Quippe, ut addit S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 15. *In hac redemptione tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi; quô acceptô diabolus non est ditatus, sed ligatus, ut nos abejus nexibus solveremur.* Addit cap. 17. per hoc mysterium fractam fuisse dæmonum superbiam & erectam hominum abjectionem. *Demonstratum est homini*, inquit, *quem locum haberet in rebus quas condidit Deus: quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona; ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima & carne; ut superbi illi maligni spiritus, qui se ad decipiendum quasi ad adjuvandum medios interponunt, non ideo se audeant homini præponere quia non habent carnem: & maximè quia & mori in eadem carne dignatus est Filius Dei, ne ideo illi tanquam Deos se coli persuadeant, quia videntur esse immortales.*

1 Ut Diabolus expugnaretur.

Similiter caro sua origine vitiata per assumptionem & unionem cum Verbo sanata ac consecrata est. Cùm enim in Christo inhabitaret tota plenitudo divinitatis corporaliter, ait Apostolus, inde factum est, ut corpora nostra facta fuerint membra Christi & templa Spiritûs sancti; quapropter illa caro quæ erat incentiva ad peccatum, facta est fomes salutis & justitiæ: nam, inquit Tertullianus lib. de Resurrectione carnis cap. 8. *Caro salutis cardo; caro enim abluitur ut anima emaculetur: caro signatur ut anima illuminetur: caro manûs impositione adumbratur, ut anima consecretur: caro corpore & sanguine Domini vescitur, ut anima de Deo saginetur.*

2. Ut caro vitiosa sanaretur.

Tandem mentis elatio & superbia frangitur; nam, inquit S. Aug. supra, *Superbia hominis, quæ maximè impedimento est, ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui potest atque sanari: discatque homo quàm longè recesserit à Deo, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominibus ut Deus divinitate subvenit, ut homo infirmitate convenit.* Hinc S. Bernardus Serm. 3. de Nativit. Christi, ait, *Quid magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi se exinanivit Majestas, vermiculus infletur & intumescat.*

3. Ut animi superbia frangeretur.

Secundò: Hoc mysterium etiam maximè conducit ut homo promoveatur ad bonum. Primò namque summè erigitur humana natura; nam, inquit S. August. libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei & hominis simul: Filius hominis propter susceptum hominem; & Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum veraciter & propriè diceretur, ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa subjectio, ut quò attolleretur altiùs non haberet, sicut pro nobis ipsa divinitas quò usque se deponeret humiliùs non habuit, quàm susceptâ naturâ hominis cum infirmitate carnis usque ad mortem crucis.* Unde non mirum si Angeli, qui ante divinam illam humanæ naturæ sublimationem, patiebantur se ab hominibus adorari, ut eos adoraverunt Abraham & Loth, *Genes.* 18. & 19. talem honorem eis ab homine impendi postmodum tenuerint; nam S. Joannes Evangelista cùm Angelum, qui sibi loquebatur, adorare voluisset, eum illicò, dicentem audivit Apocalypsis 19. *Vide ne feceris, conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium nomen Jesu.* Hinc præclarè monet S. Leo Serm. 1. de Nativ. *Agnosce Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire*, &c.

4 Ut homo dejectus sublimaretur.

Tertiò: Per Incarnationem habuit homo præstantissimum exemplar omnium prorsus virtutum, quô priùs carebat. Nam, ut ait S. August. Serm. 52. de Diversis, *Homo sequendus non erat qui videri poterat, Deus sequendus erat qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Exemplar enim, ut omnibus numeris constet, debet esse simul rectum & sensibile. Rectus quidem erat Deus ratione sanctitatis; at invisibilis ratione infinitæ Majestatis: homo verò qui visibilis erat, propter multos defectus quibus inquinabatur, à recta virtutis regula deflectebat: quapropter necessum fuit inter utrumque intercedere unionem, ut inde perfectum virtutis exemplar homini tribueretur. Quapropter Christus etiam monebat Joan. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Etenim qui invisibilis erat in Majestate divinitatis, visibilem se præbuit in infirmitate humanitatis, ut egregiè loquitur Paulus 1. ad Timoth. 3. ubi Incarnationem appellat, *Magnum pietatis Sacramentum quod manifestatum est in carne.* Nam omnes Christi actiones revera Dei hominis actus erant, seu ut loquitur S. Ambros. *Dominicæ carnis actus, divinitatis exemplum est, & invisibilia nobis ejus per ea quæ sunt visibilia demonstrantur.* Hinc seipsum nominat Joan. 14. viam, veritatem, & vitam, *Via quidem in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio*, ait S. Bernardus Serm. 2. de Ascens.

5. Ut ad virtutem promoveretur.

Quartò: Convenientissimum fuit Deum incarnari ut homo perfectè beatus fieret, *Propterea enim Deus homo factus est* (inquit Author libri de Spiritu & anima cap. 9. apud S. Augustinum) *ut totum hominem in se beatificaret & tota conversio hominis esset ad ipsum, & tota dilatio hominis esset in ipsum, cum ascensu carnis videretur per carnem, & ascensu mentis videretur per divinitatis contemplationem.* Unde Beatorum quisque cum Job dicere potest cap. 19. *In carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt*, aut cum regio Vate, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

6. Ut completè beatus fieret.

Denique ad hoc maximè conduxit Verbi divini Incarnatio, ut haberemus quidquid nobis opus est tùm ad corporis, tùm ad animæ sanitatem. Nam ut præclarè ait S. Bernardus Sermone 3. de Circuncisione, *Totus mihi datus, totus in meos usus expensus est.* Etenim addit Sermone 24. de Passione, *Quid quæris quod in illo non invenias? si ægrotus es, medicus est: si exulas, dux est: si impugnaris, pugil est: si sitis, potus: si alges vestimentum est: si tristaris, gaudium est: si obtenebraris, lux est: si orphanus es, Pater est.* Unò verbô, ut ait Ambrosius libro 3. de Virginibus, *Omnia nobis Christus est, & omnia nobis donavit.*

7. Ut omnibus bonis ditesceret.

His adde, quòd per Incarnationem, hominis fides maximè illustratur, spes firmatur, charitas accenditur. FIDES, inquam, illustratur; nam, inquit sanctus Augustinus l. 11. de Civit. c. 2. *Vt mens in fide fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei Filius, homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit ac fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum.* SPES etiam erigitur ac firmatur; nam, inquit idem sanctus Augustinus lib. 13. de Civit. cap. 10. *Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quā ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus quantùmque diligeret?* Denique CHARITAS mirum in modum accenditur; nam, inquir sanctus Augustinus lib. de catechisandis Rudibus cap. 4. *Quæ major est causa adventùs Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et infra, *Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.*

Dices primò. Inconveniens videtur quòd per tantùm pretium, qualis est Christus, tam pauci homines salventur: convenientiúsque videtur quòd Deus usurpasset aliud medium quò omnes homines salvarentur: igitur Incarnatio Verbi non fuit naturæ humanæ maximè conveniens.

Respondeo primò, tantam esse cujusque electi salutem, ut illam proprii Filii dispendiò operari non indignum judicaverit Deus: unde licèt pauci salutem consequantur, non propterea id divinæ sapientiæ incongruum judicari debet.

Adde, quòd si omnes homines fuissent salvati, id minùs vergeret in Dei gloriam; siquidem non ita perfectè nobis exhibuisset Justitiam & Misericordiam suam: unde sanctus Augustinus Epist. 105. *Si utrique liberarentur, lateret quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur?*

Respondeo secundò, defectum salutis reproborum non esse refundendum in ipsam Incarnationem, sed in perversam hominum voluntatem: siquidem Christi Incarnatio fuit medium sufficientissimum ad omnium hominum salutem; quippe Christus Dominus est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: est etiam mediator Dei & hominum qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.

Dices secundò. Modus ille reparandæ humanæ naturæ est convenientior, ratione cujus ipsa magis Deo obstringitur & ampliores debet grates: at magis esset obstricta Deo si ei gratis suam offensam condonasset; majores enim debet gratias is cui Judex gratis condonat, quàm ille à quo satisfactionem exigit. Ergo, &c.

Nego minorem, & ad probationem dico, rationem disparitatis esse, quòd Deus satisfactionem à nobis exigendo, dederit nobis proprium suum Filium, qui pro nobis satisfaceret gratiasque uberrimas promereretur & largiretur; quibus etiam nos pro nostro modulo eum illo adorando Redemptore satisfacere possemus. Magis autem honorificum videtur posse proprium debitum solvere, quàm illius relaxationem soli clementiæ judicis assignare.

CONCLUSIO TERTIA.

Conveniens etiam fuit Incarnatio Verbi toti Universo.

VII. *Primò:* Namque quoquot sunt in universo creaturæ sublimitatis aliquid sortitæ sunt in ipsa hominis ad divinum consortium promotione: cùm enim homo sit microcosmos, totiúsque universi nomenclatura, illius dignitas & excellentia in alias creaturas exundat. Hinc Apostolus ad Ephes. 1. ait, *Proposuit* (videlicet Pater æternus) *in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.* Incarnatio Verbi conveniens fuit toti universo.

Deinde, summa totius universi perfectio fuit, quòd in eo esset maximus & perfectissimus gradus entis, qui Deum simul & craturam sociaret; quò enim præstantiores sunt & plures entis gradus in toto mundo; etiam præstantior ac perfectior censetur: id autem concessum est per mysterium Incarnationis in quo habemus Deum & hominem in una persona subsistentem.

Denique, conveniens erat omnes rerum differentias in universo reperiri, itaut sicut in nobis est unica natura in unica persona, & in Deo unica natura in pluribus personis: ita pariter essent plures naturæ in unica persona; quod utique factum est per Incarnationem, tres namque naturæ, videlicet Divina, Spiritalis, & Corporea, in una Christi persona sociantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

An convenientius fuerit naturam humanam quàm Angelicam aut aliam à Verbo assumi?

Notandum 1. ex nostro Alensi 3. *parte*, *quæstione* 1. *membro* 6. quòd longè major & multiplex videtur similitudo hominis ad Deum quàm sit in Angelo. Siquidem in hominis anima relucet Dei effigies in natura, in persona, in potentia: *In natura* quidem, quia inquit sanctus Augustinus Sermone 27. qui est *de imagine*, sicut Deus ubique totus est, omnia vivificans, movens, & gubernans: ita anima ubique in suo corpore tota viget, movet, & gubernat, quod non convenit Angelo, quia non est substantia ordinata ad vivificandum corpus. Insuper in homine est similitudo secundùm *rationem personæ*, quia homo procedit ab homine, sicut una persona in divinis procedit ab alia: Angelus autē unus non procedit ab alio: *Denique* est similitudo in potentia, quia in homine est potentia respondens totalitati exemplari: cùm enim in divino exemplari sit eminenter ratio entis corporei & spiritualis, utramque hanc rationem anima sortitur, quippè ordinatur ad actiones spirituales & corporeas; quod Angelus habere nequit, cùm enim simpliciter spiritualis sit, non ordinatur ex natura sua ad actiones corporeas, ex quibus homo videtur majorem affinitatem habere ad Deum quàm Angelus. I. Homo majorem similitudinem habet cum Deo quam Angelus.

Notandum 2. Reverà naturam Angelicam & humanam, (maximè si Angeli perduelles spectes) indignam fuisse quæ divinitati uniretur: Angeli namque non minùs; imò graviùs divinam provocaverunt animadversionem & vindictam quàm homines: siquidem tam Angelus prævaricator quàm homo, divinitatem ambiit; ille quidem supremam Dei majestatem ac potestatem æmulando, juxta illud Isaiæ 14. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, &c.* Alter verò divinam sapientiam à serpente sibi repromissam consectatus est Genesis 3. Unde summa fuit Dei misericordia eaque pura, quòd homines potius quàm Angelos II. Natura tùm Angelica tùm humana ex se indigna erat, quæ divinitati uniretur.

redimendos susceperit Deus: quia tamen nihil absque ratione ejus divina sapientia molitur, hinc quærimus quænam sint illæ rationes quæ veluti tot incentiva divini erga homines amoris extiterunt, ut eos potiùs quàm Angelos ab æterna miseria relevaret.

III. *Deus potuit incarnari variis modis.*

Notandum tertiò, Deum potuisse hominem fieri variis modis; nimirum vel creando sibi corpus & animam, & utrumque assumendo independenter ab ullo creaturæ commercio nec ducendo ex Matre originem ac Nativitatem: vel si Matrem habere voluisset in terris, sicut & Patrem in cœlis, potuit illam formare extra Adami lineam & propagationem; ita quòd per solam ejus extraordinariam potentiam formata, nec ab hominibus genita, non esset censenda ex Adami posteris, nec ullatenus ad illius prosapiam spectaret. An autem alteruter ex his modis convenientior fuerit quàm is quô de facto Verbum Divinum carnem assumpsit, determinandum est in præsenti quæstione duabus conclusionibus absolvendâ: quarum *Prima* aperiet convenientius fuisse Deo, quòd naturam humanam assumeret & repararet, quàm Angelicam. *Secunda*, quòd magis expediebat naturam assumere ab Adamo propagatam quàm aliunde formatam.

Conclusio Prima.

IV. *Natura humana debuit potiùs reparari, quàm Angelica.*

Convenientius fuit assumere & reparare humanam naturam quàm Angelicam. Quod equidem satis superque probat ipsa Dei operatio, quippe divina ejus sapientia quæ omnia librat & operatur in pondere, numero & mensura, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, inquit sanctus Paulus ad Hebræos 2. Ratio autem hujus majoris convenientiæ peti potest tùm ex parte constitutionis ipsius naturæ humanæ, tùm ex parte majoris capacitatis illius ad reparationem. *Ex parte quidem illius constitutionis*, idque triplici de causa quam assignat & expendit seraphicus Doctor *in 3. distinct. 2. quæst. 2.*

Idque variis de causis quas egregiè expendit Doctor seraphicus.

quarum prima petitur ex *ratione originis*, & propagationis unius hominis ab alio; cùm enim unus homo ab altero ducat originem, quod Angelo non convenit, ideò magis decebat quòd persona Filii, quæ distinguitur à persona patris secundùm originem, eam naturam acciperet, in qua proprietas filiationis resideret. Quod utique factum est in humanæ naturæ assumptione: nam idem ipse qui ab æterno erat Patris Filius, ex tempore factus est Filius Virginis Matris. *Secunda ratio* est; propter majorem hominis cum Deo similitudinem ratione ipsius animæ rationalis, quæ, ut diximus in primo notabili, Dei immensitatem velut æmulatur, cùm tota sit indivisim in toto suo corpore, sicut Deus totus est in singulis mundi partibus. Hinc, inquit seraphicus Doctor, anima rationalis non tantùm repræsentat Deum prout consideratur in se, sed inquantum unitur corpori quod regit, & in quo inhabitat, sicut Deus cœlum & terram implet. *Tertia denique ratio* majoris congruitatis, petitur à multiplici hominis compositione; quia enim homo compositus est ex natura corporali & spirituali & quodammodo est omnis creatura: habet enim esse cum Elementis & rebus inanimatis, vivere cum plantis, sentire cùm animalibus, intelligere cum Angelis: hinc est quod cùm humana natura sumitur & deificatur, quodammodo omnis natura in ea sublimatur, dum in parte sibi

A simili deitati hypostaticè unitur: unde assumptio humanæ naturæ longè meliùs confert ad universi perfectionem quam conferre potuisset Angelica si fuisset assumpta.

Patet etiam major illa convenientia, *ex parte reparationis*, idque tribus de causis. *Primò*, quidem quia natura humana magis indigebat reparatione: *Secundò*, quia minùs ea indigna erat; *Tertiò*, quia reparatio magis erat profutura hominibus quàm Angelis prævaricatoribus. Magis quidem *indigebat reparatione* humana natura quàm Angelica, nam ait Alensis *quæst. 1. membro 2.* in primo homine erat tota natura humana; B idcirco ipso peccante & deperdito, universa pariter ejus propago periit: secus est autem de Angelis perduellibus, quoniam nullus eorum totam naturam Angelicam comprehendebat, sed eorum peccata personalia fuerunt, nec propter perduelles Angelos cadentes tota periit Angelica natura; siquidem plurimi fideles & Deo obsequentes perstiterunt; adeoque non erat ita opus eis remedio ac reparatione: secus humanitati, quæ per unius hominis delictum universa corrupta fuerat & deperdita; non decebat autem divinam misericordiam & summam Dei bonitatem, ut naturam rationalem sibi maximè affinem & simi- C lem, æterno interitui ac perpetuæ damnationi consignaret. *Id enim indignum erat bonitate Dei, si qua ab ipso creata essent in interitum abirent ob diaboli adversùs homines fraudem*, inquit sanctus Athanasius, libro de Incarnatione Verbi Dei.

Secundò, homo minùs indignus erat divinâ misericordiâ; siquidem non ita grave fuit humanum peccatum ac Angelicum, sive attendas genus peccati, sive circumstantiam, sive occasionem. Attendendò quidem *genus peccati*, nam licèt homo & Angelus peccaverint per superbiam; longè tamen utriusque dispar est reatus, siquidem, inquit Alensis, homo peccavit appe- D tendo omnem scientiam Dei, Angelus verò illius omnipotentiam: Deus autem nullatenus vult communicare alicui creaturæ pro quolibet statu suam omnipotentiam, eo quòd ratione illius est omnium creaturarum principium, quam præcellentiam nulli vult esse communem: scientiam autem vult communicare creaturæ in statu gloriæ, nam seipsum & omnia quæ in ipso sunt demonstrat beatis mentibus; quibus omnimodum scientiæ suæ lumen largitur. Quia ergo summa inordinatio est id appetere ad quod nulla creatura ordinatur; hinc est quod graviùs peccavit Angelus appetendo omnipotentiam quàm ho- E mo æmulando scientiam ad quam ordinabatur.

Gravius etiam fuit peccatum Angeli quàm hominis *ratione circumstantiæ*, quippe homo peccavit ratione alicujus nescientiæ; existimabat enim comminationem divinam sibi factam magis intentari ad probationem, quàm ad supplicium: Angelus verò peccavit ex certa scientia; adeoque ex malitia; & sic peccatum illius erat in Spiritum sanctum, & consequenter irremissibile. *Denique* minus etiam fuit peccatum hominis quàm Angeli ratione occasionis, homo namque non peccavit propriâ sua proclivie & determinatione ad malum, sed instigante & sollicitante uxore, quæ à serpente decepta, virum suum in deceptionem adduxit. Justum ergo fuit, ut qui per alium ceciderat, etiam per alium relevaretur, cùm per seipsum surgere non posset: secus autem erat de Angelo, qui non alterius astutiâ sed propriâ suâ malitiâ lapsus fuerat.

Deniquè

V. Angelorum ruina per homines justos instaurari potuit.

Denique minùs profutura erat redemptio Angelis perditis quàm hominibus, quippè Angeli ubi semel lapsi sunt, obfirmatam in malo voluntatem habent, nec ampliùs agendæ pœnitentiæ sunt capaces.

His adde quòd Angelorum ruina potuit reparari per homines, eos videlicet promovendo ad perduellium Angelorum sedes, ut egregiè demonstrat sanctus Anselmus librô primô *Cur Deus homo.* Capite 16. & 17. hominum verò lapsus non poterat convenienter suppleri substituendo aliam naturam locô humanæ; quippè nulla inferior homine apparet creatura divinæ gloriæ capax.

Has omnes rationes luculenter ac devotè perstringit sanctus Bernardus sermone primô de Adventu, his verbis. Novit in affectum malitiæ » & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex » ignorantia aliqua, seu infirmitate peccasse, ideo» que perire necesse est pœnitere nolentes: Patris » enim amor, & honor regis judicium diligit. Pro» pter hoc enim & ipse creavit homines ab initio, » qui supplerent locum illum, & ruinas Hierusa» lem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis » patere redeundi viam: nempe novit superbiam » Moab, quòd superbus est valdè, & superbia ejus » pœnitentiæ remedium non admittit, at per hoc » nec veniæ. At verò hominis vice nullam postea » condidit creaturam; innuens ex hoc ipso redimen» dum adhuc hominem: quippè quem supplantavit » aliena malitia, ideoque prodesse ei potest charitas » aliena. Ita Domine obsecro, complaceat tibi ut » eruas me, quoniàm ego infirmus sum: quoniam » de terra mea furtim sublatus sum, & hic inno» cens in lacum missus sum: non penitùs quidem » innocens; sed quantùm ad eum qui me seduxit, « innocens aliquatenùs. »

Dices primò. Ea natura magis apparet unibilis Deo, quæ majorem cum ipso haber affinitatem: sed Angelica natura majorem, & intimiorem habet affinitatem cum Deo quàm humana: ergo, &c. Major constat, unibilia namque debent habere qnandam proportionem adinvicem. Minor pariter, quia *quantò subtilior est natura*, inquit sanctus Isidorus in libris de Trinitate, *tantò pleniùs assistit ad similitu inem divinæ unitatis expressa:* natura autem Angelica subtilior est quàm humana, utpotè expers omnis commercii ac societatis cum corpore: igitur magis ad similitudinem divinæ naturæ, quam humana accedit: & consequenter magis est cum ipsa unibilis.

Distinguo majorem. Quæ majorem habet affinitatem cum natura divina, sub ea ratione quâ est ipsi unibilis, concedo: secùs nego: natura autem humana majorem habet similitudinem & proportionem cum natura divina sub ratione quâ ipsi unibilis est, quàm Angelica; quia ratio personæ, per quam Deus unibilis est homini, magis exprimitur per hominem, qui ab altero originem ducit, quam per Angelum, qui ita non procedit ab alio Angelo; igitur licèt Angelus ratione suæ simplicitatis magis exprimat divinam essentiam sub ratione essentiæ, quia totus spiritualis est; tamen non ita perfectè exprimit personas divinas, & modum processionis, quô una originem ducit ab altera, sicut homines; & subindè non habet majorem, imò minorem affinitatem cum divina natura sub ea ratione quâ Deus unibilis est cum creatura.

Dices secundò. Illa natura dicenda est magis cum Deo unibilis, quæ propter suam excellentiam dignior est & aptior quæ sublimetur & exaltetur; sed Angelica natura, cùm humanâ sit longè præstantior, etiam dignior, & aptior est quæ per incarnationem sublimetur; igitur convenientius fuit ipsam assumi quàm humanam.

VI. Homo debuit potius reparari quàm Angelus.

Respondet seraphicus Doctor, *distinctione* 2. *q.* 2. *ad* 2. quòd etsi Angelus altior sit naturâ, quam homo; per gratiam tamen unionis magis decuit hominem quàm Angelum exaltari, & ad confutandam superbiam Luciferi, qui Deo voluit æquari, & ad commendandam gratiam Dei, ut appareat quod sublimatio in gloria non sit ex natura, sed potius ex gratia divina: quapropter adorandus Salvator sibi asseclas magis elegit pauperes, & ignobiles, quàm divites & potentes, ut frangeret hominum superbiam, & ne gloriaretur omnis creatura in conspectu ejus.

Dices tertiò. Major apparet misericordia, ubi grandior est miseria; sed longè grandior est miseria Angelorum perditorum, cùm gravius fuerit eorum peccatum, quàm hominum; ergo magis decebat misericordiam divinam eos redimere quàm homines.

Nego minorem: longè namque major erat hominum perditorum miseria, quàm Angelorum; utpotè cùm non omnes lapsi fuerint Angeli, sicut homines, nec tota perierit Angelica natura sicut humana, idcirco convenientiùs fuit homines reparari quàm Angelos. *His adde* quòd Angeli perduelles minùs erant digni misericordiâ propter suam superbiam & obfirmatam malitiam: cùm enim obstinati sint universaliter in malitia, inquit seraphicus Doctor *ad* 4. non inflammarentur ad humilitatem, nec per exhibitionem tanti beneficii & exempli ad charitatem accenderentur; videmus enim illud hodie in multis peccatoribus, quibus propter suam assuetam perversitatem parum prodest Christi Domini Passio.

Dices quartò. Ab eo congruè incipi debuit redemptio, à quo prævaricatio sumpsit exordium: sed hæc originem habet ab Angelo qui fuit totius prævaricationis author: igitur reparatio similiter debuit ab illo inchoari.

Respondet seraphicus Doctor, quòd prævarica« tio generis humani sumpsit exordium à dæmone, » & ab homine, sed cum hoc discrimine, quòd ab « homine processit tanquam a principali authore, » à dæmone verò sicut suggestore, & instigatore: » cùm autem Christus sit author nostræ redem« ptionis, convenientius fuit ut ipsam auspicare» tur ab authore prævaricationis, quatenùs perdi» tioni restitutio directè qnadraret: & qnemad« dum, in primo Adam facta est nostræ prævari« cationis consummatio, sic per secundum Adam, « fieret nostræ redemptionis perfectio. »

Dices denique: Tam mortale fuit peccatum hominis quàm Angeli: sed peccatum mortale est irremediabile: idcirco enim mortale dicitur, quia mortem æternam inducit ac perpetuæ damnationi reum devovet; igitur tam homo, quàm Angelus, indignus & incapax erat redemptionis, & subindè non fuit convenientius ipsum quàm Angelum reparari.

VII. « Irremediabile, « exprimitur tripliciter, negativè duntaxat, privativè & contrariè

Respondet Alensis, *quæst.* 1. *membro* 2. *ad primam rationem*, quòd irremediabile dicitur tripliciter, sicut & invisibile: scilicet, negativè, privativè, contrariè. *Irremediabile negativè est*, quod nullô modô potest remitti: *irremediabile privativè* est, quod non habet aliquid dignum per quod debeat remitti; *irremediabile contrariè* est, quod habet contrariam dispositionem ad remittendum, sine

» qua nullô modô potest remitti. *Primò modò*, dicitur irremediabile peccatum Angeli, & peccatum damnatorum : *Secundò modò*, dicuntur irremissibilia peccata in Spiritum sanctum, scilicet, desperatio, præsumptio, &c. quia sunt sub dispositionibus contrariis ad remissionem : *Tertiò modò*, dicitur omne peccatum mortale irremissibile, quia nullum mortale habet aliquid per quod sit dignum remissione. Hâc ultimâ ratione peccatum hominis erat irremissibile, non verò duabus primis, & subindè non est eadem ratio de reparatione hominis, ac Angeli.

Conclusio Secunda.

VIII. Decebat magis ut natura humana ex Adami propagine assumeretur, quâ ex alia

Convenientius fuit ut assumeretur natura humana ex Adami propagine, quàm aliundè formata. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, eamque probat sanctus Anselmus librô secundô, *Cur Deus homo*, Capite octavo, triplici ratione.

Primò : Justum est ut ille qui satisfacit, sit vel idem qui peccavit, vel aliquis ex ejus origine; alias qui offendit, satisfactionem non impenderet : sed justum fuit, ut pro culpa hominis satisfieret Deo: ergo pariter justum est ut homo ille satisfaciens, vel sit Adamus qui offendit, vel aliquis ex ejus propagine.

Secundò : Si Adam non peccasset, totum humanum genus per se stetisset in innocentia, absque ope & sustentatione alterius creaturæ : ergo si surgere debeat, conveniens est ut resurgat per opem & auxilium alicujus, qui sit ejusdem generis : sed si homo assumptus aliundè quàm ex Adami propagine formaretur, non esset ejusdem statûs cum genere humano : igitur humanum genus non surgeret per opem alicujus sui generis.

Denique, quando Deus primitùs humanam naturam formavit, solum Adamum produxit, & ex eo eduxit fœminam; quô significaret se velle, ut omnes homines ab eo tanquam à suo principio propagarentur : quapropter Adamus omnium hominum caput & princeps extitit ante peccatum: igitur si reparari debeat illa dignitas per Verbi Incarnationem, oportuit quòd repararetur, vel per ipsum Adamum assumptum, vel per alium hominem ex ejus propagine formatum : sed non potuit Adamus assumi, quia proprietates hominis assumpti tribuuntur personæ divinæ assumenti : ac proinde sicut est verum dicere de Adamo, quòd peccavit, etiam verum esset dicere de persona divina, quòd peccasset : hoc autem absolutè repugnat divinæ sanctitati : igitur etiam repugnat ut Adamus ipse assumatur à Verbo : oportet ergo ut alius homo assumatur, qui licèt sit ex Adami propagine, tamen nullum habuerit peccatum.

Dices: Congruum fuit ut ille homo, qui pro omnium reatu satisfacere debebat, maximè alienus esset ab omni peccato : sed talis non foret, si esset ex Adami propagine : igitur convenientius fuit ut homo ille satisfaciens, aliundè quàm ex Adami prosapia formaretur. Probatur minor: Qui nullam habet similitudinem carnis peccati; nec ullum cum peccatoribus commercium, magis est alienus à peccato, quàm qui illis characteribus afficitur : at talis esset homo aliundè, quàm ex Adami sanguine formatus; non esset autem talis qui ab eo propagaretur : igitur magis expediebat hominem creari de novo, ut assumeretur, quàm ab Adamo propagari.

Distinguo minorem, & ejus probationem. Si illa similitudo carnis peccati sit ratione culpæ, concedo : si duntaxat ratione pœnæ debitæ, nego : in homine autem à Verbo assumpto, hoc est in Christo, non est similitudo carnis peccati ratione culpæ; sed duntaxat ratione pœnæ, quia Verbum divinum assumpsit corpus mortale, quô debitam nostris peccatis pœnam per acerbissimam suam passionem, & totius laboriosæ vitæ crebras angustias lueret & solveret.

Adamus se solô, aut, etiam alicui personæ divinæ unitus, non potuit solvere debitum.

Dices secundo : Convenientius fuit, ut, qui debitum contraxit, ille solveret : sed Adamus ipse contraxit debitum peccati: ergo congruum fuit ut illud ipse solveret, & subindè ut ejus individuum à Verbo divino assumeretur.

B *Distinguo majorem.* Si possit per se solum solvere debitum illud, aut illius beneficiô & ope cum quo non habeat absolutam incompossibilitatem, concedo; secùs, nego. Adamus autem nec poterat per se solvere debitum, neque ope alicujus personæ divinæ cum qua uniretur; quia ipse erat limitatæ entitatis & operationis, ac proinde non poterat exactè satisfacere pro debito quod summam indignitatem babebat ratione Divinitatis offensæ. Nec etiam sociari poterat cum Deo in unitate personæ, quia cùm ipse fuerit peccator, sequeretur etiam quòd divina Persona dici posset peccatrix, quod omnino absurdum est: igitur id fieri nec potuit nec debuit.

C *Petes*, an convenientius fuerit Christum nasci ex Virgine, quàm ex viro & fœmina. *Affirmo:* tùm quia decens erat, ut qui Patrem Virginem haber in cœlis, etiam Virginem Matrem in terris haberet: tùm quia, inquit sanctus Anselmus supra, *Quatuor modis potest Deus facere hominem, videlicet aut de viro & de fœmina, sicut assiduus usus monstrat; aut nec de viro nec de fœmina, sicut creavit Adam : aut de viro sine fœmina, sicut fecit Evam : aut de fœmina sine viro*, quod ante Incarnationem non fecerat. *Ut igitur hunc quoque modum probaret suæ subjacere potestati, & ad hoc ipsum opus dilatum esse, nihil convenientius quàm ut de* D *fœmina sine viro, assumat illum hominem quem quærimus.* Tum denique quia hoc magis commendabat & illustrabat Verbi Incarnati puritatem & integritatem.

Quare convenientiùs fuerit Christum nasci ex Virgine.

Quæstio III.

Utrum Convenientiùs fuerit Filium quàm Patrem aut Spiritum sanctum incarnari?

I. Quælibet persona divina humanam potuit assumere naturam.

Notandum primò : Certum esse quamlibet è divinis personis posse humanam naturam assumere, sive ex Adamo propagatam, sive aliundè formatam; siquidem quòd alia persona quàm E Filius assumeret naturam humanam ex Virgine, inde non sequeretur, secundùm rei veritatem, inter divinas personas æqualitatis diminutio, nec personarum confusio; nulla enim est confusio, quòd una persona diversas habeat appellationes invicem oppositas; quódque, qui Pater est, sit etiam Filius; siquidem nunc credimus quòd unus & idem sit temporalis & æternus, immortalis & mortuus, immensus & circumscriptus. Nulla etiam est inæqualitatis diminutio, quippè Verbum divinum, ubi carnem assumpsit, licèt sit minor Patre secundùm humanitatem, tamen est æquale Patri secundùm divinitatem, etenim humana suscipiens divina non amisit. Unde non movetur præsens quæstio de possibilitate, sed

duntaxat de convenientia; an videlicet congruentius fuerit Filium quàm Patrem aut Spiritum S. Incarnari.

II. *Creatura duobus modis comparari potest ad Creatorem; sicut Creator ad creaturam.*

Notandum secundò: Quòd etsi Incarnatio, quatenus est effectus ad extra, sit opus totius Trinitatis; attamen certum est uni duntaxat personæ divinæ peculiariter attribui. Quia, inquit S. Bonav. in 3. *dist.* 1. *q.* 2. creatura dupliciter comparari potest ad Creatorem; sicut & Creator ad creaturam: Creatura namque comparari potest ad Creatorem, *vel* secundùm susceptionem alicujus perfectionis, *vel* secundùm relationem habitudinis dependentiæ. *Prima comparatio* necessariò respicit tres personas indistinctè & indivisè; quippè in eis est unica & indivisa essentialis perfectio: *Secunda* verò comparatio potest esse respectu alicujus personæ determinatæ & distinctæ absque eo quòd respiciat alteram, quia personæ divinæ invicem relationibus & realiter distinguuntur. Similiter Deus potest dupliciter comparari ad creaturam: videlicet in ratione principii causantis, & in ratione suppositi sustentificantis. Secundùm primam comparationem invicem conveniunt & communicant tres personæ, quia in ipsis est unica natura & unica virtus creaturarum productiva: secundùm verò comparationem alteram creatura potest habere respectum distinctum ad unicam duntaxat personam divinam; quia licèt una persona conveniat cum altera in natura & virtute, distinguitur tamen ab illa in supposito & personali proprietate. Quoniam ergo in unione naturarum, sive incarnatione, persona divina fit suppositum, sive hypostasis naturæ humanæ; ita quod unio, sive incarnatio, non dicat tantùm habitudinem Dei ad creaturam per modum causæ, sed etiam per modum suppositi; hinc est quòd ex comparatione Dei ad creaturas, una persona uniri potest humanæ naturæ absque eo quòd alia similiter uniatur. Ex parte creaturæ idem constat; quippè cùm creatura dicat comparationem ad Deum, non solùm quantùm ad susceptionem complementi, sed etiam quantùm ad habitudinem relationis; inde fit quòd Incarnatio possit convenire uni personæ absque eo quòd conveniat alteri.

III. *Qualiter divinis personis aliquid peculiare attribuitur.*

Notandum tertiò: Quòd etsi divinæ personæ invicem in unitate essentiæ ita indivisim conveniant, ut sint unus Deus; attamen aliqua eis peculiariter conveniunt, vel secundùm propria, vel secundùm appropriata. *Secundùm propria*, paternitas tribuitur primæ personæ, filiatio secundæ; & spiratio passiva tertiæ. *Secundùm appropriata* verò, potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, bonitas & amor Spiritui sancto. Quâ ratione triplex operatio divinis istis personis etiam peculiariter attribuitur, nempè creatio Patri, recreatio Filio, glorificatio & justificatio Spiritui sancto; quia creatio est opus potentiæ; recreatio seu restitutio, opus sapientiæ, & justificatio ac glorificatio opus Bonitatis divinæ. Constat autem tres divinas illas præcellentias mirum in modum effulsisse in Incarnatione Verbi. Potentiam quidem; nam, inquit sanctus Damascenus lib. 3. cap. 1. *Deus ens perfectum perfectus homo fit, & perficitur, quod est omnium novorum novissimum: quòd solùm novum sub sole: per quod infinita Dei virtus ostenditur: quid enim majus quàm Deum fieri hominem?* Bonitas similiter mirum in modum elucet in eo quòd Deus non despexerit hominem propriâ culpâ miserum & damnatum, sed commota sint ejus divinæ Misericordiæ viscera super ejus languoribus ut ab eis ipsum solveret: Sapientia denique propter multiplicem illam rationem in 1. Quæst. hujus Sectionis assignatam.

Status Quæstionis.

Quæritur autem an convenientius fuerit, Incarnationem censeri opus infinitæ sapientiæ, quàm bonitatis aut potentiæ: seu quod idem est, an magis expedierit Incarnationem à Filio potiùs quàm à Patre aut Spiritu sancto fieri.

Conclusio Unica.

IV. *Conveniens fuit Filium potiùs quàm Patrem aut Spiritum sanctum incarnari.*

Reverà convenientius fuit Filium incarnari quàm Patrem aut Spiritum sanctum.

Probat hanc conclusionem seraphicus Doctor *suprà laudatus quæst.* 3. hac ferè ratione. Incarnatio spectari potest vel secundùm se, vel quatenùs ordinatur ad humani generis redemptionem: sed secundùm hanc utramque considerationem magis congruum fuit personam Filii incarnari, quam alias.

Primò quidem si spectetur Incarnatio *secundùm se*, & per respectum ad personam quæ incarnatur, illud apertè constat; quia secunda persona considerari potest vel quatenus est Filius, vel quatenus est Imago, vel quatenus est Verbum: hâc autem triplici ratione magis expediebat ipsam incarnari.

1. *Quia ille est imago Dei.*

Primò quidem quatenus est *Imago*; quippè reformanda erat Dei effigies per peccatum in homine detrita: igitur apponenda erat illa naturalis Dei effigies & imago ad cujus similitudinem homo formatus reformari, & prima divinæ perfectionis lineamenta æmulari & referre posset.

2. *Quia est Verbum Patris per quod divina mysteria nobis erant revelanda.*

Secundò, quatenus est *Verbum*, quia ut Verbum est Patris, procedit à Patre ut Pater se manifestet per ipsum; & ideo sicut ad cogitationis manifestationem, nostrum verbum intellectuale copulatur voci sensibili: sic ad divinitatis revelationem congruum fuit, ut Verbum Patris carnem assumeret: quare sanctus Paulus ad Hebræos 1. ait, *Multifariàm multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.*

3. *Id expediebat ne duo essent Filii divini.*

Postremò quia, *Filius* est, congruebat eum carnem assumere, ut esset de genere hominum & ita Filius hominis: nam, inquit sanctus Anselmus, in lib. 2. cur Deus homo, cap. 9. *Si qualibet alia persona incarnaretur, essent duo Filii in S. Trinitate; scilicet Filius Dei, qui & ante Incarnationem Filius est: & ille qui per Incarnationem esset Filius Virginis, & sic esset in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundùm dignitatem nativitatum: digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo quàm natus ex Virgine.*

Quam utique rationem etiam profert sanctus Augustinus libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. secundò, dicens: Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed Filius tantùm, ut qui erat in divinitate Dei Filius, fieret in homine hominis Filius, ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æternâ filiatione Filius. Dei ergo Filius, hominis factus est Filius, natus secundùm divinitatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secundùm veritatem naturæ, ex homine hominis Filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utrâque nativitate Filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus, & verus homo, unus Filius.

Secunda ratio eandem veritatem insinuans, petitur ex ipsa comparatione Incarnationis *ad Redemptionem humani generis*. Ex hac enim parte

magis congruum fuit Filium incarnari, quàm Patrem aut Spiritum S. sive consideremus hominis lapsum, sive reparandi modum, sive reparationis fructum. *Primò*, inquam, si consideremus *hominis lapsum* id apparet; quippè lapsus est homo appetendo Dei similitudinem & æqualitatem quæ maximè Filio tribuitur in divinis: hinc ipse fuit velut occasio lapsûs hominis; & ideo homo inde sumere debuit reparationem unde habuerat lapsûs occasionem. Quam utiquè rationem non minùs eleganter quàm piè expendit sanctus Bernardus, *Serm. 1. de adventu*, his Verbis quibus Filium introducit ita loquentem. Ecce occasione mei Pater creaturas suas amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit & populum qui sibi crederet habuit: sed continuò Patris zelus vindicavit in illum, percutiens illum pariter cum omnibus suis plagâ incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoquè quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo: & nec illi quidem misertus est neque pepercit oculus ejus. Duas tantùm fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis; Angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines universos, ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem, per me recipiat quos quodammodo amisisse videtur; si propter me hæc tempestas orta est, tollite me & mittite in mare; omnes invident mihi, ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio in bonum.

4. Quia fuerat aliquatenus occasio lapsûs Angelorum & hominum.

His adde, quòd cùm specialiter in filium homines peccaverint, ejus erat peccatum condonare & remittere, cui facta fuerat offensa. Quam utique rationem profert sanctus Anselmus locô mox laudatô. *Quasi specialiùs*, inquit, *adversus personam Filii peccaverant qui vera Patris similitudo creditur: illi itaque cui specialiùs fit injuria, convenientiùs attribuitur culpa vindicta aut indulgentia*. Secundò, si consideremus *modum reparationis*, ille magis competebat Filio quàm cæteris personis: reparati enim sumus per Mediatoris obedientiam & sopplicationem: ratio autem Mediatoris magis Filio quàm cæteris personis conveniebat; decebat namque ut qui medius est inter divinas personas, etiammedium se sisteret inter Deum & hominem, ut Dei & hominum Mediator existeret. Similiter magis conveniebat Filio supplicare Patri & obedire: *Nam*, inquit sanctus Anselmus ibidem, *convenientius sonat Filium supplicare Patri quàm aliam personam*.

5 Quia specialiter homines in Filium peccaverant.

Postremò, si consideremus reparationis *fructum* vel *effectum*, congruentiùs erat Filium incarnari: quia Incarnatio ad hoc ordinatur ut simus filii Dei: congruum autem fuit ut dignitatem filii consequeremur per eum qui est Filius naturalis. Hinc S. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 9. *Vt homo ex Deo nasceretur, primo ex ipsis natus est Deus: oportuit enim ut per eum efficeremur filii adoptivi qui Filius est naturalis.*

Dices primò. Illius est hominem recreare & reparare, cujus est creare & formare: sed creatio maximè attribuitur & convenit potentiæ Patris: igitur etiam ipsi tribuenda est hominis restitutio & reparatio per Incarnationem.

V. Incarnatio potest considerari vel effectivè, vel formaliter.

Respondeo, Incarnationem spectari posse vel effectivè vel formaliter: Primô modô æquè convenit tribus adorandis personis; non item secundô modô. Unde *Distinguo majorem*. Ei convenit reparare, cui convenit formare, effectivè, concedo: formaliter nego. Effectivè inquam Incarnatio maximè tribuitur Patri, qui sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; nec proprio Filio pepercit, sed pro omnibus tradidit illum: formaliter autem unicè tribuitur Filio, quippè sola ipsius personalitas terminat dependentiam naturæ humanæ & eam formaliter afficiens efficit subsistentem & personatam.

Dices secundò, Illius est in Filios adoptare cujus est generare: sed solius Patris est generare: ergo solius est Patris homines per Incarnationem in Filios adoptare.

Distinguo majorem. Authoritativè & principaliter, concedo: subauthoritativè & secundùm missionem, nego. Competit itaque Patri authoritas adoptandi principaliter, quia, inquit Apostolus ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus.*

Dices tertiò, Magis decet Patrem habere aliquid quod non habeat Filius, quàm Filium habere quod non habeat Pater, quia quidquid habet Filius habet à Patre: sed per Incarnationem una persona habet aliquid quod non habet altera: ergo magis expedit Patrem quàm Filium incarnari.

* Magis decebat [illegible] subiici Patri ratione humanitatis assumptæ, quàm Patrem Filio.

Distinguo majorem, Magis decet Patrem habere aliquid quod non habeat Filius, secundùm originem æternam, concedo: secundùm unionem hypostaticam, nego. Habere debet equidem Pater secundùm originem æternam aliquid quod non habet Filius, quia Pater habet vim generativam Filii, Filius autem vicissim non habet vim generativam Patris. Secus est autem de unione hypostatica, cùm enim per eam una persona subjiciatur alteri, convenientius est ut id habeat Filius quò possit Patri subiici, quàm quò Pater Filio inferior censeatur; & subinde magis expedit Filium habere naturam humanam, quâ minor est Patre; quam quod Pater ratione illius Filio subjiceretur.

Dices quartò, Ei maximè congruit Incarnatio, cui competit summam gratiam homini conferre, illa enim est omnium gratiarum summa: sed summæ gratiæ largitio maximè competit Spiritui sancto: igitur ipsi congruentiùs etiam tribuenda est Incarnatio.

VI. Incarnatio appropriatur effectivè Spiritui sancto, at formaliter soli Verbo.

Distinguo majorem, Cui summæ gratiæ largitio tribuitur, vel effectivè, vel formaliter, concedo; effectivè duntaxat, nego: Incarnatio quidem effectivè appropriatur Spiritui sancto, quia summum Dei in homines amoris & bonitatis opus, qualis est Incarnatio, maximè appropriatur ei personæ quæ Dei amor & bonitas appellatur: formaliter autem soli Verbo convenit, utpote cùm solum Verbum sua personalitate naturam humanam fecerit sobsistentem.

QUÆSTIO IV.

An convenienti tempore facta fuerit Incarnatio.

I. Tres assignantur circunstantiæ temporis, in quibus fieri potuit, incarnatio.

NOtandum primò, præsentem difficultatem moveri maximè de triplici temporis circumstantia, quâ fieri debuit Incarnatio, nempe initio, medio & fine durationis mundi: cùm enim Adamus in mundi exordio lapsus fuerit, videtur fuisse convenientius ut subveniretur ejus miseriæ paulò post quàm à statu suæ fœlicitatis excidit: salubrior enim & opportunior apparet medicina, quæ non post diuturnam ægritudinem, sed ejus

…nihiò paratur ac propinatur. Cùm autem divina Sapientia omnes suos actus & motus justâ & æquâ lance libret, omniaque suaviter disponat; investigandæ sunt rationes cur tamdiu tamque serò salubrem ac salutarem illam medicinam humano generi conferendam distulerit.

II. Variæ acceptiones temporis, quò peracta est incarnatio.

Notandum secundò, tempus quô peracta est Incarnatio, variis nominibus in Scriptura sacra designari. Primò enim dicitur *novissimus dies*. Sic Isayæ 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini:* Secundò *plenitudo temporis*. Sic ad Galatas 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium:* Tertiò *vocatur medium annorum*, Sic Abacuc 3. *Opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies*. Dicitur autem *medium annorum*, non quasi eô nomine significetur medium durationis mundi, alioqui cognoscere possemus quô tempore futurus sit dies judicii; quod directè militat in illud Christi oraculum: *De die autem illa nemo scit, &c.* sed ut declaretur tempus à Deo præstitutum; est enim familiare in Scriptura id appellare in medio rei alicujus quod est intra ipsam. Sic Psalm. 100. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*. Jeremiæ 51. *Fugite de medio Babylonis*. Appellatur autem *plenitudo temporis*, ut significetur tempus vel quô Deus implere voluit quod promiserat & definierat; vel quô implendæ erant figuræ, vel maximè quô plenitudo gratiæ conferenda erat & manifestanda. Dicitur denique *novissimus dies*; quippè peractum est hoc ineffabile mysterium in ultima mundi ætate per quam lex gratiæ duratura est, nec ulteriorem sibi succedentem est habitura: quod ut pleniùs planiùsque declaretur;

Notandum tertiò, universam mundi durationem per sex ætates solitò distribui, juxta notabiles variationes & celeberrimos eventus qui in orbe, maximè verò apud populum Judaïcum contigerunt. *Prima* computatur ab Adamo usque ad Noe seu diluvium; *Secunda* à Noe usque ad Abraham; *Tertia* ab Abrahamo usque ad Davidem; *Quarta* à Davide usque ad captivitatem

III. Mundi duratio juxta sex ætates potissimùm dividitur.

Babylonicam; *Quinta* à captivitate usque ad Christum; *Sexta* denique à Christo Domino usque ad finem mundi. Qua ratione Christus Dominus dicitur venisse novissimis diebus, quia venit in ultima ætate atque ad mundi vesperam. Prima ætas duravit mille sexcentis quinquaginta sex annis, ut clarè colligitur ex Genesis 5. & 7. juxta Hebraïcam vetustam & novam editionem. Secunda videtur durasse 322. annis, quia licèt ex Genesi 11. 292. tantùm anni colligantur; tamen cùm ibi prætermissa fuerit generatio Caïnam quam Septuaginta Interpretes addiderunt, & S. Luc. *Cap.* 3. ideo illi numero ad minùs addendi sunt triginta anni quibus Caïnam vixerit antequam generaret filios. Tertia videtur durasse 941. nam ab ortu Abrahæ usque ad promissionem illi factam, fluxerunt 75. anni, Genesis 12. ab illa autem promissione usque ad finem captivitatis populi in Ægypto seu usque ad legem datam, quod contigit post tres menses ab illo exitu, fluxerunt 430, à lege autem data usque ad initium regni David fuerunt 436. ut evidenter sumitur ex lib. 3. Regum cap. 6. qui 436. additi supra quinque & quingentos, efficiunt dictum numerum 941. quibus hæc tertia ætas durasse videtur. Quarta autem ætas quâ Judæorum regnum duravit, ab initio regni David usque ad captivitatem Babylonicam, completa fuit annis 470. ut colligere est ex lib. 3. Reg. cap. 2. 11. 22. & lib. 4. à cap. 8. Quinta ætas omnium difficillima quantùm ad sui durationem; Historici enim & Chronologistæ sacri varias hac de re scinduntur in sententias. Nam *Genebrardus* lib. 2. Chronologiæ tribuit huic ætati annos 501. *Beda* verò in lib. de sex ætatibus, numerat 560. *Driedo* lib. 3. de dogmatibus cap. 5. computat 596. *Eusebius* in Chronico vult esse 585. Nonnulli verò cum Suare in 3. part. quæst. 1. disp. 6. sect. 1. sexcentos annos huic ætati assignant; ex quibus colligit Incarnationem factam esse circa quater millesimum annum à creatione mundi: quæ sententia an verior sit, non est hujus loci resolvere, sed duntaxat aperire rationes quæ suadere possunt illam convenienti tempore fuisse peractam.

Conclusio Unica.

IV. Non decuit Incarnationem fieri initio mundi.

Convenientius fuit ut Christi Domini Incarnatio non fieret ab initio mundi; nec differretur ad ejus finem: sed quasi circa sæculorum finem perageretur. Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum *primam* sic probat S. Bonaventura in 3. *dist.* 1. *quæst.* 4. idque quadruplici ratione.

Ut egregiè probat Doctor Seraphicus;

Prima quidem petenda ex parte divinæ justitiæ. In hoc enim, inquit, manifestatur divinæ ultionis severitas, quæ tot clamores, totque hominum luctus quibus Salvatorem deprecabantur tanto tempore sustinuerit, nec citiùs exaudierit: & ut Adamo ipsi in lymbis exulanti & omnibus ejus posteris, appareret quanta fuisset ipsius offensæ gravitas, quàmque acerba ultione Deus in ipsum animadvertat. *Secunda* petitur à curatione morbi; opportuit enim hominem priùs nosse suam impotentiam ad necessarium sibi remedium præstandum quàm illud divinitùs acciperet, ut sic de sua infirmitate convictus confugeret ad divinam gratiam, & sic confugiens curaretur. *Tertiam* repetit ex ordine universi: quia enim, inquit, hoc erat plenum & maximum beneficium, differri debuit usque ad plenitudinem dierum. Quarta ratio fuit propter commendandum Incarnationis beneficium; quod cùm pretiosissimum sit inter Dei beneficia, priùs debuit esse desideratum & expectatum quàm exhibitum. Conveniens igitur fuit ad commendationem tam excellentis mysterii, ut plurima sæcula præcederent ejus executionem: ut nempè tot sæculorum decursu Christus Salvator postularetur à Patriarchis, prædiceretur à Prophetis, à legis Mosaïcæ umbris præfiguraretur & esset desideratus cunctis Gentibus; nam, ut ait S. August. tractatu 31. in Joannem; *Quantò major judex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat.*

Et Angelicus.

Addit S. Thomas *quæst.* 1. *art.* 5. non fuisse conveniens Verbum incarnari statim post commissum peccatum. *Primò* propter *conditionem peccati*, quod originem ducebat ex superbia: humiliandus enim fuit homo priusquàm liberaretur, unde reliquit eum Dominus priùs in libertate arbitrii sub lege naturali & scriptâ ut sic suæ naturæ infirmitatem agnosceret; quâ cognitâ clamaret ad medicum & gratiæ quæreret auxilium. *Secundò*, id decuit propter ordinem *promotionis in bonum*, homo namque à statu animalis ad statum spiritualis promoveri debuit, juxta illud Corinth. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cælestis. *Tertiò*, propter *dignitatem Verbi incarnandi*; Nam, inquit Tertull. lib. 3. contra Mar-

cionem cap. 2. *Tantùm opus quod humanæ saluti parabatur, in quantùm credi habebat ut prodesset, in tantùm paraturam desiderabat, ut credi posset, substratum fundamentis dispositionis & prædicationis quô ordine fides informata, meritò & homini indiceretur à Deo, & Deo exhiberetur ab homine.*

Nec etiam differri debuit ad finẽ mundi.

Secunda pars etiam constat: *Tùm quia* cùm Christus venerit ad promerendam nobis gratiam & gloriam, & gloria debeat conferri maximè in fine mundi, conveniens videtur, ut priùs veniat gratiam largiens quàm gloriam: *Tùm quia* si Verbum suum in mundum adventum distulisset usque ad finem mundi, cùm in dies hominum peccata invalescerent, Dei notitia & reverentia ac morum B honestas prorsus expunctæ fuissent in terris: unde quemadmodum delegavit Abrahamum ut restitueret Dei cognitionem inter homines, apud quos jam cœperat extingui: sicut postmodùm delegavit Moysem ut cultum sibique debitam reverentiam quæ ferè expuncta fuerat, per Legem scriptam restitueret: sic etiam congruum fuit ut cùm vidit Judæos ac gentes omnem Dei timorem ac legem excussisse, delegaret Filium in terras, ut hominum mores reformaret: *Tùm* denique, ut per uberiorem gratiæ largitionem plurimi salvarentur.

Sed congruentiùs facta est in medio temporum.

Ex his itaque colligitur *tertia pars*, nempè quòd convenienti tempore facta fuerit Incarnatio circa C plenitudinem & medietatem temporum; ut sicut Sol in medio planetarum positus superiores & inferiores illuminat; sic Christus verus ille sol justitiæ in medio annorum veniens, ac mundo se manifestans, anteriora sæcula per fidem & spem sui futuri adventûs illuminaret ac illustraret, & sequentia per Evangelicam doctrinam & Sacramenta sanctificaret & consecraret.

Dices 1. Ægro periculosè & extremè laboranti quamprimùm subveniendum est & præparanda efficaciora remedia: sed statim ac homo in mortale peccatum lapsus est, morbô periculosissimô laboravit: ergo conveniens fuit, ut ei succureret Deus per Incarnationem, quæ est remedium & D medium efficacissimum ad tollendam peccati ægritudinem.

Distinguo majorem: Si ita expediat curandæ ægritudini, concedo: secus, nego: non expediebat autem sanandæ hominis infirmitati ut ei statim ac in peccatum lapsus est, per Incarnationem mederetur; ne remedium illud vel ex superbia contemneret, vel sibi debitum existimaret: debuit ergo priùs suam infirmitatem, inopiam ac imbecillitatem agnoscere, & sic efficaciùs medici charitatem implorare.

Dices 2. Ex 1. ad Timoth. 5. Christus venit in mundum peccatores salvos facere: sed plures salvati fuissent, si statim ab initio mundi, ejus E doctrinâ, gratiâ & exemplis fuissent illustrati: Ergo, &c.

Respondet seraphicus Doctor, quòd divina sapientia, ac providentiæ præcipuus ordo postulat, ut commune bonum privato præponetur, & totius universi perfectio perfectioni alicujus personæ singularis; & ideo placuit universitatis Conditori servare Incarnationis beneficium ad ultimam ætatem, ut ostenderet in aliis benignitatem misericordiæ, in aliis servaret justitiæ severitatem, in omnes tamen gratiam suam uberiùs derivaret, ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia.

Adde quòd singulis mundi ætatibus sufficientia A media hominibus præbuerit, quibus si vellent, salutem suam possent promereri.

Dices 3. idque contra secundam partem: Frustrà fiunt per plura quæ per pauciora possunt impleri: sed per ultimum Christi Domini adventum potuissent homines salvari: igitur prior adventus ad hominum salutem superfluit.

Triplex distinguitur Christi adventus.

Distinguo majorem: Si ita opportunè fiant, concedo: secùs, nego. Ad minorem dico, quòd etsi fortè potuissent homines salvari per unicum Christi adventum, si Deus ita ordinasset, ut nempè quicumque in ipsum collocassent Fidem, Spem, & Dilectionem, illicò fuissent prædestinati, sicut prædestinati fuerunt sancti Angeli propter impensam B homini Deo observantiam unicô temporis momentô, ut vult sanctus Bernardus; tamen convenientius fuit ut homines, qui temporanei sunt, ac in suis operationibus succedanei; varios Christi haberent adventus, quatenus per illos sese diligentiùs & præstantiùs ad posteriorem promoverent. Hinc idem sanctus Bernardus Sermone 3. de Adventu, ait; *Triplicem Christi adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines: ad homines quidem indifferenter, non ita in homines aut contra homines.* Primus fuit per Incarnationem: Secundus fit per gratiæ sanctificantis infusionem: Tertius futurus est, per ultimam Christi in sua Majestate apparitionem. Primus, C in humilitate carnis: Secundus, in consecratione mentis: Tertius, in retributione mercedis. Primus fuit ad bonos & malos, ut justi fierent: Secundus duntaxat ad justos, ut in sanctitate perseverarent: Tertius ad electos & reprobos, ut invariabiliter pœnas luant aut coronis illustrentur. Convenientius autem fuit duos priores adventus præcedere ut justâ ordinatione tertius succederet.

SECTIO III

De necessitate Incarnationis.

D

QVamquam omne necessarium, sit etiam conveniens, quia res quælibet in tantùm censetur necessaria in quantùm à Deo ita ordinatur tanquam medium conducens ad finem; Deus autem ob infinitam suam æquitatem & sapientiam nil nisi quod expedit, ordinat & præscribit; non tamen id omne quod conveniens est, necessarium existimatur. Idcirco post declaratam convenientiam Incarnationis, illius necessitas est aperienda in præsenti Sectione, in qua resolvendum erit: *Primò*: An & qualiter necessaria fuerit Incarnatio. *Secundò*: An purus homo potuerit Deo satisfacere pro peccatis omnium hominum. E *Tertiò*: An Christus Dominus exactam & perfectam satisfactionem Deo pro nobis impenderit. *Quartò*: An reverà peracta jam fuerit Incarnatio, seu an Messias venerit.

QUÆSTIO PRIMA.

An & qualiter necessaria fuerit Incarnatio?

NOtandum 1. Certum esse de fide omnes omnino homines Adami Proparentis peccatô reos teneri & divinæ justitiæ obstrictos & ut debitores mancipari ad vindictam & ultionem: ita namque post Apostolum statuit Conc. Trid. sess. 5.

can. 2. his verbis, *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantum in humanum genus transfudisse, non autem & peccatum quod mors est animæ, anathema sit; cùm contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; Ex quibus patet nos omnes in massa perditionis constitutos esse; à qua per meritum unius Mediatoris Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit, educimur. An autem & qualiter ad istam humani generis reparationem, necesse fuerit Verbum Divinum incarnari, hic erit solvendum.

I. De fide est posteros Adami ejus criminis reos esse.

II. Necessitas duplex est, absoluta una, altera hypothetica.

Notandum secundò, Omissis variis divisionibus necessitatis, quantùm ad præsens institutum, duplicem statui: aliam quidem absolutam, aliam verò hypotheticam. Absoluta est quâ res non potest aliter esse, idque vel simpliciter, ita quòd contradictio sit & repugnantia illam aliter esse, sic necesse est Deum existere. Necessitas hypothetica est quâ aliquid dicitur necessarium ex hypothesi quod ita sit. Sic ex hypothesi quòd homo currat, necesse est ipsum moveri; non autem necesse est ipsum currere. Prima necessitas dicitur, *inevitabilitatis* à S. Anselmo lib. 2. cur Deus homo, cap. 4. Secunda, *immutabilitatis*, quia petitur ex immutabilitate Dei, tùm in sua entitate, tùm in suis decretis. Vel, ut solitò loquuntur Theologi, prima est necessitas *antecedentis*, secunda verò necessitas *consequentis*. Porrò hîc non est sermo de necessitate absoluta & simpliciter inevitabili; nullus namque fuit Theologus qui assereret Incarnationem ita fuisse necessariam, ut contradictionem implicet Deum non incarnari: sed movetur quæstio de necessitate immutabilitatis & hypothetica; siquidem nonnulli sunt qui existimant necesse fuisse Deum incarnari ex hypothesi quòd homo lapsus esset. Ita sentire videtur *S. Anselmus*, toto librô primô cur Deus homo; cui subscribunt *Richardus à S. Victore*, libro de Incarnatione, cap. 4. *Raymundus Lullius* in sua brevi introductoria Arte ad omnes scientias, demonstratione octavâ, qui tamen videntur à sententia S. Anselmi declinare in eo, quòd non absolutè pronuntient necessariam fuisse incarnationem supposito hominis lapsu, sed duntaxat ex hypothesi quòd Deus hominem lapsum promovere vellet ad priorem innocentiam, & ad beatificum statum ad quem ipsum formaverat. S. autem Anselmus utrumque docere videtur.

III. Utraque necessitas ratione finis potest sumi tum *absolutè*, tùm *secundùm quid*.

Notandum tertiò, Hanc utramque necessitatem tam absolutam quàm respectivam & hypotheticam, dupliciter spectari posse per respectum ad finem, nimirum vel absolutè, vel secundùm quid. Illud dicitur *absolutè necessarium*, sine quo res nequit obtineri: sic navis est necessaria ad trajiciendum mare. *Secundum quid* verò, quod conducit tantùm ad finem faciliori ac perfectiori modo consequendum: sic equus dicitur necessarius homini benè valenti ad iter agendum. Certum est autem, Incarnationem esse necessariam secundùm quid ad redemptionem hominum, quia præstantiori ac efficaciori modô per eam Deo satisfactum fuit, & nostris miseriis ac calamitatibus abundantiùs, ac salubriùs fuit consultum ac provisum. Unde sermo duntaxat hic futurus est de necessitate absoluta Incarnationis ad salutem hominum.

Duo igitur hic veniunt determinanda. *Primum* an supposito hominis lapsu, necessum fuerit Deum incarnari ut illum restitueret. *Secundum*, utrùm ex hypothesi quòd Deus hominis restitutionem voluerit ordinare, opus habuerit illam per Incarnationem efficere.

Conclusio Prima.

Incarnatio, suppositô hominis lapsu non fuit Deo simpliciter necessaria.

IV. Incarnatio Christi non fuit absolutè necessaria.

Probatur primò ex Script. sacra. Sap. 2. *Quis tibi imputaverit si perierint nationes quas tu fecisti?* Non verteretur ergo Deo in justitiæ præjudicium, si hominem lapsum in statu suæ miseriæ æternùm relinqueret. Et Jeremiæ 12. *Numquid ipse figulus potero vobis facere domus Israël?* Igitur potest Deus extra injustitiam pro sua summa libertate hominem lapsum reparare, vel perditum abjicere sicut figulus potest vas confractum ad integrum non restituere.

Favet etiam ratio: Deus enim ad extra operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, & in omnibus suis operationibus modulandis liberrimus est, & ab omni coactione & necessitate longè semotus; quippè cùm ei nihil perfectionis accedat aut recedat propter salutem aut perditionem creaturæ: igitur nulla necessitate impellitur ad hominem perditum recipiendum & restituendum; ac subinde ad Incarnationem ineundam nulla necessitate ducitur. Patebit evidentiùs hæc veritas ex sequenti consideratione, sed priùs solvendæ sunt rationes quibus S. Anselmus videtur contrarium asserere.

Objicis itaque primò, libro 1. *Cur Deus homo* cap. 2. 4. Dei propositum non potest evacuari: sed Deus hominem condendo proposuerat eum promovere ad beatitudinem æternam quam non potest pertingere quandiu jacet in lapsu: ergo necessum fuit Deo, ne propositum ejus foret frustraneum, & ne quod de homine proposuerat penitus annihilaretur, ac genus humanum tam pretiosum ejus opus omninò periret; ut istud a suo lapsu repararet: hoc autem fieri non poterat nisi per Incarnationem Verbi: igitur illa fuit simpliciter necessaria.

V. Si quâ Deus impulsus fuerit necessitate, maximè consequentiæ.

Respondeo, ex hoc argumento nihil aliud sequi, quàm quòd conveniens equidem fuerit Deum hominis lapsum reparare, non autem quòd aliquâ necessitate ad id fuerit impulsus. Vel si quæ sit illa necessitas, non alia certè quàm consequentiæ petitæ ex immutabilitate ejus propositi, quòd certè absolutam necessitatem non infert; non enim sequitur, ait seraphicus Doctor *ibidem*, si Deus reparat necessitate suæ immutabilitatis, quòd propter hoc non reparet libertate suæ benignitatis: hæc enim simul stare possunt. *Adde quòd* etsi Deus aliquam decentiam & necessitatem habuerit reparandi homines, non propterea id necessariò debuerit præstare per Incarnationem; quippè varius ac multiplex ei modus suppeditabatur salvandi homines, etiam si Verbum non fuisset incarnatum, ut constabit infrà.

Objicies secundò, cap. 24. Non decet summam sapientiam permittere nobilissimam creaturam universaliter fine suo fraudari: sed nisi reparatio hominis lapsi interveniat, omnes homines ad beatitudinem æternam conditi, fine suo fraudarentur, & ita vanè omnes filii hominum essent constituti; quippè injustus est omnis qui non reddit

Deo quod debet; nullus autem injustus, inquit S. Anselmus, admittitur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia in qua nulla est indigentia, sic nulli convenit nisi in quo pura est justitia, ut nulla sit in eo injustitia: ergo necessum fuit Deo ratione suæ sapientiæ divinæ, ut hominem lapsum restitueret eumque ad debitum suum finem promoveret.

Respondeo, prioris argumenti solutionem etiam præsenti facere satis; ex eo enim duntaxat infertur, congruum quidem fuisse divinæ sapientiæ ut hominem Deus è suo lapsu relevaret & ad finem suum promoveret & ordinaret; non verò quòd id absolutè necessarium fuerit: quippè Deus, ut diximus, liberrimus est in suis operationibus ad extrà, & si quid beneficii impendit, maximè peccatoribus id largitur, non ex cogente necessitate, sed ex exuberante misericordia & bonitate.

Objicit 3. cap. 16. & 17. Indecens foret, ac proinde impossibile, numerum Angelorum, utpotè præstantissimarum creaturarum, imperfectum perpetuò relinquere: atqui numerū illum non conveniebat restaurare ex iis qui ceciderant; quippè Angelus semel lapsus, per pœnitentiam Deo reconciliari non potest. *Nec etiam* resarciri posset ille numerus per alios Angelos de novo creandos, quoniam illi qui substituendi essent, tales esse deberent, quales essent illi qui ceciderunt si non peccassent: at tales esse non possent, quia priores Angeli qui ceciderunt, meliores essent si perseverassent, quàm forent Angeli posteriores qui post eorum lapsum crearentur; siquidem priores perseverassent nullâ visâ vindictâ peccati & districtâ animadversione Dei in perduelles: posteriores autem recenter creati, perseverarent duntaxat post compertam illam vindictam: præstantius autem & perfectius est perseverare in gratia nullô visô exemplô justitiæ divinæ vindicantis peccatum, quàm perseverare propter illud exemplum: quia illa perseverantia est ex puro & solo motivo amoris divini, hæc autem habet admixtum timorem; actus autem qui simpliciter elicitur ex motivo amoris, præstantior est quàm qui elicitur ex motivo timoris: igitur prior perseverandi modus præstantior esset posteriori. Ex quibus infert S. Anselmus ruinam Angelorum reparandam esse ex alia natura quàm Angelica; nulla autem alia erat ad id apta quàm humana: igitur necessum fuit humanam naturam elevari ad supplendum numerum Angelorum. Sed ubi lapsa est, non potuit ad illam elevationem promoveri, nisi relevaretur & pristinæ innocentiæ restitueretur: ergo necessum fuit illam salvari, ac proinde Deum habere Salvatorem, quod duntaxat per Incarnationem obtinuit.

VI. Angelos reparare noncrat absolutæ necessitate.

Respondeo nullas esse prorsus omnes illas consequentias. *Primò* namque non fuit absolutè necesse, sed duntaxat congruum, Angelorum numerum restaurare & supplere; nam, ut diximus ex Sap. *Quis ei imputabit si perierint nationes?* quippè cùm Deus nihil ex justitia peccanti debeat præter supplicium. *Secundò*, Minùs verum apparet, non potuisse restaurare numerum Angelorum ex his qui ceciderant aut ex aliis denuò creatis; siquidem probavimus in 2. Tomo nullam implicare contradictionem, Angelos ad pœnitentiam per divinæ gratiæ subsidium posse revocari, illorum quippè in malo obduratio, maximè provenit ex negato sibi gratiæ auxilio. Potuit Deus pariter supplere illum numerum per Angelos denuò creatos: Tùm quia non erat necesse ut restitueretur ex Angelis æquè bonis cum his qui ceciderant, quippè Deo liberum fuit aliter constituere & ordinare: Tum etiam, quia Deus gratiâ suâ efficere potuit ut Angeli recenter creati meliores etiam forent his qui corruerant; nam gratia Dei non est minùs efficax ad bonitatem & justitiam servandam & augendam, quàm animadversio Dei & ejus vindicta ad puniendum.

Denique, etsi Angelorum numerus esset per homines reparandus, non tamen consequens esset homines illos restituendos esse per Incarnationem Verbi; quippè plurimis aliis modis etiam seclusâ Incarnatione, Deus hominem poterat liberare & salvum facere quod perierat, ut indicabit

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Etiamsi Deus voluerit lapsū reparare, Incarnatio tamen non fuit absolutè necessaria.

Incarnatio non fuit simpliciter necessaria, etiam ex hypothesi quod Deus hominem lapsum restituere & salvare decreverit: Hæc est communis inter Theologos.

Probatur primò ex Scriptura, quæ Incarnationem commendat tanquam præstantissimum opus ac beneficium dilectionis, misericordiæ, & liberalitatis divinæ. Sic Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Vnigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad Titum 3. *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et 1. Joan. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum Vnigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per ipsum:* At opus charitatis, misericordiæ ac benignitatis divinæ, non est opus necessitatis, sed summæ libertatis: Ergo Incarnatio, per quam Deus restituit homines, non fuit ullatenus ex necessitate.

VIII. Duplex est necessitas ex S. Anselmo: alia quæ libertatē & gratiā minuit: Altera quæ perficit.

Reponit sanctus Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 5. duplicem esse distinguendam necessitatem: *Alteram* quæ cogit aliquem invitum ad benefaciendum, quia non potest aliter facere: & hæc, inquit, necessitas benefaciendi, gratiam aufert aut minuit, cùm enim aliquis eâ necessitate cui subjacet invitus benefacit, aut nulla, aut minor illi gratia debetur: *Aliam* verò per quam potiùs augetur gratia benefacientis, quia huic necessitati sese liberè subjecerit: cùm enim aliquis sponrè necessitati benefaciendi se subdit, nec invitus eam sustinet; tùm utique beneficii gratiam meretur majorem; non enim hæc dicenda est necessitas, sed gratia, quia nullô cogente illam suscipit aut servat, sed gratis. Tale est, cùm quis sanctæ conversationis vovet propositum, quamvis namque servari illud ex necessitate post votum debeat, ne apostatæ damnationem incurrat, & licèt cogi posset servare si nolit: si tamen non invitus servat quod vovit, non minùs sed magis gratus est Deo, quàm si non vovisset, quoniam non solùm communem vitam, sed etiam ejus licentiam sibi propter Deum abnegavit: nec sanctè vivere dicendus est necessitate, sed eâdem quâ vovit libertate. Quare multò magis si Deus facit bonum homini quòd incœpit, licèt non deceat eum à bono incœpto deficere, totum gratiæ debemus imputare; quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens incœpit; non enim illum latuit quid homo facturus erat, cùm illum fecit, & tamen bonitate suâ illum creando sponte, se ut perficeret incœptum bonum obligavit. Hæc sanctus Anselmus; quibus significat, quod quia Deus creavit hominem quem præsciebat peccaturum, ac proinde

proinde necessarium fore, ut una è divinis personis incarnaretur quæ ipsum redimeret, & nihilominus eum liberè produxit & peccare permisit, idcirco hanc necessitatem ipse sponte subire voluit; ac proinde nihil ex ea suæ liberalitati, gratiæ, amori, & benignitati derogatum est.

Verùm hæc responsio non elevat authoritates præfatas, nam Scriptura apertè insinuat liberam ac summè misericordem Dei voluntatem post lapsum in reparando homine, & in eo reparationis modo quem elegit inter eos omnes quos ad id muneris poterat usurpare, ut mox dicemus.

IX.
SS. Patres apertè pronuntiant Deum potuisse hominem salvare absque Incarnatione Verbi.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Primò quidem ex S. Athanasio Sermone 3. contra Arianos; ubi cùm dixisset Deum congruè per Verbi Incarnationem solvisse maledictionem quam comminatus fuerat dicens: *Terra es, & in terram ibis*, subjicit hanc Arianorum objectionem, *Sed poterat, etiamsi Salvator creatura existeret, vel loqui tantummodò, & ita solvere maledictionem*: quam solvit in hunc modum: *Poterat sine adventu Christi solummodò loqui Deus, & solvere maledictionem: cæterùm spectandum est istbic quid hominibus sit utile, non quid situm sit in viribus Dei.*

Idem dicunt plurimi sancti Patres. Sanctus Leo Serm. 2. de Nativit. cap. 3. *Verax*, inquit, *misericordia Dei cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus diaboli, non virtute uteretur potentiæ; sed ratione justitiæ.* Subscribit sanctus Bernardus Epist. 190. *Quis negat*, inquit, *ad manum Omnipotentis fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis & liberationis.*

Apertiùs autem hanc veritatem insinuat sanctus Augustinus, lib. de Agone Christi, cap. 11. ubi ait: *Sunt stulti qui dicunt, Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur.* Et lib. 13. de Trinitate cap. 10. arguens eos qui dicunt defuisse Deo alium modum, quô homines à peccato liberaret, ait: *Parum est sic refellere, ut istum modum quô nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonum, & divinæ congruū bonitati: verùm etiam ut ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent: sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.*

X.
Idem ratione firmatur.

Suffragatur etiam ratio Theologica. *Primò* namque cùm Deus sit liberrimus in suis operationibus ad extra, cúmque læsus ipse sit per hominum peccata, poterat illam offensam gratis condonare & remittere per simplicem ac gratuitam condonationem, nullam exigendo pœnam aut satisfactionem pro admissa culpa; hoc enim maximè saperet divinam ejus clementiam, benignitatem & misericordiam, appareretque abundantissima illius in seipso sufficientia; siquidem per id manifestaret se nullatenus bonorum nostrorum indigere, nec honorem à nobis ipsi impensum, aut negatum, ejus perfectioni aut fœlicitati quidquam addere aut detrahere.

1. Quia potuit irrogatam sibi ab hominibus injuriam gratis condonare.

Adde quòd laudabile videtur homini cuique læso, dum irrogatam sibi injuriam gratis condonat; hæc enim gratuita offensæ remissio, manifestum est argumentum animi generosi & magnanimi: igitur illa pariter gratuita condonatio; maximè vergeret in Dei honorem & gloriam.

Confirmatur, quia licèt Magistratus aut Judex particularis non possit interdum offensam etiam ab homine læso remissam & gratis condonatam, inultam relinquere: sed juxta legum præscripta teneatur reo debitas pœnas præscribere; tamen princeps, justis de causis, pro sua in communitatem authoritate, potest promeritas à reo pœnas secundùm legum præscripta, gratis relaxare, & eum absque ulla satisfactione liberum dimittere: ergo multò magis id Deus pro summa sua authoritate & clementia poterit hominibus debitas pœnas secundùm præscripta suæ divinæ justitiæ gratuitò condonare, nullamque ab eis satisfactionem exigere; igitur, etiam præsupposito hominum lapsu, non fuit necessaria Incarnatio Verbi.

2. Poterat à quolibet homine reo debitam satisfactionē repetere.

Deinde, etiamsi Deus ex justitia necessariò aliquam ab hominibus pro expianda eorum offensa satisfactionem exigeret, potuisset illam ab unoquoque homine reo repetere; ita quòd hominum quisque teneretur pro singulari sua persona satisfacere Deo pro peccato originali à se contracto: quemadmodum peccator quilibet tenetur præstare Deo satisfactionem pro omnibus suis peccatis actualibus: cùm enim originale peccatum idcirco à quolibet homine contrahatur, quia ejus voluntas interpretativè fuit in voluntate Adami, ita quòd eô peccante omnes peccaverunt; quidni potuisset Deus etiam cuilibet hominum præscribere satisfactionem aliquam voluntariè ac liberè pendendam, pro expiando illo reatu, qui interpretativè duntaxat voluntarius fuit respectu cujuslibet hominis.

3. Unus homo eximiâ virtute & gratiâ donatus, potuisset (si Deus ordinasset) pro aliis satisfacere.

Denique, poterat Deus (ut dicemus in quæstione sequenti) tantam homini alicui particulari gratiam conferre, ut opera ejus omnino Deo grata fierent, & accepta ad satisfactionem pro universo humano genere: igitur ad id non fuit absolutè necessaria satisfactio à Deo-homine impensa.

XI.
Objiciuntur SS. Patres qui docere videntur absolutè necessariam fuisse Incarnationem ad hominum salutem.

Objicies 1. sanctos Patres affirmantes Incarnationem fuisse absolutè necessariam ex hypothesi, quòd Deus hominem liberare decerneret. *Sic S.* Chrysostomus Hom. 10. in Joan. *Cecidit*, inquit, *natura nostra eô modô ut restitui nullò pactò posset à quocumque, nisi ab illa omnipotentissima manu: neque enim aliter restitui poterat, nisi qui ex principio eam finxit, manum porrexisset.* Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 7. *Quoniam*, inquit, *imperfectum esse opus Dei non decuit, & non potuit aliter reparari, necessariò Deus factus est homo.* Ambrosius ad Hebr. 9. *Tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi omnipotens Filius Dei moreretur pro nobis.* Leo Papa Epist. 81. *Quæ*, inquit, *reconciliatio esse poterat, quâ humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei hominumque susciperet?* His adde sanctum Anselmum toto libro 1. *Cur Deus homo*, &c.

Sed intelligendi sunt de necessitate consequente ex decreto Dei: non verò de necessitate absoluta.

Respondeo, eos omnes sanctos Patres ita à nobis posse explicari, quemadmodum noster Alensis, & seraphicus Doctor exponunt sanctum Anselmum, cùm dixit impossibile Deo fuisse non incarnari; & ita necessarium fuisse redimi hominem per Incarnationem, ut aliter fieri nec potuerit nec debuerit. Dicunt enim illi Doctores, sanctum Anselmum loquutum fuisse de sola *Necessitate immutabilitatis*, quæ provenit ex decreto voluntatis Dei, quod semel habitum ipse Deus mutare non potest. Suppositâ ergo divinâ ordinatione de redimendo homine per Incarnationem, non poteramus aliter salvari, neque Deus poterat nobis hoc beneficium negare; alioqui fuisset mutabilis,

Secundò exponi possunt sancti Patres de necessitate ad meliùs esse; ita ut dicatur illud necessarium, quod est convenientissimum, quodque ex omni parte damnum per peccatum illatum compensat: hôc enim modô neque manet dedecus peccati sine decore justitiæ, & pœnas luit homo quas debet, & dignè Deo satisfacit qui dignam satisfactionem potest rependere. *Denique* exponi possunt de necessitate conducente ad modum perfectissimæ redemptionis quæ cogitari potest; certum est autem quod præstantissima quæ cogitari potest satisfactio pro peccatis hominum, ea sit quæ exhibetur ab homine-Deo.

Objicies secundò. Cum sancto Anselmo lib. 1. *Cur Deus homo.* cap. 12. Deus nihil moliri potest in præjudicium suæ divinæ æquitatis & justitiæ: sed si hominum offensam relaxaret absque debita satisfactione, quæ duntaxat per Deum hominem potest fieri, ageret contra exigentiam suæ justitiæ, quæ vult omne peccatum puniri & ablatum Deo honorem rependi. Igitur, &c.

XV. Si Deus hominum offensam gratis relaxaret, oil contra suã justitiam molitetur.

Distinguo minorem. Illud vergeret in præjudicium divinæ æquitatis & justitiæ secundùm rationem præsentis dispositionis & ordinationis rerum, concedo: quia nempè Deus decrevit nullum fore pecatum impunitum nec remittendum absque satisfactione vel propria, vel aliena: secundùm ordinationem quam Deus statuere poterat, si alterô mediô, ut erat in ejus libertate, nobis sucurrere voluisset, nego; cùm enim tota Dei justitia & æquitas ab ejus divina ordinatione pendeat, idque justum & æquum duntaxat censeatur, quod cum divina voluntate concordat; inde liquet quòd si rem aliter statuisset Deus, decretum istud divinæ æquitati non repugnasset.

Objicies tertiò, cùm eodem sancto Anselmo. Peccatum si non punitur, inordinatum dimittetur: quia sicut virtus ordinatur ad gloriam, ita peccatum ad pœnam; sed non decet Deum aliquid in suo regno inordinatum dimittere: igitur non decet Deum peccatum sic impunitum dimittere.

Distinguo majorem. Inordinatum est, peccatum sine punitione dimittere; juxta præsentem divinam ordinationem, concedo; siquidem Deus, ut mox diximus, vult omne peccatum debitas pœnas luere: sed cùm rem aliter Deus statuere potuerit, ita pariter potuit efficere, ut peccatum absolutè non ordinaretur ad pœnam inevitabiliter infligendam.

Objicies denique ex eodem. Si peccatum debitâ satisfactione non solvitur nec punitur, consequens est quòd nulli legi subjaceat: sed hoc repugnat: tum quia sequeretur, quòd injustitia liberior esset quàm justitia; quia hæc divinæ providentiæ subjacet, illa verò nulli legi subjaceret: tum pariter quòd injustitia esset Deo similis; quippè, sicut Deus, nulli legi subjaceret: quæ consequentiæ sunt omnino absurdæ: igitur & illud unde inferuntur.

Nego sequelam majoris: siquidem in eo casu peccatum & injustitia subjacerent divinæ voluntati ordinanti ut gratis remitterentur, quemadmodum ipsi subjacent opera justitiæ, quæ ex divina ordinatione sortiri debent debitam mercedem; non aliâ ratione quàm quia videlicet Deus ita statuit ac ordinavit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum purus homo Deo satisfacere potuerit pro hominum offensa, eorumque ruinam restaurare.

I. Homo purus qui hîc intelligitur, nec Deus est, nec unitus hypostaticè cum aliqua è divinis personis.

NOtandum primò, Nomine *hominis puri* Theologos hîc non intelligere hominem destitutum gratiâ sanctificante & aliis donis supernaturalibus, ut intellexit Caietanus: sed solùm significatur homo qui non est Deus, nec unitus hypostaticè cum aliqua è divinis personis, qualis est Christus D. unde quæstionis sensus est, an aliquis homo possit pro universis hominum peccatis condignam Deo satisfactionem exhibere; & in tantùm apud eum promereri suis meritoriis & satisfactoriis operibus, ut Deus hominum offensam relaxet & eis media sufficientia ad salutem æternam consequendam largiatur.

II. Satisfactio in genere est debiti solutio: ejus definitio à Doctore subtili explicatur.

Notandum secundò, quòd satisfactio in genere, sit debiti solutio: quæ definitur à Doctore subtili *in 4. distinct. 5. num. 4. Redditio voluntaria æquivalentis, aliàs indebiti.* Cujus definitionis particulas ibidem explicat Doctor. Primò dicitur *redditio*, tum ut distinguatur à simplici donatione, quia redditio non est simplex donatio, sed debiti solutio: tum etiam ut significetur satisfactionem esse actum justitiæ & ad alterum; quia propriè nullus sibi aliquid reddit. Secundò dicitur voluntaria; tum quia est actus virtutis justitiæ, omnis autem actus virtutis moralis debet esse voluntarius: tum etiam quia omnis redditio quæ non est voluntaria, magis est satispassio quàm satisfactio. Tertiò, *æquivalentis*, quod enim per satisfactionem redditur, debet quamdam habere æqualitatem cum debito; idque vel secundùm proportionem Geometricam, quâ ex justitia distributiva major debetur satisfactio digniori personæ læsæ quàm minùs dignæ: vel secundùm proportionem Arithmeticam, quâ ex justitia commutativa tantùm datur pro tanto, v. g. centum aurei solvuntur pro totidem debitis. Quando autem aliqua satisfactio has omnes conditiones habet, dicitur *perfecta*: quando deest æqualitas, dicitur *de congruo*, quia creditor non tenetur illam acceptare ex justitia, sed duntaxat ex liberalitate & congruentia: quando verò fit ad æqualitatem, sed ex bonis à creditore concessis, dicitur *ex condigno*, quia licèt id quod redditur sit ex gratia creditoris; tamen reverà pretium redditum æquivalet debito.

III. Varia potest esse satisfactio ratione materiæ propter quam fit.

Notandum tertiò, ratione materiæ, satisfactionem esse multiplicem: fit enim *vel* in bonis fortunæ, *vel* naturæ, *vel* honoris, *vel* reverentiæ; sed cum hoc discrimine, quòd satisfactio *in bonis naturæ* fieri non possit personæ læsæ nisi per quamdam compensationem commutativam; qui enim alterum graviter percussit, debet ipsi facere satis per bona fortunæ solvendo pretium aliquod pro mulctâ læsionis & offensæ. *In bonis* autem *fortunæ*, satisfactio fieri debet ex iisdem bonis, non quidem semper secundùm eandem entitatem, sed secundùm pretium & æstimationem: nam qui debet alteri centum nummos, satisfaciet ex æquo vel parem pecuniæ summmam retribuendo, vel donando aliquid æquivalens in pretio, secundùm æstimationem communem, aut saltem juxta viri prudentis judicium: satisfactio autem *in honore*, maximè attenditur vel secundùm excellentiam operis satisfactorii; vel secundùm dignita-

tem personæ satisfacientis: sicut enim injuria crescit juxta dignitatem personæ offensæ & vilitatem offendentis; ita crescit satisfactio juxta excellentiam personæ satisfacientis: quò enim dignior est persona honorans, honor est illustrior.

His ita præmissis, duo sunt hîc resolvenda: *Primùm*, an aliqua simplex creatura de lege ordinaria pro omnium hominum peccatis condignè Deo satisfacere posset. *Secundùm*, utrùm saltem juxta absolutam Dei potentiam & extraordinariam dispositionem, id posset exequi.

Conclusio Prima.

IV.
Homo purus de potentia ordinaria non potuit condignè satisfacere Deo pro peccatis omnium hominum.

Non potuit purus homo, juxtà præsentem rerum dispositionem satisfacere de condigno & ad æqualitatem pro peccato omnium hominum. Hæc etiam est communis. Ut enim satisfactio esset perfecta, deberet esse redditio æquivalentis, ut dictum est in 2. *Notab.* sed purus homo non potuit tam pro suo quàm pro alieno peccato, seclusô omni pactô divinô, reddere ęquivalens: igitur nec potuit perfectam satisfactionem impendere. Non quidem rependere ęquivalens, quia nullum est opus hominis quantàlibet gratiâ præditi, quod possit tantùm honoris rependere Deo quantùm ei ablatum est per quodlibet hominis peccatum:

Quod ratione probatur:

sicut enim per quodcumque peccatum Deo fit C injuria peculiaris, necessum esset ad perfectam satisfactionem, ut etiam peculiaris pro singulis peccatis fieret satisfactio; vel ut aliquis actus ita perfectus eliceretur, qui posset tantùm honoris Deo impendere quantùm ei detractum est per quodlibet singulare peccatum: sed neutrum homo purus potest exequi seclusô divinô pactô. Non quidem primum, quia nullus hominum tot actus meritorios potest elicere, quot eliciti sunt à peccatoribus actus Dei offensivi. Nec etiam secundum potest exequi, sicut enim quodlibet peccatum certam & limitatam habet indignitatem & offensam; ita opus meritorium habet determinatam rationem meriti & honoris, D nec tantùm dignitatis habere potest ut ejus meritum ęquivaleat omnibus injuriis per singula peccata Deo irrogatis. *Adde quòd* ratio meriti partim repetatur ex acceptatione Dei; ergo ubi illa non intervenit, sicut reverà de facto non fuit, quippè nullibi apparet, sic nec ęqua potuit esse satisfactio.

Et authoritate SS. Patrum.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, qui idcirco affirmant opus esse homine-Deo ad salutem nostram operandam, quia nulla creatura Angelica aut humana id poterat exequi. Ita imprimis docent plurimi Patres Græci.

Athanasii.

Sic sanctus Athanasius in Euangel. de Passione & cruce Domini, ait: *Cùm videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esset quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persolvere posset, nam excessus malitiæ excedebat omne supplicium: vidensquè simul Patris bonitatem; & se quòd idoneus esset & potens (Christus enim Dei potentia ac Sapientia) commotus fuit sua humanitate, & misertus nostræ imbecilitati, illam ipsam imbecilitatem induit....... vidensque simul quàm non ad solutionem pœnæ sufficeremus, illam ipsam pœnam in se transtulit.* Et lib. de Incarnat. Verbi, *Cùm enim*, inquit, *Patris sit Verbum & supra omnes, meritò etiam solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit qui pro omnibus intercederet.*

Basilii.

Sanctus Basilius in Psalm. 28. exponens hæc verba, *Frater non redimit redimet homo*, ait: *Non* A *homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus; quia nullus alius condignum afferre poterat pretium.* Cyrillus epistolâ 1. seu exegesi, *Quò pactò*, inquit, *unus pro omnibus mortuus justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si perpessionem illam puri cujuspiam hominis fuisse dicamus.*

Damasceni.

Damascenus *lib.* 3. 15. *&* 19. dicit actionem Christi & Passionem ideo fuisse salutiferam, quia divina erat: *Neque enim*, inquit, *convenire poterat actioni humanæ.* Chrysostomus Homil. 10. in Joan. *Cecidit*, inquit, *natura nostra eô modô, ut restitui nullô pactô posset à quocumque, nisi ab illa omnipotentissima manu: neque enim aliter restitui poterat, nisi qui in principio eam effinxit, manum* B *porrexisset.*

Ipsis adstipulantur Patres Latini, quibus præit sanctus Cyprianus, sive quisquis est author libri de operibus Cardinalibus Christi, ubi ait: *Cùm originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium.*

Ambrosii.

Sanctus Ambrosius lib. 4. in Lucam. *Quis tantus esset dux qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me supra mundum constitueret, nisi qui major est mundo? &c.*

Augustini.

Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 108. *Neque per ipsum liberaremur mediatorem hominem* C *Christum, nisi esset Deus.*

Fulgentii.

Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 4. post medium. *Verbum igitur Deus*, inquit, *idest unigenitus Dei Filius, qui est in omnibus, sicut ipse testatur, initium & finis: sic initialiter secundùm humanam naturam concipi carne non abnuit: sicut eadem carne moriens Deus humana natura debitum finale persolvit: nullatenùs namque humana natura ad auferendum peccatum mundi, sufficiens atque idonea fieret: nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solùm personali transiret.*

Leonis.

Denique sanctus Leo Serm. 1. de Nativitate ait; *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium.* Et Serm. 12. de Passione Domini. *Quia ergo*, inquit, *primi hominis universa posteritas uno simul* D *vulnere sauciata corruerat, nec ullum Sanctorum merita conditionem poterant illata mortis evincere, venit è cœlo medicus singularis.* Ex quibus & similibus SS. Patrum oraculis apertè constat satisfactionem pro peccatis humani generis non potuisse de via ordinaria ab ullo prorsùs hominum quamvis sanctissimo, Deo impendi: An autem id fieri potuerit de via extraordinaria, & per absolutam Dei potentiam; aperiet.

Conclusio Secunda.

V.
Purus homo potuisset absolutè satisfacere Deo ad æqualitatem pro peccatis hominum.

Purus homo potuisset Deo satisfacere ad æqualitatem, pro peccatis humani generis de potentia Dei absoluta, & secundùm extraordinariam ejus E *dispositionem.* Hæc est Doctoris subt. *in* 3. *dist.* 20. *num.* 9. ubi impugnans sententiam sancti Anselmi dicentis, quòd absolutè oportuerit Deum hominem fieri, ut pro hominibus satisfaceret; ait, Contra illud quod dicit in 3. *articulo*, quòd nullus nisi homo debuit satisfacere; hoc non videtur absolutè necessarium: quia unus, qui non est debitor, potest satisfacere pro alio, sicut pro alio orare. Unde sicut Christus innocens homo non debitor, satisfecit: sic, si placuisset Deo, potuit unus bonus Angelus satisfecisse offerendo aliquid placitum Deo pro nobis, quod ipse acceptasset pro omnibus peccatis: quia tantùm valet omne creatum oblatum, pro quanto acceptat Deus & non plus.

Quod egregiè probat Doctor subtilis.

1. Quia unus pro alio impetrare potest & orare, igitur & satisfacere.

Præterea, unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si fuisset conceptus sine peccato, sicut potuisset fieri de possibili, operatione Spiritûs sancti & Matris; sicut fuit Christus; & Deus dedisset sibi summam gratiam quam potuisset recipere, sicut dedit Christo, sine meritis præcedentibus ex liberalitate sua: talis enim potuisset mereri deletionem peccati sicut & beatitudinem.

Et deinde respondens ad illud quod asserebat sanctus Anselmus; nimirùm requiri ex parte satisfacientis, quòd plus offerat Deo quàm valeat tota creatura: dicit *numerò* 8. Credo quòd salvâ suâ reverentiâ, hoc non est verum: non enim oportuit satisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam creaturam formaliter in magnitudine & in perfectione; suffecisset enim offerre Deo majus bonum, quàm fuerat malum illius hominis peccantis. Unde si Adam per gratiam datam & charitatem, habuisset unum, vel multos actus diligendi Deum propter se, ex majori conatu liberi arbitrii, quàm fuit conatus in peccando; talis dilectio suffecisset pro peccato suo redimendo, & fuisset satisfactum. Et tunc propositio illa est falsa, quòd debuit offerre Deo aliquid majus omni eo pro quo peccare non debuerat: sed sicut pro amore creaturæ, ut objecti diligibilis, non debuit peccare; ita satisfaciendo Deo debuit offerre aliquid majus, attingendo per actum objectivè; quàm sit creatura; scilicet amorem attingentem eum propter se, & ille amor objectivè ut terminatur ad Deum, excedit amorem creaturæ, sicut Deus creaturam. Unde sicut peccavit per amorem ignobilioris objecti in infinitum: ita debuit satisfacere per amorem nobilioris in infinitum, & hoc suffecisset saltem de possibili. Hæc Doctor

2. Quia potuit aliquis homo formari immunis à peccato & gratiâ summâ præditus, ac eximiè Deo gratus.

3. Quia ad dignam satisfactionem non opus est quòd satisfaciens aliquid offerat dignius omni ente creato.

Quibus docet *Primò*, Deum potuisse formare hominem aliquem, qui non esset ex prosapia Adami, nec illius peccato infectus, & ipsi eandem summam gratiam conferre, quàm Christo Domino contulit: ac convenire cum ipso, ut ejus opera bona proficerent ad deletionem peccati, & ad meritum Beatitudinis pro cæteris hominibus; sicut convenit cum Christo. In qua hypothesi posset ille homo ex justitia perfecta Deo satisfacere pro reatu universi generis humani.

Secundò, poterat etiam Deus convenire cum Adamo pœnitente, quatenùs erat caput humani generis, ut per actus amoris, & dilectionis Dei, aliosque actus pietatis & pœnitentiæ satisfaceret tam pro suo peccato, quàm pro peccato posterorum, quia ratione illius pacti, Deus acceptaret illos actus meritorios, ut tantùm ei rependeretur honoris quantùm ablatum est per peccata. Quòd enim hæc fieri possint, nulla apparet repugnantia: igitur ita potuit accidere.

4. Quia peccatum non plus habet malitiæ, nec plus infert offensæ, quã opus meritorium habere possit bonitatis & rependere honoris.

Probatur insuper: Si purus homo non posset satisfacere ad æqualitatem, maximè quia opera talis hominis justi non possent habere illam condignitatem ad expiationem & solutionem peccati: sed falsum consequens: igitur, &c. Probatur minor: Idcirco illa opera non haberent illam condignitatem; quia, ut volunt plurimi Thomistæ, peccatum habet quandam infinitatem in ratione malitiæ; nulla autem creatura potest expiare & solvere malitiam infinitam: sed hæc ratio nulla est. Probo. Vel loquuntur de infinitate extrinseca & objectiva, quam habet peccatum, quatenus fit contra Deum, quia est objectum infinitum; vel de infinitate formali & intrinseca: sed *primum* non officit quominùs illa malitia solvi possit ab homine puro; quia opera satisfactoria hominis justi tenderent etiam in Deum ut in objectum infinitum; ergo habent pariter illam infinitatem extrinsecam. *Secundum* autem est falsum, quia ut probat Doctor in 3. *dist*. 19. *num*. 13. & in 4. *dist*. 19. *num*. 2. *quæst*. 1. nullum peccatum est formaliter malitiæ infinitæ; nam si peccatum esset infinitæ malitiæ formaliter & intrinsecè, non posset quis graviùs offendere Deum unô peccatô quàm alterô, & sic non esset gravior offensa si quis directè irreverentiam exhiberet Deo, quàm si occideret hominem aut furaretur; quod est absurdum. Sequela patet: quia si offensa quæ est in furto sit infinita: illa offensa quæ est in irreverentia, non potest esse major, quia major offensa cogitari non potest quàm infinita.

Reponunt Thomistæ, offensam & injuriam crescere juxta dignitatem personæ contra quam fit: nam gravior cæteris paribus injuria est si colaphis impingatur à plebeio princeps aliquis, quàm si plebeius à principe: quare Aristoteles 5. Ethicorum cap. 5. ait: *Si quis magistratum gerens percusserit quempiam, non decet eum repercuti; & si quispiam eum, qui magistratum gerit, percusserit, is non solùm repercutiendus est, verùm etiam supplicio afficiendus.* Igitur cùm peccatum fiat contra Deum, qui est infinitæ dignitatis, censetur habere malitiam infinitam.

Verùm nego consequentiam: Nam si esset legitima illatio, sequeretur pariter quòd visio beatifica esset infinitæ dignitatis intrinsecæ: quia sicut quò dignior est persona quæ offenditur, eò gravior est offensa; ita quò præstantius est objectum, eò etiam perfectior est visio: igitur si offensa personæ infinitæ dignitatis, sit infinitæ malitiæ, etiam visio objecti infinitæ perfectionis erit infinita: sicut ergo falsa est hæc postrema consequentia, alioqui actus puræ creaturæ essent intrinsecè infiniti: etiam falsa est anterior.

VI. Offensa Dei crescit secundùm proportionem Geometricam, non autem Arithmeticam.

Solùm igitur inde inferre licèt, quòd offensa contra digniorem personam, cæteris paribus, sit gravior illâ, quæ minùs dignæ personæ irrogaretur: Quare sicut clara Dei visio est dignior visione inferioris objecti; non tamen est actus infinitus, quia finitô modô tendit in objectum: sic offensa Dei est gravior aliâ offensâ; non tamen est infinita. Hinc actus illi crescunt equidem juxta majorem perfectionem objecti secundùm proportionem Geometricam; ita quòd illi actus, qui versantur per honorem aut offensam, circa dignius objectum, majorem habeant dignitatem vel indignitatem, quàm alli qui taliter tendunt in objectum minùs dignum: non autem debent crescere secundùm proportionem Arithmeticam; ita quòd actus tendens in aliquod objectum, tantam habeat perfectionem, quantam habet objectum in quod tendit.

Instam: Quamvis peccatum in ratione actûs sit quid finitum, tamen in ratione offensæ & aversionis à Deo, est quid infinitum: quia tanta est aversionis malitia, quantum est bonum qood quis spernit: Igitur cum peccatum ut offensa, sit quid infinitum, etiam satifactionem infinitæ dignitatis exigit.

Nego antecedens: Nam illa aversio à Deo, *vel* dicit solam gratiæ sanctificantis privationem; *vel* moralem peccati deformitatem ac malitiam: *Si primum*, offensa nequit esse infinita; nam privationis gravitas & deformitas, non desumitur ab objecto vel fine; sed à forma quæ deberet inesse. Quare sicut pœna damni, quæ est

perpetua carentia visionis divinæ, finita est intensivè; quia privat solùm clarâ Dei visione quæ deberet inesse intellectui tanquam forma illius perfectiva; privat autem Deo tantùm ut illius visionis objectum est: sic peccatum mortale, cùm privet solùm immediatè vel rectitudine debitâ actui, vel gratiâ sanctificante tanquam formâ physicâ debitâ subjecto, tantùm erit finita offensa, licèt Deus ad quem gratia convertit, sit infinitus. *Si secundum*, cùm malitia peccati sit quid finitum, offensa etiam erit finita; nam peccatum idcirco dicitur offensa Dei, non quod lædat Deum, vel aliquid ipsi intrinsecum detrahat, hâc enim ratione censeretur infinitum intrinsecè, sed quia malum est quòd displicet Deo.

Inde est quòd non sit infinita.

Vrgent. Peccato cuilibet mortali sive actuali, sive originali, debetur pœna infinita: ergo est infinitæ malitiæ.

Distinguo antecedens: Debetur pœna infinita, quoad intensionem, nego: quoad extensionem & durationem, concedo. Neque enim hâc pœnâ punitur, quia habet infinitam malitiam: sed quia cùm privet gratiâ, sine qua peccatum non potest remitti, & etiam peccatores efficiat indignos omni gratiâ futurâ, idcirco censetur esse vulnus insanabile. Quoniam autem peccato quamdiu manet, debetur pœna: idcirco cùm peccatum damnatorum semper maneat, etiam ipsi semper debetur pœna; adeoque æterna & infinita quantùm ad durationem, licèt finita sit quantùm ad intensionem.

Nec puniatur infinita pœna intensivè, sed tantùm extensivè.

VII.

Quare Deus opus meritorium donet præmio æterno, & demeritorium puniat æterno supplicio.

Vel aliter respondeo negando consequentiam: Nam si legitima esset illatio, sequeretur quòd opus meritorium nostrum esset pariter infiniti valoris, quia per ipsum meremur præmium æternum & durationis infinitæ. Itaque non videtur congruentior ratio, cur Deus voluerit peccatum finale puniri pœnâ æternâ, sicut & bonum opus donari præmio æterno, quàm quia ita sibi placuit; nam quamvis illa pœna excedat malitiam peccati extensivè loquendo, tamen justè Deus poterat illam præscribere, quia potiùs illius inflictio deputanda est peccatori qui illam patitur, quam Deo qui præscribit, quandoquidem peccator liberrimè facit illas actiones contra dictamen rectæ rationis, ob quas pœna illa æternæ durationis esset inflicta.

Instant iterum. Quamquam peccatum non crescat univoce nec secundùm proportionem arithmeticam juxta dignitatem personæ in quam committitur; tamen satisfactio mensuranda est ex dignitate vel vilitate satisfacientis: quocirca cùm homo sit longè inferior Deo, vilissimusque appareat in conspectu divinæ illius majestatis, inde fit quòd nusquam ex se condignè Deo possit homo satisfacere pro peccato.

VIII.

Vilitas personæ non semper minuit satisfactionem.

Nego antecedens: Non enim semper minuitur satisfactio ex vilitate personæ, alioqui inferior qui superiorem læsisset, nusquam posset ei facere satis, nisi saltem plus ei redderet quam abstulerit, quod falsum est; enimverò, si injuria sit *in bonis fortunæ*, Rusticus aliquis condignè satisfaciet Principi pro centum aureis ablatis, si totidem ei reddat: Similiter si offensa fuerit *in fama*, potest restituere, vel negando se quidquam dixisse in præjudicium famæ Principis, vel eum laudibus celebrando. Nec refert quòd qui ita lædunt Principem, soleant præter hanc satisfactionem interdum graviori pœnâ mulctari; id enim fit ad terrorem, ne alii facilem habeant ansam ita detrahendi Principis fa- A mæ. Si denique injuria sit *in honore*, licèt difficilior appareat satisfactio, quia nihil ferè æstimatur quòd persona vilis sese humiliet & abjiciat coram principe: potest tamen tanta esse illius humiliatio, tantusque erga Principem amor, ut sese gravi periculo pro salute ac vita Principis objiciat; quò fiet ut eum dignum censeat Princeps cui offensam ex æquo remittat.

Inde apparet, quòd homo, licèt Deo longè inferior, quàm sit rusticus erga Principem, tamen ejus divinâ gratiâ sublimatus & suffultus, poterit æquivalentem ei satisfactionem impendere pro peccato, maximè cùm hominum peccata Deum nec per se lædant, nec ullum bonum intrin- B secum ei detrahant: sed catenùs dicantur illum offendere & lædere, quatenùs ei displicent.

Adde quòd amor Dei super omnia, tantùm placeat Deo, quantùm peccatum illi displicet.

Confirmatur præcedens ratio. Id non repugnat fieri, neque est Deo denegandum quod nullam implicat contradictionem: sed nulla apparet contradictio quòd purus homo tantùm reddat Deo quantùm ablatum est per peccatum tùm proprium, tùm alienum; igitur, &c. Major constat. Minor probatur. Nam ad condignam & æqualem satisfactionem tantùm requiritur quod opus satisfactionis in valore & dignitate æquivaleat debito; & quòd Deus illud acceptet tanquam de- C biti compensativum: quippè hominis meritum & illius bonorum operum valor maximè petitur ex pacto & acceptatione divina, ut probabimus in Tractatu *De Gratia, Disputatione de Merito*: sed homo justus potest elicere actum tantæ bonitatis, quantæ malitiæ fuit Adæ peccatum, maximè si sit immunis ab originali peccato & summâ gratiâ donatus: igitur poterat purus homo ad æqualitatem satisfacere pro peccatis aliorum.

Confirmatur iterum hæc ratio, & illustratur hôc exemplô. Potuit Deus pepigisse fœdus cum Adamo, quòd si non peccaret, sed mereretur augmentum suæ justitiæ; talem justitiam cum suo augmento traduceret in posteros; nam si pactum D sufficiens erat ut traduceret justitiam; ita erat sufficiens ut traduceret augmentum illius: sed si hoc potuit Adamus cum pacto & ratione acceptationis divinæ, simili ratione posset alius purus homo per opera sua meritoria transferre auxilia & gratiam justificantem, ut alii a peccatis mundarentur: & consequenter posset de condigno satisfacere pro illis ex acceptatione Dei.

IX.

Quod purus homo satisfaciat Deo de condigno, nulla inde apparet contradictio.

Objicies primò omnes sanctos Patres in præcedenti conclusione laudatos, affirmantes nullum hominem fuisse idoneum ad reparandum humani generis lapsum; & idcirco necessum fuisse Dei Filium incarnari, qui debitam ac congruam pro peccatis humani generis æterno Patri satisfactio- E nem impenderet.

Respondeo sanctorum Patrum authoritates nobis non adversari: siquidem possumus reponere cum Doctore in 4. *distinct.* 15. *quæst.* 1. eas esse intelligendas de necessitate conditionata & ex suppositione quòd Deus voluerit præstantiorem adhibere medicinam quàm esset morbus deterior; & quòd meriti pretium longè præstaret debito, ut ubi abundavit delictum, ibi superabundaret & gratia.

SS. Patres nostræ doctrinæ non adversantur, quippè variè possunt explicari.

Vel reponere possumus cum eodem *in* 3. *dist.* 20. *num.* 10. Deum idcirco statuisse satisfactionem impendi per proprium Filium, ut majoris beneficii vinculo ei devinceremur; Nam, *inquit Doctor*, ideo multum tenemus ei, ex quo enim

X.

„Eò magis
„ob Red-

ptionem nostram per mortem Christi devincimur neo quòd aliter nos poterat redimere.

» aliter potuisset homo redimi, & tamen ex sua libera voluntate sic redemit, multùm ei tenemur, & amplius quàm sit sic necessarium & non aliter potuissemus fuisse redempti: ideo ad alliciendum nos ad amorem suum, (ut credo) hoc præcipuè fecit; & quia voluit hominem ampliùs teneri Deo: sicut si aliquis genuisset primò hominem, & postea instruxisset eum in disciplina & sanctitate, ampliùs obligaretur ei, quàm si tantùm genuisset eum, & alius instruxisset: at hæc est congruitas, non necessitas.

Vel cum eodem *ibidem*, possumos reponere, quòd sancti Patres nihil aliud intenderint, quàm quòd de facto ex suppositione ordinationis divinæ ac legis reverà institutæ, nemo poterat Deo condignè satisfacere præter Deum hominem, ut dictum est in conclusione præcedenti: at istud non repugnat Conclusioni præsenti, quæ non agit de eo quod factum fuit, sed de eo quod fieri potuit.

Vel denique dico, sanctos Patres posse explicari sic, ut velint, nullum hominem purum potuisse satisfacere de condigno pro peccatis generis humani; ita ut satisfactio Adæ v.g. ab ipso exhibita, quatenùs ab eo procederet, non posset habere vim moraliter ad movendum Deum ut remitteret peccata; istud verò obtinuerit satisfactio Christi, quatenùs ab ipso procedebat: cùm enim procederet à persona divina, ex se poterat sufficienter movere Deum ad condonandum peccatum, quamvis non ita necessariò, quin posset illud peccatum non condonare, etiam exhibitâ satisfactione à Christo, nisi intercederet pactum de condonando peccato ratione illius exhibitæ satisfactionis à persona divina. Inde tamen non sequitur, quin interveniente simili ordinatione & pacto divino purus homo, maximè qui ab Adamo oon propagaretur, oec illius inficeretur peccato, summamque gratiam haberet, dignam Deo pro hominum peccatis satisfactionem posset rependere.

Objicies secundò. Illa satisfactio non potest esse condigna, in qua intercederet gratia creditoris & fieret ex donis à creditore gratuitò acceptis: sed talis esset satisfactio puri hominis, quia haberet suum valorem duntaxat à gratia sanctificante sibi gratuitò concessa & à libertima acceptatione Dei; igitur non posset esse ad æqualitatem nec ex pura justitia.

XI. Gratuita acceptatio nil detrahit justæ satisfactioni.

Distinguo majorem. Si illa gratia concessa & gratuita acceptatio sint antecedenter ad satisfactionem, satisfactio non potest esse condigna, concedo: si duntaxat consequenter, nego. *Ad minorem dico*, quôd & gratia concessa & gratuita acceptatio Dei, quâ reciperet satisfactionem ab homine puro sibi exhibitam, antecederent illam sibi impensam satisfactionem & sic non officerent qoominùs illa fuisset condigna: quia licèt illa ordinatio aut lex penderet ex mera & gratuita voluntate creditoris; tamen semel concessâ, per ipsam debitor acquirit jus justitiæ, tùm in id quod sibi gratuitò donatum est, nempè in gratiam sibi liberaliter concessam; quæ licèt data fuerit gratis, tamen ubi illam obtinet, ipsi propria est, & potest eâ pro libito uti vel non uti ad opera meritoria & satisfactoria excercenda: tùm pariter in conditionem quam adimplet, quæ se habet per modum meriti, ut sibi retribuatur merces aut remittatur debitum ubi illam conditionem implevit: nam qui pactum implevit, meretur recipere illud præmium de quo conventum fuerat.

Objicies tertiò. Si purus homo potuisset pro universis hominum peccatis satisfacere, inde consequens esset quod non multùm devinciremur Christo Domino; quippe cùm potuissemus per alterum redimi: sed consequens illud apertè militat in Scripturam sacram, nec non & in Christianam pietatem: igitur & id unde sequitur.

XII. Quòd Deus Filium nobis dederit, ei magis devincimur.

Nego sequelam majoris. Nam, ut mox diximus, cum Doctore subtili, eò magis devincimur Deo, qoòd cùm potuisset aliô modô nos salvos facere, tamen proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum; longè namque magis devinciretur Regi rusticus, qui Regem offendisset, si ad compensendam injuriam, quam gratis Rex poterat condonare, vel aliô modô solvere, proprium Filium substitueret locô ejus plebei, ut sibi dignam pro offensa satisfactionem exhiberet; illum autem plebeum immunem à supplicio & satisfactione dimitteret.

Objicies quartò. Non posset satisfacere purus homo nisi mediante gratiâ habituali; sed gratia habitualis non est principium condignè merendi aliud quam vitam æternam & augmentum gratiæ homini ipsâ habituali gratiâ dignè utenti: igitur non potest esse principium merendi aliis de condigno condonationem peccati.

Distinguo minorem. Secundùm præsentem ordinationem, concedo: secundùm possibilem, nego; nihil enim impedit quominùs Deus posset acceptare actum charitatis hominis justi pro alio præmio quam pro vita æterna; nam si homo haberet summam gratiam, quâ mediante haberet jus ad vitam æternam ex æquo ipsi gratiæ correspondentem; itaut Deus nollet ullatenùs acceptare ipsius opera tanquam meritoria augmenti gratiæ aut gloriæ pro ipso homine operante, (sicut de facto opera meritoria Christi, non ipsi profuerunt nec ad uberiores gratias, quarum plenitudinem habebat ab instanti conceptionis; nec ad ampliorem animæ beatitudinem quæ Deo fruebatur,) absurdissimum esset quòd Deus non posset acceptare illa merita pro aliis præmiis conferendis ipsis pro quibus pusillus homo sua merita Deo exhiberet.

Objicies quintò. Non potuit aliquis sufficienter satisfacere Deo pro omnibus beneficiis ab ipso receptis: ergo multò minùs poterit pro peccatis omnium satisfacere. Consequentia patet, quia homo non minùs constituitur debitor pro peccato commisso, quàm pro beneficiis acceptis.

Nego consequentiam, quia ad satisfaciendum pro beneficiis, requiritur alia gratia, unde pro illa non posset fieri satisfactio, vel fieret processus in infinitum; qualis processus non daretur si quis pro omnibus peccatis satisfaceret.

Adde quòd negari posset antecedens, nam sicut ille qui pro peccato suo meretur pœnam mortis temporalis; potest pro ea condignè satisfacere; nempe exhibendo tale obsequium in utilitatem aut Regis aut Reipublicæ, ut dignus sit cui authoritate supremâ, donetur vita: eôdem modô unus pro alio satisfacere posset, & compensare pœnam mortis debitam.

Objicies sextò. Non potest unus homo satisfacere pro peccato alterius, pro quo expiando ille pœnam mortis merebatur: igitur multo minùs poterit satisfacete Deo pro peccato quod meretur mortem æternam.

Nego consequentiam. Et ratio disparitatis est, quòd homo satisfaciens pro peccato alterius hominis damnati ad mortem temporalem, nihil habet quod sit equivalens vitæ; quia quidquid po-

test pro altero exhibere, temporarium est & inferius vitâ: secus autem est de homine satisfaciente pro peccatis aliorum: nam sicut peccatum meretur pœnam æternam, sic opus meritorium meretur vitam æternam; adeoque videtur condigna satisfactio dum opus meritorium pro compensatione peccati mortalis & pœnæ æternæ exhibetur; quia nempe reddit opus equivalens quod meretur vitam eternam.

Quæstio III.

Vtrum Christus Deo condignam satisfactionem exhibuerit?

TRia maximè veniunt in præsenti quæstione determinanda. *Primum*, an Christi satisfactio exhibita fuerit ex virtute justitiæ propriè dictæ: *Secundum*, an ex se fuerit sufficiens & condigna pro expiandis omnium hominum peccatis: *Tertium*, an omnes ad rigorosam justitiam conditiones habuerit: quæ ut evidentiùs appareant;

I.
Virtus moralis generatim, vel seipsum, vel alium respicit.

Notandum primò, ex Aristot. 3. ethic. cap. 1. virtutem moralem generatim dividi in eam quæ versatur circa seipsum, & in eam quæ circa alium maximè occupatur: illa moderatur passiones, hæc operationes. Ad primum caput spectant *fortitudo*, quæ passiones appetitûs irascibilis: *Temperantia*, quæ passiones concupiscibilis: & *Prudentia*, quæ maximè affectus rationalis appetitus moderatur. *Iustitia* verò tota detinetur circa regulandas hominis actiones in ordine ad alterum, ut homo alteri debitum reddat. Cùm autem debitum sit duplex: unum *Morale*, cujus obligatio oritur ex recta ratione quæ dictitat esse rectum & equum ut hoc aut aliud alteri præstetur; aliud verò *Legale*, proveniens ex aliqua lege vel naturali vel divina positiva, vel humana, obligante ad reddendum equale pro æquali; inde duplex statuitur justitia: una quidem *Communis*, quæ reperitur in omnibus virtutibus ordinaris ad proximum vel ad Deum, sic justum est parere mandatis superiorum ex obedientia, Deo debitum cultum impendere ex religione, parentibus succurrere ex pietate, &c. Altera autem est *Specialis*, quæ in eo consistit quòd per se respiciat debitum reddendum alicui ex præscripto & obligatione legis.

Sicut duplex est debitum; Legale, & Morale ita duplex est Justitia.

Certum est autem Christum Dominum suam Passionem subiisse ac satisfactionem exhibuisse ex Justitia communi, nam eam obtulit ex motivo *Charitatis: siquidem dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 1. *Amicitiæ*, nam ait Apostolos ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea:* Item, *Obedientiæ*, juxta illud: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Joan. 14. *Religionis*, ut testatur, Joan. 17. *Pro eis sanctifico meipsum*, id est, sacrificium offero, ut ejus virtute sanctificentur, juxta illud ad Hebræos 10. *Vnâ oblatione consummavit sanctificatos.* At disceptatur inter Theologos, utrùm etiam Christus satisfactionem exhibuerit ex motivo strictæ Justitiæ.

Quot & quibus motivis Christus morti subierit.

II.
Juxta duplex jus, duplex etiam statuitur valor.

Notandum secundò, quod sicut est duplex jus in re vel operatione per quam fieri potest satisfactio vel recipi præmium, ideo duplex in ea est valor & dignitas: Primum jus est in ordine ad rem; secundum est in ordine ad personam. Jus in ordine *ad rem*, est titulus quem acquirit actio A meritoria operantis in ordine ad præmium, hinc qui laboravit amplius, majorem mercedem meretur accipere, & hoc jus originem habet ac fundatur in æqualitate rei ad rem. Jus verò in ordine *ad personam*, est titulus quem operans acquirit ratione operis meritorii in ordine ad præmiantem; quod utique jus, licèt supponat æqualitatem operis cum accipiendo præmio, non tamen ex ea oritur, sed pendet præcisè ex voluntate præmiantis, ordinantis, seu acceptantis hoc meritum in ordine ad istud præmium; cùm enim res quæ futura est præmium, sit sub dominio & in potestate præmiantis donec illam concesserit, B illius donatio & alienatio dependet ab ejus consensu, unde operans non potest habere jus ad illam nisi etiam habeat jus & titulum ad personam præmiantem ortum ex propria ejus voluntate, putà ex libera promissione & conventione. Ut constat ex parabola operariorum qui missi in vineam conventione factâ de denario diurno, licèt diversis horis conducti, diutiùs aliqui laboraverint quàm alii; nihilominùs omnes ex æquo acceperunt eandem mercedem: unde etsi murmurarent qui primâ horâ venerant adversus Patrem familias, dicentes: Matth. 20. *Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis* C *fecisti qui portavimus pondus diei & æstus: meritò Paterfamilias uni eorum dixit. Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade; volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licèt mihi, quod volo, facere?* Ex quibus apparet quòd etsi major labor & diuturnior laborantium in vinea habuerit jus ad ampliorem mercedem ratione operis; non tamen debuit illam consequi, quia non habebat eandem rationem juris in ordine ad præmiantem, eo quòd nulla prævia facta fuerit ex parte præmiantis conventio & promissio.

Quid sit jus in ordine *ad rem*, & in ordine *ad personam*.

III.
Christus humani generis redemptor existit.

Notandum tertiò, certum esse Christum Dominum D verum fuisse humani generis redemptorem & liberatorem, quidquid hæreticô animô contra hanc Catholicam veritatem pessime asseruerit Petrus Abailardus dicens, hominem post peccatum Adæ non teneri captivum sub potestate diaboli tanquam sub potestate Principis, sed solùm tanquam sub custode carceris; & consequenter Christi incarnationem nihil nobis profuisse ad redemptionem, sed tantùm ad doctrinam & exemplum, ut constat ex sancto Bernardo Epist. 190. ubi Abailardi impudentiam sic carpit: *Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiam an arrogantiam? Quid damnabilius,* E *temeritatem an impietatem? An non justius os talia loquens fustibus tunderetur quàm rationibus refelleretur? &c.* Constat enim ex Scriptura nos reverà per peccatum sub diaboli captivitate redactos esse. Sic 1. ad Timoth. 2. *Vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Audis ad ipsius voluntatem, *inquit* S. Bernardus & negas potestatem? Hinc Christus Joannis 14. *Venit Princeps hujus mundi & in me non habet quidquam:* hoc est non habet in mê potestatem eô modô quô in homines: quapropter Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. docet quòd homines in prævaricatione Adæ non solùm innocentiam perdiderunt, sed & facti sunt servi peccati & sub potestate diaboli & mortis. Ex hac autem captivitate nos redemit Christus, ut plurimis in locis docet Scriptura sacra: Sic ad Galatas 2. *Christus nos redemit de maledicto legis:* ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro*

omnibus. 1. Petri 2. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi*. Sed difficultas est utrùm illa redemptio facta fuerit: Primò ex justitia; secundò ad æqualitatem; tertiò ex rigore justitiæ, quòd utique determinandum est in sequentibus conclusionibus.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Christus Deo satisfecit pro peccatis hominum ex particulari motivo justitiæ legalis.

Christus Dominus satisfecit Deo pro peccatis generis humani ex speciali motivo Iustitiæ legalis.

Probatur primò ex Scriptura sacra affirmante divinam justitiam apparuisse in satisfactione Christi. Sic ad Romanos 8. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*: Et ad Corinth. 1. *Factus est pro nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio*: Et ad Coloss. 2. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, &c.* quâ similitudine significat Christum ex justitia solvisse nostrum debitum; cùm enim solutum est debitum, v.g. pecuniæ, ex justitia speciali, statim Chirographum juridicum quô prius debitor obligabatur erga creditorem, laceratur ac rumpitur.

Idem docent sancti Patres affirmantes Deum noluisse cum diabolo pugnare, nec eum opugnare potentiâ, sed justitiâ in hominum redemptione. Sic sanctus August. lib. 13. de Trinitate cap. 13. *Si ergo*, inquit, *commissio peccatorum per iram Dei justam, hominem subdidit diabolo, profectò remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam, eruit hominem diabolo. Non autem diabolus potentiâ Dei, sed justitiâ superandus fuit..... Quæ est igitur justitia quâ victus est diabolus? Quæ nisi justitia Iesu Christi? Et quomodo victus est? Quia cùm in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes quem sine nullo debito occidit*. Ipsi subscribunt cæteri sancti Patres à nobis suprà laudati quæstione 1. dum probaremus Incarnationem fuisse convenientem ad manifestandam divinam justitiam.

V. Quænam sit satisfactio ex justitia legali.

Probatur etiam ratione. Tunc aliquis satisfacit ex justitia legali propriè dicta, quando per se intendit constituere æqualitatem prout debitam ex aliqua lege: sed Christus sua merita Deo obtulit ex intentione reddendi illi æquale pro debito contracto ab hominibus. Quod utique probatur, tùm quia Christus fuit noster fidejussor & vadem se pro nobis constituit in sua Incarnatione: ergo debuit sua merita offerre Deo ex intentione satisfaciendi ipsi pro nobis; tùm quia ipsius merita erant sufficientia, imò etiam superabundantia ad nostrum debitum solvendum, ut sequenti conclusione patebit. Debuit ergo ex motivo justitiæ, & ex intentione satisfaciendi ad æqualitatē, illa Deo offerre; tùm denique quia ad id movebatur ex decreto divino, quô Deus statuerat nobis universa delicta donare si ipse animam suam pro nobis poneret, juxta illud Isaiæ capite 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Dei in manus ejus dirigetur: pro eo quod laboravit, anima ejus videbit & saturabitur*: Igitur cùm Christus sua merita pro nobis Patri obtulit, hoc præstitit ex intentione reddendi Deo debitum ad æqualitatem secundùm conventionem & Legem divinam, & consequenter actus propriæ & specialis justitiæ exercuit.

Deinde, servi & vera mancipia tenentur observantiam & obedientiam domino suo præstare ex debito propriæ & specialis justitiæ: & ubi tali debito defuerunt, obligantur illud resarcire non solùm ex virtute obedientiæ, sed etiam ex virtute justitiæ: sed sumus vera mancipia respectu Dei, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, cujus est terra & plenitudo ejus, & universi qui habitant in eo: igitur ex virtute justitiæ tenemur non solùm ei obedientiam præstare; sed etiam non redditam resarcire ex motivo ejusdem justitiæ; At Christus Dominus satisfecit omnibus debitis per nostra peccata contractis; ergo debuit satisfacere non solùm debito pœnarum quæ peccatis nostri erant retribuendæ, sed etiam debuit talem obedientiam & æquale debitum Deo rependere, ad compensandum defectum exercitii virtutum quas in Dei gloriam, & cultum tenebamur exercere.

Denique, dum aliquis speciali & propriâ justitiâ tenetur reddere præmium, tunc meritum operantis censetur illud præmium exigere ex justitia: sed Deus suppositâ ejus promissione & lege, tenetur reddere Christo in præmium suorum meritorum remissionem nostri debiti, siquidem exauditus fuit pro sua reverentia: igitur Christi satisfactio & meritum impensum fuit ex virtute justitiæ.

VI. Qualiter Christi Domini satisfactio etiam sibi ut Deo exhibita, fit ad alterum.

Dices primò: Ex Aristotele libro 5. *Ethicorum capite* 1. Justitia debet esse ad alterum: sed satisfactio Christi fuit ad seipsum, siquidem satisfecit Deo, ipse autem Deus est: igitur non fuit hæc justitia propriè dicta.

Distinguo majorem: Justitia debet esse ad alterum, vel physicè vel moraliter, concedo: physicè tantùm, nego: & sic distinctâ minore, negandâ est consequentia. Ad hoc enim ut justitia sit ad alterū propriè, non est necesse quòd sit ad alterum suppositum physicè, aut metaphysicè loquendo, sed sufficit quòd sit ad alterum suppositum moraliter: sic autem est ad alterum, quando persona unica metaphysicè, se habet moraliter ut distincta & duplex, ratione scilicet dominii & juris: fieri enim potest ut unus & idem homo physicè, & metaphysicè sumptus, videatur duplex moraliter: sic tutor ratione administrationis rei familiaris pupilli potest esse debitor, & ratione proprii juris potest esse creditor. Quod etiam illustratur exemplô unius mercatoris, qui est pars duarum societatum: ille enim est duplex persona moraliter, & sibi ipsi, ut metaphysicè consideratur, plerumque debitor est & creditor. Item exemplô hominis, qui possidens fundum debentem alteri summam aliquam annui reditûs, si emat fundum alterum qui prior censum debebat, fit duplex persona moraliter, potestque sub uno respectu esse simul debitor & creditor.

Idem homo potest esse debitor & creditor.

Sic autem Christus Dominus extitit; duas enim substentans naturas per hypostasim Verbi, erat duplex persona moraliter, & ratione duarum naturarum assumptarum habuit distincta jura & dominia: eratque simul *debitor* ratione humanæ naturæ assumptæ, per quam se fidejussorem pro hominibus constituerat: & *creditor* ratione divinæ naturæ, quæ per hominum peccata læsa fuerat; unde etiam dicitur Mediator Dei & hominum, ptimæ ad Timotheum secundô. Non enim magis repugnat eum ratione unius naturæ esse debitorem, & creditorem ratione alterius, quàm repugnet ratione unius naturæ esse mediatorem, & ratione alterius esse eum inter quem & alios est mediator: at Christus Dominus ratione humanæ

humanæ naturæ, est Dei Mediator & hominum: ratione verò divinæ naturæ, is est inter quem & homines Mediator existit: igitur etiam ratione duarum naturarum potuit esse simul creditor & debitor.

Dices secundò: Ex eodem Aristotele *Ibidem capite 6.* Patris ad filium, & domini ad servum non potest esse vera obligatio ex justitia: sed Christus in quantùm homo, est Filius & servus Dei: ergo ex ejus operationibus tanquam hominis, non potuit intercedere obligatio ex justitia erga Deum.

Distinguo majorem: Inter filium & patrem, servum & dominum, non potest intercedere obligatio ex justitia, si filius & servus non habeant distincta dominia à dominiis patris & domini, concedo: secùs, nego: Christus autem ut homo, habet jus distinctum & dominium diversum à jure & dominio sui patris, & Dei: siquidem habet dominium in opera suæ humanitatis per quæ satisfecit Patri & Deo; subindeque in ejus satisfactione vera intercedere potuit justitia.

Dices tertiò, Nullus potest satisfacere ex justitia nisi sit debitor: at non Christus ipse, sed nos ipsi eramus debitores pro nostris peccatis; ergo Christus ex justitia non satisfecit.

VI. Aliquis debitum solvere potest ex misericordia circa debitorem, & ex justitia circa creditorem.

Respondeo primò, negari posse majorem: Potest enim aliquis solvere debitum alterius ex misericordia quidem circa debitorem, sed ex justitia circa creditorem: putà si quis misericordiâ motus erga captivum aliquem, aut hominem inopem, solvat pro eo centum nummos quos debebat, satisfacit ex justitia creditori, licèt moveatur misericordiâ erga debitorem.

Respondeo 2. negando majorẽ: Christus enim cùm se fidejussorem ac vadem pro nobis constituerit & officium Redemptoris voluntariè susceperit, etiam sese debitorem constituit pro nobis erga Deum: igitur quemadmodum fidejussor tenetur ex justitia solvere debitum, quando debitor illius solvendi sit impotens; sic etiam Christus Dominus hâc ratione debebat pro nobis satisfacere ex justitia.

Dices denique: Eumdem Christus deberet exercere actum satisfaciendo pro nobis, quem nos tenemur elicere dum pro nostris peccatis satisfacimus: at non satisfacimus per actum justitiæ, sed pœnitentiæ: igitur etiam Christus non satisfecit ex justitia.

Respondeo negando minorem: Homo enim existens in gratia, non solùm per virtutem pœnitentiæ, sed etiam per virtutem justitiæ, debitam Deo satisfactionem impendit, sed propter diversa motiva, quia per pœnitentiam satisfacit ex motivo vindicandi peccatum; per justitiam verò ex motivo reddendi Deo æquale pro peccato juxta præscriptum ex ordinatione divina; hoc autem maximè verum fuit in Christo, quippè cùm Deo condignam, & ad æqualitatem satisfactionem exhibuerit, ut manifestabit

Conclusio Secunda.

VII. Christi D. satisfactio fuit superabundans.

Christi satisfactio non solùm æqualis fuit, sed etiam sufficientissima ac superabundans per ordinem ad præmium: indigebat tamen acceptatione divinâ ut illud consequeretur à præmiante. Hæc Conclusio duabus partibus constat, quarum prima probatur ex illo ad Rom. 5. *Non sicut delictum ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis IesuChristi in plures abundavit. .... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi ...... Vbi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Ut constat 1. Ex Scriptura.

Quibus concordat Isaiæ vaticinium cap. 10. *Consummatio abbreviata mundabit justitiam.* Quod S. Paulus *Rom.* 9. interpretatur de Christo, ut significet operationes Christi, quæ consummatæ & abbreviatæ sunt in Verbo quòd abbreviatum fecit Dominus super terram, quasi exundantem justitiæ fontem effudisse, pro expiandis nostris peccatis. Hinc Lucæ 9. Christus loquens cum Elia & Moyse de sua passione, *dicebant excessum ejus quem completurus erat in Ierusalem*, quibus declaratur Christi passionem excessisse, in ratione satisfactionis, omnia nostra delicta.

2. Ex summis Pontificibus.

Probatur etiam *ex summis Pontificibus*; nam Caius Papa Epistola 1. decretali exponens supra citata verba S. Pauli ait, *Validius factum est donum libertatis quàm debitum servitutis.* Agapitus Epistolâ ad Anthimum, postquam dixit, nullũ purum hominem idoneum fieri potuisse ut pro nobis omnibus satisfaceret; subjungit causam ob quam Christus satisfecit his verbis. *Effusio justi sanguinis tam fuit dives & pretiosa, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret: quoniam sicut Apostolus ait, Vbi abundavit delictum superabundavit gratia. & cùm sub peccati præjudicio nati potestatem acceperint ad justitiam renascendi, validius factum donum libertatis quàm debitum servitutis.* Quæ verba desumpsit ex sancto Leone Serm. 12. de Passione. Quibus concordat Clemens V. in extravaganti *Vnigenitus*, ubi ut ostendat abundantiam meritorum Christi, quæ dicuntur esse in thesauro Ecclesiæ, non posse exhauriri ait; *Non guttam sanguinis modicam, (quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset) sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse.*

3. Ex SS. Patribus.

Adstipulantur etiam sancti Patres: imprimis verò sanctus Chrysostomus Serm. 11. in cap. 5. ad Roman. ubi ita scribit, *Christus pro nobis solvit; tantóque plura, quantò guttulam exiguam Pelagus excedit immensum ...... noli itaque diffidere, ô homo, cùm tantas bonorum divitias videas, &c.*

Suscribit author de cardinalibus Christi operibus: loquens enim de Circuncisione ait: *Tanta dignitatis illa una Redemptionis nostri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret; qui tanta authoritate in sancta introivit in sanguine proprio, ut deinceps nulla supplicantium postulatio indigeret sanguine alieno.*

Denique sanctus Bernardus explicans illud Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio*, ait Serm. 22. supra Cantica: *Prorsus*, inquit, *copiosa, quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque corporis partes emanavit.* Et Epist. 190. *Fuit verò sanguis qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quò factum est ut effunderetur, deleret.*

4. Ex Concilio Triburiensi.

His favet Concilium Triburiense cap. 19. ubi ait in consecratione calicis plus vini quàm aquæ admisceri, ut ostendatur majorem esse virtutem sanguinis Christi quàm populi fragilitatem quæ per aquam designatur.

5. Rationibus Doctoris.

Eandem veritatem docet & propugnat Doctor subtilis in 3. *dist.* 19. *num.* 7. ubi dicit meritum Christi ratione personæ divinæ, habuisse circunstantiam infinitam, ratione cujus congruum erat ut pro infinitis acceptaretur. *Ex formali ratione*

ſua quam habuit, inquit, *non potuit acceptari in infinitum & pro infinitis, ſed pro finitis. Tamen ex circunſtantia ſuppoſiti, & de congruo ratione ſuppoſiti, habuit quandam rationem extrinſecam quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, ſcilicet extenſivè pro infinitis. Si autem illud meritum fuiſſet alterius, perſona, tunc nec ratione oper[is] nec ratione operantis fuiſſet congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Quibus apertè docet Doctor, Chriſti merita ratione perſonæ divinæ, congruentiam, hoc eſt, valorem & dignitatem habuiſſe, ut pro infinitis hominum peccatis ſolvendis à Deo acceptarentur; *congruentia* enim apud Doctorem, idem eſt, ac apud Recentiores *valor & dignitas*: licèt ab eo non ſic appellentur, quia non eſt integer valor ubi non eſt verum jus erga præmiantem, quale non habebant ex ſe Chriſti opera meritoria, ſed tantùm ex acceptatione divina.

Idem habet in 4. diſt. 15. quæſt. 1. ubi ait: *De potentia autem ordinaria non diſpoſuit Deus ſibi reconciliare inimicum, niſi per obſequium magis gratum quàm offenſa ejus erat ſibi diſplicens, & tale obſequium ejus eſt paſſio Chriſti, vel meritum ejus.* Vbi ponderandum eſt, quòd loquitur de valore meritorum quem habent ante acceptationem; nam ut mox dicebat, ſolùm poſſunt habere valorem æqualem cum debito, ſiquidem pro illo ſolùm ſatisfactio acceptatur actualiter: igitur dum dicit obſequium Chriſti fuiſſe magis gratum, loquitur de acceptabilitate quam illud obſequium ante actualem acceptationem habebat.

Qui non aſſerit opus meritorium omnem ſuã dignitatem ſuumque valorem habere ex ſola acceptatione præmiantis, ut ei perperam imponitur.

Ex quibus apparet quàm turpiter hallucinentur plurimi Recentiores, dum affirmant Doctorem aſſerere merita Chriſti fuiſſe duntaxat condigna per ordinem ad præmium, ſolùm ex acceptatione divina; neque enim abundantia meriti repetenda eſt ex acceptatione præmiantis; ſed ex dignitate operantis. Licèt igitur Doctor doceat ante acceptationem, meritum non habere completam condignitatem in ordine ad præmium; hæc enim non poteſt eſſe completa niſi etiam det jus in ordine ad præmiantem: tamen contendit merita illa ex ſe fuiſſe ſufficientiſſima quæ acceptarentur à Deo ad ſolvenda noſtra debita; ita quòd ſi Deus omnia hominum peccata in bilance ſtatuiſſet & Chriſti merita ex altera parte, haud dubium eſſet quòd longè præponderarent merita Chriſti, ut egregiè docet ſanctus Bernardus Homiliâ de duobus Diſcipulis euntibus in Emmaüs, ubi docet pœnam, quam pro peccatis generis humani Chriſtus ſuſtinuit, in ſtatera crucis appenſa, multò majorem fuiſſe ratione ſatisfactionis, quàm promeruiſſent peccata noſtra. Ait autem: *Crux facta eſt ſtatera corporis, quod eſt Eccleſia: cùm enim ipſe crucifigeretur, appenſa ſunt cum ipſò peccata quæ commiſimus, calamitas quam incurrimus: ipſe erat innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis converſatio ejus; non enim peccatum fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. & quoniam talis ac tantus, tam indigna dignatus eſt in cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina levigare; cùm adhuc tamen in cruce erectus ſtaret, vacillare videbatur ſtatera, nec planè cognoſcebatur, quò cadere deberet; cùm inclinatô capite emiſit Spiritum, & calamitas præponderando caderet, & quaſi arena maris gravior appareret, gentes quaſi momentum ſtateræ reputata ſunt: nam in ſtatera ceciderunt, quia partes adverſæ damnationis noſtræ Chyrographum amiſerunt.*

VIII. Chriſti Domini ſatisfactio fuit condigna.

His etiam ſuffragatur ratio. Illa ſatisfactio cenſetur eſſe condigna per ordinem ad præmium, nempè remiſſionem offenſæ, quæ injuriæ gravitatem moraliter adæquat: ſed Chriſti ſatisfactio adæquabat moraliter gravitatem offenſæ Deo irrogatæ per hominum peccata: igitur erat condigna per ordinem ad præmium. Major conſtat. Minor probatur: Gravitas offenſæ oriundæ ex peccatis hominum maximè repetitur ex eo, quòd ſit contra Deum, qui cùm ſit objectum infinitum, ex eo quædam redundat indignitas ſumma, & extrinſecè infinita in illam offenſam; ſed Chriſti ſatisfactio cùm exhiberetur à perſona divina, habebat etiam ratione ſui principii quandam moralem, & infinitam extrinſecè dignitatem adæquãtem gravitatem offenſæ; quia non minùs eſt potens dignitas perſonæ ſatisfacientis ad influendum valorem moralem in actum ſatisfactorium, quàm dignitas perſonæ offenſæ ad influendum gravitatem, & malitiam moralem in offenſam ipſi irrogatam: ergo cùm ſatisfactio Chriſti ſit ſatisfactio perſonæ divinæ, non minùs illius dignitas adæquat majeſtatem perſonæ læſæ, quam hominum offenſa.

Confirmatur. Decens erat & congruum quòd ſicut miſericordia Dei maximè enituit in humani generis reparatione, ita pariter divina juſtitia in illa refulgeret; *Vniverſæ* enim *viæ Domini miſericordia & veritas:* Sed non reluceret Dei juſtitia in hominum redemptione, ſi Chriſti ſatisfactio non eſſet ex ſe condigna per ordinem ad præmium, quia totus ejus valor penderet à divina acceptatione, & ſubindè ſolutio tota eſſet ex Dei liberalitate & clementia: igitur ut hæc utraque divina perfectio in noſtra redemptione ex æquo reluceret, neceſſum fuit ut Chriſti merita præter acceptationem divinam, ex ſe forent ſufficientia pro ſolvendis omnibus noſtris debitis.

Nihilominùs egebat Dei acceptatione.

Probatur etiam SECUNDA PARS: Nempè quòd Chriſti ſatisfactio ut eſſet undequaque completa, tam per ordinem ad præmium, quam per reſpectum ad præmiantem, opus haberet acceptari à Deo. Probatur inquam, primò tùm ex ſacra Scriptura, tùm ex ſanctis Patribus ſignificantibus acceptationem Dei & conventionem deſiderari ad condignitatem meritorum Chriſti: huc enim ſpectat pactum & fœdus ac jusjurandum Dei quô ſanctiſſimis Patriarchis ac Prophetis promiſit, Chriſti redemptionem. Spectat etiam celebris illa promiſſio facta Chriſto venturo, Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, &c.* Hinc ſanctus Ambroſius exponens verba Pſalmi 118. *Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum & vivam*; cum dixiſſet, *Petimus ut ſuſcipiamur à Chriſto*; ſubdit, *Intoleranda autem præſumptionis videretur dicere Domino: Suſcipe me, niſi promiſſum ejus adjungeret; hoc eſt, ut hoc auderemus ipſe feciſti; tuo te chyrographo convenimus.* Quibus ſignificat noſtra opera in tantùm eſſe meritoria completè, in quantùm acceptantur à Deo, nec nos ſperare poſſe conſequi divinum præmium, niſi eſſet repromiſſum.

Ratio idipſum ſuadet, nihil enim creatum poteſt inducere obligationem in Deo aliquid conferendi, niſi ipſe ad concedendum ex ſua libertate, & clementia voluerit ſe promiſſis adſtringere, alioquin non eſſet omnino independens: ſed opera ſatisfactoria Chriſti reverà erant in entitate ſua aliquid creatum: ergo nullatenùs poterant Deum aſtringere ut in eorum præmium concederet remiſſionem peccatorum noſtrorum, niſi ipſemet idipſum voluiſſet per ſuam liberam ordinationem & acceptationem.

Dices. Valor operum Chriſti ſatisfactoriorum

non adæquabat gravitatem offensæ omnium peccatorum: igitur illius satisfactio non erat condigna per respectum ad præmium. Probatur antecedens: *Primò*, quia offensa irrogatur Deo, ut Deus est: at opera Christi satisfactoria non procedunt ab eo, quatenus est Deus, sed quatenus homo, non enim satisfacit ut Deus, sed ut homo; ergo valor satisfactorius illorum operum non æquabat gravitatem offensæ peccatorum. *Deinde*, non potest esse tam grata & honorifica satisfactio impensa, quàm ingrata fuit & injuriosa hominum offensa, quippè tantùm Deo displicet peccatum, quantùm ei placet propria bonitas cui peccatum adversatur; quia quantùm amatur res aliqua, tantùm odio habetur & displicet illius destructivum: sed opera Christi satisfactoria non possunt tantùm placere Deo quantùm ipsi placet propria divina bonitas: igitur ex æquo non respondent offensæ.

Denique: Gravitas offensæ Deo irrogatæ à creatura, infinita est, tam ex parte personæ in quam peccatur, quàm ex parte personæ offendentis, quæ in infinitum distat à Deo; at satisfactio Christi tantùm censeri potest infinita ex parte personæ satisfacientis, non verò ex parte illius cui satisfactio exhibetur, quia non crescit satisfactio ratione personæ cui impenditur, imò illius valor magis deprimitur; quò enim dignior est persona, eò etiam præstantiorem satisfactionem exigit; & consequenter quod sufficeret respectu alterius minoris dignitatis, non potest esse sufficiens respectu personæ magis dignæ; ergo gravitas peccatorum longè major erat valore satisfactorio operationum Christi, & consequenter tantùm abest ut illa fuerint superabundantia, imò non potuerunt habere condignitatem.

IX.
Christus satisfecit ut Deus-homo.

Nego antecedens, & ad primam ejus probationem dico, Quòd Christus non satisfecit duntaxat ut homo, nec tantùm ut Deus; sed ut Deus-homo, quippe humanitas eliciebat opera satisfactoria, coagente personalitate Verbi, quæ valorem satisfactorium in illa influebat, & consequenter instillabat eis quandam dignitatem infinitam, saltem extrinsecè ratione videlicet personæ infinitæ à qua illa opera procedebant. *Ad secundam probationem*, nego antecedens, & rationem ejus probationis; Non enim necesse est ut Deus tantùm peccatum odio habeat, quantùm suam bonitatem diligit, quippè peccatum non est oppositum ipsi bonitati physicè, sed duntaxat moraliter; opera autem satisfactoria Christi tantùm honoris rependunt divinæ bonitati, quantùm injuriæ ipsi irrogatur per peccatum. *Ad tertiam probationem*, dico quòd si peccatum aliquam infinitatem habeat, illa non est intrinseca, sed duntaxat extrinseca, ratione scilicet personæ infinitæ offensæ: at satisfactio Christi non solùm ex hoc capite habet infinitatem extrinsecam, sed etiam ex parte personæ satisfacientis, cùm enim hæc sit infinita, etiam ejus opera digna sunt quæ acceptentur pro infinitis hominibus, ut diximus suprà cum Doctore.

Dices secundò: Personalitas Verbi non confert operibus Christi valorem intrinsecè infinitum, ut docet Doctor *in 3. dist. 19.* sed duntaxat extrinsecè; ergo illa opera satisfactoria sunt tantùm valoris finiti; sed valor finitus operis satisfactorii non tantùm non excedit, imò nec adæquat gravitatem offensæ omnium peccatorum: igitur tantùm abest ut Christi satisfactio fuerit superabundans, imò non erat condigna & ad æqualitatem.

Sicque ejus satisfactio fuit summa, licèt non fuerit intrinsecè infinita.

Distinguo minorem: Valor finitus operis satisfactorii non potest sufficere ad expiationem omnium peccatorum secundùm aliquos sui gradus, concedo: ubi involvit omnes omnino gradus valoris qui reperiri possunt in aliquo opere satisfactorio, nego. Licèt autem opera Christi non habuerint valorem intrinsecè infinitum, habuerunt tamen valorem summum, qui posset operibus creatis convenire. Hinc est, quod cùm insuper divina persona propter eminentissimam sui excellentiam, illa opera mirum in modum illustraret, etiam exhibebat digna quæ pro nostris peccatis solvendis Deo acceptissima fierent.

Dices tertiò. Si satisfactio Christi fuisset exuberans per ordinem ad debita, Deus non potuisset illam recusare: igitur hæc non egebat acceptatione divinâ ad completam sui perfectionem. Consequentia patet; ubi enim plùs redditur quàm debetur, debitum exactissimè solvitur: at exactissima debiti solutio recusari non potest à creditore: ergo, &c.

Deus tamen poterat absolutè illam non acceptare.

Distinguo antecedens: Non poterat recusare ratione valoris ipsius operis & ejus condignitatis ad præmium, concedo; ratione libertatis ipsius præmiantis qui non potest ab aliquo externo adstringi ad aliquid concedendum, nisi ad id sese suis promissis sponte obligaverit, nego.

Dices quartò. Peccat contra æquitatem omnis qui satisfactionem præter debitum exigit: sed Deus Christi satisfactionem exigendo, peccare non potuit contra æquitatem: igitur illa non erat superabundans & præter debitum.

Distinguo majorem: Quando potest exhiberi satisfactio absque illo excessu, concedo: quando illa rependi nequit, nego; sic autem est in præsenti, non enim poterat Deo fieri satis ad æqualitatem secundùm statutam legem, nisi à persona divina; satisfactio autem procedens à persona divina necessariò excedebat humana debita propter dignitatem personæ quæ illam exhibebat; non ergo agebat Deus contra æquitatem, dum Christi satisfactionem licèt superabundantem, exigebat.

QUÆSTIO IV.

Utrum Christus pro nobis satisfecerit ad juris apices, seu ex rigore justitiæ.

I.
Alia est ratio satisfactionis ex condigno, & alia satisfactionis ex rigorosa justitia.

NOtandum primò, Aliud esse satisfactionem aliquam esse ex natura sua æqualem & condignam; aliud verò illam fieri ad strictos juris apices, seu procedere ex rigorosa justitia. Ad hoc enim ut satisfactio sit condigna, sufficit quòd compensatio fiat ad æqualitatem, & tantùm à debitore solvatur, quantùm debetur creditori: ut verò satisfactio fiat secundùm leges strictæ & rigorosæ justitiæ, præter æqualitatem, aliæ desiderantur conditiones quas statim proferemus & expendemus. Quapropter licèt omnes penè conveniant, quòd Christi satisfactio fuerit condigna & ad æqualitatem, maximè si attendatur ipsius valor secundùm ordinem ad præmium; tamen plurimi Recentiores ulteriùs inquirunt, an etiam exhibita fuerit secundùm strictos juris apices & leges rigorosæ justitiæ. *Recentiores* dixi, nam nullus veterum, quem legerim, quæstionem sub his terminis proponit ac discutit; illi namque duntaxat inquirunt & resolvunt Christi satisfactionem fuisse condignam & ad æqualitatem ex vera justitia.

Notandum secundò, Præter tres conditiones ad omnem perfectam fatisfactionem defideratas, quas expendimus in tertia Quæftione præcedenti, adhuc quinque à Theologis affignari ut fatisfactio dicatur fieri fecundùm rigorofam juftitiam. *Prima* eft, quòd fatisfactio fiat ex bonis propriis fatisfacientis & debitoris: cùm enim per omnem fatisfactionem rigorofam debeat fieri perfecta æqualitas, oportet ut ille, cui fit fatisfactio, acquirat dominium alicujus rei quod antea non habebat; faltem eô modô quô per fatisfactionem illud obtinet. *Secunda*, quòd non fundetur in gratia creditoris; fi enim quis debet centum nummos, & creditor contentus fit fi duntaxat 50. offerat, illa fatisfactio non erit ex rigore juftitiæ, quia fupponit gratiam creditoris ex liberalitate & ex mifericordia debiti partem remittentis. *Tertia*, ut fit ad alterum; nam fatisfactio rigorofa effentialiter ordinatur ad inftituendam perfectam æqualitatem: perfecta autem æqualitas non poteft effe ejufdem ad feipfum; æqualitas enim eft relatio realis neceffariò requirens extrema realiter diftincta. An autem illa diftinctio & alteritas debeat effe inter perfonas, aut inter naturas, aperiemus infra. *Quarta conditio* eft, quod perfona offenfa teneatur acceptare talem fatisfactionem, nec poffit illam ex juftitia refpuere, quia nempè cognofcit illam effe æqualem debito. Hanc conditionem præ cæteris affignant Joannes Medina Tractatu 3. de Pœnitentia quæft. 1. Andreas de Vega lib. 7. fuper Concilium cap. 9. & cum eis plurimi Recentiores. *Quinta conditio* eft, ut fatisfactio fiat ex iis quæ aliô titulô per fe non debentur creditori: quam conditionem affignat S. Anfelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 19. Si enim aliquis debeat alteri centum nummos propter cenfum annuum, & totidem ratione mutui vel venditionis, non faceret fatis creditori ei folùm tribuendo centum nummos; poffet enim creditor acceptare illos centum nummos pro annuo cenfu & fic debitor teneretur alios centum nummos folvere in fatisfactionem mutui vel venditionis.

II. Affignantur conditiones, quibus debeat fieri fatisfactio ex rigorofa juftitia.

Notandum tertiò: Nos fignanter & confultò dixiffe quòd fatisfactio rigorofa fieri debeat *ex aliàs per fe indebitis*. Dupliciter enim poteft aliquis debiti titulus alteri fupervenire: *Primò* quidem per fe & feorfim, novum inferendo debitum: *Secundò* verò, per accidens & conjunctim, novam duntaxat inferendo ejufdem debiti folvendi obligationem, vel prioris obligationis confirmationem: quod perfpicuum fit his exemplis. Si quis enim debeat alicui centum nummos ratione cenfûs annui, & totidem poftea mutuò accipiat; quia titulus cenfûs annui, quô priorem fummam debebat, eft obligatorius per fe, ficut & titulus ex mutuo contractus, idcirco duplex eft diftinctum debitum, quod per unicam folutionem non poteft exfolvi. Similiter idipfum clarum fit hôc exemplô: Si quis ex voto teneatur jejunare fingulis diebus veneris, quando dies ille eft vigilia alicujus fefti, & tempus quadragefimæ, quo tempore & die etiam tenetur jejunare ex præcepto Ecclefiæ, non habet ille triplex diftinctum debitum jejunandi, fed folùm novam obligationem priori fuperadditam. Hìc autem non movetur quæftio utrùm fatifactio rigorofa poftulet fieri ex indebitis *per accidens*, fed folùm ex indebitis *per fe*; certum enim eft quod fi quis juraret alteri fe petiturum Romam, quò jam iturus erat ex voto, nec non ratione ftipendii propter illam profeffionem accepti, non teneretur ille tribus diftinctis vicibus Romam petere; licèt ad id teneatur titulô religionis, ratione voti & juramenti, & titulô juftitiæ ratione ftipendii accepti, quia tituli religionis & juftitiæ in tali cafu, non funt per fe obligatorii, fed duntaxat prioris obligationis confirmativi.

III. Aliquis titulus debiti fupervenit dupliciter.

Conclusio Unica.

Christi fatisfactio (fuppofitô pactô divinô) habuit omnes conditiones ad fatisfactionem ex rigore Iuftitiæ, & ad ftrictos juris apices. Hæc eft communior, & ut mihi videtur conformior menti Doctoris, affirmantis Chriftum fatisfeciffe de condigno & ad æqualitatem ac fuperabundantiam (fuppofita acceptatione, & conventione divinâ) ut dictum eft fuprà.

IV. Satisfactio Chrifti omnes fibi adfcivit conditiones, quibus fatisfactio ex rigorofa juftitia diceretur.

Probari poteft conclufio authoritate fanctorum Patrum qui docent Chriftum fatisfeciffe pro nobis exactiffimè. Sic *Proclus Cizicenus* oratione de Nativit. Chrifti cap. 7. ubi ait, *Pro noftris peccatis ejufmodi impenfum fuit pretium, quod exactum debitum ad Iuftitiæ amuffim exaquaret.* Sanctus Auguftinus in Enchiridio cap. 49. ubi ait, idcirco Chriftum fuiffe paffum, *ut diabolus veritate Iuftitiæ, non violentiâ poteftatis oppreffus & victus, quoniam ipfum fine ullo peccati merito occiderat iniquiffimè, per ipfum* IVSTISSIMÈ *amitteret, quos peccati meritò detinebat*: Juftiffimè autem diabolus non amitteret captivos per Chrifti mortem, nifi illi ex rigorofa fatisfactione, & juftitia à fua captivitate folverentur.

Sanctus Bafilius Seleucienfis Homiliâ primâ de Incarnatione ait, *Per mirabiles naturæ noftræ primitias*, fcilicet per Chriftum Dominum, *omnem Iuftitiæ rationem fuiffe expletam.* Sanctus Salvianus lib. 4. de Providentiâ, *In illo* (fcilicet Chrifto) *injuftitia fpeciem ipfa magnitudo Iuftitiæ habere videtur*, hoc eft, tam exacta, tamque ftricta fuit divinæ juftitiæ in Chriftum animadverfio, ut fatisfactio ab eo exacta propter fuam magnitudinem, quafi injuftitiam importaret.

Probatur autem conclufio ratione. Illa fatisfactio fuit exhibita ad ftrictos juris apices, quæ omnes ad rigorofam juftitiam conditiones habuit; fed talis fuit Chrifti fatisfactio, quod utique probatur fingulas conditiones expendendo & applicando.

Satisfactio Chrifti fuit ex propriis.

Primò namque Chrifti fatisfactio exhibita fuit ex *propriis bonis fatisfacientis*; fiquidem Chriftus fatisfecit, fuas actiones, & feipfum fubmittendo, & offerendo Deo ad compenfandam injuriam illatam per peccatum generis humani: fed tam actiones quàm ipfum Chrifti fuppofitum fuerunt propria bona illius tanquàm domini, & nullo modo fub dominio Dei, cui fatisfactio impendebatur: igitur facta fuit ex propriis. Major conftat; Probatur minor primò, Chrifti fuppofitum non fuit fub dominio Dei, quandoquidem non eft quid creatum fed divinum, & fubindè à nullo dependens, fi quidem Chriftus æqualis eft Patri fecundùm divinitatem. Idem conftat de actionibus fatisfactoriis, Chriftus enim non fatisfecit, nifi per actiones humanas in quantum procedebant à fuppofito divino; fed ut fic, induebant rationem ejus fuppofiti à quô procedebant, non folùm per modum principii effectivi, fed etiam per

modum principii formalis hujusmodi opera moraliter informantis ac dignificantis: onde sub hac ratione involvebant moraliter suppositum divinum: ergo cùm Verbi suppositum sub nullius sit dominio, actiones satisfactoriæ Christi ita fuerunt illi propriæ, ut nullius essent alterius tanquam domini.

Objicies primò. Actiones creatæ, sunt sub generali dominio Dei, cùm Deus titulô creationis & conservationis habeat supremum dominium, super omnia entia creata: sed Christus Dominus satisfecit per actiones humanitatis quæ creatæ sunt: ergo per actiones quæ erant sub dominio Dei, adeoque creditoris, & consequenter non propriis.

V. Christus satisfecit per actiones creatas prout à persona Verbi emanabant.

Respondeo, distinguendo majorem. Actiones creatæ, quæ non sunt a persona divina, sunt sub generali dominio Dei, concedo; quæ sunt à divina persona, nego. Ad minorem dico, Christum Dominum satisfecisse per actiones creatas, non simpliciter, sed ut erant à persona Verbi, ita ut tota ratio valoris illarum actioorum ab ipsa divini Verbi persona emanaret.

Instabis. Valor satisfactionis Christi ex concessis, procedebat à persona Verbi, tanquam à principio formali dignificante operationes humanitatis: sed persona Verbi divini habet rationem creditoris & offensi; siquidem tam persona Verbi, quàm aliæ duæ personæ divinæ, læsæ sunt per peccatum: ergo etiam valor satisfactionis Christi sumitur à creditore, vel ab ipso offenso.

Qualiter valor operum Christi ex persona Verbi processerit.

Distinguo majorem. Valor satisfactionis Christi sumitur ex persona Verbi in quantùm est suppositum divinum formaliter, hoc est, in quantùm terminat naturam divinam, nego: in quantùm est suppositum humanum, sivè in quantùm subsistit in natura humana, concedo: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam; quamvis enim suppositum Verbi sit simplicissimum formaliter, tamen est virtualiter multiplex; quia virtutem suam terminativam exercet tam erga naturam divinam, quàm humanam.

Objicies secundò: Cùm omne dominium conveniat supposito ratione voluntatis, Christo Domino dominium in actiones satisfactorias conveniebat, vel ratione voluntatis divinæ, vel humanæ: si prius, ergo satisfecit ex communibus, & non ex propriis, quia satisfecit ex his quæ erant sub dominio voluntatis communis toti Trinitati: si posterius; ergo satisfecit similiter ex communibus, quia voluntas humana Christi cùm sit quid creatum, pendet à tota Trinitate.

Actiones Christi non absolutè sunt sub generali dominio Dei, sed possunt esse ipsi Christo D. propriæ.

Respondeo, actiones istas esse sub dominio Christi ratione voluntatis humanæ, neque tamen inde sequi quòd sint sub generali dominio Dei; voluntas enim creata Christi potest considerari dupliciter: *vel* secundùm se, hoc est, in quantùm est facultas appetitiva intellectualis creata, & eatenùs est sub dominio generali Dei: *vel* secundùm quòd est appetitus intellectualis creatus personæ divinæ, & sic non est sub dominio generali Dei: quia talis est sub hac ratione formali, qualis est persona divina cujus est proprietas: at verò voluntas humana Christi est domina actionum ejusdem satisfactoriarum, ut voluntas personæ divinæ, & subindè actiones illæ ipsi sunt propriæ.

Subsumes: Sed etiam actiones istæ, ut sunt à voluntate spectante ad personam divinam, dependent à Deo in fieri, & in conservari; imò etiam voluntas à qua procedunt, est sub dominio Dei: ergo spectant ad dominium generale & commune toti Trinitati.

Respondeo, negari posse antecedens, si in eo particula ista (*ut*) sumatur secundùm sensum formalem; quia hôc sensu hæc tria, actio personæ divinæ, & voluntas personæ divinæ, & esse creatum, se habent tantùm concomitanter; sicut verbi gratiâ, hæc propositio intellecta secundùm sensum formalem, *Petrus ut rationalis, non est animal*, vera est, quia animalitas nôn includitur in conceptu formali rationalitatis, sed tantùm in conceptu reali & identifico: si autem particula (*ut*) sumatur secundùm sensum materialem, verum est antecedens, & sic illô concessô, neganda est consequentia propter rationem priùs dictam, nempè quia actiones illæ inducunt rationem suppositi à quo emanant.

Licèt eliciantur à voluntate creata quæ à Deo dependet.

Instabis. Actiones voluntatis humanæ Christi, sive formaliter, sive materialiter spectentur, sunt quid creatum: sed omne creatum spectat ad commune dominium totius Trinitatis: igitur quôvis modô spectentur non erant propriæ Christo.

Quia considerari possunt secundùm suum esse Morale aut Physicum.

Respondeo primò, actiones elicitas à Christo considerari posse duobus modis: *Primò* physicè & entitativè, quatenùs procedunt à natura humana tanquam à principio formali *quò*: *Secundò* Moraliter & veluti reflexivè ad Verbum divinum à quo procedunt tanquam à principio *quod*. Priori modô, reverà sunt formaliter quid creatum, & sic spectant ad dominium commune toti Trinitati: Secundô modô autem sunt ipsummet Verbi suppositum, aut saltem induunt ejus rationem; quia, ut diximus, sub hac ratione formali illud involvunt, non solùm per modum principii effectivi, sed etiam per modum principii formalis ipsas actiones moraliter informantis & dignificantis.

Restitutio fieri nequit ex bonis quæ sunt sub dominio creditoris benè verò Satisfactio.

Respondeo secundò, cum *Suare disp. 4. sect. 6.* quòd etsi satisfactio, ex datis & acceptis, quæ propriè dicitur *restitutio*, non possit fieri ex his quæ sunt sub dominio creditoris; benè tamen illa quæ versatur circa actiones liberas, qualis est injuriæ compensatio in materia honoris: hoc enim est discrimen inter satisfactionem & restitutionem, quòd *restitutio* versatur in rebus datis & acceptis; quia per eam reparatur damnum illatum alteri in bonis suis: *Satisfactio* autem versatur in actionibus; quia per eam intenditur injuriæ compensatio. Hinc in restitutione debet fieri perfecta æqualitas inter satisfacientem, & eum cui fit satisfactio: in datis autem & acceptis non potest fieri æqualitas, nisi aliquid transeat in actuale dominium illius cui fit satisfactio, aliàs non esset magis habens de rebus suis, quàm erat ante satisfactionem exhibitam; & sic semper restaret inæqualitas: secùs autem est in satisfactione quæ fit per opus liberum, cujus operans est dominus; quia ratio satisfactionis non consistit in translatione dominii alicujus rei: sed in hoc solùm quòd tantùm reverentiæ & honoris impendatur, quantùm injuriæ illatum fuit. Et ideò licèt Deus habuerit dominium in actiones Christi, non minùs Christus ex æquo per eas potuit satisfacere, quia tantùm, imò plus honoris reddit Deo, quantùm ipsi per peccatum ablatum est.

Discrimen inter utrāque expenditur.

Respondeo tertiò, quòd etsi actiones Christi tàm materialiter, quàm formaliter consideratæ, fuerint sub alto & generali dominio Dei, quatenùs

VI.

Licèt Christi opera fuerint sub communi & alto dominio Dei tamen per ea potuit Deo ex stricta justitia pro nobis satisfacere.

supremi omnium Moderatoris & Domini, nihilominùs per eas Christus ad juris apices poterat nostrum solvere debitum; quoniam dominium altum & commune in rem aliquam non impedit dominium particulare; licèt enim Rex habeat dominium altum & commune in bona subditorum, ita quòd possit illa expendere in utilitatem & protectionem Reipublicæ, non minùs particulares quique habent peculiare dominium in bona sibi propria, ratione cujus dominii reverà satisfaciunt ex rigore justitiæ ipsimet Regi, dùm præscriptum sibi vectigal exactè pendunt: ergo à simili, licèt Deus habuerit dominium altum & commune in actiones Christi, non minùs ipse adorandus Salvator habebat dominium particulare in ipsas: quia liberrimè eas eliciebat, & consequenter, per eas, illô non obstante dominiô communi, poterat ex æquo pro nobis Deo satisfacere.

Objicies 3. Si actiones Christi quatenùs sustentatæ, essent soli Verbo incarnato propriæ; ita actiones puri hominis ut liberæ & vitales, essent illi soli propriæ, siquidem ab eo solo procedunt modô liberô & vitali: igitur si eâ ratione Christus potuit satisfacere ex propriis, pari jure purus homo per suas actiones, ut liberæ sunt & vitales, poterit Deo satisfacere ex propriis de via ordinaria, cujus contrarium docuimus suprà.

Quamquã actiones puri hominis ut vitales & liberæ subsint dominio Dei, non tamen ei subjiciuntur actiones Christi.

Nego sequelam antecedentis: Licèt enim actiones illæ procedant à solo homine ut agente modô vitali & liberô; ita tamen sic ab eo procedunt, ut earum vis & efficacia ad agendum vitaliter & liberè, sit à Deo per dependentiam: quippè illæ actiones procedunt à voluntate creata ut existente sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis, quæ voluntas præter acceptam illam virtutem & efficaciam, requirit insuper concursum Dei ut suos actus vitales & liberos eliciat: At ipsa vis sustentandi naturam humanam ita est Verbo divino propria, ut illam habeat ex illo præciso conceptu quô est divina persona independens à quocunque alio. Nec etiam Verbum divinum indiget aliquo speciali concursu, ut naturam humanam, ejúsque actiones sustentet, cùm talis sustentatio sit duntaxat quædam terminatio, quâ sola Verbi incarnati personalitas ita complet humanitatem, ut se solâ illam faciat subsistere. Non est igitur paritas inter actus vitales & liberos puri hominis, & ipsam sustentationem naturæ humanæ à persona Verbi. Duo namque reperiuntur in ipsis actibus, ratione quorum actus illi, spectant ad commune dominium totius Trinitatis. Primum est, quòd non possint elici nisi dependenter à concursu Dei, tanquam causæ primæ & universalis: Secundum est, quòd hæc vitalitas & libertas ita sint sub dominio hominis actus illos elicientis, ut tamen sint etiam sub dominio totius Trinitatis, à qua totus ille cum suis omnibus non minùs dependet, quàm quidquid est servi quatenus servi, est sub dominio ejus qui talis servi est dominus. Hæc autem duo non habent locum in ipsa sustentatione humanitatis, & actionum ejus facta per Verbum incarnatum.

Instabis. Idcircò homo dependet à Deo in actionibus liberis & vitalibus eliciendis; quia ab eo accepit vim agendi vitaliter & liberè: sed etiam Verbum divinum accepit à Patre vim istam sustentandi naturam: qui enim dat esse, dat & consequentia ad esse: hæc autem vis sustentandi sequitur necessariò personalitatem Verbi: igitur quâ ratione purus homo non potest satisfacere ex propriis per suas actiones, ut sunt vitales & liberæ; ita nec Christus potuit satisfacere per actiones naturæ humanæ, ut sustentatas à Verbo, tanquam ex bonis sibi propriis.

Licèt acceperit à Patre vim sustentativã.

Distinguo majorem: Christus à Patre accepit istam vim sustentandi, sicut & suum esse personale, eô fine, ut pro nobis apud illum satisfaceret, nego: nam priùs in aliquo saltem signo rationis, Pater producit Verbum, quàm determinet creare & redimere hominem: accepit illam vim & illud esse absque ullo respectu & ordine ad satisfactionem, absque ulla prorsus independentia, & ut bonum sibi proprium ac peculiare, concedo: sic enim Verbum accepit à Deo Patre suam personalitatem, & ex consequenti vim infinitam sustentandi non solùm naturam divinam; sed etiam alienam, ut tamen ipsa ejus personalitas & vis sustentativa sint soli Verbo propriæ, nec ullatenùs subsint dominio Patris, nec ullam ab eo dependentiam includant. *Vel* aliter respondeo, Accepit illa à Patre cum aliqua dependentia, ita ut Verbi personalitas, & virtus sustentativa dependeant à Patre & subsint ejus dominio, nego: accepit tanquam quid sibi proprium & à nullo dependens, nec alicujus dominio subditum, concedo: igitur non est paritas inter illam vim sustentativam Verbi, & actiones liberas ac vitales puri hominis.

Objicies 4. Ut quis satisfaciat ex stricta justitia, requiritur ut efficiat aliquid esse sub dominio ejus cui satisfacit, quod antea ad ipsum non pertinebat, neque pertineret, si satisfaciens id ejus dominio non subjiceret: at Christus nihil potuit Deo tribuere quod ad ejus dominium non spectaret, & quod Deus aliundè sub dominio non haberet, si per Christum in satisfactionem non offerrentur: igitur non potuit satisfacere ex stricta justitia.

Ad satisfactionem non est necesse quòd aliquid incipiat esse sub dominio creditoris.

Nego majorem: Non enim est necesse ad exactam & strictam satisfactionem, quòd creditor accipiat aliquid de novo sub suo dominio, ut constat in satisfactione humana honoris læsi; per illam enim satisfactionem creditor eam accipiens, nihil recipit quod ejus dominio subsit: Unde plerumque sufficit ad perfectam satisfactionem, ut id quod datur, cedat in honorem, fiatque juxta beneplacitum creditoris. Nec certè videtur major ratio, quod res in satisfactione oblata cedat in commodum & utilitatem creditoris, quàm ea quæ offertur per actionem meritoriam: at non requiritur in merito, quòd opus meritorium cedat in commodum & utilitatem præmiantis; alioqui nihil omninò possemus apud Deum mereri; ipse enim bonorum nostrorum non eget: sed satis est quòd cedat in ejus honorem & gloriam, & fiat juxta ejus præceptum & beneplacitum. Idem dicendum de satisfactione.

Objicies 5. Christus Deo Patri satisfecit ut homo, & per actiones verè humanas: sed homo & ejus actiones sunt quid inferius Deo, & à Deo dependens, ac proinde ejus dominio subditum: igitur Deo satisfecit ex bonis quæ ejus erant, non verò quæ duntaxat Christo satisfacienti erant propria. Major constat: siquidem Christus, eâ ratione pro nobis satisfecit, quâ passus est & mortuus: at passus & mortuus est tantùm ut homo, & in satisfactionem obtulit suam mortem & passionem, quæ sunt actiones Christi tantùm ut hominis: igitur, &c.

Distinguo majorem: Christus satisfecit ut homo, si particula (*ut*) sumatur *reduplicativè*, id est, secundùm ea solùm quæ ei competunt ratione

naturæ humanæ, nego: 1 Si sumatur *specificativè*, idest, ille qui satisfecit pro nobis erat verus homo, licèt etiam esset verus Deus, concedo: ut sic enim humanitas fuit principium *quò* satisfactionis; Verbum autem erat principium *quod*, non solùm quatenùs sustentabat naturam humanam, & erat principium *quod* actionum satisfactoriarum, quas ab eo assumpta humanitas eliciebat ut principium *quò*: sed etiam quatenùs idem Verbum ad illas easdem actiones concurrebat morali influxo conferente illis valorem summum, & extrinsecè infinitum, scilicet tam seipsum, quàm suas actiones offerendo, & subjiciendo in obsequium Dei, simul & eis actionibus influendo illum valorem summum, quò reverà erant dignæ, quæ acceptarentur à Deo in satisfactionem pro omnibus nostris debitis.

Christus ut homo sumitur vel reduplicativè, vel specificativè.

Satisfactio Christi non fuit fundata in gratia & liberalitate creditoris.

VIII. Satisfactio Christi fuit ex bonis propriis.

PRobatur. Si Christi satisfactio fundata fuisset in gratia & liberalitate creditoris, maximè quia pendebat à gratia unionis; hæc enim videtur necessaria ut persona Verbi influeret valorem summum in suas actiones satisfactorias & meritorias: sed hæc ratio non obest quominùs satisfactio Christi facta fuerit ad strictos juris apices & independenter à liberalitate & gratia creditoris: igitur, &c. Probatur minor. Quando gratuitò donatum antecedit obligationem contractam de solvendo debito, tunc illud ex gratia creditoris comparatum non obest quominùs actio satisfactoria & meritoria ex æquo præmium possit promereri; quia cùm debitor sit verè dominus illius quod gratuitò sibi donatum est, tunc censetur satisfacere creditori quoties illud ipsum in illius dominium restituit; si enim Petrus, verbi gratiâ, antequam Jacobus debitum erga ipsum contrahat, illi dederit centum nummos, vel etiam post illius debiti contractionem, non tamen eâ conditione, ut ex illis contractum debitum solvat, sed omninò absolutè & absque respectu; Petrus poterit ex justitia debitum solvere, restituendo illos centum nummos in dominium & possessionem creditoris: quia cùm esset illorum dominus, dominium istud & possessionem in creditorem transfert: igitur licèt Deus Christo concesserit gratis unionem hypostaticam: cùm hæc gratia collata, sit omninò antecedens, reverà Christus erat dominus illius statûs divini & omnium operationum, quas ut Deus-homo poterat elicere; & subinde eliciendo illas operationes, & eas submittendo Deo, reverà debitum nostrum absque ulla creditoris gratia & remissione solvebat.

1. Quia licèt gratia unionis hypostaticæ ipsi fuerit gratuitò donata, tamen illius erat reverà dominus.

Deinde ad satisfactionem de rigore justitiæ requiritur duntaxat quòd non fundetur in gratia creditoris, quatenùs illa gratia suppleret defectum valoris satisfactionis, & ita acceptaretur valor operis ultra id quod mereretur: at satisfactio Christi, licèt fundetur in gratia unionis, hæc tamen gratia non supplet illius dignitatis defectum, nec Deus acceptat opera Christi ultra illorum valorem; sed potiùs dat operibus humanitatis dignitatem & valorem non solùm adæquantem, sed etiam superexcedentem injuriæ gravitatem: igitur talis gratia non obstat satisfactioni ad strictos juris apices. *Denique*, gratia unionis non est simpliciter facta Christo quatenus erat Deus-homo, sed duntaxat humanitati cui Verbum divinum seipsum communicavit hypostaticè: sed satisfactio non fuit exhibita per ipsam humanitatem seorsim, sed præcisè per Christum, quatenùs est Deus-homo, igitur non satisfecit sub ea ratione quâ gratia ei erat concessa.

2. Quia Deus non supplevit gratis valorem operũ satisfactoriorum: quæ ex se æquabant offensæ gravitatem.

Dices primò. Quando aliquis dat alteri unde debitum sibi solvat, tunc illa solutio non potest censeri ex rigore justitiæ: sed Deus concessit Christo humanitatem & personam Verbi per quas operationes satisfactorias eliciuit & nostrum debitum solvit: igitur illa solutio non fuit ex rigore justitiæ.

Distinguo majorem; Si conferendo illud donum, non concesserit etiam illius dominium, concedo: si utrumque largitus fuerit, nego. Deus autem conferendo vel humanitatem, vel Verbum, seu potius donando ei statum illum *Dei-virilem*, dedit etiam illius statûs dominium; Christus enim erat Dominus suarum operationum, & poterat pro libito illas exerere vel non exerere: ac subinde, poterat per illas operationes pro nostris peccatis debitam satisfactionem impendere.

Nec illorum dominiũ à Christo abstulit.

His adde, satisfactionem Christi Domini ita fundari in gratia unionis & Incarnationis, & virtute illius sic fieri, ut hæc unionis gratia non fuerit donata humanitati eô fine ut satisfaceret; quippe cùm, ut probabimus infrà, Deus decreverit Mysterium Incarnationis ante prævisum Adæ peccatum: Unde, sicut cùm aliquid solvitur, ex acceptis à creditore non eô fine ut satisfaciat, non impedit quin talis solutio sit ex stricta justitia; etiam istud non impediet quominùs Christi satisfactio talis censeatur.

Dices secundò: Si Petrus debet Paulo viginti nummos sub ea conditione quòd solvat parem pecuniæ summam sibi debitam, ista solutio fundatur in gratia creditoris, & consequenter non erit ex rigore justitiæ: Sed Deus Christo concessit statum Dei-virilem eâ ratione, ut per illum sibi satisfaceret pro hominum peccatis: igitur satisfactio à Christo exhibita fundatur in gratia Dei & non est ex rigore justitiæ.

Nego minorem. Et ratio disparitatis est quòd illa donatio viginti nummorum non efficit, ut ista pecuniæ summa transeat sub dominium Petri; unde tantùm est larvata & supposititia donatio, & duntaxat debiti relaxatio. Secus est autem de operibus Christi; quia licèt ex Dei gratia eliciantur, reverà tamen existunt sub dominio Christi ratione libertatis creatæ; & ideo licèt sint Dei dona & supponant gratiam unionis, non propterea sunt gratuita donatio, sed justa & æqua debiti solutio.

Christi satisfactio facta est ex aliàs indebitis.

IX. Satisfactio Christi facta est ex aliàs indebitis.

PRobatur. Si opera Christi fuissent Deo debita aliô titulô quàm satisfactionis, maximè titulô gratitudinis aut obedientiæ, aut justitiæ: sed neutrum horum potest affirmari. Non quidem *titulò gratitudinis*, quia debitum gratitudinis fundatur in merè libera & gratuita concessione beneficii facta à donante: atqui nullum fuit beneficium gratuitum à Deo concessum Christo Domino ut Deo-homini; nam si quod fuisset, maximè gratia unionis: at hæc gratis collata fuit soli humanitati, non autem personæ Christi: idem dicendum est de his quæ consecuta sunt ad unionem, quia illa erant debita ratione unionis hypostaticæ & non purè gratuita: unde

Quia sua opera non debebat Deo aliô titulô quàm satisfactionis.

discrimen est inter gratiarum actionem Christi & hominis puri, quòd quantò magis purus homo gratias agit Deo, tantò magis ipsi obligatur, quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium ipsi creaturæ collatum ex divina largitate: at quando Christus Dominus gratias egit suo Patri; sive pro beneficio collato suæ humanitati, sive pro aliqua alia re, nullum novum gratuitum accepit, sed debitum duntaxat suæ dignitati.

Non quidē titulò gratitudinis.

Neque etiam titulô *obedientiæ*: tunc enim aliquis sua opera absolutè debet alteri titulô obedientiæ, quando non est in ejus libertate id quod præcipitur libenter acceptare vel non acceptare: At Christi obedientia non fuit hujusmodi: liberrimus enim erat ad acceptandum vel non acceptandum Dei mandatum, ut colligitur ex illis Verbis Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui; & legem tuam in medio cordis mei.* Nec-non ex illo Isaiæ 52. *Oblatus est quia ipse voluit.*

Non etiam titulô obedientiæ.

Noo denique titulô justitiæ, quia si quis esset titulus, maximè justitiæ potentialis, qualis est Religio: at ratione illius tituli Religionis, Christus præcisè non debebat sua opera Deo, novo ac speciali debitô, quia titulus ille, quando non multiplicat materiam, non infert novum debitum, nec consequenter exigit peculiarem solutionem, ac subinde unâ actione, tam ipsi quàm & alteri titulo potest satisfieri; quia non multiplicantur debita, sed duntaxat confirmatur ejusdem debiti solvendi obligatio. Unde licèt operationes Christi Deo essent debitæ titulô religionis; nihilominus poterant etiam impendi in satisfactionem, quia tituli illi religionis & satisfactionis cadebant supra easdem operationes.

Nec titulô justitiæ.

Objicies. Deus potuit exigere à Christo D. ut singula sua bona opera eliceret ob motivum gratitudinis propter beneficia sibi divinitùs collata: igitur per ista opera jam aliunde debita Deo non potuisset Christus satisfacere.

Respondeo, hîc duntaxat esse difficultatem de satisfactione prout à Christo Domino exhibita est, non verò prout aliô modô præstari potuit. Certum est autem quòd de facto Deus non exegerit ut Christus omnia sua opera exerceret titulô gratitudinis; quippe talis obligatio nullibi in Scripturis legitur.

Licèt Christus sua opera Deo debuisset titulô gratitudinis, tamen poterat condignè satisfacere.

Adde quòd etiamsi Deus hanc legem præscripsisset, nihilominùs adorandus ille Salvator potuisset condignè pro nostris debitis satisfacere; quippe omnia divina beneficia ipsi collata longè sunt inferioris dignitatis & excellentiæ, quàm sint actiones & ejus opera, quia cùm procedant à persona Verbi, tanquam à principio *quod*, inde divinam aliquam & infinitam, saltem extrinsecè, excellentiam & dignitatem eliciunt, qualis non reperitur in omnibus donis Christo collatis: ista namque omnia, putà gratiæ, scientiæ, &c. omninò creata sunt & finita. Hinc consequens est quòd Christus per opera sua meritoria sic potuerit satisfacere cuilibet debito gratitudinis pro omnibus & singulis beneficiis acceptis, ut etiam per eadem opera, tanquam indebita, adhuc potuerit ex stricta justitia pro debitis omnium hominum satisfacere.

Instabis: Quando beneficium collatum, est ita summum intensivè, ut Deus absolutâ suâ potentiâ majus & præstantius conferre non possit, quantumcumque perfectus eliciatur actus gratitudinis ab accipiente beneficium, non potest beneficii dignitatem excedere, nec consequenter ex stricta justitia offerri & impendi Deo in satisfactionem pro debito alieno: At unio hypostatica est beneficium omnium præstantissimum, quod Deus conferre potest absolutâ suâ potentiâ: igitur omnis actus gratitudinis, quem Christus propter illud beneficium potest Deo referre, istius beneficii dignitatem non excedet, nec consequenter in satisfactiooem pro altero debito poterit impendi.

Distinguo majorem: Si beneficium istud summum ei conferatur qui habet præcipuas partes in satisfactione, & eam impendere debet per modum principii *quod*, concedo: si tantùm ei conferatur qui in impendenda satisfactione minùs præcipuas partes obtinet, & ad eam se habet duntaxat per modum principii *quô*, nego: Certum est autem quòd beneficium & gratia unionis collata sint duntaxat humanitati Christi, quæ in satisfactione habet tantùm rationem principii *quô*; non verò Verbo divino cui in satisfactione competit ratio principii *quod*: Tùm quia est suppositum ipsius naturæ à qua illa satisfactio exhibetur: Tùm quia valorem summum operibus satisfactoriis impendit: igitur quanquam humanitas ex se non posset debitè satisfacere per actus, qui jam Deo deberentur titulô gratitudinis propter summum beneficium gratiæ unionis sibi concessa, inde non est consequens quòd Christus secundùm se totum consideratus, maximè ratione personæ Verbi, non possit per actus jam titulô gratitudinis debitos ratione gratiæ unionis concessæ humanitati, etiam satisfacere Deo pro debitis alienis.

Qualiter actus titulô gratitudinis debitus possit Deo facere satis.

Christi satisfactio erat ad alterum.

X.

Satisfactio Christi reverà erat ad alterum.

PRobatur. Illa sufficienter est ad alterum, quæ est inter distinctas naturas; quarum una habet rationem debitoris, alia verò rationem creditoris: sed Christi satisfactio intercessit inter humanam naturam & divinam; quarum illa habebat rationem debitoris; hæc verò rationem creditoris: nec requiritur ut cum distinctione naturarum sit etiam personarum distinctio; ea enim distinctio sufficit ad rationem justitiæ, quæ sufficiens est ad distinctionem jurium: sed salvatur distinctio jurium positâ solâ distinctione naturarum; ubi enim sunt diversæ naturæ, sunt etiam diversæ voluntates & libertates, quarum ratione sunt distincta dominia: igitur illa naturarum distinctio sufficiebat in Christo, ut illius satisfactio esset ad alterum.

Confirmatur. Non magis requiritur ad satisfactionem rigorosam quòd intercedat inter personas distinctas, quàm reqoiratur ad quamlibet satisfactionem: sed Christus (ut diximus in præcedenti quæst.) habebat alteritatem sufficientem ut Deo aliquam satisfactionem impenderet: ergo etiam ut satisfaeceret ad strictos juris apices.

Deinde, non requiritur major distinctio inter extrema justitiæ, quàm inter servum & dominum, sed distinctio realis naturarum in eodem supposito sufficiebat ut unus & idem Christus esset simul servus & Dominus: igitur etiam sufficiebat ut satisfaceret.

Denique, si Christus assumpsisset duas humanitates, posset actum justitiæ commutativæ inter illas duas humanitates exercere, quia licèt unicum fuisset suppositum realiter, fuisset tamen duplex virtualiter, quia gessisset vices duorum suppositorum humanorum; quidni ergo pariter Christus

in

in humana & divina natura existens, potuerit exercere actum justitiæ erga seipsum ut existentem in altera.

Objicies primò: Satisfaciens debet esse alter ab eo cui fit satisfactio: at Christus non est alter à Deo cui satisfactionem impendit, cùm ipsemet sit Deus, & satisfecerit ut Deus homo: igitur ejus satisfactio non erat ad alterum.

Alteritas secundùm naturam sufficit ad perfectam satisfactionem.

Distinguo majorem: Debet esse alter tam secundùm omnem sibi propriam naturam, quàm secundùm personam, nego: debet esse alter saltem secundùm aliquam naturam sibi propriam, concedo: licèt autem Christus Dominus non sit alter à ratione naturæ divinæ, nec-non & personalitatis Verbi; tamen habet illam alietatem, seu rationem alterius jure naturæ humanæ sibi propriæ, quæ alteritas sufficit ad veram & strictam satisfactionem: quia stricta justitia solùm postulat, ut satisfactio sit ad alterum, ut nempè fiat per bona, quæ sint distinctorum jurium & dominiorum, à jure & dominio creditoris. Unde cùm Christus ratione naturæ humanæ habeat jus & dominium in actiones liberas, quæ omninò distinctæ sunt à Deo cui satisfactio debetur; idcirco per eas reverà Deo potuit satisfacere.

Instabis: Ad satisfactionem ex stricta justitia non solùm sufficit alteritas ex parte naturæ, sed prætereà requiritur etiam ex parte suppositi, ut constat etiam ex Aristotele, & aliis Philosophis, qui communiter explicant hanc alietatem in justitia per distinctionem suppositorum: igitur cùm Christus solùm habuerit alteritatem ratione naturæ, non potest censeri Deo satisfecisse ad strictos juris apices.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico: Aristotelem & alios Philosophos idcircò explicare illam alteritatem necessariam ad strictam justitiam per distinctionem suppositorum, quia loquuntur de actibus istius justitiæ, prout communiter & ordinariè exercentur ab hominibus habentibus distinctas naturas, & supposita distincta, quia naturaliter fieri nequit, ut idem numerô suppositum sustentet diversas naturas. At quia fides Catholica docet idem numerô suppositum Verbi divini sustentare simul duas naturas liberas: in quibus deprehendimus sufficientem distinctionem dominiorum & jurium, ratione quorum possunt mutuam aliquam obligationem inire, quæ sufficiat ad perfectum contractum justitiæ; inde fit quòd illa naturarum distinctio sufficiat pariter ad instituendam perfectam rationem debiti & solutionis.

Vrgebis: Potissima ratio præcipuusque valor satisfactionis Christi, peti debet ab ejus supposito, ut mox diximus: At ut sic, non habet sufficientem alteritatem ad strictam justitiam desiderandam, siquidem satisfactio Christi Domini non tantùm impendi debebat personæ Patris & Spiritûs sancti, sed etiam ipsius Filii, quæ speciali titolô, ut diximus, per hominum peccata fuit læsa: igitur Christi D. satisfactio non habuit sufficientem alteritatem ad strictam justitiam: siquidem unius ad seipsum non potest esse stricta justitia.

Qualiter Christus D. sibi ipsi satisfecerit.

Nego minorem, & ejus probationem distinguo: Unius ad seipsum secundùm unam eandemque omninò naturam liberam, & secundùm eadem jura & dominia non potest esse satisfactio ex stricta justitia, concedo: secundùm distinctas naturas liberas, & diversa rerum dominia, nego: unde cùm Christus in eodem supposito duas habuerit naturas liberas, quibus inerant jura & dominia distincta, hinc est quòd potuerit sibi satisfacere.

Adde quòd satisfactio exhibita à Christo non fuerit primariò & per se facta tribus divinis personis, sed Divinitati: Nam, ut ait S. Paulus 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ubi particula *Deus*, ut explicat S. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 5. idem significat ac ipsa Divinitas, *Hoc est*, inquit, *ibi sempiterna Divinitas*: igitur cùm Christi satisfactio facta fuerit primariò ipsi Deo: secundariò verò tribus divinis personis; inde est quòd Verbum divinum ratione naturæ humanæ sufficientem habuerit alteritatem ad strictam justitiam; quippè natura humana omninò distincta erat à divina.

Deus ex pacto inito non poterat congruè recusare Christi satisfactionem.

XI.

Hæc Christi satisfactio non potuit à Deo Patre non acceptari.

PRobatur, quia (ut diximus) Christi satisfactio non solùm erat condigna & ad æqualitatem, sed etiam superexcedens & ad abundantiam: ergo non erat unde Deus illam recusaret. Patet consequentia: Tunc enim respui non debet satisfactio, quando non solùm æquivalet debito, sed etiam illud excedit secundùm conventionem factam: at Christi satisfactio, quæ Deo impendebatur ex pacto, longè excedebat nostrum debitum: igitur non erat unde Deus illam recusaret.

Quia debitum non solùm æquabat, sed etiam excedebat.

Dices. Tunc recusari potest satisfactio, quando non exhibetur ab ea persona quæ debebat satisfacere: sed satisfactio Christi non fiebat ab illa persona quæ debebat satisfacere; nam Christus non erat persona rea quæ propter proprium peccatum non posset veniam consequi, nisi vel satisfaceret, vel gratuitò Deus offensam illi condonaret: igitur Deus poterat justè illius satisfactionem respuere.

Distinguo majorem: Si creditor, non inierit pactum de condonando peccato ob satisfactionem alterius, concedo: si tale pactum inierit, nego: Deus autem spoponderat se nobis condonaturum omnia debita, si Christus pro nobis satisfactionem impenderet: igitur non poterat illam recusare, maximè cum illa satisfactio non solùm debitum æquaret, sed etiam illud longè excederet.

QUÆSTIO V.

Vtrùm reverà peractum sit Incarnationis Mysterium, & Iudæis promissus Messias advenerit?

I.

Quid significet Messiæ nomen.

NOtandum primò: Judæos illum hominem tot divinis promissionibus destinatum, tot expetitum votis, tot oraculis in veteri Testamento celebratum, appellare *Messiam*, quòd ad hominum salutem & redemptionem à Deo mittendus esset: eum verò Græci, Latinique *Christum*, hoc est, *unctum* nominant, quòd non solùm Rex & Sacerdos, sed etiam Deus-homo, ac Divinitatis oleô perunctus esse deberet. Cujus notionem Tertullianus accuratè delineavit in libro adversus Judæos cap. 6. *Et quidem*, inquit, *imprimis quærendum an expectetur novus Legislator, & novi Testamenti hæres, & novorum sacrificiorum Sacerdos, & novæ Circumcisionis Purgator, & æterni sabbati Cultor:*

Qui sint illius characteres & munia.

qui legem veterem compescat, & novum Testamentum statuat, nova sacrificia offerat, & ceremonias antiquas reprimat, & circuncisionem antiquam cum solo sibi sabbato compescat, & novum regnum, quod non corrumpatur, adnunciet. Quæ omnia per Prophetas de Messia prædicta esse constat, ut ex sequentibus manifestum erit.

II. Christianis constantissimum esse debet illum venisse.

Notandum secundò: Constantissimum esse apud omnes qui Christianô nomine gloriantur, reverà Messiam venisse. Hæc namque veritas Christianæ Religionis ac Fidei caput est & fundamentum, nec solùm in omnibus fidei Symbolis, ac definitionibus stabilitur; sed etiam apertis novi Testamenti oraculis comprobatur: nam Joan. 4. mulieri Samaritanæ dicenti; *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: Dixit ei Iesus, Ego sum qui loquor tecum.* Quapropter adorandus ille Salvator non immeritò beatum prædicat Petrum Apostolum, quòd publicô testimoniô contestatus fuerit, *Tu es Christus Filius Dei vivi:* nam, ut ait Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ad Judæorum igitur tùm frangendam pervicaciam, tùm cæcitatem illuminandam duntaxat convertenda est præsens quæstio, in quâ è sacris veteris Testamenti litteris ac oraculis, Messiam jamdudùm advenisse, demonstrandum est.

III. Ejus adventus duplici ter in Veteri Testamento delineatur.

Notandum tertiò: Promissiones, quibus Messias in veteri Testamento nuntiatur venturus, esse in duplici differentia: *aliquæ* enim leguntur simpliciter factæ sine ulla temporis designatione, ut cùm Moyses dixit populo, Deuteronomii 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus suis suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et Abrahamo Deus repromisit Genes. 18. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Cujusmodi sunt etiam omnia illa vaticinia, quæ Messiæ nativitatis locum & modum; conversantis doctrinam, virtutem, & potentiam; morientis voluntariam oblationem, ac invictam constantiam; resurgentis Majestatem, & in cœlos ascendentis triumphum præsignant, ut legere est, tùm in libris Moysis, tùm in libris Prophetarum; maximè verò in Psalmis, quorum plurimi de Christo conscripti sunt. *Aliæ* verò promissiones factæ sunt cum aliqua certa temporis designatione, non tamen ita perspicua, ut omnem dubitationis locum auferat; nec etiam ita obscura & involuta, ut efficax ad comprobandum Christi adventum non subministret argumentum. Hujus autem duplicis generis promissiones usurpabimus, & discutiemus in præsenti quæstione, tribus distinguenda conclusionibus.

Conclusio Prima.

IV. Colligitur ex vaticinio Jacobi.

M*Essiam diviniùs repromissum jam advenisse, satis apertè colligitur ex Iacobi morientis vaticinio*, Gen. 49.

Probatur. Nam sanctissimus ille Patriarcha, cùm morti proximus paternam benedictionem Filiis suis impenderet, & divinô afflatus Spiritu, ac mente præsagâ futurorum, quid peculiariter uniuscujusque posteris Deus præstiturus erat, denuntiaret; aperiens quanta foret in Judæ filios effundenda Dei benignitas & munificentia, inter plura quæ spondet, ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore ejus donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium:* Velut habet Hebraica Editio, (quam usitato charactere, in gratiam Lectoris, subjicio) *Lo jasour sebeth* A *mi ouda, on mehokek mibben ragelar ad ki jabo siloh velo ikchat ammim.* Hoc est, ut interpretantur Baradius & noster Galatinus l. 4. c. 4. *Non recedet sceptrum de Iuda, & Scriba sive Legum lator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh* (id est pacificus vel Messias) *cui nationes servient.* Vel ut fert Chaldaica paraphrasis, *Non auferetur qui facit potestatem, de domo Iuda & Scriba de filiis filiorum ejus, usque in sæculum, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi:* Vel denique ut habent Septuaginta Interpretes, *Non deficiet Princeps ex Iuda, donec veniant quæ reposita sunt ei;* id est, donec adveniant summa & eximia dona ac bona, quæ per Messiam ex tribu Juda oriundum, humano generi B sunt conferenda, ut legit S. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 41. *Vel* ut ferunt alii codices, *donec veniat cui repositum est;* id est, donec veniat ille, cui repositum est regnum totius mundi, ut explicant Origenes lib. 4. Periarchon, & S. Cyryllus contra Julianum lib. 8. *Non per vim*, inquit, *Prophetarum accersita sunt gentes, neque etiam per Mosem, vel aliquem alium; sed Christo potius repositum fuit, ut imperaret non jam soli Iudæa, sed omnibus Gentibus, &c.* Quæ omnes lectiones in hoc unum conspirant & collineant, ut significent authoritatem regendi ac ferendi leges non priùs à tribu Juda auferendam, quàm repromissus Messias advenerit.

Cujus varia editio refertur.

Ex quibus sic argumentari licet: Non debuit C priùs deficere ex tribu Juda Regia ac Legislativa potestas (ex quo semel ad eam convolavit) quàm Messias prænuntiatus advenisset: at ab annis 1675. & amplius, utraque illa potestas & authoritas penitus defecit; quippè jam pridem nulli Reges, nullique Legislatores extant qui vel ex Juda, vel ex alia Israelitica Tribu Judæis imperent: quinimò omnes ad unum apud exteras nationes sub dura servitute detinentur; & ut ait Tertull. in Apolog. cap. 21. *Dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigiô salutare conceditur:* Igitur ut firma sit & constantissima illius vaticinii veritas, oportet D quòd Messias venerit.

Confirmatur hôc exemplô. Si Deus fulgentissimam facem è turri ostentans dixisset, eam non extingendam donec veniret Messias; qui illam extinctam videret, nonne protinus rectè colligeret Messiam jam venisse? At Deus sceptri Israelitici fulgorem veluti facem Judæorum oculis exhibuit, prænuncians, donec Messias veniret, illum non extinguendum: cùm ergo fulgor ille sceptri Judaici, pridem extinctus sit, necessum est Messiam venisse. Hujus efficacissimæ rationis vim ut elevent Judæi, plura comminiscuntur effugia, quæ claritatis, ac facilioris expugnationis gratiâ, ad E tria potissimum capita revoco, & sub totidem §. eum omnibus eorum diverticulis propono impugnanda.

§. I.

Primum Judæorum effugium est, *quòd in præfato vaticinio nil quidquam de venturo Messia prænuntietur, quòdque omnes illius oraculi particulas & voces pravum in sensum detorqueamus.*

R*Espondent enim primò*, vocabulum *Iasour* non significare recessum, sed accessum; nam *Sur* significat declinare ad aliquem: inde Loth sic Angelos alloquitur, *Suru na el beth gabdecem:* Id

est, *Declinate obsecro in domum pueri vestri.* Hinc vocabulô *Sasour* utitur Moyses cùm ait Exodi 3. *Vadam & videbo visionem hanc magnam:* itaquòd præfati vaticinii sensus sit; sceptrum non priùs accessiturum ad tribum Juda, quam Messias venerit: quod utique, inquiunt, contigit, nam tot votis expetitus ille Messias, qui Israeliticum populum à duro captivitatis jugo liberaturus erat, fuit Salomon, qui idcirco *Siloh*, id est, *Rex pacificus* dictus est: quippè eô natô David regnum Israeliticum universum obtinuit, & omnes Judæorum infensissimos hostes expugnavit: ipsô autem imperante Salomone Judæi summâ securitate ac pace donati sunt, ut refertur 3. *Regum cap.* 4. his verbis: *Habebat pacem ex omni parte in circuitu: habitabatque Iuda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.*

V. Primum Judæorum effugium est, quòd ibi non denotetur *recessus*, sed *accessus* sceptri ad tribum Juda.

Verùm hanc expositionem omninò inanem esse ac cum præfato vaticinio nullatenus cohærentem, constat ex omni parte. *Primò* namque verbum *Sasour* equidem significat nonnunquam accedere sicut & recedere: at conveniunt omnes Hebræi verbum istud accessum denotare duntaxat, quando præfixam habet præpositionem *el* correspondentem præpositioni *ad*, quæ accusativum regit & accessum indicat: dum verò copulatur præpositioni, *me*, aut, *min*, quæ est indicativa aut directiva ablativi casûs & correspondet *de*, *ex*, aut *à*, tùm significat recessum seu elongationem: quemadmodum apud Latinos verbum *declino* regit ablativum cum præpositione *à*, & accusativum cum *ad:* dicimus enim *declino à te*, & *declino ad te.* Habet autem verbum istud *Sasour* præpositionem, *min*, præfixam in præfato vaticinio; ac subinde significat recessum Israelitici sceptri à tribu Juda.

Deinde, Falsum est quòd David obtinuerit sceptrum Israëliticum duntaxat natô Salomone: nam ut refertur *lib.* 2. *Reg. cap.* 5. in Hebron regnavit super Judam septem annis & sex mensibus, priusquam salutaretur Rex super universum Israël: similiter plurimis annis regnavit super omnes Israëlitas, variosque eorum hostes expugnavit priusquàm nasceretur Salomon: ac subinde falsum est sceptrum accessisse ad tribum Juda tantùm eô tempore, quô natus est Salomon.

Adde quòd cæteræ ejusdem vaticinii particulæ non conveniant ullatenus Salomoni, quippè ipse non fuit expectatio Gentium; siquidem nihil boni ac beneficii eis contulit; nec pariter ejus regnum perpetuâ tranquillitate & fœlicitate donatum est: nam *lib.* 3. *Reg. cap.* 12. conqueruntur Israëlitæ apud Roboam ejus filium: *Pater tuus durissimum jugum nobis imposuit: Tu itaque nunc imminue paululum de imperio Patris tui durissimo, & de jugo gravissimo quod imposuit nobis, & serviemus tibi:* Et ibidem refertur quòd cùm gratum responsum à Roboam non obtinuissent Israëlitæ, decem tribus ab eo recesserunt, & sibi præfecerunt Regem Jeroboam, sicque ab eo tempore divisum fuit regnum Israëlitarum; ita quòd duæ duntaxat tribus, nempe Juda & Benjamin famulatæ sint Roboam & ejus posteris: cæteræ verò decem declinaverint ad Jeroboam, ejusque successoribus servierint usque ad earum exterminium per Assyrios.

VI. Secundum effugium est, quòd non significetur *sceptrum*, sed *virga tribulationis*.

Reponunt secundò vocabulum *Scebet* aut *Sceveth*, non significare *sceptrum*, sed *virgam*, non quidem principatûs & dominationis, sed doloris & tribulationis: ita quòd Prophetiæ sensus sit; Non recedet virga tribulationis à Juda, donec veniat Messias: at usque modo Judæi ubique Gentium durâ servitute premuntur, & sub tribulationis virga gemunt: igitur Messias nondum venit.

Contra primò, omnes Hebræi, qui suæ linguæ Dictionaria ediderunt, fatentur vocabulum *Sceveth* plerumque significare sceptrum; nam eô utitur David Psalmo 44. cùm ait: *Virga directionis, virga regni tui*, quod certè nihil aliud quàm sceptrum denotat.

Secundò, de ea virga sermo est in isto vaticinio, quæ respectiva est ad Ducem: nam habetur *non auferetur virga & Dux:* at virga ducis, est virga principatûs & dominationis: igitur noster Interpres meritò per virgam, sceptrum significari dixit.

Tertiò, non potest intelligi virga tribulationis illô vaticiniô expressa, si cætera omnia quæ in illa benedictione efferuntur nihil infaustum, sed omnia Judæ ac ejus posteris fœlicia ac fortunata prænuntient: at ita est; nam in antecedentibus legimus, *Iuda, laudabunt te fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui.* In sequentibus autem: *Ligant ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam: Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum: pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Quibus verbis non solùm designatur Messiæ venturi eximia pulchritudo: sed etiam ipsi subditi populi fœlicitas & ubertas prædicitur.

Quartò, si venire debuit Messias cùm defecit virga tribulationis ab Israelitico populo, jam pridem venisse dicendus est; enimverò Judæi diutissimô tempore, maximè à Davide usque ad Sedeciam, scilicet ferè per 500. annos soluti sunt à captivitate, & tribulationis virgam excusserunt; tantùm enim abest, ut ab aliis captivi detinerentur, quinimò exteros & vicinos populos, maximè verò Idumęos, sibi subditos & tributa pendentes habebant.

Nec refert quòd illô ipsô tempore plurimis bellis fuerint divexati & gravati; nam non propterea in captivitatem fuerunt adacti, nec perpetuò sub tribulationis virga gementes, maximè pluribus annis sub regno Salomonis, quandiu scilicet ille fidelis Dei cultor extitit; etenim 3. *Regum* 5. ipsemet testatur, *Requiem dedit Deus mihi per circuitum, & non est satan neque occursus malus.* Denique non solùm prædicitur virgam non esse auferendam, sed etiam non esse amovendum Legislatorem ab Israëlitico populo, donec venerit Messias: at Judæi fateantur necesse est, eos pridem nullum habuisse Legislatorem, qui ipsis sanctissimas leges præscribat, & illos in pace ac morum sanctitate contineat: igitur necessum est quòd pridem Messias venerit.

Reponunt tertiò, vocabula *Mehokek*, id est, *Legislator*, & *Mibben ragelar*, idest, *de medio pedum*, perperàm à nobis accipi dum in vulgata Legimus, *nec dux de fæmore ejus.* Nam R. Beccha dicit: præfatis verbis significari, illum Legislatorem seu pacificatorem, formandum esse ex mulieris sanguine menstruo; vult enim vocabulum *Siloh* deduci ex altero quô Hebraïcè sanguis menstruus significatur.

Verùm præterquam quòd omnes prorsùs editiones & Lectiones, tam Hebraïca, Samaritana, Arabica, & Septuaginta Interpretum, nec non & paraphrasis Chaldaïca & Hierosolymitana eô modô VII.

Tertium effugium petitur ex illis verbis, nec dux de fœmore ejus.

quò nostra Vulgata editio præfata vocabula efferunt, nempe quòd non deficiat *dux* seu *Legislator de fœmore*, vel *de medio pedum*, certum est quòd præfata istius Rabini interpretatio nobis non adversetur; quinimò significat Messiam formandum esse duntaxat ex mulieris sanguine, absque ullo virili commercio: quod utique mirum in modum convenit adorando Salvatori, qui formatus est ex Virginis, non quidem menstruo, (quem omnes medici ad generationem minimè deservientem affirmant) sed purissimo sanguine.

IX. *Reponunt quartò*, maximamque vim faciunt & operam navant in detorquenda significatione vocabuli *Siloh*, nam ut refert Galatinus noster *lib.* 4. *cap.* 4. aliqui isti nomine significari volunt oppidum *Silo* in quo tabernaculum & arca fœderis erant reposita, & idcirco locus iste apud Israëlitas ad eum devotionis causâ undique convolantes in summa erat veneratione & gloria. Hinc vaticinium interpretantur de Saüle, quem volunt in Regem inauguratum esse in oppido Silo, sceptrumque transtulisse ex tribu Juda in tribum Benjamin, ex qua erat oriundus.

4. Effugiũ, quod vocabulô Siloh significetur, non Messias, sed civitas, & locus Silo. Ubi volunt Saül fuisse inauguratum.

Verùm hæc interpretatio facilè evertitur, primò quia verba illius vaticinii ipsi directè adversantur, non enim dixit Jacob: Non auferetur sceptrum donec veniat aliquis ungendus in Silo, sed donec veniat ipse Siloh. *Adde quod* antecedentia & subsequentia verba satis apertè demonstrent oraculum istud nullâ ratione de loco aut oppido esse intelligendum. *Secundò*, Saül non est creatus Rex in Silo, sed in Masspha, & in Galgala: unctus autem à Samuele olei lenticulâ in Ramatha. *Tertiò*, Saülis tempore non fuit ablatum sceptrum à Juda, quippe ante ipsius inaugurationem Judæis præerat *Samuel* de tribu Ephraïm, & ante ipsum imperabat *Heli* summus Sacerdos, quem præcesserunt plurimi Judices, ex quibus duo duntaxat erant oriundi ex tribu Juda: siquidem *Iosue*, qui primus post Moysem judicavit & imperavit, erat ex tribu Benjamin: *Aod* verò secundus Judex erat ex tribu Benjamin. *Debbora* & *Barac* pariter ex aliena tribu, illa ex tribu Ephraïm, hic ex tribu Nephtali, ut patet 4. Judith v. 5. & 6. *Gedeon* ex tribu Manassè, ut constat 6. Judic. 15. post quem regnavit ejus filius *Abimelech*, quô mortuô surrexit *Thola* ejus patruus, qui erat ex tribu Issachar, utpatet Judic. 10. post quem imperavit *Iephte* de tribu Manasse. Post eum judicavit *Samson* de stirpe Dan: ex quo inferendum est duos tantùm ex Judicibus fuisse de tribu Juda, nimirum Othonielem filium Caleb & *Abesam*.

Urgent aliqui. Per *Silo* id intelligitur, quod occubuit & cecidit, quando sceptrum accessit ad tribum Juda; nam vocabulum *Sabo* in vaticinio positum significat *cadere*, vel *occidere*: at dum David electus est in Regem, & per eum regia dignitas ad tribum Juda fuit deportata, tunc omnis gloria oppidi Silo cecidit & extincta est, quippe arcam fœderis inde asportari jussit David in Sion civitatem suam: unde illud Psalm. *Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit; sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit*: & paulò antè dixerat, *Repulit tabernaculum Silo*.

Verùm in meridie oportet cœcutiat quisquis hanc interpretationem comminiscitur: nam 1. *Paralip. cap.* 13. Legimus, *Ascendit David & omnis Israël ad collem Cariathiarim qui erat in Iuda, ut afferrent inde arcam Domini Dei, &c.* igitur tunc arca illa non erat in Silo: imò inde plusquam 80. annis ante fuerat deportata ut refertur, 1. *Reg.* 4. dum videlicet capta fuit à Philistæis.

Hôc effugiô depulsi, aliud quærunt in Rege Jeroboam, quem aiunt in Silo coronatum, & a tribu Juda in tribum Ephraïm, è qua genus ducebat, sceptrum transtulisse; decem enim tribus à Regibus Juda, ad Jeroboam defecerunt. *At* cœcutientium hoc est effugium, qui quà effugiant non vident. Nam Jeroboam non est creatus Rex in Silo, sed in Sichem, ut colligitur ex 3. *Reg.* 12. *Deinde* Jeroboam non abstulit regnum Regibus Juda; quamvis enim decem tribus illum secutæ fuerint, Reges tamen è tribu Juda ad captivitatem usque Babylonicam Reipub. clavum tenuêre. *Prætereà*, ut jam suprà diximus, non habetur in vaticinio; non auferetur sceptrum, donec aliquis veniat in Silo, sed *donec veniat Silo*.

Vel Roboam.

Aliud diverticulum quærunt aliqui, contendentes nomine *Silo* significari Ahiam Silonitem, qui 3. *Reg. cap.* 11. occurrens Jeroboam scidit pallium suum in duodecim partes, *Et ait, ad Ieroboam, Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Ita quòd contendant verba illius vaticinii esse, quòd sceptrum Israëliticum permansurum esset in tribu Juda donec veniret ille Propheta Silonites.

Alii contendunt designari Ahiam Silonitem.

Verùm incidunt in Syllam cupientes vitare Charibdim, nam vaticinium apertè significat hominem nomine *Siloh* expressum, non verò aliquem ex viculo Silo oriundum. *Insuper*, licèt per illius Ahiæ vaticinium, imminutum fuerit ac divisum imperium & regnum cui præerant Reges ex tribu Juda oriundi, tamen ab ea non est ablatum omninò sceptrum; imò in ea perseveravit plurimis annis, nec esse desiit, nisi diutissimè post extinctum omninò Regnum Israëliticum, quod, juxta vaticinium Ahiæ, Jeroboam fuerat auspicatus.

His itaque omnibus effugiis præclusi, ut istius Oraculi veritatem & efficaciam elevent, recursum habent ad infestissimum Judaici nominis hostem & expugnatorem Nabuchodonosorem, qui ad delendos Judæos missus est, & à Deo destinatus.

X. *Nonnulli per Messiã Nabuchodonosorẽ à Deo in Judæorum vastationem Missum intelligunt.*

Verùm ita cœcutiunt, & divino nomini sunt rebelles, ut non animadvertant sceptrum Judæ non esse ablatum à Nabuchodonosore; cùm post captivitatem Babylonicam, Principes è tribu Juda ut Zorobabel & alii, Reip. Israëliticæ gubernacula tractârint. *Prætereà*, nec de hoste, Judæorumque eversore Nabuchodonosore, sed de Messiâ, Jacob vaticinabatur, ut Chaldæus Paraphrastes docet: nec Nabuchodonosor *Siloh* dici potest, idest, *missus*, sive mittendus, per antonomasiam, sic enim hôc locô nomen *missus*, sive *mittendus*, intelligendum est per excellentiam usurpatum, quia sine ullo additamento ponitur; quasi dicat Jacob: Non auferetur sceptrum donec veniat ille mittendus per antonomasiam; ille desideratus, ille longô desideriô optatus, illa expectatio Gentium: *His adde*, quæ sequuntur, non Nabuchodonosori, sed Christo convenire, *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum, &c.* Quibus verbis Passio Messiæ ænigmaticè adumbratur. *Insuper*, ait, *Baradius*. Quid sanctissimo Patriarchæ cum impio Nabuchodonosore, ut de illo in extremo halitu vaticinia ederet, populique sui, & Judæ, quem lau-

dabat, everforem missum à Deo, & Gentium expectationem appellaret? Aliæ erant sanctissimi Jacobi cogitationes, alia suspiria, de mundi illo Redemptore, non de eversore; de misso à Patre ad servandos Judęos, non de impulso à superba dominandi cupiditate ad trucidandos; de optatissimo Redemptore, non de formidabili atque execrando oppressore; de Rege cœli, non de Rege Babylonis; de Messia, non de Nabuchodonosore cogitabat. Messiam suspirabat, Messiam loquebatur, Messiam expectabat, unde illud ex ex imo pectore votum, *salutare tuum expectabo Domine*: quæ verba sic explanat præclarè Chaldæus Paraphrastes, » Salutare tuum expecto, Domine, dixit Pater noster Jacob, non expecto salutare Gedeonis filii Joas; quæ est salus temporalis, neque salutare Samsonis filii Manue, quæ est salus transitoria: sed expecto redemptionem Messiæ filii David, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cujus redemptionem desiderat anima mea. Hæc ille, ex quibus est compertum, tum sancti Patriarchæ desideria Messiam spectasse, tum Messiæ salutem non esse temporariam, belloque partam, sed æternam, sanguine effusô comparatam.

Præcluduntur alia Judæorum diverticula.

Non desunt qui recurrant ad nugatorias versiones præfati oraculi quibus illius sensum depravare nituntur. Aliqui enim legendum volunt non *auferetur*, vel *recedet tribus de Iuda, & dux de fœmore ejus, donec veniat Messias*. Sic autem vertitur, eo quòd dictio Hebręa *schbet*, aut *scevet* quam *virgam*, sive *sceptrū* interpretantur, non solùm sceptrum significet, sed etiam Tribum. *At* versio ista Messiam quoque venisse confirmat. Etenim ablata jam est Judæ tribus, & dux de fœmore ejus, ex terra repromissionis: Ergo jam Messias venit.

Sunt *præterea*, nonnulli, qui de sceptro tyrannorum vaticinium, intelligendum putârunt, ita quod sit hic sensus. *Non auferetur sceptrum tyrannorum de Iuda donec veniat Messias*. At perspicuum commentum est, tum quia multorum annorum spatiô post obitum Jacob, tribus Juda principatum obtinuit, & ab omni tyrannorum principatu libera fuit: tùm quia Jacob de sceptro tyrannico non loquitur, sed de sceptro Judaico, ut verba planè ostendunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore ejus, &c.*

Addunt denique Judæi, non auferendum sceptrum de tribu Juda, ut detur alteri Israëliticæ tribui, donec Messias venerit. *Verùm*, ait Barradius quis non videat hanc responsionem à vaticinio longè aberrare? Quid? Auferetur sceptrum, ut detur alienigenis, non auferetur, ut detur alteri tribui? Novum Prophetam esse oportebat, qui novum vaticinium veteri adderet, at nihil minùs quam Prophetæ sunt Judæi. Verus ergo sensus est, quem jam proposuimus. Non auferetur imperium, & principatus a Juda, donec veniat Messias. Ablatum principatum inficiari nequeunt Judæi: ergo fateantur necesse est, Messiam jam venisse.

His adde quòd peritissimi quique Judæi istud oraculum apertè de venturo Messia explicent, ut maximè patet per Targum, id est, per Chaldaicam Rabi Onkelos translationem, nec non per Jonatan alterum Chaldaicæ paraphrasis authorem: idem apertè significat Paraphrastes Hierosolymitanus. Similiter in Talmud tractatu de *Sanhedrim cap.* 9. ubi agitur de nomine Messiæ, refertur, quòd discipuli *Rabbi* Schela docent quòd illius nomen erit Siloh, sicut dictum est, *Genes.* 49. Pariter in *Bereschit Rabba*, id est, veteri commentario super Gen. explicans hæc verba *donec veniat Siloh*, ait: *Iste est Messias, & ad eum congregabunt se Gentes: quia ipse judicabit totum orbem: & hoc est quod dictum Michea 4. Et judicabit inter Gentes & arguet populos multos, &c.* Idem etiam constantissimè docent R. Salomon Jarchi, & R. Kimki in libro *Serassim*, & plures alii celebres Judęorum Doctores. Ex quibus omnibus constat, vaticinium istud Jacobi de vero Messia esse intelligendum; & ideo perperam à Recentioribus Judæis præfata oraculi verba alium in sensum detorqueri. Hinc alii Judæi peritiores nobiscum sentientes, ista verba de Messia esse intelligenda, aliud sibi effugium quærunt ut probent præfatum Messiam ibi designatum non esse Jesum Nazarenum.

§. II.

Secundum Iudæorum effugium, contendentium Messiam vel nondum venisse; vel nequaquam fuisse venturum, vel ejus adventum, longè præcessisse Nativitatem Iesû Nazareni.

XI. Nonnulli contendunt Judaïcum sceptrum nondum defecisse.

R*Epomunt* igitur aliqui cum *Rabbi Mose Ægyptio*, apud Burgensem 1. *part.* Scrutinii *dist.* 3. nondum defecisse sceptrum Israëliticum, nec ablatam esse regiam dignitatem de tribu Juda, siquidem capita transmigrationis, quæ remanserunt in Babylone, adhuc authoritate quasi regiâ dominantur in Judæos sibi subditos. Addit *Rabbi Benjamin* in suo Itinerario, se varias orbis terrarum partes peragrasse, & in plurimis regnis invenisse incolas, Judaïcam religionem servantes ac præscriptum in lege cultum per omnia Deo publicè impendentes; imò unum potentissimum regnum perlustrasse, cujus Rex oriundus ex stirpe David tot divitiis, tantâque authoritate ac virtute poller, ut trecenta hominum millia possit ad arma colligere.

At fabulas narrant.

Verùm quis tantillùm in historiis Gentium & Cosmographia peritus, non videat narrationes istas pura putaque esse Judęorum figmenta, & pueriles nænias, quas nullô negotiô dissolvere quilibet potest? Quantùm ad primum caput, apertè constat post expugnatam a Vespasiano & Tito Judęam ac Jerusalem, Judęos nec in Babylone, nec ullibi terrarum ullam supremam authoritatem in suos contribules obtinuisse. Fateor equidem, quod cùm post expugnatos ac funditùs dejectos Judęos plurimi in Babylonicam civitatem & provinciam se se recepissent, eis permissum fuerit seligere, & habere unum ex suis qui aliorum caput esset & rector, in iis maximè quæ ad negotiationem & religionem spectabant: at Rector iste nec semper erat oriundus ex tribu Juda, nec sceptrum tenebat, neque regiam authoritatem obtinebat; imò cum aliis sub Califæ Babylonici dominio lugebat: Unde non Rex, sed duntaxat appellabatur *Patriarcha*, eô scilicet nomine, quô nationum Principes donantur: 1. *Paralip.* 8. ubi de filiis Benjamin dicitur: *Hi Patriarchæ & nationum Principes, qui habitaverant in Ierusalem.* His adde, quòd circa decimum sæculum, hæc qualiscumque dignitas & authoritas quâ Judæi potiebantur in Babylonica ditione omnino extincta fuerit, ac Judæorum Scholæ & Academiæ omninò eversæ à Persis Califarum Babylonicorum dominationem & Imperium vastantibus. Oportet ergo fateantur Judæi saltem illô tem-

pore ablatum fuisse omninò sceptrum à Tribu Juda, ac proinde eos frustrà Messiæ adventum præstolari.

Quantùm autem ad narrationem *Rabbi Benjamin*, dico illam non minùs fabulosam esse, quam plurima alia, quæ in Itinerario suo colligit & refert. Enimverò si talia regna extarent, quibus soli imperarent Judæi; quomodo hæc Christianorum, Turcarum, aut Persarum nullus aliquando detexisset, hôc ipsô præsertim tempore, quô remotissimæ & hominibus priùs ignotæ nationes Americanæ & Insulares compertæ sunt & deprehensæ: qualiter solus ipse Benjamin ad hæc penetrarit nec ullum habuerit itineris socium qui eadem cum ipso narraret?

Quomodo Judæi omnes, qui per Asiam, Africam, Europam palantes sub duræ captivitatis jugo gemunt, non sese recipiunt in ista præstantissima regna, quibus summâ pace, libertate ac bonorum copiâ donarentur? Quomodo tandem factum est, ut nullus ex illis florentissimis regnis Judæus aliquando ad nos adventârit, ut, quid in eis geratur, aperiret? Fortè quia, ut narrat Benjamin, die duntaxat sabbati aditus pateat ad ista regna, duabus ingentis magnitudinis arboribus mutuò suô complexu iter præbentibus per fretum, quod inter regna ista, & aliarum terrarum continentem interjacet, ne quis accensum ignem etiam in eis à longè possit deregere, nec ad ista regna pervadere. Quæ omnia certè commentitia sunt & fabulosa. Aptissimè igitur Judæis convenit quod ait Æschines Orator, *Vanos homines, cùm aliquid mentiuntur, quædam minimè definita & obscura loqui, ne redargui possint.* Cui consonat Hebræorum illud Proverbium: *Qui vult mentiri, procul faciat testes suos.*

XII. Dicunt aliqui promissionem illã factam fuisse sub conditione quæ non fuit posita.

Reponunt alii promissiones venturi Messiæ duntaxat esse conditionatas. Unde sic ratiocinantur, Non potest inferri impletio promissionis, quæ facta fuit sub conditione ponenda, quando illa conditio reverà non fuit posita: sed Christi adventus promissus est sub conditione ponenda, quæ non fuit posita: igitur illa promissio facta de venturo Christo, non infert ipsum advenisse. Major constat. Probatur minor. Messias repromissus non solùm ortum ducere debebat ex Tribu Juda, sed etiam ex semine David, ejusque imperium in perpetuum prorogare, ut ipsemet David testatur Psal. 131. *Iuravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eum, &c.* Cui concordat illud Lucæ 1. ubi de eodem Messia dicitur: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. & dabit illi Dominus, sedem David Patris ejus*: Sed Messiæ ortus ex semine David, & davidici imperii prorogatio usque ad illius Messiæ nativitatem, pendebat ab aliqua conditione, quæ non fuit posita, nempe facta fuit ex hypothesi quòd Davidis posteri cultores essent divinæ legis, ut ipsemet David indicat eôdem Psalmô, dicente Deô: *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea. hæc quæ docebo eos, & filii eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam.* Constat etiam ex oratione Salomonis, quâ 3. Reg. cap. 8. Deum ita precatur: *Nunc igitur Dominus Deus Israël conserva famulo tuo David Patri meo, quæ locutus es ei.* 2. Reg. 7. per Nathan dicens: *Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël; ita tamen, si custodierint filii tui, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti, in conspectu meo, &c.* Sed tantùm abest ut filii David ad sæculum usque legem divinam exactè servaverint, imò Salomon ipse vix per triginta annos fidelis extitit: nam prioris in Deum observantiæ prorsùs immemor, ad idololatriam deflexit, quem exinde imitati sunt omnes illius posteri, dicente Scripturâ sacrâ Eccl. 48. *Præter David, Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei: dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ Genti*: Ergo nedum peccaverunt, sed & in criminum vindictam à regno exciderunt.

Verùm ex his solùm inferre licet, quòd sceptrum Judaïcum à familia Davidica propter peccata debuerit excidere, non autem quòd omninò defecerit ex Tribu Juda: regendi nempe authoritas, sub his conditionibus, repromissa quidem fuerat familiæ Davidicæ, non verò Tribui Juda, ut constat ex verbis vaticinii.

XIII. Alii duos fingunt Christos, pauperem unum & abjectum, quem venisse concedunt: alterum divitê ac Majestate illustrê, quem adhuc præstolantur.

Reponunt alii duos Christos seu Messias esse promissos: alterum in quem conveniunt abjecta quæque & humilia de Christo prædicta sacris in libris: alterum cui splendida & magnifica omnia de eodem nuntiata tribuunt. Priorem nominant *Messiam filium Ioseph*: Posteriorem *Messiam filium Davidis.* De utroque meminit R. *Selomoh* in Commentario ad Isaiæ c. 24. & 28. *Qui effugerit*, inquit, *gladium Messiæ filii Ioseph, incidet in gladium Messiæ filii David.* Dicunt insuper Messiam filium Joseph in certamine Gog & Magog interficiendum esse, sed ressuscitandum per virtutem alterius Messiæ filii Davidis, qui redimet Israel, & ejus regnum restituet: concedunt quidem primum jam advenisse: secundum autem adhuc venturum expectant.

Verùm, hoc capitale Recentiorum Judæorum effugium facilè præcluditur; Scriptura namque nullibi duos Messias commemorat, sed ejusdem duplicem adventum, alterum quidem, ut Redemptoris in humilitate: alterum verò in majestate ut Judicis. Quod utique egregiè prænuntiat Isaias cap. 35. & 62. ubi prædicit Messiæ contemptum, occisionem, resurrectionem, & omnium populorum ad ipsum conversionem. Necnon & Zacharias cap. 9. ubi ait; *Exulta satis filia Sion, jubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraïm, & equum de Ierusalem; & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ, &c.* Quibus verbis Propheta apertè significat eundem Messiam, qui pauper, abjectus & humilis prædicitur, fore Redemptorem, Salvatorem, Regem & Dominatorem totius mundi.

XIV. Volunt alii sceptrum fuisse ablatum à Tribu Juda tempore captivitatis Babylonicæ.

His adde quòd Talmudistæ hunc ejusdem Messiæ duplicem adventum agnoverint: nam ut narrat Galatinus lib. 4. cap. in *Midras Coheleth*, id est in expositione Ecclesiastici, super illud, *nihil novum sub sole.* R. Barachias dixisse fertur, *Redemptor ultimus revelatus est & revertetur qui occultatus est.* Id ipsum etiam habetur in libro *Tanhuma*, ubi duplicem Messiæ adventum colligit ex Psal. 126. maximè ex his verbis secundùm editionem Hebraïcam: *Dum converteret Deus captivitatem Sion, eramus tanquam somniantes: Hinc implebitur risu os nostrum, & lingua nostra cantu*: Quæ verba sic ibidem exponuntur; Dum substrahet se Messias, ne sit in auxilium filiorum Israel, erimus omnes veluti somniantes, non dormientes, nec vigilantes. Quando verò revertetur, ostendetque seipsum eis, tunc implebitur risu os

» eorum, eruntque gaudentes, & verificabunt pri-» mum adventum ratione hujus secundæ ostensio-» nis: & dicent: Magnificavit Deus facere pro nobis: futilis est ergo & omninò fictitia Recentium Judæorum de duplici Messia assertio.

Reponunt nonnulli, sceptrum ex Tribu Juda penitùs ablatum fuisse tempore Babylonicæ captivitatis: igitur vel Messias pridem venisse putandus est: vel ex præfato vaticinio non potest certò ejus adventus colligi. Probant antecedens ex ultimo cap. Paralip. & ultimo Reg. ubi refertur qualiter vastatâ Judæâ & Jerusalem unà cum templo igne consumptis, omnes Judæos in Babylonem unà cum suo Rege captivos traduxerit Nabuchodonosor. Tùm ex vaticinio Jeremiæ, cap. 22. qui Jechoniæ Regi prædixerat, post vastationem Judæorum à Nabuchodonosore, non esse futurum virum, *Qui sedeat super solium David, & habeat ultra potestatem in Juda.* Tùm denique ex Danielis 3. v. 38. Non est in tempore » hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neque holo-» caustum, neque sacrificium, neque oblatio, ne-» que incensum, &c.

Sceptrum Judaicum non fuit ablatū tempore captivit. Babylon.

Verùm respondeo primò, tempore captivitatis non penitùs extinctam fuisse Regiam Judæorum potestatem & authoritatem, quanquam aliquandiu suppressa & oppressa fuerit: legimus enim ultimò cap. Reg. *Quod sublevavit Evilmerodach, Rex Babylonis, annò quò regnare cœperat, caput Ioachin Regis Iuda de carcere; & locutus est benignè, & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erat cum eo in Babylone. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.*

Respondeo secundò, durante istâ captivitate non extinctam fuisse, nec penitus ademptam à Judæis judiciariam & legislativam authoritatem, cujus tamen ablatio alterum erat adventûs Messiæ certum indicium in Iacobi vaticinio designatum; nam illô tempore penes Judæorum judices & Legislatores vigebat adhuc authoritas reos damnandi ad mortem, ut constat ex Historia Susannæ, *Danielis cap.* 13. ac proinde illô tempore non debuit venisse Messias, cujus duntaxat adventus futurus erat post ablatam utramque authoritatem, nempe regiam & legislativam.

Adde quod non ita diu post mortem Regis Joachin Zorobabel ex Tribu Juda & Regio sanguine oriundus, populi Judaïci præfecturam obtinuerit, & delegatus fuerit à Cyro Persarum Imperatore post captam Babyloniam, ut Templum Jerusalem ex integro restauraret, ut legitur 1. *Esdræ cap.* 2. Non ergo penitus ablatum fuit sceptrum de Juda, neque Dux de fœmore ejus in captivitate Babylonica.

Vrgent. A soluta captivitate Babylonica ad Nativitatem Jesu Nazareni intercesserunt anni fermè 500. at in illo intermedio tempore non præfuit, nec imperavit Judæis aliquis ex Tribu Juda; nam brevi post Zorobabelem, Esdras, qui erat Sacerdos & ex Tribu Levi supremum in Judæos è captivitate ad propria dimissos principatum obtinuit, ut legimus 1. *Esdræ cap.* 7. Ab eo autem usque ad Machabæos nulli quidem referuntur in Scriptura Judæorum præfecti: verisimile tamen est tunc temporis imperasse summos Sacerdotes usque ad *Hasamonæos*, seu *Machabæos*, qui erant Sacerdotalis ordinis & Levitici generis: igitur tunc penitus ablatum fuit sceptrum ex Tribu Juda: & subinde necessum fuit venisse Messiam paulò post solutam captivitatem, illumque Messiam repromissum, fuisse vel ipsum Esdram, vel Nehemiam, qui, ut legitur 2. Esdræ, impetratis ab Artaxerxe Regis litteris Jerosolymam Civitatem ejusque muros restituit.

Urgentior Recentium Judæorum Objectio.

Huic instantiæ quæ capitalis est Recentium Judæorum variè respondent Catholici Doctores: Aliqui enim reponunt cum S. Cyrillo lib. 8. contra Julianum, semper aliquos extitisse ex Tribu Juda, qui authoritatem exercerent in Judæos, etiam Machabæorum tempore, quanquam propter Persas Regiô Diademate non uterentur, quia eô tempore major authoritas in Pontificibus residebat, *Quomodo*, inquit, *cessasse dicitur regnum David in Sedechia, cùm Zorobabel post captivitatis tempus in regni solio consederit, fueritque de Tribu Iuda & David, transmissumque sit sceptrum per posteros illius usque ad regnum Herodis, qui fuit ex Patre alienigeno?*

Respondent alii cum *Genebrardo* lib. 2. Chronologiæ, Machabæos fuisse oriundos ex Tribu Juda secundùm lineam paternam. Unde cap. 5. libri Machabæorum de Machabæis dicitur: *Et viri Iuda magnificati sunt valde.* Verùm cùm Machabæi fuerint Sacerdotes, certum est eos non potuisse originem ducere ex Tribu Juda: siquidem S. Paulus ad Hebræos 4. negat Sacerdotium posse pertinere ad eos, qui erant de Tribu Juda, quod simpliciter & absolutè intelligendum est, hoc est, secundùm paternam originem, quocirca hæc responsio minùs videtur sufficiens.

XV. Machabæi non erant ex Tribu Juda secundùm lineâ paternam.

Respondent nonnulli cum SS. Epiphanio contra hæreses Hæresi 22. Augustino lib. 13. de Civitate cap. 45. nec-non & cum Josepho lib. 13. Antiquitatum Judaïcarum a capite 15. Hebræorum traditionem esse quod Machabæi ex Tribu Juda oriundi erant secundùm lineam maternam. Quam utique sententiam sequitur & probat Baronius initiô Tomi primi suorum annalium quadruplici ratione.

Neque secundùm lineam maternam ut cum aliis censet Baronius.

Primò quidem, quia ut referunt Josephus & Philo, Tribus Judæ & Levi invicem matrimonia inire poterant, ut etiam constat Exodi 15. de Aaron, qui filiam Aminadab, nomine Elizabeth, in uxorem habuit. Similiter Joiada summus Pontifex, ut legimus 2. Paralip. cap. 22. nupsit filiæ Joram Regis Judæ nomine Jocabeth. Subjiciunt etiam aliqui connubium Elizabeth & Zachariæ matris Joannis Baptistæ. Verùm hæc Lucæ 1. dicitur *de filiabus Aaron*; ac proinde ex Tribu Levi. Igitur licèt Machabæi secundùm genus paternum fuerint oriundi ex Sacerdotali & Levitica Tribu, idque de vice Joiarib, ut testatur Josephus lib. 12. Antiquitatum cap. 8. nihilominus secundùm genus maternum erant ex Tribu Juda.

Cujus rationes & fundamenta proponuntur.

Secundò, quia qui erant ex Tribu Juda, plerumque nomina propria Leviticæ Tribui usurpabant, & vicissim ex Tribu Levitica oriundi, appellabantur interdum aliquô nomine propriô Tribui Judæ, ut videre est in Genealogia Christi; nam aliqui ex ejus progenitoribus appellantur Levi, Matathias, &c. constat pariter unum ex Hasamonæis Judam fuisse appellatum,

Tertiò quia de Machabæis dicitur lib. 1. cap. 1. *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu Israël.* Ubi signanter appellantur viri Juda, non Judæ, quò significatur eos non à Juda duce, sed a Tribu Juda sic nominari.

Quartò denique, quia nisi Machabæi fuissent

pore ablatum fuisse omninò sceptrum à Tribu Juda, ac proinde eos frustrà Messiæ adventum præstolari.

Quantùm autem ad narrationem *Rabbi Benjamin*, dico illam non minùs fabulosam esse, quam plurima alia, quæ in Itinerario suo colligit & refert. Enimverò si talia regna extarent, quibus soli imperarent Judæi; quomodo hæc Christianorum, Turcarum, aut Persarum nullus aliquando detexisset, hôc ipsô præsertim tempore, quô remotissimæ & hominibus priùs ignotæ oationes Americanæ & Insulares compertæ sunt & deprehensæ: qualiter solus ipse Benjamin ad hæc penetrarit nec ullum habuerit itineris socium qui eadem cum ipso narraret?

Quomodo Judæi omnes, qui per Asiam, Africam, Europam palantes sub duræ captivitatis jugo gemunt, non sese recipiunt in ista præstantissima regna, quibus summâ pace, libertate ac bonorum copiâ donarentur? Quomodo tandem factum est, ut nullus ex illis florentissimis regnis Judæus aliquando ad nos adventârit, ut, quid in eis geratur, aperiret? Fortè quia, ut narrat Benjamin, die duntaxat sabbati aditus pateat ad ista regna, duabus ingentis magnitudinis arboribus mutuó suô complexu iter præbentibus per fretum, quod inter regna ista, & aliarum terrarum continentem interjacet, ne quis accensum ignem etiam in eis à longè possit detegere, nec ad ista regna pervadere. Quæ omnia certè commentitia sunt & fabulosa. Aptissimè igitur Iudæis convenit quod ait Æschines Orator, *Vanos homines, cùm aliquid mentiuntur, quædam minimè definita & obscura loqui, ne redargui possint.* Cui coosonat Hebræorum illud Proverbium: *Qui vult mentiri, procul faciat testes suos.*

XII. Dicunt aliqui promissionem illã factam fuisse sub conditione quę non fuit posita.

Reponunt alii promissiones venturi Messiæ duntaxat esse conditionatas. Unde sic ratiocinantur, Non potest inferri impletio promissionis, quæ facta fuit sub conditione ponenda, quando illa conditio reverà non fuit posita: sed Christi adventus promissus est sub conditione ponenda, quæ non fuit posita: igitur illa promissio facta de venturo Christo, non infert ipsum advenisse. Major constat. Probatur minor. Messias repromissus non solùm ortum ducere debebat ex Tribu Juda, sed etiam ex semine David, ejusque imperium in perpetuum prorogare, ut ipsemet David testatur Psal. 131. *Iuravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eum, &c.* Cui concordat illud Lucæ 1. ubi de eodem Messia dicitur: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem David Patris ejus:* Sed Messiæ ortus ex semine David, & davidici imperii prorogatio usque ad illius Messiæ nativitatem, pendebat ab aliqua conditione, quæ non fuit posita, nempe facta fuit ex hypothesi quòd Davidis posteri cultores essent divinæ legis, ut ipsemet David indicat eôdem Psalmô, dicente Deô: *Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea, hæc quæ docebo eos, & filii eorum usque in seculum sedebunt super sedem tuam.* Constat etiam ex oratione Salomonis, quâ 3. Reg. cap. 8. Deum ita precatur: *Nunc igitur Dominus Deus Israël conserva famulo tuo David Patri meo, quæ locutus es ei.* 2. Reg. 7. per Nathan dicens: *Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israël; ita tamen, si custodierint filii tui, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti, in conspectu meo, &c.* Sed tantùm abest ut filii David ad sæculum usque legem divinam exactè servaverint, imò Salomon ipse vix per triginta annos fidelis extitit: nam prioris in Deum observantiæ prorsùs immemor, ad idololatriam deflexit, quem exinde imitati sunt omnes illius posteri, dicente Scripturâ sacrâ Eccl. 48. *Præter David, Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei: dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ Genti:* Ergo nedum peccaverunt, sed & in criminum vindictam à regno exciderunt.

Verùm ex his solùm inferre licet, quòd sceptrum Judaicum à familia Davidica propter peccata debuerit excidere, non autem quòd omninò defecerit ex Tribu Juda: regendi nempe authoritas, sub his conditionibus, repromissa quidem fuerat familiæ Davidicæ, non verò Tribui Juda, ut constat ex verbis vaticinii.

XIII. Alii duos fingunt Christos, pauperem unum & abjectum, quem venisse concedunt: alterum divitē ac Majestate illustrē, quem adhuc præstolantur.

Reponunt alii duos Christos seu Messias esse promissos: alterum in quem conveniunt abjecta quæque & humilia de Christo prædicta sacris in libris: alterum cui splendida & magnifica omnia de eodem nuntiata tribuunt. Priorem nominant *Messiam filium Ioseph:* Posteriorem *Messiam filium Davidis.* De utroque meminit R. *Selomoh* in Commentario ad Isaiæ c. 24. & 28. *Qui effugerit,* inquit, *gladium Messiæ filii Ioseph, incidet in gladium Messiæ filii Davi l.* Dicunt insuper Messiam filium Joseph in certamine Gog & Magog interficiendum esse, sed ressuscitandum per virtutem alterius Messiæ filii Davidis, qui redimet Israel, & ejus regnum restituet: concedunt quidem primum jam advenisse: secundum autem adhuc venturum expectant.

Verùm, hoc capitale Recentiorum Judæorum effugium facilè pręcluditur; Scriptura namque nullibi duos Messias commemorat, sed ejusdem duplicem adventum, alterum quidem, ut Redemptoris in humilitate: alterum verò in majestate ut Judicis. Quod utique egregiè pręnuntiat Isaias cap. 35. & 62. ubi pręd icit Messiæ contemptum, occisionem, resurrectionem, & omnium populorum ad ipsum conversionem. Necnon & Zacharias cap. 9. ubi ait; *Exulta satis filia Sion, jubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraïm, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines terræ, &c.* Quibus verbis Propheta apertè significat eundem Messiam, qui pauper, abjectus & humilis prædicitur, fore Redemptorem, Salvatorem, Regem & Dominatorem totius mundi.

XIV. Volunt alii sceptrum fuisse oblatum à Tribu Juda tempore captivitatis Babylonicæ.

His adde quòd Talmudistæ hunc ejusdem Messiæ duplicem adventum agnoverint: nam ut narrat Galatinus lib. 4. cap. in *Midras Coheleth*, id est in expositione Ecclesiastici, super illud, *nihil novum sub sole.* R. Batachias dixisse fertur, *Redemptor ultimus revelatus est & revertetur qui occultatus est.* Id ipsum etiam habetur in libro *Tanhuma*, ubi duplicem Messiæ adventum colligit ex Psal. 126. maximè ex his verbis secundùm editionem Hebraïcam: *Dum converteret Deus captivitatem Sion, eramus tanquam somniantes: Hinc implebitur risu os nostrum, & lingua nostra cantu:* Quæ verba sic ibidem exponuntur; Dum substrahet se Messias, ne sit in auxilium filiorum Israël, erimus omnes veluti somniantes, non dormientes, nec vigilantes. Quando verò revertetur, ostendetque seipsum eis, tunc implebitur risu os

eorum, eruntque gaudentes, & verificabunt primum adventum ratione hujus secundæ ostensionis: & dicent: Magnificavit Deus facere pro nobis: futilis est ergo & omninò fictitia Recentium Judæorum de duplici Messia assertio.

Sceptrum Judaïcum non fuit ablatũ tempore captivit. Babylon.

Reponunt nonnulli, sceptrum ex Tribu Juda penitùs ablatum fuisse tempore Babylonicæ captivitatis: igitur vel Messias pridem venisse putandus est: vel ex præfato vaticinio non potest certò ejus adventus colligi. Probant antecedens ex ultimo cap. Paralip. & ultimo Reg. ubi refertur qualiter vastatâ Judæâ & Jerusalem unà cum templo igne consumptis, omnes Judæos in Babylonem unà cum suo Rege captivos traduxerit Nabuchodonosor. Tùm ex vaticinio Jeremiæ, cap. 22. qui Jechoniæ Regi prædixerat, post vastationem Judæorum à Nabuchodonosore, non esse futurum virum, *Qui sedeat super solium David, & habeat ultra potestatem in Iuda.* Tùm denique ex Danielis 3. v. 38. Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, &c.

Verùm respondeo primò, tempore captivitatis non penitùs extinctam fuisse Regiam Judæorum potestatem & authoritatem, quanquam aliquandiu suppressa & oppressa fuerit: legimus enim ultimô cap. Reg. *Quod sublevavit Evilmerodach, Rex Babylonis, annô quô regnare cœperat, caput Ioachin Regis Iuda de carcere; & locutus est benignè, & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erat cum eo in Babylone. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à Rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.*

Respondeo secundò, durante istâ captivitate non extinctam fuisse, nec penitus ademptam à Judæis judiciariam & legislativam authoritatem, cujus tamen ablatio alterum erat adventûs Messiæ certum indicium in Iacobi vaticinio designatum; nam illô tempore penes Judæorum judices & Legislatores vigebat adhuc authoritas reos damnandi ad mortem, ut constat ex Historia Susannæ, *Danielis cap.* 13. ac proinde illô tempore non debuit venisse Messias, cujus duntaxat adventus futurus erat post ablatam utramque authoritatem, nempe regiam & legislativam.

Adde quòd non ita diu post mortem Regis Joachin Zorobabel ex Tribu Juda & Regio sanguine oriundus, populi Judaïci præfecturam obtinuerit, & delegatus fuerit à Cyro Persarum Imperatore post captam Babyloniam, ut Templum Jerusalem ex integro restauraret, ut legitur 1. *Esdræ cap.* 2. Non ergo penitus ablatum fuit sceptrum de Juda, neque Dux de fœmore ejus in captivitate Babylonica.

Urgentior Recentium Judæorum Objectio.

Urgent. A soluta captivitate Babylonica ad Nativitatem Jesu Nazareni intercesserunt anni fermè 500. at in illo intermedio tempore non præfuit, nec imperavit Judæis aliquis ex Tribu Juda; nam brevi post Zorobabelem, Esdras, qui erat Sacerdos & ex Tribu Levi supremum in Judæos è captivitate ad propria dimissos principatum obtinuit, ut legimus 1. *Esdræ cap.* 7. Ab eo autem usque ad Machabæos nulli quidem referuntur in Scriptura Judæorum præfecti: verisimile tamen est tunc temporis imperasse summos Sacerdotes usque ad *Hasamonæos*, seu *Machabæos*, qui erant Sacerdotalis ordinis & Levitici generis: igitur tunc penitus ablatum fuit sceptrum ex Tribu Juda: & subinde necessum fuit venisse Messiam paulò post solutam captivitatem, illumque Messiam repromissum, fuisse vel ipsum Esdram, vel Nehemiam, qui, ut legitur 2. Esdræ, impetratis ab Artaxerxe Regiis litteris Jerosolymam Civitatem ejusque muros restituit.

Huic instantiæ quæ capitalis est Recentium Judæorum variè respondent Catholici Doctores: Aliqui enim reponunt cum S. Cyrillo lib. 8. contra Julianum, semper aliquos extitisse ex Tribu Juda, qui authoritatem exercerent in Judæos, etiam Machabæorum tempore, quanquam propter Persas Regiô Diademate non uterentur, quia eô tempore major authoritas in Pontificibus residebat, *Quomodo*, inquit, *cessasse dicitur regnum David in Sedechia, cùm Zorobabel post captivitatis tempus in regni solio consederit, fueritque de Tribu Iuda & David, transmissumque sit sceptrum per posteros illius usque ad regnum Herodis, qui fuit ex Patre alienigeno?*

XV.

Machabæi non erant ex Tribu Juda secundùm lineã paternam.

Respondent alii cum *Genebrardo* lib. 2. Chronologiæ, Machabæos fuisse oriundos ex Tribu Juda secundùm lineam paternam. Unde cap. 5. libri Machabæorum de Machabæis dicitur: *Et viri Iuda magnificati sunt valde.* Verùm cùm Machabæi fuerint Sacerdotes, certum est eos non potuisse originem ducere ex Tribu Juda: siquidem S. Paulus ad Hebræos 4. negat Sacerdotium posse pertinere ad eos, qui erant de Tribu Juda, quod simpliciter & absolutè intelligendum est, hoc est, secundùm paternam originem, quocirca hæc responsio minùs videtur sufficiens.

Neque secundùm lineam maternam, ut cum aliis censet Baronius.

Respondent nonnulli cum SS. Epiphanio contra hæreses Hæresi 22. Augustino lib. 13. de Civitate cap. 45. nec-non & cum Josepho lib. 13. Antiquitatum Judaïcarum a capite 15. Hebræorum traditionem esse quòd Machabæi ex Tribu Juda oriundi erant secundùm lineam maternam. Quam utique sententiam sequitur & probat Baronius initiô Tomi primi suorum annalium quadruplici ratione.

Primò quidem, quia ut referunt Josephus & Philo, Tribus Judæ & Levi invicem matrimonia inire poterant, ut etiam constat Exodi 15. de Aaron, qui filiam Aminadab, nomine Elizabeth, in uxorem habuit. Similiter Joiada summus Pontifex, ut legimus 2. Paralip. cap. 22. nupsit filiæ Jotam Regis Judæ nomine Jocaberh. Subjiciunt etiam aliqui connubium Elizabeth & Zachariæ matris Joannis Baptistæ. Verùm hæc Lucæ 1. dicitur *de filiabus Aaron*; ac proinde ex Tribu Levi. Igitur licèt Machabæi secundùm genus paternum fuerint oriundi ex Sacerdotali & Levitica Tribu, idque de vice Joiarib, ut testatur Josephus lib. 12. Antiquitatum cap. 8. nihilominus secundùm genus maternum erant ex Tribu Juda.

Cujus rationes & fundamenta proponuntur.

Secundò, quia qui erant ex Tribo Juda, plerumque nomina propria Leviticæ Tribui usurpabant, & vicissim ex Tribu Levitica oriundi, appellabantur interdum aliquô nomine propriô Tribui Judæ, ut videre est in Genealogia Christi; nam aliqui ex ejus progenitoribus appellantur Levi, Matathias, &c. constat pariter unum ex Hasamonæis Judam fuisse appellatum,

Tertiò quia de Machabæis dicitur lib. 1. cap. 1. *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu Israël.* Ubi signanter appellantur viri Juda, non Judæ, quò significatur eos non à Juda duce, sed a Tribu Juda sic nominari.

Quartò denique, quia nisi Machabæi fuissent

ex tribu Juda per lineam maternam, non potuissent absque tyrannidis & usurpationis nota supremam authoritatem in Judęos sibi vendicare: igitur farendum est eos ex tribu Juda ex parte mulierum esse oriundos.

Et solvuntur.

Verùm quàm leves & parùm efficaces sint istæ rationes facilè demonstratur. *Prima* quidem, quia Sacerdotibus & Levitis non solùm licebat ducere uxores ex tribu Juda; sed etiam ex qualibet altera tribu, ut constat ex *cap. 44. Ezechielis v. 22.* ubi de Levitis & Sacerdotibus præscribitur: *Viduam & repudiatam non accipient uxores, sed Virgines de semine domûs Israël: sed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient.* Insuper gratis asseritur aliquem ex Machabęorum progenitoribus nupsisse mulieri ex regio sanguine; nullâ siquidem authoritate, nullôque testimoniô id suadetur. *Prætereà* maternum genus pro nullo habetur inter Hebręos, nec cujusquam genealogia per mulieres contexta legitur: igitur quamvis Machabæi essent ex tribu Juda secundùm lineam maternam, id non sufficeret, ut ad eos jus regni propriè spectaret: nec consequenter ut Judaicum sceptrum propagaretur. *Denique* idcirco *lib. Numerorum 36.* Deus statuit ut Israeliticæ mulieres *nubant quibus volunt tantùm ut suæ tribûs hominibus, ne commisceatur possessio filiorum, Israël de tribu in tribum; omnes enim viri ducent uxores de tribu & de cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient; ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, ut à Domino separata sunt:* Sed si ratione lineæ maternæ & ex inito cum uxoribus Judaïcæ tribûs connubio, Machabæi supremam in Judęos potestatem fuissent adepti, migrasset cum uxoribus hæreditas omnium maxima, nimirum suprema regendi ac imperandi potestas: igitur hâc ratione Machabæi censeri non possunt, nec ex tribu Juda, nec in illa tribu Judaïcum sceptrum propagasse.

Nec refert quòd Christus solô maternô genere tribum Judæ contigerit. Hoc enim ei fuit peculiare, quoniam ex sola Virgine absque ullo virili opere formatus est. Unde opportuit ut ratione matris ad tribum Juda spectaret, aut quod ex illa tribu propagatus non esset dicendus.

Secunda ratio etiam minùs est efficax, non enim apparet quamlibet tribum habuisse sibi peculiaria ac propria quædam nomina. *Adde quòd* unus ex Hasamonæis appelletur Jonathas, quô nomine appellabatur filius Saül primogenitus, qui tamen erat ex tribu Benjamin.

Tertia ratio pari facilitate refellitur: fieri enim potest quòd hæc vocabula, *viri Iuda*, significent aliquos bellatores ex tribu Juda oriundos, qui sub ducibus Hasamonæis strenuè ac fœliciter pugnabant: aut, quod verius est, significant viros militares, quibus ipse Judas & fratres ejus imperabant. Ibi enim celebrantur Machabæi & eorum milites supra quosdam Sacerdotes & Levitas, qui Machabęorum gloriæ & victoriarum ęmuli, temerè & sine consilio prælium cum alienigenis ineuntes ceciderant: de iis namque dicitur; *Non erant de semine eorum per quos salus facta est in Israël.* Unde statim de Machabæis subditur: *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu Israël. Adde quòd* editio Græca, quæ primaria est & originalis librorum Machabęorum, expresse habeat: *Vir Iudas & fratres ejus.*

XVI. Unde Machabæi non regnârunt jure hæreditariô.

Ad quartam rationem dico Hasamonęos non sibi vendicasse supremam authoritatem in Judęos ratione successionis ac jure hæreditariô, sed duntaxat jure belli ac titulô victoriæ, necnon & zelô tuendæ religionis. Cùm enim ipsi primi adversus Antiochum Epiphanem restitissent ac pugnassent, & jugulassent eos qui Israëlitas sub diro captivitatis jugo detinentes, etiam eos ad idololatriam impellebant; inde factum est ut omnes Israëlitæ, quibus libertas & religio cordi erat, eorum exemplô excitati adversus suæ religionis & patriæ hostes ad arma cucurrerint, & Machabęos, quos habuerant sacri belli promotores, etiam exercitûs Duces, nec non & suæ reipublicæ Protectores ac Rectores agnoverint.

Nec per Usurpationem.

Quòd autem hoc regnandi jus sibi non arrogaverint, nec aliquô successionis jure existimaverint esse debitum, constat ex eo quòd defunctô Judâ, Jonathas frater ejus non priùs principatum assumpserit, quàm ei delatus fuisset per electionem Judaici populi, qui dixerunt Jonathæ lib. 1. Machab. cap. 1. *Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros Bacchidem, & eos qui inimici sunt Gentis nostræ. Nunc itaque te hodiè elegimus esse pro eo nobis in Principem & Ducem ad bellandum bellum nostrum.* Subditur: *Et suscepit Ionathas tempore illô principatum, & surrexit locô Iudæ fratris sui.* Maximè autem notandum est electionem & promotionem illam non nisi diu post mortem Judæ factam fuisse, ut colligere est ex antecedentibus: nam defunctô Judâ, & priusquam ei sufficeretur Jonathas, plurima referuntur gesta tùm à Judæis quibusdam nefariis hominibus, tùm à Bacchide infensissimo Judęorum hoste, silentibus, nec se se opponentibus Machabęis qui erant superstites, quod signum est eos Israëliticum principatum non existimasse aliquô jure sibi debitum: nam cum summus eis patriæ ac religionis tuendæ inesset amor, haud dubiè statim defunctô Judâ Jonathas cum armatis militibus sibi subditis aggressus fuisset Bacchidem, eumque expugnasset, sicuti fecisse ibidem legimus statim ac electus & designatus fuit Princeps. Alia igitur quærenda & assignanda est ratio, quâ demonstretur quòd etsi post captivitatem Babylonicam, quotquot fermè Principes in Judęa extiterunt, fuerint ex tribu Levitica, nihilominus reverà propagatum fuerit sceptrum Judaïcum eô sensu, quô prædixerat Jacob usque ad ipsam Christi Domini nativitatem. Quocirca

XVII. Nec etiam quia nomine *Iuda* intelligitur tota Hebræorum natio ut volunt plurimi.

Respondent alii Moderniores Theologi, per vocabulum *Iuda* non intelligi duntaxat tribum Judæ, sed universum Hebręorum populum, & totam Jacobi progeniem: ita quòd non esset auferenda regia & legislativa potestas à filiis Jacob, seu ab omnibus omninò tribubus Israëlitarum, quin priùs Messias venisset.

Verùm hæc sententia (etsi probabilior appareat) nihilominùs non videtur cohærere cum genuino vaticinii sensu. *Primo* namque ibi Jacob cuilibet è suis filiis prænuntiat, quæ speciatim ac peculiariter eorum posteris ventura erant: igitur dum Judæ denuntiat quòd non priùs ab eo auferendum sit sceptrum & dux de fœmore ejus, sive Legislator de medio pedum ejus, quin Messias venerit, non ad universam suam progeniem, sed duntaxat ad Judæ posteros ista verba dirigit, alioqui, nil quod esset peculiare Judæ designasset.

Secundò, pauló ante præfata vaticinii verba, Jacob Judam alloquens ait: *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum*

tuorum:

tuorum : adorabunt te filii Patris tui ; Quæ certè verba non possunt ad universos Israëlitas dirigi; alioqui sensus esset, quòd mutuò ac se se invicem Israëlitæ essent laudaturi & adoraturi, quod certè prorsùs ridiculum esset & ineptum : & subinde hæc verba ad solum Judam ejusque affines censentur directa : igitur & quæ consequuntur, de solis Judæ posteris sunt intelligenda. *Adde quòd* non potiùs dixisset Jacob, non esse auferendum sceptrum de Juda, quàm de Israëlitis, cùm æquè facilè Israelitarum nomen ac Judæ pronuntiare potuisset, nisi hujus oraculi sensum & veritatem ad solum Judam ejusque affines pertinere censuisset.

Tertiò, nullibi in Scriptura reperies universam Jacobi progeniem *Iuda* nomine designari : appellantur equidem interdũ *Israëlitæ*, quoniam omnes ortum ducunt à Jacobo qui dictus est *Israël*; nulla verò alterius tribûs nomen & appellationem sibi vendicat ; sed unusquisque Israëlitarum sibi attribuit nomen illius Patriarchæ à quo fuit propagatus. Hinc alius dicitur filius Ruben, alius filius Levi, &c. ut videre est 1. *Paralip.* ubi refertur Israëlitarum genealogia, maximè eorum qui erant majores natu & familiarum capita usque ad Patriarchas à quibus sunt geniti. Alius igitur investigandus est præfati oraculi sensus, aliaque illius subjicienda explanatio, quâ appareat reverà non fuisse ablatum sceptrum de Juda donec Jesus Christus Dominus noster verus Messias nasceretur ; quanquam regia ac ducalis dignitas à Judæ posteris ad posteros Levi fermè per 500. annos convolaverit. Quod utique pro modulo nostro præstare nitemur in sequenti §.

§. III.

Quâ ratione constet sceptrum non fuisse ablatum de Iuda donec Christus nasceretur.

XXVIII. Sed quia post divisionem regni, tribus Benjamin & Levi, in unicam tribum Iuda videntur coaluisse.

UT editi à Jacobo præfati vaticinii, quæ nobis videtur genuina interpretatio, clariùs ac distinctiùs appareat : hîc è limine *Notandum* est Jacobum non unicum duntaxat, sed duo distincta eaque notissima Messiæ venturi indicia prænuntiasse. *Primum* quòd non esset auferendum sceptrum de Juda ; *secundum*, quòd dux aut Legislator non esset amovendus, antequam Messias venisset : igitur ut istius vaticinii veritas appareret, utraque hæc authoritas, nempè Regia ac Legislativa prius auferri debuit à Juda quam Messias advenerit : ita quòd ejus adventûs tempore, nullus ex Judæis imperaret, nullusque supremam judiciariam ac Legislativam authoritatem exerceret.

Observandum secundò, Judiciariam ac Legislativam authoritatem fuisse notissimam apud Judæos, & maximè repositam penes eorum Senatum, quem appellabant *Sanhedrin*, cujus Senatûs institutio divinâ authoritate facta legitur Numerorum *cap.* 1[illegible]bi refertur, quòd cùm Moyses mandante Dominô elegisset septuaginta Seniores, qui sibi forent administri in regendo Israëlitico populo, eosque stare jussisset circa tabernaculum : *Descendit Dominus per nubem, & locutus est ad eum* (Moysem) *auferens de Spiritu qui erat in Moyse & dans Septuaginta viris : cùmque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultrà cessaverunt.*

Duo erant vetusti Messiæ indicia, nempe defectus Regiæ & Legislativæ authoritatis.

Hi autem Septuaginta Seniores Judicum ac Legislatorum munus obeuntes, appellati sunt
A *Sanhedrin*, quos nos, inquit Galatinus *lib.* 4. *c.* 5. appellare possumus *Iudices ordinarios* : dicebantur quoque *Mchokekim*, id est, *Scribæ* sive *legum Latores*, eò quòd quidquid tradebant, & scribebant, tanquam lex ab aliis habebatur. Quales autem esse deberent qui ad eam dignitatem erant promovendi, docetur in libro *Sanhedrin* in capite, *Dine mamonoth*, id est judicia divitiarum, ubi sic legitur; *Dixit Rabbi Iohanan, non erant constituentes in* SANHEDRIN, *nisi dominos sapientiæ, staturæ, & apparentiæ, ac senectutis, & dominos incantationum, nec non & scientes 70. linguas, ne oporteret eos interpretes alios audire.* Ubi glossa R. Selomonis sic ait : Statura, &
B apparentia in eis requirebatur, ut in honore & veneratione haberentur. Quòd autem essent incantationum domini, ideò exigebatur, ut incantatores & maleficos in suis maleficiis & incantationibus confidentes convincerent, & ad mortem damnarent.

XIX. Quid significetur per Concilium Sanhedrim.

Porrò eis licitum erat ad quatuor mortis genera damnare, nempe ad lapidationem, ustulationem, occisionem, & strangulationem, ut habetur in libro *Sanhedrin* Babylonico. Addit *R. Akiba*, quòd eô die, quô aliquem ad mortem damnârant, nihil omnino gustabant : nusquam autem quempiam damnabant ad mortem, nisi adessent viginti tres quorum cœtus appellatur *Sanhedrioth*. Dum verò minora erant negotia
C judicanda, tres ex eis ad id sufficiebant. Res autem majoris momenti, ut cùm esset auspicandum bellum licitum, leges generales ferendæ, aliquis Pseudopropheta, aut Sacerdos magnus judicandus, &c. necessum erat negotium tractari à Concilio magno *Sanhedrin* ex 71. judicibus. Dixi 71. nam licèt à Mose 70. tantùm fuerint electi & designati, tamen cùm eis Moses præesset ; consequens est, quòd Concilium *Sanhedrin* constabat 71. Judicibus. Ipsorum etiam erat per singulas tribus & civitates judices ordinarios & delegatos instituere, ut dicit R. Ismaël : refert verò R. Juda, quòd ad istam institutionem & delegationem, quæ fiebat per impositionem manuum, sufficiebant quinque Judices ex illis 71.

Quænam fuerit illius authoritas.

D *Observandum tertiò*, quòd etsi Scriptura sacra non referat ex quibus tribubus assumpti fuerint illi 70. seniores, qui Senatum Judæorum instituerent, an videlicet ex singulis tribubus aliqui, an verò indiscriminatim selecti sint illi, qui majori sapientiâ, ac morum gravitate ac probitate apud Israëlitas celebrabantur ? quòd probabilius apparet ex his verbis *cap.* 11. Numerorum, quibus Deus Moysem sic affatur : *Congrega mihi Septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri : & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facies que ibi stare*
E *tecum, ut descendam & loquar tibi, auferamque de spiritu tuo, tradámque eis, ut sustentent tecum onus Populi, & non tu solus graveris* : Nihilominùs verisimile est plurimos ex istis, potissimùm ex tribu Juda fuisse delectos ; cujus indicium est, quòd Moyses majori semper in æstimatione habuerit tribum Judam, quàm alias, & illam cæteris prætulerit : illa namque prima omnium gradiebatur, & ad orientem Arcæ fœderis stationem suam figebat, ejusque Princeps, primus omnium munera coram Domino, tam suâ, quàm Iudæ tribûs nomine offerebat. Unde fit verisimile quòd ex illa potissimùm tribu (penes quam Moyses noverat divinitùs esse repositam futuram authoritatem regiam) viros assumpserit, qui judicia-

Ex qua potissimum tribu Judices illi seligebantur.

riam ac legiſlativam authoritatem in cæteros Iudæos exercerent. Quidquid ſit, ſaltem poſt diviſionem regni Iſraëlitici à regno Juda, maximè vero poſt captivitatem Babylonicam, certum apparet, plurimos ex Tribu Juda fuiſſe ad eam dignitatem aſſumptos: quippe cùm hæc tribus longè tribubus Levi & Benjamin, quæ ſimul cum ea unicum Judæ regnum inſtituebant, numeroſior fuerit. Ac proinde convenientius erat, ut ipſa plures ex ſuis Senatores obtineret.

Quandiu ſteterit, & eſſe deſierit.

Obſervandum quartò hunc Senatum *Sanhedrin* ſtetiſſe ſemper apud Judæos, etiam tempore captivitatis Babylonicæ, ut ipſimet Judæi fatentur in Paraphraſi Chaldaica Cantici Canticorum, ubi fit mentio illius *Sanhedrin* quod erat in Babylone: nec certè qui Danielis cap. 13. v. 5. dicuntur *Seniores Iudices, qui videbantur regere populum*, alii putandi ſunt, quam Senatores illi ex Concilio *Sanhedrin*, penes quos duntaxat repoſita erat authoritas damnandi ad mortem. Hic autem Senatus perſeveravit uſque ad Herodem Aſcalonitam, qui ut refert Joſephus, à Romanis Judæorum regnum accepit, ut tributis præeſſet, & Romano pareret imperio; neptémque Hircani Sacerdotis Magni, & Principis Judæorum, qui Alexandræ Judæorum Reginæ filius fuit, & ex Machabæis originem traxit, duxit uxorem. Et circumcidens ſe, ob regni & ejus amorem, factus eſt proſelytus, & tandem eundem Hircanum dolô occidit, eò quòd diceret Regnum ſibi deberi. Nam cùm Hircanó ipsô Pontifice à Parthis captô, Judæam nihil ad ſe pertinentem, ab Auguſto & Senatu accepiſſet, regreſſum poſteà de captivitate Parthica eundem Hircanum, unà cum Antigono ejus filio, qui Patri in Pontificatu & regno ſucceſſerat, interfecit. Quotquot etiam Regia de ſtirpe prodierant, pariter interemit, propter illud Deuteronom. 17. ſcriptum, *De medio fratrum tuorum pones ſuper te Regem:* omnéſque libros, qui de Regum Genealogia inſcripti erant, exuri fecit, ne ipſe aut filii ejus alieni à regno cenſerentur. Et inter alia quæ crudeliter geſſit, virum quoque ſororis ſuæ Salomæ occidit. Et cùm eam alii tradidiſſet uxorem, etiam & hunc necavit. Scribas quoque & divinæ legis Doctores ſimili ſcelere interfecit, ut omnem à Judæis recuperandi regni modum ſpemque auferret, ita Ioſephus.

Quare tunc propriè & vere de Tribu Iuda regni ſceptrum auferri cœpit, cùm nemo de Regio genere remanſiſſe crederetur. Tum etiam judiciaria poteſtas ab eis amota eſt, cùm omnes *Sanhedrin* Herodes ipſe juſſit interimi. Quæ omnia Talmudiſtæ referunt. Nam quòd Herodes ipſe & capita captivitatum Babyloniæ, & *Sanhedrin* ipſos deſtruxerit, habetur in *Bavabathra*, in capite. *Haſſutaphin*; Id eſt, Socii in negociatione; ubi ſic ad verbum dicitur, *Herodes ſurrexit & occidit univerſos Rabbanan, id eſt, Magiſtros, reſervatô ſibi ſolò Babâ filiò Bota, ut conſuleret eum. Quôdam vero die juſſit eum accerſiri ad ſe, & eruit ei oculos.* Et poſt pauca, *Homo iſte extinxit lumen mundi, id eſt, Rabbanan: ſicut ſcriptum eſt.* Proverb. 6. c. *Quia lucerna eſt mandatum, & lex lux.* Hæc omnia traditio. Ex iis ſatis apertè liquet, ait Galatinus cap. 6. tempore hujus Herodis, qui & capita Babylonis, id eſt, Machabæos & judices ordinarios interfecit, ſceptrum de Iuda incepiſſe, auferri. Nam quamvis alii poſteà Senatores ac Scribæ in eorum ſortem & locum fuerint ſuffecti, attamen nullâ authoritate judiciariâ pollebant: unde cùm Pilatus eis poſtulantibus Christi Domini necem dixiſſet, *Accipite eum vos & ſecundum legem veſtram judicate eum:* reſponderunt, *Nobis non licet interficere quemquam*, quia ſcilicet ab eis ablata fuerat ſuprema illa judicandi poteſtas. Quod autem etiam defeciſſet authoritas Regia, ipſi pariter confitentur, dicentes Pilato, *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Igitur utraque hæc authoritas cœpit auferri Iudæis circa Christi nativitatem, quæ contigit duobus annis ante mortem Herodis Aſcalonitæ.

XX. Probatur poſt diviſionem regni Iſraëlitici, quòd tribui Judæ, ita Benjaminica & Levitica tribus adhæſerint, ut cum ea unicam tribum inſtituere viderentur.

Obſervandum denique, quòd in ſchiſmate, ſeu partitione ac diviſione authoritatis & dignitatis Regiæ, quæ facta fuit inter Iſraëlitas, dum
B decem tribus excutientes duriſſimum jugum Regis Roboam, elegerunt ſibi Ieroboam in Regem, qui novum inſtituit regnum Iſraël, perſtiterunt ſub Roboami imperio & regno, unà cum integra Tribu Iuda, etiam univerſæ tribus Benjamin, & Levi ut apparet ex 3. Reg. 12. & 1. Paralip. 11. ubi legimus quod Roboam audiens à ſe defeciſſe decem tribus, *Convocavit univerſum domum Iuda & Benjamin centum octoginta millia electorum, atque bellantium, ut dimicaret contra Iſraël. & converteret ad ſe regnum ſuum.* Et infrà v. 12. & 13. *Et imperavit ſuper Iudam & Benjamin. Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in univerſo Iſraël venerunt ad*
C *eum* (Roboam) *de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Iudam & Ieruſalem.* Quibus conſtat Regem Roboam & ejus poſteros habuiſſe tres tribus ſibi ſubditas, nempè Iudam Benjamin & Levi.

Hinc quotquot poſt captivitatē fuerunt ſuperſtites Iſraëlitæ, dicti ſunt *Iudæi.*

Porrò hîc maximè eſt obſervandum, quòd ex tempore illius ſchiſmatis tres mox memoratæ tribus, ſicut unicum regnum Iuda inſtituebant, ita & in unam tribum Iuda videbantur coaluiſſe: quod utique ſatis apertè conſtat ex 3. Regum cap. 12. ubi dicitur, *Nec ſecutus eſt quiſquam domum David præter Tribum Iuda ſolam*; quæ certè aliter cohærere non poſſent cum his quæ ex 1. Paral. mox
D retulimus, niſi fateamur tribum Benjamin & Levi tribui Iudæ ita fuiſſe ſociatas ac fœderatas, ut nullô poſt hæc quam Iudæ nomine appellarentur ac cenſerentur.

Confirmari autem poteſt hæc noſtra obſervatio, ex eo quod, etſi Roboami ſucceſſores Reges imperaverint non ſolùm tribui Iudæ, ſed etiam Benjamin ac Levi, nihilominùs in omnibus Scripturæ locis quoties de eis fit ſermo, duntaxat appellantur *Reges Iuda*, ut ſignificetur tres illas tribus ſolô Iudæ nomine fuiſſe deſignatas. Unde cùm de tribubus decem ab Aſſyriorum Rege Salmanaſſaro longè extra fines Iudææ deportatis lo-
E quitur Scriptura, ſic illud expreſſit, *Iratuſque eſt Dominus vehementer Iſraëli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo:* At in hac tribu regnoque Ezechiæ Sacerdotes & Levitæ remanſerant; nec-non & Benjamitæ, tùm ex aliis complures idem hæſerunt: igitur omnes tribus in Iuda ita coaluerant, ut unicam duntaxat tribum nomine Iudæ appellatam inſtituere cenſerentur.

Cujus quidem appellationis ratio non ſolùm, ut exiſtimo, petenda erat à dignitate, amplitudine, ac præſtantia tribûs Iudæ ſupra tribum Levi, & Benjamin, ſed etiam ex eo quòd tres illæ tribus promiſcuè habitaverint. Quantùm ad tribum Levi, id nemo revocabit in dubium: Hi namque non habebant peculiarem ſibi terræ portionem & ſortem, in qua habitarent ſeorſim ab aliis aſſignatam, juxta illud Numerorum 18. *In terra eorum nihil poſſidebitis, neque habebitis partem*

inter eos. Cùm autem eorum ministerium ac famulatus esset ministrare in tabernaculo Domini, quod repositum erat in templo Salomonis, inde factum est quòd, ut supra ex 2. *Paralip. cap.* 11. retulimus, omnes Sacerdotes & Levitæ deserentes possessiones, quas habebant per singulas Tribus Israël, transierint ad Judam & Jerusalem, habitaverintque unà cum Judæ posteris.

Idem etiam constat de filiis Benjamin, qui non tantùm vicini erant tribui Judæ, sed etiam easdem civitates incolebant, maximè vero Jerusalem, quippe Judic. 1. v. 21. legimus: *Jebusæum autem habitatorem Ierusalem non deleverunt filii Benjamin, habitavitque Iebusæus cum filiis Benjamin in Ierusalem usque in præsentem diem.* Idem autem refertur de filiis Juda, Josue 15. v. 63. ubi legimus: *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem usque in præsentem diem:* Et subinde Judæi ac Benjamin permixtim habitare censebantur, etiam ante regni divisionem: quòd multò faciliùs contigit post illam regni partitionem; maximè autem post solutam captivitatem Babylonicam; refert enim Josephus lib. 1. quòd post ejus captivitatis solutionem omnes Israëlitæ, quorquot è Babylone cum Zorobabele & Nehemia reversi sunt in Palestinam, indiscriminatim apppellati fuerunt *Iudæi. Populus*, inquit, *universus Iudæorum nomen obtinuit ex eo die quo primùm Babylone profecti sunt, ab Tribu Iuda: quæ cùm prima in illa loca venisset, tam ipsi, quàm tota Regio in eam cessit appellationem.* Sic etiam nunc appellantur, ab illis nationibus, apud quas degunt, nullâ amplius habitâ ratione ad eas tribus, unde erant propagati. Ex quibus omnibus constat omnes Israëlitas, quotquot superstites post solutam captivitatem, Palestinam incoluerunt, appellatos & æstimatos fuisse Judæos: & pro una eademque Tribu Juda habitos.

Unde Machabæi dici possunt ex Tribu Juda, & nomine ejus tribûs sceptrum tenuisse.

Ex his itaque facilè colligere licet authoritatem Regiam non fuisse ablatam ex Juda, donec veniret Messias. Quanquam enim Machabæi plusquam 400. annis supremam authoritatem usque ad Herodem Ascalonitam in superstites Israëlitas tenuerint; nihilominùs cùm isti vulgari nomine Judæi censerentur, & earum tribus in Tribum Juda quasi coaluisset, ac pro una eademque illæ tribus haberentur, hinc fit quòd eis impetrantibus, non censetur sceptrum ablatum de Juda, quippe remanebat apud eos, qui Judæorum nomine, dignitate, ac sorte gloriabantur.

Repones forsan: Nihil ergo Jacobus in suo vaticinio peculiare Judæ posteris denuntiabat, si Levitica tribus eôdem quô Judaïca dignitatis honore ac titulô erat illustranda. *Verùm respondeo*, id non esse consequens; quippe, ut mox dictum est, hanc dignitatem & authoritatem Machabæi non fuerant assecuti, nisi quia eadem illorum ac Judæorum sors erat & habitatio: ac subinde idem fuæ Reipublicæ tuendæ ac regendæ debitum.

Nec propterea quidquã dignitatis & excellentiæ tribui Judæ excidit.

His adde quod Jacobus signanter non dixerit: Non auferetur sceptrum *de posteris Iuda*, quò significaret, sceptrum non priùs à Judæ posteris esse auferendum quàm veniret Messias; sed duntaxat dixit, *Non auferetur Sceptrum de Iuda*, quòd utique licet interpretari de terra aut de gente Juda, ut sit sensus, sceptrum permansurum apud eos, qui terram tribui Judæ designatam incolerent, & unicam veluti gentem unicumque regnum cum Judæ posteris instituerent, donec adveniret Messias.

XXI. Quid significet, *Nec Dux de femore ejus.*

Nec refert quòd subjiciat, *nec Dux de femore ejus*: Nam ut supra monuimus, vocabulum *Mehokek*, non solùm *Ducem*, ut habet vulgata Editio, sed maximè *Legislatorem* significat, ut cæteræ Editiones ferunt; quò *Legislatoris* nomine significatur, ut diximus, Senatus *Sanhedrin*, penes quem summa erat authoritas leges condendi. Vocabula autem *Mibben Raggelar* significant non *de femore*, sed *de medio pedum ejus*: quæ fortè verba idem significare existimavit Vulgarus traductor, ac *de femore*, propter situm partium ad propagationem & generationem deservientium; quod utique Hebraicæ dictioni satis apertè quadrat. Quanquam existimem etiam probabile Patriarcham Jacobum illis verbis, *de medio pedum*, vel ut ferunt aliæ Editiones, *de interpedes ejus*, allusisse ad judicialem consuetudinem, quâ Scriba sedere solet ad Judicis & Præsidis pedes, ac sententiam excipere; quæ etiam expositio traditur in libro *Bereschith Rabba* sect. 98.

Dices fortè, nostram hanc opinionem contrariam esse communi SS. Patrum ac Theologorum sensui, qui existimant Machabæos ex Tribu Juda secundùm lineam maternam fuisse oriundos, & hac ratione eôque nomine Judæorum sceptrum tenuisse.

XXII. Opposita SS. Patrum sententia nostræ non officit.

Verùm respondeo non ita communi SS. Patrum authoritate in eis quæ ad Historiam & minuta leviaque rerum genera spectant quemquam ita constringi, ut proprium judicium, dum aliud affulserit, proferre non audeat. Sequenda quidem est, & cum veneratione excipienda SS. Patrum concors sententia, in iis quæ ad fidei regulam, aut morum probitatem pertinent: At ab ea interdum recedere licet, maximè in illis quæ ad Historiam spectant: nam, ut observat Torniellus ad annum 4018. §. 9. innumera sunt exempla, in quibus à communi authoritate Patrum discedere solent Theologi & sacri Annalistæ. Etenim ut ex illis exemplis unum proferam, quam multi veterum Zachariam Joannis Baptistæ Patrem summum Judæorum Pontificem fuisse perhibent; quod tamen si quis nunc temporis assereret, sibilô & risu à peritis exciperetur. Dicendum ergo cum Vincentio Lirinensi cap. 39. *Antiqua SS. Patrum consensio non in omnibus divina legis quæstiunculis: sed solùm in certa præcipuè fidei regula magnô nobis studiô & investiganda est & sequenda.*

Nolim tamen hanc nostram opinionem SS. Patrum ac eruditorum Theologorum sententiis anteponere; neque etiam eô animô aut eâ mente illam proposui; sed duntaxat ut quæ mihi probabiliora videntur, aliis aperirem; quatenus & ipsi stimulentur ad evidentiorem (si Deus dederit) ejus difficultatis enodationem & explicationem investigandam & proferendam.

Si quid novisti melius istis
Candidus imperti; si non, his utere nostris.

Opponunt tandem Iudæi: Quanquam hæc ita essent, inde tamen inferre non licet Jesum Nazarenum esse Messiam illô Jacobi vaticiniô designatum: siquidem viginti octo ad minùs annis ante ejus nativitatem ablatum fuerat sceptrum ab omnibus Israëlitis per Herodem Ascalonitam Antipatris filium, qui ad suos posteros eôdem Herodis nomine appellatos, aliquot annis servandum traduxit.

Observandum enim est tres fuisse Herodes, quorum primus fuit ille *Ascalonita*, qui Hircanum cum ejus filio Antigono, qui patri in Pon-

tificatu & regno successerat, interfecit: is etiam est qui infantes Bethlehemitas Christô natô crudeliter trucidari jussit: Secundus verò Herodes cognominatus est *Antipater* superioris Herodis filius, qui adjudicante Cæsare in Galilæa patri successit: Archelaus verò frater ejus in Judęa: Tertius autem Herodes vocatus est *Agrippa* hujus Herodis filius, atque primi nepos: igitur, &c.

Non unô eôdemque tempore sceptrum fuit ablatum.

Respondeo primò, Prophetiarum eventa, non unâ aliquâ temporis particulâ circumscribi, sed paulatim evoluta compleri; sic vaticinium Jacobi de auferendo sceptro pedetentim est impletum, itaut quemadmodum homo morti proximus, quamdiu spirat & cum morte luctatur, dicitur mori: sic ablatio illa sceptri, ac regiæ & judiciariæ potestatis Judaïcæ extinctio paulatim est expleta: & aliquantô ante Christi ortum inchoata tempore, ac deinde in pejus lapsum faciens, tandem in templi & urbis excidio sub Vespasiano Imperatore completum habuit exitum.

XXIII. Non est improbabile Herodem fuisse origine & religione Judæum.

Respondeo secundò: mihi probabilem videri eorum sententiam, qui contendunt Herodem, non solùm regione, sed & origine fuisse Iudæum: primò quia, ut Iosephus scribit *lib.* 13. *cap.* 17. Idumæi pridem ante initum ab Herode regnum, Iudæorum ritum, & religionem professi fuerant, & Iudæi facti; cùm videlicet ab Hircano devicti circumcisi sunt, & legibus Moysi imbuti. Hinc Strabo partem Iudeæ Idumæam facit, & Herodem Idumæum, vocat Judęorum indigenam seu vernaculum: & Ammonius scribit Idumęos appellatos fuisse Judęos; item Josephus lib. 14. cap. 14. habet, Antipatrum, quando Julius Cæsar in Ægypto periclitabatur, placasse tumultum exortum inter Judæos in Ægypto commorantes, & illos qui è Judęa suppetias Cæsari advenerant: Eò quòd, inquit Josephus, ex eadem Gente cum ipsis esset. Denique Nicolaus Damascenus author gravissimus, Herodis contemporaneus, qui nedum Cæsaris Augusti vitam, sed etiam historiam universalem edidit 70. libris, ut ex Suida refert Volerratenus, disertè affirmat Herodem fuisse Judæum.

1. Namque id plurimi authores indicant.

2. Id suadet ratio.

Secundò: Idipsum etiam ratio suadet, si enim fuisset Idumæus, & à Judæorum stirpe alienus, cùm esset audaciâ & ferocitate insignis, haud dubiè Judaïcum regnum adeptus, Judæos in Idumęorum ritus traducere conatus esset, parque Judæis rependere; nam, ut modò diximus, Joannes Hircanus annô quintô sui Pontificatûs & præfecturæ, cùm Idumęos armorum vi subegisset, illos ad Judaïcam religionem sectandam compulit: si enim Costabarus unus de primatibus Idumęorum Herodis gener factus, indignum existimabat Idumęos servire Judæis, quorum religionem, cogente Hircanô, fuerant amplexati, & propterea, ut refert Josephus libro 13. capite 11. etiam sollicitabat & procurabat per Cleopatram Idumęam, ut priorem religionem resumerent: quid non egisset Herodes Rex, cui ad nutum Judæi obtemperabant, & Romani ad beneplacitum blandiebantur, præsertim cùm sibi persuadere potuisset id Romanis, à quibus regnum acceperat, tanquam à Judaïco ritu alienis non ingratum futurum?

3. Id probat illius in Judaïcam religionem ardor.

Tertiò, idipsum indicat ferventissimus ejus zelus in religionem Judaïcam, ut colligitur tùm ex dicto Cæsaris, quod refert Macrobius librô secundô Saturnalium capite quartô: cùm enim audisset filium Herodis jussu patris occisum, dixisse fertur; Meliùs est porcum Herodis esse quam filium; clarè insinuans Herodem legis Mosaicæ, ita zelatorem observantem, ut ejusmodi animalia lege prohibita occidi non permitteret: Tùm ex eo quòd, quando Romanorum auxiliô Jerosolymam cepit, totis viribus conabatur arcere Gentiles, hoc est, Romanorum milites, ab introitu templi interioris. Acerbiorem, (inquit Josephus decimô quartô Antiquitatum capite ultimô, & primô de Bello Judaico, capite decimô tertiô, quàm si victus fuisset,) existimans sibi fore victoriam, si quid eorum, quæ videri fas non esset, culpâ suâ videretur in conspectu profanæ multitudinis.

Tùm ex eo quod Romæ sollicitatus à Caïo Cæsare, ut aliquam gratiam haud dubiè consequendam rogaret, omnibus suis spretis commodis, solùm rogavit, ut statua, quam Caius Cæsar jusserat in templo Jerusalem collocandam, ab eo tolleretur, ut refert Josephus librô primô. Tùm denique ex eo quòd, nullô suadente aut imperante, sed propriô motu actus, templum Jerosolymitanum multò quàm antea augustius extruere voluerit, ut refert Josephus supra laudatus.

4. Id infertur ex vaticiniis.

Quartò, si Herodes, qui posteà tot annis universo imperavit Israëli; fuisset Idumæus, & de posteris Esaü, sequeretur evenire oppositum ejus, quod prædixerat Dominus Rebeccæ, Jacob & Esaü in utero gestanti: *Duæ Gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* Genes. cap. 25. Nec refert quòd subdatur cap. 27. ubi Isaac dixisset Jacob: *Esto Dominus fratrum tuorum, incurventur ante te filii matris tuæ:* Esaüique dixisset, *Fratri tuo servies*, subdit protinùs; *Tempusque veniet cùm excutias, & solvas jugum ejus de cervicibus tuis:* Nam aliud est excutere a se jugum, uti fecerunt Idumæi, temporibus Joram Regis Juda, quando ab eo deficientes constituerunt sibi proprium Regem, ut legitur quartò Regum capite octavô: Aliud quòd Idumæi aut eorum aliquis dominaturus esset Israëlitis; id enim prædictis prænunciationibus omninò adversaretur.

5. Quia à nonnullis pro Messia fuit habitus.

Quintò, Herodianis, de quibus Matthęus cap. 22. affirmantibus Herodem esse Messiam, ipsum pariter Iudæum origine publicè fassos esse haud dubium est: aliàs facilè convinci & confutari potuissent à Scribis & Pharisæis, qui in constantissima veritate habebant ex sacris litteris, Christum ex stirpe David, ac proinde ex tribu Juda oriundum; quemadmodum colligi potest ex interrogatione facta à Christo Matthæi 22. *Christus cujus Filius est? Dicunt ei: David.*

Sextò, Hircanus summus Pontifex non ipsi filiam Marianne tradidisset in uxorem contra præscripta legis prohibentis connubia ineunda cum alienigenis Deuteronomii decimô septimô capite. *Et Exodi* 34. &c.

Dices, hanc sententiam omnibus ferè sanctis Patribus adversari; omnes enim sancti Patres, Interpretes, aut Doctores unanimi calculô Herodem Idumæum aut Ascalonitam fuisse testantur.

Respondeo, ut suprà juxta Vincentii Lirinensis regulam in libro contra hæreses c. 39. ubi de Patrum consensione sequenda ait; *Quæ tamen antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divinæ legis quæstiunculis: sed solùm in certa præcipuè fidei regula, magnò nobis studiò & investiganda est &*

sequenda. Quis autem non videat hanc de Herodis genere quæstionem ad res fidei non pertinere?

Nec his obstat quòd plurimi è SS. Patribus contrarium doceant.

Respondeo secundò, neminem ex sanctis Patribus hanc difficultatem ex proposito discutiendam suscepisse, ut pote qui gravioribus studiis essent intenti: sed tantùm obiter eorum quidam dixerunt Herodem esse Idumæum, & alienigenam genere; quod propriè dictom & per exclusionem generis Judaici non arbitror esse intelligendum; sed tantùm eô sensu, quô Barnabas Actorum capite quartô dicitur *genere Cyprius*, non quòd non esset ipse Judæus; sed quia majores ejus, vel fortè ipsemet habitasset in Cypro. Pari ratione Paulus dicitur Tharsensis: Actorum decimô, & capite vigesimô secundô ipsemet se *Romanum* appellat, non quòd ex ea Provincia & stirpe esset oriundus; quippe cùm ad Romanos undecimô & ad Philippenses tertiô, Israëlitam se *& de tribu Benjamin* esse profiteatur: unde manifestum fit genus non semper pro ipsa generationis origine, sed interdum quoque pro nativitatis, vel educationis, vel diuturnæ habitationis loco usurpari.

Nec refert quòd Josephus Herodem Ascalonitam & Idumæum genere nominet, & idcircò arguat mendacii & adulationis Damascenum, quòd quasi Herodi adblandiens Judæum esse dixerit. Potiùs enim existimandum est à Josepho Judęo & Sacerdote oppositum litteris fuisse consignatum in gratiam Judęorum ac præcipuè Sacerdotum, quibus Herodes ob summam crudelitatem, & superbiam erat invisus, præcipuè verò Sacerdotibus à quibus nedum regnum amoverat, sed & summum Sacerdotium à Machabęorum familia mortuo Hirçano Juniore, & cuidam Aneto Sacerdoti è Babylonia accito & de Judæis olim extra Euphratem traductis nato dederat, ne tanta dignitas in quemquam virorum illustrium perveniret qui sibi posset obsistere.

Nec etiam quòd Idumæus appelletur.

Dicitur autem Herodes *Idumæus*, vel quia ejus Pater Antipater & aliqui ex ejus majoribus Idumęam incoluerant, & ut refert ipsemet Josephus, Antipas Herodis avus olim ab Alexandro Judęorum Rege & postea ab ejus uxore Alexandra, qoæ ei in regnum successit, Idumęorum Dux fuerat institutus: quâ ratione ejus parentes dici possunt Idumæi & ipse Ascalonita, quòd in Ascalone educatus, vel fortè etiam natus fuerit; nam de Antipatro scribit Josephus, decimo quarto Antiquitatum capite secundo; quòd Arabum & Gazeorum, & Ascalonitarum amicitias coluerat: quamobrem facilè fieri potuit, ut Herodis parentes aliquâ urgeute occasione in Ascalone moram trahentes ibi eum genuerint. Nec propterea dici debet origine à Judæis alienus, nam multos legimus Actorum capite secundo appellatos fuisse Parthos, Medos, Elamitas, Cretes & Arabes, quos tamen viros gente & origine Judæos esse ibidem indicatur; his verbis, *Erant autem in Ierusalem Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.*

Solvi tamen possunt præfatæ rationes.

Non me latet iis Tornielli rationibus fieri posse satis, & eas ex parte soluisse Salianum ad annum mundi 4017. paginâ 381. dicendo ad *primum* & ad *secundum*; Herodem ejusdem fuisse animi cujus sunt cæteri Politici, qui regni magis quàm religionis amatores, religionis prætextu res novas & dominationem auspicantur: facilè namque hoc pulsus animo Herodes, Idumęorum religionem deseruit Judaicamque coluit, ut traditum sibi à Cæsare Judaïcum Imperium pacificè regeret, cùm sciret Judęos potius mortem quàm religionis mutationem subituros; eô potissimum tempore quô ad id stimulabantur à Sacerdotibus, Scribis & Pharisæis. Quòd autem non tantoperè fuerit zelatus divinam legem ac Judaicos ritus, constat ex templis in Cæsaris quasi Dei cujuspiam nomen & Numen ab eo erectis, ut testis est Josephus 19. Antiquitatum cap. 7. Templum Jerosolymitanum sponte ornavit, fateor; sed idipsum donariis illustrârunt Asiæ Reges, qui propterea Judæi non sunt censendi. Major inquies, ergo serviet Majori? Quidni ad modicum tempus id fieri potuerit absque vaticinii præjudicio, cùm plerumque & diu Judæi diversas in captivitates acti servierint genti alienigenæ? Unde sententia hæc non caret difficultate.

Nihilominùs aptior est ad probandum Christum fuisse verum Messiam ex vaticinio Jacob, cùm enim Herodes mortuus fuerit paulò post Christi nativitatem; sensim auferri cœpit sceptrum Israëliticum à viris Juda; licèt enim post Herodis mortem, Archelaus ejus filius regnasse dicatur, ab Augusto Judææ Etnarcha constitutus; nunquam tamen valuit ab eo dignitatem Regiam obtinere, ut videre est apud Josephum 17. Antiquitatum capite 13. quin potiùs ab eodem Augusto in Galliam fuit relegatus, & Judæa sub Romanorum Imperio ac regimine pœnitus fuit redacta totô vitæ Christi tempore, non habens Regem nisi Cæsarem, ut ipsi Judæi Pilato fassi sunt.

Nec refert quòd postea Claudius Cæsar, teste Josepho 19. Antiquitatum cap. 4. Judęæ regnum dederit Herodi Agrippæ, qui ut habet idem Josephus 18. cap. 7. fuit Herodis Ascalonitæ ex Aristobulo filio nepos; quique deinceps in Judæa *occidit Iacobum fratrem Ioannis gladiò*; & Petrum misit in carcerem *volens post Pascha producere eum populo*, ut legitur *Actorum cap.* 12. Id, inquam non obstat, nam perbreve admodum tempus divina dispensatione interemptus fuit, ut fieret memoratæ Prophetiæ complementum: siquidem Herodes ille qui quadriennio ante tetrarcha Philippi & in ea parte Galileæ loco patrui demortui fuerat præfectus; demum post triennium, à quo regnum Judæ obtinuerat, obiit, ut refert Josephus lib. 19. circa finem; sicque modicum ejus regimen pro nullo habetur.

Conclusio Secunda.

XX. *Secundum vaticinium ex quo paret Messiam venisse.*

SECUNDUM testimonium & vaticinium, ex quo frangitur Judæorum pervicacia, petitur ex illis verbis Archangeli Gabrielis Danielem alloquentis, ac promittentis Messiæ ortum futurum post 70. hebdomadas: *Animadverte sermonem, & intellige visionem: septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur* SANCTUS SANCTORUM. *Scito, ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Ierusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades 62. erunt: & rursùm ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades 62. occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio: con-*

firmabit autem pactum multis hebdomada una; & in medio hebdomadis deficiet sacrificium & hostia, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

Inde sic argumentor: Christus ille: quem venturum promittit Angelus post 70. hebdom. est Messias patribus promissus: sed septuaginta heddomadæ præfinitæ ab Angelo, reverà dudum præterierunt; ergo Messias jam venit. Major constat: Nempe quod Christus ille sit Messias; non autem aliquis Judæorum Pontifex, maximè Hircanus Machabæorum ultimus legitimâ electione Pontifex ab Herode occisus, ut comminiscuntur Judæi: quia Christus ille qui prædicitur ungendus & occidendus, vocatur *Sanctus Sanctorum*, & dicitur adducturus justitiam sempiternam; ita ut per eum iniquitas terræ deleatur, & prævaricatio finem accipiat; at de nullo Pontificum Judæorum hæc verificari possunt: igitur non de alio quàm de Messia vaticinium illud intelligendum est. Minor etiam est evidens.: Nempe quòd 70. hebdomadæ ab Angelo præfinitæ, quoquô modô explicentur, jam dudum præterierint. Nam illæ hebdomadæ *vel* sunt dierum *vel* annorum; sed utrôvis modô explicentur, jam dudum præterierunt; igitur, &c. Minor constat: Si enim intelligatur propheria de hebdomadibus *Dierum*; constat Messiam venisse post annum & dimidium à tempore, quô facta est illa promissio: si de hebdomadibus *Annorum*; quandoquidem 70. annorum hebdomades faciunt tantùm 490. annos, sequitur quoque Messiam dudum advenisse, quia ab illo tempore quô editum est Angelicum illud vaticinium, ad nos usque, duo annorum millia & amplius effluxerunt. Major etiam constat: Siquidem apud Judæos hebdomada duobus tantùm modis accipitur, vel pro numero septem dierum, ut Levitici 13. cum instituitur solemnitas *Hebdomadarum*, seu Festi Pentecostes, quinquaginta diebus à Paschate, nam 49. dies, faciunt septem hebdomadas: hebdomada autem annorum, seu quæ constat septem annis colligitur ex Levitici 25. ubi sermo est de celebratione anni sancti Jubilæi, *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum*, (id est, septies septem annos qui faciunt 49.) *Et sanctificabis annum sequentem, qui est quinquagesimus.*

XXI. 70 Hebdomades Danielis constant annis, non verò diebus, neq; mensibus.

Reponunt Iudæi, ibi sermonem esse de hebdomadibus longioribus, videlicet, *vel* Jubilæorum, *vel* Olympiadum *vel* Sæculorum, ac proinde earum numerum nondum expleri, nec consequenter Messiam advenisse. 70. enim sæculorum hebdomades, 49. annorum millia, Jubilæorum verò amplius viginti quatuor millia: olymp. verò ferè duo millia complectuntur: ab ea autem promissione facta Danieli de venturo Messia, duo annorum millia vix effluxerunt: igitur nondum Messias venit.

Neque olympiadibus; neque sæculis.

Contra primò: Id gratis & absque fundamento comminiscuntur; si autem liceret ita pro libito instituere hebdomades, periret omnis prophetiæ certitudo. *Deinde*, nec prophetiæ, nec Judæi solent per Olympiades supputare, sed soli Græci; nullum enim illius supputationis in universa Scriptura vestigium apparet. *Denique*, si aliquam veritatis speciem haberet illa responsio, sequeretur templum & civitatem non fore vastanda, nisi *vel* post 409. millia annorum, *vel* post 24. millia, *vel* saltem post duo millia, ex quo Judæi sub moderamine Esdræ & Zorobabelis utrumque A restaurârunt: At contrarium apertè constat; vix enim effluxerunt duo millia annorum à tempore quô facta fuit illa promissio & tamen ab annis 75. supra mille sexcentos, civitas cum templo diruta est, & pœnitus desolata, illaque generalis Judæorum devastatio ad hodiernum usque diem absque ulla spe recuperandæ civitatis & libertatis perseverat: igitur præfata Judæorum responsio prorsùs fictitia est, nec ullam veritatis speciem præ se fert: quòd autem ipsæ septuaginta annorum hebdomades, hoc est 409. ann. præcisè incidant in nativitatem Jesu Nazareni, nec omnes particulæ illius vaticinii de alio qoàm de ipso possint explicari, clarè demonstrabo, si priùs quædam B observa vero.

Advertendum primò, has septuaginta hebdomadas inchoatas fuisse durante Persarum Regnô, continuatas verò totô tempore Monarchiæ Græcorum, finitas tandem initiô ferè Imperii Romanorum, à cujus principio usque ad Christi baptismum, quinquaginta novem anni computantur, videlicet quadraginta quatuor Imperii Augusti & quindecim Tyberii, quô annô teste S. Lucâ Christus est baptizatus. Quantùm ad Monarchiam Græcorum, quæ ab Alexandro, vel maximè post ipsum incepit, communior sententia est, illam durasse circiter trecentis duobus annis, computando sub illis, sex vel novem annos, quibus Alexander vixisse dicitur post comparatam Mo- C narchiam. Ita Eusebius *in Chronico*, & Beda *lib. de sex ætat.* quidquid in contrarium proferatur ex Joanne Annio, cujus historia, utpote ex falsis authoritatibus conflata, nullam authoritatem obtinet. Unum tamen est, ut notat Suares; *disputatione 1. sect. 2.* quod hanc sententiam difficilem & suspectam reddit: supponunt enim, qui tot annos Monarchiæ Græcorum tribuunt, ab ejus principio usque ad Ioannem Simonis filium, subnominatum Hircanum, Iudæorum Pontificem, effluxisse annos plusquam 194. ut constat ex Eusebio in Chronico, ubi mortem Alexandri Magni notat initio Olympiadis 114. Pontificatum autem Joannis Hircani in fine Olympiadis 163. at ve- D rò constat ex primo lib. Machabæorum cap. ultimo v. 14. à primo anno Imperii Græcorum usque ad Ioannem Hircanum tantùm fluxisse centum septuaginta septem annos, cui Scripturæ major fides habenda est quàm omnibus Olympiadibus: igitur in illa supputatione error irrepsit; nam Imperio Græcorum viginti anni plusquàm par sit adduntur.

XXII. Computandæ sunt à durante Imperio Persarum, usque 59. Imperii Romanorum.

XXIII. Quandiu Græcorum Imperium steterit non ita certum est.

Quantùm denique ad Monarchiam Persarum, incertum est quandiu ipsa duraverit; nam ex Scriptura nihil certi colligitur; inter authores autem tanta est dissentio, ut alii minùs quàm centum annos, alii quinquaginta supra ducentos illi tri- E buant: inter qoos media sententia computat durationem illius Monarchiæ ducentos annos, & triginta, quod colligitur ex supputatione Olympiadum; nam cœpit istud Imperium tempore Cyri, cujus initium assignatur annô primô Olympiadis quinquagesimæ quintæ, & finem accepit sub Dario in fine Olympiadis 112. quæ tamen computatio supponit Cyrum post captam Babyloniam regnavisse triginta annis, quod non ita compertum videtur: nam licèt Cyrus triginta annis regnaverit; verisimile tamen est eum non tot regnasse post captam Babyloniam; atqoe adeo primum annum Monarchiæ ejus, de quo fit mentio Esdræ primo, non fuisse primum annum regni ejus absolutè, sed duntaxat exordium regni

At longè minùs certa Persarum Imperii duratio.

Babylonici; nam 2. Paralipomenon cap. 36. dicitur; *Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem, servivit Regi, donec imperaret Cyrus Rex Persarum*; En dicitur Rex Persarum priusquam Babylonicum regnum obtinuerit: & subindè priùs regnavit quam Babylonicum regnum teneret.

XXIV. Quare 70. hebdomades Danielis tres in partes distribuantur.

Observandum secundò, Angelum alloquentem Danielem, & repromittentem solutionem captivitatis Babylonicæ post septuaginta hebdomades, hoc est post annos 490. illud tempus tres in partes distribuisse, quòd in earum singulis foret rerum notabilium eventus: dividit enim eas hebdomadas: *Primo*, In septem. *Secundò*, In sexaginta duas. *Tertiò*, In unam. Dividit *in septem*, id est annos 49. quòd tot septennia plus minùs, (nam Scriptura sæpè negligit fractos numeros, & minutiora tempora) essent insumenda in perficienda totius urbis, templi, & terræ restauratione, ob impedimenta hostium. Quæ Angelus *angustias temporum* nominat duabus de causis; ut significet ingentem populi afflictionem propter frequentes hostium incursiones, ob quas qui operi incumbebant, adigebantur alterâ manu ædificare & alterâ gladium tenere, ut habetur lib. 2. Esdiæ cap. 4. *Tum* ut denotet summam temporis brevitatem; nam ut habetur cap. 6. muri ædificati sunt magnâ festinatione, & absoluti quinquaginta dierum intervallô, quæ significatio magis quadrat litteræ & hebraicæ phrasi: ita quòd *in angustia temporum* idem significet, ac *in angusto tempore*: quemadmodum ibidem dicitur abominatio desolationis; id est, abominanda desolatio: vel *in angustiore tempore*: nam Hebræi solent uti positivo pro comparativo; quemadmodum Gen. 25. v. 23. scribunt: Magnus serviet parvo; id est, major serviet minori.

Secundo, dividit illas in *sexaginta duas*, id est, in annos 434. quòd deinceps Iudæorum respublica restituta & patriis legibus ordinata, tantùm temporis ad Messiæ occisionem, & mortem esset duratura. *Denique* distribuit illas hebdomadas *in unam*, quia Messias in illa erat seipsum manifestaturus per prædicationem, & miracula: hanc autem ultimam hebdomadam dividit *in duas partes*, quia non in priori, sed in posteriori ejus medietate, hæc erat patraturus, pactum ineundo cum hominibus, ut qui ejus doctrinam susciperent, eis vitam æternam largiretur.

XXV. Anni illi quibus hebdomades constant sũt Solares, non verò Lunares.

Observandum 3. Annos illos 490. quibus complentur septuaginta hebdomades, solares esse non lunares; inter quos, ut notum est, hoc intercedit discrimen, quòd *Solares* constant diebus 365. cum sex horis saltem, si quædam minuta detrahas: desunt enim minuta 49. quæ 134. annorum intervallô, faciunt diem integrum, ut patet ex tabulis Alphonsinis, quas in ultima Calendarii emendatione Ecclesia probavit: *Lunares* verò, breviores sunt solaribus circiter undecim diebus, & continent duntaxat dies 354. qui-quidem undecim dies cùm tribus annis mensem integrum efficiant, quólibet tertiô ferè annô fit *Embolismus lunaris*, id est additio, seu interjectio unius lunationis, itaut annus embolismicus non duodecim ut alii, sed tredecim lunationes habeat, ut annus lunaris cum solari ad æqualitatem redigatur.

Quòd autem in illis computandis hebdomadibus anni solares, non lunares, sint servandi; constat *primo* ex eo quòd Hebræi communem computandi consuetudinem habuerint per motum solarẽ, ut videre est in eorum Chronico qui dicitur *Seder olam*, id est, *ordo mundi*, quem ad finem Chronologiæ Genebrardi insertum invenies: *Secundò* ex primo libro Machabæorum cap. 1. ubi Alexander dicitur *regnasse annis duodecim*, qui etiam annorum numerus habetur apud profanos, quos certum est solari cursu annos definivisse: *Tertiò denique* quia Judæi primum totius anni mensem sumebant ab æquinoxio verno, ut videre est Exodi 12. & Pascha celebrabant die 14. Lunæ, postquam Sol primum arietis gradum attigisset, ac proinde ex motu Solis, non Lunæ, suam supputationem ordinabant.

His adde quòd hæc sententia sit *Eusebii* lib. 8. demonstrationis Evangelicæ, *Chrysostomi* Oratione 2. contra Judæos, *Lyrani* in prædicta Danielis verba, nec-non & Modernorum celebriorum.

XXVI. Quare Angelus appellet illas hebdomades *abbreviatas*.

Nec obstat quòd Angelus vocet illas hebdomades *abbreviatas* & concisas: non enim per hoc intendit significare quod hebdomades constent annis Lunaribus, utpotè brevioribus; nam hebdomades illæ non eâ ratione dicuntur breviatæ, sed quia ad finem temporis, quô Messias expectabatur, properabant; erat enim perbreve tempus illud cum superiori comparatum; hinc familiari sermone, quando tempus ad aliquam actionem præscriptum finitur, dicere solemus, jam-jam dies abbreviari, non quòd minores fiant, sed quòd pauci supersint: quomodo etiam Marci 13. & Matthæi 24. dicitur, *Nisi breviarentur dies illi, non fieret salva omnis caro.*

XXVII. Quàm varia sit ac multiplex Authorum sententia circa initiũ illarum hebdomadarum.

Observandum 4. variam esse Authorum sententiam in assignando illarum hebdomadarum initio: quoniam enim Angelus dixerat illud esse ordiendum *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem*; inde varii varia senserunt, *quidam* enim illud exordium repetunt à tempore quô Jeremias vaticinatus est cap. 23. fore aliquando tempus, quô Deus revocaret dispersos Israëlitas in terram suam, his verbis: *Ait Dominus, & Ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas ejecero eos illuc, & convertam eam ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur*: Ita censent Lyranus, Burgensis, &c.

Nonnulli putant illarum septuaginta hebdomadarum initium auspicandum esse ab ipso tempore, quô Angelus Danieli hæc loquebatur. Ita Origenes & Tertullianus lib. contra Judæos capite 8.

Aliqui existimant illam supputationem incipiendam esse ab anno primo Cyri, quando fecit facultatem Judæis redeundi in patriam, & templum erigendi, ut legimus lib. 1. Esdræ cap. 1. Ita Clemens Alexandrinus.

Alii ab anno secundo Darii Hystaspis, quando facultatem fecit Iudæis, reædificationem templi inceptam sub Cyro, sed postmodum intermissam, continuandi, ut legimus Esdræ 6. Ita Eusebius & Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 12. cui sententiæ adstipulantur plurimi Moderni, Omnes pene Recentiores volunt eas esse ordiendas ab anno 20. Artaxerxis Longimani: At veriùs dicendum arbitror, eas esse computandas tantùm à 28. regni illius; quando scilicet executioni demandatum fuit illius decretum.

XXVIII. Nec minor certè controversia circa numerum Regum Persarum.

Observandum est 5. quantùm ad seriem Regum Persarum, diversos diversa sentire; quidam enim tantùm *tres* numerant, ut Rabini apud Galatinum lib. 4. cap. 15. nimirùm *Cyrum*, qui primus Persidis tenuit imperium: *Assuerum*, de quo fit mentio Esdræ cap. 4. quemque volunt fuisse maritum Esther, & *Darium*, qui victus ab Alexan-

dro Magho perdidit Imperium, quem nonnulli eorum volunt esse Artaxerxem illum, cujus fit mentio 1. Esdræ cap. 7.

Alii *quatuor* numerant, ut Rabbi Salomo & Liranus, tribus prædictis addentes Cyri filium nomine *Cambysem*: hanc autem sententiam esse pervetustam affirmat sanctus Hieronymus in cap. 7. Daniel.

Tertullianus lib. adversus Iudæos *quinque* nominat, putà *Ochum*, qui alio nomine apud eum dicitur Cyrus; *Darium Hystaspem*, aut Medum, *Artaxerxem* quem conjicere est esse Mnemonem, *Argum*: & *Darium*, quem ille vocat *Melam*. Alii Codomantum ab Alexandro devictum.

Genebrardus *lib.* 2. *à pag.* 240. *sex* statuit. Primus apud eum est *Darius* filius Assueri Hystapis cognominati. Secundus *Cyrus*. Tertius *Xerxes*, cujus mentionem vult fieri sub nomine Assueri. 1. *Esdræ cap.* 2. *v.* 6. & sub nomine Artaxerxis ibidem *v.* 7. Quartus *Darius Longimanus*, de quo contendit mentionem fieri sub nomine Darii 2. Esdræ 4. *cap.* & sub nomine Artaxerxis, *cap.* 7. Quintus *Artaxerxes* quem esse Mnemonem haud obscurè indicare contendit. Sextus *Artaxerxes Codomanus* ab Alexandro devictus: hos autem solùm nominat, eò quòd arbitretur eos verè regnasse; alios verò excludit, tanquam aut illegitimos, aut cum aliis regnantes, ut Cambyses cum patre Cyro.

Sanctus Isidorus *libro* 3. etymolog. Metasthenes ac Philo, *octo* referunt: putà Darium Medum, Xerxem: Artaxerxem Longimanum: Darium Nothum, Artaxerxem Mnemonem: Artaxerxem Ochum: Xerxem, & Darium Codomanum.

Calvisius decem statuit, Pererius autem tot demonstrat ex Scriptura sacra, quibus ex profanis adjiciens octo, numerat exinde quatuordecim Reges Persarum, quam sententiam suô firmat calculô sanctus Hieronymus in 7. *caput* Danielis dicens: Nos verò cùm post *Cyrum* qui regnavit annis 80. sciamus apud Persas regnasse *Cambysen* filium ejus: & *fratres Magos*: & deinceps *Darium*, cujus 2. anno cœptum est ędificari Templum Ierusalem: quintum *Xerxem* filium Darii: sextum *Artabanum*: septimum Artaxerxem, qui appellatus est *μακρόχειρ*: octavum *Xerxem*: nonum *Sogdianum*. Decimum *Darium*. undecimum *Artaxerxem* qui appellatus est *μνήμων*: duodecimum *Artaxerxem Ochum*: decimum tertium *Arsam* Ochi filium: decimum quartum *Darium* Arsami filium qui ab Alexandro Macedonum Rege superatus est.

XXIX. Quæ sit nostra sententia: tùm circa numerum Regum Persarum.

Quamquam autem hac in dirimenda controversia quidpiam certi vix statui possit, tótque sint capita quot sensus: veriùs tamen dicendum existimo, quatuor duntaxat extitisse Persarum Imperatores ab auspicato eorum regno per Cyrum, usque ad completam, & consummatam templi ac civitatis Jerusalem restaurationem, eos videlicet, qui in libris Esdræ & Nehemiæ referuntur, nempe I. *Cyrus*, qui septem imperavit annis, computando à primo generalis, & universalis Imperii sui anno. Nam ante initum Persarum regnum, imperavit in Græcia ut diximus. II. *Assuerus*, quem Esdras *Artaxerxem* & *Assuerum* appellat *cap.* 4. Josephus verò cum omnibus Græcis *Cambysem* Cyri filium, qui solus post mortem patris regnavit septem annis, & aliquot mensibus: quamquam etiam anteà cum patre regnasset, maximè eô tempore, quô Cyrus bellum contra Scythas adorsus est. III. *Darius Hystaspis*, qui successit Magis, quorum imperii & dominationis nec Esdras, nec Nehemias meminerunt; quoniam fortè, duntaxat per sex menses regnaverant: Darius autem regnavit 36. annis: IV. verò fuit *Artaxerxes Longimanus* dictus, quem Josephus Judæorum historiæ scriptor, tantùm *Xerxem* nominat, qui ad minùs Imperium tenuit per 32. annos: siquidem illius regni trigesimus secundus memoratur à Nehemia *cap.* 5. *v.* 14. & *cap.* 13. *v.* 6.

Difficultas moveri posset num *Assuerus*, cujus meminit Esdras *cap.* 4. *v.* 6. unus idemque sit, qui ab eodem *v.* 7. appellatur *Artaxerxes*: ait enim, *In regno autem Assueri, in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Iudæ, & Ierusalem, & in diebus Artaxerxis scripsit Basolam Mithridates, & Thabeel, & reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem Regem Persarum.*

Verùm facilè colligi potest, unum eundémque Regem hoc duplici nomine fuisse appellatum, ut refert Josephus, qui eum *Cambysem* nominat. Enimverò; si præfata verba duplicem adversus Judæos continerent querimoniam & accusationem, quarum una ad Assuerum: altera ad Artaxerxem directa fuisset, tanquam ad duos Reges distinctos, haud dubiè Esdras ejusque formatæ contra Judæos querimoniæ eventum & successum narrasset: cùm autem unius duntaxat referat exitum, nempe quod eâ non obstante concessa sit sibi & Judæis comitibus facultate proficiscendi Jerosolymam, & illuc deferendi omnia dona & vasa quæ à Judæis in Provincia Babylonis degentibus oblata fuerant in ministerium domûs Dei: signum est quòd unicus duntaxat fuerit Rex duplici nomine appellatus.

Adde quòd, si fuissent duæ adversus Judæos formatæ querimoniæ, quæ duo edicta à diversis Regibus sequentia habuissent; verisimile est, quod ultimum edictum à postremo eorum Regum prioris edicti mentionem fecisset: & insuper Judaici populi adversarii non tacuissent illud edictum Assueri, ut ab Artaxerxe faciliùs assequerentur quod adversus Judæos postulabant; quòd cùm ita factum non legatur, indicium esse debet nominibus Assueri & Artaxerxis unicum Regem designari.

Nec mirum videri debet quòd unus idémque Rex in eodem capite, duplici nomine appelletur: hoc enim frequens erat apud Judæos, ut videre est in *lib. Iudic. cap.* 8. ubi unus idemque homo & *Gedeon* & *Ierobaal* appellatur duobus versibus immediatè sequentibus, & *lib.* 1. Esdræ *cap.* 2. idem qui *Nehemias* appellatur, etiam ibidem dicitur *Atersatha*.

Non potest etiam negari Regem Xerxem, quem omnes authores tam Græci, quàm *Latini* affirmant immediatè successisse Dario filio Hystaspis, alium esse Regem ab Artaxerxe, cujus tantùm meminerunt Esdras & Nehemias: at possumus asserere idcircò Esdram & Nehemiam solius duntaxat Artaxerxis mentionem fecisse; quòd cùm Xerxes ejus pater in Græcos arma movisset, ipsum Artaxerxem designaverat Imperii socium & administrum: Quapropter aliqui Authores referunt ipsum regnasse 56. annis; tametsi aliunde constet eum solum regnasse duntaxat 40. annis: unde mirum nemini videri debet, quòd Judæi imperante Xerxe recursum habuerint ad ejus filium Artaxerxem; quoniam ipse tùm Rex

erat

erat, & in absentia patris, supremus regni moderator.

Quàm circa hebdomadarum initium.

His ita præmissis, probabilius existimo initium illarum hebdomadarum auspicandum esse ab anno vigesimo octavo Artaxerxis Longimani, quem simpliciter *Xerxem* appellat Josephus *lib.* 11. *cap.* 5. versùs finem : Esdras autem & Nehemias *Artaxerxem* nominant, nulliusque meminerunt Xerxis, quem profani Scriptores ante illum Artaxerxem, solùm regnasse 20. annis referunt. Cujus quidem sententiæ veritas apparet primò; quia nulli alteri assertioni, possunt quadrare præfata Prophetiæ verba.

Refelluntur aliorum sententiæ.

1. Quidem eorum qui volunt eas hebdomadas esse incipiendas à vaticinio Isaiæ.

Enimverò stare non potest eorum sententia, qui volunt has hebdomadas computandas esse ab anno 4. Sedeciæ; eô scilicet tempore, quô Ieremias, sex ferè annis ante captivitatem Babylonicam, prędixerat fore ut populus universus captivus duceretur, & post septem annos reverteretur in patriam, murósque eversos repararet; aliàs non tantùm 70. forent hebdomades usque ad eversionem civitatis, sed ferè 86. nec tantùm anni 499. sed 600. & ampliùs essent numerandi.

2. Eorum qui numerant ab edicto Cyri.

Nec etiam probabiliores videntur aliorum sententiæ, quorum Aliqui volunt illas hebdomadas computari debere ab edicto Cyri : Alii à facultate concessa Iudæis per Darium Hystaspim ędificandi muri Jerusalem : cœteri ab anno 20. Artaxerxis, quô scilicet tempore Nehemias, ut legimus *cap.* 2. obtinuit authoritatem restaurandi civitatem Jerosolymam, quæ tunc temporis, ut ibidem asseritur, adhuc erat dissipata: Tria namque legimus in libris Esdræ edicta regia in favorem & gratiam Judæorum : *Primum, Cyri,* alterum *Darii Hystapis :* Tertium, *Artaxerxis Longimani:* At Cyrus non dedit facultatem instaurandæ civitatis, sed tantùm Templi reædificandi, ut colligitur ex fine libri 2. Paralipomenõn, & 1. ac 6. cap. libri 1. Esdræ.

Nec obstat, quòd cap. 4. Esdræ fiat sermo de urbis reædificatione ; nam non dicitur ibi quòd Judæi ex edicto Cyri illam reædificârint.

Non obstat etiam, quod habetur Isayæ 45. Cyrum ædificaturum civitatem & dimissurum captivitatem ; nam primò potest responderi non fuisse id dictum de Cyro, sed de Christo. Ita Hieronymus. *Secundò,* ibi civitatem ædificari, non significare materialem murorum structuram ; sed tantùm civilem ędificationem, quæ fit per civium coadunationem & cohabitationem, qualiter Judæi cùm restaurarent Templum, dici possunt solutâ captivitate etiam restituisse & ædicasse Jerusalem. *Tertiò,* positô quòd intelligatur de materiali murorum structura : dici à Cyro ędificatam civitatem, quia jussit fortè, ut ędificaretur, neque ideò tamen potest ab hoc tempore supputationis hebdomadarum sumi initium; sed à solo tempore Artaxerxis Longimani, quia tunc prohibentibus in circuitu nationibus, quasi hoc Rex non jussisset, opus non est impletum, sed tentatum duntaxat; absolutum verò fuit tantùm à Nehemia. Denique Scriptura illi uni attribuit restaurationem urbis, Ecclesiastici 49. Ne-
» hemias in memoriam multi temporis, qui erexit
» nobis muros eversos, & stare fecit portas, &
» seras, qui erexit domos nostras.

3. Eorum qui initium illud repetunt ab edicto Darii Hystaspis.

Non etiam stare potest eorum sententia, qui volunt illas hebdomadas auspicandas esse ab edicto Darii Hystapis, qui, ut refertur lib. 3. Esdræ cap. 3. & 4. Zorobabel dedit epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, ut A ei manus darent, quatenùs tam ipse, quàm populus Israëliticus possent restaurare Ierusalem. *Primò*, quia ille tertius Esdræ liber inter canonicas Scripturas non computatur, subindeque non integra ei fides est adhibenda. *Secundò*, vix quidem stare possunt ea, quæ *ibidem* referuntur, nempe eôdem annô hæc omnia fuisse peracta, nimirùm decretum Darii quô facultatem faciebat civitatis & Templi ędificandi : profectionem Zorobabelis, & ascendentium cum eo in Ierusalem : inceptionem ędificationis : impedimentum ejus à Tathanai & cæteris ducibus, qui erant trans flumen : reversionem Zorobabelis in Babyloniam, ut Regis protectionem imploraret adversus re- B pugnantes illos Principes : quæsitum in Bibliotheca Regis, quæ erat in Babylonia, Cyri decretum, quô concesserat facultatem ędificandi templi Jerosolymitani : novum ejusdem Darii decretum, quod legitur primô Esdræ cap. 6. & quô Darius præcipiebat Tathanai, & aliis ducibus, ne civitatis Ierosolymitanæ instaurationem impedirent, imò ex thesauro regio subministrarent sumptus necessarios ad ędificationem templi & sacrificiorum celebrationem : regressum ipsius Zorobabelis cum isto decreto in Ierusalem : vaticinium Aggæi & Zachariæ, qui, ut legimus 1. Esdræ cap. 5. prophetaverunt adversus Iudęos, quòd habentes facultatem restaurandi Templum Domini duntaxat incumberent in suis C privatis domibus extruendis : qois enim credet hæc omnia per unius anni secundi Darii spatium potuisse impleri? maximè cùm longè distaret Babylonica civitas à Ierusalem, ut videre est 1. Esdræ cap. 7. nam Esdras cum Israëlitico populo revertente Ierusalem egressus est Babylone primô die mensis primi, & pervenerunt Ierusalem duntaxat primô die mensis quinti. Oportet igitur quòd ille Darius, à quo Zorobabel annô 2. regni illius obtinuit facultatem, fuerit vel Cyrus, vel Cambyses, qui fortè non solùm Artaxerxes & Assuerus, sed etiam Darius appellabatur.

Confirmatur, quia Zorobabel, tempore illius Darii à quo licentiam obtinuit ędificandi civita- D tem, & templum Ierusalem, erat juvenis & adolescens, ut refertur lib. 3. Esdræ. cap. 3. v. 4. & cap. 4. v. 51. sed, regnante Dario Hystaspi, Zorobabel non poterat censeri adolescens : siquidem primô annô Cyri Regis Persarum, jam erat dux & princeps inter Israëlitas, ut videre est lib. 1. Esdræ cap. 2. & lib. 2. cap. 7. necnon & Aggæi 2. v. 22. Cyrus autem ad minùs regnavit 7. annis, Cambyses ejus filius etiam totidem imperavit; post quem aliquô tempore imperium tenuerunt Magi, quibus Darius Hystapis successit; oportet ergo, eô regnante Zorobabelem natum fuisse ad minùs 45. annis, quâ certè ętate nec ju- E venis, nec adolescens poterat ęstimari.

Adde quòd Darius ille, quisquis fuerit, licentiam non fecerit ędificandi Ierusalem, sed duntaxat templum instaurandi, siquidem tantùm innovavit concessionem Cyri, quâ licentiam fecerat Judæis, ut ędificarent templum Hierosolymitanum, & in eo offerrent sacrificia. Quapropter Darius mandat Tathanai & aliis ducibus, qui impediebant illam templi instaurationem; *Dimittite fieri templum illud à duce Iudęorum & à senioribus, ut domum Dei illam ædificent in loco suo:* ut videre est non solùm lib. 1. Esdræ cap. 6. lib. 3. cap. 6. ubi edictum illud Darii refertur; sed etiam cap. 2. lib. 2. ubi legimus quòd regnante Artaxerxe, qui Dario Hystaspi successe-

sat, civitas Jerusalem adhuc erat dissipata: Nam Nehemias, qui ab Artaxerxe facultatem instaurandi muros obtinuerat, Judæos alloquens ait: *Vos nostis afflictionem in qua sumus; quia Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igne; venite et ædificemus muros Jerusalem*, &c. Et subinde tunc temporis civitas Jerosolymitana nondum erat extructa: verba autem vaticinii non significant incipiendas illas 70. hebdomadas ab exitu sermonis, seu edicti, ut ædificaretur templum; sed ut ædificaretur Jerusalem; igitur ab illo edicto Darii Hystaspis 70. illæ hebdomadæ non sunt computandæ.

4. Eorum qui numerant ab anno 7. Attaxer. Longimani.

Idem ferendum judicium de illo decreto ejusdem Artaxerxis, quô annô 7. sui regni licentiam Esdræ fecit, ut ascenderet Jerusalem cum selectis ex filiis Israelis ad absolvendum & consecrandum templum, cujus jampridem instauratio incepta fuerat: siquidem decretum istud duntaxat spectabat ad templi ædificium, non verò ad civitatis instaurationem; ut constat ex 3. Esdræ capite 8.

Ex his itaque sequitur duntaxat illas 70. hebdomadas ordiendas esse ab Edicto ejusdem Artaxerxis, quô facultatem fecit Nehemiæ, annô 20. sui imperii, quatenus cum Judæis sibi comitibus posset ascendere Jerusalem, & ejus muros ac domos instaurare: hic enim primus est exitus sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, à quo exitu significat Angelus adhuc superesse 70. hebdomadas usque ad Christum ducem.

§.

Quæ sit specialis nostra sententia.

VEruntamen non censeo hebdomadarum exordium ducendum præcisè esse ab illo anno 20. quô edictum illud sancitum est, sed duntaxat ab anno 28. quô istud edictum executioni fuit demandatum. Quanquam enim Nehemias illud edictum annô 20. Artaxerxis exceperit, tamen (ut narrat Josephus lib. 11. cap. 5.) non potuit Nehemias in Judæam proficisci ante annum 25. ejusdem Regis: quoniam totos illos penè quinque annos à suscepto edicto insumpserat, ut Judæos per Babylonicum regnum dispersos conveniret, ageretque cum eis; maximè verò cum familiarum principibus, ut juxta Regis indultum Babylonicam terram desererent, & in nativum solum reverterentur. Quod utique difficile fuit suadere hominibus jam Babyloniorum consortio ac familiaritate ita delinitis, ut vix ab eorum contubernio possent avelli, & terram ubertimam in qua eorum plurimi nati fuerant, abjicere, ut aliam omninò vastatam & incultam ac plurimis adversariis obsitam incolerent.

Inde factum est quòd Nehemias, ut refert Josephus, pervenerit Jerusalem tantùm circa annum 25. Artaxerxis, unde cùm duos insumpserit annos in instaurandis muris & domibus illius civitatis, hinc est quòd hoc ingens & grande opus non absolverit, nisi circa 9. mensem 28. anni ejusdem Artaxerxis, quod adeo exactè non referret Josephus, nisi certa, ac omni exceptione majora habuisset testimonia, & instrumenta. Hic autem 28. annus regni Artaxerxis incidit in annum mundi 3527. à quo si numeres 490. invenies 4017. quô certè annô crucifixus est Christus, ac subinde sic eventus exactissimè prophetiæ respondet.

Quòd autem illæ hebdomadæ incipiendæ sint potius ab executione illius edicti, quam ab ejus concessione & promulgatione, mihi non leve argumentum est: quia cùm illud edictum non fuerit a Rege concessum, nisi ex divina inspiratione, sicque potiùs censeri debuerit edictum Dei, quam Regis: cùmque Dei decreta infallibilem sortiantur effectum, juxta illud Psalmi: *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*: manifestum est Angelum in isto vaticinio non tam illius edicti promulgationem, quam executionem significasse dum ait, *ab exitu sermonis*; unde etiam signanter non addit, ut fiat licentia ædificandi Jerusalem, sed *ut iterùm ædificetur Jerusalem*. Quibus significat se de reali & effectiva instauratione Jerusalem sermonem facere, & ab ea texere omnem sui vaticinii seriem & ordinem.

XXX. Omnes præfati Danielis oraculi particulæ rectè conveniunt Christo D.

Quòd autem omnes illius vaticinii particulæ mirum in modum conveniant Jesu Nazareno, sic evinco 1. Messias ille repromissus dicitur, *Sanctus Sanctorum*, seu Hebraicè *Sanctitas Sanctitatum*, vel *Sanctificatus Sanctificatorum*. Hæc autem apprimè conveniunt Jesu Nazareno, tam secundùm divinitatem, quàm humanitatem, quæ in unione hypostatica superabundanti gratiarum, & omnium cœlestium charismatum irriguo, uncta est oleo lætitiæ præ participibus suis. Dicitur autem *Sanctus Sanctorum*, sicut ens entium, lux lucis, vita vitæ; quia omnis ab eo sanctitas effluit; unicuique enim nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, qui plenus est gratià & veritate; de cujus plenitudine omnes nos accepimus.

1. Quia ille est *Sanctus Sanctorum*.

Quæret hic forsan aliquis, qualiter Christus in morte sua dicatur unctionem Sancti Sanctorum suscepisse, quippe mors videtur potiùs unctionis destructio, quam conservatio.

Qui maximè in morte & resurrectione fuit *unctus*.

Verùm facilè huic quæsito fit satis; quanquam enim Christus ante mortem & ab instanti conceptionis suscepisset Divinitatis unctionem & delibutionem, ut ipsemet testatur Lucæ 4. sibi adaptans hoc Isaiæ vaticinium: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me*: attamen nondum susceperat hujus unctionis plenitudinem, majestatem & manifestationem, ut revera contigit postquam à mortuis suscitatus est. Enimvero in resurrectione Divinitatis unctio, & immortalitatis unguentum descendit à capite istius mystici Aaron, ac summi hominum Pontificis, non solùm in barbam, sed & in oram vestimenti ejus, hoc est, à superiori animæ portione, non solùm in ejus animæ portionem inferiorem, sed etiam in ejus corpus. Unde meritò Apostolus ad Rom. 1. Christi resurrectionem his verbis cõmendat: *Prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. Cùm igitur Christus mortuus fuerit, ut nostra deleretur iniquitas, sicut prædixerat Angelus: ita per resurrectionem unctus est Sanctus Sanctorum: nam, ut ait Apostolus Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*.

2. In eo fuit consummata prævaricatio.

Secundò, is est in quo *consummata fuit prævaricatio*, Judæi enim mensuram Patrum suorum implentes, nedum justum Joseph vendiderunt; nedum commutaverunt gloriam Dei in similitudinem vituli aurei & aliorum idolorum; nedum denique Prophetas, sed & ipsummet Dei Filium occiderunt: hoc autem est quartum eorum peccatum, quod non ad tempus, sed usque ad mundi finem est puniendũ. Ita enim intelligendus est Propheta Amos dicens cap. 2. *Super tribus sceleribus Israël*; Hebraicè (*Jerusalem transferam*, vel *convertam eos*) *& super quartum non convertam*. (Non

transferam) *eos, quia vendiderunt justum pro argento.* Licèt enim Judæi pro argento justum venditum, intelligant Joseph filium Jacob à fratribus in Ægyptum pretiô traditum deportandum; nihilominus Rabbi Samuël in Epistola sua ad Rabbi Isaac Magistrum Synagogæ quæ est sub Hulmoza in Atotitan Regis, quæque à Patre Bonni-homine Ordinis Prædicatorum, in antiqua Hispaniæ Bibliotheca reperta est, & ex Arabico idiomate Latinè donata, & unà cum Opusculis S. Antonii Typis excussa, in qua quçrit ab illo Rabbi sapientissimo, cur ea in captivitate quâ modò premuntur, nullus adesset Propheta, nullus sacrificandi ritus, nulla recuperandæ libertatis spes sicut in prioribus captivitatibus per Prophetas facta promissio: inquirens pariter, quodnam esset illud gravissimum peccatum, ratione cujus tam durâ tamque diuturnâ captivitate premerentur; hæc habet cap. 6. Ipsi etiam Christiani, quibus sacrorum librorum studium videtur esse traditum à Deo, respondent doctrinæ nostræ prædictæ, quòd primùm in quatuor sceleribus Israël, est venditus Joseph à fratribus suis; & secundum peccatum assignant, adorationem vituli in Oreb: & tertium fuit occisio Prophetarum: quartum scelus, fuit venditio Justi, scilicet Jesû. In vindictam primi Patres nostri fuerunt in captivitate Ægypti. In punitionem secundi, plures perierunt in solitudine, & in ea degerunt exules per quadraginta annos. In tertii ultionem, innumeras à diversis passi sunt captivitates, potissimùm Babylonicam per septuaginta annos. Cùm autem Propheta Amos ponat expressè venditionem Justi, nullusque appareat venditus Justus præter Jesum à Nazareth, mihi videtur quòd simus in illo quarto maximo peccato, & propterea in captivitate, de qua loquitur Deus, quòd non reducet ultrà. Jam enim sunt mille anni, à quibus nihil proficimus inter Gentes, nec est spes proficiendi ampliùs.

Ut ipsimet Judæi fatentur.

3. Per eum expiatum fuit peccatum.

Per eum *peccatum finem accepit, & deleta est omnis iniquitas*; lavit enim nos à peccatis nostris in sanguine suo, & semetipsum Patri in ara crucis immaculatam victimam obtulit, ut nos ab omni iniquitate redimeret, & fieret propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantùm; sed & pro totius mundi criminibus. Per eum *adducta est justitia sempiterna*, vera nempe & interna, non legalis & figurativa, quæ non ad tempus, ut Mosaïca, sed semper in cœlis & in terra sit duratura; qui enim biberit ex aqua, quam Christus daturus venit, non sitiet iterùm; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. In ipso tandem *impleta est omnis visio & Prophetia*, omnia namque fecit, dixit & passus est, quæ de Messia venturo Prophetæ vaticinati sunt. Unde habet tres per præcipuos Messiæ adventum præstandos effectus & fructus: 1. peccati emaculationem: 2. veræ justitiæ collationem: 3. Prophetiarum adimpletionem.

Tertiò, Passus est in medio ultimæ hebdomadis annô videlicet 18. Tyberii.

4. Templi sanctitas fuit pessumdata.

Quartò in Christi D. morte templum violatum fuit ac profanatum, quando scilicet velum templi scissum est à summo usque deorsùm, saltem velum exterius, quô populus à Sacerdotibus sejungebatur; quasi templum illud nihil jam haberet in arcanis, nihil reverentiæ, nihil religionis. Inde Sanctuarii aditus soli summo Sacerdoti licitus, idque singulis tantùm annis in festo Expiationis, sub mortis interminatione si sæpius ingrederetur, ut notat Philo in libro de legatione ad Caium; nedum patuit mille Sacerdotibus, quibus ab eo tempore licitum fuit ingredi in sancta Sanctorum, ut scribit Josephus Gorionides lib. 5. v. 25. sed & ipsis Judæis, quando tempore Flori, Syriæ præsidis post Pilatum, ortâ seditione, cuncti Judæi confugerunt ad templum Dei; imò etiam ipsis Vespasiani temporibus, quando nedum ipsius statua in templo fuit collocata, sed & ejus milites templum ingressi illud spoliaverunt & incenderunt. *Adde quod* in morte Christi collapsum fuerit superliminare templi magnô terræ motu, auditæque fuerint Angelorum templi custodum voces in eo dicentium *Migremus hinc*, ut ex Evangelio Nazareorum observat S. Hieronymus 9. Quamvis Josephus id refer..t ad festum Pentecostes, quinquaginta diebus post mortem Christi: verùm potuit aberrare vel incertô rumore; vel quia ignarus erat Mysteriorum nostræ Religionis; ac fortè Christianis infensus.

Itaque fuit in templo *abominatio*, cùm in eo starent milites Idola colentes; *desolationis*, quoniam illud omnibus suis vasis & ornamentis nudaverunt, ac posteà igne apposito in cineres & favillas redegerunt, omnesque Iudæos aut cruentâ morte peremerunt, aut diversas in Provincias exules actos, perpetuâ duràque captivitate mancipârunt; sicut vaticinatus fuerat Christus Luc. 21. *Cùm videritis ab exercitu circumdari Hierusalem tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus; tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio ejus, discedant, & qui in regionibus, non intrent ad eam, quia dies ultionis hi sunt ut impleantur omnia quæ scripta sunt: & cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora Nationum.*

Et in eo fuit abominatio desolationis.

CONCLUSIO TERTIA.

XXXI. *Colligitur Iesum Christum esse Messiam, quia in eo fuerunt impleta omnia vaticinia de Messia.*

1. Origine & Stirpe, & Nativitate.

Probari potest Messiam advenisse, illis omnibus Scripturæ textibus, quibus designatur Messiæ Nativitas, illius vitæ status, ministerium, mortis genus, resurrectio, & in cœlum receptio, quæ omnia mirum in modum in Iesu Nazareno completa videntur. Siquidem prædicitur Messias futurus ex familia David, Psal. 131. *Iuravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* quod equidem impletum est in adorando illo Iesu Nazareno, qui, ut prænuntiavit Angelus ipsius Matrem alloquendo Lucæ primo, filius David fuit, & dedit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, ut regnaret in domo Iacob in çternum.

Secundò, Messias denuntiatur nasciturus ex Virgine. Isayæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, &c.* Iesus autem natus est ex Maria Virgine ante partum, in partu, & post partum: nam Lucæ primô, *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, &c.* Similiter Messias erat nasciturus in Bethleem juxta illud Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Iesus autem natus est in Bethleem, ut legitur Lucæ 2.

Tertiò, Messias futurus erat pauper, & abjectus juxta illud Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator: ipse pauper & ascendens super*

asinam: Jesus autem pauperrimus fuit; nam ut dicebat Lucæ 9. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*: Unde egregiè Bernardus ait, quòd pauper fuit in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte; similiter *ascendit super asinam* in triumphali suo in Jerusalem ingressu, ut legitur Matthæi 21.

2. Status pauperrimus.

Quartò: Messias tradendus erat in mortem pro triginta argenteis. Zachariæ 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*. Morte turpissimâ erat moriturus, Sapientiæ 20. *Morte turpissimâ con demnemus eum*. Cruci affigendus, & flagellis laniandus: Psalmo 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*. Illius vestes sorte erant distribuendæ: Ibidem: *Super vestem meam miserunt sortem*: Ejus ossa & corporis membra non erant confringenda, juxta illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo*.

3. Mortis genus & circunstantiæ.

Quintò: Prædicitur ejus Resurrectio. Psal. 56. *Exurge gloria mea*, inquit Pater cœlestis, cui Filius, *exurgam diluculo*. Ascensurus in cœlum. Psal. 67. *Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem*. Missurus Spiritum sanctum, Joelis secundô, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*. Exterminaturus idola. Zachariæ 13. *Erit in die illa, dicit Dominus, disperdam nomina eorum in terra, non memorabuntur ultrà*. Conditurus legem alteram. Baruch secundô, *Et statuam illis alterum Testamentum sempiternum*. Repudiandus à populo Judæorum. Jeremiæ 5. *Negaverunt Dominum & dixerunt, Non est ipse*. Hæc autem omnia, ut constat ex Historia Evangelica, impleta sunt in Jesu Nazareno: igitur ille verus erat Messias.

4. Ejus Resurrectio, Ascensio, &c.

His adde, quòd ut prænontiaverat Angelus Danielem alloquens, post occisum Messiam repudiandi erant Judæi, civitas & Sanctuarium dissipanda à Duce venturo, omnis Judaïca natio vastanda, & illius desolatio in finem perseveratura; at Judæi non possunt negare, post occisum Jesum à Nazareth, vastatam fuisse Civitatem Jerosolymam sub Ducibus Vespasiano & Tito, templum solò æquatum, omnia sacrificia extincta, Judæi per orbem dispersi, sub dura captivitate gementes: Unde eleganter sanctus Hieronymus Epistolâ ad Dardanum ait, Judaicam nationem alloquens: *Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui ante oblitus fuit, nunc per tanta spatia temporum non adducitur, ut solvat captivitatem, & ut veriùs dicam, expectatum tibi mittat anti-Christum? ob quod facinus & tam execrabile scelus, averit à te oculos suos? Ignoras voces parentum tuorum, Sanguis ejus super nos & super filios nostros! Et, Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas: &, Non habemus Regem, nisi Cæsarem? Habes quòd elegisti, usque ad finem mundi serviturus es Cæsari; donec Gentium intret plenitudo, & quæ quondam eras in vertice, verteris in caudam*.

5. Propter ejus occisionem Judæi dissipati sunt.

XXXII. *Objiciunt* Judæi, multa esse vaticinia Prophetarum de futuro Messiæ adventu, quæ nullatenùs in Jesum Nazarenum quadrare possunt: ergo ex his quæ protulimus, non potest evidenter colligi ipsum esse verum Messiam. Ut probent antecedens, multos proferunt Scripturæ textus. Primò quidem quòd tempore Messiæ, ut legimus Isaiæ cap. 11. *Habitabit lupus cum agno; & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*: Item Isaiæ 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*: inde colligunt

Quàm futilia sint quæ adversus adventum Messiæ Judæi obtrudunt.

A tempore Messiæ templum Jerosolymitanum, & montem in quo fundatum erat, supra omnes montes fore elevandum, &c.

Verùm respondeo, Judæos his in proferendis & explicandis textibus turpiter hallucinari, & duplici errore laborare: quorum primus est, quòd plurima quæ de adventu Messiæ ænigmaticè, spiritualiter, aut metaphoricè dicta sunt, litteraliter velint intelligi, quales sunt textus mox laudati: secundus eorum error, est quòd duos non distinguunt Messiæ adventus: alium ut Salvatoris ad liberandos homines, alterum ut judicis ad judicandos; illum in humilitate, hunc in Majestate B & gloria.

Hinc enim factum est, ut in conciliandis oraculis de futuro Messia multùm laborent, nec tamen exitum inveniant: nam quædam vaticinia ipsum divitiis affluentem, gloriâ, & honore coronatum, omnium nationum sceptrum, & imperium tenentem ac moderantem exprimunt: Alia verò oracula eum designant futurum pauperem, abjectum, novissimum virorum, ab omnibus despectum: quocirca coguntur Judæi duos distinguere Messias, quorum unus sit pauper & humilis, alius dives & præpotens.

Verùm quam hæc inania sint & absque funda-C mento, satis colligitur ex Scriptura sacra, quæ unius Messiæ meminit: sed duplicem in eo distinguit adventum. Quod ita eleganter prosequitur sanctus Augustinus Tractatu 4. in Joannem, expendens illud Psalmi, *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit*: ubi ait, *Siluit ut judicaretur: non silebit cùm cœperit judicare. Non diceretur*, MANIFESTE VENIET, *nisi primò venisset occultus: nec diceretur*, NON SILEBIT, *nisi quia primò siluit. Quomodo autem siluit? Interroga Isaiam, Sicut ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram eo qui se tondet fuit sine voce: sic non aperuit os suum. Veniet autem manifestus & non si-D lebit: quomodo manifestus? Ignis ante ipsum præibit, & in circuitu ejus tempestas valida*.

Adde quòd apertissimè revinci possit illa Judæorum pervicacia, & gravissimus error de duplici Messia ex *cap.* 53. Isaiæ, ubi prædicitur Messiæ nativitas, contemptus, persecutio, occisio, gloriosa resurrectio, & omnium populorum ad ipsum conversio, ut appareat eundem Messiam esse qui pauper & dives, abjectus, & sublimis, & subjectus & omnium Dominus prænuntiatur ut diximus supra.

Non expendimus hîc rationes quibus probatur Messiam Deum & hominem esse debere; con-E gruentiori namque ordine ista discutiemus & resolvemus disputatione secundâ, demonstrando Incarnati verbi dignitates, & præcellentias.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Unione hypostatica.

EAM difficultatem nunc solvendam auspicamur de duarum conjunctione naturarum, quæ est velut forma, aut causa formalis Incarnationis, in qua caput & cardo vertitur omnium controversiarum, quæ in hoc mysterio agitari possunt, ut præclarè advertit Leontius lib. 3. contra Nestorium & Eutichem, subtilis ac disertus Theologus his verbis: Quandoquidem, *inquit*, « universum bellum motum est de modo Unionis, « quem plerique ignorant, & idcircò omnibus in «

I. Quæ variæ fuerint de humanitatis cum divinitate unione, hæreticorum sententiæ.

» dubium venit; de hac unione philosophari opor-
» tet, ut scire possimus, utrùm de hoc ipso dis-
» sentiamus: an verò nobis de hoc consentientibus
» quæstio sit, quid efficiat unio; & utrùm de re-
» bus ipsis sit controversia, an de vocibus res ip-
» sas significantibus: sic enim quæstione distinctè
» habitâ, & veritate rerum ostensâ, qui imperitè
» aut impiè contradicit, pateflat vel corrigendus
» vel in judicio vituperandus. Unionem autem di-
» vinitatis cum humanitate, alii secundùm sub-
» stantiam factam esse affirmârunt; alii secundùm
» energiam; alii secundùm voluntatem. Sunt au-
» tem qui nimiam reverentiam in Deum vel ha-
» bentes, vel simulantes, nullô ex his modis fa-
» ctam esse dixerunt: sed ineffabilem esse, & ca-
» rere nomine affirmârunt: sive ita haberent, sive
» non, metuebant autem ne impietatis argue-
» rentur.

Quibus significare videtur hæreticorum tergiversationem, qui eâ ratione in conjunctione Divinitatis cum humanitate pia dogmata diligentiùs inquirendum esse vetabant, ut argumenta quibus redarguerentur, effugerent; solâ credulitate nos ea in re contentos esse debere affirmantes.

Articuli distributio.

Verùm nihil hæc prohibere possunt, quominùs de unione ista laudabiliter & fructuosè disputent Catholici Theologi; non ut eam penitùs exploratam perspectamque tenere se posse confidant; sed ut tantùm assequantur quantùm per Scripturas & Ecclesiæ magisterium doceri & intelligere nos Deus ipse voluerit. Hoc autem imprimis venit in controversiam, quid sit ipsa Unio seu assumptio secundùm se spectata; demùm qoid præster persona assumens: tandem quid spectandum sit ex parte naturæ assumptæ; quæ ut distinctiùs, & evidentiùs appareant, de his instituendus est sermo tribus in sequentibus Sectionibus.

Sectio Prima.

De Vnione hypostatica secundùm se spectata.

II. Quibus nominibus hæc unio soleat appellari.

HORUM nominum, quibus ambarum in Christo naturarum conjunctionem Theologi Veteres explicare solent, ut Græcis usitata, vocabula missa faciam, Latinis frequentia sunt hæc, *Vnio, unitio, adunatio, consertio, sociatio, concordia, fœdus, fœderatio, confœderatio, consibulatio, connexio, contentio, concretio, conventio, mixtio, commixtio, mixtura, coaptatio, conversio, conjugatio*; quâ voce usus est Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 30. cùm dixit: *Tanquam sponsus processit de thalamo suo; id est, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero Virginali.* Tamen *Vnionis* vocabulum frequentiùs usurpatur à Theologis Scholasticis.

III. Unionis variæ species declarantur.

» Unio autem, inquit Euthymius Panopl. titulô 7.
» est rerum disjunctarum concursus in mutuam
» communionem. Fit autem decem modis: vel *tem-*
» *peratione*, ut in liquidis, velut vinô & aquâ; vel
» *accumulatione*, ut in aridis triticô & hordeô: vel
» *maceratione*, ut in humido & sicco, velut terra
» & aqua: vel *commixtione*, ut in diversis farinis;
» vel *confusione*, ut in his quæ liquefiunt, velut au-
» rô & argentô, cerâ & pice: vel quoad *augmen-*
» *tationem*, ut in lapidibus: vel *appositione*, ut in ta-
» bulis: vel *substantia*, ut in individuis, Petro &
» Paulo, & equis, aut bobus aliquibus atque ani-
» mantibus cæteris: vel *habitudine*, ut in amicis &
A in animis in eamdem voluntatem conspirantibus: »
vel *compositione*, ut in anima & corpore: quæ »
autem *in hypostasi* fit, ea soli quæ in Christo est »
divinitati & humanitati competit. Hæc Euthymius de quo postremo unionis modo omnium arctissimo ac præstantissimo præsens sermo faciendus est; inquirendo 1. Quid illa sit: 2. Qualis: 3. Quis ejus terminus. 4. Tandem an omnium unionum sit arctissima & præstantissima.

Quæstio Prima.

Quid sit Vnio hypostatica?

IV. Triplex unio: 1 Per appositionem. 2. Per compositionem. 3. Per sustentationem.

B NOtandum primò quoad præsentem quæstionem spectat, triplicem distingui posse unionem: vel per appositionem, vel per compositionem, vel per sustentationem. Unio *per appositionem* unius ad alterum, fit tripliciter, ut observat noster Alensis *quæst.* 7. *art.* 1. Quia, inquit, aliquando unum unitur alteri per appositionem, ita qoòd ab ipso nec denominationem, nec proprietatem contrahat, sic lapis apponitur lapidi in acervo, & fit unum ex ipsis per aggregationem, & tamen unus lapis ab altero denominationem non trahit nec proprietatem: Aliquando verò ita unum apponitur alteri, ut ab ipso proprietatem C excipiat, non verò denominationem; sic flores, & res aromaticæ ac odoriferæ suum odorem manui imprimunt, ita quòd ab eis manus contrahat proprietatem, nempe odorem; non verò denominationem; quoniam manus dicitur quidem odorifera à flore, non tamen dicitur flos: Aliquando verò ita unum alteri conjongitur, ut hoc ab illo denominationem percipiat, non verò proprietatem: sic cum quis vestem induit, recipit denominationem à veste, & dicitur hôc aut illô modô vestitus; sed ab ea nullam proprietatem recipit secundùm quam physicè afficiatur.

Unio *per compositionem* fit maximè duobus modis, ratione duplicis formæ, vel substantialis, D vel accidentalis, secundùm quam fit unio: *Vnio* enim *substantialis* ea dicitur quâ duæ substantiæ invicem uniuntur per modum actûs & potentiæ, hoc est, per modum materiæ & formæ. Quod etiam fit dupliciter; nam aliquando in illa unione servatur natura utriusque extremi, eaque omninò distincta, sive interim fiat ex eis aliquod tertium, sicut ex unione animæ rationalis cum corpore humano, fit tertium, nempè homo; manente tamen utrôque unitô distinctô, putà corpore & animâ quæ in homine distincta sunt: sive tertium aliquod ex unitis non resultet, sicut cùm insertione surculi piri cum pomo, v.g. non resultat tertium, videlicet arbor aliqua quæ nec sit pirum nec po- E mum: aliquando verò non servatur utriusque natura, sed transeunt in tertiam entitatem & fit tertium aliquod ab extremis distinctum. *Accidentalis* unio est, quâ vel accidens unitur substantiæ, ut albedo parieti, vel accidens accidenti, ut albedo quæ inest quantitati Eucharisticæ, vel substantia alteri sobstantiæ per modum aliquem accidentalem, ut materia formæ per unionem quæ est relatio. *Denique* unio per *sustentationem* ea est, quâ natura aliqua vel rationalis assumitur in unitatem personæ, vel irrationalis assumitur in unitatem suppositi, vel accidentalis in unitatem subjecti sustentantis.

Notandum secundò: Actionem unitivam, duo extrema invicem sociare tripliciter: *Primò modò*,

V. *Actio unitiva extremorum est triplex,*

producendo totum compositum simúlque cum illo producendo utramque ejus partem: talis est creatio cœli, per quam tam materia quàm forma concreantur, & inter se uniuntur. *Secundò*, producendo tantùm unum extremum, & illud jam alteri præexistenti uniendo. Talis est actio quâ educitur forma materialis de potentia materiæ; est enim productiva & unitiva simul talis formæ cum materia. *Tertiò modò*, Actio est tantùm unitiva, non verò productiva extremorum: sed solius compositi, quod ex conjunctione utriusque resultat; qualis est actio unitiva animæ cum corpore in resurrectione. Certum est autem Incarnationem non esse unitionem productivam utriusque extremi; quippe Verbum ęternum est, nec temporaneæ productioni obnoxium; non etiam est productiva humanitatis: quia actio quâ producitur humanitas, alia est, ab unitiva ejusdem cum Verbo, ut patebit infrà.

Difficultas est igitur an illa actio quâ Verbum unitur humanitati, sit productiva alicujus termini formalis, tam à Verbo, quàm ab humanitate distincti, quô mediante humanitas illa cum Verbo uniatur. Circa cujus resolutionem variant authores; nam Gregorius Ariminensis in 3. *dist.* 28. *quæst.* 2. cui subscribit Gregorius à Valentia in 3. *part. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 5. & plures alii, contendunt per hanc actionem unitivam, nihil fuisse productum in humanitate distinctum ab ea, per quod Verbo divino uniretur formaliter. *Secunda* verò sententia est Gabrielis in 3. *distinct.* 30. *quæst.* 4. existimantis per actionem incarnandi, produci quamdam qualitatem absolutam & supernaturalem, quâ uniatur humanitas Verbo, eámque qualitatem appellat *Gratiam unionis*.

Triplex circa præsentem quæstione Authorum sententia.

Tertia sententia est Suaris *disput.* 8. *sect.* 2. & Gabrielis Vasquezii *disput.* 18. *cap.* 3. asserentium formalem terminum prædictæ actionis unitivæ, esse modum aliquem substantialem; non realiter, sed ex natura rei duntaxat ab humanitate distinctum; qui modus est fundamentum relationis quæ intercedit inter humanitatem & Verbum. *Quarta* denique sententia est Doctoris in 3. *dist.* 1. *q.* 1. *nu.* 3. docentis per actionem incarnandi produci terminum formalem, nempè unionem, quæ est relatio extrinsecùs adveniens, quâ humana natura dicitur formaliter unita Verbo.

VI. *Relationis varia divisio.*

Notandum tertiò, seu repetendum potiùs ex Logicis, quantùm ad præsens institutum spectat, relationem cathegoricam dividi in *intrinsecùs*, & *extrinsecùs* advenientem. Prior est quæ resultat ex positis fundamento & termino, nihílque extrinsecum desiderat ad sui resultantiam: ut similitudo quæ exurgit inter duo alba; nam eô ipsô quó alba sunt, similia sunt: posterior verò non exurgit præcisè ex positione & existentia fundamenti & termini, sed insuper desiderat aliquid extrinsecum sine quo non exurgeret: sic licèt ignis & lignum combutendum existant; nullus tamen exurget respectus inter ignem transmutativum & lignum transmutabile, nisi fiat utriusque approximatio.

Insuper, relatio subdividitur in mutuam & non mutuam. Mutua est quæ habet relationem sibi correspondentem in termino, ad quem refertur. Sic paternitas habet filiationem sibi correspondentem. Non mutua, est quæ talem correlationem non habet in suo termino. Sic scientia, quatenùs terminatur ad scibile, non agnoscit in eo correlationem. Denique relatio mutua distribuitur in relationem ęquiparentiæ & disquiparentiæ. Prima est quæ habet relationem ejusdem rationis & nominis in utroque extremo. Sic fraternitas in utroque fratre habet idem nomen, & eandem rationem fundandi, putà originem ab eodem patre. Secunda verò similem in altero extremo relationem non agnoscit. His ita prælibatis tria maximè sunt impræsentiarum discutienda: *Primum*, an unio hypostatica sit aliquid reale creatum, ab humanitate & Verbo realiter distinctum: *Secundum*, an sit quid substantiale vel accidentale, idque vel absolutum, vel respectivum: *Tertium*, an ex hypothesi quòd sit relatio, illa sit mutua vel non mutua, ęquiparentiæ vel disquiparentiæ.

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

Unio hypostatica est ens reale creatum, realiter ab extremis distinctum. Hæc conclusio tres partes continet, quarum duæ priores satis superque patent & apparebunt evidentiùs ex probatione tertiæ.

Unio hypost. est ens reale.

Prima quidem constantissima est: illud enim est ens reale, per quod humanitas à Verbo assumpta realiter distinguitur ab aliis, humanitatibus non assumptis: sed per unionem hypostaticam humanitas assumpta ita distinguitur ab aliis, quippe personaliter unitur Divinitati, cui cæteræ non ita sociantur, & habet dependentiam personalem à Verbo ipsam personante, quam non habent cæteræ humanitates quæ suis propriis subsistentiis, & personis subsistunt: igitur, &c.

Secunda pars etiam clara est: illud enim est creatum quod cœpit in tempore: sed hypostatica unio incepit in tempore, sicut & ipsa humanitas assumpta: igitur est quid creatum. Deinde, illud reverà creatum est, quod est effectus omnipotentiæ divinæ: at ut suprà diximus, unio hypostatica præstantissimus est effectus omnipotentiæ divinæ: igitur est ens creatum. Denique quidquid increatum est, Deus est vel realiter, vel personaliter, vel formaliter: hæc autem unio non est Deus essentialiter, neque etiam personaliter, quia licèt fiat per unionem Verbi cum humana natura: attamen ipsa natura humana sic unita, non est Deus; sed vera creatura: igitur ex ipsius parte unio est quid creatum.

Et creatum.

Probatur tertia pars. Omni actioni productivæ debet assignari terminus, qui per illam producatur; nam producere & produci sunt correlata: atqui unio hypostatica est effectio, seu actio productiva: ergo debet habere aliquem terminum: sed ille terminus non potest esse alius, quàm unio copulans Verbum cum natura humana: Nam vel terminus ille esset Verbi subsistentia, vel humanitas assumpta: at *non primum:* quippe Verbi subsistentia increata est & ab ęterno existens: *Non etiam secundum*, quia, ut dicemus infrà, humanitas producta fuit per actionem distinctam ab actione assumptiva, seu unitiva; quippè actio productiva humanitatis fuit generatio, ad quam Virgo Deipara suum præbuit concursum, quæ tamen non influxit præcisè in actionem unitivam humanitatis cum Verbo: ergo illa actio unitiva, seu productiva in Incarnatione non potuit habere alium terminum, quàm ipsam unionem: terminus autem productus realiter distinguitur ab extremis non productis: ergo unio producta realiter distinguitur à Verbo, & ab humanitate.

Ab extremis unitis distinctum.

Reponunt Adversarii, duplicem esse actionem, aliam quidem productivam termini, aliam verò

duntaxat unitivam: & quidem priorem semper habere terminum aliquem; posteriorem verò minimè, ut constat ex variis rebus naturalibus, putà unione animæ ad corpus, formæ ad materiam, &c. quæ se ipsis immediatè & sine ulla entitate media de novo producta inter se uniuntur. Unde cum hæc actio de qua loquimur, sit tantùm unitiva, non requirit terminum de novo productum.

7. Unitio hypostatica non solùm est actio unitiva extremorum, sed etiam productiva termini.

Contrà. Primò falsum est, & gratis asseritur animam cum corpore, & formam cum materia immediatè uniri; quippe sociantur invicem mediante ipsâ unione, quæ est relatio extrinsecùs adveniens, qualis etiam est unio hypostatica, ut mox dicemus. Deinde, etiamsi hæc vera essent, non tamen valeret paritas, nam extrema unionis illarum rerum naturalium sunt ejusdem ordinis, habentque naturalem, & intrinsecum ordinem, ad se invicem, proindeque majorem affinitatem, & facilitatem, ut invicem immediatè socientur: at verò extrema unionis hypostaticæ sunt omnino diversi ordinis, neque ex natura sua habent intrinsecum ordinem ad se invicem; quare ut inter se socientur, & ex illis fiat quid unum, debet produci aliquis formalis terminus, quô invicem uniantur.

Reponunt secundò, per actionem incarnati Verbi non produci quidem Verbum, nec humanitatem, nec etiam unionem ipsam; sed duntaxat Christum, compositum videlicet ex humanitate & divinitate; sicut proportionaliter loquendo, terminus productus per humanam generationem, neque est anima rationalis, cùm illa fiat per creationem; neque corpus, quia supponitur generationi, cùm solam importet materiam ut radicem quantitatis; sed terminus generationis, est ipsum suppositum humanum.

Contrà. Primò, minùs verum est per generationem non produci corpus substantiale, est enim reverà terminus partialis illius actionis, ut probavimus in Physicis. Secundò, licèt Christus Dominus sit terminus *qui*, seu totalis actionis unitivæ, non tamen est ejus terminus formalis: actio autem illa unitiva non solùm debet habere terminum totalem de novo productum: sed etiam terminum formalem, quô scilicet extrema invicem socientur: etenim non potest intelligi quomodo terminus *qui* seu totalis producatur nisi per productionem termini formalis: ergo si actio unitiva terminum *qui* seu totalem producat, etiam producet terminum *quô* seu formalem: non enim posset intelligi qualiter per actionem aliquid producatur, nisi aliquid habeat esse existentiæ, quod antea non habebat; nam per productionem res transit à non esse existentiæ ad illud esse: at per actionem unitivam, neque Verbum, neque humanitas transeunt à non esse existentiæ ad esse existens; quippe Verbum præexistebat ab æterno, & humana natura saltem priùs prioritate naturæ existebat, quàm assumeretur: igitur per illam actionem productivam debuit aliquid distinctum ab humanitate & Verbo produci, quod accipiat esse, quô priùs carebat.

Qui non est alius formaliter quàm ipsa formalis unio.

8. Quia per eam humanitas formaliter dependet à Verbo, tanquam à supposicante.

Probatur secundò. Per Incarnationem humanitas fit dependens à supposito Verbi, & per aliquid de novo formaliter fit dependens; non enim potest intelligi qualiter ex non dependente, fiat de novo dependens, nisi interveniat aliqua ratio formalis hujus dependentiæ: illud autem non potest esse aliud ab ipsâ unione, quatenùs distincta ab utroque extremo: nam illud per quod de novo humanitas dependet à Verbo, vel est quid distinctum ab ipso Verbo, vel non: si sit, habemus intentum; si non, quomodo fieri potest ut illa duo extrema dicantur invicem uniri, magis quàm erant antea? quippe idem manens idem, semper facit idem, & eandem sortitur appellationem: igitur non potest intelligi quomodo humanitas, quæ priùs non erat unita, fiat unita Verbo, nisi accipiat aliquid in unione, quod antea non habebat.

Deinde, actualis illa unitio humanitatis cum supposito Verbi divini, vel dicit solam indistantiam Verbi ab humanitate, vel dicit aliquid aliud in ea receptum & ipsi superadditum, quô licèt æquè sit indistans ab aliis divinis personis, tamen potiùs censetur unita Verbo, quàm Patri & Spiritui sancto. Primum dici nequit; quia Verbum divinum non magis est indistans à suâ humanitate, quàm à nobis omnibus: Deus enim cœlum & terram implet immensitate suæ divinitatis.

Ipsius enim unio cum Verbo, non est simplex indistantia ab eo.

Adde quòd talis indistantia est communis tribus divinis personis, quippe fundatur in attributo illius divinæ immensitatis: nec tamen omnes divinæ personæ sunt unitæ hypostaticè humanitati: igitur actualis unitio cum Verbo non dicit indistantiam humanitatis ad Verbum divinum: Ergo dicit aliquid aliud in ipsa humanitate receptum, & de novo productum: Ergo, &c. *His adde quòd* si Deus impediret ne propria subsistentia promanaret ab aliqua natura humana singulari, quantumvis Verbum ab ipsâ foret indistans, non propterea diceretur subsistere ejus subsistentiâ: igitur ut talis dicatur, debet habere aliquid de novo receptum quod antea non habebat.

Dices primò: Ex Symbolo sancti Athanasii, *sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus*: atqui corpus & anima rationalis uniuntur seipsis immediatè, & non aliquô mediô quod in eis producatur: Ergo natura humana unitur Verbo seipsâ immediatè.

9. Corpus & anima rationalis non uniuntur seipsis immediatè.

Nego minorem, falsum enim est quòd anima rationalis & corpus invicem immediatè uniantur; nam earum unio se habet quemadmodum reliquæ uniones, quæ fiunt per compositionem physicam, ad quas requiritur aliquod agens extrinsecum quod efficienter conjungat extrema; licèt enim materia & forma, idem dicendum de corpore & anima, ut sunt actus & potentia, seipsis uniantur in genere causæ materialis & formalis, tamen in genere causæ efficientis conjunguntur invicem efficienter per causam productivam, quæ causat ipsam unionem: hinc est, ut probavimus in Physicis, quòd totum realiter distinguatur à partibus simul sumptis & unitis.

Nec etiam humanitas & Verbum.

Idem dicendum de unione Verbi cum natura humana; quia licèt natura humana habeat potentiam obedientialem ad subsistendum subsistentiâ Verbi, & in Verbo sit virtus, ut reddat illam subsistentem; tamen cùm subsistentia Verbi adveniat naturæ humanæ Christi personaliter, & ab extrinseco, requirit actionem agentis supernaturalis, quod utrumque conjungat aliquâ unione, quâ positâ, personalitas Verbi illabitur naturæ humanæ & per modum causæ formalis influit in illam, ut subsistendi ei virtutem conferat.

Dices 2. Si unio esset aliquid medium inter naturam humanam & Verbum, sequeretur quòd esset simul creata & increata, corporea & spiritualis; creata quidem ratione humanitatis, in-

creata verò ratione Verbi; corporea ratione partium corporis quibus Verbum unitur, & incorporea ratione animæ: at hoc repugnat: igitur, &c.

Respondeo, unionem illam non posse dici increatam, utpotè cùm non sit realis ex parte Verbi, ut mox dicemus; sed duntaxat creatam, quæ ut sic potest esse spiritualis & corporea, extensa & inextensa; ratione scilicet partium unitarum: cùm enim illa unio sit relatio, ut statim dicemus, has omnes appellationes potest sortiri, non ratione sui, sed ratione extremorum quæ referuntur, relatio enim ex se neque est materialis, neque spiritualis, extensa aut inextensa, sed duntaxat ratione extremorum quæ refert.

Dices 3. Si necessaria esset unio inter humanitatem & Verbum, maximè quia extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine aliquo medio reali ab utroque extremo realiter distincto: sed hæc ratio nulla est; exinde enim sequeretur dari processum in infinitum in unionibus: nam si extrema realiter distincta nequeunt actu uniri sine medio reali & realiter distincto; modus unionis distinctus realiter ab humanitate & Verbo, non posset etiam illis sine aliquo vinculo realiter distincto copulari; de quo eadem recurreret difficultas; & rursus de alio, & sic procederetur in infinitum.

X.
Quænam unio sit quid medii inter extrema.

Nego minorem: Nec enim nostra assertio, quâ contendimus realiter distincta non posse invicem uniri sine aliquo distincto realiter, intelligenda est universaliter, de quibuscumque realiter distinctis; sed de illis solùm quæ ita sunt realiter distincta, ut unum eorum non habeat pro ratione essentiali esse alteri conjunctum: modus autem unionis cùm habeat pro sua ratione essentiali, quòd sit nexus duorum extremorum, atque ita sit ipsi essentiale alteri connecti ut quô, hinc non exigit copulari extremis per aliud vinculum à se distinctum: sed immediatè per seipsum, quod enim est essentialiter tale, nequit fieri tale per aliquid à se distinctum; sicut enim essentiale est accidenti, subjecto inhærere, non indiget aliquô mediô realiter distinctô, ut inhæreat.

Dices 4. Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini & ultimi complementi: sed illud exercet formaliter per suam personalitatem absque aliquo alio intermedio: ergo per illam formaliter absque aliquo etiam modaliter distincto illi unitur. Major est evidens: cùm enim Verbum uniatur naturæ humanæ per modum termini ultimi & complementi, necesse est ut id per quod illi unitur, sit ipsum actuale exercitium terminandi. Minor verò probatur: Nihil creatum potest esse actuale exercitium, sive actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra: ergo Verbum divinum exercet formaliter rationem termini naturæ humanæ per solam suam personalitatem.

Distinguo majorem: Per illud Verbum divinum unitur actu per quòd exercet rationem termini *quod*, nego: termini *quô*, concedo. Minorem similiter distinguo: per suam personalitatem exercet rationem termini *quod* absque ullo medio, quia scilicet ipsa sit quæ terminat communicationem naturæ humanæ, concedo: termini quô, nego: nam terminat illam communicationem ratione unionis sui-ipsius cum illa; unio autem illa non est terminus formaliter, sed ratio quâ mediante Verbum terminat illam communicationem.

A *Dices denique*: Subsistentia propria unitur seipsâ, & nullô aliô mediô propriæ suæ naturæ: igitur multò magis subsistentia Verbi unitur immediatè humanitati.

Nego consequentiam: Et ratio disparitatis est, quòd subsistentia propria resultat necessariò ab ipsa natura particulari, nisi aliunde præpediatur; subsistentia autem Verbi advenit ab extrinseco, idcircò requirit unionem, ut humanitati conjungatur.

Conclusio Secunda.

B *Unio hypostatica est relatio extrinsecùs adveniens.* Ita Doct. in 3. dist. 1. q. 1. num. 3. ubi ait; *Dico quòd ista unio non dicit per se aliquid absolutum; quia quôcumque absolutô intellectô in altero extremo non intelligitur perfecta ratio unionis, quia unio non intelligitur ad se; sive igitur concomitetur absolutum in uno extremo, sive in duobus, cùm non sit nihil, saltem dicit unio relationem, &c.* Quibus Doctor apertè docet unionem esse relationem, relatio enim est, cujus totum esse est ad aliud se habere: Atqui vnio tota est ad aliud: igitur est relatio. Major constat ex Logicis. Minor probatur: Nam sicut concipi nequit relatio nisi per ordinem ad id cujus est relatio: ita nec potest
C concipi unio, nisi per ordinem ad ea quorum est unio.

XI.
Unio hypostatica est relatio extrinsecùs adveniens.

Deinde, quôcunque absolutô conceptô in extremis; non tamen concipitur extremorum unio: ergo illa non est quid absolutum. Patet antecedens, quia absolutum concipitur per ordinem ad se: unio autem concipi nequit nisi per ordinem ad extrema quæ uniuntur.

Denique, illa entitas dicenda est pura relatio, quæ non potest concipi, nisi per modum determinationis actualis unius ad aliud, & nullum aliud habet munus: sed entitas superaddita extremis unitis, non potest concipi, nisi per modum determinationis actualis unius extremorum ad aliud, neque est aliud munus reperiendum in ista unione: Prorsus igitur est pura relatio. Major con-
D stat: Siquidem similitudo est pura relatio & non involvit formaliter aliquid absolutum, quia non potest aliter intelligi, quàm per modum determinationis unius subjecti v. g. ad aliud. Minor etiam apparet: quia non aliud cogitari potest munus unionis, quàm ut unum extremum determinet ad aliud, ut cum ipso unum efficiat: igitur hâc ratione est pura relatio.

Confirmatur: Si unio non sit relatio, maximè quia vel debet esse qualitas supernaturalis humanitati superaddita, ut vult Gregorius; vel modus aliquis substantialis, ut docet Suares: sed neutrum potest affirmari; non quidem primum; tùm quia, ut docet Doct. mox laudatus num. 12. illa
E qualitas supernaturalis maximè requireretur per modum dispositionis, ut natura humana fieret proximè apta ad unionem cum Verbo: at hoc est frustrancum; quia cùm sit in potentia obedientiali ad illam unionem, seipsâ unibilis est, itaque nullam requiret qualitatem dispositivam; tùm quia unio in suo conceptu formali dicit intrinsecè ordinem ad duo: igitur vel est relatio, vel illam intrinsecè includit; nam totum esse unionis est in ordine ad aliud: sed illa qualitas neque est relatio, neque illam includit intrinsecè: igitur non potest habere rationem unionis.

Secundùm etiam dicit nequit: quia vel talis modus substantilis, admittitur ut Verbum & natu-

ra humana invicem dicantur uniri; vel ut sit fundamentum unionis: sed nullum horum rectè affirmatur. Non primum, tùm quia idem modus substantialis admittendus esset in cæteris unionibus, putà inter materiam & formam, quod falsum est; nam Aristoteles non cognovit talem modum; sed in composito tria tantùm distinxit, scilicet materiam formam & compositum; tùm quia talis modus substantialis esset aliquid præter humanitatem & Verbum, & sic esset assumptus à Verbo, vel non: si sic; ergo est aliquid assumptum à Verbo præter humanitatem: si non; ergo est aliquid in Christo quod non est assumptum; utrumque autem hoc est absurdum. Non etiam secundum, quia natura humana est sufficiens fundamentum illius relationis & unionis sui ipsius cum Verbo: igitur modus ille substantialis videtur inutilis.

Dices 1. Quod spectat ad complementum substantiæ creatæ est ens substantiale & absolutum: atqui unio hypostatica spectat ad complementum substantiale humanitatis à Verbo assumptæ, quippe supplet vim illius personalitatis: igitur, &c.

Respondeo distinguendo majorem: Quod spectat ad complementum substantiale per modū alicujus intrinseci, est ens substantiale & absolutum, concedo: quod spectat ad complementum per modum alicujus extrinseci, est ens absolutum & essentiale, nego: Minorem similiter distinguo: Unio hypostatica spectat ad complementum humanitatis per modum alicujus intrinseci, nego: extrinseci, concedo: itaque hypostatica unio denominari quidem potest substantialis extrinsecè, & per ordinem ad extrema quæ dicuntur uniri, & quorum est vinculum: non autem per respectum ad propriam entitatem, quippe cùm illa sit relatio, est pariter accidens.

Quanquam unio hypostatica spectet ad complementum substantiale humanitatis, non tamen est quid substantiale.

Respondeo 2. negari posse minorem: Siquidem, ut probavimus in Metaphysicis, suppositum non est modus aliquis substantialis & absolutus, sed tantùm negatio duplicis communicabilitatis ut *quo* & ut *quod*: igitur falsum est quòd hac ratione fit de complemento substantiali humanitatis.

Dices 2. Ex Aristotele 5. Physicorum, ad relationem non datur motus: sed unio hypostatica producitur quasi per motum: igitur non potest esse relatio.

Respondet Doctor in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *num.* 15. Philosophum esse intelligendum de relationibus exorientibus ex positione extremorum, ad quas non est necessaria aliqua actio ut resultent: non autem de relationibus extrinsecùs advenientibus. Triplex enim, inquit, relationis genus distingui potest; nam aliæ identificantur fundamento, quales sunt omnes illæ sine quibus fundamentum nequit existere, ut sunt dependentiæ creaturæ ad Creatorem: aliæ non identificantur quidem fundamento, quia hoc sine illis esse potest; sed necessariò resultant, ex posito termino & fundamento ac ratione fundandi, ut sunt similitudines inter duo alba; denique sunt quædam relationes, quæ nec identificantur fundamento, nec ab ipso necessariò sequuntur; sed præter fundamenti & termini existentiam, requirunt adhuc aliquam conditionem extrinsecam: sic requiritur approximatio ignis ad lignum, ut fiat relatio agentis ad passum; Philosophus autem loquitur de relationibus primò & secundò modò sumptis; non autem de extrinsecùs advenientibus; nam, inquit Doctor, *Philosophus ibidem admittit motum ad* Ubi, *& tamen* Ubi *nullam formam absolutam dicit: sed tantùm respectum in corpore circumscripto ad locum cir-cumscribentem.*

Dices 3. Non potest res aliqua aliter se habere in ordine ad aliud, nisi priùs aliter se habeat in ordine ad se: sed natura humana per unionem hypostaticam aliter se habet in ordine ad Verbum ratione unionis quâ ad ipsum refertur: igitur debet etiam aliter se habere in ordine ad se: At non potest aliter se habere in ordine ad se, nisi aliquod absolutum recipiat quod antea non habebat: ergo non potest habere unionem quâ mediante aliter se habet ad Verbum, quàm ante, nisi habeat in se aliquod absolutum quod antea non habebat.

XI. Quomodo per relationem aliquid priùs aliter se habeat in ordine ad aliud quàm ad se

Distinguo majorem: Nisi priùs aliter se habebat in ordine ad se, quando se habet ad aliud per relatione primi aut secundi generis, concedo: per relationem tertii generis, seu extrinsecùs advenientem, nego. Per hanc enim potest aliquis optimè se aliter habere ad aliud de novo, quin aliter se habeat in ordine ad se, per aliquam formam distinctam ab ipsa relatione, quia ipsa relatio ipsi advenit ab extrinseco, & per causam efficientem.

Dices 4. Unio hypostatica non est accidentalis, sed substantialis, ut determinatum est in Concilio Ephesino Canone 2. igitur unio illa debet esse quid substantiale, non verò accidens: at omnis relatio est accidens: ergo unio hypostatica non est relatio.

XII. Quâ ratione unio hypost. dicatur *substantialis* quamvis sit accidens.

Respondeo unionem hypostaticam appellari *substantialem*, non quòd ipsa unio non sit accidens, sed quòd sit substantialis & intrinseca conjunctio personæ Verbi cum natura humana, itaut illa unio non fiat duntaxat per affectum, & gratiam sanctificantem, ut volebat Nestorius; sed fiat substantialiter ex eo quòd personalitas Verbi seipsâ substantialiter reddat humanam naturam Christi subsistentem; vel in quantùm in personalitate Verbi, quæ est substantia, unitur natura humana cum divina; quod utique sufficit ad solvenda Conciliorum oracula; non enim aliud intendunt quàm quòd Verbum substantialiter unitur humanitati, & quod ipsa substantia naturæ humanæ subsistit per istam substantialem Verbi subsistentiam; sicut natura divina eâdem subsistentiâ Verbi subsistit, & ipsâ mediâ utraque natura divina & humana invicem substantialiter sociantur.

Petes ad quodnam è sex ultimis prædicamentis hæc relatio unionis hypostaticæ revocanda sit?

XIII. Unio hypost. reduci potest ad prædicam. *Passionis.*

Respondeo verisimilius esse ipsam esse revocandam ad prædicamentum *Passionis*; nam per actionem unitivam natura humana veluti transmutatur, dum recipit illam unionem sui cum Verbo; ergo unio est in humanitate per modum termini relationis transmutati ad transmutans; in quâ relatione consistit ratio prædicamenti passionis.

Dices: Unio est terminus Incarnationis effectivè, seu quatenus est actio: sed passio non est terminus actionis, sed transmutationis: igitur unio non est passio.

Duplex in Christo est relatio ad S. Trinitatem.

Respondeo quòd quemadmodum in calido producto ab igne est duplex relatio, una quidem producentis ad calidum productum, quæ est intrinsecùs adveniens, quia resultat ex posito fundamento & terminu; altera subjecti transmutati, v. g. ligni ad ignem transmutantem, quæ est relatio extrinsecùs adveniens, quâ formaliter subjectum dicitur uniri calori: ita in persona Christi constante duabus naturis est duplex relatio: una producti ad producens, quam dicit Christus; vel unio ipsa per ordinem ad totam Trinitatem; & hæc relatio est intrinsecùs adveniens, quæ est posterior

unione & Christo, posterioritate videlicet naturæ: alia est transmutati ad transmutantem, per quam humanitas quæ est veluti subjectum, refertur ad Trinitatem unientem, & ad Verbum, ut ad terminum & extremum unionis, quæ relatio est extrinsecùs adveniens, & est vinculum quô humanitas denominatur unita Verbo.

Conclusio IV.

Unio hypostatica formaliter & propriè sumpta, est relatio non mutua, & disquiparentiæ. Ita Doctor locô suprà laudatô, ubi ait: Saltem dicit unio relationem, non autem communem quæ sit ejusdem rationis in utroque extremo, qualis est similitudo, quia non est habitudo ejusdem rationis in natura assumpta, & persona assumente; persona autem assumens nullam habet relationem realem ad naturam creatam, ex *dist.* 30. *l.* 1. è converso autem nisi natura ita assumpta haberet relationem ad assumentem, nihil intelligeretur per se per istam unionem: nec illa relatio in natura assumpta est tantùm res rationis, quia tunc ipsa unio non esset realis. Est igitur ista unio relatio disquiparentiæ realis in uno extremo: cui in altero nulla relatio correspondet, vel saltem nulla realis. Ita doctor. Quibus apertè docet: *Primò* quidem relationem illam non esse mutuam, quia non habet correlationem realem ex parte Verbi: *Secundò*, esse relationem disquiparentiæ, quia si aliqua sit correlatio ex parte Verbi, illa nec est realis, nec ejusdem rationis cum relatione quâ humana natura refertur ad Verbum.

XIV. Unio hypostatica est relatio non mutua.

Probatur autem prima pars, nempè quod relatio sit realis ex parte naturæ humanæ, non autem ex parte Verbi. Est, inquam, realis ex parte naturæ humanæ, quia Verbum & humanitas sunt realiter unita: ergo per unionem & relationem realem: sed relatio non potest esse realis ex parte Verbi, ut mox dicemus; ergo saltem realis censeri debet ex parte naturæ humanæ cui unitur. *Adde quòd* natura humana in Incarnatione fuit capax recipiendæ novæ entitatis, per quam realiter se haberet aliter quàm antea & præexistebat priùs naturâ ad ipsam unionem: sed per nullam entitatem absolutam potuit sic realiter mutari; quippe nulla potest excogitari talis entitas, quæ esset mutationis principium: igitur talis mutatio vel affectio, refundenda est in ipsam relationem realem unionis.

Quia est tantùm realis ex parte humanitatis.

Quòd autem similis relatio realis non sit petenda ex parte Verbi, constat: *tum* ex eo quòd Verbum est Deus, subindeque ob suam immutabilitatem est incapax omnis omnino novæ entitatis; reciperet autem novam entitatem si unio illa realis esset ex ipsius parte: ergo, &c. *tum quia* omne relativum reale in relationibus mutuis dependet à suo correlativo; quippe correlativa simul sunt natura & cognitione: Verbum autem cùm sit Deus, est etiam summè independens: igitur nullam potest habere rationem relationis dependentis, nec subinde aliquam correlationem realem. *Tum denique* quia Deus est ens summè necesse esse: ens autem summè necesse esse non exigit aliud à se, sed sibi sufficientissimum est: hoc autem relationi reali competere nequit; quippe fundamentum & terminum necessariò exigit, tum ut sit, tum ut conservetur.

Probatur secunda pars; nempe quod illa relatio sit *disquiparentia*: etenim illa relatio est disquiparentiæ, quæ non est ejusdem rationis & de-

Unde est etiam relatio *disquiparentia*.

A nominationis in extremis: Sed ita est de relatione unionis hypostaticæ, nam in natura humana vocatur relatio dependentis & personati; in Verbo autem relatio independentis & personantis: hæ autem denominationes & relationes diversæ sunt: igitur relatio unionis hypostaticæ est relatio disquiparentiæ. Minor patet; nam natura humana dependet à Verbo tanquam à proprio sustentante: cùm enim ipsa careat propriâ subsistentiâ, omnem vim suam subsistendi mutuatur à Verbo.

Dices contra primam partem: Tam realiter Verbum dicitur unitum humanitati, quàm humanitas Verbo: igitur si relatio unionis sit realis ex
B parte relationis humanæ, talis pariter erit ex parte Verbi.

Respondent aliqui, equidem unionem esse realem ex parte Verbi, nec propterea illud mutari per Incarnationem, quoniam ab æterno præhabuit illam unionem propter continentiam eminentialem quâ Deus cuncta continet. *Verùm* hæc responsio difficultatem majorem ingerit: sequeretur enim, quòd si per illam continentiam eminentialem Verbum dici posset unitum realiter, quòd esset incarnatum ab æterno; quippe habuit ab æterno continentiam eminentialem illius realis unionis; quod cùm falsum sit, quia necessum fuisset ut fieret transitus à continentia eminentiali ad
C formalem, ut formaliter diceretur unitum, sicque hâc ratione fieri mutationi obnoxium. Idcirco

Respondeo distinguendo Majorem. Tam Verbum dicitur realiter unitum humanitati quàm humanitas Verbo, in ratione terminantis concedo: in ratione subjecti, nego; realiter enim Verbum terminat per suam subsistentiam communicabilitatem naturæ humanæ, eamque reddit incommunicabilem personaliter; & ratione illius terminationis dicitur personaliter unitum humanitati, quia easdem vices gerit ac gereret hypostasis propria: non autem dicitur realiter unitum subjectivè, quia illa relatio realis unionis non subjectatur in ipso, sicut in natura humana.

XV. Qualiter Verbum uniatur intrinsecè humanitati cùm nihil intrinseci recipiat.

D *Instabis*. Non solùm terminativè, sed etiam formaliter Verbum est unitum humanitati; igitur necessariò debet habere in se formalem unionem; nihil enim denominatur formaliter, nisi à forma inexistente; ergo, si Verbum sit formaliter unitum, necessum est quòd habeat in se formalem unionem, hoc est relationem unionis.

Distinguo antecedens, Illud dicitur formaliter unitum, quatenus *formaliter* significat substantialem & personalem unionem naturæ humanæ cum divina, mediante personâ Verbi; sive interim illa unio resideat subjectivè in Verbo sive tantum terminativè, concedo: dicitur formaliter unitum, quatenus *formaliter* petitur à forma
E inexistente subjectivè in ipso Verbo; nego. Nec mirum videri debet, quòd interdùm aliquid denominetur formaliter tale à forma in alio existente & duntaxat ad se terminatâ; quippe id commune est relationibus tertii generis; sic enim Deus dicitur formaliter creator ratione relationis creaturæ ad ipsum terminatæ. *Addo quòd*, unio hæc sit singularis & prorsus ineffabilis; nec illius clarissimum exemplum natura referat.

XVI. Relatio dependentiæ humanitatis à Verbo reduci non potest ad causam efficientem.

Petes ad quod genus causæ, vel efficientis, formalis, aut materialis, reducenda sit relatio dependentiæ & unionis naturæ humanæ ad Verbum.

Respondet Doctor *locô laudatô*, solutionem hujus quæsiti esse difficilem, quia assignari non potest aliqua similis dependentia in rerum natu-

ra; attamen dicit illam posse congruè revocari ad *causam efficientem*, quia dependentia particularis naturæ humanæ assumptæ à Verbo, est distinctæ rationis ab omni dependentia effectûs ad causam; quippe omnis dependentia effectûs ad causam fundatur in entitate accepta à causa; at humanitas non solùm à Verbo, sed à Patre & Spiritu sancto dependet secundùm suam entitatem & etiam secundùm unionem suam effectivam; quia opera Trinitatis ad extrà sunt indivisa. *Adde quod* Verbum divinum gerit vices proprii suppositi ipsius naturæ humanæ; suppositum autem non terminat naturam cujus est suppositum, in genere causæ efficientis: ergo nec suppositum Verbi terminabit dependentiam naturæ humanæ in genere causæ efficientis. Non etiam revocari potest ad genus causæ formalis, quia Verbum non potest habere rationem formæ respectu humanitatis; siquidem forma est pars compositi; Verbum autem non potest habere rationem partis, quippe pars est ens incompletum dicens ordinem ad aliam partem per cujus unionem compleatur & perficiatur.

XVII. *Dependentia humanitatis à Verbo, est in genere causæ materialis.*

Igitur restat ut dependentia naturæ humanæ à Verbo assimiletur dependentiæ accidentis a causa materiali, non quatenùs illa est receptiva accidentis, sed quatenus est illius sustentativa in ratione subjecti. Nam, inquit Doctor, accidens ad substantiam sive ad subjectum suum duplicem habet habitudinem: unam tanquam ad subjectum quod informat & perficit, & sine quo non haberet completam rationem formæ: aliam verò tanquam ad subjectum à quo sustentatur, & sine quo non existeret. Prima ex his duabus dependentiis arguit imperfectionem, non solùm in accidente, sed etiam in subjecto; quia arguit potentialitatem in subjecto ad accipiendum accidens, à quo informetur & perficiatur; altera verò dependentia non arguit imperfectionem in subjecto; quia sustentare aliud, aut terminare ejus dependentiam, præcisè non dicit imperfectionem. Possumus igitur asserere dependentiam naturæ ad Verbum, assimilari huic secundæ dependentiæ accidentis ad subjectum, non verò primæ: quia hæc imperfectionem sonat, quippe connotat necessitatem quam subjectum habet ut perficiatur ab accidente; illa verò non ita: imò significat virtutem inesse subjecto quâ terminare possit & sustentare accidens.

QUÆRES *an* CREATIO *animæ Christi*, GENERATIO *illius humanitatis & ejusdem* unio *cum Verbo, sint tres actiones distinctæ realiter?*

XVIII. *Tres distinctæ actiones reperiuntur in unione hypostatica.*

AFfirmo contra quosdam Thomistas, contendentes actionem productivam, & unitivam humanitatis esse eandem; ita quòd unio illa sit productiva humanitatis non in se, sed in Verbo; quod idcirco asserunt, ut excludant existentiam creatam ab humanitate Christi, astruantque illam existere existentiâ Verbi. Ita præ cæteris Cabrera in 3. *part. art.* 11. *disp.* 2.

Probatur nostra assertio. Distinctio realis & specifica actionum petitur ex reali & specifica distinctione terminorum: sed creatio animæ Christi, humanitatis generatio, & ejusdem unio cum Verbo, habent distinctos terminos: Ergo sunt actiones realiter diversæ. Majorem admittunt Thomistæ: Minor probatur. Terminus creationis est ipsa anima Christi producta è nihilo: terminus formalis generationis est humanitas secundùm se spectata: terminus autem unionis seu actionis unitivæ, est ipsa unio quâ duæ illæ naturæ dicuntur formaliter unitæ: sed illi termini sunt distincti; nam humanitas plus dicit quàm sola anima: & similiter Christus quatenus constans duabus naturis invicem unitis, plus dicit quàm dicant illæ duæ naturæ seorsim spectatæ: igitur actiones illæ sunt realiter diversæ.

Deinde: Actiones illæ sunt diversæ, quæ sunt diversi ordinis: at tales sunt præfatæ: nam creatio animæ Christi & generatio illius humanitatis, sunt ordinis naturalis, unio verò ejusdem humanitatis cum anima, est ordinis supernaturalis; unde creatio animæ solum Deum habet principium ut authorem naturæ, generatio verò habet etiam beatam Virginem ut causam saltem minus principalem: unio verò hypostatica solum Deum agnoscit principium ut authorem gratiæ & ordinis supernaturalis: igitur actiones illæ sunt diversæ.

Denique: Actio creativa distinguitur realiter ab ea quæ non est creatio: sed productio animæ Christi est actio creativa; generatio verò humanitatis, non est creatio sed generatio: similiter unio hypostatica non est etiam creatio, nec generatio, sed extremorum jam existentium unio: Igitur sunt actiones diversæ.

Objicies primò SS. Patres docentes humanitatem Christi simul fuisse productam & unitam Verbo. Sic S. Leo epist. 11. quæ est ad Julianum Episcopum Coensem. *Natura nostra*, inquit, *non sic assumpta est, ut priùs creata postea assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur.* Similiter S. Fulgentius libro de Incarn. & gratia cap. 3. *Ipsa acceptio carnis fuit Conceptio Virginalis.*

Nec SS. Patres contrarium docent, cùm dicunt naturâ creando assumi & assumendo creari.

Respondeo, SS. Patres non agere de unitate aut distinctione, sed tantùm de coexistentia aut concomitantia illarum actionum: docent quippe contra hæreticos non priùs animam fuisse creatam, nec humanitatem priùs tempore genitam quàm fuerit unita Verbo: sed eodem instanti temporis formatam & unitam fuisse; ut ipsimet apertè tradunt: nam S. Leo agit contra Eutichem quem arbitratur renovare Origenis dogma, quòd anima Christi priùs fuerit in cœlo collocata, quàm de Virgine nasceretur. Hinc post præfata Verba subdit, *Vnde quod in Origene meritò damnatum est, qui animarum, antequàm corporibus insererentur, non solùm vitas sed & diversas fuisse asseruit, actiones necesse est ut etiam in isto* (Eutiche) *nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur.* Igitur sententiam nostram non impugnat; imò propugnat: nam subdit. *Nativitas enim Domini secundùm se, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat; sive quod solus ex sancto Spiritu ab inviolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus & natus: sive quod ita è visceribus matris est editus, ut & fœcunditas pareret & Virginitas permaneret; non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quàm nostra, nec alio illi quàm cæteris hominibus anima est inspirata principio.* Igitur animæ & humanitatis Christi formatio idem fuit principium, & consequenter eadem actio productiva, quâ & nos producimur, nempe vera creatio & generatio. Et subinde SS. Patres duntaxat excludunt præexistentiam temporis non verò naturæ; ut evidenter significat S. Fulgentius ibidem his verbis: *Hanc ergo carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cùm in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum*

temporis æstimandum inter concepta carnis initium & concipiendæ majestatis adventum.

Instabis : Si humanitas non fuit priùs naturâ producta quàm unita Verbo : igitur per eandem actionem fuit unita & producta. Probatur antecedens : Si Christi humanitas priùs esset producta quàm unita Verbo, beata Virgo non esset verè nominanda Mater Dei: quia illius generatio priùs terminaretur ad humanitatem quam assumeretur à Verbo; & sic nullatenus concurreret ad illam unionem : si enim aliquod agens produceret calorem v. g. & aliud calorem subjecto uniret, prius agens produceret quidem calorem, non verò calidum efficeret : ergo si actio generativa & unitiva humanitatis Christi sint diversæ, B. Virgo dicenda erit quidem mater hominis quem generavit; non verò Mater Christi seu hominis-Dei, quippe ad illud compositum resultans ex unione naturæ divinæ cum humana nullô modô concurrit.

Nec etiam idcò officit Maternitati Deiparæ Virginis.

Nego antecedens, & Majorem probationis illius; Nam ut B. Virgo dicatur genuisse Deum, sufficit quòd ejus conceptio activa terminata sit eodem instanti temporis ad personam Verbi, quod ipsius humanitatis communicationẽ terminavit : tunc enim suppositum Verbi censetur ultimatè complere & terminare actionem generativam B. Virginis; maximè cùm illud præster personalitas Verbi quòd præstitisset propria personalitas si resultasset. Ad exemplum agentis producentis calorem, dico quòd esset păritas, si agens illud ex se esset unitivum caloris cum subjecto; licèt enim divinâ virtute substitueretur aliud agens quod talem calorem uniret; tamen prius agens non minùs diceretur efficere calidum; secùs verò si non haberet vim unitivam caloris quem produceret. At B. Virgo quæ habet vim productivam humanitatis, habet etiam vim unitivam talis humanitatis cum subsistentia quæ ex humanitate genita resultaret, nisi præpediretur virtute divinâ per substitutionem alterius subsistentiæ.

Dices 3. Cùm educitur forma corporea de potentia materiæ, & accidentalis de potentia subjecti, eadem est actio quâ educitur & unitur: ergo à simili, etiamsi substantia humanitatis, vel animæ sit distincta ab unione earum cum Verbo, nihilominùs poterunt fieri per eandem actionem. Probatur antecedens. Quando forma educitur de potentia subjecti, illa actio eductiva vel fit cum concursu subjecti, vel non : si non, ergo fit independenter à subjecto, & sic ex nihilo, ac proinde est creatio, quod nullus dixerit : si sic, ergo illa actio pendet à subjecto & productio formæ fit in eo, ac proinde ipsi unitur : non enim forma potest esse naturaliter in subjecto & non uniri subjecto : igitur eadem actione quâ forma producitur, etiam unitur.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quòd non solùm entitas animæ, humanitatis & unionis hypostaticæ, sunt ex natura rei distinctæ, sed etiam sunt diversi ordinis : unde inter humanitatem & Verbum non est naturalis conjunctio, sicut est inter formam & subjectum à quo educitur; unde non potest esse eadem actio productiva & unitiva utriusque.

QUÆSTIO II.

An Unio hypostatica facta fuerit in unitate naturæ aut personæ; idque per veram & propriè dictam compositionem, an per utriusque commixtionem?

I. Quinam præcipui fuerint *Nestorii* & *Eutychis* errores.

REVOCANDA sunt ea quæ diximus in præludio hujusce Tractatûs, duos olim fuisse circa hypostaticam unionem errores extremè oppositos : quorum primus fuit *Nestorii* Patriarchæ Constantinopolitani, contendentis in Christo duas fuisse personas, sicut & naturas, creatam videlicet seu humanam, & increatam seu divinam; ac proinde Christum esse personam creatam atque purum hominem, cui Verbum divinum unitum erat unione duntaxat accidentali : *Primò* quidem secundùm inhabitationem & præsentiam; in quantùm scilicet in ipso habitabat plenitudo Divinitatis corporaliter, tanquam in sacrario & templo; idque modô specialiori, quàm in aliis justis : *Secundò*, secundùm conformitatem voluntatum & affectuum, quatenùs videlicet voluntas illius hominis erat semper conformis voluntati Verbi divini : *Tertiò*, secundùm operationem; quia, inquiebat, humanitas Christi erat velut instrumentum, quô Verbum divinum utebatur in mirandis suis operationibus eliciendis : *Quartò*, secundùm participationem quandam honorificæ dignitatis, quatenùs videlicet honor exhibitus Verbo redundabat in ipsum hominem sibi unitum, propter ipsius intimam unionem cum Filio Dei.

Secundus error capitalis fuit *Eutychis* Monachi Constantinopolitani, qui asserebat unionem hypostaticam factam fuisse in unitate naturæ; ita quòd quamvis ante unionem duæ distinctæ omninò fuissent naturæ, nimirùm divina & humana; in unione tamen coierunt in unam naturam, idque *vel* per conversionem humanitatis in Divinitatem, ut de Eutyche referunt S. Leo Papa Epistola 10. ad Flavianum, & Flavianus ad ipsum : Vigilius lib. 1. & 2. contra Eutychem, & Augustinus Hær. 90. *vel* per conversionem Divinitatis in humanitatem, ut ante ipsum Eutychem docuerat Apollinaris; imò etiam ante Apollinarem nonnulli hæretici, ut constat ex sancto Irenæo, qui in expositione fidei sic illos errores carpit his verbis : *Vos qui ad Baptismum aspirare fingitis, qui ut tollatis duas naturas, quæstiones tales proponitis: qui mixturam, confusionem, & mutationem in Deitatem ex corpore, ut hæc confundatis, comminiscimini : qui nunc in carnem Verbum versum asseritis, nunc carnem in Verbi essentiam, & hac mentis depravatione nihil vos sapere ostenditis, &c.* Vel denique contendebat illam unionem fieri, non per transmutationem alicujus naturæ in aliam; sed per compositionem ex duabus naturis unam resultasse, utrâque naturâ in suo esse integrâ manente, solùmque in unione mutatione factâ, eô scilicet modô, quô ex anima & corpore una natura consurgit; cujus asserti erroris meminit Justinus Imperator in Edicto fidei ad Joannem 2. & noster Castro Verbo *Christus* : Hær. 4. Igitur ut capitales illos Errores præcludamus, tria veniunt hac in quæstione resolvenda : *Primum*, utrùm unio hypostatica facta fuerit in unitate naturæ : *Secundum* an facta fuerit in unitate personæ : *Tertium*, an illa unio dicenda sit propriè compositio vel commixtio, quæ ut evidentiùs appareant ;

II. Quid propriè significet Naturæ nomen.

Notandum 1. Quòd etsi *natura* nomen primitùs A dictum fuerit à *nascendo* & impositum ad significandam ipsam generationem nascentium, & inde translatum ad designandum principium generationis; inde tamen derivatum est nomen naturæ ad significandum quodlibet principium intrinsecum motûs, quocirca à Physicis post Aristotelem: *Natura* dicitur *principium motûs, & quietis ejus in quo est, primò, & per se, & non per accidens*. Hoc autem principium est materia, vel forma: unde aliquando forma, dicitur natura & aliquando materia; quoniam autem forma & materia constituunt essentiam rei naturalis, translatum est nomen *Natura* ad significandam essentiam cujuscumque rei existentis, suis adæquatis principiis intrinsecis complétæ ac constitutæ: B & de natura sic usurpata, quatenùs videlicet significat essentiam undequaque completam, quærimus an in Mysterio Incarnationis per unionem duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ, facta fuerit unica natura.

III. Quid sit suppositum & qualiter à natura distinguatur.

Notandum 2. Suppositum seu personam esse ultimum complementum naturæ substantialis, quâ fit incommunicabilis alteri, definiturque, *Substantiæ individualis incommunicabilis existentia, ut quod & ut quo*; id est, tanquam superius inferiori, quemadmodum communicantur naturæ universales; & ut forma subjecto, quemadmodum formæ substantiales & accidentales suis subjectis communicantur, ita quòd natura personata non C possit alteri naturæ cõmunicari, ut superius inferiori, nec ut pars alteri parti, ut cum illa faciat unum per se. Conveniunt autem Philosophi Christiani, naturam & suppositum in creatis invicem distingui realiter, sive distinctione majori & actuali, ut volunt subtilis Doctoris discipuli; sive distinctione reali minori, & duntaxat virtuali, ut cæteri contendunt, de qua controversia actum est in Metaphysicis, nec præsentis est loci de ea disputare; sed solùm resolvere an unio hypostatica facta fuerit in unitate personæ, hoc est, an per illam unionem natura divina & humana sic fuerint invicem unitæ, ut in unica duntaxat persona fuerint subsistentes, an verò qualibet natura D suam subsistentiam propriam & nativam habuerit?

IV. Triplex est præcipua rerum distinc. adunatio.

Notandum 3. Præter varios modos assignatos in primo Notabili præcedentis quæstionis, quibus contingit plura invicem adunari; tres quantùm ad præsens institutum spectat, præcipuos assignari, videlicet *per compositionem* vel *per commixtionem*, vel per *transsubstantiationem*: per compositionem inquam, quando scilicet partes vnitæ invicem coeunt naturali ordine, & habent quatuor sequentes conditiones: *Primò*, quòd se habent tanquam actus & potentia: *Secundò*, ut perfectibile & perfectivum: *Tertiò* quòd habent naturalem inclinationem adinvicem, ita quòd unum naturaliter E postulet informare & aliud informari, ut eorum naturalis appetitus plenè satietur, & sint in esse quieto. *Denique*, ut id quod ex duobus extremis unitis resultat, sit quid nobilius utrôque extremô seorsim sumptô. Unio per *mixtionem* fit quando fit aliquod tertium ex partibus deficientibus secundùm substantiam & naturam, remanentibus tamen secundùm suam virtutem, sicut mixtum fit ex elementis quæ virtualiter in eo perseverant. *Denique* per *Transsubstantiationẽ*, dum tota substantia desinit & in aliam transit. His ita præmissis determinandum est qualis fuerit unio humanitatis cum Verbo.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Duæ naturæ divina & humana distinctæ in Christo perseverant.

UNio hypostatica non est facta in unitate naturæ, ac proinde Christus Dominus duabus naturis constat, divinâ scilicet & humanâ. Hæc est de fide definita in Concilio Ephesino primo & præsertim Chalcedonensi Actione 5. & in V. Synodo Actione 1. Collatione 8. & in VI. Synodo Actione 11. nec-non & in aliis sequentibus generalibus Conciliis. Constat etiam hæc veritas ex Symbolis quibus Christus verus Deus, ac verus homo affirmatur: perspicuè verò ex Symbolo Athanasii his verbis, *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens: qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Eandem veritatem docuerunt sancti Patres quotquot in Euthychianum Dogma pugnaverunt; præsertim sanctus Leo Epist. 12. ad Flavianum; Vigilius summus Pontifex, Damascenus lib. 3. de Fide capite tertio; Boëtius libro de duabus naturis, &c.

Probatur 1. Ex S. Scriptura.

Probatur primò ex Scripturis affirmantibus Christum Dominum verum esse Deum, verumque hominem: illius enim Divinitas apertè traditur. Matth. 3. ubi Pater æternus ait: *Hic est Filius meus dilectus*: Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*: Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Illius pariter humanitas asseritur Joan. 8. *Quæritis me interficere hominem, qui vera loquutus sum vobis.* Joan. 9. *Ille homo qui dicitur Christus.* Psal. 44. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Ex quo sanctus Damascenus mox laudatus cap. 17. infert in Christo duas naturas, alteram unctam quæ est humana, alteram ungentem scilicet divinam. Constat etiam ex Deuteron. 18. ubi Moyses Christum venturum promittit Israëlico populo dicitque: *Dabit tibi Dominus Prophetam de gente tua & de fratribus tuis.*

Confirmatur ex Scripturis quæ docent Christum esse æqualem Patri & minorem Patre, propter formam Dei & formam servi. Sic sanctus Paulus ad Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset*; id est, cùm in divina natura subsisteret, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit*: non quidem amittens naturam Dei; sed, *Formam servi accipiens*, id est, naturam humanam, per quam est *in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Constat similiter ex illis testimoniis in quibus Christus nunc dicitur æqualis Patri, nunc minor Patre: hæc enim propter diversas naturas dici necesse est, non enim secundùm naturam humanam potest esse æqualis Patri, nec secundùm divinam minor Patre: oportet ergo duas complectatur naturas.

Probatur etiam illis textibus quibus affirmatur, Christum esse Mediatorem Dei & hominum, primæ ad Timoth. 2. nam, inquit sanctus Leo Epist. 11. *non esset Dei hominumque Mediator, nisi idem Deus, idemque homo in utroque & unus esset & verus.* Constat similiter illis omnibus oraculis, quibus divina & humana attributa de Christo asseruntur, nempe virtus & infirmitas, immortalitas & morti deditio; unde concludendum est cum sancto Leone cap. 3. Epistolæ ad Flavianum, *Salvâ proprietate utriusque naturæ, & in unam coëunte personam, suscepta est à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas:*

& ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero.

VI. 1. Ratione Theologica.

Suffragatur etiam ratio; si enim unio per Incarnationis mysterium facta fuisset in unitate naturæ, opporteret vel unam naturam conversam fuisse in aliam, vel ambas simul desiisse & interiisse, ut ex iis tertia altera consurgeret, sicut fieri solet in mixtione; vel denique ambas simul remansisse quæ tamen concurrerent ad aliquod tertium componendum, quemadmodum ex anima & corpore simul actu existentibus resultat unus homo; sed nullum istorum rectè potest affirmari. *Non quidem primum*, si enim illa unio facta fuisset per conversionem, maximè vel naturæ Divinæ in humanam, vel humanæ in Divinam: *Primum* dici nequit, tùm quia natura Divina transmutari non potest aut corrumpi cùm sit omninò immutabilis & incorruptibilis; nec enim inquit, sanctus Leo Epist. 11. *Verbum aut in carnem, aut in animam aliquâ sui parte conversum est, cùm simplex & incommutabilis natura Deitatis, tota sit semper in sua Essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum.* Tùm quia quando aliqua plurimum distant, ita ut unum in virtute potentius sit alterò, non potest illud in inferius commutari; constat enim quòd parum aquæ dolio vini superinfusæ non vinum in aquam convertit, sed ipsa in vinum transmutatur. Tùm denique quia quod æternum est temporaneæ mutationi non potest esse obnoxium.

Quia una natura non est mutata in aliam per conversionem.

Non potuit etiam fieri illa mutatio *per conversionem humanæ naturæ in divinam*, tùm quia inde sequeretur Christum non fuisse verum hominem, sed solummodò Deum, si natura humana in illo esse desiisset, impossibile enim est rem existere, aut manere actu absque sua Essentia & natura: Scripturæ autem apertè testantur Christum fuisse verum hominem, ut mox dictum est, & verè illi humanas attribuunt operationes & passiones: dicitur enim ipsum esse natum, jejunasse, manducasse, laborasse, passum, mortuum, sepultum & palpandum ante & post resurrectionem se præbuisse: quæ omnia verum in ipso corpus veramque humanitatem probant. Tùm denique quia contradictionem implicat, aliquid mutari & converti in Deum, quia illa conversio aut esset solùm partialis, & quoad formam remanente materiâ & communi subjectô, sicut fieri assolet in mutationibus physicis, cùm ex semine fit arbor, ex ligno ignis; vel esset conversio totius in totum, quoad materiam & formam simul, quæ dicitur transsubstantiatio: at uterque ille modus conversionis in Deum simpliciter repugnat; primus quidem, alioqui oporteret Deum constare materiâ & formâ, actu & potentiâ; ac proinde jam non esset ens simplicissimum nec incorporeum: oporteret etiam Deum mutari reipsâ, & incipere substantialiter esse aliquid, quod anteà non erat; quia nempe dum aliquid in aliud convertitur debet fieri mutatio, non solùm in termino à quo, sed etiam in termino ad quem; & sicut terminus à quo per illam mutationem verè desinit: ita terminus ad quem è contrario verè incipit: at impossibile est Deum verè incipere esse absolutè, vel aliter se habere quàm antea, quia æternus est & incommutabilis.

Nec per transsubstantiationem.

Posterior etiam mutatio, nempe *per transsubstantiationem* in Deum fieri nequit, quia transsubstantiatio fieri non potest, nisi inter ea quæ subjiciuntur virtuti agentis transmutantis; quia quod habet esse utriusque plenè sibi subjectum, potest unum in aliud convertere: divina autem natura virtuti nullius agentis subjecta est, & ideò neque ipsa in aliud, neque aliud in ipsam transmutari potest. *Deinde*, sequeretur etiam exinde, quòd Deus substantialiter inciperet existere aliter quàm erat; enimverò transsubstantiatio est positiva actio & realis: ergo debet habere terminum realem ac positivum; implicat enim dari aliquam actionem absque termino, vel actionem quâ nihil fiat & productionem quâ nihil producatur: atqui in tali conversione substantiali non produceretur humanitas, ut constat; quia per transsubstantiationem illa desineret esse: ergo superest ut produceretur, vel tota Divinitas, vel aliquid Divinitatis, aut saltem quòd Deus aliter se haberet quàm habebat anteà, quemadmodum per transsubstantiationem Eucharisticam, vel reproducitur corpus Christi, ut volunt aliqui Theologi, vel saltem adducitur & constituitur sub speciebus Eucharisticis modô Sacramentali & præsentia diversâ ab ea, quam habet in cœlo: hæc autem omnia Deum omninò incommutabilem dedecent: igitur unio humanitatis cum Divinitate fieri non potuit per conversionem unius naturæ in aliam.

Neque per desitionem.

Neque etiam fieri potuit per *desitionem utriusque naturæ*: nam si humana natura in Christo non desierit, nec fuit omninò consumpta, multò minùs ambæ destructæ fuerunt. *Adde quod* si vel utraque, vel aliqua earum naturarum in Christo desiisset, non fuisset verus Deus, nec verus homo, nec esset æqualis Patri secundùm Divinitatem; nec minor Patre secundùm humanitatem.

Neque per commixtionem.

Denique illa unio non potuit fieri *per commixtionem*, nec per *compositionem* illam, quâ ex duabus partibus manentibus integris fit aliquod tertium, à partibus componentibus distinctum. Non quidem *per commixtionem*, quia necesse est in commixtione aliquam naturam desinere substantialiter; elementa namque non remanent in mixto secundùm propriam substantiam; hinc formaliter mixtum non potest dici aqua vel ignis: humana autem & Divina natura perseveraverunt substantialiter in Christo, quia fuit verus Deus & verus homo.

Neque per propriè dictam compositionem.

Non etiam *per compositionem* propriè dictam; quia quando totum tertium fit per compositionem, necessariò debet fieri ex partibus incompletis & dicentibus ordinem ad invicem ut uniantur: at natura Divina & humana non possunt habere talem rationem partis per respectum ad se invicem: omnis enim pars necessariò est imperfecta, eò quòd sit propter totum, & minor ac ignobilior totô; natura autem Divina cùm sit simplicissima & actus purus, & in se omnes perfectiones contineat, nullatenùs potest habere rationem partis componibilis cum altera: igitur unio hypostatica non potuit fieri per compositionem: *Nec Verbum igitur in carnem*, inquit, sanctus Leo Epist. 11. *nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque in uno manet, & unus in utroque: non diversitate divisus, non permixtione confusus*; vel, ut loquitur sanctus Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Jesu Christi, cap. 3. *Verbum cùm caro fieret unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit: in qua tamen unitione*

unitione Deifica & omninò mirabili Verbi Divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem.

Objiciebant primò Eutichiani. Unum fieri aliud, est unum converti in aliud ex modo loquendi Scripturæ, ut constat ex illo Joan. 2. *Vt autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, id est in vinum conversam: sed ex Joannis 1. *Verbum caro factum est*: ergo reali mutatione ac conversione sui ipsius in carnem.

Distinguo majorem. Significat unum converti in aliud, semper, nego: aliquando, concedo; etenim quamvis particula illa *factum*, aliquando significet mutationem substantialem unius rei in aliam: non tamen semper illam conversionem substantialem designat; sed interdum significat acquisitionem, vel assumptionem alicujus de novo, ut cùm dicitur Genes. 20. *Factus est in animam viventem*: & ad Hebr. 7. *Christus factus est Pontifex*; unde sanctus Gregorius lib. 4. Epist. 61. ait, *Verbum carnem factum dicimus, non immutando quod erat, sed assumendo quod non erat*: seu ut loquitur sanctus Athanasius, *non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Quapropter etiam Evangelista postquam dixit, *Verbum caro factum est*, statim subdit, *& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Quibus designat Divinitatem in Christo cum humanitate impermixtam perseverasse, nec aliud sanè verbum illud, seu particula, *factum* significat frequenter in Scriptura sacrâ; alias dicendum esset quòd Christus conversus fuerit in peccatum & maledictum, quia ad Corinthios 5. legimus: *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit*: Et ad Galatas 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Unde S. Ambros. lib. de Incarnat. cap. 6. *Desinant*, inquit dicere, *naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.*

VII. Licet *Verbum* dicatur *caro factum*, non propterea est mutatum in carnem.

Vocabulum *factum* non semper significat mutationē substantialem.

Objiciebant secundò sanctum Irenæum *lib. 3. cap. 21.* & Cyprianum lib. de Vanitate idolorum, qui incarnationem appellant *Mixturam Dei & hominis*: atqui mixtio est unio in natura: igitur incarnatio facta est in unitate naturæ.

Respondeo, sanctos Patres non loqui de propria & vera mixtione; sed tantùm de impropria, quô tamen nomine utuntur ad designandam intimam & singularem unionem hypostaticam naturæ humanæ cum divina; quamvis enim illa unio non sit essentialis, tamen ita est immediata & interna, ut major inter Deum & creaturam cogitari non possit, quippe hæc unio, ut infra dicemus, est omnium unionum perfectissima.

Objiciebant tertiò illud sancti Athanasii in Symbolo, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: sed anima & caro constituunt unam integram hominis naturam: ergo similiter Deus & homo per unionem hypostaticam in unam naturam coalescunt.

VIII. Qualiter unio animæ cum corpore adumbret unionem humanitatis cum Verbo.

Respondeo, exemplum istud non in omnibus valere, nec ab eo petendam esse omnimodam similitudinem inter unionem animæ cum corpore, & unionem naturæ Divinæ cum humana: alioquin hæc non esset *mirabiliter singularis & singulariter mirabilis*, ut loquitur S. Bernardus: unde exemplum istud tantùm valet ad insinuandum, quòd sicut corpus & anima, quamvis diversæ sint naturæ, in unam tamen naturam coëunt: sic licèt natura divina longè præcellat humanam, tamen in unitate personæ sociantur in Christo: seu ut loquitur S. Augustinus Epist. 3. quæ est ad Volusianum: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.* Vel, ut addit sanctus Leo Epist. 11. *Cur inconveniens aut impossibile videatur, ut videlicet Verbum & caro, atque anima unus Iesus Christus, & unius Dei hominis sit Filius, si caro & anima quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cùm multò sit facilius ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis præstet potestas, quàm ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas.*

Objiciebant quartò quasdam S. Cyrilli sententias, quas pro clypeo velut inexpugnabili usurpabant: quarum unam petebant ex priore Epistola ejusdem ad Successum, ubi modum incarnationis ita declarat, ut naturas duas inter se convenisse dicat indivisâ unitione citra confusionem & conversionem, &c. *Verùm post unitionem*, inquit, *non dividimus naturas à se mutuò, neque in duos secamus Filios, illum qui unus est & individuus: sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Verbi Dei incarnatam.* Idem in 2. ad Successum Epist. cùm Orientales dictum illud improbassent, magnô id studiô propugnat asseverans, *Vt hoc primâ mente & intellectu in naturali proprietate eô modô quem Verbis explicare effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam nobis ostendisse Filii naturam; sed incarnatam.* Et in *Commonitorio* ad Eulogium. *Nos*, inquit, *postquam illa copulavimus* (nempe Verbum & carnem) *unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, & unam postremò Dei naturam incarnatam.* Et lib. 1. de recta fide ad Reginas. *Non duas naturas, unam quæ adoratur, & unam quæ non adoratur; sed unam naturam Verbi Dei incarnatam & adorabilem cum carne sua una adoratione confitemur.* Porrò quinta Synodus idem Cyrilli dictum admisit, dum Justiniani professionem contra tria capitula recepit, in qua similis locutio usurpatur. Imò etiam plurimi è SS. Patribus eôdem modô, quô S. Cyrillus unam Christi naturam incarnatam dixerunt; hinc Ephremius Patriarcha Antiochenus, apud. Photium scribit, *Hæreticos objicere solitos Gregorium Neocæzareæ Episcopum. Athanasium, Iulium, Cyrillum, & Erechthium unam naturam Dei Verbi incarnatam dixisse*: quapropter prima Synodus Lateranensis consultatione quintâ Canone. 5. damnat anathemate: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, anathema sit.*

IX. Quâ ratione dicat S. Cyrillus duas naturas per Incarnationem in unā convenisse.

Respondeo primò cum sancto Ephremio in libro quem de ista Cyrilli sententia scripsit, nomen *natura* à Cyrillo pro *hypostasi* usurpatum fuisse: nam frequens erat apud Patres usurpatio vocabuli φύσις pro ὑπόστασις. Quâ ratione idem Ephremius scribit Athanasium in Epist. ad Imperatorem Julianum, *dicere unam esse confitendam Verbi naturam & hypostasim incarnatam*: cui concordat Anastasius Synaita in Ὁδηγῷ cap. 10. ubi scribit Cyrillum alibi seipsum explicantem docere, *Vnam Christi naturam incarnatam sic accipi, ut sit una persona sanctæ Trinitatis incarnata.* Adstipulatur etiam Justinus Imperator in professione fidei contra tria capitula, ubi putat Cyrillum quoties *unam Verbi naturam incarnatam* dixit, *natura* nomen pro hypostasi sumpsisse.

Et unam esse incarnatam.

Respondeo secundò, sanctum Cyrillum exponi in quinta Synodo generali, canone octavo, his

& ad resolvendum conditionis nostra debitum, natura inviolabilis natura est unita passibili, ut quòd nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero.

VI. 1. Ratione Theologica.

Suffragatur etiam ratio; si enim unio per Incarnationis mysterium facta fuisset in unitate naturæ, opporteret vel unam naturam conversam fuisse in aliam, vel ambas simul desiisse & interiisse, ut ex iis tertia altera consurgeret, sicut fieri solet in mixtione; vel denique ambas simul remansisse quæ tamen concurrerent ad aliquod tertium componendum, quemadmodum ex anima & corpore simul actu existentibus resultat unus homo; sed nullum istorum rectè potest affirmari. *Non quidem primum*, si enim illa unio facta fuisset per conversionem, maximè vel naturæ Divinæ in humanam, vel humanæ in Divinam:

Quia una natura non est mutata in aliam per *conversionem*.

Primum dici nequit, tùm quia natura Divina transmutari non potest aut corrumpi cùm sit omninò immutabilis & incorruptibilis; nec enim inquit, sanctus Leo Epist. 11. *Verbum aut in carnem, aut in animam aliquâ sui parte conversum est, cùm simplex & incommutabilis natura Deitatis, tota sit semper in sua Essentia, nec damnum sui recipiens nec augmentum.* Tùm quia quando aliqua plurimum distant, ita ut unum in virtute potentius sit alterô, non potest illud in inferius commutari; constat enim quòd parum aquæ dolio vini superinfusæ non vinum in aquam convertit, sed ipsa in vinum transmutatur. Tùm denique quia quod æternum est temporaneæ mutationi non potest esse obnoxium.

Non potuit etiam fieri illa mutatio *per conversionem humana natura in divinam*, tùm quia inde sequeretur Christum non fuisse verum hominem, sed solummodò Deum, si natura humana in illo esse desiisset, impossibile enim est rem existere, aut manere actu absque sua Essentia & natura: Scripturæ autem apertè testantur Christum fuisse verum hominem, ut mox dictum est, & verè illi humanas attribuunt operationes & passiones: dicitur enim ipsum esse natum, jejunasse, manducasse, laborasse, passum, mortuum, sepultum & palpandum ante & post resurrectionem se præbuisse: quæ omnia verum in ipso corpus veramque humanitatem probant. Tùm denique quia contradictionem implicat, aliquid mutari & converti in Deum, quia illa conversio aut esset solùm partialis, & quoad formam remanente materiâ & communi subjectô, sicut fieri assolet in mutationibus physicis, cùm ex semine fit arbor, ex ligno ignis; vel esset conversio totius in totum, quoad materiam & formam simul, quæ dicitur transsubstantiatio: at uterque ille modus conversionis in Deum simpliciter repugnat; primus quidem, alioqui oporteret Deum constare materiâ & formâ, actu & potentiâ; ac proinde jam non esset ens simplicissimum nec incorporeum: oporteret etiam Deum mutari reipsà, & incipere substantialiter esse aliquid, quod anteà non erat; quia nempe dum aliquid in aliud convertitur debet fieri mutatio, non solùm in termino a quo, sed etiam in termino ad quem; & sicut terminus à quo per illam mutationem verè desinit: ita terminus ad quem è contrario verè incipit: at impossibile est Deum verè incipere esse absolutè, vel aliter se habere quàm antea, quia æternus est & incommutabilis.

Nec per transsubstantiationem.

Posterior etiam mutatio, nempe *per transsubstantiationem* in Deum fieri nequit, quia transsubstantiatio fieri non potest, nisi inter ea quæ subjiciuntur virtuti agentis transmutantis; quia quod habet esse utriusque plenè sibi subjectum, potest unum in aliud convertere: divina autem natura virtuti nullius agentis subjecta est, & ideò neque ipsa in aliud, neque aliud in ipsam transmutari potest. *Deinde*, sequeretur etiam exinde, quòd Deus substantialiter inciperet existere aliter quàm erat; enimverò transsubstantiatio est positiva actio & realis: ergo debet habere terminum realem ac positivum; implicat enim dari aliquam actionem absque termino, vel actionem quâ nihil fiat & productionem quâ nihil producatur: atqui in tali conversione substantiali non produceretur humanitas, ut constat; quia per transsubstantiationem illa desineret esse: ergo superest ut produceretur, vel tota Divinitas, vel aliquid Divinitatis, aut saltem quòd Deus aliter se haberet quàm habebat anteà, quemadmodum per transsubstantiationem Eucharisticam, vel reproducitur corpus Christi, ut volunt aliqui Theologi, vel saltem adducitur & constituitur sub speciebus Eucharisticis modô Sacramentali & præsentia diversâ ab ea, quam habet in cœlo: hæc autem omnia Deum omninò incommutabilem dedecent: igitur unio humanitatis cum Divinitate fieri non potuit per conversionem unius naturæ in aliam.

Neque per desitionem.

Neque etiam fieri potuit per *desitionem utriusque natura*: nam si humana natura in Christo non desierit, nec fuit omninò consumpta, multò minùs ambæ destructæ fuerunt. *Adde quod* si vel utraque, vel aliqua earum naturarum in Christo desiisset, non fuisset verus Deus, nec verus homo, nec esset æqualis Patri secundùm Divinitatem; nec minor Patre secundùm humanitatem.

Neque per commixtionem.

Denique illa unio non potuit fieri *per commixtionem*, nec per *compositionem* illam, quâ ex duabus partibus manentibus integris fit aliquod tertium, à partibus componentibus distinctum. Non quidem *per commixtionem*, quia necesse est in commixtione aliquam naturam desinere substantialiter; elementa namque non remanent in mixto secundùm propriam substantiam; hinc formaliter mixtum non potest dici aqua vel ignis: humana autem & Divina natura perseveraverunt substantialiter in Christo, quia fuit verus Deus & verus homo.

Neque per propriè dictam compositionem.

Non etiam *per compositionem* propriè dictam; quia quando totum tertium fit per compositionem, necessariò debet fieri ex partibus incompletis & dicentibus ordinem ad invicem ut uniantur: at natura Divina & humana non possunt habere talem rationem partis per respectum ad se invicem: omnis enim pars necessariò est imperfecta, eò quòd sit propter totum, & minor ac ignobilior totô; natura autem Divina cùm sit simplicissima & actus purus, & in se omnes perfectiones contineat, nullatenùs potest habere rationem partis componibilis cum altera: igitur unio hypostatica non potuit fieri per compositionem: *Nec Verbum igitur in carnem*, inquit, sanctus Leo Epist. 11. *nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque in uno manet, & unus in utroque; non diversitate divisus, non permixtione confusus*; vel, ut loquitur sanctus Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Jesu Christi, cap. 3. *Verbum cùm caro fieret unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit: in qua tamen unitione*

unitione Deifica & omninò mirabili Verbi Divinitas mutata non est in carnem, veraque Verbi humanitas naturalem prorsus tenuit nostri generis veritatem.

Objiciebant primò Eutichiani. Unum fieri aliud, est unum converti in aliud ex modo loquendi Scripturæ, ut constat ex illo Joan. 2. *Vt autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, id est in vinum conversam: sed ex Joannis 1. *Verbum caro factum est*: ergo reali mutatione ac conversione sui ipsius in carnem.

Distinguo majorem. Significat unum converti in aliud, semper, nego: aliquando, concedo; etenim quamvis particula illa *factum*, aliquando significet mutationem substantialem unius rei in aliam: non tamen semper illam conversionem substantialem designat; sed interdum significat acquisitionem, vel assumptionem alicujus de novo, ut cùm dicitur Genes. 20. *Factus est in animam viventem*: & ad Hebr. 7. *Christus factus est Pontifex*; unde sanctus Gregorius lib. 4. Epist. 61. ait,

II. ...t Verbum dicatur caro factum, non tamen mutatum in carnem.

Verbum carnem factum dicimus, non immutando quod erat, sed assumendo quod non erat: seu ut loquitur sanctus Athanasius, *non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Quapropter etiam Evangelista postquam dixit, *Verbum caro factum est*, statim subdit, *& vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Quibus designat Divinitatem in Christo cum humanitate impermixtam perseverasse, nec aliud sanè verbum illud, seu particula, *factum* significat frequenter in Scriptura sacrâ; aliàs dicendum esset quòd Christus conversus fuerit in peccatum & maledictum, quia ad Corinthios 5. legimus: *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit*: Et ad Galatas 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Unde S. Ambros. lib. de Incarnat. cap. 6. *Desinant*, inquit dicere, *naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati.*

...cabu- factum ...empet ...ficat ...tione ...antia-

Objiciebant secundo sanctum Irenæum *lib. 3. cap. 21.* & Cyprianum lib. de Vanitate idolorum, qui incarnationem appellant *Mixturam Dei & hominis*: atqui mixtio est unio in natura: igitur incarnatio facta est in unitate naturæ.

Respondeo, sanctos Patres non loqui de propria & vera mixtione; sed tantùm de impropria, quô tamen nomine utuntur ad designandam intimam & singularem unionem hypostaticam naturæ humanæ cum divina; quamvis enim illa unio non sit essentialis, tamen ita est immediata & interna, ut major inter Deum & creaturam cogitari non possit, quippe hæc unio, ut infra dicemus, est omnium unionum perfectissima.

Objiciebant tertio illud sancti Athanasii in Symbolo, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: sed anima & caro constituunt unam integram hominis naturam: ergo similiter Deus & homo per unionem hypostaticam in unam naturam coalescunt.

III. ...aliter ...ani- ...cum ...ore ad- ...tee ...nem ...tura- ...um ...o.

Respondeo, exemplum istud non in omnibus valere, nec ab eo petendam esse omnimodam similitudinem inter unionem animæ cum corpore, & unionem naturæ Divinæ cum humana: alioquin hæc non esset *mirabiliter singularis & singulariter mirabilis*, ut loquitur S. Bernardus; unde exemplum istud tantùm valet ad insinuandum, quòd sicut corpus & anima, quamvis diversæ sint naturæ, in unam tamen naturam coëunt: sic licèt natura divina longè præcellat humanam, tamen in unitate personæ sociantur in Christo: seu ut

A loquitur S. Augustinus Epist. 3. quæ est ad Volusianum: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.* Vel, ut addit sanctus Leo Epist. 11. *Cur inconveniens aut impossibile videatur, ut videlicet Verbum & caro, atque anima unus Jesus Christus, & unius Dei hominis sit Filius, si caro & anima quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multò sit facilius ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis præstet potestas, quàm ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas.*

Objiciebant quartò quasdam S. Cyrilli senten-

B tias, quas pro clypeo veluti inexpugnabili usurpabant: quarum unam petebant ex priore Epistola ejusdem ad Successum, ubi modum incarnationis ita declarat, ut naturas duas inter se convenisse dicat indivisâ unitione citra confusionem & conversionem, &c. *Verùm post unitionem*, inquit, *non dividimus naturas à se mutuò, neque in duos secamus Filios illum qui unus est & individuus: sed unum dicimus Filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Verbi Dei incarnatam.* Idem in 2. ad Successum Epist. cùm Orientales dictum illud improbassent, magnô id studiô propugnat asseverans, *Vt hoc primâ mente & intellectu in naturali proprietate eô modô quem Verbis explicare effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam*

C *nobis ostendisse Filii naturam; sed incarnatam.* Et in *Commonitorio* ad Eulogium. *Nos*, inquit, *postquam illa copulavimus* (nempe Verbum & carnem) *unum Christum, unum Filium eundem, unum Dominum confitemur, & unam postremo Dei naturam incarnatam.* Et lib. 1. de recta fide ad Reginas. *Non duas naturas, unam quæ adoratur, & unam quæ non adoratur; sed unam naturam Verbi Dei incarnatam & adorabilem cum carne sua una adoratione confitemur.* Porrò quinta Synodus idem Cyrilli dictum admisit, dum Justiniani professionem contra tria capitula recepit, in qua similis locutio usurpatur. Imo etiam plurimi è SS. Patribus eôdem modô, quô S. Cyrillus unam

D Christi naturam incarnatam dixerunt; hinc Ephremius Patriarcha Antiochenus, apud Photium scribit, *Hæreticos objicere solitos Gregorium Neocæzareæ Episcopum, Athanasium, Julium, Cyrillum, & Eustathium unam naturam Dei Verbi incarnatam dixisse*: quapropter prima Synodus Lateranensis consultatione quintâ Canone 5. damnat anathemate: *Si quis secundum SS. Patres non confiteatur propriè & secundùm veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam, anathema sit.*

Respondeo primò cum sancto Ephremio in libro quem de ista Cyrilli sententia scripsit, nomen *naturæ* à Cyrillo pro *hypostasi* usurpatum fuisse; IX. Quâ ratione dicat S. Cyrillus duas naturas per Incarnationem in unâ convenisse.

E nam frequens erat apud Patres usurpatio vocabuli φύσις pro ὑπόστασις. Quâ ratione idem Ephremius scribit Athanasium in Epist. ad Imperatorem Julianum, *dicere unam esse confitendam Verbi naturam & hypostasim incarnatam*; cui concordat Anastasius Synaita in Ὁδηγῷ cap. 10. ubi scribit Cyrillum alibi seipsum explicantem docuisse, *Vnam Christi naturam incarnatam sic accipi, ut sit una persona sanctæ Trinitatis incarnata.* Et unam esse incarnatam.

Adstipulatur etiam Justinus Imperator in professione fidei contra tria capitula, ubi putat Cyrillum quoties *unam Verbi naturam incarnatam* dixit, *naturæ* nomen pro hypostasi sumpsisse.

Respondeo secundò, sanctum Cyrillum exponi in quinta Synodo generali, canone octavo, his

verbis, *Si quis unam naturam incarnatam Verbi dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex divina natura & humana, unio est secundum subsistentiam facta, sed ex talibus vocibus naturam unam, sive substantiam Divinitatis & carnis Christi introducere conetur, talis anathema sit.* Porrò sanctus Cyrillus eô loquendi modô usus est, ut moneret cavendum esse ab hæresi Nestorii, qui contendebat in Christo duas esse naturas completas suas proprias subsistentias habentes, ac proinde in ipso duas esse personas.

Respondeo 3. Verissimum esse quòd una tantùm in Christo sit natura incarnata, scilicet Divinitas; quia humanitas non fuit incarnata, sed assumpta, & sic verum est quòd Cyrillus dixit unam esse naturam incarnatam; quia divinitas non esset incarnata, nisi humanitati esset conjuncta.

Instabis: Qui negat divisionem, distinctionem & pluralitatem naturarum in Christo, non censet post unionem integras in eo naturas perseverare; sed sanctus Cyrillus hæc negat in Christo, nam Epist. 1. ad Successum ait: *Ex duabus naturis concursionem esse factam in unitatem: post unitionem verò naturas easdem à se mutuò non dividi; sed unam esse naturam incarnatam.* Et Commentariô in Joannem lib. 7. *Non est*, inquit, *duplex, unus est solus Christus, tametsi ex duabus intelligatur, ac differentibus rebus in unitatem individuam contractus*: Ergo sanctus Cyrillus censet in Christo non esse rerum & consequenter naturarum pluralitatem & divisionem.

Non negavit duas naturas, sed duntaxat duas personas in Christo.

Nego minorem: negat enim duntaxat pluralitatem personarum non verò naturarum: duas enim in Christo naturas profitetur differentes ab invicem; non autem divisas & separatas, quia adunantur in unitate personæ. Hinc in Commonitorio ad Eulogium scribit, se in invidiam vocatum esse apud quosdam Catholicarum partium, quòd assensus esset expositioni fidei, in qua naturas duas confitebantur, id enim videbatur Nestorio favere, quasi duas naturas in Christo admittendo, duplicem etiam personam admisisset; quippe numerus omnis unitatibus constat, quæ à se multò diversæ ac divisæ videntur. Hinc factum est, ut refert Vigilius summus Pontifex in calce libri secundi contra Eutychem, quòd *plerique Orthodoxorum sensum utrarumque naturarum cum Catholicè exponunt, Catholicè retineant: ideo tamen nolunt dicere duas naturas, ne secundùm Nestorium duas putentur fateri personas; à confessione utriusque naturæ voce, sed non corde tantummodò recedentes*, quod maximam præbuit ansam dissentionis inter Catholicos: nam ut subdit, *Qui nolunt duas ore fateri naturas quas fidei expressione defendunt, Euthychianistæ reputantur, cùm jam sint qui duas unius Christi naturas publicè profitentur, Nestoriani putantur esse cùm non sint: & videas nos luctuosis quibusdam, & omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum nomine se invicem accusare*: Nihilominùs reverà neuter hæreticus erat censendus; quippe qui asserebant in Christo dualitatem naturarum, distinctionem significabant: qui verò negabant, personæ unitatem profitebantur.

Nec etiam in eo duas esse substantias negavit.

Porrò quod ad Cyrillum spectat, qui post unionem amplius *non esse duo* in Christo scripsit; hoc illius dictum interpretatur sanctus Maximus in *Opusculis adversus Monothelitas*, eorumque parentes *Monophysitas*, dicens nihil eum aliud velle nisi illa ex quibus compositio fit tam in homine nostri simili ex anima & corpore constante, quàm

A in Incarnationis Christi Mysterio, quod ex Divinitate & humanitate conficitur, duo quidem esse ratione substantiæ; quandoquidem diversa manet substantia: verùm eadem illa in unitate & entitate per se cohærentia duo constitui nullo modò fidei dogma permittere.

Objicimus 5. Unio Incarnationis est omnium unionum maxima, & consequenter major unione animæ hominis cum corpore: sed ex unione animæ cum corpore fit una natura: igitur multò ampliùs per unionem divinitatis & humanitatis una exurget natura.

X. Incarnatio est omnium unionum perfectissima, non autem strictissima.

Distinguit majorem Rusticus Diaconus in disp. contra Acephalos: Unio Incarnationis est omnium maxima; id est, strictior, negat: id est præstantior, concedit; B *Tantò enim*, inquit, *unitio Deitatis & humanitatis quæ in Domino Christo facta est, & ipse effectus unitionis illam quæ fit in homine superexcellit quantò longiùs à se distant unita: multùm namque, & quantùm dici non potest superat ut Deitatis & humanitatis solum una possit esse persona; quàm ut ex anima & carne non solum una persona fit, sed & fiat una quoque natura*: non est autem intimior ratione unitatis in quam duo distincta coalescunt: *Quia*, inquit, *non necesse est à majore unitione majus aliquid effici: alioqnin quantò amplius aliqua uniuntur, tantò potentiore vi uniuntur: sed ea quæ confunduntur, ultra ea quæ minimè confunduntur, amplius uniuntur, ut humentia, &c.* igitur negat unionem hypostaticam non esse omnium maximam ratione unitatis, quia strictiùs uniuntur & coalescunt, quæ sociantur per mixtionem quàm per compositionem.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. Incarnatio est unio in persona.

INcarnatio facta est in unione Divinitatis cum humanitate secundum unitatem personæ. Hæc est de fide determinata in plurimis Conciliis; maximè verò in Ephesino contra Nestorium, in Chalcedonensi in *definitione* & in VI. Synodo generali *Actione* 4. Probaturque ex Scriptura sacra, illis D videlicet omnibus textibus, quibus Christus verus Deus ac verus homo affirmatur; Deus enim non appellatur metaphoricè, nec impropriè, sicut Moyses dictus est Deus Pharaonis: sed strictè ac propriè: ergo substantialiter ac realiter: igitur vel secundùm essentiam vel personam: non secundùm unitatem essentiæ, ut dictum est in præcedenti conclusione: ergo necessum est ut sit talis secundùm unitatem personæ.

Confirmatur: Per Mysterium Incarnationis, Deus & homo de se invicem prædicantur: istæ enim propositiones, *Deus est homo*, & *homo est Deus*, verissimæ sunt, non secundùm essentiam, quia in Christo est duplex natura, divina & huma- E na: ergo necessum est quòd illæ veræ sint secundùm unitatem personæ. Consequentia patet; nam duæ naturæ non possunt in concreto de se invicem prædicari, nisi ratione unitatis suppositi in quo conveniunt; non enim verum est dicere, quòd album sit dulce, nisi quia dulcedo & albedo eidem subjecto inexistunt.

Ut contra Nestorium probatur ex Scriptura.

Deinde, Christus ut homo aliqua de se profert, quæ ipsi convenire nequeunt, nisi ratione Divinitatis, ut cùm affirmat Joan. 8. *Amen dico vobis antequam Abraham fieret ego sum.* Joan. 6. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, &c.* At hæc non possunt intelligi de humanitate formaliter sumpta; constat enim illum plusquam duobus annorum millibus posteriorem fuisse Abrahamo:

superest

supereſt igitur ut intelligamus de humanitate ſecundùm perſonam, & hypoſtaſim Verbi quam habebat in Chriſto; quemadmodum revera pronomen *Ego*, eſt perſonale & denotat perſonam loquentis, Ego ſum.

Denique, Chriſtus dicitur deſcendiſſe de cœlo & aſcendiſſe in cœlum. Epheſ. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit:* at Chriſtus non deſcendit ſecundùm corpus, ut fabulabatur Valentinus, neque ſecundùm animam, ut delirabat Origenes: ergo deſcendit ſecundùm unionem Divinitatis cum humanitate: ſimiliter non aſcendit ſecundùm Divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem, quia ut ait S. Lucas Actorum 10. *Videntibus illis elevatus eſt:* Ergo aſcendere in cœlum ſecundùm naturam humanam, & deſcendere de cœlo ſecundùm divinam, eidem Chriſto convenit, ſubindeque ratione ejuſdem perſonæ in qua duæ illæ naturæ ſociantur.

Confirmatur iterum: Illa unio naturæ divinæ cum humana neceſſariò fieri debuit ſecundùm unitatem perſonæ, ſi illi omnes modi, quos excogitavit Neſtorius, apertè ſint inſufficientes, & ſacræ Scripturæ repugnantes: At ita eſt: igitur, &c. Probatur minor: Unio divinæ naturæ cum humanitate in Chriſto, ita eſt propria ipſi humanitati, ut eâdem ratione cæteris hominibus non competat: ita pariter peculiaris eſt Verbo, ut Perſonæ Patris & Spiritûs ſancti non congruat: ſed modi unionis quos excogitabat Neſtorius, nec peculiares ſunt humanitati aſſumptæ, nec Verbo. Non quidem peculiares humanitati aſſumptæ. *Primo* namque *unio inhabitationis* convenit omnibus juſtis, quos Dei templum Scriptura appellat, juxta illud 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos & Spiritus Dei inhabitat in vobis? ſi quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus: templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et 2. Corinth. 6. *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos.* Similiter *unio operationis* etiam omnibus juſtis congruit: nam 1. Corinth. 12. *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Maximè verò per juſtos & viros ſanctos, in quibus habitat, miranda & ſtupenda opera patrat, juxta illud Joan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Denique *unio affectûs*, dignitatis & excellentiæ, etiam viris ſanctiſſimis nec-non & virtute ac authoritate eximiis, attribuitur; juxta illud Pſal. 80. *Ego dixi, Dii eſtis & Filii Excelſi omnes.* Nec valet reponere, Deum nobiliori modo exiſtere in Chriſto per ampliorem gratiæ largitionem, & uberiorem divinorum chariſmatum communicationem, quam in cæteris juſtis: quia major aut minor ejuſdem beneficii communicatio non mutat ſpeciem, nec efficit diverſum modum exiſtendi.

XII. Refelluntur omnes modi unionis quos Neſtorius excogitaverat.

Non etiam modi illi unionis Dei cum humanitate peculiares ſunt Verbo: quippe tribuuntur tribus adorandæ Trinitatis perſonis: teſtatur enim Chriſtus Joan. 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Adde quòd ſi illa inhabitatio ſufficeret ad rationem Incarnationis, Spiritus ſanctus dicendus eſſet incarnatus: nam pleniſſimè in homine Chriſto inhabitabat juxta illud Lucæ 4. *Ieſus plenus Spiritu ſancto egreſſus eſt à Iordane.* Hoc autem nullus fidelium dixerit: igitur, &c.

XIII. Quâ ratione humanitas Chriſti dicatur templum illius Divinitatis.

Dices 1. Humanitas Chriſti appellatur templum divinitatis; nam Chriſtus Joan. 2. Judæis dicebat, loquens de ſua humanitate, *Solvite templum* A *hoc*, &c. ſed non idem, templum & qui templum inhabitat: ergo non ſunt idem ſuppoſitum Dei, & ſuppoſitum Chriſti hominis.

Reſpondeo: Humanitatem dici templum Dei, non quidem propriè, ſed metaphoricè, eô modô quô corpus noſtrum appellatur domus animæ noſtræ, atque tabernaculum; juxta illud 2. ad Corinth. 5. *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, &c.* Unde ſicut non licet colligere ex eo quòd anima eſt in corpore velut in tabernaculo, in eodem homine duas eſſe perſonas; ita etiam ex eo quòd Chriſtus ſuam humanitatem templum appellet, non licet inferre in illo duas eſſe perſonas: *Vel* dico quod ſi propriè dicatur B *Templum*, non ita appellari ratione Verbi cui eſt hypoſtaticè unita, ſed ratione Divinitatis quæ in ipſa humanitate habitat, non ſolùm per gratiam & efficientiam, ut volebat Neſtorius, ſed verè & realiter; ut explicat Apoſtolus ad Coloſſ. 2. ubi ait, *In ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, id eſt, *vere & ſubſtantialiter*; ut explicat ſanctus Auguſtinus Epiſtola 55. ad Dardanum.

Dices 2. Ubi eſt aliud & aliud, ibi ſunt duæ perſonæ & duo ſuppoſita: ſed S. Auguſt. in Enchiridio cap. 36. dicit quod in Chriſto ſit aliud & aliud: ait enim, *utramque naturam, divinam & hu*C*manam in Chriſto eſſe unum Dei Filium, ſed aliud propter hominem*: igitur agnoſcit in Chriſto duas perſonas. Similiter S. Leo Epiſt. 10. de Chriſto ait: *Aliud coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis*: igitur, &c.

XIV. In Chriſto eſt quidem *aliud & aliud*, non verò *alius & alius*.

Nego majorem: Quamvis enim ubi eſt *alius & alius* adjectivè, ſint diverſa ſuppoſita, quia nomen adjectivum præcipuè perſonam denotat: non tamen ubi eſt *aliud & aliud*, ſubſtantivè: ſiquidem ſubſtantiva nomina primariò ac præſertim connotant perſonam: igitur ſolùm voluit Aug. hoc loquendi modo duas in Chriſto agnoſcere naturas: divinam ſecundùm quam æqualis eſt Patri, & humanam, ratione cujus eſt inferior patre: Porrò S. Auguſtinus eôdem librô unionem duarum naturarum in eodem ſuppoſito Verbi divini D agnoſcit: ait enim cap. 35. *In unitatem perſonæ acceſſit Verbo anima rationalis & caro.* Et cap. 36. *Ut quemadmodum una perſona quilibet homo; anima ſcilicet rationalis & caro; ita Chriſtus una perſona Verbum & homo.* Quantùm ad S. Leonem, conſtantiſſimum eſt eum unicam in Chriſto perſonam agnoviſſe; utpote qui præcipuus fuerit illius Catholicæ veritatis aſſertor & vindex.

Dices 3. In Deo idem eſt realiter eſſentia ac perſona; ſed Incarnatio non eſt facta in unitate naturæ: ergo neque in unitate perſonæ: nam idem reale non poteſt cenſeri unum & non unum.

XV. Qualiter natura & ſuppoſitum diſtinguantur.

Diſtinguo majorem: Idem ſunt realiter natura E & perſona ſecundùm identitatem veram & realem, concedo: ſecundùm formalem, nego: nam ut diximus in *Tractatu de Trinit.* relationes conſtitutivæ divinarum perſonarum diſtinguuntur formaliter ab eſſentia: quæ diſtinctio cùm ſufficiat ad inſtituendam diverſitatem perſonarum in divinis, licèt in eis ſit eſſentiæ identitas, ſufficiet etiam ad inſtituendam unionem hypoſtaticam ſeu in perſona, primariò & immediatè, licèt ſecundariò ac conſequenter unio fiat in natura.

Dices 4. Ubi ſunt duæ generationes paſſivæ, ibi debent eſſe duæ perſonæ; ſed in Chriſto duæ ſunt generationes paſſivæ; nempe divina &

æterna, quâ Verbum à Patre gignitur in splendoribus sanctorum; alia autem temporalis & humana, quâ natus est ex Maria Virgine: ergo in illo sunt duæ personæ. Major constat: omnis enim generatio terminatur vel ad suppositum vel ad personam: ergo duplex generatio ad duplex suppositum terminari debet.

XVI. Idem suppositū terminare potest duplicem generationem.

Nego Majorem, & illius probationis nego consequentiam; unum enim & idem suppositum ratione duplicis naturæ potest terminare duplicem generationem: quia suppositum terminat quidem *ut quod*, natura verò terminat *ut quò* & per modum termini formalis, ac specificativi: ergo cùm idem suppositum Verbi duplex sit virtualiter, quia virtutem habet terminandi duas naturas, etiam potest esse terminus generationis duplicis.

XVII. Quomodo persona dicatur individua substantia.

Dices quintò. Persona est rationalis naturæ individua substantia: sed Verbum assumpsit naturam humanam in individuo, seu *in atomo*, ut asserit S. Damasc. lib. 3. de fide cap. 11. Ergo assumpsit eam propriâ personâ subsistentem.

Respondeo in definitione personæ particulam *(individua)* idem significare ac singulare, seu unum unitate numericâ; non verò idem ac substantia completa per se subsistens incommunicabilis alteri tanquam supposito. Priori modô Verbum assumpsit naturam humanam in individuo, id est singularem, non autem universalem; & unam tantùm, non omnes ac singulas: at posteriori modô eam non assumpsit.

XVIII. Qualiter sit intelligendum quòd Verbum divinum hominem assumpserit.

Dices sextò. SS. Patres plerumque affirmant Verbum Divinum assumpsisse hominem; sic SS. Ambrosius & Augustinus in hymno *Te Deum, &c.* aiunt: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, &c.* hæc autem vox *homo*, suppositum connotat: igitur Verbum assumpsit suppositum hominis; ac proinde duo sunt supposita in Christo.

Respondeo SS. Patres, hôc loquendi modô, concretum usurpavisse pro abstracto, & locô humanitatis vel humanæ naturæ dixisse hominem; cùm enim nondum exorta esset Nestoriana hæresis, liberiùs & securiùs loquebantur. Unde meritò reponi posset Nestorianis, quod olim Pelagianis reponebat S. Aug. lib. 1. contra Julianum, qui S. Chrysostomi authoritate nitebatur suum errorem defendere: *In Ecclesia Catholica non se aliter intelligi arbitrabatur; tali quæstione enim nullus pulsabatur: vobis nondum litigantibus securius loquebatur.*

Conclusio Tertia.

Persona Christi verè potest dici composita: non tamen propriâ, & verè dictâ compositione. Hæc conclusio duabus partibus constat, quarum

XIX. Persona Christi Domini dici potest composita.

Probatur prima pars. Idque primò authoritate quintæ Synodi Oecumenicæ, quæ in Canone, seu anathematismô quartô, dicit Anathemaneganti, *Unionem Verbi cum humana natura secundùm compositionem, hoc est, secundùm hypostasim.* Idem definitur in sexta Synodo actione quartâ in Epistola Agathonis Papæ ad Imperatorem Heraclium, & actione 11. in Epistola Sophronii approbata à toto Concilio, ubi Christus vocatur persona composita ex inconfuso constans temperamento.

Probatur item authoritate sanctorum Patrum. Imprimis Dionysii librô de divinis nominibus cap. 1. ubi scribit *Deum cum nostris rebus verè & ex toto communicasse in una suarum hypostaseon, revocantem ad sese, attollentemque extremitatem humanam, ex qua inexplicabili modò simplex Iesus compositus est.* Ubi nomen *hypostasis* non naturam, sed personam significat. Eôdem modô plurimi loquuntur è Patribus, nam sanctus Ephremius Antiochenus Patriarcha apud Photium ait: *In unitione quæ est secundum hypostasim, meritò compositionem pia fides profitetur: at compositam essentiam nemo dicere ausus præter Appollinarem. Porrò Dominus ostendens hypostasim suam esse compositam; non autem naturam &c.* Cyrillus in lib. de Incarnatione dicit; *Mediatorem Dei hominumque compositum esse ex humanitate nostra secundùm propriam rationem perfecta, & ex eo qui ex Deo Patre prodiit, secundùm naturam Filius, hoc est, ex unigenito.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 3. *In Domino Iesu Christo*, inquit, *duas naturas agnoscimus, unam autem hypostasim ex utrâque compositam.* Idem frequens est loquendi modus apud cæteros sanctos Patres.

Non tamen propriè dictâ compositione.

Probatur secunda pars, nempe quòd *illa compositio non sit propriè dicta*; quia compositio vera & propriè dicta debet esse ex actu & potentia, sicut ex materia & forma, vel ex duobus potentialibus, qualia sunt ista quæ apud Philosophum dicuntur elementa; & integrantia naturam totalem, ut loquitur Doctor in 3. *distinct.* 6. *quæst.* 3. *num.* 2. sed Christus non componitur ullô ex his modis, quippe natura divina non potest habere rationem neque actûs, neque potentiæ, quia esse potentiale repugnat Deo, qui est ens actualissimum & necesse esse. Repugnat etiam ratio actûs, quia hoc est proprium formæ creatæ: igitur etiam repugnat verè & propriè dicta compositio. *Deinde*, omnis compositio verè dicta, fit ex partibus: sed natura divina in Christo non potest habere rationem partis; quia omnis pars est ens incompletum dicens ordinem ad alteram compartem, ut ab unione cum ipsâ compleatur: Hinc S. Augustinus contra Maximinum Arianum cap. 10. negat Deum esse partem Christi, his verbis; *Porrò autem Christus una persona est gemina substantia, quia & Deus & homo est, nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest, alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus & crevit cùm homo divinitati ejus accessit.* Denique, omne compositum perfectè, secundùm se, est præstantius quôcumque ex componentibus seorsim sumptis: sed Christus non est quid perfectius naturâ divinâ, aut personalitate Verbi: Ergo Christus non est quid compositum ex natura divina & humana, seu potius ex humanitate & subsistentia Verbi.

Ut egregiè probat Doctor.

Igitur quando Christus dicitur compositus ex humanitate & subsistentia, debet sic exponi, inquit Doctor; quòd ita verè est ibi tam natura humana, quàm divina, ac si componerent personam: sed non componunt, nec aliquod tertium fit ex eis; sed distinctè & confusè manent, ut sanctus Damascenus dicit lib. 3. cap. 3. his verbis, *Si secundùm hæreticos unius naturæ composita Christus extitit, ex simplici natura versus est in compositum, & neque Deus vocatur neque homo: quemadmodùm ex anima & corpore hominem aimus, vel ex quatuor elementis corpus, & neutrum componentium est.* Debet ergo exponi & dici, personam compositam, propter unionem duarum naturarum, in quibus subsistit: sed veriùs negari potest compositio; quia una non perficit aliam, nec ex eis est aliqua natura tertia. *Ita Doctor.*

Quibus apertè indicat personam Christi dici

quidem posse compositam; non tamen propriâ A compositione, quæ fit ex partibus, quarum una habeat rationem actûs, alia verò rationem potentiæ; sed tantùm compositione imperfectâ, quâ nempè ex pluribus unum fit, idque unione substantiali seu accidentali, ratione suppositi, per quod duæ naturæ unitæ invicem subsistunt: quem utique compositionis modum sic explicat sanctus Athanasius in lib. de *uno Christo*, si tamen illius sit author: ubi introducens hæreticos objicientes Christum non esse compositum, quoniam ex eo sequeretur partem Verbi esse corpus, eôque compleri hypostasim Filii Dei: hoc argumentum dissolvens, ait, *Ita Deum & hominem* B *unam esse hypostasim, & unam personam, ut non sit expletivum corpus hypostaseos: id enim impium esset, quandoquidem Deus imminutionis capax non est, ut pote uniformis & non compositus, nec in partes dividitur*, &c.

Omnia quæ adversùs hanc conclusionem solent objici, facilè diluuntur, affirmando Christum dici quidem compositum impropriâ compositione, quæ tantùm significat unionem duarum naturarum, in una hypostasi; non verò propriâ, quæ postulat fieri ex partibus incompletis, quarum una habeat rationem actûs, altera rationem potentiæ; una sit perfectibilis, altera perfectiva, ut diximus in tertio Notabili.

C

QUÆSTIO III.

Quis sit terminus Unionis hypostaticæ?

I. Duplex est terminus actionis productivæ, nempe *totalis* & *formalis*.

NOtandum primò duplicem solitò distingui terminum actionis productivæ: unum videlicet totalem & adęquatum; alium verò formalem. *Terminus totalis* nihil aliud est quàm ipsa res tota quæ fit per actionem: sic in generatione humana terminus tótalis est homo genitus, in dealbatione est album: *formalis* verò est illa forma, quâ mediante terminus ille totalis completur & perficitur: seu forma quæ est ratio, cur ipsa actio terminetur ad terminum totalem & adęquatum: D sic in dealbatione, albedo producta est ratio formalis, seu forma quâ fit album. Prior terminus etiam dicitur terminus *qui*, nempe qui totaliter & adęquatè actionem terminat; posterior verò dicitur terminus *quô*; quia ipsô mediante actio terminatur: sic in generatione substantiali terminus *qui*, seu totalis, est suppositum seu compositum ex natura & subsistentia: terminus verò *quô*, seu formalis, est ipsa forma substantialis, quâ compositum habet esse.

II. Christus ut Deus-homo, est terminus totalis Incarnationis.

Notandum secundò, nullam, aut saltem levem controversiam moveri apud Theologos, de termino totali actionis unitivæ, seu assumptionis E humanitatis ad Verbum: omnes namque conveniunt talem terminum esse Christum, seu personam compositam ex natura divina & humana; nempe *Deus-homo*, hoc est, Verbum Divinum in humanitate subsistens; quippe ille est terminus totalis & adęquatus Incarnationis, qui habet esse per Incarnationem: Christus autem habet esse per Incarnationem, ac subinde est illius terminus. Sed gravis eaque multùm intricata movetur difficultas, maximè apud recentiores Theologos, quisnam sit terminus formalis *quô*, seu *ad quem* unionis hypostaticæ, circa cujus controversiæ resolutionem variant Authores, & maximè in quatuor sententias scinduntur: *Prima* est eorum, qui

At de termino formali, magna est controversia.

sustinent terminum formalem *quô*, seu *ad quem* Incarnationis, esse personalitatem Verbi. Ita Alvares disputatione 13. conclusione 3. *Secunda* sententia ait terminum formalem ad quem hujus actionis, esse modum substantialem unionis quô Verbum Divinum humanitati assumptæ copulari dicitur. Ita Suarez disputatione 8. sectione 2. *Tertia* sententia contendit ipsum terminum esse humanitatem ut unitam Verbo, ita quòd unio sit conditio prærequisita ad illam terminationem. Sic docet Vasquez disputatione 19. cap. 2. *Quarta* denique sententia contendit quòd cùm unio hypostatica possit diversimodè considerari; nimirùm, vel quatenùs est communicatio subsistentiæ divinæ, vel quatenùs est assumptio naturæ humanæ, vel prout est unio naturæ divinæ cum humana, licèt Incarnatio sit una eademque actio in re; tamen secundùm has diversas considerationes etiam diversos terminos habet; quæ utiquè sententia, ut pote probabilior & verior, ut probetur evidentiùs:

III. Incarnatio juxta diversam sui habitudinem diversas sortitur appellationes.

Notandum tertiò quòd etsi Incarnatio, seu actio unitiva naturæ divinæ cum humana in unitatem personæ, sit actio simplex & indivisa, tribus adorandis Personis ex ęquo communis; tamen secundùm diversam habitudinem & relationem sui ad diversa, etiam varias sortitur appellationes, ratione quarum dici potest multiplex. Enimverò si spectetur per respectum ad principium per quod fit, dicitur *unitio*: si per respectum ad divinam naturam quæ humanitati sociatur, appellatur *communicatio*, seu transfusio, quâ Divinitas intimiori ac peculiari modô illabitur humanitati assumptæ, quàm cæteris entibus, quibus fit præsens duntaxat per illapsum immensitatis, quâ cælum & terram implet, non autem per vinculum personalitatis, quâ naturam divinam cum humana sociat: si denique consideretur Incarnatio per ordinem ad naturam assumptam, dicitur *humanatio*, seu *incarnatio*, quâ Deus humanitatem in consortium suæ Divinitatis evocans, illam arctissimô ejusdem personæ fœdere in perpetuum copulavit, quibus prælibatis sit.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Quare Christus dicatur terminus totalis Incarnationis.

T*Erminus totalis & adæquatus actionis unitivæ & copulativæ Verbi cum humana natura, est Christus seu Deus-homo.* Ita communiter omnes Theologi, & probatur. Terminus totalis & adæquatus actionis unitivæ duorum extremorum, est compositum ex illis resultans: sed Christus quatenùs *Deus-homo* subsistens in unitate personæ, est compositum resultans ex actione unitiva Divinitatis cum humanitate: igitur est illius actionis unitivæ terminus totalis & adęquatus. Major constat per inductionem, quippe terminus totalis & adęquatus vel generationis, vel compositionis, vel resurrectionis, alius non est quàm ipsum compositum ex partibus unitis resultans; nihil enim aliud intenditur per actionem unitivam, quàm compositum resultans ex unione extremorum. Minor etiam constat ex dictis; siquidem Christus est ipsum Verbum subsistens in humanitate nostra secundùm unitatem personæ, per quam natura divina & humana invicem sociantur & subsistunt.

Dices. Terminus totalis Incarnationis debet esse aliquid creatum: sed Christus non est aliquid simpliciter creatum: igitur non est terminus totalis incarnationis. Major apparet, quia omnis

actio quæ fit in tempore, productiva est alicujus temporanei: Incarnatio autem facta est in medio temporum: igitur terminus per eam productus temporaneus est: omne autem temporaneum creatum est, ac proinde terminus actionis incarnativæ est quid creatum. Minor etiam est vera: quippe cùm Christus connotet naturam Divinam, quæ longè præstat humanâ, & suppositum Verbi quod est infinitum & increatum, etiam dici debet aliquid increatum; siquidem à nobiliori parte petitur denominatio, & consequenter alius est assignandus terminus totalis, & adæquatus actionis incarnativæ quàm Christus.

V. *Qualiter terminus Incarnationis dici possit aliquid creatum simul & increatum.*

Respondeo, Terminum totalem & adæquatum considerari posse dupliciter: vel materialiter & disjunctivè, ratione extremorum ex quibus coalescit; vel formaliter & copulativè, ratione conjunctionis & unionis utriusque extremi. Priori modò, dici potest quid increatum & creatum, æternum & temporaneum, ratione scilicet naturæ humanæ & divinæ ac suppositi Verbi: posteriori verò simpliciter appellari potest quid creatum, quippe unio illa creata est, si creationis nomen latè usurpes, non quidem pro re quæ nihil supponit, nam reverà unio supponit naturam divinam & humanam, sed quatenùs significat actionem per quam fit aliquid, quod anteà non erat; Christus enim factus est in tempore per actionem unitivam Divinitatis cum humanitate in unitate personæ: unde cùm compositum, seu terminus totalis alicujus unionis substantialis, non denominetur à partibus secundùm se sumptis, sed ab earum unione simul, ut constat exemplô hominis, qui dicitur mortalis, licèt animam immortalem habeat: Christus absolutè dici potest quid creatum & temporaneum, quoniam unio Divinitatis cum humanitate, facta est in tempore; *increatum* enim dicit omnem negationem inceptionis, & desitionis, & proindè si terminus ille adæquatus sic diceretur increatus in ratione termini, negaretur ista unio hypostatica facta fuisse in tempore, quod apertè falsum constat ex illo Joannis; *Verbum caro factum est*; necnon ex Symbolo, quô dicitur Christus conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus.

Nec refert quòd nec Verbum neque natura divina, quæ præcipuum in Christo locum tenent, sint quid increatum & æternum: quippe ad hoc ut aliquod compositum dicatur factum formaliter, non est necesse, quòd per actionem ex quâ resultat, producta fuerint extrema; sed sufficit quòd invicem fuerint copulata; si quis enim albedinem præexistentem separatam uniret subjecto, verè produceret album, quamvis extrema ante unionem extitissent: igitur licèt per unionem humanitatis ad Verbum non fiat ipsum Verbum, nec ipsa natura divina, non minùs propterea Christus resultans ex illa unione, dici debet productus & temporaneus, quia extrema ista per actionem unitivam copulata sunt in tempore.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI. *Incarnatio diversimodè spectata, diversos habet terminos formales.*

Incarnatio considerata ut COMMUNICATIO *subsistentiæ divinæ, habet pro termino personalitatem Verbi: ut* HUMANATIO, *seu Incarnatio, ejus terminus est humanitas: ut* UNITIO, *terminus ejus formalis est unio.* Patent tres hujus Conclusionis partes. *Prima* quidem, nam terminus formalis

A *ad quem* communicationis, est id quod communicatur: sed suppositum Verbi est id quod formaliter communicatur naturæ humanæ: igitur secundùm hanc considerationem, suppositum Verbi est terminus formalis incarnationis. *Secunda* pars etiam fit clara, nam terminus formalis incarnationis, ut est humanatio, est id, quod in termino totali habet quasi rationem formæ: sed id à quo Christus habet formaliter quòd sit homo, est ipsa humanitas: ergo illa est terminus formalis. *Tertia* denique pars itidem constat, nempe quòd unio sit terminus formalis productionis, nam terminus formalis actionis productivæ, ut talis, est id quod producitur per ipsam

B actionem, sed id quod producitur per unitionem est ipsa unio: igitur illa est terminus formalis incarnationis, quatenùs ipsa est unitio naturæ divinæ cum humana.

Dices, Illud habet rationem termini formalis in incarnatione, quod maximè habet rationem formæ perfectivæ: sed Verbum Divinum habet rationem formæ perfectivæ, nam est actus terminans & perficiens humanitatem, quæ est quasi materia terminata & perfecta per personalitatem Verbi: igitur terminus formalis est ipsa Verbi personalitas.

Distinguo majorem. Quod habet rationem formæ perfectivæ, in ratione communicationis, con-

C cedo: in ratione unitionis, aut humanationis, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam. Fateor equidem Verbum Divinum posse dici terminum formalem incarnationis, quatenùs illa dicitur communicatio naturæ divinæ, & personalitatis Verbi, non verò quatenùs est humanatio aut productio.

Instabis, Verbum Divinum idem præstat, quod præstaret personalitas creata si adesset: sed si personalitas creata adesset, reverà esset forma actuans humanitatem, quatenùs humanitas est: igitur Verbum est terminus formalis ipsius humanitatis, & consequenter incarnationis quatenùs illa est humanatio.

Respondeo, Incarnationem spectari posse, vel quatenùs tendit ad esse personale præcisè & for-

D maliter, vel absolutè quatenùs tendit ut Deus fit homo. Priori modô possumus dicere quòd personalitas est terminus formalis, quippe illa est quæ dat esse personæ: at verò absolutè & quatenùs per incarnationem Deus fit homo, personalitas præcisè dici nequit illius terminus formalis, quippe actionis creatæ & mutationis, Verbum Divinum, æternum, & immutabile, non potest dici terminus formalis.

E QUÆSTIO IV.

Utrum Unio hypostatica sit immediata, & omnium Unionum maxima.

I. *Quot modis unio dici possit immediata.*

Notandum primò, Unionem illam dici immediatam, quâ duo aliqua invicem sociantur sine medio: nomine autem *medii*, hîc intelligo, id sine quo prævio unum extremum non conjungeretur alteri. Duplex autem medium tale assignari potest: unum quidem intrinsecum, aliud autem extrinsecum. *Medium intrinsecum*, illud est quô res aliqua intrinsecè copulatur cum alia, per unionem scilicet substantialem aut essentialem, & illud ut plurimùm est pars aliqua vel integralis, vel essentialis unius extremi: sic cor vel

cerebrum in corpore humano, cùm sit ratio unionis animæ cum illo, sine quo anima non uniretur corpori, dicitur medium intrinsecum. *Medium* verò *extrinsecum* est illud, quô scilicet extrema uniuntur duntaxat accidentaliter: sic qualitas disponens unum extremum ad unionem ejus cum altero, putà siccitas vel calor ad introductionem formæ ignis ad subjectum, dicitur medium extrinsecum. Porrò medium hoc extrinsecum est in duplici differentia: aliud enim dicitur *necessitatis*, quod ita necessarium est ad duorum aliquorum unionem, ut eô non positô, non sequatur unio, & eô sublatô dissolvatur: sic calor nativus in corpore humano est medium necessarium ad unionem & conservationem animæ cum corpore: aliud verò dicitur medium *congruitatis*, sine quo absolutè quidem fieri possit unio; attamen non decet illam fieri sine illo: talia sunt merita respectu unionis beatificæ creaturæ rationalis cùm Deo per visionem & fruitionem: Deus namque posset aliquem adultum beare sine meritis, non tamen id decet illius justitiam, nec præscriptum à divina providentia otdinem, quô statuit beatitudinem largiri, vel ut hæreditatem filiorum, vel ut mercedem laborantium, vel ut coronam vincentium.

Notandum secundò, ex seraphico Doctore in 3. dist. 6. quæst. 2. unionem posse considerari dupliciter. *Vel* quatenùs duo conveniunt in naturâ; *vel* quatenùs conveniunt in persona. Priori modò possumus asserere, quòd talis unitas in Chtisto quôdam modô est nulla, quôdam modô est magna; quôdam modo est parva, quôdammodô est summa: si enim comparemus divinam naturam ad humanam, sic in Christo nulla est unitas naturæ, quia istæ duæ naturæ non possunt simul in unam concurrere naturam: si autem loquamur de natura Christi ex parte corporis, sic parva est unitas, propter partium multiplicitatem: si autem loquamur de unitate quantùm ad animam, sic est in eo unitas magna propter animæ simplicitatem: si autem loquamur de eo quantùm ad divinam naturam, sic summa est in eo unitas propter illius naturæ simplicitatem excellentissimam.

II. In Christo, vel unio est nulla, vel parva, vel maxima.

Si verò fiat sermo de unitate, quâ aliqua dicuntur unum per convenientiam in persona; movetur controversia inter Authores, an illa unio sit omnium unionum maxima?

III. Duo uniri possunt in tertio duobus modis.

Notandum tertiò: Aliqua duo uniti in aliquo tertio dupliciter: *Primò*, tanquam in termino producto & composito ex illis extremis, sic materia & forma uniuntur in composito: *Secundò*, tanquam nexu, & vinculô communi: sic duæ tabulæ uniuntur in glutine, & duæ partes quantitatis in termino communi. Priori modô, eò major est unio & unitas, quò minùs extrema distant inter se secundùm entitatem vel essentiam. Posteriori verò, eò major unio censenda est, quò nexus ille est simplicior & indivisibilior, & sic magis uniuntur duæ partes quantitatis in termino communi indivisibili, quàm duæ tabulæ in glutine. Quibus prælibatis duo sunt determinanda: Primum quidem, an unio hypostatica sit immediata: Secundum, an sit omnium unionum maxima, tàm ratione extremorum, quàm ratione vinculi.

Conclusio Prima.

IV. Unio hypost. est intrinsecè immediata.

VNio hypostatica est immediata per exclusionem omnis medii extrinseci. Hæc colligitur ex iis quæ diximus in præcedenti Articulo, in quo probavimus per unitionem seu actionem incarnativam nihil aliud produci quam relationē extrinsecùs advenientem, quâ extrema dicuntur uniri formaliter.

Probatur insuper: Si quod medium esset in unione naturæ divinæ cum humana, illud maximè inesset humanitati, hæc enim duntaxat est susceptiva accidentis; sed ita non est. Probo. Si quod medium infuisset humanitati antequam assumereretur à Verbo, illud fuisset vel gratia vel aliquod aliud accidens: At non solùm tale medium non infuit humanitati, sed nec adesse potuit: igitur nullum fuit. Major patet. Minor probatur: Quod est de complemento substantiali naturæ creatæ, priùs est in ea quàm quodlibet accidens: sed suppositum Verbi, utpote gerens vices suppositi creati, est de complemento substantiali humanitatis assumptæ: ergo priùs ipsi unitur quàm quodlibet accidens recipiat. Major est certa: Siquidem priùs est subjectum aliquod esse completum in ratione subjecti, quàm sit susceptivum cujusvis accidentis; non completur autem substantia in ratione subjecti, nisi habeat suum complementum substantiale.

Dices 1. Materia & forma non uniuntur sine prævijs dispositionibus quæ sunt media extrinseca: ergo pariter desiderantur aliquæ dispositiones ex parte humanitatis, ut fiat apta ad unionem hypostaticam.

V. Quare unio materiæ cum forma requirat mediam dispositionem, non verò unio hypostat.

Nego paritatem: Siquidem in humanitate unienda cum Verbo, non sunt dispositiones contrariæ quæ debeant expelli per qualitates contrarias; uti sunt in materia informata formâ aquæ vel ligni v. g. respectu formæ ignis suscipiendæ. Nulla enim est repugnantia ex parte humanitatis ut terminetur per Verbi personalitatem: nam si quid esset repugnantiæ, maximè propria personalitas, quæ cùm, non adsit, non potest officere isti unioni hypostaticæ.

Dices 2. Ad unionem beatificam animæ cum Deo, prærequiritur in anima aliquod medium extrinsecum; puta lumen gloriæ in intellectu, & habitus charitatis consummatæ in voluntate: igitur pari ratione requiritur aliquod medium extrinsecum ad unionem hypostaticam ex parte naturæ assumptæ, quô illa capax fiat illius unionis & assumptionis.

VI. Discrimen inter unionem beatificam & hypostat.

Nego paritatem: Quia unio beatifica fit per operationem facultatum intellectûs ac voluntatis, ad quam operationem necessariò prærequiritur, quòd facultates illæ sint completæ in ratione operantis & proportionatæ objecto supernaturali; quales esse nequeunt absque medio accidente eas facultates complente in actu primo & sublimante ad statum supernaturalem: Tale autem medium non requiritur ex parte naturæ assumptæ; sed satis est quòd illa sit in potentia obedientiali respectu Verbi illam assumentis: si enim prærequireretur aliquod accidens supernaturale, quô sisteretur in statu supernaturali, & proximè apto ad illam assumptionem, daretur processus in infinitùm; siquidem ad illud medium naturale recipiendum, præparari deberet per aliud medium, quod utique nullus admiserit.

Conclusio Secunda.

VII. Unio hypost. non est omnium maxima ex parte extremorum.

VNio hypostatica ex parte extremorum unitorum, non est omnium maxima: talis vero potest appellari ratione vinculi, seu suppositi Verbi per quod naturæ illæ invicem sociantur. Hæc est communis quoad utramque partem. Utramque

docet Doctor in 3. dist. 6. num. 9. quæst. 1. ubi respondens ad authoritatem S. Bernardi docentis unionem hypostaticam esse omnium maximam, ait primò: *Hic non est maxima unitas: quia maxima est hic distinctio naturarum. Secundò modò potest concedi maxima unitas post unitatem Trinitatis, quia una ipsa in se unitas est perfectissima, quia unum est infinitum, & alterum est substantia perfecta in se & ex unione ejus ad reliquum est perfectissimum per communicationem idiomatum: quia est Deus.*

Quibus Doctor dicit primò, illam unionem non esse omnium maximam ratione extremorum; quia tantò minor est unio aliqua ex parte extremorum, quantò magis extrema illa distant ab invicem; ideo enim minor est unio accidentis & subjecti, quàm materiæ & formæ, quia subjectum & accidens magis distent, & minorem habent proportionem, quàm materia & forma: sed natura divina & humana minorem ad invicem habent proportionem; qoippe cùm nullam habeant inclinationem ad unionem hypostaticam, & magis invicem distant quàm materia & forma: igitur hac ratione unio hypostatica non est maxima & strictissima omnium unionum.

Deinde, Unio illa est cò minor quò extrema illius magis recedunt ab identitate & unitate: sed natura divina & humana magis recedunt ab identitate & unitate in Christo, quàm materia & forma in composito physico: quippe duæ illæ naturæ omninò distinctæ secundùm suam entitatem distinctas habent facultates, & proprietates in Christo: non sic autem materia & forma quæ in tertiam entitatem coalescunt.

Denique, Unio illa est minor, quæ facit extrema inter se minùs unita: at hæc unio facit extrema sua, divinam scilicet naturam & humanam, minùs unita inter se, quàm unio substantiæ cum sua propria subsistentia, quia in hac, extrema sunt quasi eadem inter se realiter; in illa verò sunt omninò realiter distincta inter se: igitur unio hypostatica ratione extremorum non est omnium maxima.

VIII. Talis verò censeri potest ratione personæ, in qua duæ naturæ sociantur.

Secundam partem: sic probat seraphicus Doctor *suprà laudatus*: Nempe quòd unio hypostatica ratione personæ in qua duæ naturæ, divina & humana conveniunt, sit omnium maxima. Probat, inquam, quadruplici ratione. Videlicet propter illius personæ *simplicitatem*, quia unio est in persona Verbi quæ quidem est simplicissima. 2. propter *unibilium dignitatem*, quia tam natura assumens, quàm assumpta, inter cætera quæ sunt, habet excellentiam. 3. propter *inseparabilitatem*, quia tantô vinculô fortificata est illarum naturarum unio, ut nunquam fiat nec possit fieri separatio; natura enim illa inter cæteras naturas adhæsit æterno Verbo, quô portatur & sustentatur omne quod est sub eo. 4. Denique propter *singularitatem*, quia nunquam illa unio fuit huic similis. Quod utique confirmat sanctus Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 8. ubi cùm novem recensuisset modos unionis, concludit unionem Trinitatis maximam esse, & illi proximam adjungi unionem incarnationis: *Inter omnia*, inquit, *quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis; quâ personæ tres una substantia sunt: secundô locô illa præcellit quâ è converso tres substantiæ una in Christi persona sunt.* Quare idem Bernardus subjungens asserit fortiorem fuisse Divinitatem in conjungenda sibi carne, quam animam corpori, quia anima separatur à carne per mortem, non sic caro à Christi divinitate per passionem, quod enim Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit. Hinc S. Leo Sermone 17. *De Pass. in tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec suppliciò potuerit dirimi, nec morte disjungi.*

Vt eximiè probat seraph. Doct.

Dices 1. Quæ maximè distant, sunt minimè unibilia, & quæ minimè sunt unibilia, minimè faciunt unum: sed divinitas & humanitas maximè distant: ergo minimè sunt unibiles, & consequenter unio quæ est in Christo, est in infimo gradu omnium unionum.

Distinguo majorem: Quæ maximè distant, tam secundùm entitatem, quàm secundùm influentiam, erunt minimè unibilia, concedo: secundùm entitatem duntaxat, nego: Ad minorem, dico Deum equidem infinitè distare à creatura secundùm essentiam; non tamen secundùm influentiam & creaturæ sustentationem; nam hâc ratione maximè ipsi approximatur, & ideo maximè potest esse unitas inter Creatorem & creaturam, secundùm rationem sustentantis, qualis est in unione personali.

Quamquā natura divina & humana invicem maximè distent.

Dices 2. Quantò aliquid ex paucioribus constat, tantò magis est unum: sed in Christo reperitur major naturarum pluralitas, quàm in quolibet alio ente, sive creato, sive increato: ergo in eo minor est unitas quàm in cæteris entibus.

Distinguo majorem: Tantò magis est unum unione quæ fit per partium compositionem & constitutionem, concedo: aliter, nego: Unitas autem quæ est in Christo, ex naturarum compositione & partium constitutione non resultat; sed tantùm ex earum sustentatione per idem indivisible, & simplicissimum suppositum Verbi; & subinde Christi unitas non est minima.

Et licet Christus magis ex partibus constet quā aliud ens.

Dices 3. Magis est unum, quod est unum in natura & persona; quàm quod in persona tantùm; sed quilibet homo habet unitatem in natura & persona: Christus autem habet unitatem in natura tantùm: ergo major unitatis perfectio est in quolibet homine quàm in Christo.

Distinguit majorem seraphicus Doctor: Quando unitas personæ sequitur unitatem naturæ, concedit: tunc enim compositio in natura facit etiam compositionem in persona: secus, negat: In Christo autem unitas personæ antecedit unitatem naturæ assumptæ: hinc nullam inducit compositionem natura assumpta cum Verbo assumente, saltem compositionem propriè dictam & perfectam, ut diximus suprà.

Vnitas in natura & persona non est semper major quàm in persona tantùm.

SECTIO II.

De Persona assumente.

I. Reverâ solus Filius ex divinis personis est incarnatus.

CONSTANTISSIMUM est apud Catholicos, ex divinis personis solam filii personam humanitatem assumpsisse, ut apparet non solùm ex definitione Conciliorum, maximè quintæ Synodi *Collatione 8. Canone* 14. & Concilii Lateranensis sub Martino I. indifinitione Fidei, Canone quartô, & alterius ejusdem nominis sub Innocentio III. capite firmiter, &c. sed etiam apertè colligitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus Dei Filius specialiter dicitur incarnatus, à Patre nobis datus, & pro nobis in mortem traditus; quæ de Patre aut de Spiritu sancto pari ratione non efferuntur, quòd haud dubiè Deus in omnibus ad salutem nostram providendam

silentio non dedisset, & si Pater aut Spiritus sanctus, eâdem ratione quâ Filius, humanitatem assumpsissent. Hinc meritò dictum est anathema hæreticis dictis Patripassianis, qui, ut refert Socrates *lib. 2. cap. 19.* totam Trinitatem incarnatam fuisse dicebant; adversus quem denuò suscitatum errorem acerrimè pugnavit sanctus Anselmus librô de Incarnatione, quem eum ob finem scripsit. Non est igitur cur diutiùs immoremur in hac probanda constanti veritate, idcircò quatuor duntaxat proponimus hac in Sectione quæstiones, quarum *Prima* aperiet qualiter totus Filius humanam naturam assumpserit & terminaverit; *Secunda*, utrùm tres Divinæ personæ simul assumere possint unam naturam, & plures naturæ ab eadem persona assumi: *Tertia*, an Deus seu natura divina, ut communis tribus personis ratione subsistentiæ absolutæ, possit alienam naturam assumere, illique immediatè uniri: *Quarta* denique, an persona creata, saltem de potentia Dei extraordinaria, possit terminare naturam alienam.

QUÆSTIO PRIMA.

Qualiter & per quid Verbum Divinum naturam humanam terminaverit & assumpserit.

II.
Quæritur utrum Verbum terminet assumptionê humanitatis per aliquid personale, vel per aliquid essentiale.

NOtandum primò, quòd etsi conveniant omnes Theologi, solam secundam sanctissimæ Trinitatis personam humanitatem assumpsisse, eamque hypostaticè terminare *ut quod*, nihilominus controvertuntur invicem de ratione formali primaria, per quam Verbum primò & formaliter humanitatem terminat; an videlicet per subsistentiam absolutam & communem tribus divinis personis, vel per relativam personalem ac propriam; diximus enim in tractatu *de Trinitate*, in Deo tres esse subsistentias relativas quibus divinæ personæ in esse personali constituuntur, & ab invicem realiter distinguuntur. Diximus pariter, præter illas subsistentias relativas & incommunicabiles, dari in Deo secundùm se consideratо, & ut præintellecto ad personas, subsistentiam absolutam & personalem, per quam natura divina per se subsistit, non quidem incommunicabiliter, eô modô quô personæ, sed communicabiliter ut ipsamet essentia: quia Deus ut præintellectus relationibus ac personis, operatur *ut quod*, nam dicitur, Deus creat, gubernat, conservat: unde cùm operationes non sint nisi subsistentium, Deus ut sic consideratus debet habere subsistentiam.

III.
Natura divina secundùm se potest aliquô modô humanitatem assumere.

Notandum secundò, Naturæ divinæ aliquô modô convenire rationem assumendi; ita namque docent plurimi ex sanctis Patribus. Augustinus lib. 1. de Trinitate, *Forma*, inquit, *Dei assumpsit naturam servi*, ubi nomine *formæ* naturam significat. Sanctus Leo Sermone 5. de Nativitate: *Salvâ igitur proprietate utriusque substantiæ, & in unam coeunte personam, suscipitur à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili, Deusque verus & homo verus in unitatem Domini temperatur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei hominumque Mediator, & mori posset ex uno, & resurgere ex altero.* Sanctus Damascenus lib. 3. cap. 6. *Dicimus naturam Dei incarnatam esse secundum SS. Athanasium & Cyrillum.* Cùm autem assumptio naturæ duo significet, nempe principium actionis & ejus terminum: conveniunt Theologi, naturæ divinæ secundùm seipsam convenire, esse principium radicale & remotum assumptionis humanitatis; quippe ex ea tanquam ex radice oritur tota vis proxima & immediata terminandi, quæ reperitur in subsistentia relativa Verbi Divini, quia essentia divina secundùm suam subsistentiam absolutam est radix & principium ipsius personalitatis Verbi. Sed difficultas est, an etiam ipsi subsistentiæ absolutæ, propriè & immediatè conveniat terminare humanitatem assumptam, circa cujus difficultatis resolutionem variant Theologi.

Triplex capitalis Authorum sententia.

Notandum enim 3. Triplicem maximè assignari capitalem Theologorum sententiam, circa præsentis difficultatis resolutionem: *Prima* est Durandi in *3. dist. 1. quæst. 2.* contendentis unionem hypostaticam immediatè factam esse ad subsistentiam absolutam Dei, & primam rationem terminandi unionem, esse subsistentiam, non relativam & personalem Verbi, sed essentialem & absolutam divinæ naturæ: cui ex parte subscribunt Capreolus in *3. dist. 1. quæst. 1.* Marsilius in *1. quæst. 2. art. 1.* Franciscus Victoria ac Dominicus Soto, docentes Verbum terminare unionem humanitatis ratione subsistentiæ absolutæ, non præcisè sumptæ, sed ut modificatæ proprietate relativa Filii: ita quòd subsistentia absoluta sit ratio formalis terminandi, ipsa verò relatio seu personalitas Verbi, solùm conditio sine qua non eô proportionali modô quô potentia generativa in Patre constituitur per Essentiam Divinam, quæ tamen requirit tanquam conditionem, relationem Paternitatis, per quam modificatur. *Secunda* verò sententia negat rationem terminandi esse proprietatem relativam vel absolutam, sed, ut ita dicam, totam entitatem Verbi, quæ utramque rationem includit. Ita docet Ochamus in *3. quæst. 1. art. 2.* cui aliquatenùs consentit Gabriel. *dist. 1. notabili 5.* *Tertia* tandem est omnium aliorum Theologiæ principum, Alex. Alensis. *3. p. qu. 4. membrô 1.* Sancti Bonaventuræ in *3. dist. 1. art. 1. quæst. 2.* Sancti Thomæ *3. part. quæst. 3. art. 2.* Doctoris subtilis *dist. 1. quæst. 5.* & omnium eorum Discipulorum quibus ut subscribamus, sit.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.
Verbum Divinum non assumit nec terminat humanitatem per subsistentiam absolutam.

RAtio formalis proxima & immediata per quam Verbum Divinum terminat humanitatem, non est subsistentia absoluta & communis; sed relativa & personalis.

Probatur primò authoritate Concilij Toletani sexti & undecimi in confessione fidei his verbis, *Incarnationem Filii; tota Trinitas operata est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ, in id quod proprium est Filii, non quod Trinitati commune:* Sed si humanitas primò fuisset unita subsistentiæ absolutæ, reverà Filius suscepisset humanitatem in id quod commune est Trinitati, quippe talis subsistentia absoluta, sicut & Essentia Divina tribus personis communis est: igitur secundùm definitionem Concilii asserendum est humanitatem non fuisse immediatè unitam subsistentiæ absolutæ & communi, sed relativæ & personali per quam Filius constituitur in esse personæ & distinguitur à Patre & Spiritu sancto.

Ut probatur 1. ex Conciliis.

Confirmatur ex VI. Synodo generali actione 8;

ubi sub finem dicitur solum Verbum esse incarnatum, *Quia Pater & Spiritus sanctus nihil in incarnatione habent commune, nisi benignissimam voluntatem:* at si humanitas unita fuisset immediatè subsistentiæ Dei absolutæ & communi, Pater & Spiritus sanctus communicassent cum Filio non solùm in voluntate & in omni operatione, sed etiam in terminatione humanitatis; siquidem terminatio illâ tribus personis fuisset communis: Igitur juxta sententiam Concilii, humanitas non fuit primariò & immediatè unita subsistentiæ communi & absolutæ, sed subsistentiæ relativæ & personali Verbi.

2. Ex SS. Patribus.

Probatur secundò authoritate sanctorum Patrum; & imprimis sancti Dionysii lib. de divinis nominibus *cap. 2.* cujus testimonium laudatur in Synodo mox dicta: ait enim, *Discretum est autem in divinis operibus in nos benignè manentibus, quod secundum nos atque ex nobis integrè & verè substantiam sumpsit supersubstantiale Verbum; eaque gessit & pertulit quæ sunt humana ipsius assumptionis electa atque precipua: his enim neque Pater, neque Spiritus ullâ ratione communicant, nisi fortè quis asserat, benignitate, elementiâque & communicatione voluntatis, atque in omni supereminentissima & ineffabili operatione divina (per quam homo pro nobis factus immutabilis, profectò Deus & Dei Verbum) illos quoque accessisse consortes.* Eandem sententiam ab ipso desumptam profert sanctus Damasceous *lib. 3. de fide. cap. 6.* at si humanitas non tantùm fuit unita Verbo Dei ratione proprietatis personalis, sed etiam ratione communis subsistentiæ, idque primariò, ut opinatur Durandus, non solâ voluntate & efficacitate suâ, sed etiam aliquô modô unionis realis, Pater, & Spiritus sanctus communicassent mysterio Incarnationis: quod apertè negat sanctus Dionysius. Igitur, &c.

His adstipulatur sanctus Anselmus *lib. de Incarnatione cap. 4.* ubi disputans contra quosdam qui dicebant incarnatô Filiô Dei necesse fuisse incarnari Patrem & Spiritum sanctum, nisi persona distingueretur à natura realiter; ait: *Qui rectè suscipit ejus Incarnationem, credis eum non assumpsisse hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem personæ: hic autem* (nempe ille contra quem scribebat) *somniat hominem à Filio Dei magis esse assumptum in naturæ unitatem quàm in personæ unitatem; si enim hoc opinaretur, non diceret, magis esse necessarium Patrem cum Filio incarnatum, quàm esse possibile illum simul non esse incarnatum quia plures sunt personæ.* Quibus apertè concludit Anselmus unionem naturæ humanæ factam fuisse in eo quod proprium est uni personæ, ne cogamur asserere factam fuisse in natura, ac proinde cum omnibus personis.

3 Ratione Doctoris subtilis.

Ex his authoritatibus conclusionem etiam ratione evinco, quam subtilis Doctor *num. 5.* sic expendit. Si proprietas personalis non sit ratio terminandi immediatè naturam assumptam, id præstabit absoluta Dei subsistentia: sed falsum consequens: ergo & antecedens. Major constat, siquidem duplicis duntaxat generis in Deo est subsistentia: videlicet absoluta ac essentialis, & relativa ac personalis. Minor probatur. Si ratio formalis & proxima per quam Verbum terminat humanitatem, esset Dei subsistentia absoluta, sequeretur tres personas sanctissimæ Trinitatis terminare unionem naturæ humanæ, ac poinde dici posse incarnatas; sed hoc militat in fidem & definitionem Conciliorum ac doctrinam sanctorum Patrum: igitur, &c. Probatur sequela majoris. Illud terminat formaliter, in quo est ratio formalis terminandi: Suppositum enim Verbi non terminat, nisi quia habet rationem formalem terminandi: sicut non creat nisi quia convenit ei formaliter ratio creandi, &c. Sed subsistentia absoluta est formaliter in tribus personis; siquidem una-quæque earum est formaliter Deus: ergo si illa ratio formalis & proxima terminandi unionem humanitatis, sit ipsa subsistentia essentialis quæ est formaliter in tribus personis, etiam in eis erit ratio formalis terminandi; ac proinde humanitatem assumptam terminabunt: igitur cùm incarnari nihil sit aliud quàm terminare naturam assumptam, tres personæ reverà dici poterunt incarnatæ, quod est absurdum.

Confirmatur: Ideo persona Filii est immediatè unita naturæ humanæ, quia in illa datur ratio hypostaticè terminandi immediatè naturam humanam: sed si illa ratio terminandi immediata, sit subsistentia absolnta, ut vult Durandus, cùm hæc conveniat omnibus personis ex æquo, nam absoluta & essentialia communia sunt toti Trinitati, consequens est quòd non minùs Pater & Spiritus sanctus dicendi sint homo quàm Verbum, quippe tam Pater & Spiritus sanctus habent rationem formalem terminandi naturam assumptam, quàm ipse Filius.

V. Proponitur responsio Durandi.

Reponit Durandus consequentiam non valere. Ut enim, inquit, personæ dicantur incarnatæ, seu humanitati substantialiter unitæ requiritur duplex unio ipsius humanitatis: *Prima* quidem ad subsistentiam absolutam & communnem: *Secunda* verò, ad proprietatem personalem & relativam: unde cùm humanitas Verbo unita fuerit, non solùm secundùm subsistentiam absolutam & communem, sed etiam secundùm proprietatem relativam & personalem; aliis verò personis duntaxat uniatur secundùm subsistentiam absolutam & communem; hinc est quòd solus Filius dici possit incarnatus, non verò Pater aut Spiritus sanctus.

Et refellitur.

Contra. Id quod convenit naturæ divinæ secundùm se & ratione sui, tribus etiam divinis personis convenit & de ipsis prædicatur: ergo si divinæ naturæ conveniat primariò & per se terminare humanitatem, quatenùs est communis tribus personis, idipsum ipsis personis ex æquo conveniet. Antecedens constat, quoniam enim creare convenit naturæ divinæ quatenùs est hic Deus, etiam ex æquo convenit tribus personis.

Deinde: Assumptio humanitatis sumpta activè, seu pro principio unitionis naturæ divinæ cum humana, indivisim convenit tribus personis, quia primariò & per se convenit Deo quatenùs est hic Deus subsistens subsistentiâ absolutâ: ergo si terminare immediatè naturam divinam ita competat primariò naturæ divinæ, simili ratione convenit tribus personis.

Denique: Inauditum est duas admittere uniones in Christo. Unam mediatam, quâ humanitas unitur proprietati personali Verbi divini: alteram immediatam, quâ ipsa humanitas naturæ divinæ sociatur: atqui ex hypothesi quod unio fiat immediatè in essentia divina, seu subsistentia absoluta, erit duplex unio, altera in essentia, altera in personalitate Verbi divini: ergo, &c. Major constat: Siquidem hujus duplicis unionis, quam gratis fingit Durandus, nulla fit mentio nec apud sanctos Patres, nec apud Concilia: imò constantissimè patet ex eis, unicam duntaxat in Christo

esse

esse unionem quâ humanitas Verbo & Essentiæ divinæ sociatur.

Repones, idem argumentum in nos militare: nam si humanitas primariò terminetur ad Verbum, & secundariò ad naturam divinã, admittenda erit duplex unio: altera primaria inter humanitatem & personalitatem Verbi; altera verò secundaria, ipsius humanitatis ad naturam divinam: igitur in nostram sententiam militamus.

VI. Quòd humanitas primariò terminetur à Verbo & secundariò à natura divina, non sequitur diversa unio.

Nego antecedens: Nam quando statuimus primariò humanitatem terminari personalitate Verbi & secundariò naturâ divinâ, in hoc non distinguimus duplicem unionem, sed unicam duntaxat. Dicendo enim quòd natura divina sit secundus terminus, non intelligimus, quòd sit aliqua unio terminata primariò ad personalitatem Verbi, & alia media, quæ secundariò terminetur ad naturam, sed duntaxat quòd eadem prorsus unio duplicem habeat terminum: unum quidem immediatũ, nempe personalitatem Verbi: alterum verò mediatum, putà naturam divinam: quâ ratione similitudo inter duo alba primariò terminatur ad albedinem, seu concretum albi; secundariò autem ad substantiam cui albedo inest.

Conclusio Secunda.

VII. Humanitas assumpta non terminatur per subsistentiã absolutam, ut modificatam per Verbi personalitatẽ.

Verbum divinum non terminat humanitatem immediatè per subsistentiam absolutam ut modificatam per suam proprietatem personalem tanquam per conditionem sine qua non. Ita Doctor *ibidem numero* 6. quam utique veritatem sic probat: nullum suppositum potest esse conditio requisita ad hoc ut Essentia divina sit in ipso ratio formalis proxima & immediata ad aliquid præstandum, ita quòd non sit ejusmodi in aliis suppositis, nisi quia illud suppositum in quo habet quòd sit talis ratio formalis, præcedit terminum ad quem producendum vel acquirendum ipsa ratio formalis ordinatur. V. g. suppositum Patris non esset conditio requisita ad hoc, ut Essentia divina esset in eo ratio formalis & actualis generandi Verbum, nisi quia suppositum Patris præcedit origine terminum istius divinæ generationis, scilicet Verbum: sed quælibet divina persona præcedit unionem hypostaticam: ergo si Essentia divina sit in aliquo supposito ratio formalis terminandi, erit similiter in aliis duobus suppositis divinis.

Major constat: quia ideo Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, & spiratio activa quæ fit per voluntatem tanquam per principium formale *quò*, procedit ab utroque; quia voluntas est in utroque priùs origine quam Pater & Filius habeant relationem ad Spiritum sanctum, & sic in eis ratio formalis spirandi, præcedit origine terminum productum: & è contra licèt per circumincessionem vis generativa sit in Filio, & spirativa in Spiritu sancto, tamen neque Filius generat neque Spiritus spirat, quia ratio formalis generandi & spirandi non concipitur esse in eis antequàm termini generationis & spirationis activæ concipiantur producti. Ideo autem tres personæ indivisim creant & operantur ad extra, quia scilicet omnipotentia quæ est ratio formalis producendi & principium agendi ad extra, est ex æquo in tribus personis antequàm fiat illa productio, & terminus producendus existat: ergo à simili, cùm ratio formalis subsistentiæ divinæ sit in tribus divinis personis antequàm fiat assumptio humanitatis, si illa sit ratio immediata terminandi talem assumptionem, etiam ex æquo tri-

A bus personis conveniet.

Deinde, si Filius terminaret humanitatem, non per propriam & personalem subsistentiam, sed per absolutam & communem, ut appropriatam Verbo, non posset persona Verbi, ut distinguitur a Patre & Spiritu sancto, dici terminare humanitatem: sed hoc est erroneum & damnatum in Concilio Toletano 3. suprà laudato, ubi dicitur quòd solus Filius assumpsit humanitatem in eo quòd est proprium Filii: ergo, &c. Sequela majoris patet; quia enim virtus creandi, v. g. communis est tribus personis, non potest Filius per illam virtutem sibi appropriatam, seu ad se de- B terminatam per relationem filiationis, aliquid producere quin idipsum producat Pater & Spiritus sanctus: ergo cùm subsistentia absoluta sit communis tribus personis, non poterit Filius per illam specialiter terminare humanitatem quantumvis ad se sit modificata & determinata per subsistentiam personalem.

Denique, si Verbum divinum duntaxat terminaret humanitatem per subsistentiam absolutam, modificatam per suam subsistentiam personalem, sequeretur quòd humanitati assumptæ non communicaret personalitatem propriam, sed duntaxat subsistentiam communem & absolutam. Pro- C batur. Idcircò Pater communicando essentiam Filio, non communicat ipsi paternitatem, quia essentia in qua est primaria vis generandi, tantùm requirit Paternitatem ut conditionem sine qua non fieret generatio divina: ergo à simili si ratio formalis & proxima terminandi humanitatem in Filio sit subsistentia absoluta, & proprietas seu relatio personalis Filii, solùm interveniat tanquam conditio, consequens erit quòd Filius communicabit humanitati duntaxat subsistentiam absolutam, non verò personalem.

Dices 1. Per illam rationem convenit Verbo terminare formaliter unionem hypostaticam, D per quam virtualiter continet perfectionem suppositi creati, & capax est terminare potentiam obedientialem creaturæ: sed hæc ipsi conveniunt ratione subsistentiæ absolutæ, non verò personalis: igitur Verbum primariò terminat per subsistentiam absolutam, non verò per relativam.

VIII. Verbum non terminat humanitatẽ quia illam continet virtualiter, sed quia est independens.

Negat majorem Doctor, quia ut diximus aliàs ex ipso, ratio formalis terminativa in Verbo non petitur ex continentia virtuali; sed duntaxat ex independentia in ratione suppositi; quippe Verbum divinum non terminat humanitatem per modum causæ efficientis & producentis, sed dun- E taxat per modum suppositi terminantis, cui virtus terminativa competit præcisè quia in se & ex se habet rationem suppositi omninò independentis.

Dices Per id divinæ personæ convenit esse terminum assumptionis naturæ humanæ, per quod ei competit subsistere: atqui convenit personæ divinæ subsistere per subsistentiam absolutam, non verò per relativam; ergo Verbum terminat humanitatem primariò & immediatè per subsistentiam absolutam.

Nec etiam quis subsistit subsistentiâ absolutâ, sed personali.

Distinguo majorem: Per quod convenit ei subsistere essentialiter, nego: personaliter, concedo: per id enim terminatur humana natura per quod ultimò constituitur in esse personæ: similiter distinctâ minore; nego consequentiam.

Dices 3. Personalitas Verbi est quid idem, cum natura divina: ergo non magis immediatè terminat humanitatem per subsistentiam propriam,

quàm per subsistentiam communem & abso- A lutam.

Quamquã enim subsistentia personalis, sit quid idem realiter cum absoluta, distinguitur tamen formaliter.

Distinguo antecedens: Idem est realiter, concedo: formaliter, nego: unde neganda est consequentia: sicut enim distinctio formalis quæ est inter paternitatem & Essentiam divinam, sufficit ut essentia communicetur Filio non communicatâ personalitate; ita formalis distinctio filiationis à natura divina, est sufficiens ut filiatio immediatè terminet humanitatem, licèt eâdem immediatione Essentia divina non terminet.

Dices 4. Ex unione immediata humanitatis cum divinitate non sequitur unio personalis cum tribus divinis personis, neč consequenter tres divinas personas esse incarnatas: ergo nulla est ratio quâ maximè duæ præcedentes conclusiones stabiliuntur. Consequentia patet: Antecedens probatur: Quia si hoc sequeretur, maximè vel ratione connexionis personarum in una essentia, vel ex habitudine personarum inter se: At non primum, quia personæ divinæ sunt unitæ in essentia, & tamen una non est alia, nec in alia nisi ratione essentiæ. Non etiam secundum, quia illa habitudo est oppositionis seu distinctionis quâ una persona distinguitur ab aliâ, quia ipsi relativè opponitur; hæc autem habitudo potiùs arguit naturam humanam uniri posse uni personæ & non alteri: igitur, &c.

IX.
Si fieret unio in subsistentia absoluta, tres divinæ personæ propriè dici possent incarnatæ.

Nego antecedens: Inde namque reverà sequitur naturam humanam uniri substantialiter tribus personis, quia uniretur illis in vinculo communi substantiali, scilicet subsistentia; unde etiam sequeretur tres personas esse incarnatas, quia tres personæ sunt unus Deus, quippe uniuntur in una essentia ut in communi vinculo, licèt una non sit alia, nec in alia nisi ratione essentiæ. Quocirca sicut tres personæ sunt unus Deus, quia uniuntur in una Essentia divina communi: sic tres personæ essent homo, quia unirentur in humanitate assumpta ad essentiam & existentiam communem.

Nec valet paritas unionis relationum divinarum cum Essentia divina, quia idcirco personæ D divinæ propter illam unionem non sunt idem, quia Essentia divina cum illis relationibus non habet oppositionem, & ideo cum ipsis potest identificari, illæ verò relationes invicem opponuntur, & propterea constituunt distinctas personas. Cùm ergo humanitas oppositionem cum proprietatibus relativis non habeat, rectè infertur quòd si immediatè uniretur subsistentiæ absolutæ & communi, etiam uniretur saltem mediatè tribus personis.

Dices denique. Quando Verbum divinum assumpsit humanitatem, vel illi tribuit esse absolutum & essentiale; vel duntaxat esse relativum: Si primum; ergo per subsistentiam absolutam; nam E absolutum & essentiale non potest tribui per relativum: posterius autem dici nequit, quia persona humana est quid absolutum; & subinde non poterat suppleri per aliquid respectivum.

Respondeo Verbum divinum tribuisse humanitati subsistentiam suam relativam; nec id officere: quippe humanitas quidem subsistit absolutè, quando habet propriam subsistentiam, non verò quando habet alienam; tunc enim induit rationem ipsius subsistentiæ sibi communicatæ: unde persona Christi dici posset relativa; quia persona illa non aliud est quàm filiatio, quæ formaliter est relatio.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm subsistentia Dei absoluta & communis tribus Personis, possit naturam humanam assumere, illique immediatè uniri.

X.
Si tantùm esset unica in Deo persona, posset humanam naturam assumere.

NOtandum primò. Certum esse, quòd si Deus non esset trinus in Personis, sed in unica duntaxat persona existens, uti existimant Judæi & alii infideles qui mysterium Trinitatis negant, posset alienam naturam assumere illique immediatè uniri; nam in ea hypothesi haberet omni- B potentiam, necnon & personalitatem absolutam quâ constitueretur in ratione personæ: quæ cùm esset infinita in subsistendo, & terminando, haberet vim terminandi & sustentandi id omne quod sustentabile & terminabile est, quia non esset minor illius virtus in terminando, quàm sit modò in personalitate, & subsistentia relativa Verbi, cujus infinita virtus terminativa procedit à subsistentia absoluta, tanquam à prima radice quæ imbibitur in subsistentiis relativis, & constitutivis divinarum personarum. Solùm ergo difficultas & controversia est inter Theologos, an subsistentia absoluta, quâ individuum C Deitatis, seu hic numerò *Deus* qui subsistit in tribus personis, quatenùs præscindit à subsistentiis relativis, posset assumere naturam humanam & ipsi immediatè uniri. Quæ ut evidentiùs dissolvatur,

XI.
Duplex generatim est subsistentia in Deo: Absoluta & Relativa.

Notandum secundò. Duplicis generis in Deo subsistentiam admitti: unam quidem absolutam & communem; alias verò relativas & personales: quales sunt subsistentiæ Patris, Filii & Spiritûs sancti. De posterioribus subsistentiis nulla est controversia apud Theologos, cùm enim sit de fide tres divinas personas realiter ab invicem esse distinctas, consequens est ut earum quælibet habeat propriam subsistentiam, per quam in suo esse personali constituatur & ab alia distinguatur. D Verùm nonnulli Theologi negant in Deo subsistentiam aliquam absolutam & communem, quæ naturæ divinæ ita conveniat ut reverà illam efficiat per se subsistentem, quatenùs præscindit à personis divinis. Porro nobilior ac communior Theologorum sententia est, illam subsistentiam absolutam esse admittendam, ut probavimus in tract. de Trinitate, siquidem per subsistentiam absolutam nihil aliud intelligimus, quàm modum illum essentiæ divinæ, quô ut præscindit à personis, est substantia completa per se existens, hoc est independenter à subjecto à quo sustentetur, & ab aliqua parte à qua compleatur, necnon incommunicabilis ulli extrinseco comple- E mento à se realiter distincto: At nemo negare potest naturam divinam, ut præscindit à personis, esse substantiam completam per se existentem, & incommunicabilem ulli extrinseco complemento à se realiter distincto: igitur non debet esse dubium quin detur id quod intelligimus per nomen *subsistentia absoluta*. Quô etiam nomine eam designat S. Augustinus *lib. 7. de Trinit. cap. 4.* dum dicit; *Divinam naturam ad se subsistere* (id est subsistentiâ absolutâ subsistere:) *Nam omnis*, inquit, *substantia ad se ipsam existit, quantò magis Deus?* Hinc Agatho Papa in Epistola decretali quæ habetur 6. Synodo *art. 4.* ait: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum Deum*

Quid sit subsistentia absoluta & communis.

non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam, quibus verbis non negat subsistentiam relativam & personalem, de qua maximè tunc temporis erat controversia.

XII. Duplex est munus subsistentiæ creatæ.

Notandum tertiò, duo posse considerari & distingui in subsistentia creata: Unum quod compleat ipsam naturam quæ sine personalitate esset incompleta & imperfecta: alterum quod ipsam reddat incommunicabilem ulteriùs, ita quod sit ultimus ipsius naturæ terminus: quæ duo ita conjunguntur in creatis, ut nihil creatum possit causare unum, quin alterum etiam efficiat. Secus autem est in divinis, nam essentia divina, ut præintellecta divinis personis, cùm sit infinita, est omnimodè completa in ratione naturæ, non tamen est incommunicabilis; quippe tribus adorandis personis communicatur: unde subsistentia absoluta divinam quidem naturam significat completam & infinitè perfectam; redditur autem personaliter incommunicabilis per subsistentias relativas ac personales. Unde meritò Doctor in 3. *dist.* 5. *quæst.* 1. *num.* 2. ait: quòd si de ratione assumentis sit, quòd efficiat naturam incommunicabilem, Deus per subsistentiam suam absolutam non potest esse terminus naturæ humanæ nec eam assumere immediatè, quippe cùm per illam subsistentiam non possit eam reddere incommunicabilem: igitur tantùm remanet solvenda difficultas, an Deus per illam absolutam subsistentiam possit ita immediatè assumere naturam humanam, ut ejus terminet dependentiam quoad sustentationem, eamque perfectè completam efficiat.

Conclusio Unica.

XIII. Natura divina per subsistentiam absolutam posset humanitatem assumere.

Natura Divina, ut præscindit à personis, & subsistit subsistentiâ absolutâ, potest terminare dependentiam natura creata, eamque reddere subsistentem. Ita Doctor locô mox laudatô, & dist. 1. quæst. 2. num. 6. ubi ait: *Quòd autem ipsa essentia per se existens posset esse terminus proximus illius unionis, videtur, quia illa nullum habet esse a persona, sed est prius naturaliter quàm sit persona, & dat esse persona; est enim natura de se hæc, & per se subsistens; licèt non incommunicabiliter. Videtur autem quod incommunicabilitas non sit necessariò ratio propria terminandi istam dependentiam, sed subsistentia singularis.* Ex quibus conclusionem sic probo. *Primò*, Essentia divina sic spectata habet omnia requisita ad assumendam & uniendam sibi naturam humanam: igitur eam sibi unire potest & assumere. Probatur antecedens. Ens per se subsistens subsistentiâ absolutâ & omnino independenti ab alio ut compleatur, ac proinde habens virtutem illimitatam & infinitam in ratione subsistendi, habet id omne quod requiritur ad assumendam & uniendam sibi naturam alienam & ad efficiendam eam subsistentem: atqui Essentia divina sic spectata, est ejusmodi: nam infinita est in ratione existendi & subsistendi, & omnino independens ab alio, sive ut in ipso existat tanquam in subjecto, sive ut ab alio tanquam à parte compleatur: igitur habet virtutem infinitam & omnino independentem ad existendum & subsistendum. Minor patet. Major etiam constat, non enim aliâ ratione diximus Verbum Divinum posse per suam subsistentiam relativam assumere & sibi unire naturam humanam, quàm quia habet virtutem infinitam & omnino independentem in ratione subsistendi, saltem infinitate identicâ, quatenùs videlicet illius subsistentia imbibitur & identificatur cum subsistentia absoluta quæ omnino infinita est: igitur pari ratione hæc subsistentia absoluta poterit naturæ humanæ dependentiam terminare, eamque completè subsistentem reddere.

Quia habet virtutem omnino independentem ad subsistendum, & sustentandum.

Probatur secundò. Si quid obstaret quominus illa subsistentia absoluta posset efficere naturam absolutè subsistentem, maximè quia, cùm hæc absoluta subsistentia sit communicabilis tribus personis, sicut & Essentia, non posset illam naturam assumptam incommunicabilem efficere: sed hæc ratio non officit. *Primò*, quia subsistentia creata tantùm reddit naturam incommunicabilem suppositis à seipsa distinctis: sed illa subsistentia absoluta divina, est incommunicabilis suppositis à se realiter distinctis; quippe personæ Patris, Filij & Spiritûs sancti, quibus hæc natura cum subsistentia absoluta communicatur, non distinguuntur realiter ab essentia & subsistentia absoluta divina, sunt enim unus Deus: igitur illa subsistentia absoluta reddere potest naturam incommunicabilem alteri supposito realiter à se distincto: & consequenter eam efficier incommunicabilem eâ incommunicabilitate quæ sufficiat ad rationem subsistentiæ & suppositi.

Deinde, Subsistentia propria id maximè habet peculiare, quòd reddat naturam independentem actu ab aliquo supposito immediatè, in qua independentia immediata maximè consistit illius incommunicabilitatis ratio; sed eô ipsô quô dependeret natura humana totaliter a subsistentia absoluta, non posset dependere ulteriùs immediatè à divinis personis; sed duntaxat mediatè: ergo hâc ratione non minùs redderetur incommunicabilis per absolutam subsistentiam quàm per propriam.

His adde, non esse nostram sententiam quòd subsistentia absoluta possit seipsâ supplere omnem effectum quem præstat suppositum & personalitas: sed solùm quod præstare possit illius effectum primarium, qui consistit in complemento naturæ; ita quòd natura subsistens reddatur omnimodè completa & perfecta substantialiter, nec indigeat ulteriori complemento: hoc autem complementum præstare potest ipsa substentia absoluta: igitur potest efficere naturam aliquam subsistentem; & subinde potest illam assumere.

XIV. Deus etsi non esset trinus in personis, non minùs posset agere tam *ad extra*, quàm *ad intra*.

Confirmatur. Complementum enim quô indiget natura humana singularis & quod recipit à personalitate propria, vel aliena, est complementum prærequisitum ad actiones; unde illud vulgare, *Actiones sunt suppositorum:* sed natura divina, ut præintelligitur & præscindit à personalitatibus, habet omne complementum prærequisitum ad actiones tam ad intra quàm ad extra: ergo ut sic, potest complere naturam creatam non minùs quàm propria personalitas creata. Probatur minor quantùm ad actiones *ad extra:* certum est enim quòd Deus ut unus sine ulla multiplicatione personarum, & consequenter sine ulla personalitate relativa Paternitatis, Filiationis ac Spirationis activæ & passivæ, posset mediante subsistentiâ absolutâ operari, ac producere quidquid producit ad extra; Deus enim non agit ad extra ut trinus, sed ut unus.

Patet etiam eadem minor quantùm ad operationes *ad intra:* illæ enim non præsuponunt necessariò personalitatem; nam actio productiva Filii, nimirum generatio activa Patris & ejus Paternitas, est ipsamet personalitas Patris, nec præsuppo-

nit aliquid præter Essentiam divinam singularem ut per se existens est: ergo Essentia divina singularis habet ex se omne complementum prærequisitum ad actiones ad intra, nec completur per personalitates divinas, sicut natura creata completur per personalitatem creatam: quod utique maximè verum est in sententia Doctoris docentis personalitates & relationes divinas non importare formaliter perfectionem; quod enim non dicit formaliter perfectionem, non potest formaliter complere aut perficere naturam divinam.

Objicies primò. Essentia divina, ut præscindit à relationibus, non habet subsistentiam absolutam: ergo ut sic, non potest terminare unionem naturæ humanæ. Probatur antecedens: *Primò,* quia natura divina habet à sua existentia id omne quod habere posset ab ulla subsistentia absoluta ipsi superaddita: ergo frustrà & sine ullo fundamento admittitur illa subsistentia absoluta. *Secundò,* si haberet Essentia divina subsistentiam absolutam, sequeretur quod in Deo daretur suppositum absolutum & persona absoluta, & consequenter sic essent quatuor personæ in Deo; quod est hæreticum. *Tertiò,* Subsistentia est ultimus terminus naturæ quam afficit, sed Essentia divina, ut præintelligitur ad personalitates, nihil habet quod sit ejus ultimus terminus, alioquin esset incommunicabilis tribus personis; igitur non habet subsistentiam absolutam; & consequenter ruit principale argumentum nostræ assertionis.

XVI. Subsistentia divina absoluta & existentia, distinguuntur tantùm ratione.

Nego antecedens, & ad ejus primam probationem dico, quòd si verum sit illius antecedens, existentia absoluta Essentiæ divinæ erit ipsiusmet subsistentia, quod certè nullatenus nobis adversatur. Quantùm autem ad rei veritatem & conformiter ad doctrinam subtilis Doctoris, existimo non distingui aliô modô subsistentiam absolutam Essentiæ divinæ ab ejusdem existentia, quàm vel solô nomine, vel solâ distinctione rationis ratiocinantis; nam Doctor locis supra laudatis asserit Essentiam divinam ut per se existentem posse terminare unionem naturæ humanæ; & consequenter substsistentiam pro existentia usurpat.

XVII. Natura assumpta per subsistentiam absolutam, non posset dici persona.

Ad secundam probationem, Nego sequelam majoris: nam per suppositum & personam, communiter intelligitur id quod est omnino incommunicabile; cùm autem natura assumpta per illam subsistentiam absolutam non esset omnino incommunicabilis, sed ulteriùs posset communicari personis divinis & ab eis ultimò terminari, idcirco propriè non posset dici persona, sed tantùm substantia singularis completa substantialiter.

XVIII. Subsistentia generatim sumpta non debet esse necessariò ultimus naturæ subsistentis terminus.

Ad tertiam probationem: Distinguo majorem. De ratione subsistentiæ est quòd sit ultimus terminus, quatenùs est subsistentia creata, vel divina personalis & relativa, concedo: de ratione subsistentiæ ut sic, aut quatenùs est subsistentia divina absoluta, nego. Itaque nego quòd de ratione subsistentiæ ut sic, sit esse complementum formale naturæ, quia opporteret omnem subsistentiam complere naturam substantialiter, & sic subsistentia diuina personalis ac relativa compleret naturam divinam, quòd falsum est, quia ex se & per se est omnimodè completa in ratione naturæ. Nec etiam de ratione ejus subsistentiæ ut sic, est quòd sit ultimus terminus incommunicabilitatis naturæ, quia aliàs subsistentia absoluta efficeret naturam omnino incommunicabilem. Unde non existimo posse dari aliquem unum conceptum determinatum subsistentiæ ut sic, qui conveniat univocè omni subsistentiæ tam relativæ quàm absolutæ.

Instabis. Doctor subtilis in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. docet ideò personam posse assumere, quia est incommunicabilis: naturam verò divinam non posse, quia communicabilis est: igitur ejus sententia est subsistentiam absolutam non posse esse terminum naturæ assumptæ. *Deinde,* Idem *dist.* 6. *quæst.* 1. affirmat naturam assumptam non posse existere per existentiam Verbi: sed, ut mox diximus, subsistentia & existentia absoluta idem sunt: igitur si non possit illa natura existere per existentiam absolutam, nec etiam poterit per subsistentiam absolutam subsistere.

XIX. Doctor subtil. non negat naturam divinam posse terminare naturam creatam.

Respondeo ad primum, non eam esse mentem Doctoris, ut fingit *Lorca* qui existimat subtilem Doctorem nostræ assertioni adversari: siquidem eò loci tantùm contendit Doctor non bene probari à Varrone & S. Thoma, quòd persona divina possit supplere defectum personalitatis propriæ ex hoc quòd contineat in se virtualiter perfectionem cujuslibet personæ creatæ. Quia, inquit Doctor, non magis persona divina continet virtualiter quamcumque personam creatam, quàm natura divina contineat virtualiter quamcumque naturam creatam: sed ex eo quòd natura divina contineat virtualiter naturam creatam, non sequitur quòd possit cum ea uniri in unitate naturæ, neque efficere, ut locô naturæ humanæ faciat unum per se cum personalitate humana: ergo nec ex continentia virtuali personæ divinæ sequitur quòd possit ita supplere defectum personalitatis humanæ, ut ejus vice & locô possit facere unum per se cum natura humana.

Ad secundum, Dico nihil contra sententiam nostram evinci, nam ex eo quòd natura humana dicatur assumi per subsistentiam absolutam, non sequeretur quòd illa deberet existere per existentiam absolutam, quia antecedenter ad illam assumptionem & unionem quâ uniretur isti subsistentiæ absolutæ, deberet necessariò præintelligi existens propriâ existentiâ: & consequenter licèt subsistentia & existentia absoluta sint unum & idem, non sequeretur quod natura illa existeret existentiâ absolutâ; sicut per subsistentiam absolutam subsisteret.

Nec etiam id SS. Patribus adversatur.

Objicies secundò, cum Vasque *disp.* 17. *c.* 2. hanc nostram assertionem adversari SS. Patribus & Conciliis: SS. Patribus quidē, quia SS. Patres non cognoverunt unionem aliam naturæ creatæ cum Deo, nisi vel in natura, vel in persona quam solam admittunt: sed unio cum natura divina ratione subsistentiæ absolutæ, non est unio nec in natura, nec in persona: igitur nostra assertio SS. Patribus adversatur. Minor apparet: non enim fit unio naturæ humanæ cum divina in unitate naturæ. Neque etiam illa unio fieret in unitate personæ; siquidem subsistentia absoluta non habet rationem personæ. Minorem probat Vasques, *Primò,* quia nullius alterius unionis usquam mentionem fecerunt. *Secundò,* quia Concil. Toletanum 11. apertè dicit: *Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ; in id quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati.* *Tertiò,* S. Anselmus q. præcedēti à nobis laudatus disertè docet, *eum qui rectè suscipit Incarnationem, credere Verbum non assumpsisse hominem in unitatem naturæ, sed in unitatem*

persona. Quibus verbis S. Anselmus arguit adversus hæreticum qui dicebat quòd incarnatâ divinâ personâ, necessarium erat tres simul incarnari. Quem errorem ut revincat Anselmus, infert eum hæreticum sentire unionem fuisse factam non in persona, sed in natura: at si præter unionem in natura vel in persona, possibilis esset unio cum homine Deo ut communi tribus personis ratione subsistentiæ absolutæ, illatio S. Anselmi non valeret; quippe ex unione naturæ humanæ cum subsistentia absoluta & communi, verum esset quòd si illa unio tribueretur uni personæ, etiam tribuenda esset duabus aliis: igitur, &c.

Quarum mens & sententiæ objectæ explicantur.

Nego majorem, & ad ejus primam probationem dico, quod etsi SS. Patres & Concilia non meminerint alterius unionis quàm ejus quæ fit vel in unitate naturæ, vel in unitate personæ, non sequitur quòd aliam impossibilem judicaverint; loquuti sunt enim de unione actu, non verò de possibili; quia agebant contra hæreticos Eutychianos vel Nestorianos; quorum illi asserebant unionem Verbi factam fuisse in unitate naturæ: hi verò negabant eam fuisse peractam in unitate sive naturæ sive personæ.

Ad secundam dico, eos duntaxat docere unionem Verbi cum natura humana factam fuisse non in natura, sed in persona; seu in id quod proprium est Filio, non quod est commune toti Trinitati; non tamen negatâ unione in natura, inferunt necessariò illam debuisse fieri in persona, sicut contendit Vasques. *Addo quod* loquantur de unione ut actu peracta est, non verò de ea quæ fieri posset.

Ad tertiam probationem dico, S. Anselmum non necessario concludere, quòd si unio non sit facta in unitate personæ, necessariò & absolutè fieri debuerit in unitate naturæ; quasi non esset alius modus unionis Deo possibilis; sed duntaxat quòd duo illi modi, nempe in unitate naturæ & personæ, solùm erant actu; scilicet unio in unitate naturæ in creaturis quæ componuntur ex diversis partibus in unam naturam coalescentibus; aliam verò in unitate personæ, quâ natura divina & humana invicem sociantur.

Instabis: Si uniretur natura divina naturæ humanæ ut subsistens subsistentiâ absolutâ, vel uniretur in unitate naturæ, vel in unitate personæ: quippe illa esset unum singulare: ergo vel idem realiter cum natura divina per quam subsisteret: vel completa per personam: sed neutrum dici potest. Non quidem primum quia aliàs esset idem natura assumens & natura assumpta: vel ex natura divina & humana fieret una aliqua natura, quod est absurdum. Non etiam in unitate personæ, quia natura divina cui uniretur immediatè, non est persona: igitur unio illa non est possibilis.

XVIII. Unio naturæ divinæ cum humanana per subsist. absolutam non esset in unitate naturæ nec personæ.

Nego majorem: non enim tunc assumptio aut unio naturæ humanæ fieret in unitate vel naturæ vel personæ, sed duntaxat in unitate unionis naturæ divinæ cum natura; ex qua sequeretur quòd natura humana dependeret à natura divina & esset ipsi intimè unita, sicus de facto dependet à Verbo quia ipsi intimè unitur.

Urgebis: Ex eo quòd persona est terminus immediatus unionis naturæ ad Verbum, sequitur quòd natura sit unita in unitate personæ: ergo ex eo quòd natura divina esset terminus immediatus unionis naturæ humanæ, consequens esset quòd illa unio fieret in unitate naturæ.

Subsistētia absoluta potest reddere naturā incommunicabilem;

Nego consequentiam quia conjungi, seu assumi in unitate personæ, nihil aliud denotat quàm naturam quæ assumitur conjungi immediatè cum persona, & esse subsistentē in illa persona: sed uniri seu assumi in unitate naturæ, significat quòd natura assumpta vel identificetur naturæ assumenti; vel faciat cum ipsa compositionem, constituendo cum ea tertiam aliquam naturam, quod utique omninò Deo repugnat. Unde si valeat hęc consequentia, *Natura humana est assumpta à divina persona*, ergo *ad unitatem persona*: hæc tamen non valeret: Est *assumpta à natura*: ergo *ad unitatem natura.* Quia, inquit Doctor dist. 1. quæst. 2. circa finem, in priori Enthymemate, ex vi constructionis verborum, significatur sobsistentiam personæ divinæ communicari naturæ humanæ, absque eo quòd identificetur cum ea, aut aliquam cum ea compositionem efficiat: significatur enim solùm naturam humanam subsistere in persona divina: in posteriori verò Enthymemate, ex vi constructionis verborum, significatur naturam communicari naturæ vel per identitatem, vel per compositionem; cùm enim dicitur natura assumi ad unitatem naturæ, satis declaratur non ampliùs duas, sed unicam ex duabus naturam coalescere: quod utique Deo repugnat.

Objicies 3. Illa subsistentia absoluta non impediret resultantiam personalitatis propriæ: ergo id fieri non potest. Consequentia patet: aliàs enim cum natura simul assumeretur persona. Quòd sit impossibile, patebit infra. Antecedens verò probatur. Illud solùm potest impedire resultantiam personalitatis creatæ, quod ei tribuere potest id omne quod haberet à propria personalitate: Atqui subsistentia communis non potest conferre naturæ assumptæ incommunicabilitatem quam ei tribueret propria natura: igitur non potest impedire resultantiam illius personalitatis.

Nego antecedens: Ut enim subsistentia absoluta impediat in natura assumpta propriam personalitatem, sufficit quòd tribuat illi naturæ existere per se & esse completam essentialiter, etiamsi non conferret illi incommunicabilitatem quæ desideratur ad rationem subsistentiæ; nam cùm ratio existendi per se, sit prior in persona quàm incommunicabilitas quæ duntaxat ex illa sequitur; consequens est quòd si impediatur resultantia propriæ personalitatis, quatenus illa est modus existendi per se & completè essentialiter, etiam impediet ex consequenti illius resultantiam quatenus esset modus existendi incommunicabiliter.

His addo quæ diximus suprà, vel quòd incommunicabilitas non sit de ratione subsistentiæ, vel quòd illa subsistentia absoluta redderet naturam assumptam incommunicabilem supposito à se realiter distincto: vel denique quod licèt natura illa assumpta non haberet immediatè à suo termino, nempe à subsistentia absoluta, omnimodam incommunicabilitatem; illam tamen obtineret à terminis mediatis; putà à personalitatibus divinis à quibus mediatè & concomitanter, aut consequenter illa natura sic assumpta terminabitur, sicut terminatur & fit incommunicabilis ipsâ subsistensiâ absolutâ.

Propositio *hic homo* non significat absolutâ personam.

Objicies denique: In ea hypothesi, *hic Deus* esset *hic homo*; sed hic homo, est persona: ergo natura sic assumpta assumeretur in unitate personæ.

Nego minorem: Sicut enim persona non significatur per hunc terminum, *Deus*; ita neque significaretur per hunc terminum, *homo*: unde licèt

hic homo sit nomen suppositi ac personæ ordinariè loquendo; tamen non ita foret in præsenti hypothesi, quia nempe *hic homo* duntaxat subsisteret per subsistentiam quæ non esset personalis, sed tantùm quæ efficeret naturam ultimò completam communicabiliter, non verò incommunicabiliter, quia hæc natura assumpta sicut & subsistentia per quam subsisteret, esset communicabilis tribus personis.

Instabis: Eo in casu vel quælibet ex divinis personis esset homo: vel non: utrumque autem videtur absurdum: ergo, &c.

Respondeo quòd quælibet foret homo, quippe humanitas cum ipsa subsistentia absoluta tribus personis communicaretur; neque inde ullum apparet inconveniens, si enim superficies v. g. cui inest albedo, simul existeret in Petro & Paulo, reverà Petrus & Paulus forent albi: ergo pari ratione, si unio naturæ divinæ cum humana communicaretur tribus personis unà cum ipsa subsistentia absoluta, haud dubium quòd quælibet ex illis personis esset homo, sicut est hic Deus per se subsistens.

QUÆSTIO III.

Vtrùm plures Personæ divinæ possent assumere eandem humanitatem, & eadem persona plures humanitates?

I. Tres divinæ personæ possunt simul eandē naturam terminare mediatè.

NOtandum 1. Theologos convenire tres personas divinas posse simul assumere & terminare eandem humanitatem terminatione mediatâ: si nempe subsistentia absoluta & communis illam naturam immediatè assumeret & terminaret; quia ut dictum est in præcedenti quæstione, eô ipsô quòd talis subsistentia communis illam naturam terminaret & sibi uniret, terminaretur etiam à subsistentiis relativis personarum, quibus illa subsistentia absoluta communicaretur. *Conveniunt* insuper, quamlibet ex divinis personis posse naturam humanam assumere, & illam sibi hypostaticè unire; siquidem assumptio naturæ competit personæ, vel activè ratione omnipotentiæ quæ est illius assumptionis principium effectivum; vel passivè ratione personalitatis quæ est illius assumptionis terminus: Sed quælibet ex divinis personis habet per omnipotentiam, & personalitatem omninò independentem infinitam vim in terminando: igitur quælibet potest naturam humanam assumere, & incarnari. Nec inde sequeretur ulla personarum confusio, licèt Pater, si incarnaretur, appellaretur Filius; nam eadem persona potest dici Pater & Filius diversô respectu; illa autem divina persona diceretur Pater quatenus est principium generationis æternæ Verbi: diceretur autem Filius quatenus esset terminus generationis temporalis ex Virgine: unde non esset Filius Dei sicut Verbum, sed duntaxat Filius Virginis.

II. Peculiari & nobiliori modô in humanitate Christi quā in aliis rebus sunt præsentes.

Notandum 2. Certum esse tres divinas personas peculiari & nobiliori modô residere in humanitate Christi quàm in omnibus creaturis. Quam utique veritatem eleganter docet S. Augustinus Sermone 3. de Tempore, ubi ait, *Filius suscepit carnem; & non deseruit Patrem: nec se divisit à Patre. Suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate: sed tamen Pater & Spiritus sanctus, non defuit majestate. In divinitate æqualitas, in carne sola Filii proprietas; non tamen ab eo Patris aut Spiritus sancti recessit aliquando divinitas. Cùm ergo una sit Deitas, una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus sanctus; sed majestate, non susceptione, &c.* Hæc autem nobilior & peculiaris residentia colligitur ex connexione, vel potiùs identitate essentiali quæ est inter divinas personas; ita quòd, si per impossibile tres adorandæ personæ in omnibus creaturis non existerent, tamen propter unionem unius personæ cum humanitate, duæ aliæ etiam in illa residerent: *Quemadmodum enim* (inquit S. Basilius Epist. 43.) *in catena, qui unius annuli summitatem apprehendit, hôc ipsô simul alterum insertum attrahit: ita & hîc qui Spiritum trahit, per ipsum Filium & Patrem unà simul attraxit. Et si quis verè Filium apprehenderit, habebit & ipsum utrumque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum sanctum unà compactum.* Non est igitur difficultas de præsentia reali & personali trium divinarum personarum in eadem humanitate: sed duntaxat de earumdem unione hypostatica, an videlicet tres simul eidem naturæ individuali possint uniri hypostaticè.

Notandum 3. Circa præsentem quæstionem duas principes esse sententias: *Primam* quidem affirmantem tres divinas personas posse simul eandem naturam assumere: quam tuetur S. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 6. quem sequuntur ejus discipuli qui in suas partes etiam ex nostris advocant; *Alensem* q. 2. memb. 4. *S. Bonaventuram* in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 3. *Ochamum* item in 3. dist. 1. & nonnullos alios. *Secundam* verò sententiam tuetur subtilis Doctor in 3. *dist.* 1. *q.* 2. *num.* 5. cum suis omnibus discipulis, quibus ut subscribamus, sit

CONCLUSIO PRIMA.

PLures divinæ personæ non possunt eandem numerò naturam assumere, illamque propriis subsistentiis immediatè terminare.

Probatur primò, authoritate sancti Anselmi *lib.* 2. cur Deus homo *cap.* 9. ubi ait, *Plures personæ nequeunt unum eundemque hominem assumere in unitate personæ: quare in una persona tantùm hoc fieri necesse est.* Et librô de Incarnatione Verbi cap. 4. *Filiô incarnatô non est necesse alias quoque personas incarnari, sed impossibile.*

III. Tres personæ non possunt eandem naturam simul assumere immediatè.

Nec valet reponere cum S. Thoma, ejusque Discipulis, sanctum Anselmum ibi *hominem* accipere pro natura singulari personata propriâ personalitate; non verò pro natura quæ nondum intelligitur affecta suâ personalitate. Hæc enim responsio aliena est prorsus à mente sancti Anselmi: quippe ejus intentum erat investigare in quanam trium divinarum personarum facta fuerat hypostatica unio; supponit autem non fuisse peractam in tribus divinis personis, imò nec fieri potuisse, ut inde colligat in una tantùm persona, nempe secundâ, illam unionem fuisse factam: Et reverà quidem, nam si per hanc particulam, *hominem*, sanctus Anselmus intelligeret humanam naturam affectam suâ personalitate, nihil planè concluderet; quia æquè implicat hypostasim assumi ab una persona, atque à tribus. *Adde quòd* paulò post asserit, *Verbum assumpsisse hominem*, quò significat, vocabulô *hominis*, nihil aliud denotare quàm naturam humanam secundùm se spectatam.

Probatur secundò. Si tres divinæ personæ possent simul assumere eandem numerô naturam, sequeretur naturam illam esse infinitam: at re- 1. Quia inde sequeretur illam

naturam esse infinitam.

pugnat naturam aliquam creatam infinitam esse: Ergo pariter repugnat illam à pluribus persona assumi. Minor constat. Probatur major. Idcirco natura divina concluditur esse infinita, quia ipsa eadem numerô potest esse indivisim in tribus suppositis divinis: ergo pari ratione si natura humana in tribus suppositis existeret, censeretur infinita. Patet antecedens, quia quâ ratione illa natura potest esse in tribus personis divinis sine ulla sui divisione, eâdem ratione posset esse in infinitis, sicque haberet vim existendi infinitam; quia in infinitis personis posset existere. Consequentia etiam patet, quia natura humana singularis, qualis est assumpta à Verbo Divino, de se non est limitata potiùs ad tria supposita quàm ad centum, aut mille, si tot essent in divinis: ergo quantùm est de se, si possit esse in tribus suppositis, poterit etiam esse in infinitis si darentur.

Reponunt Thomistæ, falsam esse illam sequelam; ideo namque, inquiunt, natura divina censetur infinita, non quia communicatur tribus suppositis, sed maximè quia communicatur suppositis à se realiter indistinctis, quæ connaturaliter exigit & sibi identificat: secus autem est de natura humana assumpta, quæ nec identificaretur illis suppositis, sed esset ipsis adventitia; nec illa connaturaliter exigeret, sed duntaxat ad illa determinaretur per potentiam obedientialem.

Contra. Infinitas & illimitatio non oritur ex sola illa identitate unius rei ad alteram, sed ex sola aptitudine qua res aliqua potest infinitè se se communicare; si enim daretur aliqua albedo v. g. quæ ex se posset infinitos parietes afficere & dealbare, licèt ab eis esset distincta realiter & solùm adventitia, non minùs tamen censeretur infinita, quia contineret virtutem & perfectionem infinitarum albedinum: ergo pari ratione, si natura humana communicari posset infinitis suppositis, quamvis eis foret adventitia & ab eis realiter distincta, non minùs censeretur infinita.

IV.
2. Quia natura semel personata non potest ulteriùs personari.

Probatur tertiò. Natura humana affecta propriâ subsistentiâ & personalitate non potest assumi à Verbo Divino: ergo ubi affecta est personalitate Verbi, non potest amplius assumi a Patre, nec à Spiritu sancto. Consequentia patet à paritate rationis; idcirco enim natura affecta propriâ personalitate non est ampliùs assumptibilis hypostaticè, quia est omnimodè completa & terminata substantialiter: at etiam talis est per suppositum Verbi: igitur, &c.

Negant paritatem Thomistæ, & rationem disparitatis hanc proferunt, quod aperta sequeretur contradictio si natura subsistens & terminata per propriam personalitatem, rursus terminaretur per aliam; sequeretur enim quòd illa subsisteret in se & in alio; & sic subsisteret in se & non subsisteret; quod est contradictorium: secus autem est si subsisteret in tribus personis, quia sic tantùm subsisteret in alio.

Contra. Non aliunde potest esse contradictio quòd natura subsistat in se & in alio quam quia ut subsistit in se, est totaliter & adæquatè terminata ac substantialiter completa, ex quo fit ut non possit amplius terminari & compleri: atqui eadem ratio contradictionis sequitur ex eo quod natura sit terminata, per personalitatem Verbi, quia subsistentia Verbi non minùs perfectè, imò longè perfectiùs terminat & complet substantialiter illam naturam, quàm terminare ac complere possit proprium suppositum: igitur par utrobique ratio. *Adde quod* gratis supponant esse contradictionem, quòd natura subsistat in se, & quòd subsistat in alio; nam omnis contradictio debet esse penes unum & idem respectu unius & ejusdem: at in eo casu, natura humana non esset in se & in alio respectu unius & ejusdem, quia esset in se respectu & ratione propriæ subsistentiæ; in alio autem, ratione subsistentiæ alienæ: igitur non solùm nulla est eorum replica, sed etiam minùs recta loquutio.

Probat tertio. Doctor. Non potest unum & idem à pluribus adæquatè pendere: at si natura creata tribus personis divinis uniretur, à pluribus totaliter & adæquatè penderet: ergo repugnat unam & eandem naturam à pluribus personis divinis assumi. Major videtur certa, eamque colligit Doctor per inductionem. Primo quidem ab exemplo causæ efficientis totalis: nam aliàs sequeretur quòd illæ causæ essent totales & non essent totales. Essent totales ut supponitur tam à nobis quam ab adversariis: non essent autem totales, quia cùm de conceptu intrinseco causæ totalis, sit quod totum effectum & totaliter producat, eo ipso quòd alia causa simul cum ipsa illum produceret, sequeretur quòd vel partialiter cum ipsa produceret illum effectum, & sic non esset illius causa totalis; vel totaliter produceret, & sic alia causa nihil influeret in effectum, quippe supponeret illum à priori causa totali productum. Colligit etiam ab inductione in aliis generibus causæ; maximè verò in accidentibus, quæ cùm essentialiter pendeant à subjecto, unum & idem pendere non potest à duobus subjectis primis in suo genere. Minor verò suadetur; id enim ab altero totaliter & adæquatè dependet, quod existit illô positô, cæteris etiam quibuscumque seclusis: sed natura creata per quamcumque ex tribus divinis personis assumpta, reverà subsisteret per se & esset completa substantialiter, etiam si non assumeretur ab aliis personis, sicuti est de facto a solo Verbo assumpta: igitur si à tribus assumeretur, à qualibet earum personarum totaliter & adæquatè penderet.

V.
3. Quia una natura non potest simul à pluribus dependere.

Confirmatur. Quia duæ causæ efficientes totales & ejusdem ordinis non possunt producere eundem numerô effectum: quia ut mox dictum est, simul essent totales & non totales; ergo à simili, duæ causæ formales extrinsecæ, quales essent prædictæ personæ respectu terminationis illius naturæ humanæ, non possent illam terminare, quia illarum quælibet totaliter terminaret & non totaliter.

Huic rationi variè respondent Thomistæ; sed communior eorum solutio ea est, quam tradit Caietanus dicens; quod licet non possit unus & idem effectus pendere a duobus dependentiâ causali quæ est stricta; potest tamen ita pendere dependentiâ non causali sed terminativâ quæ est dependentia non stricta: discrimen enim inter utramque dependentiam est, quod effectus productus à causa totali, eatenùs totaliter ab ea pendet, quatenùs habet suum esse ab illa; quocirca cùm jam habet esse ab una causa, non relinquitur in eo capacitas per quam censeatur pendere ab alia, quia nullum ab illa esse mutuatur, ratione cujus censeretur ab ea dependere: natura verò terminata subsistentiâ alienâ non accipit suum esse ab ea, sed solùm modum quemdam unionis per quem dicitur ab ipsa sustentari & terminari. Cùm igitur natura sit capax triplicis modi unionis & diversi, quia tribus personis successivè saltem potest uniri; dum habet unum modum, &

ratione illius unitur uni personæ, non manet expleta secundùm extensionem capacitatis quâ terminari potest ab alia; quare accedere potest alia persona tribuens alium modum unionis; non quidem ex indigentia; sed ex sola capacitate. Hinc illa natura per unam subsistentiam terminaretur adæquatè adæquatione quidem intensivâ, non autem extensivâ; sicut pater in creatis ex vi ejusdem relationis quâ ad unum filium refertur & ab illo adæquatè intensivè terminatur, dum generatur alter filius ad ipsum denuò terminatur adæquatione extensivâ.

Verùm contra primò: Quemadmodum effectus productus à causa efficiente totali suum esse ab ea mutuatur totaliter; ita natura aliqua singularis suam sustentationem & terminationem totalem accipit à suo termino totali; cum hoc solo discrimine, quòd effectus accipiat esse simpliciter à causa; natura verò solùm habeat esse modificatum à subsistentia: igitur quemadmodum acceptio esse totalis ab una causa totali excludit aliam quamcumque causam totalem ejusdem ordinis, ita acceptio esse modificati, scilicet sustentationis totalis, ab una subsistentia totali, excludere debet quamcumque aliam subsistentiam totalem.

Insuper: Natura esset adæquatè terminata & completa extensivè per propriam subsistentiam: igitur etiam talis est per subsistentiam Verbi quæ non minorem habet virtutem terminandi naturam, ac illius capacitatem explendi quàm propria subsistentia. Ad exemplum de relatione, dico illud esse falsum: sicut enim in quolibet individuo hominis geniti est diversa differentia individualis diversimodè determinans naturam specificam, ita etiam est adæquata ratio terminandi relationem diversam filiationis: quapropter gratis asseritur quòd multiplicatis filiis non multiplicentur relationes; quippe cùm sint diversæ rationes fundandi, & omnes conditiones ad multiplicationem relationum desiderandæ ibi reperiantur.

Objices 1. In Mysterio Incarnationis *tota ratio facti est potentia facientis*, inquit sanctus Augustinus Epistola 3. quæ est ad Volusianum: igitur in hoc mysterio magis attendenda est virtus personæ assumentis quàm conditio personæ assumptæ: At Omnipotentiæ divinæ non repugnat tres personas unicam naturam assumere: igitur id possunt exequi. Major patet. Minor probatur: Divinæ personæ possunt eandem naturam assumere si non sese excludant à consortio ejusdem naturæ: At ita est; quippe in eadem natura divina subsistunt: igitur etiam subsistere possunt in eadem natura humana.

Distinguo majorem: Attendenda est magis potentia facientis quàm ratio facti in his quæ contradictionem non implicant, concedo: quæ implicant, nego: implicat autem, ut diximus, quòd eadem natura terminetur totaliter à pluribus terminis totalibus & adæquatis.

VI. Discrimen inter personam subsistentem in natura divina & humana.

Ad probationem minoris, dico non esse parem rationem de subsistentia divinarum personarum in natura divina, & in humana; tùm quia natura divina est infinita, & sic ei non repugnat esse in pluribus; tùm quia personalitates divinæ non tribuunt rationem subsistendi naturæ divinæ, quia illa à se subsistit per suam subsistentiam absolutam, sed tantùm personis quæ inter se sunt realiter distinctæ: at verè naturæ creatæ personalitas tribuit subsistere, quod nequit à pluribus totalibus & adæquatis subsistentiis conferri.

Objicies 2. Humanitas secundùm se assumptibilis est à quacumque divina persona: ergo omnes simul eam possunt assumere. Antecedens constat, quia, ut diximus, quælibet ex divinis personis potest naturam humanam assumere. Probatur consequentia. In illo instanti quô una ex divinis personis naturam assumit, aliæ duæ personæ divinæ possunt agere secundùm ultimum potentiæ suæ ut eandem naturam assumant: quô in casu, *vel* illa natura à tribus assumetur, & sic habetur intentum; *vel* à nulla, quod est absurdum, quippe Deus agendo secundùm omnimodam potentiam suô non potest frustrari effectu: *vel* ab una tantùm, quod dici nequit, cùm non sit potior ratio cur assumatur ab una quàm à multis; cùm tres divinæ personæ sint æqualis virtutis, & natura assumptibilis sit in potentia obedientiali, ut assumatur à qualibet divinarum personarum: igitur, &c.

VII. Tres divinæ personæ non possunt omnem suã vim exercere ut eandẽ naturam assumant.

Respondet Doctor num. 7. Negando quòd tres divinæ personæ suam possint impendere virtutem ad assumptionem simultaneam ejusdem naturæ, propter earum incompossibilitatem in terminatione ejusdem naturæ; Deus enim suam virtutem non exerit circa impossibilia & ea quæ contradictionem important; qualis est illa assumptio simultanea. Possunt equidem, inquit Doctor, tres divinæ personæ simul agere ad assumptionem ipsius naturæ ab aliqua persona ex illis, ita quòd licèt tres agant, unica duntaxat naturam assumat & terminet: *Et si dicas*, inquit Doctor, *quod potest simul agere qualibet persona ad uniendam illam naturam sibi, nego: quia impossibile est ut simul uniatur pluribus: quia impossibile est totaliter dependere dependentiâ ejusdem rationis ad plures personas, cùm sit nata terminari ad unam personam, & ad incompossibilia non possunt persona simul agere.*

Instabis: Id præstare possunt tres divinæ personæ, quòd est in potentia obedientiali per ordinem ad quamlibet ipsarum: sed natura creata est in potentia obedientiali ut assumatur à qualibet ex divinis personis: igitur tres simul possunt illam assumere. Major constat. Probatur minor: Antequam assumeretur natura à Filio, potuit assumi à Patre: ergo etiam postquam assumpta est à Filio. Probatur consequentia. Ideo fuit assumptibilis à Patre antequam assumeretur à Filio, quia ad illam assumptionem habebat potentiam obedientialem: sed illam eandem potentiam habet dum est assumpta à Filio, neque enim eam potuit perdere, cùm sit ipsi realiter identificata: igitur eam conservat.

Confirmatur: Quia potentia obedientialis quàm habebat in ordine ad Patrem, non habuit suum actum neque impleta fuit per sui ipsius assumptionem à Filio: siquidem illa potentia obedientialis ordinabatur ab unionem naturæ cum Patre: unio autem cum Patre est diversæ rationis ab unione cum Filio, sicut personalitas Patris est diversæ rationis, aut saltem numerô distincta, à personalitate Filii: igitur unio quæ fieret cum Patre distingueretur numerô ab unione quæ fieret cum Filio; & consequenter potentia naturæ quatenùs respicit personalitatem Patris est, vel diversæ rationis, vel diversa numerô à potentia respiciente unionem cum Filio: atque adeò unio cum Filio non reducit ad actum illam potentiam obedientialem naturæ quatenùs ordinatur ad Patrem: ergo non obstante ipsius naturæ unione cum Filio, habet adhuc potentiam obedientialem ut uniatur cum Patre & consequenter potest adhuc uniri.

Distinguo

VIII. Natura assumpta ab una persona, non habet amplius potentiam obedientialem ad aliã personam, ut simul ab ea assumatur.

Distinguo majorem : Quod est in potentia obedientiali, nec ullam habet repugnantiam ut reducatur ad actum, concedo : quando illam habet repugnantiam, nego. Ad minorem dico, natura assumpta à Filio adhuc habet potentiam obedientialem ad Patrem, ut cum ipso uniatur in sensu diviso, concedo : in sensu composito, nego: hoc est, secundùm se spectata posset quidem uniri cum Patre ; id verò non potest quatenus assumpta & terminata est per Filium, quia jam omnimodè est completa substantialiter & totaliter terminata.

Ad confirmationem similiter nego ultimam consequentiam : quamvis enim illa potentia obedientialis non habuerit actum quatenus ordinatur ad Patrem, non sequitur quòd illum possit habere, quando jam terminata est, & reducta ad actum per personalitatem Filii, propter incompossibilitatem terminationis totalis quæ fieret per personalitates Patris & Filii : quam utique veritatem clarè demonstrat Doctor respondendo ad præfatum argumentum, ab exemplo parietis, qui licèt habeat potentiam ad albedinem & nigredinem, tamen ubi reducitur ad actum per præsentiam & adhæsionem albedinis, non potest reduci ad actum illâ potentiâ quam habebat ad nigredinem, propter incompossibilitatem nigredinis cum albedine : Sic, » inquit Doctor, natura nunc personata à Verbo, » si dimitteretur ab eo, posset assumi à Patre ; sed » stante actuali assumptione à Verbo, licèt sit in » potentia assumptionis à Patre, non potest tamen » reduci ista potentia ad actum propter incompos» sibilitatem illius actûs ad istum ; hoc est, perso» nalitatis Verbi ad personalitatem Patris in eadem » natura assumpta.

Urgebis : Natura unita Verbo habet inclinationem ad personalitatem propriam : ergo & ad quodcumque potens illam personalitatem supplere : sed personalitas Patris potest illam supplere : igitur dicit inclinationem ad personalitatem Patris.

XI. Natura assumpta non habet actualem inclinationẽ ut termineetur ab alia persona.

Distinguo sequelam majoris : Habet inclinationem ad id omne quod potest propriam personalitatem supplere, si aliundè non sit impedimentum & repugnantia, concedo : si sit, nego : & similiter distinguo minorem. Personalitas Patris potest illam supplere, in sensu diviso & ex hypothesi, quòd non esset aliundè assumpta, concedo : in sensu composito, ubi semel assumpta est, nego.

Adde quòd retorqueri potest argumentum, quia quamvis natura assumpta à Verbo conservet inclinationem ad proprium suppositum, ut supponitur ; non tamen potest simul cum unione ad Verbum habere personalitatem propriam : ergo licèt ut unita Verbo haberet inclinationem ad suppositum Patris, non sequitur quòd possit cum unione ad Filium habere unionem cum Patre.

Objicies 3. Idem accidens potest esse in duobus subjectis : ergo eadem natura in duobus suppositis. Probatur consequentia à paritate rationis. Antecedens etiam constat, quia possunt esse simul duo corpora, unum gloriosum, alterum non gloriosum in eodem loco : ergo possunt habere unum *ubi* ; Ubi, autem est accidens ipsorum ; ergo unum accidens potest esse in diversis subjectis. Quòd autem eadem duo corpora habeant idem ubi, patet, quia correspondet ipsis idem locus, & consequenter eadem circumpscriptio activa : ergo etiam habent eandem circumscri-

A ptionem passivam : sed circumscriptio passiva est ubi : ergo illa duo corpora habent idem ubi.

Respondet Doctor negando antecedens, ad cujus probationem dicit illa duo corpora non habitura idem ubi, sed diversa. Et ad probationem respondet, locum illum, in quo continerentur duo corpora, habere duas circumscriptiones activas in eadem superficie, & consequenter duæ erunt circumscriptiones passivæ in illis corporibus, quia superficies ambiens est fundamentum sufficiens fundandi plures circumscriptiones activas in pluribus corporibus circumscriptis, sicut una albedo sufficit ad fundandas plures similitudines albi in pluribus albis.

X. Quamquã unum accidens possit esse in diversis subjectis, tamen una natura non potest terminari à diversis suppositis.

B *Verum* ; quoniam hîc videtur Doctor supponere quòd unum accidens non possit esse in pluribus subjectis, cujus oppositum ex ipso docuimus in Philosophia : Ideo *Respondeo* negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quòd non sequatur contradictio, ex eo quòd unum accidens ponatur in pluribus subjectis, quia hoc solùm designat multiplicationem præsentiæ & informationis, quod non repugnare docuimus in Physica: repugnat autem eandem naturam subsistere pluribus subsistentiis. Ad Doctorem autem dico, ipsum negavisse accidens posse pluribus subjectis inesse, eô modô quô de facto unico subjecto inest ; de facto enim ita est in uno subjecto, ut per se & adæquatè dependeat ab illo, quô certè modô nequit C existere in pluribus subjectis : sed in illis potest esse, ita ut tantùm partialiter ab uno dependeat ; simile autem dici nequit de subsistentiis, quia quælibet subsistentia tribuit totum esse completum substantiale, & est ultimus ejus terminus.

Objicies denique : Si simultanea terminatio ejusdem naturæ à tribus divinis personis repugnaret, illa repugnantia peteretur, vel ex parte naturæ terminabilis, vel ex parte personarum terminantium : sed ex neutro capite potest hæc repugnantia, seu contradictio reperiri. Non quidem ex parte personarum terminantium, quia illæ non se excludunt à convenientia, & terminatione ejusdem naturæ creatæ. Non etiam ex parte naturæ, D quia illa dicit potentiam obedientialem ad omnes personas divinas : igitur illa simultanea terminatio à tribus personis divinis non repugnat.

XI. Id enim repugnat tam ex parte personæ assumentis, quàm ex parte naturæ assumptæ.

Nego minorem : Illa namque repugnantia petitur tùm ex parte personarum assumentium, quæ cùm sint termini totales respectu naturæ assumendæ, non possunt suam virtutem simul exercere circa eandem naturam : repugnat etiam ex parte naturæ, quæ cùm sit omnimodè completa per unam subsistentiam, non habet unde compleatur per alteram.

Ad probationem dico, non eandem esse rationem terminationis divinæ ac humanæ ; tùm quia E cùm natura divina sit infinita, potest esse in pluribus suppositis ; tùm quia illa natura non completur in suo esse substantiali per subsistentias relativas, sicut compleretur natura humana ; nam subsistentiæ relativæ non dant esse substantiale naturæ divinæ, quæ jam supponitur undequaque completa per subsistentiam absolutam, sed duntaxat eam naturam divinam determinant ad constituendas personas ; unde non est paritas inter terminationem utriusque naturæ.

Conclusio Secunda.

XII. Verbum Divinum potuit plures naturas assumere.

VNica persona divina potest plures naturas creatas assumere. Ita Doctor in 3. *distinct.* 1. *quæst.* 3. ubi conclusionem sic probat. Plures naturas simul assumi à Verbo non repugnat, neque ex parte Verbi, neque ex parte naturarum: ergo potest illas assumere. Probatur antecedens. Primò quidem ex parte Verbi, quia habet virtutem infinitam terminandi, & subinde non potest exhauriri per terminationem unius naturæ. Adde quod per illam terminationem tantùm ponuntur in ipso Verbo plures relationes rationis, vel Verbum ipsum per suam subsistentiam terminat plures relationes reales naturarum assumptarum. Neutrum autem repugnat Verbo. Non primum, quia multiplicatio relationum rationis nullam arguit in Verbo mutationem aot dependentiam realem. Non etiam secundum, quia Deus & tota Trinitas terminat omnes relationes creaturarum: Igitur Verbum potest plures ex illis relationibus terminare. Non etiam repugnat ex parte creaturarum, quia omnes sunt in potentia obedientiali, & dependent æqualiter à persona divina assumente: ergo quâ ratione una potest assumi, etiam & altera; actualis enim dependentia unius naturæ non repugnat dependentiæ alterius naturæ, inquit Doctor.

Nec tamen inde sequitur quòd esset multiplex homo.

Dices primò. Si Verbum assumeret plures naturas, aut esset unus homo, aut plures homines: at neutrum dici potest. Non primum, quia haberet plures humanitates, & consequenter esset multiplex homo. Non etiam secundum, quia esset unicum suppositum; ubi autem est unicum suppositum, est unicus homo, licèt plures sint formæ; qui enim plures habet scientias propter unitatem suppositi, non dicitur plures scientes, sed unus sciens.

Quia ex pluralitate suppositorum non sequitur. pluralitas conceptuũ, nisi etiam adsit multiplicitas formarum.

Respondet Richardus negando sequelam: dicendo nempe quòd in eo casu nec esset unus homo, nec plures. *Verùm* responsionem impugnat Doctor. Primò quia unum & multa sunt opposita immediatè dividentia ens: ergo nullum est ens de quo non possit dici, quòd sit unum ens vel multa entia: igitur de illo ente quod est homo, verum erit dicere quòd sit unus homo, aut multi homines. Secundò, quia de quolibet ente necessariò debet dici quòd sit unum aut non unum: ergo etiam de quolibet ente quod dicitur homo, potest dici quòd sit unus homo aut non unus homo; sed si dicatur quòd non sit unus homo, debet dici quòd sit plures homines, ubi enim negatur unum, affirmantur multa; in affirmatione scilicet quæ fit per positionem.

Respondet sanctus Thomas quæst. 3. *art.* 7. quòd esset unus homo propter unitatem suppositi, sicut dicitur unus sciens, licèt plures habeat scientias. Quam responsionem impugnat Doctor: quia, inquit, si concretum hominis deberet non multiplicari, quando suppositum esset unum, sequeretur quòd ad multiplicationem suppositi, concretum deberet multiplicari; sed falsum consequens, quia aliàs tres personæ divinæ deberent dici tres dii. Unde

Respondet Doctor pluralitatem concretorum non esse petendam ex sola pluralitate suppositorum, ut vult sanctus Thomas, sed etiam ex pluralitate formarum: ita quòd quantumcumque sint plura supposita, non sequatur pluralitas concretorum, si unica sit forma. V. g. ex pluralitate suppositorum divinorum non sequitur pluralitas Deorum, quia in divinis est unica tantùm divinitas. *Deinde*, ly *homo*, est terminus adjectivus respectu personæ divinæ, ut docet Doctor *dist.* 7. *quæst.* 1. & ideò numerari non potest nisi numeratis suppositis: & si teneatur quòd sit terminus substantivus, & dicatur substantivè de proprio supposito, tamen dicitur adjectivè de supposito Verbi; saltem quoad modum prædicandi; cùm autem quodlibet adjectivum ultimatè dependeat, & terminetur ad substantivum, non potest ipsum adjectivum esse ratio terminandi significatum alterius adjectivi per se; ideoque cùm hæc dictio *homo* sit adjectiva, non poterit terminare dictionem numeralem, *duos*, ratione sui, quia adjectivum reducitur ad suum substantivum, nec censetur multiplicari nisi ipsô multiplicatô. Mitto fusiorem hac de re discussionem magis grammaticalem, quàm Theologicam, rectiúsque hoc in casu censerem Verbum non appellandum unum hominem nec plures, sed unum duntaxat suppositum habens plures humanitates.

Dices secundò. Si naturæ distinctæ speciei assumerentur simul à Verbo, sequeretur non solùm duo contraria, sed etiam duo contradictoria posse enuntiari de eodem: sed falsum consequens: ergo, &c. Probatur major. Nam si Verbum assumeret ignem & aquam simul, sequeretur calorem & frigus quæ contraria sunt, simul existere; similiter si assumeret simul hominem & columbam, sequeretur unum & idem suppositum esse simul rationale & irrationale, quæ sunt contradictoria.

Nulla etiã inde sequetur contradictio.

Nego majorem: nam si Verbum aquam & ignem assumeret, solùm sequeretur ignem & aquam esse simul simultate suppositi & terminantis, non autem simultate existentiæ, & veluti penetrationis naturarum assumptarum. Similiter, si assumeret naturam hominis & columbæ nulla sequeretur contradictio, quæ solùm intercedit inter negationem & affirmationem penes unum & idem: quare sequeretur quidem unum & idem ens esse rationale & irrationale, non respectu ejusdem, sed respectu diversorum.

Quæstio IV.

An persona creata possit alienam naturam terminare & assumere.

I. Natura cogitari potest dupliciter à persona creata posse assumi, putà, vel effectivè, vel terminativè.

NOtandum primò, ex Doctore in 3. *distinct.* 1. *quæst.* 4. *nu.* 2. naturam cogitari posse duobus modis à persona creata assumi. Scilicet vel effectivè, vel terminativè, seu formaliter. *Effectivè* quidem, uniendo videlicet ipsam naturam cum natura creata, cujusmodi tota Trinitas univit naturam humanam cum Verbo, & illam unionem conservat: *Terminativè* autem, nimirum illam unionem & naturæ communicationem terminando, quemadmodum Verbum Divinum terminat & sustentat humanam naturam sibi unitam. Certum est autem nullam naturam creatam posse alterutrum præstare propriâ virtute; tum quia subsistentia, seu personalitas creata limitatur ac determinatur per propriam naturam; tum quia unio hypostatica unius naturæ cum altera, est opus miraculosum; nulla autem creatura propriâ virtute patrare potest miracula, ideoque nec alienam naturam assumere & terminare. An autem alterutrum aut utrumque divi-

Triplex circa hanc resolutionem est Authorum sententia.

nâ & extraordinariâ Dei virtute fieri possit, non A conveniunt Authores. Etenim Ochamus in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad* 13. & 14. docet personam creatam posse divinitùs alienam naturam, non quidem assumere effectivè, sed terminativè: cui subscribunt plurimi ex nostris; illi maximè qui docent personalitatem creatam esse formaliter aliquid positivum. Thomistæ verò quàm-plurimi negativam partem amplectuntur: Doctor verò subtilis utramque sententiam probabilem existimat, quapropter utriusque solvit fundamenta. Quid autem verius existimemus, ut innotescat apertiùs;

II. Quid sit personalitas & quas communicationes neget.

Notandum secundò, seu revocandum ex iis quæ docuimus in Metaphysica, quòd *persona creata* B *est natura rationalis incommunicabilis existentia ut quò & ut quod.* Quæ definitio ut evidentiùs pateat, sciendum est quòd duplex est communicabilitas, quantùm ad præsens attinet: *Prima* est quâ aliquid communicatur alteri ut forma, vel ut pars; qualiter anima communicatur corpori, humanitas Petro, & brachium toti integrali, & hæc dicitur communicabilitas *ut quò*, quia quod sic communicatur, est quò aliquid est tale, v. g. corpus animatum, Petrus homo; *Secunda* est quâ aliquid alteri communicatur per identitatem, puta natura communis suis inferioribus; & hæc dicitur communicabilitas *ut quod*, quia quod sic communicatur, est idem realiter C cum altero cui communicatur, sic homo communicatur Petro & Paulo, & Essentia divina tribus personis. Negatio primæ communicabilitatis tam actualis quàm aptitudinalis, est id quò constituitur persona in ratione personæ; hinc anima separata non est persona, quia licèt actualiter non communicetur, habet tamen aptitudinem ut iterum uniatur & communicetur suo corpori: similiter humanitas Christi non potest dici persona, licèt sit actualiter & aptitudinaliter incommunicabilis & incommunicata ut quòd, quippe non potest prædicari de multis: tamen est communicabilis & communicata ut quô tanquam forma totalis supposito & personæ Verbi.

III. Prima incommunicabilitas personæ provenit à differentia individuali: secunda verò procedit ex defectu agentis extrinseci, non unientis naturam cum alieno supposito.

Notandum tertiò, quòd ex istis duabus nega- D tionibus posterior oritur ex individuatione naturæ specificæ, quia ideo persona non est communicabilis ut quòd pluribus individuis actualiter, & aptitudinaliter, quòd per hæcceitatem & differentiam individualem determinata & contracta sit ad esse individui; unde etiamsi hæc sit personata aliena personalitate, ut contingit in humanitate Christi, tamen secum habet hanc negationem. *Altera* verò negatio communicabilitatis nempe *ut quò*, oritur non ex aliqua entitate positiva individui vel personæ, sed ex defectu actionis agentis extrinseci non unientis ipsam naturam cum aliena persona; ex eo enim quòd E aliquod agens extrinsecum non causaverit unionem inter naturam individuam cum aliqua personalitate extranea, natura individua remanet sine unione cum personalitate extranea; unde manet in se personata propriâ personalitate. Quibus præmissis, duo sunt impræsentiarum determinanda. Primum quidem, an per divinam potentiam persona creata possit effectivè assumere & sustentare naturam alienam: secundum verò, an saltem terminativè id præstare queat.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Persona creata non potest ex se effectivè naturam alienam assumere.

Persona creata non potest ex se effectivè assumere naturam alienam nec eam sibi hypostaticè unire. Ita Doctor locô laudatô, eamque sic probat. Natura creata ab eo solùm assumi potest effectivè ad unionem hypostaticam, respectu cujus habet potentiam obedientialem: sed nulla natura habet potentiam obedientialem ad aliquam creaturam; aliàs illa potentia non diceretur obedientialis, sed naturalis, prout naturalis potentia opponit obedientiali: ergo nulla persona creata potest effectivè assumere naturam alienam. Major patet: cùm enim illa assumptio naturæ vires excedat, ut dictum est in primo Notabili, & propterea mysterium Incarnationis dicitur miraculorum omnium maximum, & opus dexteræ Excelsi, evidens est quòd connaturaliter fieri non possit, sed ad id exigat virtutem omnes naturæ conatus excedentem. Minor etiam constat, quippè potentia obedientialis in creatura respicit solam efficientiam primæ causæ, cui tanquam omnium efficientium principi subordinatur & subjicitur.

Deinde. Nulla creatura particularis potest evertere, destruere, aut impedire id quod ex se pertinet ad ordinem universalem rerum primæ causæ immediatè subditum: at subsistentia propria alicujus naturæ & illius fluxus seu emanatio pertinet ad dictum ordinem: ergo nulla creatura potest illum invertere, nec consequenter impedire, ne illa subsistentia fluat ab ipsa natura individuali, & subinde non poterit illam ad se effectivè sumere. *Denique*, Suppositum creatum, secundùm sententiam probabiliorem, dicit formaliter negationem: sed negatio non potest habere virtutem effectivam, partialem aut totalem respectu illius positivi: igitur, &c.

Dices primò: Tàm persona creata potest unire naturam aliquam alieno supposito, quàm potest eandem unire cum proprio illius supposito: atqui postremum nedum fieri potest, sed & quotidie fit, dum enim pater aliquis producit filium, sicut videtur attingere unionem corporis cum anima, ita etiam videtur unire naturam sui filii cum illius supposito, quia producit illam naturam subsistentem & suppositatam: ergo posset etiam vel ipse, vel saltem Angelus illam naturam effectivè unire cum alieno supposito.

Nec eam unire cum proprio.

Respondeo primò, negando minorem: falsum enim est propriè loquendo, quòd qui producit naturam singularem, uniat illam cum proprio supposito: sicut nec propriè illam unit cum suis proprietatibus, quæ potiùs dicuntur ex natura producta fluere quàm ipsi uniti.

Nec cum alieno supposito.

Respondeo secundò, negando majorem: tùm quia datô quòd producens naturam uniat illam cum proprio supposito, tunc non invertit, imò sequitur ordinem universalem rerum; ad hoc autem ut illam uniret cum alieno supposito, invertendus esset rerum præscriptus ordo, quod utique causa secunda præstare nequit: tùm quia sicut non potest pater unire corpus filii sui cum animâ alia ab ea quæ est filio propria; ità dicendum de natura respectu proprii suppositi.

Dices secundò: Agens superioris ordinis, quod continet perfectionem inferioris, potest illius virtutem & effectum supplere: sed persona angelica v.g. est superioris ordinis respectivè ad huma-

nam omnemque hominum perfectionem virtualiter continet : igitur potest bumanam personam supplere, ejusque vices præstare & consequenter potest naturam bumanam sibi hypostaticè unire.

V.
Neque etiã id præstare Angelus potest.

Negat minorem Doctor *num.* 4. Sicut enim Angelus non continet potentiam visivam, itaut possit supplere defectum ejus, quamvis habeat potentias longè superiores facultati visivæ; ita licèt in ratione personæ formaliter sit præstantior quam persona humana; non sequitur necessariò quòd possit supplere defectum & præstare vices personæ humanæ.

Adde quòd negari possit quòd persona Angelica in ratione personæ sit præstantior personalitate humana.

Conclusio Secunda.

VI.
Id tamen præstare posset per extraordinariam Dei potentiam.

PRobabilius est per extraordinariam Dei potentiam quòd personalitas creata possit terminare alienam naturam & ipsi hypostatici uniri.

Probatur primò ex S. Hieronymo in caput 1. Aggei; ubi postquam recensuit quorumdam opinionem dicentium Malachiam Aggeum & sanctum Joan. Bapt. fuisse Angelos in assumptis corporibus, subdit ipse, *Non mirum esse hoc de Angelis* C *credi; cùm pro salute nostra Dei Filius ipse carnem assumpserit.* Idem antea docuerat Tertull. lib. 3. contra Marcionem cap. 9. Hinc evidenter colligitur assertum in conclusione esse saltem possibile, etsi fortè reverà nunquam hoc fieri contigerit.

Quia inde nulla sequitur contradictio.

Probatur secundò. Id omne tribui debet divinæ potentiæ extraordinariæ, quod manifestam contradictionem & repugnantiam non importat : sed nulla apparet repugnantia quòd personalitas creata ultra propriam naturam, etiam alienam terminet : ergo, &c. Major constat. Minor verò patebit ex solutione omnium rationum quas pro ne- D gativa sententia proferunt Adversarii.

Objiciunt itaque primò : Suppositum terminans naturam alienam debet esse omninò independens: sed suppositum creatum quodcumque non est independens : igitur alienam naturam non potest terminare. Minor patet : quidquid enim est creatum eô ipsô est dependens. Major verò probatur : Tùm quia hâc ipsâ ratione probavimus Verbum divinum idcirco terminare naturam homanam quia est independens in ratione personæ; tùm quia cùm natura sustentetur per suppositum, idque duntaxat per unicum, necesse est quòd illud suppositum sit omninò primum & independens.

VII.
Maximè cùm non sit absolutè necessarium quod suppositum terminans alienam naturam sit independens.

Respondet Doctor, non esse ita verum quòd suppositum debeat esse omninò independens ad E hoc ut terminet; licèt enim ea sit ratio cur Verbum terminet naturam bumanam; tamen fieri posset quòd aliâ ratione suppositum creatum terminaret dependentiam alterius naturæ si assumeretur à Deo ad id præstandum.

Adde quòd substantia creata terminat adæquatè dependentiam accidentis in ratione subjecti, & tamen non est simpliciter independens; imò ipsa personalitas propria terminat dependentiam naturæ propriæ, cùm tamen illa non sit simpliciter independens.

Objiciunt secundò : Duæ naturæ creatæ non sunt unibiles in eodem supposito, nisi una se habeat per modum actus, altera verò per modum potentiæ : at in unione hypostatica, de quâ nunc A loquimur, non fieret talis unio naturarum, quoniam naturæ debent remanere impermixtæ; naturæ autem quæ uniuntur ut actus & potentia, non permanent impermixtæ, sed ex illis fit tertia entitas & compositum : igitur non possunt invicem in unico supposito creato convenire.

VIII.
Nec etiam quod una natura se habeat per modum actûs & altera per modum potentiæ.

Respondet Doctor, negando majorem; nam si propter assignatam rationem duæ naturæ haberent incompossibilitatem in supposito creato, eandem haberent in supposito increato; & consequenter essent incompossibiles, quia naturæ illæ subsistentes per suppositum increatum, ut fit reverà in incarnatione, non habent rationem actûs B & potentiæ : ergo si hôc non obstante natura creata terminari possit per personalitatem Verbi, etiam poterit terminari per personalitates creatas; si enim duæ naturæ, puta divina & humana, subsistere possint per suppositum Verbi absque eo quòd una sit actus alia verò potentia, quidni idipsum fieret, si duæ naturæ creatæ in eadem personalitate creata subsisterent?

Objiciunt tertiò : Si duæ naturæ possent per suppositum aut personalitatem creatam terminari, Incarnatio Verbi non foret mysterium singulare & sine exemplo, nec per consequens mirabile, at consequens est absordum : ergo, &c.

Non minùs propterea Verbi Incarnatio foret omninò mirabilis.

C *Nego majorem :* Quamquam enim fortè non esset æquè mirabile ac nunc est, non minùs tamen omni admiratione dignum esset : quid enim mirabilius fingi potest, quam quòd, ut ait Apostolus, ille qui est splendor gloriæ & figura substantiæ Patris æterni, ei per omnia coæqualis, semetipsum tamen exinaniverit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus?

Objiciunt quartò : Si posset subsistentia creata terminare dependentiam naturæ humanæ, & eam reddere formaliter subsistentem, haberet ex natura sua virtutem id faciendi : sed hoc est falsum; quia inde sequeretur, quòd posset naturaliter D talem effectum præstare; quod enim præstare potest ex natura sua intrinseca, id præstat naturaliter : sequeretur etiam quòd connaturaliter id præstare exigeret & concursum omnem ad id faciendum haberet requisitum.

IX.
Neque persona creata id posset propriis viribus exequi.

Nego majorem : Si enim esset verum, sequeretur pariter quòd Verbum divinum peteret connaturaliter terminare dependentiam & unionem hypostaticam naturæ humanæ, quòd est absurdum. Sequeretur etiam quòd anima naturaliter postularet recipere habitus supernaturales & earum inhæsionem terminare, quia ex natura sua intrinseca absque aliquo superaddito potest illos habitus recipere.

Adde quòd licèt omnis potentia naturalis possit reduci ad actum naturaliter; non tamen id ve- E rum est de potentia obedientiali; qualis esset illa quam haberet suppositum creatum ad terminandam unionem alterius naturæ.

Objiciunt quintò : Subsistentia terminans plures naturas debet esset infinita : sed nulla subsistentia & personalitas creata est infinita : ergo non potest plures naturas terminare. Minor patet : Tùm quia omne creatum finitum est; tùm etiam quia subsistentia creata limitatur ab illa natura cujus est complementum & terminus. Major verò probatur : Subsistentia terminans plures naturas supplet vices subsistentiarum quæ sunt propriæ illis naturis : sed non potest illarum vices supplere, nisi contineat eas eminenter, & consequenter nisi sit infinita.

Adde quòd quâ ratione posset terminare unam

naturam, posset ibidem terminare infinitas si darentur: ergo, &c.

Nec etiam propterea deberet esse infinita.

Negat majorem Doctor, quippe personalitas Verbi formaliter loquendo, non est infinita, sed tantùm realiter & tamen sustentat ac terminat alienā naturam. Et ad probationem *respondeo*, quòd sit manifesta petitio principii, dum dicitur, quòd una subsistentia creata non contineat virtualiter perfectionem alterius, quantùm requiritur ad complendam naturam ac reddendam ipsam aptam, ut tam facilè suas operationes exerceat quàm si afficeretur propriâ subsistentiâ.

Ad confirmationem dico, reverà quidem subsistentiam creatam posse terminare infinitas naturas, si darentur, nec tamen propterea censeretur infinita, quia illimitatio extrinseca & sincathegorematica, qualis esset illa quæ peteretur ex terminatione naturarum, non infert infinitatem, sed solùm illimitatio intrinseca & cathegorematica: Hinc albedo quæ posset terminare infinitas similitudines, si darentur, non propterea censeretur intrinsecè infinita.

X.

Cur potius persona possit terminare plures naturas, quàm una natura terminari à pluribus personis.

Objiciunt sextò: Una natura creata non potest simul terminari à pluribus personis: ergo neque una persona creata potest simul plures naturas assumere.

Nego paritatem, & ratio disparitatis est aperta, idcircò enim una natura creata non potest simul terminari à pluribus personis, quia ut diximus quælibet earum est causa totalis personandi seu terminandi naturam: At verò una persona creata respectu diversarum naturarum non causat eandem terminationem, sed diversam, quod utique non repugnat: sicut non repugnat quòd una causa efficiens producat diversos effectus, vel quòd unum punctum quòd ex sua natura ordinatur ad terminandam unicam lineam, possit terminare & de facto terminet omnes illas quæ à circunferentia ducuntur ad ipsum.

Objiciunt septimò: Subsistentia est modus naturæ: sed implicat modum unius rei modificare aliam; implicat enim me sedere per sessionem alterius, & unum accidens inhærere per alterius accidentis inhærentiam: ergo implicat naturam creatam per subsistentiam alienam terminari.

XI.

Qualiter res aliqua possit modificari per modum alterius.

Respondeo primò negando minorem: Nam subsistentia divina formaliter spectata, est modus Essentiæ divinæ; quemadmodum, ut volunt aliqui, subsistentia creata est modus naturæ singularis creatæ; & tamen potest terminare subsistentiam naturæ creatæ & eam efficere subsistentem: ergo aliquis modus potest tribuere suum effectum formalem alteri quàm rei cujus est modus.

Respondeo secundò majorem esse veram de modificatione intrinseca quæ fit per inhæsionem; non verò de extrinseca quæ fit per terminationem; qualis est modificatio quæ fit per subsistentiam.

Adde quòd major fortè sit vera de modis positivis, non verò de negativis, qualis est ratio formalis subsistentiæ.

Objiciunt ultimò: Ratio formalis terminandi dependentiam & communicationem naturæ, debet esse quid reale & positivum: Atqui secundùm nostram sententiam, persona creata non constituitur per aliquid reale & positivum, sed duntaxat per duplicem negationem communicationis & communicabilitatis: igitur non potest alienam naturam terminare. Major constat: tùm quia relatio humanitatis assumptæ à Verbo terminatur ad aliquid reale & positivum; nempe ad ejus subsistentiam: tùm quia terminus relationis realis & positivæ, debet esse quid reale & positivum.

XII.

Natura terminata per personam creatam, haberet terminum positivum.

Respondeo, quòd in eo casu, relatio naturæ assumptæ terminaretur ad aliquid positivum, scilicet ad illius personæ creatæ naturam singularem, non quidem nudè sumptam, sed cum adjuncta sibi duplici negatione communicabilitatis, per quam videtur esse sufficiens ad sustentandam alienam naturam, eamque reddendam incommunicabilem in sensu composito: Sicque illa relatio unionis realis non terminaretur ad negationem, quæ est personalitas, tanquam ad terminum *qui*, sed tanquam ad terminum *quò*. Non est autem inconveniens, quòd relatio realis habeat pro termino formali *quò* aliquam negationem; quia relatio solùm requirit extrema positiva; non verò requirit quòd rationes formales extremorum sint positivæ; nam relationes diversitatis quæ pertinent ad primum genus relativorum, fundantur in carentia identitatis, quæ carentia & negatio est ratio formalis *quâ* terminandi illas relationes.

SECTIO III.

De Unione hypostatica ex parte Naturæ assumptæ.

I.

Varia creaturarum partitio.

NOtum est creaturarum alias esse substantiales, alias accidentales: substantialium, alias esse totales, alias partiales: totalium alias intellectu prædìtas, ut homines & Angeli; alias verò destitutas, & rationis expertes, ut bruta, plantæ & mixta ac elementa. Quantùm ad naturam humanam, citra dubium est illam esse assumptibilem à Verbo divino & à qualibet alia persona, quippe quod factum est in uno individuo naturæ humanæ assumpto à Verbo, idipsum fieri potest in cæteris. Neque enim audiendus est error Vuiclephi quem refert Vualdensis *lib.* 1. *doctrinalis fidei antiquæ cap.* 44. qui asseruit nullam aliam humanitatem fuisse a Verbo assumptibilem præter illam singularem & individuam, quam assumpsit, quod planè absurdum est; non enim potior est ratio aut repugnantia in assumptione unius individui ejusdem speciei, quàm in assumptione alterius. Ideo sanctus Augustinus *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 18. supponit ut per se notum, potuisse Verbum assumere humanitatem aliunde quàm ex stirpe Adæ: hinc lib. de Prædestinatione Sanctorum *cap.* 15. dicit ex sola gratuita electione, & non ex alicujus meritis factum esse, ut illa potiùs humanitas quàm alia Verbo jungeretur. Omissâ ergo disquisitione de assumptibilitate humanæ naturæ; solùm superest examinanda difficultas de natura vel superiori ut est Angelica: vel inferiori, ut est irrationalis vel insensibilis natura. Quapropter tria maximè veniunt hac in Sectione determinanda. Primum an quælibet natura substantialis, sive inferior homini, totalis vel partialis possit assumi à Verbo divino. Secundum, an quodlibet accidens sit etiam assumptibile. Tertium, qualiter totam humanitatem & ejus partes Verbum divinum assumpserit.

De quibus maximè movetur difficultas.

QUÆSTIO PRIMA.

An natura tam Angelica quàm irrationalis, sit assumptibilis à persona divina?

II. Quot modis aliqua natura dicatur assumptibilis.

NOtandum primò, naturam aliquam *assumptibilem* denominari posse dupliciter: *Primò* quidem denominatione extrinsecâ petendâ ab omnipotentia Dei; cui ex parte creaturarum solùm responder potentia obedientialis, seu non repugnantia: *Secundò modò* denominari potest assumptibilis denominatione extrinsecâ fundatâ in quadam congruentia à proprietate ipsius naturæ, quæ ex se & secundùm facultates & operationes naturales magis capax est obeundi munia deservientia ad finem Incarnationis; quâ ratione, humana natura maximè videtur assumptibilis; non quidem secundùm capacitatem naturalem, (hôc enim modô nulla natura assumptibilis putatur) sed secundùm congruentiam ad unionem, quæ ex duplici capite consurgit; nimirum ex dignitate intellectualis seu rationalis naturæ, quæ sit capax ipsius Dei & per operationem ipsum attingat: Deinde eâ necessitate & indigentiâ redemptionis, quæ duo in sola natura humana ita concurrunt, ut eam maximè assumptibilem efficiant: de quo quidem assumptionis modo hîc non est tam futurus sermo quàm de posteriori.

III. Natura humana potius quàm Angelica assumi debuit.

Notandum secundò, omnes Theologos convenire, naturam humanam potiori jure à Verbo divino assumptibilem esse ac assumi debuisse, quàm Angelicam, propter egregias rationes quas ex sanctis Patribus deprompsimus & declaravimus in 1. *articulo* præsentis Disputationis. An autem Angelica natura absolutè possit ad unionem hypostaticam à divina persona assumi, non ita concordant omnes. Nam *Albertus Magnus* in 3. dist. 2. id negare videtur; ex eo quòd censeat in Angelis idem esse naturam & personam; & consequenter cùm natura non possit assumi simul cum persona, idcirco existimat Angelicam naturam non esse assumptibilem. Cujus tamen contrarium meritò tuentur cæteri Theologi.

Partes variæ sunt ac multiplices.

Notandum tertiò, Partium substantialium alias esse integrales, alias essentiales: hasque esse vel metaphysicas, vel physicas. De essentialibus & metaphysicis hîc non est sermo, quia cùm illæ in re non habeant entitatem distinctam nec inter se nec à toto, non aliter possunt assumi quàm in tota natura. Partes autem physicæ, putà corpus & anima in viventibus, spectari possunt vel ut conjunctæ in toto, vel ut realiter separatæ. *Insuper* partes integrantes, aliæ heterogeneæ, aliæ homogeneæ, putà vel diversæ, vel ejusdem rationis. Item spectari quatenus possunt ut existunt in toto, vel ut actu sunt ab eo separatæ & divisæ. De illis hôc utrôque modô spectatis quærimus an sint assumptibiles.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Natura Angelica potuit assumi à Deo.

NAtura Angelica potest assumi hypostaticè à persona divina. Ita omnes fermè Theologi. Probaturque *primò* ex verbis Pauli ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*; cùm enim intentum Apostoli sit commendare erga homines Dei charitatem quòd naturam humanam, non verò Angelicam assumpserit, debet necessariò supponere possibilem fuisse naturæ Angelicæ assumptionem; alioqui nullum omnino esset illius argumentum; siquidem facilè responderi posset, mirum non esse quòd Deus relictâ naturâ Angelicâ humanam assumpserit; quandoquidem ipsa natura Angelica non erat assumptibilis.

Id enim non repugnat ex parte Dei nec ex parte Angeli.

Probatur secundò. Naturam Angelicam assumi non repugnat nec ex parte Dei, nec ex parte Angeli: ergo illa simpliciter est assumptibilis. Patet antecedens, primò quidem *ex parte Dei*, quia cùm suppositum divinum sit absolutè & per se independens, terminare potest dependentiam cujuscumque naturæ & supplere vices cujuslibet suppositi. Non etiam repugnat *ex parte Angeli*; quippe cùm sit eadem ratio de natura Angelica ac humana, nam non aliâ ratione natura humana est capax assumptionis, nisi quia distinguitur realiter à sua personalitate, & consequenter potest illâ vel destructâ, vel non effluente, terminari per subsistentiam Verbi, in qua propria personalitas eminenter continetur: At idem dicendum de natura Angelica quæ realiter à sua personalitate distinguitur: ergo quâ ratione natura humana est assumptibilis, etiam Angelica assumi potest.

Objicis Albertus. In Angelis non distinguitur realiter personalitas à natura: sed sublatâ illâ reali distinctione, natura non est assumptibilis: igitur natura Angelica non potest à Deo assumi hypostaticè. Probat majorem ex Aristotele 7. Metaphysicorum cap. 6. *In his quæ sunt per se, idem est quod quid est, & id cujus est*, hoc est, ut ipse explicat, in substantiis separatis, idem est natura & persona.

Quia ejus personalitas & suppositum realiter à natura distinguitur.

Nego majorem, & ad illius probationem dico, Aristotelem duntaxat velle, *vel* quòd definitio & definitum idem sint in substantiis, secus verò in accidentibus; nam in definitione accidentium cùm illa fiat per ordinem ad aliquid extrinsecum, scilicet ad subjectum; non est idem quod *quid est*, & *id cujus est*, quia subjectum & accidens non sunt idem. *Vel* si ejus verba usurpentur de natura & supposito, dico eum significare quòd natura & suppositum sint ejusdem prædicamenti; ad differentiam accidentium acceptorum in concreto; hoc est cum subjecto sustentante, quia spectant ad diversa prædicamenta; siquidem subjectum spectat ad prædicamentum substantiæ, accidens verò pro sui diversitate, diversum prædicamentum instituit.

Objicis secundò. Angelus est incorruptibilis: sed si Verbum assumeret naturam Angelicam, non esset incorruptibilis, nam illius personalitas periret & corrumperetur: igitur non potest assumi.

Unde vel impediri potest ne resultet: vel destrui dum jam est.

Respondeo primò, quòd si Angelus assumeretur in primo instanti suæ productionis in quo propria personalitas resultare deberet, illa non corrumperetur, sed non pullularet: *Secundò* dico, quòd Angelus est quidem incorruptibilis per ordinem ad agens creatum, non verò per ordinem ad Deum; unde Deus servando naturam Angelicam facili negotiò posset illius personalitatem extinguere & supplere per suam propriam, quod utique non officeret Angelicæ dignitati & naturæ, imò illam infinitè perficeret & compleret.

Conclusio Secunda.

V. Quælibet natura etiã irrationalis, assumi potest.

Natura quæcumque irrationalis, tam animata quam inanimata, assumi potest à Deo ad unionem hypostaticam.

Probatur 1. ex Tertulliano lib. *de carne* Christi, *cap.* 4. ubi disputans contra Marcionem qui negabat Christum habuisse veram carnem, quia hoc erat Deo indignum nasci ex muliere, ait: *Si reverà de lupa aut sue, aut vacca & de quovis corpore indutus regnum cœlorum prædicare voluisset, tua opinor censura illi præscriberet, indignam id Dei Filio; stultum etiam id præberet: sit sane stultum, si de nostro sensu Deum judicemus: sed tamen circumscripte quod stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientes.* Idem docet S. Gregorius Nyssenus oratione *Catechetica* cap. 27. ubi refellendo eos qui putant turpe & indecorum esse quòd Deus carnem & terrestre corpus assumpserit, ait:

Quod utrique probatur authoritate.

Non fuisset tolerabilior turpitudo suscipiendo figuram cœlestis corporis quàm terrestris, quia omnis creatura ex æquo distat ab illo qui est Altissimus & omnia ei æqualiter subjecta sunt, nec terra est remotior à suprema ejus dignitate; nec cœlum ei propinquius; nec Deus propriè respicit sursum aut deorsum, sed omnia ex æquo illi subjecta sunt qui præest omnibus: quare si terrestris natura existimetur indigna quâ cum Deo conjungatur, nec ulla unquam invenietur digna: quod si æqualiter omnia indigna, Deum autem decet benefacere indigenti, nihil certè eo indignum credimus, dum confitemur, ubi erat morbus ibi medicam potestatem adhibuisse. Addunt aliqui sententiam sancti Augustini *lib. de vera religione cap.* 16. ubi docet Verbum divinum potuisse in aliquo corpore æthereo visibiliter hominibus apparere: sed illa doctrina non est ad præsens institutum; non enim loquitur de apparitione quæ fieret per unionem hypostaticam, sed solùm de ea quæ esset sensibilis eô modò quô Angeli apparuerunt in veteri Testamento.

Et ratione.

Probatur secundo ratione: Omnis substantia creata completa habet id omne quod requiritur ut sit assumptibilis a Deo: ergo ita fieri potest. Probatur antecedens: nam ut talis sit, solùm requirit quòd sit apta existere in supposito realiter à se distincto, cujus vices suppleri possent per aliud suppositum: sed talis est omnis natura irrationalis, quia non est magis determinata ad proprium suppositum quàm natura intellectualis, suppositum enim irrationale non sustentat perfectiùs naturam quam afficit, quàm suppositum rationale. *Adde quòd* in natura irrationali nulla appareat ratio quæ repugnantiam aut contradictionem inducat ut ita assumatur.

Repones, repugnantiam assumptionis talis peti ex ejus indecentia, indecens enim & indecorum Deo videtur, naturam irrationalem in concreto de ipso prædicari, ipsumque belluam, equum, suem, aut bovem denominari.

Neque id foret indecens positivè, licèt ita appareret.

Verum respondeo, quòd si quæ sit indecentia, illa tantùm erit negativè & comparativè, id est, minùs decens quàm quòd naturam rationalem assumat; non autem positivè & absolutè; cujusmodi indecens esse deberet ut divinitùs fieri non posset. *Adde quòd* si solius rationis naturalis ductum sequamur, non minùs apparet indecens majestati divinæ Filium Dei nostram carnem assumere, & in ea nasci, laborare, cruciari & mori, quàm si quamlibet alteram naturam corpoream assumeret.

Unde dicendum est cum Tertulliano lib. citato de carne Christi cap. 5. *Quodcumque Deo est indignum, mihi expedit, salvus sum, si non confundar de Domino meo: Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar & ego eum. Aliam non invenio materiam confusionis quæ me per contemptum ruboris probet bene impudentem & fœliciter stultum: natus est Dei Filius, non pudet quia pudendum est: & mortuus est Dei Filius, prorsus credibile est quia ineptum est, &c.* Igitur à pari etsi humano sensu judicetur indecens quod Deus naturam belluinam assumeret, non tamen id foret absolutè, quia non deessent Deo rationes gravissimæ propter quas isti naturæ sic uniretur.

Quod egregiè probat Tertullianus.

Confirmantur hæc omnia ex eo quòd Verbum divinum in triduo mortis erat unitum corpori Christi: sed tale corpus post mortem erat natura irrationalis & insensibilis: ergo natura irrationalis & insensibilis est capax unionis hypostaticæ.

VI. Verbum in triduo mortis erat unitum corpori quod erat substantia & natura irrationalis.

Repones fortè, disparitatem esse quòd corpus Christi in triduo mortis aliquô modô fuerit rationale, scilicet per participationem, quia dicebat ordinem ad animam rationalem cui poterat iterum uniri; sicque erat in potentia pars rationalis naturæ, & ex hoc erat capax unionis hypostaticæ: secus verò est de natura irrationali quæ cùm nec actu, nec potentiâ sit pars rationalis naturæ, ideirco est incapax assumptionis.

Contra. Ordo corporis ad animam rationalem non constituit illud in esse rationali, sed illud relinquit in esse irrationali: igitur cùm per illum ordinem corpus duntaxat dicatur rationale extrinsecè, non plùs constituitur formaliter & actu rationale quam lapis aut brutum: *Deinde*, falsum est corpus Christi mortuum dicere ordinem ad animam rationalem; cùm enim reunio animæ cum corpore supernaturalis sit, non potest exigi à corpore ab anima separato.

Objicies primò. Implicat contradictionem idem esse simul personam & non esse; sed si natura irrationalis assumeretur, esset simul persona & non esset. Esset quidem, quia haberet personalitatem Verbi; non esset autem, quia persona est rationalis naturæ individua substantia; ergo cùm hæc natura sit irrationalis, non potest esse nec dici persona.

VII. Natura irrationalis assumpta non diceretur persona.

Nego minorem: Illa enim natura non censeretur persona; nam ut docet Doctor, unio hypostatica non est nata esse personatio nisi id quod assumitur, capax sit personari: natura autem irrationalis non est capax rationis personæ, sed duntaxat rationis suppositi: ergo Verbum divinum illam naturam irrationalem assumptam non constitueret personam, sed duntaxat suppositum.

Objicies 2. Natura quæ non potest elevari ad videndum Deum & ipsum amandum, non est capax unionis hypostaticæ, quia operari sequitur esse, & ipsum esse est propter operari: sed nulla natura irrationalis potest elevari ad videndum & amandum Deum, ut constat: igitur nec ad unionem hypostaticam.

VIII. Unio hypostatica non infert necessariò amorem & visionem Dei.

Nego majorem: Cujus contrarium apparet in corpore Christi quod unitum fuit divinitati in triduo mortis, licèt tam per se quàm per animam à se separatam tunc temporis esset incapax amoris & cognitionis Dei.

Ad probationem dico, illud axioma *operari sequitur esse*, verum quidem esse de esse essentiæ vel potentiæ, quia talis est actio, quale est principium formale vel radicale illius; essentia autem est prin-

IX. Qualiter sit verû quòd operari sequitur esse.

cipium radicale, & potentia est principium formale actionis; at non est verum de esse termini ultimi substantiæ, quale est suppositum; alias omnes operationes Christi essent supernaturales & divinæ; sicut & illius suppositum quod nemo dixerit.

X. Potest interdum alicui cõmunicari id quod majus est, licèt ipsi non id quod minus est conveniat.

Instabis: Cui non potest communicari minus, non potest communicari majus: sed visio beatifica est quid minus unione hypostaticâ: ergo cùm hæc communicari non possit naturæ irrationali, etiam nec unio hypostatica communicari potest.

Respondeo majorem esse veram quando majus & minus sunt ejusdem ordinis, non verò quando sunt diversi ordinis; sic communicari potest homini scientia, non autem volatus; & animæ communicari potest ratio, non albedo, & homo potest producere hominem, non verò lupum.

Objicies 3. Ea tantùm creatura potest assumi hypostaticè, quæ est capax sanctitatis, quia unio hypostatica est sanctificans: sed natura irrationalis est omnis sanctitatis incapax: ergo & incapax assumptionis.

XI. Substantia irrationalis assumpta fieret capax sanctitatis personalis, non verò habitualis.

Respondeo majorem esse veram generaliter de sanctitate personali, quæ consistit in intima eaque singulari unione, præsertim vel habitudine ad aliquam personam divinam; non verò de sanctitate accidentali, quæ fit per gratiam habitualem; qualis sanctitas solùm communicatur naturæ rationali, quatenus rationalis est; sic corpus Christi in triduo mortis habuit sanctitatem personalem, non autem accidentalem, quia anima in qua residebat habitualis & accidentalis sanctitas, ab eo erat separata. Io forma distinguo majorem: quæ est capax sanctitatis vel personalis vel accidentalis, vel utriusque, concedo: quæ solùm est capax sanctitatis habitualis & accidentalis, nego:

CONCLUSIO TERTIA.

XII. Partes possunt etiam assumi seorsim.

P*Artes reales tam essentiales physicæ quàm integrantes, assumi possunt seorsim, sive existant in toto sive extra totum, & per divinam subsistentiam subsistere.*

Probatur. Quod habet subsistentiam propriam, potest per divinam subsistentiam terminari & subsistere: sed illæ partes propriam habent subsistentiam, saltem partialem, ot probatum est in Metaphysicis: igitur sive illæ partes in toto sive extra totum existant, possunt seorsim per divinam subsistentiam terminari & subsistere.

Sive sint separatæ.

Confirmatur. In triduo mortis corpus & anima Christi seorsim subsistebant subsistentiâ Verbi: ergo pari ratione aliæ partes possent etiam seorsim assumi; quippe major non apparet difficultas, ut Verbum divinum partem unicam assumat non assumptâ aliâ, quàm ut utramque terminet, etiam dum ab invicem separantur.

Sive unitæ.

Dices. Quòd etsi verum appareat partes sejunctas posse terminari & subsistere subsistentiâ divinâ, id tamen videri falsum de partibus conjunctis, tùm quia partes transire videntur in entitatem totius, & consequenter subsistentiæ partiales pariter transeunt in subsistentiam totius, tùm quia forma saltem ea quæ educitur de potentia materiæ non videtur habere propriam subsistentiam; sed tantùm subsistere subsistentiâ materiæ, ideoque non potest subsistere subsistentiâ divinâ; quidquid enim non est capax subsistendi per se, seu subsistentiæ propriæ, non est etiam capax subsistentiæ alienæ: igitur conclusio non est absolutè vera de omnibus partibus physicis.

Quia propriam habēt subsistentias partiales.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, partes actu remanere partes in toto, licèt sint actu totum constituentes. Dico insuper illas habere suas partiales proprias subsistentias, ut maximè constat de materia, quæ cùm sit subjectum transformationis & eductionis formarum, requirit hunc modum per se existendi: id etiam negari non potest de forma non educibili è sinu materiæ; qualis est anima rationalis; sicut enim illa existere potest extra corpus, ita & independenter ab eo subsistere & terminari. Idem denique constat de formis educibilibus: siquidem illæ subsistunt saltem per subsistentiam materiæ: at Deus illum modum subsistendi supplere potest conservando videlicet illas formas independenter à materia, maximè cùm distinctam existentiam habeant, ut probavimus in Physicis: igitur, &c.

Dices 2. Illud non potest assumi hypostaticè, quod non potest esse persona vel suppositum: sed partes neutrum esse possunt: ergo, &c.

XIII. Assumptio fit vel per modū personationis, vel per modum sustentationis.

Distinguo majorem: Nihil potest assumi hypostaticè, quod nequit esse persona vel suppositum, assumptione, quæ fiat per rationem personandi & soppositandi, concedo: quæ fiat per rationem terminandi & sustentandi, nego: partes quidem illæ nec personatæ essent, nec suppositatæ, sed duntaxat terminatæ ac sustentificatæ.

Dices 3. Divina personalitas non potest supplete vices subsistentiæ partialis: ergo partes illæ non sunt assumptibiles. Patet antecedens: Deus enim non potest supplere vices partis, cùm de ratione partis sit esse quid incompletum & imperfectum; Deus autem censeri non potest ens incompletum & imperfectum.

XIV. Quomodo personalitas divina possit supplere rationem partis.

Nego antecedens, & ejus probationem distinguo: divina personalitas non potest vices gerere subsistentiæ partialis quantùm ad rationem partis, concedo: quantùm ad rationem subsistentiæ omni demptâ imperfectione, & ratione partis, nego: sicut enim Deus uniri potuit animæ rationali à corpore separatæ, ut de facto Verbum divinum fuit unitum in triduo mortis: ita etiam terminare potest quamlibet partem.

QUÆSTIO II.

An natura accidentis possit assumi à Persona divina?

I. Accidens potest assumi mediante naturâ.

N*Otandum* 1. Certum esse quòd accidens possit assumi, imò de facto fuerit assumptum mediatè, hoc est, mediante naturâ substantiali à Verbo assumptâ, quippe Verbum assumendo naturam humanam, assumpsit pariter accidentia ad ejus integritatem & conservationem naturalem desideranda: quâ ratione docent Theologi Verbum etiam assumpsisse omnes humanitatis defectus naturales, exceptò peccatô & ignorantiâ. Verùm difficultas est, num accidens immediatè, & per se assumi & terminari possit à persona divina. Negat noster *Bassolis* in 3. dist. 2. quæst. 1. & cum eo Suares ac plurimi Recentiores: affirmat autem noster *de Rubione* in 3. dist. 2. qu. 2. cui subscribit Vasques, & plurimi ex modernis.

II. Duplicem habere potest habitudinem

Notandum 2. ex Doctore in 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *num.* 3. accidens duplicem habere habitudinem ad subjectum: unam quidem in ratione informantis ad

dinem ad subjectum, scilicet vel in ratione informantis, vel in ratione terminati.

ad informabile: alteram autem in ratione terminati & sustentati ad terminans & sustentans. *Prima* habitudo arguit imperfectionem tam in subjecto, quod requirit accidens, tanquam formam requisitam ad totalem sui integritatem & perfectionem; quam in ipso accidente, quod eâ ratione est ens incompletum & extra naturam subjecti. *Secunda* vero arguit quidem imperfectionem in accidente, quod existere non potest nisi sustentetur à subjecto; nullam verò denotat imperfectionem in subjecto, imò perfectionem in eo connotat, nempe virtutem sustentativam alterius entis.

III. Etsi accidens non possit hypostaticè terminari, attamen suppositum requirit quò existat.

Notandum 3. ex eodem Doctore *quæst. 19. quodlibetica art. 2.* quòd etsi accidens, propter suam imperfectionem non possit habere per se suppositum; & consequenter non possit hypostaticè intrinsecè terminari; tamen requirit suppositum intrinsecum subsistentiæ, ad quod ejus dependentia terminetur, tanquam ad suum suppositum, cui tamen non identificatur, nec cum eo fit per se idem, quia natura accidentis & suppositum substantiæ, sunt alterius generis: est tamen inter illa aliqua unio supplens (ut possibile est) vicem identitatis, quæ unio ex parte accidentis est actualis dependentia ejus naturæ: ex parte verò suppositi, est terminatio illius dependentiæ, quæ terminatio non est aliud, quàm actualis sustentatio illius accidentis, ratione cujus conservatur accidens in suo esse.

Conclusio Unica.

Natura Accidentis assumi potest à persona divina.

IV. Unde potest assumi à persona divina.

Probatur. Ea natura est assumptibilis à persona divina, cujus dependentia terminari potest: sed accidentis dependentia terminari potest à natura divina: ergo, &c. Major constat. Minor probatur: Si quæ esset repugnantia quominùs natura accidentis terminari posset à natura divina, peteretur vel ex parte personæ divinæ, vel ex parte ipsius naturæ accidentis: sed ex neutro capite repugnat. Non quidem ex parte personæ divinæ, quæ cùm habeat vim infinitam & independentem in ratione terminantis, potest terminare id omne quod est terminabile, eo videlicet modò quò terminabile est, ubi actualis illa terminatio non est de intrinseco conceptu ipsius rei, quæ terminatur. Nec etiam implicat ex parte accidentis, quippe actualis terminatio accidentis à suo subjecto, non est de intrinseco illius conceptu; nec ita naturalis & necessaria, ut constat in speciebus Eucharisticis, quæ non terminantur per subjectum; quippe cùm ipsi non inhæreant.

Adde quòd dependentia accidentis à sustentante, non minùs sit in potentia obedientiali respectu divinæ personæ, quàm dependentia naturæ substantialis ab ipsâ divina persona, per quam sustentari & terminari potest.

Dices 1. Terminari non potest accidens per subjectum, nisi quatenus hoc habet rationem potentiæ passivæ respectu accidentis, quod est illius forma informans: sed divina persona non potest habere rationem potentiæ passivæ respectu accidentis; quippe cùm ab ipso non possit informari: ergo nec potest accidens terminare & assumere.

Quamquā divina persona non possit habere ratione subjecti.

Nego majorem: Nam ut diximus in 2. *Notabili*, duplex est habitudo accidentis ad subjectum cui inest; nempe in ratione informantis, & in ratio-

A ne terminati; atque adeo duo hæc in subjecto distinguuntur, nempe esse potentiam passivam respectu accidentis, & terminare illius dependentiam; hinc persona divina potest hoc ultimum munus præstare, quamvis primum efficere nequeat.

Dices 2. Nihil est capax terminari modò opposito suæ entitati, quandoquidem id quod terminat alienam entitatem, supplet vices proprii ejus termini: sed esse subsistens & terminatum per subsistentiam divinam, est modus oppositus modo connaturali accidentis, qui est inhærentia, nec enim terminatur accidens nisi per subjectum cui inhæret: igitur non potest ita assumi nec terminari.

V. Nec enim exinde sequitur quòd accidens fiat intrinsecè per se subsistens.

B *Distinguo minorem*: Modus subsistendi per se, eâ ratione, quâ subsistentia per se subsistit, est oppositus modo existendi accidentis, concedo: modus subsistendi non per se, sed ratione sustentantis & terminantis, est modus oppositus existentiæ accidentis, nego: persona autem divina non tribueret modum existendi per se accidenti, quemadmodum ipsa per se subsistit, sed duntaxat modum sustentati & terminati; ita quòd accidens sic assumptum conservari posset absque omni subjecto, nec exigeret aliud subjectum à quo terminaretur.

C *Dices* 3. Si persona divina assumeret accidens immediatè, puta albedinem, sequeretur quod accidens in abstracto, vel in concreto, prædicari posset de persona divina, quemadmodum natura humana in concreto enuntiatur de Verbo, cùm dicitur, *Deus est homo*: sed absurdum est personam divinam posse dici albedinem vel albam: ergo pariter est absurdum accidens ab ea posse assumi.

VI. Nec quòd divinam essentiam aut personam denominet.

Nego sequelam majoris: Non enim accidens posset enuntiari de persona divina in abstracto; quia non aliter enuntiari deberet accidens de persona assumente, quàm enuntietur de subjecto cui inest; at nullum accidens enuntiatur de subjecto in abstracto; non enim dicitur paries est albedo. D Non posset similiter enuntiari in concreto; quia nullum accidens enuntiatur in concreto, nisi de subjecto cui inest per modum inhærentis & informantis; at in tali hypothesi, albedo non inesset personæ divinæ per modum inhærentis & informantis, sed tantùm per modum informati & terminati: igitur dici non posset persona divina est alba, prædicatione scilicet concreti accidentalis de suo subjecto, quamvis fortè, (ut dicit Marsilius) ita posset appellari ratione unionis, dicique posset persona divina est alba, id est, habens albedinem, non per modum informati, sed per modum terminantis & sustentantis.

VII. Sola accidentia realiter à subjectis separabilia assumi possunt.

E *Advertendum* autem conclusionem intelligendam esse duntaxat de illis accidentibus, quæ separabilia sunt à suis subjectis & terminis: cùm enim relationes v.g. non possint ullatenus existere independenter à suis fundamentis & terminis, ita nec possunt à divina persona sustentari; similiter cùm figura existere nequeat & separari à suo subjecto, quippe est essentialiter terminus quantitatis diversimodè se habentis, etiam illam inassumptibilem judico.

Quæstio III.

Qualiter, & quô ordine Verbum divinum humanitatem, & ejus partes assumpserit?

I. Certum est Verbú animam rationalem & corpus humanum assumpsisse.

NOtandum 1. certum esse, ac fide credendum, ut probabimus in sequenti disput; Verbum divinum veram animam humanam, verumque corpus & omnes illius partes integrantes, & ad corporis ornatum & necessitatem conducentes assumpsisse. *Certum* pariter prioritate temporis, non priùs aliquam hominis partem assumpsisse quàm alteram: siquidem fide constat animam & corpus simul tempore fuisse à Verbo assumpta, itaut nec anima priùs tempore quàm corpus, nec corpus priùs quàm anima, sed simul & in eodem instanti, in quo fuit producta in Virginis utero Christi humanitas, seu in quo fuit creata anima Christi & unita carni, caro & anima fuerint assumptæ. Caro quidem, nam ut optimè docet S. Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. *Simul ut caro extitit, simul quoque Dei caro extitit, simul caro animata rationis atque intelligentiæ particeps.* Vel ut loquitur S. Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 3. *Ipsa acceptio carnis, fuit Conceptio Virginalis .... Non est aliquod igitur intervallum temporis æstimandum inter concepta carnis initium, & concipiendæ Majestatis adventum.* Idem dicendum de anima, quare Concilium quintum generale can. 2. proscribens errores Origenis, qui dicebat Christi animam fuisse cum cæteris animabus initiô mundi creatam, atque suis operibus meruisse uniri hypostaticè Verbo Dei, illique de facto fuisse unitam, pridem antequam corpori jungeretur, sic ait: *Si quis dicit aut sentit animam Domini præextitisse unitamque esse Deo Verbo ante Incarnationem & Nativitatem ex Virgine, anathema sit.* Quapropter Leo Papa Epistola 11. contra Eutichem, sic ait: *Arbitror alia proloquentem hoc habere persuasum, quòd anima quam Salvator assumpsit, prius in cœlo sit commorata, quàm de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copulavit: sed hoc Catholicæ mentes aureśque non tolerant.* Constat igitur tam humanitatem, quàm corpus & animam eodem temporis momentô fuisse assumpta. Sed difficultas solvenda remanet, an tria hæc, nempe humanitas, corpus & anima eâdem simultate naturæ, aut eorum aliquod prioritate naturæ fuerit assumptum: nam S. Thomas 3. *p. qu. 6. art. 5.* contendit partes priùs fuisse unitas quàm totum: Doctor verò subtilis in 3. *dist. 2. quæst. 2. num. 5.* Docet priùs humanitatem prioritate naturæ assumptam fuisse quàm partes.

Et omnes eorum facultates eâdem simultate temporis.

Utrum verò eadem assumpserit eâdem simultate naturæ, determinandum est.

II. Medium est duplex: ut quòd & ut quô.

Notandum secundò ex eodem Doctore *ibidem*, aliquid dupliciter posse dici medium inter unum & aliud: Primò quidem *ut quod*: secundò *ut quô*: Medium *ut quod*, seu medium *quod*, est id quod est res distincta medians inter unum & alterum; sic inter substantiam & qualitates corporeas mediat quantitas, in qua immediatè (ut communiter docetur) recipiuntur illæ qualitates corporeæ, & eâ mediante substantiæ insunt. Medium *ut quô*, seu medium *quô*, est ratio formalis, quâ agens potest agere, seu recipiens recipere; sicut enim agens non posset agere, nisi haberet virtutem agendi: hinc dici potest quòd agat mediante virtute activâ, quæ est medium *quô* agit: sic non potest subjectum recipere aliquid, nisi habeat in se virtutem seu potentiam receptivam, quæ dici potest medium quô aliud recipit, & sicut virtus agendi non est medium *quod* inter agens & effectum, ita nec virtus recipiendi dici potest medium *quod* inter recipiens & receptum. Ex quibus sequitur quòd aliquid dici possit assumi dupliciter. Primò quidem ut medium *quod*, id est quod verè & immediatè assumitur, & ipsô mediante aliud assumitur. V. g. vas in quo aliquis liquor continetur, est medium *quod*, quia ipsô mediante liquor assumitur & deportatur. Secundo potest aliquid assumi ut medium *quô*, quatenus est ratio quare aliud assumitur; quod B utique subdividitur in medium *quô* ex necessitate naturæ, id est, quòd sit ratio orta solùm ex necessitate naturæ, quare aliud assumatur, & medium *quô* ex congruentia, quod sit ratio orta solùm ex congruitate, quare unum priùs assumatur, quàm aliud. Difficultas ergo præsens est, an partes humanitatis priùs prioritate naturæ assumptæ sint, ut medium *quòd*, quàm ipsa humanitas aut vice versâ:

III. Partes comparari possunt vel in ordine ad se invicem: vel in ordine ad humanitatem.

Notandum tertiò: Partes duobus modis considerari, vel comparari posse, videlicet ad se invicem, seu in ordine ad habitudinem, quam servant inter se: & ad humanitatem, seu in ordine C ad earum unionem, & totius humanitatis constitutionem. *Prima comparatio* fit, dum quæritur an anima priùs unita sit Verbo, quam corpus: Secunda verò, dum quæritur utrùm partes fuerint priùs unitæ Verbo, quàm toti, vel vice versâ. Hinc movetur quæstiô, an per assumptionem totius, & per solam unionem Verbi ad totam humanitatem (ex hypothesi quòd illa sit priùs assumpta, quam partes) resultaverit unio cum partibus per quamdam resultantiam naturalem: Vel potiùs utrùm positâ unione cum tota humanitate, priùs naturâ quàm cum partibus, necessariæ etiam fuerint speciales uniones ipsius Verbi cum ipsis D partibus. Ratio autem hujus difficultatis in eo fundatur, quòd si admittantur tres uniones, videntur entia multiplicari sine necessitate; cùm enim partes sint in toto formaliter & intrinsecè, consequens videtur quòd ex unione totius ad Verbum, necessariò resultet unio partium ad Verbum; è contra verò si non admittantur tres illæ uniones, sequitur quòd destructô totô, etiam pereant uniones Verbi cum corpore & anima, & sic ex destructa humanitate, ut factum est in triduo mortis, consequens esset vel quòd Verbum non permansisset unitum corpori & animæ, vel quòd opus fuisset novas fieri uniones ipsius Verbi E cum corpore & anima.

Status difficultatis & quæstionis proponitur.

His ita præmissis tria maximè veniunt determinanda. *Primùm*, an partes humanitatis fuerint medium *quod*: *Secundùm*, an fuerint medium *quô* illius assumptionis. *Tertiùm*, an & quomodo anima fuerit medium *quô* assumptionis corporis.

Conclusio Prima.

IV. Partes humanitatis non fuerunt mediũ quod assumptionis illius, ordine intentionis.

P*Artes non sunt medium* QUOD *respectu assumptionis* TOTIUS *humanitatis, neque ordine intentionis, neque ordine executionis.* Hæc constat duabus partibus, quarum *Prima* communis est inter Theologos; illud enim ordine intentionis priùs naturâ fuit assumptum, cujus assumptio fuit per se priùs intenta; at primò intenta fuit assumptio humanitatis, quàm partium; in hoc enim mysterio, id quod primo intenditur, est

quòd Verbum fiat homo: cùm autem fieri non possit homo, nisi assumendo humanitatem, quæ ut vera sit, constare debet corpore & animâ; inde fit qood ordine intentionis tota humanitas priùs assumitur; deinde verò partes quibus constat.

Neque ordine executionis.

Secunda pars autem est contra Thomistas, quam sic probat Doctor. Illud est primò assumptibile à Verbo ut medium *quod*, quod est in se primò personabile: sed tota humanitas est priùs personabilis, quàm partes: ergo, &c. Major constat, quia in eodem instanti tam temporis, quàm naturæ Verbum supplevit personalitatem creatam, quô ipsa exurgere debebat: unde si priùs exurgere debuerit personalitas totius quàm partium, etiam tota humanitas priùs deboit assumi quàm partes. Minor verò probatur, quia licèt partes, etiam ut unitæ, habeant subsistentias partiales, tamen hâc ratione dici non possunt priùs naturâ assumptæ quàm totum; quia partes non debebant priùs assumi quàm inter se unirentur; neque enim assumptio earum habet ullam rationem causæ aut conditionis ad earum unionem inter se: sed in eodem ipso instanti, in quo sunt onitæ, aut saltem in instanti naturæ immediatè sequenti tota natura est assumpta: priùs ergo naturâ partes non fuerunt assumptæ quam fuerint unitæ cum toto.

Deinde, Personalitas Verbi divini est perfecta & completa: ergo postulat priùs naturâ communicari substantiæ completæ, qualis est tota humanitas, quàm substantiæ incompletæ, qualis est anima rationalis vel corpus; & consequenter non debuit priùs naturâ assumere corpus aut animam, quàm totam humanitatem.

Denique, Verbum est primariâ sui unione homo, non est autem homo nisi per id quod est assumptum: ergo per illud qnod assumptum est, fuit primò homo: at si priùs naturâ partes assumpsisset, quàm totum, non posset dici primariâ sui unione homo; quia aliquid dicitur primò homo per totam humanitatem; non autem per partes: ergo primò assumpsit totam humanitatem.

Dices. Eôdem modô communicata fuit subsistentia divina toti humanitati & ejus partibus, quô eis convenit subsistentia humana ipsis connaturalis: sed subsistentia humana in ordine executionis priùs naturâ convenit animæ rationali: deinde corpori cui unitur per informationem, & denique toti humanitati ex utroque resultanti: ergo ordine executionis priùs naturâ fuerunt assumptæ partes humanitatis, quàm tota humanitas. Major patet, nullum enim est fundamentum invertendi in assumptione humanitatis ad Verbum, modum & ordinem naturalem. Minor verò probatur, qnia subsistentia humana priùs naturâ coovenit animæ rationali quàm toti humanitati; nam anima rationalis fit per creationem: ergo per illam accipit esse subsistentiæ; sed per hoc quod unitur corpori, non deperdit illud esse, aliàs frustrà produceretur à Deo per creationem: ergo priùs naturâ subsistit, quàm uniatur corpori, subindéque priùs naturâ illi convenit subsistentia, quàm toti humanitati. Deinde confirmatur, quia causa saltem prioritate naturæ antecedit effectum: sed partes sunt veluti causæ totius: ergo necessariò totum antecedunt.

V.
Dici tamen pos-

Distinguo majorem. Sobsistentia divina communicata fuit priùs partibus quàm toti humanitati, seu partes humanitatis priùs fuerunt assumptæ quàm tota humanitas, ut medium *quod*, nego: ut medium *quò*, conecdo: Quia, ioquit Doctor, sicut anima rationalis est medium *quò*, seu ratione cujus homo sit risibilis, non ipsa est risibilis; sed ipse homo, quia risibilitas non advenit, nisi ubi completa est humanitas: ita licèt partes sint medium *quò* homo fit subsistens, & priores sint naturâ totâ humanitate; tamen non sunt in se priùs subsistentes saltem subsistentiâ completâ: sed quod est subsistens, est homo, cui non advenit subsistentia seu personalitas, nisi ubi homo habet suum esse totale & completum.

sunt priùs assumptæ quàm totum, ut medium *quò*.

Instabis. Pars est prior totô viâ generationis, seu in generatione priùs pars producitur quàm totum: ergo etiam in assumptione priùs assumitur pars quàm totum.

Respondet Doctor, permissô antecedente, negando consequentiam: oon enim est consequens quòd si unum sit priùs aliô secundùm ordinem generationis, sit etiam priùs secundùm ordinem subsistentiæ & rationem personationis, quippe nulla est ratio unde colligatur quòd talem debeant servare ordinem. Deinde, personalitas est complementum ipsius naturæ compositæ; unde non debet priùs competere alicui quàm eidem naturæ.

VI.
Id quod est prius secundùm consequentiam, & vim illationis, non semper est prius secundùm causalitatem.

Dices secundò. Illud est prius alterô à quo non convertitur subsistendi consequentia: sed non convertitur ab assumptione partium ad assumptionem totius, neque enim valet dicere: assumpsit partes: ergo etiam assumpsit totum: benè verò sequitur assumpsit totum: ergo & partes: igitur prior est assumptio partium quam totius.

Distinguit majorem Doctor, illud est prius secundùm coosequentiam, concedit: secundùm causalitatem, negat: & concessâ minore, similiter distinguit consequentiam; neque enim omne quod est prius secundùm consequentiam, est prius secundùm causalitatem, cujus Doctor profert exemplum; quia accidens quod consequitur ad plura, ut calor qui sequitur ab igne & sole, non infert necessariò & determinatè existentiam & præsentiam solis aut ignis; nam benè quidem sequitur, est ignis, ergo est calor; est sol, ergo est calor; non verò sequitur est calor, ergo est ignis. Unde calor est prior prioritate illâ, à qua non convertitur subsistendi consequentia; & tamen est posterior causalitate. Aliud exemplum proferri potest; qnia totum v.g. non potest esse in loco, quin partes etiam sint in loco, nec tamen sequitur quòd partes priùs ponantur in loco, quàm totum: ergo quamvis totum non possit assumi absque partibus & partes assumi absque toto, non sequitur quòd priùs assumi debeant partes quàm totum.

Respondet secundò, distinguendo minorem. Ab assumptione illa partium quæ facta est pro omni tempore quô assumptum est totum, negat minorem: ab alia assumptione quæ fieret, concedit minorem: & negat consequentiam. Quæ responsio in eo fundatur, quòd dicat de facto non esse aliquam specialem unionem partium humanitatis cum personalitate Verbi, præter unionem ipsius humanitatis; quamvis possent partes uniri aliâ unione immediatâ, ut unitæ fuerunt in triduo mortis.

Dices 3. Si Verbum assumpsisset primò totam humanitatem, aliquando dimisisset quod semel assumpsit; quia in morte non habuit totam assumptam humanitatem; quippe illa dissoluta fuit

per ſeparationem corporis ab anima : ſed conſequens videtur militare in illud vulgare axioma Theologicum ex ſancto Damaſceno deprom-ptum, *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit* : ergo, &c.

VII. Reverà Verbum dimiſit totũ humanitatis in triduo mortis.

Negat minorem Doctor : Siquidem, inquit, conveniunt omnes Theologi quod Verbum in triduo mortis non habuerit aſſumptum totum; quia tunc non erat totum humanitatis, quod per mortem diſſolutum fuerat : Unde ſanctus Damaſcenus ſolùm voluit, quòd nullam unquam partem humanitatis Verbum dimiſerit quam ſemel aſſumpſit.

Dices denique. Sanctus Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 18. dicit, *Incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus, & ſic demum totum hominem aſſumpſit* : ergo priùs aſſumpſit partes quàm totum.

Reſpondet Doctor ſanctum Auguſtinum eſſe intelligendum de medio *quò* congruentiæ ; non verò de medio *quid* ; quippe congruebat ut anima priùs aſſumeretur quam corpus, & corpus quam humanitas, ut demonſtrabit

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. Partes fuerunt mediũ quò aſſumptionis totius.

PArtes fuerunt medium quò aſſumptionis totius humanitatis.* Hæc eſt communis apud omnes & probatur. Illud eſt medium *quò* aſſumptionis alterius, quod eſt cauſa, vel ratio cur illud ſit aſſumptibile : ſed partes humanitatis ſunt cauſæ cur illa ſit aſſumptibilis : ergo, &c. Major conſtat. Minor probatur : Illud eſt eſt cauſa cur aliquid ſit aſſumptibile, quod eſt cauſa & ratio entitatis ejus, ac congruentiæ cur potiùs aſſumatur quam aliud: ſed id præſtant partes humanitatis; ipſæ enim humanitatem conſtituunt eamque aptam efficiunt quæ potiùs aſſumatur quàm alia natura; corpus namque deſervit ad finem Incarnationis, nempe hominum ſalutem per ſacrificium mortis Chriſti operandam ; anima verò, quia ipſa maximè inſervit ad obeunda munia Doctoris & Legiſlatoris, &c. igitur illæ humanitatis partes ſunt medium *quò* aſſumptionis totius illius humanitatis.

CONCLUSIO TERTIA.

IX. Anima non fuit mediũ *quod* in aſſumptione corporis.

ANima non eſt medium quod aſſumptionis corporis, ſed tantùm medium quò: non quidem neceſſariò, ſed congruenter. Hæc tribus partibus conſtat: quarum probatur *prima*. Primò quidem : Si anima fuiſſet medium *quod* aſſumptionis corporis, neceſſe fuiſſet quòd in inſtanti mortis fieri debuiſſet nova corporis aſſumptio, nam in triduo mortis corpus Chriſti fuit Verbo unitum ; non autem mediante E animâ à qua erat ſejunctum.

Deinde, de ratione perſonæ eſt incommunicabilitas : hæc autem magis competit naturæ quàm formæ, quia in toto forma communicatur materiæ ut dans eſſe : igitur ſicut in natura in ſe perſonata magis appropriatur incommunicabilitas iſta corpori, quia corpus non communicatur alteri per modum formæ, ſicut anima ipſi communicatur : ita quando perſonatur per alterum, debetur priùs ſubſiſtentia corpori quàm animæ: ergo tantùm abeſt, ut dicatur corpus Chriſti aſſumptum per animam, tanquam per medium *quod*, quin potiùs corpus priùs dicendum eſſet aſſumptum quam anima.

Denique, corpus natum eſt in ſe ſubſiſtere; non A verò præcisè per animam : ergo ex ſe poſtulat tam terminari per ſubſiſtentiam divinam, quàm ipſa anima; adeoque eôdem inſtanti, tam corpus quam anima fuerunt aſſumpta à Verbo, nec unum dici debet medium *quòd* in ordine ad aſſumptionem alterius.

Sed tantùm mediũ *quò*.

Secunda pars ſufficienter apparet ex dictis; quippe quâ ratione Verbum divinum potuit aſſumere quamlibet naturam corpoream, etiam potuiſſet aſſumere corpus humanum animâ rationali deſtitutum; & ſic anima non eſt medium *quò* aſſumptionis corporis neceſſitate naturæ; ſed duntaxat ex convenientia; unde

Idque ſolùm ex congruentia.

B *Tertia pars* eſt evidens : congruum enim fuit, ut aſſumeretur anima rationalis : ergo corpus informatum animâ rationali. Hinc divinus Pater parvifaciens ſacrificia oblata ex victimis irrationalibus, corpus adaptavit Verbo, in quo faceret ſatis pro peccatis : non decuit autem ſatifactionem fieri per corpus animâ rationali deſtitutum: igitur congruenter anima fuit medium *quò* aſſumptionis coporis.

X. Partes non ſunt dicendæ aſſumptæ per redundantiã.

Ex his collige partes humanitatis non fuiſſe aſſumptas per aſſumptionem totius, quaſi per quandam redundantiam ac reſultantiam : tùm quia ſequeretur novas fuiſſe factas uniones in tri-C duo, cùm tunc partes non fuerint unitæ Verbo per totum : tùm quia illis partibus debentur ſubſiſtentiæ partiales, quippe cùm ſejunctim & ſeparatim poſſint exiſtere : ergo debuerunt immediatè & primò ſuppleri à Verbo : hinc dicendum quòd ultra unionem totalem dentur duæ partiales, una ad animam ; altera verò ad corpus.

Petes, an in reſurrectione producta fuerit nova unio humanitatis cum Verbo, an verò totalis illa unio potiùs reſultaverit ex unionibus partialibus Verbi cum anima & corpore?

XI. Non fuit iterata incarnatio in reſurrectione.

Reſpondeo, mihi veriſimile videri neutrum eſſe dicendum, ſed reproductam fuiſſe eandem, quæ priùs inerat. Nec propterà dicendum eſt quòd in reſurrectione reproducta fuerit incarnatio; quia incarnatio dicit unionem non ſolùm cum D toto, ſed etiam cum partibus ; unde cùm in triduo mortis Verbum ſemper remanſerit unitum animæ & corpori, non debet cenſeri reproducta incarnatio.

Hìc inquirunt Authores an Verbum aſſumpſerit omnes partes corporis tam animatas quàm vitæ expertes? Verùm ordine convenientiori huic diſquiſitioni faciemus ſatis in 2. *diſput.* ſequenti agendo de veritate humanitatis Chriſti.

QUÆRES I. *Utrùm natura creata cum ſua propria perſonalitate aſſumi poſſit?*

REſpondeo hujus quæſiti triplicem poſſe ſenſum accipi. *Primum* quidem, an perſonalitas ipſa immediatè poſſit aſſumi ſicut & natura, *Secundum*, an ſaltem natura affecta perſonalitate propriá potuerit aſſumi, ita ut perſonalitas ipſa non deſtrueretur & periret : *Tertium* denique, an natura exiſtens cum propria perſonalitate ; ita poſſit aſſumi ut tamen illa perſonalitas pereat.

XII. Perſonalitas creata per ſe & immediatè non poteſt aſſumi.

Dico ad primum, extra dubium eſſe, quòd perſonalitas ipſa aſſumi non poſſit per ſe & immediatè ad ſubſiſtendum cum perſonalitate divina : tùm quia ſubſiſtentia eſt naturæ ultimus terminus in ratione ſubſiſtendi : terminô autem ultimô poſitô ulterior terminatio abſolutè repugnat : tùm quia perſonalitas non poteſt aſſumi niſi aſſumatur ad ſubſiſten-

dum; implicat autem personam assumi ad subsistendum, cùm persona sit rationalis naturæ individua sobsistentia, hoc est, incommunicabilis alteri: tùm denique, quia etiam, ut pluries diximus, ratio formalis personæ creatæ consistit in duplici negatione communicabilitatis ut *quò* & ut *quod*: repugnat autem negationem assumi & terminari per subsistentiam divinam.

XIII.
Natura jam affecta suâ subsistentiâ potest assumi non quidem servatâ, sed pereunte illâ personalitate, & subsistentiâ.

Ad secundum dico, naturam affectam propriâ personalitate, sic potuisse assumi à persona Verbi, ut in instanti assumptionis non subsisteret, sed periret propria personalitas; tùm quia non potest esse major repugnantia quòd natura propriâ personalitate illi conjunctâ privetur, quàm quòd sine illa producatur: sed reverà natura potest produci sine propria personalitate: igitur illa personalitas jam existens potest destrui. Major patet: Quia non amplior requiritur virtus ad destruẽdam subsistentiam jam productam, quàm ad impediendum ne producatur: sed divina virtus impedivit ne produceretur & ne resultaret ex natura individuali eô ipsô instanti, quô producta fuit illa natura: igitur potuit etiam productam destruere.

Confirmatur a simili, Deus enim potest accidens priùs inhærens subjecto privare modo inhærentiæ, destruendo videlicet subjectum, ut fit per transsubstantiationem in conficiendo Eucharistiæ Sacramento; potest item humanitatem jam subsistentem in Verbo privare modo unionis; ita quòd illa humanitas sibi relicta nec per aliam personalitatem subsistens, jam per propriam incipiat subsistere: ergo è contrario posset Deus naturam spoliare propriâ personalitate & extrinsecam illi conferre.

XIV.
Non potest natura personata assumi remanente propriâ personalitate.

Ad tertium dico cum Doctore in 3. *distinct.* 5. *quæst.* 2. nequidem per divinam potentiam naturam affectam propriâ personalitate assumi posse ad unionem hypostaticam: quod utique colligitur ex quinta Synodo generali Coll. 8. Can. 5. ubi dicitur, *Si quis non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Ex quibus sic argumentor: Concilium colligit in Christo esse unam duntaxat personam ex eo quòd humanitas fuit assumpta ad subsistentiam Verbi: sed hæc illatio nulla esset, si natura creata propriâ personalitate retentâ, posset terminari per divinam, ut constat: ergo Concilium judicat hoc esse impossibile.

Idem convincit ratio, quia personalitas est ultimum complementum & adæquatum naturæ creatæ: ergo natura habens illud complementum non potest ulteriori affici, alioquin prius complementũ esset ultimũ & non ultimum. Antecedens constat: Tùm quia aliàs sequeretur quòd natura affecta propriâ personalitate adhuc esset incompleta, & ipsi deesset aliquod complementum substantiale: tùm quia totum quod potest habere natura à pluribus personalitatibus, potest habere ab unica: ergo una sola personalitas est adæquatum complementum naturæ.

Deinde, personalitas propria, vel consistit in duplici negatione communicabilitatis actualis & aptitudinalis, ut contendimus cum Doctore; *vel* consistit in modo aliquo positivo, ut Thomistæ prætendunt: sed ex utraque sententia constat naturam sic affectam non posse ulteriùs personari: Non quidem *ratione primi*; quia inde sequeretur quòd natura conjungeretur & non conjungeretur, & quòd esset incommunicabilis & communicabilis. Esset quidem incommunicabilis, quia

A jam esset personata personalitate humanâ; esset etiam communicabilis, quia ut personata alteri adhuc communicaretur. Idem etiam sequitur ex altera sententia, nam etsi personalitas consisteret in aliquo positivo, nihilominùs ex se formaliter inferre deberet duplicem incommunicabilitatem, ut *quò* & ut *quòd*, subinde ubicumque esset illa persona, sequeretur duplex incommunicabilitas.

Denique, si natura humana terminata propriâ personalitate esset assumptibilis à persona divina, consequens esset quòd Verbum divinum debuisset illam assumere: & consequenter quòd illam assumpsisset: sed illud consequens est contra Fidem Catholicam, quâ statutum est contra Nestorium, B naturam humanam denudatam propriâ personalitate fuisse assumptam à Verbo: igitur & illud unde sequitur. Major patet: Tùm quia si propria personalitas humanæ naturæ esset compatibilis cum personalitate Verbi; longè convenientiùs fuisset illam assumere, quàm naturam ipsâ spoliatam; quippe Verbum ex homine assumpsit quod ex homine assumi decuit: Tùm quia non sunt multiplicanda entia sine sine necessitate; majus autem esset miraculum à natura humana propriam auferre personalitatem, vel impedire ne illa ab ipsa flueret in instanti suæ formationis: igitur convenientius fuisset naturam assumere unà cum personalitate quàm eâ denudatam.

C *Dices*. Sanctus Damascenus lib. *Cur ad imaginem sumus*, ait: *Dei Filius salutari Patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi unà cum humana voluntate, quæ ejus natura est, conjunxit; hominis autem hypostasim non conjunxit.* Cujus assertionis hanc rationem subdit, *ne natura humanæ voluntas quæ naturæ attribuitur, voluntate eâ qua hypostasim attingit, à divina voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus.* Ex quibus sic licet argumentari. S. Damascenus docet Verbum ideo naturam humanam, non autem hypostasim hominis assumpsisse, ne fieret assumptio cum qua staret peccabilitas: ergo supponit absolutè & physicè illam assumptionem esse D possibilem. Consequentia patet: si enim assumptionem illam judicasset impossibilem, non idcirco diceret hypostasim non esse assumptam, ut peccabilitas vitaretur, sed quia impossibilis esset.

Respondeo sanctum Damascenum locô citatô solùm intendere quòd Verbum divinum naturam humanam, & ejus voluntatem sibi physicè copulaverit per unionem ad subsistentiam divinam: cùm autem subdit non sibi conjunxisse hypostasim hominis, loquitur de conjunctione quam hæretici docebant, scilicet per affectum & solum amorem; & hujus rationem reddit, ne voluntati E hypostasis natura humana à Dei voluntate discederet: hæc autem conjunctio affectiva & moralis, licèt reverà excludatur contra Nestorium; tamen est possibilis.

Nec huic veritati repugnat S. Damascenus.

Adde quòd si genuina hæc sint sancti Damasceni verba, vix intelligi potest quid intendat; quippe ibi distinguit duplicem voluntatem, alteram hypostasis, alteram naturæ, quod omninò fictitium est.

QUÆRES 2. *An hæc propositio*, Deus assumpsit hominem, *sit vera?*

XV. SS. Patres docent interdũ quòd Deus hominem assumpserit.

RESpondeo, eam interdùm frequentari à SS. Patribus & Conciliis. Siquidem S. August. lib. 9. de civit. Dei cap. 17. loquens de Deo, hæc habet, *Qui profectò incontaminabilis Deus, absit ut contaminationem timeret de homine quo indutus est, aut ex hominibus inter quos conversatus est.* Similiter S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi cap. 13. non veretur asserere Deum assumpsisse hominem; non tamen personam hominis nec hunc hominem. Insuper Concil. Toletan. primum in Confessione fidei dicit, *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem.* Similia habentur in Toletano 6. cap. 1. item in Francofordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ. Idque colligitur ex pluribus SS. Patribus lib. 15. de Trinit. Damasceno lib. 3. fidei cap. 4. Leone Magno serm. 2. de Ascensione, & plurimis aliis. *Denique*, hic loquendi modus usurpatur ab Ecclesia in Cantico *Te Deum laudamus*, ubi dicitur, *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Quapropter Ludovicus Vives in præfatum locum S. Augustini, irridet Theologos scholasticos oppositum asserentes, quasi ipsi rectiùs & saniùs scirent qualiter sit loquendum de rebus divinis quàm SS. Patres: sed saniori judiciô magis ipse irridendus, qui Grammaticus duntaxat in Theologicam doctrinam, velut in alienam messem falcem mittens, de re sibi ignota insulsum & præceps tulerit judicium: nam, ut apparet, ista loquendi formula in proprietate sermonis stare nequit. Idcirco.

Hæc tamen propositio non est admittenda in rigore sermonis.

Respondeo secundo, Hæc propositio, *Deus assumpsit hominem*, in rigore sermonis non est probanda, quia inde sequeretur quòd Verbum assumpsisset non solam naturam humanam, sed & personam: at consequens est erroneum, nam inde sequeretur quòd in Christo essent duæ hypostases & duo supposita, quia assumptum manet in assumente, ideoque si suppositum humanum fuit assumptum à Verbo, necessum est quòd in illo permaneat: igitur hæc propositio propriè non est asserenda. Major constat: quia quamvis *homo* de formali solam humanitatem significet, tamen in proprio sensu, sive formali, sive materiali, significat suppositum habens humanitatem & pro illo supponit; nam si non supponeret suppositum habens naturam, istæ propositiones non essent veræ: *Petrus est homo, Paulus est homo:* Idcircò enim sequentes propositiones non sunt veræ; *Petrus est humanitas, Paulus est humanitas*, quia *humanitas* non supponit pro habente naturam, sed pro natura: ergo nomen *homo* non supponit pro natura, sed pro supposito habente naturam.

Ad formulam autem loquendi sanctorum Patrum, dico quod cùm docent *Verbum assumpsisse hominem*, benignè sunt interpretandi; nempe quod usurpaverint partem pro toto & concretum pro abstracto, quia nempe natura hominis est assumpta, & quia illius naturæ assumptio terminata est ad hoc ut Filius Dei fieret homo.

ARTICULUS TERTIUS.

De causis Incarnationis.

Status ac distributio Articuli præsentis.

DEclarata Incarnationis essentiâ ac dignitate, jam aperiendæ sunt illius causæ. Ex quatuor autem causis physicis quæ solitò ad effectum aliquem concurrere possunt, *materialis* & *formalis* propriè hîc non habent locum, quippe in unione hypostatica non fit compositio ex materia & forma, ut dictum est; licèt extrema illius unionis, scilicet Verbum & humanitas, considerari possint ut ejus principia, ita quòd Verbum sit tanquam actus & forma perficiens; humanitas verò tanquam materia actuabilis & perfectibilis. Igitur de duplici duntaxat causa nobis est sermo, nempe de causa *Efficiente finali*, & *morali*, seu *meritoria*; de quibus differendum erit in tribus sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

De causa Efficiente Incarnationis.

Quid sit causa Efficiens.

NOTUM est causam *Efficientem* dici ab *efficiendo: efficere* autem sumitur duobus modis: *Primò* quidem impropriè, pro quolibet influxu causæ in id quod causatur; & sic quatuor causæ physicæ dici possunt efficientes, quia simul concurrunt ad effectum: *Secundò*, propriè pro illa causa quæ per se primò agit & influit in effectum, reali ac physicô influxu, qualiter triplex solet distingui: nempe *principalis*, cui nimirum principaliter attribuitur actio: alia *instrumentaria*, quæ non operatur nisi virtute alterius; altera denique *dispositiva*, quæ removet obstacula impedientia productionem effectûs, & sic quamdam facilitatem confert agenti, ut suam virtutem exerat in productione talis effectûs: quamquam propriè loquendo dispositio non sit verè causa, sed duntaxat manuductio ad causalitatem exercendam. Peritur autem an & quæ fuerint causæ efficientes & instrumentariæ, quæve dispositiones prærequisitæ ad operandam Incarnationem; quam utique difficultatem duabus in sequentibus Quæstionibus proponimus solvendam.

Et quotuplex.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ fuerit vel esse potuerit causa efficiens & instrumentaria Incarnationis.

II. Deus ut Trinus, est principalis causa efficiens Incarnationis.

NOtandum primò, certum esse causam principalem efficientem hoc mysterium, esse Deum & tres divinas personas operantes ad extra. Id quippe definitum fuit in plurimis Conciliis, maximè Lateranensi sub Martino primo, *Can.* 2. & altero Lateranensi sub Innocentio tertio; item in Toletano 6. & 11. in Confessionibus fidei; quam utique doctrinam apertè docent omnes sancti Patres quotquot de divina Incarnatione peculiarem sermonem instituerunt: maximè sanctus Augustinus *lib. 1. de Trin. cap. 4. & tract. 10. & 11. in Ioannem.* Colligitur pariter hæc veritas ex Scriptura sacra, in qua tam Patri quàm Filio & Spiritui sancto tribuitur naturæ humanæ

assumptio effectiva: Patri quidem, sic ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, &c.* Filio vero ad Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Denique Spiritui sancto qui hujus ineffabilis mysterii dicitur artifex, quod enim in Virgine *natum est, de Spiritu sancto est:* Quibus etiam Theologica ratio suffragatur, quia cùm opera ad extra procedant ab omnipotentia divina quae tribus personis indivisim communis est, non enim sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens; idcirco omnia Dei opera, inter quae praestantissimum est opus Incarnationis, à tribus divinis personis procedunt, ut sunt unum unitate naturae, voluntatis, & potentiae, juxta illud Joannis 10. *Quae Pater facit haec & Filius similiter facit.* Sed difficultas remanet an Deus aliquam creaturam sublimaverit aut sublimare potuerit ad illam dignitatem & excellentiam, ut esset ipsi concausa efficiens vel instrumentaria in molitione & effectione hujus mysterii.

Notandum secundò, causam Efficientem in hoc ab Instrumentaria distingui, quod Efficiens agat & influat in effectum per propriam & intrinsecam suam virtutem: Instrumentaria verò operetur duntaxat & influat in productionem effectûs per virtutem sibi aliunde concessam & ab efficiente mutuatam. *Insuper* causa efficiens habet quamdam proportionem & analogiam cum effectu producendo: quippe omnis causa productiva determinatam habet sphaeram activitatis in productione sui similis ad quod maximè ordinatur & tendit: instrumentaria verò, maximè quae duntaxat habet potentiam obedientialem ad aliquod opus, nullam ex se proportionem habet cum effectu, sed tantùm ad eum ordinatur & assumitur pro nutu & beneplacito principalis agentis. Quaeritur autem impraesentiarum an creatura aliqua assumpta fuerit, vel saltem assumi potuerit ut instrumentum ad unionem hypostaticam operandam. Certum est autem nullam creaturam à Virgine distinctam, assumptam fuisse ut instrumentum physicum ad hanc unionem efficiendam: quia de nulla suspicari potest, quòd Christum effecerit hominem: nulli enim Scriptura vel sancti Patres hanc virtutem & efficacitatem tribuunt, nam etiam ipsius Angeli Gabrielis praesentia in sola annuntiatione & propositione mysterii & petitione virgineі consensûs terminata est, unde duntaxat remanet solvenda difficultas de beatissima Virgine, an videlicet elevata fuerit à Deo tanquam instrumentum ad efficiendam unionem hypostaticam.

III. Qualiter causa efficiens principalis & instrumentaria distinguuntur.

Nota tertiò, praesentem difficultatem moveri de prima effectione hujus mysterii: certum est enim quòd fieri potuerit nova unio, saltem partialis Verbi divini ad partes substantiae quae per nutritionem aggenerabantur corpori Christi per totum ipsius vitae tempus: nam ex parte Verbi tota subsistentia divina cuilibet corporis parti unita erat; à quo autem physicè fieret ista unio, an videlicet à Deo immediatè, an per humanitatem tanquam per instrumentum physicum, quae propriâ suâ virtute disponeret materiam alimenti, & converteret illam in substantiam suam, ita ut priùs naturâ quam materia alimenti informaretur animâ, per actionem solius Trinitatis uniretur hypostaticè subsistentiae Verbi, in quam Christus statim in eodem instanti induceret formam suam: qualiter, inquam, id factum fuerit nihil certò definiri potest. Igitur duo duntaxat hic maximè veniunt resolvenda. *Primum*, utrùm Beata Virgo assumpta fuerit ut instrumentum physicum ad unionem hypostaticam efficiendam. *Secundum* an Verbum divinum habuerit aliquem principalem influxum physicum & realem in humanitatem assumptam, ad quem influxum aliae duae personae non concurrerent.

IV. Christi subsistentia uniebatur partibus de novo productis & aggeneratis ejus corpori.

CONCLUSIO PRIMA.

Beata Virgo non fuit elevata à Deo tanquam instrumentum physicum, ad unionem hypostaticam humanitatis in se & ex se genita, cum Verbo divino.

Probatur primò illis omnibus Scripturae textibus quibus Incarnatio soli Deo tribuitur, diciturque solius Dei opus singulare. Sic Abacuc 3. *Domine opus tuum in medio annorum*; quem textum sanctus Augustinus & alii sancti Patres solito explicant de opere Incarnationis: sed unio hypostatica non esset perfectè opus Dei singulare, si beata Virgo aut aliqua creatura, illius productionis fuisset concors & concausa; ergo Beata Virgo nullam habuit efficientiam, etiam instrumentalem, respectu unionis hypostaticae.

V. B. Virgo non fuit instrumentum physicè concurrens ad Incarnationem.

Deinde, Nulla creatura, ut probavimus in Physicis, potest assumi ut instrumentum creationis: ergo multò minùs hujus unionis. Consequentia patet, quia sicut per creationem communicatur rei ipsum esse existentiae, ita per hanc unionem communicatur ipsum esse subsistentiae divinae, quod certè longè praestantius est ac nobilius quàm solum esse existentiae naturale.

Denique. Ille solus concursus tribui debet Beatissimae Virgini, qui maximè requiritur & sufficit ut verè sit & dicatur Mater Dei; sed ad id non opus est, quòd Beata Virgo habeat concursum instrumentalem in ordine ad unionem hypostaticam: ergo iste non debet admitti. Major patet, ad quid enim aliud talis concursus assereretur? Minor etiam constat, tùm quia concursus matris in productione filii, non est instrumentalis, sed principalis, sive sit duntaxat per modum causae materialis vel subministrantis materiam (ut volunt aliqui): sive per modum causae efficientis concurrentis effectivè ad formationem & organisationem corporis, ut caeteri rectiùs sapere videntur.

Dices primò. Plurimi ex sanctis Patribus admittunt concursum illum instrumentalem in Beata Virgine respectu unionis beatificae: ergo ille est admittendus. Probatur antecedens, nam Hesichius homil. 2. de Beata Virgine ipsam appellat *instrumentum Incarnationis*: similiter sanctus Ambrosius, Epist. 81. *Per hominem*, inquit, *& mulierem caro ejecta est de Paradiso: per Virginem juncta est Deo.* Ad eumdem modum loquitur sanctus Bernardus homil. 4. super *Missus est*, dum ait Beatam Virginem illam esse mulierem quae tria illa sata Evangelica, carnem scilicet, animam & divinitatem, tam benè fermentavit ut nec divisione quidem factâ carnis & animae, caro vel anima à Deo divideretur.

Respondeo; sanctos Patres duntaxat intelligendos esse de concursu dispositivo, non verò de effectivo: quippe beatissima Virgo dispositivè censetur concurrisse ad unionem hypostaticam, quia purissimum sanguinem subministravit & praeparavit ad formandam Christi humanitatem, quae hy-

Nec contradicunt SS. Patres.

postaticè fuit unita Vebo divino; unde dum illam instrumentum Incarnationis appellant, nomen *instrumenti* in ea propria significatione non usurpant, quâ accepi solet à Philosophis: sed in latiori quâ instrumentum appellari solet, quidquid ad productionem alterius quomodocumque concurrit.

Dices 2. Deus uti solet suis creaturis ut instrumentis, quando præsertim instrumentum est accommodatum effectui intento: maximè dum illud opus cedit in suæ suavis providentiæ commendationem & creaturarum dignitatem quas sublimare intendit: sed videtur longè major beatissimæ Virginis dignitas, ampliorque suavis Dei dispositionis commendatio, si beata Virgo concurrat instrumentaliter ad unionem hypostaticam, quàm si duntaxat id efficiat dispositivè: igitur hoc est dicendum.

Distinguo majorem: Quando nulla exinde apparet contradictio & repugnantia, concedo: secus, nego: est autem contradictio quòd creatura aliqua elevetur ad creandum, multò magis ad hanc unionem efficiendam; quippe longiùs distant invicem Deus & creatura in ratione unibilium, quàm productio existentiæ ipsius creaturæ ex nihilo; siquidem distantia commensuratur ratione terminorum, minùs autem distat à virtute agentis naturalis esse purè creatum, quàm esse partim divinum & creatum; quale est illud esse quod fit per incarnationem: igitur, &c.

Conclusio Secunda.

VI. Verbum divinum non habuit aliquam efficientiam erga suam humanitatem.

Verbum divinum nullum habuit specialem influxum physicum erga formationem & conservationem suæ humanitatis.

Probatur. Principium formale operandi ad extra, est idem & eodem modo se habens quoad illas operationes in omnibus divinis personis; unde quidquid una persona operatur physicè, etiam & alia operatur: igitur vel Verbum nullum habuit influxum in humanitatē Christi quem non habuerint itidem Pater & Spiritus S. vel si quem habuit, eundem pariter habuerunt cæteræ divinæ personæ. Consequentia patet: idcirco enim dicimus Spiritum S. procedere à Patre & Filio indivisim, quia in Patre & Filio est idem & indistinctum principium spirationis: ergo cùm principium operandi ad extra, nempe divina omnipotentia, sit eadem in tribus divinis personis, una earum non poterit aliquem habere influxum quin cæteræ eundem habeant.

Deinde, Si quid peculiare præstaretur à Verbo in humanitatem assumptam, illud totum refundi deberet in suam personalitatem; sed hæc non est activa nec alicujus effectûs productiva: ergo, nihil peculiare efficit. Pater antecedens: quia in Verbo duo tantùm sunt; nempe divina essentia & personalitas Verbi: divinitas autem ipsi communis est cum cæteris personis. Consequentia probatur. Totum munus personalitatis Verbi circa naturam assumptam est tantùm, ut id præstet quod præstaret ei propria personalitas si adesset: At propria personalitas nullum habet influxum realem effectivum in humanitatem cujus est; sed solùm eum terminat: igitur etiam Verbi personalitas nullam efficientiam erga humanitatem assumptam habuit.

Denique, Omnis realis effectionis dari debet aliquis terminus per illam productus; nulla enim datur actio productiva sine termino: at nullus assignari potest terminus efficientiæ Verbi circa humanitatem: ergo nullam habuit peculiarem efficientiam circa illam vel producendam vel conservandam.

Dices 1. Assumere, est ad se sumere: sed ad se sumere, est agere: ergo cum assumere humanitatem sit proprium Verbi, consequens est ut peculiarem actionem habeat circa naturam humanam quam assumpsit. — Quia assumptio non est actio.

Distinguo minorem. Assumere est agere, quatenus *assumere* significat formationem humanitatis & illius unionem cum divinitate, concedo: quatenus significat terminare ipsam naturam & illam teddere de se & incommunicabiliter existentem, nego. Priori modo assumptio convenit toti Trinitati: posteriori verò soli Filio est propria. Priori modo assumptio est actio: posteriori est tantùm terminatio.

Dices 2. Omne perfectissimum est activum: sed quidquid est in Verbo est perfectissimum: ergo & activum; subindeque illius personalitas est activa, & consequenter quandam peculiarem efficientiam erga suam humanitatem habebit. — VII. Non semper omne quod est perfectum est activum.

Distinguo majorem: Quidquid est præstantissimum in genere entis realis, concedo: formalis, nego: & similiter distinctâ minore: nego consequentiam; certum enim est plura esse divina attributa quæ ex se non sunt præcisè activa & producta: siquidem nec æternitas nec immensitas ex se sunt productivæ alicujus effectûs; enimverò quis ille esset? igitur quod est formale in Verbo non est activum.

Adde quòd personalitas divina considerari potest tantùm, vel ut est relatio constituens divinam personam, vel ut est subsistentia divinam naturam afficiens & terminans: at neutrò ex his modis est operativa & productiva. Non quidem ut relatio est, quia relatio non est principium agendi per se: Non etiam ut est subsistentia, quia hæc ex se non est principium physicum agendi, sed tantùm terminandi.

Nec refert quòd agere sit quædam perfectio: nam non omnis perfectio debet competere divinis personalitatibus prout sunt quid distinctum ab Essentia divina; ut sic enim non sunt quid imperfectum aut perfectum, ut probavimus in Tract. de Trinit. sed satis est quòd omnem perfectionem includant, ut sunt idem realiter cum Essentia divina: aliàs cùm intelligere, velle & amare sint summæ perfectiones, deberent etiam competere personalitatibus ipsis ut ab eandem essentia, imò ut ab intellectu & voluntate distinguuntur; quod certè nullus Theologorum admittet.

Quæstio II.

An aliqua fuerit causa media seu præparativa ad incarnationem per modum effectionis & dispositionis seu præparationis?

I. Duplex cogitari potest dispositio ad Incarnationem, una ex parte corporis, alia ex parte animæ.

Notandum 1. Quòd cùm incarnatio sit unio Verbi cum natura humana, necessum est quod ipsa natura præsupponatur existens, omnis quippe unio realis est inter extrema actu existentia, cùm autem humanitas constet corpore & animâ; hinc potest esse duplex difficultas de dispositione prærequisita in ipsâ humanitate ad unionem hypostaticam: *Primò* quidem ex parte corporis, an videlicet incarnationem præcedere debuerit perfecta corporis organizatio, idque prioritate

citate temporis vel naturæ : *Secundò* ex parte animæ, an illustrari deboerit dooo aliquo supernaturali, putà gratià sanctificante, ut apta fieret ad ejusmodi unionem.

Notandum 2. ex Doct. subtili in 3. d. 2. q. 2. duplex distingui posse medium extrinsecum requisitum ad unionē; aliud quidem medium necessitatis; aliud verò congruitatis. Primum est illud sine quo res attingi non potest; secundum vero est id sine quo absolutè & simpliciter fieri posset; non tamen ita decenter ac congruè. Hinc quærimus an gratia habitualis vel aliud donum supernaturale fuerit prærequisitum in anima Christi necessariò aut congruè ad unionem hypostaticam; ita quòd Verbum divinum vel non absolutè, vel saltem non ita decenter assumpsisset naturam humanam sine tali prævia dispositiooe.

II.
Duplex capitalis Authorum sententia.

Circa quam difficultatem duæ sunt extremæ pugnantes Theologorum sententiæ, quarum altera talem dispositionem negat prærequiri; alia verò affirmat, idque *vel* necessario, ita quod hypostatica unio oecessariam habuerit connexionem cum hujusmodi dispositione; quemadmodum unio animæ cum corpore necessariam habet connexionem cum ultima dispositione corporis eamque necessariò sequitur. Sic sentire videtur Gabriel in 3. dist. 2. *vel* ut volunt aliqui cum Alex. Alens. 3. part. quæst. 3. licèt talem dispositionem non necessariò sequatur Incarnatio, ita ut illâ dispositione positâ possit incarnatio non sequi; tamen illa dispositio, ita videtur necessaria ut absolutè debeat præsupponi tanquam aliqua qualitas reddens naturam capacem hujus unionis. Alii tandem volunt hujusmodi dispositionem requiri saltem tanquam congruum ornamentum humanitatis, ut per ipsam humanitas decentet præparetur ad tam excellentem unionem, ut docet S. Bonaventura in 3. dist. 2. art. 3.

III.
Quatuor in incarnatione spectari possunt.

Notandum 3. in incarnatione quatuor debere per ordinem considerari. *Primo* quidem ratione materiæ, nempe sanguinem purissimi Virginis ad locum formandi corporis destinatum. *Secundò*, organizationem Christi corporis, quæ consistit in introductione formæ organicæ, seu corporeitatis, quam introductionem præcedit alteratio. *Tertiò*, animationem ejusdem corporis, seu unionem animæ rationalis cum ipso. *Quartò* denique, unionem totius naturæ constitutæ cum Verbo. Quæritur autem utrùm & quomodo ista sese præcesserint. Hinc duplex in præsenti solvenda occurrit difficultas. *Prima*, utrùm organizatio corporis Christi tempore vel naturâ præcesserit unionem cum Verbo: *Secunda*, an anima Christi illustrari debuerit aliquâ supernaturali qualitate, quâ mediante præpararetur ad unionemin hypostaticam.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.
Corpus Christi non fuit priùs tempore formatum quàm assumptum.

Organizatio non præcessit tempore animationem, nec unionem cum Verbo : sed duntaxat naturâ. Hæc conclusio tribus partibus constat : quarum prima patet, quia organizatio consistit præcipuè in introductione formæ organicæ completæ, quæ ut sic, est ultima dispositio ad animationem: sed ultima dispositio & animæ rationalis infusio, de qua hìc loquimur, sunt simul tempore ut suppono ex Physicis : ergo organizatio tempore non præcedit animationem.

Secunda pars probatur: Si organizatio & animatio corporis prioritate temporis præcessissent incarnationem, consequens esset quòd natura humana priùs fuisset subsistens per propriam subsistentiā, quàm per subsistentiam Verbi: sed consequens est absurdum : ergo, &c. Consequentia majoris patet; natura enim humana aliquo reali instanti temporis existens, est etiam per se subsistens: ergo vel per alienam subsistentiam, vel per propriam; at si priùs tempore extitisset quam uniretur Verbo, non substitisset per subsistentiam alienam : ergo per propriam.

Dices contra primam partem: Omnis substantia generabilis & corruptibilis quæ non creatur, producitur per mutationem : sed tota natura assumpta a Verbo est generabilis & corruptibilis, nec immediatè creata fuit, & consequenter mutabatur ad formam : igitur priùs tempore fuit sub privatione opposita illi formæ ; quia opposita privativè non possunt simul tempore esse in eodem; & consequenter priùs tempore erat corpus noo animatum quàm animatum ; subindeque organizatio tempore præcessit animationem.

V.
Non omnis formæ productio, infert mutationem in subjecto.

Respondet Doctor, argumentum esse verum quando forma producitur post productionem susceptivi ejus : secus verò quando forma producitur simul cum susceptivo ; tunc enim non est propriè mutatio ad formam illam, quia susceptivum non priùs fuit sub privatione quàm sub forma ; nec priùs fuit aptum natum habere formam quàm illam habuerit. Igitur cùm anima rationalis simul inducatur etiam in nobis cum esse perfecto corporis : consequens est quòd ad ipsam propriè non sit mutatio, sed tantùm ad esse corporis organici, cujus mutationis subjectum, est materia quæ priùs fuit sub forma sanguinis quàm sub formis organicis

Tertia denique pars etiam constat ; nempe quòd corporis organizatio & animatio, saltem naturâ, præcesserit assumptionem : fundamentum enim relationis & unionis naturaliter præcedit relationem & unionem; quia quod nihil est in se, etiam nihil est in ordine ad aliud : sed natura humana completè constituta per animationem, est fundamentum unionis cum Verbo : ergo naturaliter illam præcedit.

VI.
Christi corporis organizatio non fuit per varias alterationes.

Ex his collige, organizationem Christi corporis non esse factam per varias alterationes, quemadmodum fit organizatio corporum aliorum hominum spatiô quadraginta sex dierum, sed in instanti, ut docet sanctus Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 2. ubi ait, *Sacro-sanctum corpus Christi non sensit ter dierum curricula figuratum in utero Virginis & effigiatum : proinde ac in nostra generatione masculi corpus quadraginta dierum spatiô dicitur formari in utero materno, sed unò ut ita dixerim, eôdemque momentô Virginis sacratissimæ protinus consensum sequente, sacrum Christi corpus omnino completum fuit.* Unde consequens est quod Christi Domini corpus diutiùs manserit in utero Virginis, quàm manere soleant aliorum infantium corpora; quia priùs organizatum fuit & animatum quàm animentur alia corpora.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII.
Nulla fuit, necessariò prærequisita dispositio ex parte animæ ad assumptionem.

Nulla fuit dispositio prærequisita ex parte anima quâ mediante & existente Verbum humanitatem assumeret. Ita Doctor in 3. dist. 2. qu. 2. ubi conclusionem sic probat *primò*: Si quod fuisset tale medium, maximè gratia habitualis aut aliqua supernaturalis qualitas animam afficiens, eamque præparans ac capacem efficiens, ut à Verbo

Q

assumeretur: sed hoc est prorsus fictitium & absurdum. Quod sic probat. Anima rationalis ex se prius naturâ subsistit quàm accidentaliter perficiatur: ergo anima Christi prius naturâ fuit subsistens in Verbo quàm ullam perfectionem accidentalem reciperet. Antecedens patet: Primò, quia subsistentia est modus magis intrinsecus naturæ subsistenti quàm sit omnis forma accidentalis, quia illa pertinet ad complementum ipsius substantiæ; hæc verò duntaxat ad illius ornatum extrinsecum; prius autem est rem aliquam esse completam intrinsecè & substantialiter, quam extrinsecè & accidentaliter. Consequentia verò probatur, tum quia eô instanti natura humana fuit affecta subsistentiâ Verbi, quô propria subsistentia resultare debuerat: sed propria subsistentia ante omnem perfectionem accidentalem resultasset, nisi per Verbi subsistentiam fuisset præpedita: igitur natura humana prius fuit affecta subsistentiâ Verbi quàm ornata quâlibet accidentali perfectione; ac subinde tantùm abest ut Incarnatio facta fuerit mediante gratiâ habituali, imò ista non fuit concessa, nisi intuitu & beneficiô Incarnationis. Quod utique probat Doctor ex illo Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre plenum gratia & veritatis*: quibus verbis sanctus Joannes significat quòd Christus habuerit plenitudinam gratiæ, quia erat unigenitus: ergo oportuit Christum prius naturâ fuisse unigenitum quàm habuisse gratiam, & consequenter gratia habitualis non fuit dispositio ad unionem hypostaticam.

Probat secundò. Si gratia habitualis esset medium ad unionem hypostaticam, maximè *vel* medium formaliter uniens extrema, *vel* disponens unum extremum, scilicet humanitatem ad illam unionem: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia humana natura formaliter unitur per se & immediatè Verbo, non autem mediante aliquâ qualitate aut entitate creatâ absolutâ.

Neque dispositio Physica neque Moralis.

Non etiam *secundum*, quia si requireretur tanquam dispositio; maximè, vel tanquam *dispositio moralis*, vel tanquam dispositio physica: neutrum autem potest affirmari. Non quidem tanquam dispositio moralis, quia non minùs esset improportio entitativa naturæ & subsistentiæ divinæ ad naturam creatam positâ illâ gratiâ habituali, quàm eâ sublatâ: cùm enim gratia illa esset qualitas creata, non tolleret distantiam infinitam quæ est inter naturam divinam & humanam: non etiam tanquam *dispositio physica*, quia quodcumque accidens præsupponit existentiam subjecti: ergo gratia præsupponit existentiam humanitatis, sed non prærequiritur aliqua dispositio physica ad personalitatem in natura, præter illam quæ requiritur ad existentiam ejus; nam eô ipsô quô habet existentiam pro aliquo instanti, necessario debet habere aliquam personalitatem, alioquin posset esse natura existens sine ulla personalitate.

Dices. Natura humana non potest uniri Verbo unione beatificâ sine habitu gratiæ sanctificantis; ex eo maximè quòd tam unio ipsa quàm terminus illius excedit facultatem naturæ creatæ: ergo cùm unio hypostatica sit adhuc excellentior, quia est summa gratia, ut loquitur sanctus Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap.* 19. conferri non potest absque prævio gratiæ habitu.

IX. Visio beatifica conferri potest absque eo quòd gratia sanctificans præcesserit.

Respondet Doctor negando antecedens, quatenus contendit quòd ratio, ob quam visio beatifica nequeat conferri creaturæ absque gratia ha- A bituali, sit quòd visio beatifica excedat naturam: nam si hoc esset verum, sequeretur quòd gratia habitualis non posset dari naturæ absque ulla gratia aut dono supernaturali; excedit enim naturam: & consequenter daretur processus in infinitum. Illa ergo non est ratio ob quam gratia præsupponitur visioni beatificæ: sed quia visio beatifica est operatio supernaturalis procedens effectivè ab ipsamet natura, & quia natura non habet virtutem adæquatam ad producendam istam actionem, propterea necessum est quòd ipsi detur aliud comprincipium supernaturale, cum quo possit ipsam producere: at unio hypostatica non est operatio neque aliquid potens effectivè produci partialiter à natura, quia illa B nullatenus est capax producendi sui ipsius unionem cum Verbo, sed tantùm illam recipiendi. Unde non debet admitti aliud principium supernaturale antecedens in natura, ut conferatur ipsi unio hypostatica; sed sicut natura potest immediatè recipere habitum gratiæ, licèt excedat ipsius virtutem, quia habitus gratiæ non petit à natura produci effectivè, sed tantùm in ipsa recipi; ita a pari potest immediatè recipere unionem hypostaticam.

SECTIO II.

C *De causa Morali & Meritoria Incarnationis.*

Proponitur Sectionis distributio.

INCARNATIONIS causa meritoria intelligi potest, aut intra ipsum Christum existens, aut extra: Porrò de utraque agendum est in præsenti, resolvendo videlicet an Christus ipse suam promereri potuerit Incarnationem: similiter utrùm Sancti veteris Testamenti necnon & beatissima Virgo suis meritis Deum movere potuerint ad efficiendam illam unionem hypostaticam Verbi cum natura humana. Cùm autem Incarnatio spectari possit, vel secundùm substantiam, quatenus videlicet est unio naturæ divinæ cum humana in unitate suppositi seu personæ; vel penes circumstantias seu rationes aliquas extrinsecas quæ illam antecedunt, comitantur vel subsequuntur, D qualia sunt v. g. maternitas Virginis, tempus Incarnationis & beneficium videndi ac annuntiandi Christum; inde triplex occurrit dubium: *Primum* quidem, an Christus per opera vel antecedentia vel subsequentia, unionem hypostaticam promeruerit, vel saltem mereri potuerit: *Secundum* an beatissima Virgo suis meritis & præcellentiis digna extiterit quæ mereretur fieri Mater Dei & Christi: *Tertium* denique an sancti Patres veteris Testamenti mereri potuerint Incarnationem ejusque circunstantias; idque de condigno, vel de congruo.

E

QUÆSTIO PRIMA.

An Christus per opera priora vel subsequentia unionem hypostaticam, ipsam potuerit promereri, tam secundùm substantiam, quàm secundùm aliquas circunstantias.

I. Intelligi posset Christum suam Incarnationem me-

NOtandum primò, tribus modis intelligi posse Christum unionem hypostaticam meruisse: *Primò* scilicet ut affirmetur prius tempore quàm ejus humanitas Verbo uniretur, fuisse aliquandiu purum hominem, postmodum verò pro-

muisse scilicet, vel prius tempore, vel prius naturâ quam fuerit Incarnatus, vel postquam Incarnatus est.

vectum fuisse ob sua merita ad dignitatem Filii Dei naturalis & unionem hypostaticam: *Secundo* ut asseratur Christum, quamvis ab initio suæ productionis semper potitum Verbi personalitate eique unitum, tamen ipsam promeruisse, *vel* per opera quæ ab ipsa humanitate procederent priùs naturâ quàm illa à divina personalitate terminaretur; *vel* per opera subsequentia Incarnationem, ita quod Incarnatio secundùm intentionem seu prædestinationem quâ Deus ab æterno decrevit suum Filium incarnari, non potuerit quidem cadere sub merito, quia ante prædestinationem quæ fuit primus actus & causa Incarnationis, non potuit præcedere neque prævideri à Deo aliqua actio Christi cujus intuitu decerneretur Incarnatio: at vero secundùm executionem potuisse cadere sub meritum, quia ante executionem ipsius Incarnationis, jam prævidebantur futura Christi merita sicut & ipse Christus ex vi illius primi decreti quô per modum intentionis Deus incarnationem voluit: *Tertiò* denique, concipi posset Christùm fuisse promeritum suam Incarnationem per opera subsequentia. De hoc autem triplici sensu difficultas movetur in præsenti.

II. **Duplex est meritum, aliud de condigno: aliud de congruo.**

Notandum secundo, duplex solitò meritum distingui, scilicet de condigno & de congruo. Meritum *de condigno* dicitur illud quod ratione gratiæ justificantis existentis in merente, & pacti divini, habet æqualitatem justitiæ cum præmio: meritum verò *de congruo* illud est, quod ob defectum alterius istarum conditionum solam haber proportionalitatem fundatam in amicitia divina cum præmio consequendo: difficultas ergo est de utroque merito, nùm videlicet alterutrô aut utrôque simul Christus Dominus per opera vel antecedentia vel subsequentia, meruerit substantiam vel quasdam circunstantias Incarnationis.

III. **Incarnationis circunstantiæ distingui possunt triplicis generis.**

Notandum tertiò, Incarnationis circunstantias propriè dici quæ comitantur Incarnationem: ut sunt quòd tali tempore fiat, tali locô, tali modô, opere scilicet Spiritûs sancti & similia quæ hoc mysterium exornant; possunt tamen etiam circunstantiarum nomine comprehendi quædam, quæ ipsam Incarnationem antecedunt, ut annuntiatio Angelica; consensus beatissimæ Virginis, ejusque dispositio ac cooperatio. Quædam etiam sunt quæ Incarnationem subsequuta, possunt circumstantiæ appellari, ut Angelorum illud mysterium manifestantium laudes & cantus, Pastorum & Magorum adorationes. De primis autem circunstantiis maximè hîc est sermo.

Conclusio Prima.

IV. **Christus suam Incarnationē non meruit per opera antecedentia prioritate temporis.**

Christus Dominus nec prioritate temporis, nec prioritate naturæ potuit mereri suam Incarnationem per opera antecedentia. Hæc est de fide quantùm ad primam partem, nam determinatum est contra Nestorium, & Faustinum, hæreticum esse, affirmare Christum per aliquod tempus ante unionem cum Verbo fuisse purum hominem, & in eo statu meruisse humanitati suæ assumptionem à Verbo, ut constat ex omnibus Conciliis disputatione sequenti laudandis, quorum oraculis probabimus Christum fuisse Deum, & Verbo divino hypostaticè unitum in primo instanti suæ formationis. Hinc Augustinus variis in locis confutat ac proscribit istum errorem, apertè docendo ac demonstrando Christum D. non obtinuisse unionem cum Verbo suis meritis: nam sermone 8. de verbis Apostoli hæc habet: *Audebit ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo Mediatore primum per liberum arbitrium, promeruit Deum, & sic suscipi meruit, ut esset homo, & Deus unus Christus Iesus.* Et in Enchir. cap. 36. *Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas hujus boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur ille homo, ut una fieret persona cum Deo?*

Verùm luculentiùs hanc veritatem explicat lib. de corrup. & gratia cap. 11. ubi post plura ita concludit; *Ista nativitas profectò gratuita conjunxit in unitate personæ hominem Deo, carnem Verbo, istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.* Quibus verbis sanctus Doctor disertè affirmat Christum non meruisse effici Filium Dei, sed jam ex utero, & ab ipsa conceptione fuisse Deum hominem, ejusque humanitatem ad unionem hypostaticam cum Verbo fuisse sublimatam.

V. **Nec prioritate naturæ.**

Idem dicendum de actionibus quæ cogitari possent in primo Incarnationis momento elicitis, quibus diceretur humanitatem Christi illam unionem fuisse promeritam; nam idem sanctus Augustinus tract. 82. in Joännem absolutè pronuntiat: *Neque illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt: sed ab illa ejus susceptione merita ejus juncta cœperunt.* Et lib. 2. de peccatorum meritis cap. 7. *Neque enim & ipse*, inquit de Christo, *ita Verbo Dei conjunctus, ut ipsâ conjunctione unus Filius Dei, & idem ipse unus Filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Unum quippe illum esse oportebat: essent autem & duo & tres & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in sapientia atque scientia thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipuè docetur & dicitur.*

Ut egregiè probat S. Augustinus.

Quibus verbis manifestissimè docet omnia Christi merita Incarnationem fuisse secutam: nulla autem illam præivisse: ait enim Christum ita se habuisse ad gratiam unionis; sicut nos cùm paramur ad primam gratiam actualem: ut gratia actualis non nobis confertur ob ulla merita, sed duntaxat ex pura Dei misericordia: igitur unio hypostatica, quæ est divinarum gratiarum præstantissima, & cæterarum exemplar, advenit Christo ex pura Dei liberalitate; non verò propter ulla merita Incarnationem præcedentia prioritate temporis, aut naturæ.

Confirmat idem sanctus Augustinus lib. de præd. Sanctorum cap. 11. ubi ait: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei hominum, homo Christus Iesus; qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso: Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?*

Unde Incarnatio fuit merè gratuitum Dei beneficium.

VI. **Ut etiam ratione suadetur.**

Probatur etiam ratione. Omne meritum fundatur in operatione: sed humanitas Christi antequam intelligatur assumpta à Verbo, nullam habere potuit operationem: Ergo nec ullum meri-

tum. Major patet: Meritum enim omne est actus Deo acceptus & remuneratione dignus. Minor probatur. Ibi nulla potest esse operatio ubi nulla intelligitur subsistentia, quia actiones sunt suppositorum seu rerum completè subsistentium; cùm enim operari sequatur esse, res debet esse priùs substantialiter completa, quàm sit operativa: sed ante unionem hypostaticam nulla intelligitur in Christi humanitate subsistentia; illa enim esset vel propria, vel subsistentia Verbi. Non primum, quia sic natura humana fuisset priùs subsistens propriâ subsistentiâ quam subsistentiâ Verbi, quod est erroneum: non etiam secundum, quia in illo priori illa natura non supponitur unita Verbo: ergo in illo instanti nec operari potuit nec mereri.

Deinde, ad meritum requiritur non solùm voluntatis, sed etiam gratiæ sanctificantis concursus: sed, ut probatum est in præcedenti quæstione, natura humana nullam potuit habere gratiam nec ullum accidens priusquam intelligeretur unita Verbo, quia priùs debuit compleri quantùm ad esse substantiale, quàm ad esse accidentale: igitur in illo instanti nullum potuit elicere opus meritorium.

VII. Quare principium meriti non possit cadere sub merito.

Denique, principium meriti cadere non potuit sub merito: Tùm quia aliàs quilibet homo primam gratiam mereri sibi posset per opera ab ipsamet prima gratia procedentia: tùm quia aliàs idem esset causa sui ipsius in eodem genere: incarnatio enim in genere causæ efficientis est causa meriti, & meritum esset causa incarnationis, quod causæ genus etiam ad efficientem revocatur: sed incarnatio, cùm sit omnis gratiæ ac justitiæ fons, est etiam principium omnis operis meritorii, tam respectu nostri quàm respectu ipsius Christi: igitur illa cadere non potuit sub meritum.

Objicies 1. illud Psalmi 44. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Sed per oleum lætitiæ S. Gregor. Naz. Orat. 4. intelligit ipsam divinitatem quâ Christi humanitas uncta fuit per unionem hypostaticam, ait enim, *Opera manuum ejus veritas & judicium, propter quæ divinitate delibutum est.* Simili modo S. August. explicat ea verba, in illum Psal. & S. Anselm. in cap. 1. ad Hebræos.

VIII. Christi mors prævisa nō fuit causa meritoria illius incarnationis.

Respondeo 1. sanctos Patres, qui præfatum locum de unctione divinitatis interpretantur, non accipere particulam *propterea* in sensu causali, sed finali, ut sit sensus, *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem*, & in hunc finem *unxit te Deus oleo lætitiæ*: Unde ex hoc nihil evincitur contra nostram assertionem.

Respondeo 2. locum illum aliter ab aliis SS. Patribus accipi; nam sanctus Hieronymus Epist. 140. per *oleum exultationis* intelligit exultationem resurrectionis & gloriam corporis resurgentis; quam certum est Christum Dominum meruisse, ut mox dicemus. S. Ambrosius per *oleum lætitiæ* intelligit exhilarationem conscientiæ quam Christus habuit, quia nullius peccati conscius erat.

Objicies 2. Illud Apocal. 5. *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, divinitatem & honorem*: Atqui divinitatem accepit per unionem: ergo illâ dignus erat, ac subinde illam promeruit.

Respondeo 1. non scribi particulam (*quia*) ut significetur, non esse sensum quòd dignus sit accipere divinitatem quia occisus est. *Secundò*, dico mortem Agni fuisse causam divinitatis, non quidem acceptæ, sed manifestatæ, quia per mortem maximè enituit ejus divinitas; quia enim factus est obediens usque ad mortem, ideo Deus exaltavit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Objicies 3. Christi humanitas priùs natura extitit quàm uniretur Verbo, ut probavimus in præcedenti quæst. ergo priùs naturâ potuit operari quàm uniretur, ac proinde illam unionem promereri. Consequentia probatur: Si quid impediret quominùs in illo priori naturæ non posset agere, maximè quia actiones sunt suppositorum; at hoc non est absolutè verum: nam Arist. 1. Metaph. cap. 1. unde colligitur illud axioma, habet in idiomate Græco, *Actiones sunt singularium.* Cùm igitur natura humana individua præsupponatur assumptioni, non videtur ratio cur in illo priori non potuerit promereri sui unionem cum Verbo.

IX. Quo sensu Aristot. dixerit actiones esse singularium, non verò suppositorum.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, non mirum esse quòd Aristoteles dixerit actiones esse singularium, cùm enim nondum sciret subsistentiam ac personalitatem realiter à natura singulari distingui, & posse separari, quæ veritas duntaxat per Mysterium Incarnationis patuit; inde non mirum si personæ singularitatem pro subsistentia usurpaverit, cùm nesciret eas ab invicem realiter distingui. Quòd autem reverà actiones debeant esse suppositorum, id est, naturarum singularium habentium supposita, apertè constat ex dictis, quippe suppositum est ultimum complementum substantiale naturæ singularis; necessum est autem naturam singularem substantialiter compleri, priusquam apta censeatur ad operandum; siquidem priùs est esse quàm operari.

CONCLUSIO SECUNDA.

CHristus Dominus per actus subsequentes unionem hypostaticam neque de condigno, neque de congruo potuit mereri suam incarnationem. Hæc est contra Suarem qui disp. 20. sect. 4. ubi concedit quidem Christum non potuisse mereri suam incarnationem secundùm intentionem, & quatenus est à Deo definita & decreta ab æterno; potuisse verò ipsam mereri secundùm executionem, & ut facta est in tempore; idque per opera subsequentia ipsam incarnationem, quæ Deus prævidit; quòd utique declarat exemplô militis, cui Dux daret arma & equum in præmium eorum quæ strenuè acturus esset in bello.

X. Christus non meruit suam incarnationem per opera illam consequentia.

Probatur autem *primò* Principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso: sed unio hypostatica est principium omnis meriti Christi: ergo illa non non potest cadere sub operibus meritoriis ab ipso procedentibus. Minor est clara, quippe principium meritorum Christi non est sola humanitas, sed etiam suppositum Verbi divini ipsam humanitatem afficiens, tùm in ratione existentis, tùm in ratione operantis. Minor verò probata est in ultima ratione præcedentis conclusionis.

Confirmatur insuper, quia meritum vim quandam habet conciliativam & attractivam præmii, morali scilicet influxu; quia movet præmiantem ad conferendum id quod in præmium operis repromissum est: sed nullâ ratione fieri potest, ut idem seipsum attrahat: ergo impossibile est, ut idem sit meritum sui principii, à quo habet vim merendi.

Repones majorem esse veram de lege ordinaria, & attentis rerum naturis; secus vero de lege extraordinaria, & secundùm absolutam Dei potentiam. Unde licèt Incarnatio non potuerit esse præmium meriti operum ab ipsa procedentium de lege ordinaria; bene tamen id fieri posset secundùm extraordinariam, & absolutam Dei dispositionem.

Quia principium meriti non potest cadere sub merito.

Contra. Quanquam reverà causa efficiens moralis meriti possit aliquò modò cadere sub merito, quâ ratione antiqui Patres, ut dicemus infrà, per gratiam sibi concessam vi meritorum Christi venturi, quasdam illius Incarnationis circumstantias mereri potuerunt, saltem de congruo; tamen principium formale meriti non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito, cujus est formale principium: sed Verbum, ut unitum humanitati, est principium formale meriti procedentis ab humanitate unita hypostaticè Verbo: igitur incarnatio, etiam de potentia absoluta, non potuit cadere sub merito. Minor constat. Major probatur: Si principium formale meriti posset esse ejusdem meriti ac præmium, sequeretur tale meritum seipsum ut meritum mereri, quia meritum formæ est etiam meritum effectûs formalis ejusdem formæ; sicut causa efficiens formam, efficit etiam effectum formalem: ergo si opus meritorium formam aut veluti formam à qua suum desumit valorem, nempe unionem hypostaticam, mereri potest; etiam poterit mereri seipsum, quatenus est meritum: sed hoc repugnat, idem namque à seipso dependere non potest, nec per consequens meritoriè causari, nec remunerari seipsô: ergo principium meriti nullatenus cadere potest sub merito.

Alioqui meritum fieret causa sui ipsius.

Repones secundò: Quòd licèt principium meriti, quando datur absolutè, non possit cadere sub merito, bene tamen quando non datur absolutè; sed tantùm sub conditione futuri meriti, & dependenter ab illo, ut si Rex tribuat militi arma & equum, anticipatâ remuneratione, in stipendium futuri certaminis & victoriæ; per victoriam subsequentem illam donationem miles arma & equum reverà merebitur; unde cùm Deus potuerit conferre humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum, sub conditione meriti exercendi & futuri, Christus per opera incarnationem subsequentia potest illam mereri.

Maximè quando meriti valor & dignitas dependet ab eo quod diceretur conferri propter meritum.

Contra. Quamvis illud à quo meriti valor non provenit, possit alicui concedi intuitu & conditione meriti futuri, & ut sic possit aliquando cadere sub merito; secùs tamen est quando meriti valor ab eo absolutè dependet: cujus differentiæ ratio est; quia meritum postea subsequens potest habere rationem pretii respectu ejus a quo totum suum valorem non excipit; tunc enim non sequitur, quòd idem sit causa & effectus respectu ejusdem secundùm eandem rationem, & in eodem genere & modo causæ; sicut id sequeretur si illud quod est principium totale meriti, daretur intuitu & sub conditione ejusdem principii ut futuri: unio autem hypostatica est principium à quo totaliter derivatur meritum Christi, tam in esse physico, quàm in esse moris, cùm omnia Christi opera procedant ab ejus humanitate, ut affecta subsistentiâ Verbi, à qua maximè mutuantur summum suum valorem quem in ratione meriti, & satisfactionis habent.

XI. *Ad exemplum* autem militis equô & armis donati, per anticipatam solutionem futuri laboris & victoriæ, dico non esse paritatem, quia valor hujusmodi laboris & meriti non derivatur ab equo & armis; sed a virtute, prudentia & arte militis: valor autem meritorius in operibus Christi, ab unione hypostatica procedit, & in aliis puris hominibus a prima gratia; onde cùm homo per subsequentia bona opera, non possit ipsam primam gratiam promereri: ita nec Christus per subsequentia sua bona opera, potuit suam promereri incarnationem.

Solvitur ratio & diluitur exemplum Suaris.

Adde quòd quando homines conferunt aliqua dona, possunt illa donare imperfectè, & donatione suspensâ ac conditionatâ; unde qui sic illa dona accipit, suis bonis operibus efficere potest & mereri, ut illa non ampliùs imperfectè & conditionatè, sed absolutè possideat: unio autem hypostatica non potest sic concedi, tantùm quoad usum & donatione suspensâ ac conditionatâ; sed eô ipsô quô datur; simpliciter; & absolutè conceditur: & sic Deus non potuit humanitati Christi beneficium unionis hypostaticæ ad Verbum conferre sub conditione meriti ab ea in Verbo subsistente exercendi.

Objicium primò: Principium meriti, de potentia absoluta cadere potest sub merito operis ab ipso procedentis: ergo potuit Christus per opera subsequentia incarnationem ipsam mereri. Probatur antecedens: Nam antiqui Patres meruerunt de congruo quasdam incarnationis circumstantias, ut probabimus infrà: sed illorum gratia fuit effectus meritorum Christi, nedum in genere causæ finalis, verùm etiam in genere causæ efficientis moralis: ergo principium meriti potest cadere sub merito, saltem de congruo.

Distinguo antecedens: Principium meriti porè effectivum potest de potentia absoluta cadere sub merito operis ab ipso procedentis, transeat: principium meriti effectivum simul & formale; sic cadere potest sub merito; nego antecedens, & consequentiam: Siquidem gratia unionis non solùm est principium effectivum meritorum Christi; sed etiam formale, quippe Christi operationes procedunt à personalitate Verbi, tanquam à principio à quo velut a forma summam suam dignitatem, summumque valorem mutuantur. Hinc facilè solvitur probatio illius antecedentis, merita namque antiquorum Patrum per Incarnationem Verbi, non sunt constituta formaliter in ratione meriti: sed tantùm efficienter moraliter, seu meritoriè ab illa fuère causata.

XII. Gratia quâ SS. Patres Veteris Testamenti meruerunt Incarnationis circumstantias, fuit eis collata ob merita Christi prævisa.

Adde quòd Christi merita fuerint præintellecta per gratiam collatam antiquis Patribus, per quam meruerunt: siquidem Christus est causa meritorum & prædestinationis hominum: at non præintelliguntur futura ante decretum exequendi incarnationem; meritum enim executionis Incarnationis, est illud duntaxat quod moraliter movet Deum, vel de condigno, vel de congruo, ad executionem decreti suæ Incarnationis: merita autem Sanctorum non moverunt Deum ad exequendam illam Incarnationem; quippe intuitu illius futuritionis ipsis Patribus concessa fuit gratia, quâ bene possent mereri & operari.

Objicium secundo, Christus mereri potuit executionem unionis hypostaticæ, si ejus merita ut futura previderi potuerint à Deo priùs prioritate naturæ, quàm vellet exequi intentionem,

quam habebat se se incarnandi: sed merita Chri- A sti ut futura sic potuerunt à Deo prævideri: ergo Christus mereri potuit executionem Incarnationis. Major constat: si enim Deus priùs viderit Christi merita ut futura, quàm incarnatio executioni esset demandanda, moveri potuit ab eis ad volendum executionem incarnationis. Minor verò probatur. Intentio quam habuit Deus se se incarnandi, est prior decreto de incarnatione exequenda: sed in illa intentione, ut priori decretô executionis illius incarnationis, merita Christi prævideri potuerunt ut futura: ergo priùs prioritate naturæ, quàm Deus veller executioni demandare intentionem suæ incarnationis, potuerunt merita Christi à Deo prævideri.

XIII. Intentio efficax incarnationis faciendæ non præcessit decretum de illa exequenda.

Nego minorem, cujus probationem distinguo. B Intentio purè speculativa, quam Deus habuit se se incarnandi, & quatenus illa abstrahit ab intentione efficaci, est prior decretô illam exequendi, concedo: intentio quam habuit Deus se se incarnandi ut efficax, est prior decretô illam exequendi; nego majorem: sic enim spectata importat voluntatem executionis, subindéque non est prior illâ: merita autem Christi ut futura, prævideri non potuerunt à Deo, nisi in intentione efficaci incarnationis, quæ ut talis cùm non præcedat decretum suæ executionis, non potuit Deus, C priusquàm haberet intentionem efficacem incarnationis, prævidere Christi merita ut futura.

Conclusio Tertia.

Christus Dominus meruit, aut saltem mereri potuit quasdam circumstantias sequentes incarnationem; non verò præcedentes; aut concomitantes.

XIV. Christus D. potuit mereri quasdã circumstãtias sequentes incarnationem.

Prima pars est communis: illæ enim circumstantiæ non se tenent ex parte principii, sed ad illud sequuntur: igitur nihil obstat quominùs cadere possint sub Christi merito: Hinc conveniunt omnes ipsum mereri potuisse, & de facto meruisse, quòd à pastoribus & Magis adoraretur, annuntiaretur ab Angelis, stellâ radiante mani- D festaretur: sicut & suæ humanitatis resurrectionem, Divinitatis manifestationem, & corporis glorificationem: cùm enim hæc omnia non necessariò, & ex natura sequantur ad positionem incarnationis, sed ex gratuita & mera Dei liberalitate pendeant, cùmque non habeant necessariam connexionem cum primario cujusque meriti principio, nempe cum ipsa incarnatione, sed duntaxat illius sint quædam appendices & sequelæ, non apparet dubium, quin illas Christus Dominus per nativitatis exinanitionem, vitæ labores, & mortis passionem promereri potuerit.

Dices. Eadem fuit unio hypostatica totius humanitatis facta in resurrectione, ac quæ facta est E in utero beatæ Virginis in instanti Conceptionis Christi; eadem enim numerô fuit humanitas, eadem Verbi subsistentia humanitati juncta, absque ulla de novo interveniente actione unitiva: ergo si Christus primam unionem non meruit, nec secundam.

XV. Unio corporis & animæ Christi in Resurrectione, non fuit eadem omnino quæ fuerat in ejus formatione.

Distinguo antecedens. Eadem fuit unio continuata, nego; interrupta & discontinuata, concedo: cùm enim per mortem perierit humanitas, seu conjunctio animæ cum corpore, quæ per triduum ab invicem fuerunt separata, fuit etiam discontinuata unio Verbi Divini, cum ipsa humanitate totali & formaliter accepta, quamquam Verbum reverà permanserit unitum animæ & corpori Christi; unde licèt Christus primam unionem non potuerit mereri; inde non sequitur, quòd illam reunionem mereri non potuerit per opera quæ mortem antecesserunt.

Secunda pars est contra Vasques, & plures alios modernos, qui contendunt Christum mereri potuisse omnes incarnationis circumstantias, non solùm consequentes, sed concomitantes & præcedentes. Probatur. Si præcedentes aut concomitantes circumstantias potuisset mereri, & de facto meruisset, maximè suæ matris maternitatem & nativitatem ex ea: sed illam non meruit: ergo, &c. Major constat: cùm enim illa sit cæterarum circumstantiarum, quæ carnem antecesserunt aut concomitatæ sunt, præstantissima, consequens est quòd si aliquas meruisset, maximè istam. Minor verò probatur 1. authoritate S. Aug. lib. de prædest. SS. cap. 15. ubi loquens de Christi conceptione ex Virgine, ait: *Neque retributa ista generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu, & Virgine nasceretur*: sed si illa nativitas fuisset præmium meriti Christi prævisi, fuisset retributa; non autem tantùm tributa: ergo ex mente S. Aug. conceptio Christi ex Virgine, subindéque beatissimæ Virginis Maternitas non fuit ex meritis Christi prævisi, ut miraculosè operantis & viventis.

XVI. Christus non meruit circumstantias concomitantes, aut præcedentes incarnationem.

Confirmatur: nam S. Aug. exemplò hujus conceptionis *ibidem*, probat contra Pelagianos, primam gratiam nobis non conferri ex meritis, sed duntaxat ex gratuita Dei liberalitate: at prima gratia in nobis non solùm non est ex meritis præcedentibus, sed neque ex subsequentibus: ergo Nativitas Christi ex Virgine non solùm fuit gratuitum purè Dei beneficium per respectum ad merita præcedentia; sed etiam per ordinem ad subsequentia. *Deinde*, Principium mediatum meriti non potest cadere sub merito illius actus, cujus est principium: sed beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Christi; siquidem fuit principium humanitatis, quæ unà cum Verbi subsistentia fuit immediatum principium omnium Christi meritorum: ergo illa Maternitas non potuit esse alicujus meriti præmium.

XVII. Nec obstat quod B. Virgo potuerit mereri divinam Maternitatem. Inde enim non est cõsequens quòd Christus etiam potuerit eam mereri.

Dices. Beata Virgo meruit fieri Mater Christi, & illum in se concipere, ut mox dicemus: ergo pariter Christus meruit Virginis Maternitatem, suique nativitatẽ ex illa. Antecedens probabitur in sequenti conclusione; consequentia verò suadetur. *Primo*, quia nulla dignitas est concedenda Virgini, quæ non attribuatur Christo, si aliunde non repugnet: at non videtur repugnans quòd Christus potuerit mereri illam Maternitatem: ergo hoc ipsi est tribuendum. *Secundo*, quia gratia per quam beata Virgo meruit Maternitatem Christi, fuit effectus meritorum Christi: sed quod est causa causæ, est etiam causa causati: ergo cùm gratia à Christo derivata, fuerit causa meriti beatæ Virginis; Christus etiam censendus est meruisse Maternitatem & nativitatem ex Virgine.

Respondeo, concessô antecedente negando consequentiam: ad cujus primam probationem dico, non omnem dignitatem Virgini concessam, Christo Domino debere attribui, aliàs dignitas Maternitatis Dei quæ est omnium maxima, esset ipsi attribuenda: solùm ergo verum esse potest, quòd omnis dignitas quæ Matri convenit, debet attribui Filio, quando non est repugnantia ex parte ejusdem Filii: repugnat autem quòd Filius potuerit mereri Maternitatem istam; quia illa, ut mox dictum est, fuit principium saltem media-

tum omnium meritorum Christi, principium autem meriti non potest esse sui ipsius effectus. Ad secundam probationem dico, istud effatum duntaxat esse verum, quando quod est causa causæ infallibiliter infert ejus effectum, est etiam causa ejusdem effectûs; falsum autem quando non ita causa illa infallibiliter effectum infert: at merita beatæ Virginis non fuerunt causæ ab intrinseco infallibiliter inferentes nativitatem Christi ex Virgine, nec divinam illius Maternitatem: igitur quamvis Christus suis meritis fuerit moralis causa gratiæ & meritorum Virginis, non sequitur quòd illius Maternitatem meruerit.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter beata Virgo meruerit esse Mater Dei?

I.
Divina Maternitas est præcipua ex circumstantiis Incarnationis.

NOtandum 1. omnes Theologos scholasticos invicem convenire quasdam circumstantias Incarnationis potuisse cadere sub merito hominum; inter autem tales circumstantias Maternitas Dei, nempe ut Christus talem Matrem haberet & non aliam, primum locum obtinet, ut potè quæ majorem inferat affinitatem alicujus puræ creaturæ cum Christo. Controversia tamen est, an beatissima Virgo dignitatem illam mereri potuerit; idque non solùm meritô dignô seu congruô; sed etiam meritô de condigno: circa quam variæ sunt sententiæ Theologorum.

Triplex sententia de modo quo B. Virgo eam meruerit.

Sunt enim qui existimant beatam Virginem de condigno promeritam fuisse divinam Maternitatem: quam sententiam probabilem existimat *Gabriel in 3. dist. 4. art. 3. dub. 3.* eamque aliqui Recentiores tuentur: *Secunda* verò sententia docet, beatam Virginem meruisse meritô quidem dignô, non autem condignô, esse Matrem Dei. Ita S. Bonaventura in 3. *dist. 4. art. 2.* Distinguit enim triplex meritum, nempe condignum, dignum, & congruum; meritum autem *dignum* appellat illud opus, quod ex se æqualitatem quidem & dignitatem non habet correspondentem præmio; eam tamen obtinet ex benignitate Dei tale opus ad istud præmium acceptantis. *Tertia* verò *sententia*, quæ communior est & tutior; contendit beatam Virginem illam dignitatem nec dignè nec condignè meruisse, sed duntaxat congruè.

II.
Aliud est mereri aliquam formam; & aliud mereri dispositionem ad formam.

Notandum secundò, aliud esse mereri de condigno formam seu dignitatem aliquam, aliud verò mereri dispositionem in subjecto requisitam, ut dignè decenterque recipiat talem formam vel dignitatem; possunt enim hæc duo separari: maximè quando dispositio & dignitas non sunt inter se necessariò & quasi physicè connexæ: sed solùm secundùm quamdam proportionem moralem; tunc enim fieri potest, ut licèt aliquis sit dignè dispositus ad formam vel dignitatem suscipiendam, nihilominus illi ex justitia talis forma non debeatur, atque adeò ut illam de condigno non mereatur. Quæritur autem an beata Virgo fuerit condignè disposita, ut seligeretur in Matrem Dei?

III.
Virgo B. varias habebat dispositiones ad divinam Maternitatem.

Notandum tertiò, condignam dispositionem ipsius beatissimæ Virginis ad Dei Maternitatem, posse colligi ex variis donis quibus illustrata erat: *Primò* quidem ex eximia sanctitate & præcellenti gratia habituali, quâ præventa fuit à primo suæ conceptionis instanti cum omnibus donis & habitibus infusis: *Secundò*, hanc dispositionem mirum in modum illustrabant quædam privilegia perpetuæ innocentiæ, carentiæ fomitis; quæ licèt in prima sanctificatione fuerint collata, tamen novum ac multiplicatum vigorem obtinuerunt per assiduum meritorum ac virtutum exercitium: *Tertiò* denique ad illam dispositionem maximè conferebat gratiæ ac virtutum incrementum; quippe ab ipso suæ conceptionis instanti, ut volt S. Bernardinus, vel saltem ab eo tempore, quô infantes donari solent libertate ac rationis usu, ad ipsum Christi conceptionis instans assiduô in dies meritorum, ac virtutum incrementô ad summum pietatis ac sanctitatis fastigium illam promovebat. His ita præmissis tria sunt determinanda: *Primum*, an B. Virgo Maternitatem divinam meruerit de condigno. *Secundum*, an saltem illam meruerit de congruo: *Denique* an reverà digna fuerit quòd præ cæteris creaturis in Dei Matrem seligeretur.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.
B. Virgo non meruit de condigno ut fieret Mater Dei.

B*Eata Virgo non meruit de condigno ut esset Mater Dei:* Probatur primò. Duo præmia condigna inter se diversa non possunt respondere eidem merito: sed gloria æterna, quæ ut merces respondet operibus meritoriis, est præmium ipsis condignum, & est distincta ab Incarnatione: ergo beata Virgo, quæ per opera meritoria merebatur gloriam æternam, non poterat ex justitia aliud præmium exigere; nec consequenter per illa opera divinam Maternitatem promereri.

Confirmatur. Omnia merita beatæ Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quæ ut sic solùm respicit & inclinatur ad obtinendam beatitudinem; non autem ad promerenda quæ sunt ordinis hypostatici, ad quem pertinet Maternitas Dei, cùm illa sit circumstantia intrinseca Incarnationi.

Deinde. Ad meritum de condigno ultra excellentiam & dignitatem operis, necessariò requiritur pactum & promissio ex parte præmiantis, quâ seclusâ promissione, quantumvis opus foret excellens, non teneretur præmians præmium concedere: quod maximè verum est in Deo qui ad nullum beneficium conferendum moveri potest, nisi vel ratione bonitatis, vel justitiæ aut potius fidelitatis servandæ in promissis: atqui nullum est pactum nullaque promissio, quâ divina Maternitas repromissa esset beatæ Virgini sub conditione illius bonorum operum: igitur meritô de condigno Maternitatem illam non potuit obtinere.

Denique. Si beata Virgo condignè meruisset esse Mater Dei, quæ est circumstantia mysterii Incarnationis, etiam SS. Patriarchæ, maximè Abraham, de facto meruisset quòd Christus oriretur ex suo semine; tum quia opera illius facta ex gratia, licèt non fuerint tam insignia quàm opera beatæ Virginis; fuerunt tamen ejusdem naturæ, & ita ad idem genus præmii suaptè referebantur; tum etiam quia si requiratur promissio ad rationem meriti condigni, ut de facto requiri mox diximus, illam promissionem sibi factam habuit Abrahamus *Genes.* 8. similem autem non legimus factam beatissimæ Virgini respectu divinæ Maternitatis sibi conferendæ. Porrò jam absurdum videtur omnibus Theologis asserere quòd Abrahamus condignè illam Incarnationis circumstantiam fuerit promeritus: ergo multò

minùs beatæ Virgini respectu divinæ maternitatis id tribuendum est, quæ longè sublimiorem infert dignitatem, propter intimiorem illius cooforderationem cum Christo, quàm fuerit Abrahami dignitas, quòd Messias ex illius semine esset oriundus.

Dices 1. Beatissima Virgo condignè meruit id quòd majus est ac præstantius incarnatione, scilicet beatitudinem & gratiæ seu justificationis augmentum: ergo etiam meruit id quod melius est: sed maternitas Dei est quid minus beatitudine æterna & gratiæ augmento: igitur potuit etiam illam maternitatem mereri. Major constat: quia qui potest majus efficere, potest etiam minus. Minor verò probatur: Tùm ex illo Matthæi 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Quocirca Lucæ 11. mulier quædam extollens vocem, cùm dixisset Christo: *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti:* subjunxit Christus: *Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud;* reponens nimirum sanctitatem vitæ dignitati Maternitatis divinæ esse præponendam. Quapropter sanctus Augustinus exponens illa verba Tractatu decimô in Joannem, ait: *Mater mea quam appellastis felicem, inde felix quia verbum Dei custodivit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Et lib. de sancta Virginitate cap. 3. *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi quàm concipiendo carnem Christi.*

V. Quàquam potuerit ita mereri aliquid præstantius illa Maternitate.

Nego consequentiam: Licèt enim beatissima Virgo meruerit aliquid præstantius Maternitate divinâ, inde tamen non sequitur quòd etiam illam maternitatem fuerit promerita; etenim qui potest majus, potest etiam minus, in his quæ sunt ejusdem rationis & ordinis; secus verò in his quæ sunt diversæ rationis: nam majus est ratiocinari quàm volare; & tamen non sequitur, potest aliquis ratiocinari: ergo etiam volare potest, quia volare & ratiocinari sunt diversæ rationis: bene verò sequitur, potest aliquod agens producere quatuor gradus caloris; ergo etiam duos: Sic in presenti, cùm præmium vitæ æternæ & augmenti gratiæ sit diversæ rationis à præmio Maternitatis divinæ, non est consequens quod si beata Virgo potuerit mereri primum de condigno, etiam potuerit mereri secundum.

Dices 2. Si quid obfuisset quominùs beata Virgo promerita esset condignè Maternitatem Dei, maximè, *vel* quia Deus illius opera non acceptasset ad tantam dignitatem; *vel* quia illam ipsi non promisisset propter merita; *vel* denique quia non potuisset mereri illam circumstantiam Incarnationis, nempe Maternitatem divinam, quin etiam promerita fuisset principium meriti: sed nihil eorum obfuit. Non quidem *primum*, quia beata Virgo ad hoc fuit creata & ordinata, ut E esset Mater Dei; hinc ipsi attribuit Ecclesia ista verba: *Ab æterno ordinata sum;* similiter ista, *Elegit eam Deus & præelegit eam;* nempe ut ex ea & in ea dignum Filio suo habitaculum præpararet. Non etiam *secundum*, promissio namque illi non defuit; nam Isaiæ 7. dicitur, *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Non denique *tertium*, sicut enim ex parte principii nostrorum meritorum & beatæ Virginis præintelligitur Mysterium Incarnationis; ita etiam præintelligitur humanitas Christi; non quidem in universum, sed singularis ex hac materia & forma composita: cùm autem hanc materiam sui corporis sumpserit ex Virgine, ex parte principii, jam intelligitur dignitas Ma- A tris in Virgine; ac proinde talis dignitas non potest cadere sub ipsum meritum cujus est principium.

VI. Siquidem nec ad id merendum erat destinata, nec habebat divinam promissionem.

Nego minorem & ad *primam probationem* dico, Beatam Virginem electam quidem fuisse a Deo & ordinatam, ut esset Mater Dei, ordinatione vel antecedente illius merita, ac proinde omnino gratuitâ; vel consequente merita, quæ non erant de condigno; sed duntaxat de congruo. *Ad secundam* dico, promissum quidem fuisse populo Judaico, quòd aliqua Virgo esset conceptura Messiam: verùm illa promissio non erat facta speciatim beatissimæ Virgini, ac proinde nullum fuit divinum pactum de conferenda illi maternitate diviB na. *Ad tertium* dico, beatam Virginem non potuisse mereri illam circunstantiam Incarnationis, quin pariter incarnationem meruisset, quippe meritum illud non fuisset respectu generandæ humanitatis in universum, sed illius humanitatis specialis & individuæ, quæ erat à Verbo assumenda.

VII. Neque huic assertioni SS. Patres adversantur.

Dices 3. Beata Virgo dicitur fuisse digna, quæ mereretur ut fieret Mater Dei: igitur de facto Maternitatem divinam meruit. Consequentia patet. Probatur antecedens: *Tum* ex eo quòd canit Ecclesia de ipsa beata Virgine in oratione post Completorium, *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sanctô cooperante præparasti;* quid enim est aliud dignum esse habitaculum Filii C Dei, quàm dignam Matrem illius? Si autem digna Mater effecta est, utique bonis ac meritoriis operibus est effecta: *Tum quia* sancti Patres eâdem loquendi formulâ utuntur, maximè verò S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus, Damascenus lib. 4. de Fide c. 15. Bernardus Serm. 1. de Assumptione.

Respondeo, illis aut similibus loquendi formulis significari quidem beatissimam Virginem fuisse dignam, quæ seligeretur in Matrem Dei; non tamen inde sequitur quòd illam dignitatem suis bonis operibus fuerit promerita de condigno: nam modus ille loquendi, *dignus est re aliquâ*, non semper denotat meritum condignum, sed D duntaxat quod quicumque accipit beneficium à Deo, illius beneficii dignus videatur. Hâc ratione Ecclesia dicit in oratione feriæ tertiæ post Dominicam Passionis: *Nostra tibi Domine sint accepta jejunia, quæ nos expiando gratiâ tuâ dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna.* Quis autem dicat per jejunia nos ita præparari, ut condignè mereamur gratiam Dei, quâ expiamur à peccato?

Dices ultimò: Qui meretur de condigno dispositionem ad aliquam formam, videtur etiam mereri ipsam formam: sed beata Virgo de condigno promeruit illum sanctitatis gradum, quô ultimò fuit disposita ad Maternitatem Dei: ergo pariter meruit de condigno suam Maternitatem.

Nec etiam obstat quòd B. Virgo potuerit mereri quasdam dispositiones ad Incarnationē.

Respondeo primò negando majorem, quia contingere potest quòd dispositio ad aliquam dignitatem non excedat proportionem virtutis merentis; bene tamen ipsa dignitas: sicut v. g. si ut aliquis fieret Episcopus requireretur quod esset Doctor, posset quidem illam dispositionem comparare ex se: non tamen consequens esset quod itidem ex se posset ad Episcopatum promoveri; quippe ad illam dignitatem obtinendam opus esset nominatione Regis, & designatione ac collatione potestatis ex parte summi Pontificis.

Respondeo secundò, majorem posse quidem esse veram

veram de illis dispositionibus quæ necessariò inferunt formam; non verò de illis quæ duntaxat habent connexionem quandam moralem, seu decentiam ac congruitatem cum forma inferenda. Sanctitas autem beatissimæ Virginis non fuit dispositio physica & ex natura rei ad maternitatem divinam: sed duntaxat moralis & congrua, quippe decens erat, ut quæ erat omnium Virginum purissima & sanctissima, assumeretur ad concipiendum Sanctum Sanctorum.

Conclusio Secunda.

VIII. Id tamen potuit mereri de congruo.

Beatissima Virgo digna fuit & de congruo meruit, ut fieret Mater Dei. Hæc est communior & verior, probaturque ex sanctis Patribus qui disertè pronuntiant beatam Virginem fuisse dignam, quæ Dei Filium pareret & ejus Mater fieret. Sic imprimis sanctus Ambrosius lib. 2. de Virginibus; *Quid*, inquit, *in singulis moror. qua digna fuit, ex qua Filius Dei nasceretur?* Basilius homiliâ de humana Christi generatione: *Digna*, inquit, *Unigeniti divinitati conjungi fuit.* Chrysostomus hom. 43. in Joan. exponens illa verba, *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* ait: *Propter hoc ipsum fieret: nam si cognovisses virum, non fuisses habita digna ut huic mysterio deservires.* Epiphanius Hæresi 7. *Quomodo autem impetere impollutam Virginem qua digna facta est habitaculum fieri Filii Dei?* Damascenus lib. 4. cap. 15. illam appellat, *Sanctum, admirabile ac summo Deo dignum templum.* Tandem Bernardus Sermone primô de Assumptione, ait: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis temple, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cælis regali soliò, in quo Mariam Filius ejus sublimavit.*

Ut egregiè SS. Patres explicant.

Quòd verò illam dignitatem habuerit, partim ex divina gratia illam præveniente, partim per operâ sua & merita de condigno, etiam significant sancti Patres; nam sanctus Augustinus Ser. 2. de Nativitate, ait: *Talis eligitur Virgo quæ tantùm in se haberet meritum, ut Dei Filium in se susciperet.* Sanctus Gregorius lib. 1. Regum cap. 1. *Incomparabilibus illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum.* Petrus Damianus Serm. 2. de Assumptione; *Singularis ejus sanctitas & gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter judicata est digna.* Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratia, cap. 7. *Sed ipsum Deum-hominem factum & concipere & parere, non humanis meritis, sed concepti nascentisque ex ea summi Dei dignatione promeruit*; nempe beata Virgo. Quibus consonat Prudentius in hymno ante cibum, ubi ait: *Edere namque Deum merita, omnia Virgo venena domat.* Et Venantius Fortunatus in lib. de æternis gaudiis canit in hunc modum:

Virginitas fœlix quæ partu est digna Tonantis.
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Ecclesia quoque canit in Antiphona tempore Paschali, *Regina cœli lætare alleluya, quia quem meruisti portare, resurrexit, &c.*

Nec refert quòd sancti Patres interdum *meriti* nomen latiùs usurpent; nimirum pro eo, non quod significat actionem dignam præmiô, sed solùm quandam correspondentiam unius ad alterum: in qua significatione Ecclesia canit in benedictione cerei Paschalis: *O fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* id inquam non obest: tum quia cùm ipsum meritum tribuitur vitæ sanctitati, oportet quòd accipiatur

A in propria significatione, de qua nunc agimus: Tum etiam quia plures ex sanctis Patribus hoc meritum attribuunt bonis operibus illius beatæ Virginis; unde pulchrè sanctus Bernardus Sermone de aquæ ductu: *Quomodo*, inquit, *noster hic aquæ ductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis, sicut scriptum est, Oratio justi penetrat cœlos? Et quis justus, si non Maria justa; de qua Sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illam inaccessam attigit Majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo?* Hinc pariter S. Hieronymus Epist. 22. proponit ibi Mariam quæ tantæ extitit puritatis, *ut Mater Domini esse mereretur.* B Et S. Anselmus de Laudibus Virginis cap. 8. *Sanctissima puritas & purissima sanctitas pectoris ejus omnis creatura puritatem & sanctitatem transcendens, incomparabiliter hoc promeruit ut reparatrix perditi orbis plenissimè fieret.*

Dices. Non potuit beata Virgo mereri de congruo, ut esset Mater Dei, quin etiam ipsam incarnationem mereretur: sed non potuit mereri incarnationem, ut dictum est in superiori quæstione: ergo nec ipsam maternitatem: igitur, &c. Probatur major: Nam si beata Virgo meruit de congruo, ut esset Mater Dei, pariter meruit ut ex illa Deus homo fieret: igitur meruit Christum Deum-hominem parere ac producere; & subinde C meruit, ut hoc compositum *Deus-homo* in rerum natura esset: sed hoc est mereri incarnationem: ergo si meruit de congruo fieri Mater Dei, etiam meruit incarnationem.

IX. Meritum de congruo duobus modis spectari potest.

Respondeo, meritum de congruo dupliciter posse intelligi: *Primo* quidem absolutè & simpliciter, ac sine ulla suppositione: *Secundo*, potest intelligi hoc meritum solùm quasi sub conditione, seu facta suppositione quòd Deus sit futurus homo. Unde distinguo majorem: Beata Virgo non potuit mereri meritô de congruo maternitatem, quin meruerit pariter incarnationem: meritô absolutô & simpliciter, concedo: meritô ex suppositione facta, & conditione positâ quòd Deus sit futurus D homo, nego: Sic enim acceptum Virginis meritum respectu maternitatis, præscindere potest à merito incarnationis, quia præsupponit illam futuram. Quod utique hôc exemplô declaratur: Si Rex decreverit in aliquam civitatem proficisci, & civis aliquis propter sua merita obtineat, ut potius in suam quàm in alterius domum divertat; rectè intelligitur non mereri adventum Regis in civitatem simpliciter, & nihilominus mereri circunstantiam, nempe receptionem in suam domum, quæ accessum ad civitatem præsupponit.

Dices 2. Merita Virginis non solùm existentia, sed etiam futura, prævisa fuerunt & Deo præsentia in E æternitate, post prævisa merita Christi: ergo ipse Christus fuit priùs prævisus ut existens, atque adeo ut conceptus, seu ut concipiendus ex Virgine, quàm fuerint præordinata merita Virginis: igitur nullô modô potuit beata Virgo mereri quòd Christus ex illa nasceretur.

X. Non potuit B. Virgo mereri ut præeligeretur ad maternitatem Dei, sed tantùm ut illa sui electio, exe-

Respondeo, ex illo duntaxat argumento probari, merita beatæ Virginis non movisse Deum, ut ipsam eligeret in Matrem Filii sui secundùm ordinem electionis ac designationis æternæ; non tamen probatur illam non potuisse mereri secundùm ordinem executionis eam dignitatem, quia reverà priùs habuit gratiam & bona opera, quam ex ea Dei Filius incarnaretur; quamvis ipsam gratiam & bona opera habuerit ex meritis ejusdem

cutioni mandaretur.

Filii sui prævisis in divina ordinatione ac prædefinitione.

Urgebis: Si ante omnia merita Virginis Deus præordinavit Incarnationem: ergo etiam præordinavit illam in hac humanitate, & consequenter in hac individua materia formatam: sed non meruit Virgo habere illam individuam materiam ita sibi conjunctam, ut necessarium erat ad Filii conceptionem; quia hoc potiùs pertinebat ad ordinem effectuum & causarum naturalium, quàm ad rationem meriti: igitur, &c.

Respondeo ad minorem, quòd sicut temporalia possunt cadere sub merito in ordine ad spiritualia; ita Virgo potuit mereri, ut illa materia ex qua Christus erat formandus, priùs esset materialis pars sui corporis seu sanguinis.

QUÆSTIO III.

Utrùm sancti Patres meruerint, aut saltem mereri potuerint de congruo, Incarnationem ejusque circumstantias.

I. Quid significetur nomine SS. Patrum veteris Testamenti.

NOtandum primò, nomine *sanctorum Patrum*, hîc intelligi viros illos sanctissimos qui Christi adventum præcesserunt, sive legis naturæ, sive legis scriptæ, quibus futuri Messiæ facta fuerat specialis à Deo revelatio aut promissio; de quibus quæritur an vel ipsam Incarnationem, vel aliquas illius circunstantias, putà illius accelerationem, aut quòd fieret eorum temporibus, *vel* quòd Christus ex eorum stirpe & propagatione nasceretur, *vel* demum aliquos illius effectus, putà justificationem animarum & cœli reserationem, meruerint, aut saltem mereri potuerint. Circa quam difficultatem tres maximè sunt Theologorum sententiæ. *Prima* quidem sancti Bonaventuræ *dist. 3. art. 2. quæst. 2.* ubi contendit sanctos Patres meruisse de congruo substantiam Incarnationis, non quantùm ad effectum illius principalem, qui est animarum justificatio; sed quantùm ad effectum minùs principalem, qui est regni cælorum apertio. *Secunda* verò est Vasques *disput. 22. cap. 4.* & aliorum Recentiorum, qui licet concedant meritum de congruo respectu Incarnationis, quantùm ad accelerationem aliasque circunstantias; illud tamen negant respectu substantiæ Incarnationis, & omnium illius effectuum. *Tertia*, denique non denegat sanctis Patribus aliquod meritum de congruo tam respectu substantiæ Incarnationis, quàm respectu aliquarum illius circunstantiarum, cui sententiæ plurimi Thomistæ subscribunt.

Quis sit sensus quæstionis.

II. Præmii congruitàs duobus modis spectatur.

Notandum secundò, præmii congruitatem spectari posse dupliciter. *Primò* quidem potest accipi pro congruitate fundata in pura Dei misericordia, sine aliquo jure seu debito ex parte operis: *Secundò*, pro congruitate fundata in proportione amicitiæ, & in opere elicito in statu gratiæ ab amico, amicitia enim cùm sit pars potentialis justitiæ, fundat aliquod debitum; non quidem strictum & rigorosum, sicut est meritum de condigno, sed tantùm secundùm quid, ita quòd deceat bonitatem & sapientiam præmiantis, ut istud præmium largiatur amico, propter elicita opera sibi grata. De hoc autem merito inquirimus solùm an sancti Patres meruerint Incarnationem, aut aliquas illius circunstantias.

III. Patres veteris Testamenti non meruerunt de condigno Incarnationem.

Notandum tertiò, omnes Theologos convenire nullum ex sanctis Patribus meruisse de condigno mysterium Incarnationis secundùm substantiam illius effectus: quod utique fusè demonstrat sanctus Paulus Epist. ad Rom. in qua potissimùm intendit convincere Judæos, quòd eorum Patres non fuerint promeriti, meritô scilicet de condigno, ut Christus ex eorum stirpe nasceretur, sed hoc duntaxat fuisse beneficium Dei, seligentis potius semen Abrahæ, quàm ullius alterius hominis. Hinc ad Titum 3. ait, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Quod etiam colligitur ex aliis Scripturæ textibus; nam Psalmo 88. dicitur, *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam . . . . . misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et Lucæ 1. *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ*: ubi mysterium Incarnationis dicitur *opus misericordiæ*; misericordia autem excludit merita, maximè condigna. *His adde*, quòd Sanctorum gratia solùm est principium, condignè merendi illud ad quod ex Dei ordinatione refertur; merita autem sanctorum Patrum ex Dei ordinatione referebantur duntaxat ad vitam æternam: ergo solùm fuerunt principia condignè merendi vitam æternam; non autem mysterium Incarnationis.

CONCLUSIO UNICA.

IV. Necetism de cōgruo, quoad substantiam.

SAncti Patres non meruerunt de congruo Incarnationem quantùm ad substantiam; neque quantùm ad circunstantias intrinsecas; sed duntaxat quantùm ad circunstantias extrinsecas, putà temporis, loci & propagationis ex eorum stirpe. Hæc est Doctoris in 4. *dist. 2. q. 1. nu. 11.* ubi ait, « In universis operibus Dei, non fuit aliquod opus meræ gratiæ, « nisi sola Incarnatio Filii Dei; & hoc si ad illam « nulla merita præcesserunt. Subdit. Quod utique « verum est in ordinatione divina de illa Incarnatione: « quia si tempore Conceptionis præcesserunt « aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolutè « respectu Incarnatioois, sed fortè accelerationis, « ut impleretur illa Incarnatio prærordinata. « Benè ergo ait Augustinus 11. de Trinitate « cap. 19. *In rebus per tempus actis, illa summa est « gratia, quòd homo in unitate personæ conjunctus est « Deo.* Quibus Doctor apertè docet nec beatissimam Virginem, nec sanctos Patres meruisse ipsam Incarnationem; sed duntaxat quasdam circunstantias extrinsecas, videlicet quòd Incarnatio fieret tali tempore, locô, & ex tali semine.

PROBATUR utraque pars. *Prima* quidem, quia principium meriti congrui non potest cadere sub merito: sed Incarnatio quoad substantiam & circunstantias intrinsecas, est principium meriti sanctorum Patrum: ergo non potuerunt illi principium istud mereri. Minor constat: major pariter. Nam sicut meritum de condigno non potest mereri condignè suum principium; sic neque meritum de congruo potest congruè promereri suum principium: quia si principium meriti posset cadere sub merito de congruo, effectus esset causa suæ causæ, ut suprà diximus, & gratia prima antecedens daretur propter prævisum bonum usum illius: quod tamen damnat sanctus Augustinus tanquam Pelagianismum lib. de Prædestinatione Sanctorum, *cap.* 19. Quod utique probat ex 1. ad Ephes. *Qui prædestinavit nos in Christo, ut essemus Sancti*; notat enim Augustinus non dici, quia eramus futuri Sancti; sed ut essemus Sancti.

Nec valet reponere, Incarnatiooem non solùm

fuisse causam efficientem omnis gratiæ & meriti; verùm etiam finalem respectu Patrum veteris Testamenti, & ut sic cadere potuisse sub merito: illa, inquam, responsio non frangit vim argumenti, quia Patres illi non receperunt gratiam, ut fieret Incarnatio, sed è contra prædestinata est Incarnatio, ut ipsi inde reciperent gratiam. Habuit tamen Incarnatio similitudinem quamdam causæ finalis, quia operabatur quando solùm erat futura; operabatur tamen ut causa meritoria, quæ ut non existens, potest movere agens ad conferendum præmium, ut docet Doctor mox laudatus num. 10. ubi ait: *Quòd etsi Passio Christi non sit nunc in effectu, est tamen in acceptione divina, & hoc sufficit ut sit causa meritoria: patet enim quod nos conferimus multa propter aliquod bonum non præsens in se, sed præsens in memoria nostra, si sit præteritum; vel in opinione; si sit futurum.*

V. Potuerunt tamen mereri quantùm ad aliquas circumstantias.

Probatur secunda pars, illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Patribus veteris Testamenti promittitur futura Incarnatio, *vel* ex eorum stirpe, *vel* in eorum patria, *vel* breviori tempore. Sic Psalmô 11. *Propter gemitum pauperum nunc exurgam.* Danielis 9. 70. *Hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, &c.* Quæ testimonia plurimi Patres explicant de abbreviatione adventûs Messiæ. Patet similiter ex promissionibus factis à Deo ipsis viris sanctissimis, quòd Messias ex eorum stirpe esset oriundus propter præclara opera quæ in Dei obsequium gesserant. Sic *Genes.* 22. Deus promittit Abrahæ Messiam nasciturum ex ejus semine his verbis: *Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes*, hoc est *in Christo*, ut exponit Apostolus ad *Gal.* 3.

Ut perspicuè ex sacra Scriptura deducitur.

Constat similiter ex illis omnibus orationibus quibus enixè Deum deprecabantur ut mitteret Messiam in mundum. Sic Isayæ 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*; & 45. *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum*, & 64. *Utinam dirumperes cælos & descenderes!* David etiam Psal. 84. Pro Messia videtur orare quando ait: *Salutare tuum da nobis*, & Psalmô 105. *Visita nos in salutari tuo*: quibus sancti Patriarchæ ac Patres veteris Testamenti exorabant, non quidem ut Deus decerneret Incarnationem Filii sui, quam jam per divinam revelationem acceperant esse decretam & futuram: sed duntaxat, ut illud mysterium brevi tempore, & in eorum conspectu impleret; illæ autem preces & desideria habebant rationem meriti de congruo respectu adventûs Filii Dei: Tum quia congruum erat, ut Deus eos exaudiret qui ipsi in omnibus obediebant: Tum etiam quia orationes de necessariis ad salutem merentur de congruo ea quæ postulantur: Tum denique, quia instantes illæ preces & pia desideria disponebant sanctos illos Patres ad recipiendum Christum; sed illæ dispositiones morales habebant rationem meriti de congruo, quoad substantiam Incarnationis seu adventûs Filii Dei in mundum; hinc apud Malachiam legimus, *Ecce statim veniet ad Templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis & Angelus Testamenti quem vos vultis*: Quibus significat Propheta, idcircò venturum esse Messiam brevi tempore, quia nempe eum sanctissimi viri quærebant, & summis votis exoptabant.

Dices: Tam decretæ sunt ab æterno circumstantiæ extrinsecæ Incarnationis, quàm intrinsecæ; sed intrinsecæ non fuerunt decretæ dependenter ab aliquo hominum merito: ergo nec extrinse-

cæ. Major constat. Eadem enim videtur esse ratio de circumstantiis extrinsecis, ac de intrinsecis: quippe quæ concernant eandem humanitatem in individuo assumendam. Minor etiam est evidens, quia circumstantiæ intrinsecæ alicujus operis formaliter, & ut sic consideratæ, sunt ejusdem ordinis cum ipso; unde circumstantiæ intrinsecæ Incarnationis pertinent ad unionem hypostaticam sicut substantia illius: igitur si sancti Patres non potuerint mereri de condigno substantiam Incarnationis, eò quòd opera illorum pertinerent ad ordinem gratiæ qui est inferior hypostaticô, ob eandem rationem non potuerunt mereri de condigno circumstantias intrinsecas illius.

VI. Circumstantiæ enim extrinsecæ Incarnationis, non ita fuerunt decretæ quin cadere potuerint sub merito.

Nego majorem, etenim dici potest decretum divinum fuisse de sola substantia Incarnationis absque prævisione meriti circumstantiarum: etiam si illæ circumstantiæ extrinsecæ decretò absolutô potuerint decerni intuitu meritorum sanctorum Patrum, quippe illæ circumstantiæ extrinsecæ nullatenus spectant ad entitatem & ordinem unionis hypostaticæ, sed omninò extrinsecæ sunt; tam enim potuisset Verbum incarnari ex alia stirpe, & nasci alio in loco, aliove tempore, ac originem duxit ex semine Abrahæ ortumque habuit in Palæstina.

Ex his collige, quòd sicut antiqui Patres non meruerunt mysterium ipsum Incarnationis, eôdem modô non fuerunt promeriti effectus ipsius mysterii, nempe quod merita & satisfactio ipsius Christi D. applicarentur tam pro seipsis, quàm pro universo genere humano. Idem dicendum de aliis effectibus, nam si antiqui Patres meruissent quòd Christus pro toto genere humano pateretur & satisfaceret pro illo, etiam meruissent salutem totius generis humani, ac proinde suam ipsorum redemptionem, quod utique absurdissimum est: *Tum quia* hoc asserere, idem est ac dicere eos meruisse suam primam gratiam, quam meritis Christi obtinuerunt pro redemptione sua; siquidem merita Christi pro seipsis habere meruerunt; tum quia si sanctissimi Patres promeriti fuissent mortem Christi pro sua redemptione, jam opus Incarnationis & mortis Christi fuisset antiquis Patribus, non opus misericordiæ & primæ gratiæ, sed gratitudinis & gratiæ secundæ, quæ est gratia pro gratia: pro aliis verò, qui fuerunt post Christum, fuisset opus solius misericordiæ; nam si propter merita antiquorum Patrum Deus Christum ejusque passionem ac illius fructus concessisset, ipsa Christi merita quatenus fuissent beneficia antiquorum Patrum, habuissent rationem remunerationis; ac proinde fuissent data illis ex gratitudine: quod utique longè alienum est à doctrina ac modo loquendi sanctorum Patrum.

Non potuerunt tamen mereri omnes effectus Incarnationis.

SECTIO III.

De causa finali & motiva Incarnationis.

CONVENIUNT omnes Doctores Catholici Filium Dei hunc ob finem nostram induisse humanitatem, ut peccatum elueret, & divinæ justitiæ pro reis hominibus faceret satis: idque apertè testatur divina Scriptura; nam sanctus Paulus ad Gal. 4. disertè pronuntiat: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. & 1. ad Timoth. 4. *Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos*

Christus venit in mundum ut peccatores salvos faceret.

facere; quapropter ipsemet adorandus Salvator Matth. 18. & Lucæ 19. ait, *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Verùm invicem disceptant in assignando primario fine illius adventûs, utrùm videlicet ita venerit ad delendum hominis peccatum, ut si nullum extitisset, perpetuamque ac stabilem innocentiam tam Adamus quàm ejus posteri servassent, nihilominus fuisset incarnatus. Quærunt etiam, utrùm solô existente peccatô originali; vel è contra solis existentibus actualibus, futura esset incarnatio: quæ utique duplex controversia pro modulo nostro dirimetur duabus in sequentibus quæstionibus.

Quæstio Prima.

Utrùm si Adamus non peccasset, Filius Dei non minùs esset incarnandus.

I. Etiamsi nullū fuisset hominis peccatum, tamen reverâ Deus potuisset incarnari.

Hic non est sermo de possibili, quippe certum est quòd etsi nullum extitisset hominis peccatum, quævis ex divinis personis humanam carnem potuisset induere, etenim incarnatio nullam habet cum peccato necessariam & essentialem connexionem. Nec etiam movetur quæstio de altero decreto quod Deus formasset circa futuram incarnationem ex hypothesi quòd homo non esset peccaturus; nam utrùm in eo casu habuisset Deus decretum assumendi carnem, non propter remedium peccati, sed propter alia motiva, nil certò definiri potest; siquidem Scriptura sacra, per quam innotescunt quæ ex sola Dei voluntate pendent, nil circa hoc statuit. Solùm ergo difficultas est, utrùm vi decreti quod habuit Deus ab æterno, Verbum esset incarnandum quanquam Adamus non peccasset. Quæ difficultas ut faciliori negotiô solvatur;

II. Varia fuere motiva incarnationis prout de facto peracta est.

Notandùm 1. Quòd etsi Verbum divinum de facto incarnatum fuerit ob redemptionem & reparationem generis humani, hæc tamen unica non fuit illius incarnationis causa principalis nec præstantius motivum; siquidem alias tanti mysterii causas sacra Scriptura aperit, nempe manifestationem divinarum perfectionum quæ maximè (ut diximus in primo articulo) in hujus mysterii revelatione & manifestatione elucent. Similiter complementū & perfectio totius universi; item humanæ naturæ sublimatio, & beatificatio completa, inde derivantur. Alios etiam fines ejusmodi adventûs Christi Scriptura S. commemorat, putà ut esset Doctor veritatis, sicut ipsemet testatur Joan. 18. *Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati.* Ut nobis esset virtutum exemplar: sic Joann. 13. ait, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Unde S. August. Serm. 52. de Diversis, *Homo sequendus non erat qui videri poterat; Deus sequendus erat qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, qui videretur ab homine & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Fatentur ergo utriusque scholæ Theologi, peccati solutionem & expiationem, non fuisse unicum duntaxat motivum incarnationis faciendæ. An autem fuerit præcipuum, ita ut eô cessante non fieret incarnatio ob alios fines, *Affirmat* cum suis discipulis S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. *Negat* verò subtilis Doctor in 3. dist. 7. q. 3. cum Alensi 3. p. q. 2. memb. 13. S. Alberto Magno, dist. 20. a. 4. & plurimis aliis etiam ex Thomistis.

III. Varia sunt instantia distinguenda in decreto futuræ incarnationis.

Notandum 2. Quòd etsi unicus ac simplicissimus sit actus divinæ voluntatis secundùm se & realiter spectatus, virtute tamen intelligitur multiplex juxta nostrum concipiendi modum; ita quòd in eo distinguatur ordo prioris & posterioris, sive ille sit solùm ordo rationis, sive potiùs quasi naturalis præsuppositionis unius ad aliud; quatenus scilicet actus ille qui in entitate sua infinitus est, correspondet plurimis actibus quos successivè eliceremus in aliqua re decernenda & producenda; quanquam ordo ille prioritatis & posterioritatis qui reperitur in actibus divinis potiùs refundi debeat in objecta secundaria, circa quæ versantur intellectus & voluntas divina, quā in ipsammet entitatem actûs qui secundùm se reverà simplicissimus & indivisibilis est. In his autem tam actibus quàm objectis assignari solent à Theologis quædam signa seu instantia, ratione quorum unus actus dicitur prior aut posterior alterô. Quos actus secundùm illa diversa instantia quantùm ad propositum (nempe decretum Incarnationis Christi) sic distinguit Doctor in 3. *dist. 39. quæst. unicâ num. 6.* ubi ait: Quòd incarnatio Christi non fuit occasionaliter prævisa; sed sicut finis immediatè videbatur à Deo ab æterno, ita Christus in natura humana, cùm sit propinquior fini, cæteris priùs prædestinabatur, loquendo de his qui prædestinantur. Tunc iste fuit ordo in prævisione divina. *Primo* enim Deus intellexit se sub ratione summi boni: in *secundo* signo intellexit omnes alias creaturas: in *tertio* prædestinavit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negativum non prædestinando: in *quarto* prævidit illos casuros in Adamo: in *quinto* præordinavit sive prævidit de remedio quomodo redimerentur per passionem Filii; ita quòd Christus in carne, sicut & omnes Electi, priùs videbatur & destinabatur ad gratiam & gloriam quam, prævideretur passio Christi: sicut medicus priùs vult sanitatem hominis, quam ordinet de medicina ad sanandum: Hæc Doctor, quibus quinque distinguit signa seu instantia rationis, in quibus actus divinæ voluntatis, quasi esset quintuplex, terminatur ad diversa subjecta quæ Deus decreverit circa Christum ejusque adventum.

IV. Duplex est ordo in divina operatione. alius secundùm intentionem alius secundùm executionem.

Notandum 3. Quòd quemadmodum Deus priùs decernit res faciendas quàm illas producat, quippe decretum ejus est ab æterno, rerum autem effectio duntaxat est in tempore: hinc duplex ordo prioris & posterioris distingui solet in operatione divina, alius videlicet *secundùm intentionem*, alius verò *secundùm executionem*; ita quòd aliqua dicantur priora secundùm intentionem Dei decernentis & statuentis productionem rerum; alia verò posteriora secundùm executionem & operationem Dei res producentis; quemadmodum medicus v. g. secundùm intentionem priùs habet sanitatem restituendam, quàm medicinam parandam: secundùm verò executionem priùs parat phârmacum quàm sanitatem restituat. Certum est autem Christum Dominum non fuisse destinatum à Deo producendum ante cæteras creaturas; quippe duntaxat formatus fuit & productus in medio tempore. Sed movetur difficultas, utrùm à Deo priùs destinatus fuerit secundùm ordinem intentionis quàm cæteræ creaturæ, ac subinde ipse non minùs esset formandus quamvis homines peccarent vel non peccarent, quia destinatus erat producendus independenter à prævisione futuri peccati hominis.

His ita præmissis duo maximè veniunt hac in quæstione determinanda. *Primum* quidem, an Christus de facto venerit præcipuè ad redimendos homines & eluenda ipsorum peccata. *Secundum* autem, an vi præsentis decreti non minùs esse venturus quanquam nulla forent hominum peccata.

Conclusio Prima.

V. Verbum maximè est incarnatum ad expianda hominum peccata.

Verbum de facto carnem induit maximè propter salvandos homines & expianda ipsorum peccata. Hæc est communis, & probatur primò ex Scriptura sacra, quæ apertè significat Dei Filium præcipuam habuisse causam sui in mundum adventûs redemptionem hominis à servitute peccati. Sic Matth. 18. & Lucæ 19. ipsemet adorandus Salvator testatur. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Et Joannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Lucæ 5. *Non egent qui sani sunt medicô, sed qui male habent: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

Idem testatur sanctus Apostolus primæ ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere.* Quòd utique motivum adventûs Christi declaratur in Symbolo Nicæno, his verbis; *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Suffragantur etiam sancti Patres, imprimis S. Athanasius librô de humanitate Verbi, ubi ait: *Vt cognoscas nostram culpam illi dedisse occasionem ut descenderet, nostramque prævaricationem Verbi Dei humanitatem elicuisse, ut ad nos contenderet, inter homines appareret; illius enim incorporationis nos causam dedimus ob nostram salutem: ita humanus extitit ut in humanô corpore & esse vellet & apparere.* Basilius homil. de humana Christi generatione q. 25. *Disce mysterium: propterea Deus in carne est, quia oportebat maledictam hanc carnem sanctificari.* Hinc definitum est in Concilio Toletano 6. *Solum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus resolvenda à secreto Patris arcano prodiisse.* Quibus omnibus testimoniis apertè constat Christum Dominum idcirco maximè in mundum venisse ut peccatores salvos faceret: quapropter egregiè sanctus Augustinus Sermone 9. de Verbis Domini, *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicinæ causa.*

VI. Quanquam ob alios etiam fines Christus advenerit.

Non diffiteor tamen non unicum istud, sed plura alia incarnationis de facto peractæ motiva Verbum habuisse, putà manifestationem omnipotentiæ, sapientiæ & bonitatis divinæ; exigentiam capitis proximè univoci & proportionati cum Ecclesia; nam, ut inquit sanctus Chrysostomus Sermone 1. de Pentecoste, *Deo chara est Ecclesia, propter Ecclesiam enim extensum est cœlum, diffusum est mare, extensus aër, fundata terra, &c.* Et paulò post: *Propter Ecclesiam pelagus scindebatur, findebatur petra, fluebat manna de cœlo... propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli, imò propter Ecclesiam Vnigenitus Dei factus est homo.* Quibus apertè docet sanctus Chrysostomus unum ex præcipuis motivis incarnationis peractæ, fuisse ut Ecclesia dignum sibi caput, nempe Dei Filium obtineret in carne visibilem.

Conclusio Secunda.

Ex vi præsentis decreti Verbum fuisse incarnatū, etiamsi Adamus non peccasset.

Ex vi præsentis decreti Verbum divinum carnem humanam assumpsisset, etiamsi Adamus non peccasset. Hæc conclusio quadruplici fundamentô nititur ac firmatur.

Prima Probatio,

Petita ex eo quòd Christus sit priùs decretus quàm creatura.

Christus volitus ac destinatus est à Deo ante præscientiam peccati hominum: ergo licèt homo non peccasset, nihilominus Verbum divinum vi præsentis decreti carnem induisset. Consequentia patet: cùm enim prius non pendeat à posteriori, si adventus Christi volitus est & decretus à Deo ante præscientiam peccati hominum; evidens est quòd independenter à tali peccato ejus adventus sit decretus; atque à Deo executioni fuisset mandatus, licèt homo non peccasset.

VII. Probatur 1. Quia priùs à Deo Christus decretus est quā creaturæ.

Probatur antecedens. Christi productio decreta priùs est, quàm productio creaturarum: sed decretum productionis creaturarum prius fuit decretô permittendi peccatum: ergo Christus volitus est ac decretus ante permissionem, subindeque ante præscientiam peccati hominum. Minor constat: Non enim potuit Deus habere decretum permittendi peccata hominum, illaque præscire ut futura, quàm habere voluntatem ipsos producendi; siquidem operatio sequitur esse, & consequenter actio peccaminosa prævisa supponit existentiam prævisam hominis peccaturi.

Ut apertè colligitur ex S. Scriptura.

Major verò probatur plurimis Scripturæ textibus, quibus Christus dicitur prima omnium creaturarum. Sic Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*; ubi nullam prorsus creaturam excludit; quem textum Concilium Sardicense in Epistola ad omnes Episcopos circa finem exponit de Christo; ita quòd illa verba, *Ego ex ore Altissimi prodivi*, significent illius generationem æternam quatenus est Dei Filius: cætera verò designent illius generationem temporalem decretam ante quamlibet creaturam. Quod utique confirmari potest ex S. Paulo ad Coloss. primô, ubi ait: *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipsô condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia: ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens:* Sed Christus non est primogenitus omnis creaturæ secundùm ordinem executionis temporalis; quippe duntaxat formatus est & natus in medio annorum: ergo est primogenitus in intentione & destinatione divina; ac proinde illius incarnatio futura præcedit decretum productionis rerum, & consequenter præcedit decretum permissionis peccati.

Confirmatur primò ex Proverb. 8. *Dominus possedit me initiò viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Quæ singula hujus oraculi verba nostram sententiam mirum in modum confirmant. Siquidem illa verba de Sapientia incarnata, nempe Christo Domino, exponunt sancti Patres, maximè sanctus Clemens Romanus

lib. 1. Constitutionum Apostolicarum, cap. 20. Basilius lib. 40. contra Evodium. Athanasius serm. 3. contra Arianos & Nazianzenus oratione 4. Theologicâ, Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 4. August. lib. 1. de Trinitate cap. 12. Epiphanius hæresi 69. num. 24. ubi ait hanc explicationem esse sanctorum Patrum. *Nonnulli*, inquit, *orthodoxorum Patrum locum illum Salomonis de incarnatione Christi interpretati sunt, Dominus possedit me & fundavit, estque hic demum sensus pietati consentaneus.* Favet etiam versio Septuag. qui sic hunc locum efferunt, *Dominus creavit me initiò viarum suarum*, quæ certè de Sapientia increata secundùm illius generationem æternam non possunt intelligi; siquidem secundùm illam sui productionem *non est factus, nec creatus sed genitus*, inquit sanctus Athanasius in Symbolo. Favet etiam sanctus Aug. qui locô mox citatô ait: *Secundùm formam servi dictum est, Dominus creavit me, initiò viarum suarum.* Igitur ex illo oraculo constat Verbum incarnatum fuisse initiò viarum Domini, id est operum Dei ad extra: sed non fuit initium in temporali rerum executione, cùm post plurima jam creata fuerit incarnatum: ergo fuit initium in divina intentione, & proinde illius existentia futura priùs fuit decreta quàm decerneretur productio aliarum creaturarum.

Reponunt adversarii ex S. Hieronymo epistolâ 136. quod meliùs vertatur ex Hebræo, *Dominus possedit*, quàm *Dominus creavit.* Insuper plurimi e sanctis Patribus locum istum explicant de divina Sapientia increata: Quibus favent sequentia hæc illius oraculi verba, *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni sempore*, quæ sane intelligi non possunt nisi de re existente realiter: at Christus non extitit à principio mundi: igitur præfatum oraculum non de Sapientia incarnata, sed duntaxat de increata debet intelligi.

VIII. Prima Adversariorũ responsio eliditur.

Verùm respondeo, hanc adversariorum responsionem non solvere vim præfati argumenti: Primò namque quamvis meliùs vertatur *Dominus possedit*, quàm *Dominus creavit*, nihilominus ista verba de Sapientia divina ut incarnata, necessariò debent intelligi; quippe dicitur quòd ille qui possedit illam divinam Sapientiam sit ejus Dominus: at Verbum divinum, ut Filius Dei, dominum non agnoscit; sed tantùm ut filius hominis; siquidem ut ait sanctus Athanasius in Symbolo, *æqualis est Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Nec obstat etiam quòd nonnulli Patres præfata verba explicent de Sapientia ut increatâ: etenim Theologi communiter docent posse interdum dari plures sensus literales unius & ejusdem sacræ Scripturæ textûs, maximè eorum quæ de Christo Domino efferuntur: cùm enim Christus habeat duas naturas in eadem Verbi persona subsistentes; divinam scilicet & humanam, inde fit quòd idem Scripturæ textus utramque interdum naturam designet, unde quamvis aliqua præfati oraculi verba interpretentur de Christo ut sustentante naturam divinam, nihil obstat quominùs cætera veniant explicanda de ipso, ut sustentante naturam humanam.

Confirmatur ex eo quòd illa divina Sapientia *ibidem* ait, *delicia mea esse cum filiis hominum*; quod si verum est de hominibus lapsis, longè magis verum videtur de hominibus reparandis.

Reponunt 2. Christum dici quidem *initium viarum Dei*, non tamen operum creationis sed reparationis. *Insuper* si dicatur initium viarum Dei, in ordine creationis, non tamen ita dicitur, secundùm prioritatem intentionis, quasi priùs Deus intenderit Christum producere quàm alias creaturas: sed tantùm secundum prioritatem dignitatis & excellentiæ. Sic Job 40. *Behemoth dicitur principium viarum Dei.*

Verùm utraque hæc expositio non solvit præfatam rationem. Non quidem *prima*, quæ omninò absurda est & absque fundamento, nec non apertè contraria his sequentibus illius oraculi verbis: *Antequam terra fieret, ante omnes colles ego parturiebar.* Secunda pariter expositio non officit, quia Christus non tantùm dicitur *initium viarum Dei*, quod equidem primitatem dignitatis designare posset; sed etiam dicitur *possessus ac creatus* a Deo, hoc est decretus in initio antequam cæteræ creaturæ decernerentur.

IX. Secunda responsio, etiam refellitur.

Confirmatur secundò. Exemplar secundùm quod aliquid fit, priùs intenditur ab operante quàm illud quod ad ejus imitationem produci debet: sed Christus Dominus fuit exemplar ad cujus imitationem Deus Adamum produxit: Ergo priùs intendi ac decerni debuit Christi formatio quàm Adami. Major constat, omnis enim causa aliquâ prioritate suum præcedit effectum; exemplar autem habet rationem causæ. Minor verò probatur ex Tertulliano libro de Resurrectione carnis; ubi ponderans illa verba Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, dicit: *Limus ille tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Et sanctus Athanasius sermone de sanctissima Deipara, ait: *Potius loquendum est quòd Deus fecerit hominem secundùm imaginem Dei: secundùm imaginem enim & similitudinem istiusmodi Incarnationis & acceptæ humanitatis hominem Deus fecit.*

Confirmatur denique, ille primò intenditur in ordine creationis, propter quem omnia creata sunt & condita: sed omnia creata sunt & condita propter Christum. Igitur, &c. Major patet. Finis enim priùs intenditur ab operante quàm ea quæ sunt ad & propter finem: Minor verò probatur; tum ex suprà laudato capite ad Colossenses ubi dicitur quod *in ipso Christo*, id est propter ipsum, *condita sunt universa*: tum ex primæ ad *Cor.* 3. ubi Apostolus declarat ordinem finium ad quos ordinantur creaturæ; ut scilicet creaturæ corporeæ sint propter electos, electi propter Christum, Christus autem immediatè propter Deum: ait enim *Omnia vestra sunt, vos autem Christi; Christus autem Dei*: sed hæc illatio non esset legitima, nisi Christus priùs fuisset intentus & à Deo decretus quàm cæteræ creaturæ; sicut enim hominum creatio priùs fuit intenta à Deo quàm formatio mundi propter ipsum hominem conditi, tanquam propter finem primarium, sic etiam priùs intendi debuit Christi productio quàm decernerentur homines propter ipsum creandi: quod utique confirmat Apostolus ad Hebr. 2. ubi ait, *Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia qui multos Filios in gloriam adduxerat*, &c.

Præfatam rationem firmant sancti Patres; maximè sanctus Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 3. ubi disputans contra Arianos, ait: Si, *ut dicunt hæretici, ut nos produceret Deus, Filium produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter ipsum; cur ergo nobis non aget gratias qui propter nos est? Erit etiam ipse sic gloria nostra ut fœmina viri, non enim*

vir creatus est propter fœminam, sed fœmina propter virum. Favet etiam Rupertus explicans mox laudata verba ad Heb. ubi sic ait: *Religiosè dicendum reverenterque est audiendum, quia propter istum filium hominis, scilicet Christum, gloriâ & honore coronandum Deus omnia creavit.*

SECUNDA PROBATIO,

Petita ex eo quòd Christus sit Electorum ac Prædestinatorum Primogenitus, Exemplar, & Principium morale.

X. Secunda ratio, quia Christus est prædestinatorum exemplar,

QVi est omnium Prædestinatorum, & Electorum primus, exemplar & principium morale, ille prius intenditur & decernitur à Deo futurus quam prævideatur & decernatur permissio peccati: sed talis est Christus: igitur, &c. Major constat, maximè in sententia Thomistarum, affirmantium Prædestinationem fieri ante prævisa merita vel demerita secundùm intentionem, quamvis secundùm executionem pendeat à meritis. Minor verò probatur: primò quidem quòd Christus fuit primogenitus & causa exemplaris omnium prædestinatorum: id enim apertè docet sanctus Apostolus ad Romanos 8. his verbis: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et primò ad Ephesios, *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et paulò post: *Prædestinavit nos per Iesum Christum in ipsum*; ubi particula *per*, significat etiam Christum fuisse causam meritoriam & efficientem moralem nostræ prædestinationis: particula verò *in*, denotat ipsum esse ejusdem prædestinationis causam finalem.

Ut S. Scriptura declarat,

Ex SS. Patres confirmant.

Confirmantur hæc authoritate sanctorum Patrum: nam Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 14. ita aiebat. *Futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat, prædestinante Deo primum animalem hominem, videlicet ut à spirituali salvaretur, cùm praexisteret salvans, oportebat & quod salvaretur, ut non vacuum sit salvans.* Nota, *Legem in semetipsum præformaverat*, & legem cùm præexisteret salvans, & denique primum prædestinavit hominem animalem ut a spirituali salvaretur, &c. Quæ omnia manifestè declarant in prędestinatione divina in gloriam ipsius Dei, Christum ut caput morale, seu secundùm dignitatem Salvatoris fuisse prædestinatum ante prædestinationem hominis; imò hunc propterea fuisse prædestinatum, ut non fuisset vacua salus, & officium Salvatoris Christo jam antecedenter præfinitum. Idem docet sanctus Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 8. ubi ait: *Præfundatur ante omnes Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei; ut cùm ordine divinâ benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollutio, servitutem diaboli adoptionis libertas, & possit natura humana, superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per gratiam Christi (qui fundavit eam in bonis) dignitatem recurrere talem, quàm fieri, qualem Deus ex charitate per Filium suum futuram constituit:* Ergo si benedictio maledictionem antecessit, & gratia Christi fundavit naturam humanam in bonis, sequitur quòd natura humana, quæ in primo Parente fuit fundata in bonis, & habuit benedictionem & vitam per justitiam originalem, ante maledictionem & mortem per carentiam illius, seu per peccatum originale, fuerit prædestinata per Christum, seu (ut Cyrillus loquitur) superædificata in Christo, in præscientia Dei, seu intentione Dei, & consequenter quòd Christus fuerit ante peccatum originale prædestinatus ut moralis causa. Unde concludit Cyrillus; quantùm igitur ad præscientiam, & consilium & propositum Patris, & omnino deitatis, Christus ante sæcula fundatus est, & tempore congruò natus ex Virgine; in quo reparati sumus, qui ante initium mundi salutis nostræ fundamentum ipsum habebamus.

XI. Adversariorum responsio refellitur.

Reponunt Adversarii ex his duntaxat colligi Christum fuisse primò prædestinatum, non verò quod fuerit prædestinatus ante peccatum originale: nam, inquiunt, prædestinatio spectat ad ordinem gratiæ; peccati verò permissio ad ordinem naturæ, cùm autem ordo naturæ præcedat ordinem gratiæ, consequens est quòd decretum permissionis peccati præcedat prædestinationem Christi.

Verùm contrà. Christus absolutè dicitur prædestinatorum primus & caput, ac hominum prædestinationis causa exemplaris, & efficiens moralis: igitur prædestinatus fuit ante prædestinationem Adami: sed Adamus, ex mente Thomistarum, prædestinatus est independenter à prævisione meritorum, & consequenter ante prævisum peccatum: igitur etiam Christus prædestinatus fuit ante prævisionem peccati. Ad rationem autem dico; quòd quamquam natura præcedat gratiam ordine executionis, tamen ab illa præceditur ordine intentionis: quod enim perfectius est, prius intenditur quam imperfectius, quia ordinatur ad id quod præstantius est: sed natura minùs est perfecta quam gratia ad quam ordinatur: ergo licèt ordine executionis natura præcedat gratiam, tamen ordine intentionis gratia prius intenditur a Deo quàm natura; non enim repugnat subjectum esse propter formam, & tamen in intentione agentis formam esse priorem subjecto; sic enim videmus formam substantialem esse priorem materiâ in intentione agentis materialis; & tamen in executione materia præsupponitur ad formam. Licèt ergo permissio peccati spectet ad ordinem naturæ, inde non est consequens quòd prius fuerit intenta quàm destinatio ad gratiam & gloriam.

Aliqua naturalia spectant ad ordinem prædestinationis.

Adde, quod mors prędestinati pertinet ad naturam, est enim naturæ defectus; & tamen præscientia mortis illius non antecedit electionem ejusdem ad gratiam & gloriam, maximè in sententia Thomistarum, qui volunt prædestinationem fieri ante prævisa merita. Similiter peccatum crucifigentium Christum fuit reverà grande peccatum, ac proinde secundùm adversarios spectare debuit ad ordinem naturæ: ergo si prius fuerit intentus ordo naturæ, quàm ordo gratiæ & gloriæ; sequitur quòd Deus prius vidit peccatum crucifigentium Christum, quàm ipsummet Christum, quod est absurdum: quia cùm Christus sit subjectum circa quod versari debebat illa actio peccaminosa, non potuit hæc præcognosci antequam præcognosceretur ejusmodi subjectum.

Tertia Probatio.

Petita ex ratione.

XII.

Tertia probatio petita ex ratione.

ORDINATÈ volens ea quæ ex natura sua se habent tanquam finis & media, priùs debet velle finem, & ex mediis illa quæ sunt fini propinquiora, & tandem illa media quæ remotiora sunt: sed ad manifestationem bonitatis divinæ, quæ est finis intentus à Deo in productionem rerum, propinquiùs spectat incarnatio Verbi & Christi glorificatio ac prædestinatio quàm prædestinatio omnium hominum, eorumque beatificatio ac justificatio; quippe incarnatio Verbi & Christus ipse Deo propinquior est quàm omnes creaturæ: ergo cùm Deus semper ordinatissimè velit, priùs intendit manifestationem bonitatis suæ, & immediatè post voluit incarnationem Verbi, demùm ordinem gratiæ, ac tandem naturæ ad quem spectat permissio peccati; ac proinde decretum incarnationis prius fuit decreto productionis rerum & decreto permissionis peccati. Minor constat: cùm enim Christus sit homo-Deus, intimiùs ac propinquiùs ad Deum spectat quàm quælibet creatura, magisque ad illius gloriam confert.

Quia Deus ordinatè volẽs priùs vult incarnationem quàm velit omnes creaturas.

Reponunt autem Adversarii, majorem esse veram in his mediis quæ sunt fini propinquiora ordine causalitatis; falsam verò de iis mediis quæ sunt propinquiora tantùm ordine perfectionis. Duplicitet enim, inquiunt, potest intelligi quòd unum medium sit altero proximius fini. *Primò* quidem ratione causalitatis, quia scilicet immediatè confert ad consecutionem, alia verò media non immediatè, sed mediante ipsô. Sic v. g. in glorificatione hominis quæ est finis intentus à Deo prædestinante, quamvis ordine executionis, vocatio priùs ad illam conferat quàm justificatio; tamen ordine intentionis justificatio priùs intenditur à Deo quàm vocatio, quia justificatio immediatiùs confert ad glorificationem quàm vocatio. *Secundò*, Unum medium dicitur proximius fini quàm aliud, ratione majoris perfectionis & affinitatis cum fine: quâ ratione id quod magis participat de esse divino & de bonitate Dei, dicitur ipsi propinquius quàm illud quod minùs participat. Licèt autem Christus sit perfectior universo ordine gratiæ, & hâc ratione Deo propinquior, tamen non est propinquior fini à Deo intento ordine causalitatis, quia Deus potuit decernere simul omnia quæ conducunt ad ipsius gloriam, sive illa sint ordinis naturæ sive gratiæ, sive unionis hypostaticæ, potuit etiam minùs perfectum medium ad perfectius ordinare, vel perfectius ordinare ad minùs perfectum, cùm hoc à sola Dei E voluntate pendeat: potuit igitur primò decernere permissionem peccati & hominum redemptionem, deinde verò incarnationem Verbi tanquam medium posteriùs conferens ad hominum glorificationem.

Prima Adversariorũ evasio expenditur.

Contra primò. Quanquam reverà Deus fortè absque aliqua inordinatione eligere possit & ordinare medium minùs perfectum ad consequendum finem; & postmodũ id quod magis perfectum est; tamen decentiùs & congruentiùs apparet, ut medium illud immediatè ordinet & intendat, quod ratione suæ perfectionis majorem habet affinitatem cum ipso fine consequendo, id enim magis decet summam illius sapientiam & suavem rerum administrationem.

Et præcluditur.

A *Secundò* concedunt adversarii quòd ordinatè volens priùs vult finem quàm ea quæ sunt ad finem: sed Christus finis est immediatus omnium creaturarum tam ordinis naturæ quam ordinis gratiæ: igitur priùs intenditur à Deo quàm cæteræ creaturæ cujuscunque sint ordinis. Minor constat ex dictis, ubi probatum est ex Apostolo 1. ad Cor. 3. quòd quemadmodum omnia propter prædestinatos creata sunt, ita omnia creata, & etiam ipsi prædestinati, sunt propter Christum ut est homo tanquam propter finem, sicut & illa omnia & ipsemet Christus sunt propter Deum tanquam propter ultimum finem: igitur cùm B Deus ordinatè volens, priùs velit finem quàm media, necesse est quòd sicut priùs intendit suæ gloriæ manifestationem quàm incarnationem Verbi, quia sua gloria est finis ultimus omnium suorum operum, ita priùs intendat Christum quàm ea omnia quæ ad ipsum ordinantur.

Tertiò velle ordinatè, nil aliud sonat, quàm velle objecta amabilia prout inter se amabilia sunt: sed objectum quod ex se perfectius & nobilius est, etiam est amabilius: ergo ordinatè volens finem, priùs vult media perfectiora quàm minùs perfecta; sed incarnatio Verbi præstantiori modô C confert ad manifestationem gloriæ Dei, quæ ut finis intenditur in omnibus ejus operibus, quàm conferat hominum redemptio & peccati permissio: igitur priùs debet Deus decernere incarnationem quàm peccati permissionem.

Demque, peccati Adami permissio ex natura sua debet esse carentia gratiæ actualis in Adamo: sed carentia gratiæ præsupponit illius concessionem: ergo priùs Adamus prævisus fuit habens gratiam quàm carens gratiâ: sed omnis gratia Adamo collata, sive in statu innocentiæ, sive in statu reparationis, fuit duntaxat ei concessa intuitu meritorum Christi venturi, nullus enim effectus prædestinationis Adami fuit independens à meritis Christi. Cùm enim Christus sit caput omnium hominum prædestinatorum D, idque mediantibus actionibus quibus nobis promeruit beatitudinem; consequens est quòd prædestinatio Adami, & subinde omnis illius effectus sit dependens à meritis Christi: sed gratia quam habuit Adamus, etiam in statu innocentiæ, fuit effectus prædestinationis ipsius; quia cùm omnis gradus gloriæ hominis prædestinati sit effectus prædestinationis ipsius, illa gratia pertinet ad effectus prædestinationis Adami, cui correspondet aliquis gradus gloriæ, in qua modo ipse Adamus existit: sed gratiæ, quam habuit in statu innocentiæ, correspondet aliquis gradus gloriæ quâ nunc fruitur Adamus; quamvis enim gratia illa per peccatum subsequens fuerit deperdita, & meritum ejus mortificatum, tamen per pœnitentiam fuit ei restituta, & meritum vivificatum ad eum gradum gloriæ recipiendum ad quem habuerat jus in statu innocentiæ.

Reponunt adversarii, falsum esse quòd gratiæ illi, quam habuit Adamus in statu innocentiæ, formaliter ut tali, correspondeat aliquis gradus gloriæ quem obtineat Adamus; siquidem, aiunt, illa gratia per peccatum totaliter fuit extincta; nec opera meritoria per ipsam facta retinuerunt aliquod jus ad gloriam tanquam ad præmium, sed remanserunt omninò mortua & incapacia revivíscentiæ per pœnitentiam: in quo differunt à nostris meritis, quæ cùm per peccatum lethale solùm mortificentur, reviviscunt per pœnitentiam

tentiam ad eosdem gradus gloriæ ad quos speciale jus habebant. Cujus discriminis ratio est, quòd destructâ in nobis gratiâ sanctificante per peccatum mortale, remanet nihilominùs adhuc unum ex principiis moralibus & vitalibus actionum illarum, quibus antequam laberemur in peccatum, aliquid apud Deum meruimus; nempe ipse Christus qui est causa moralis omnis nostri meriti: at verò respectu Adami adhuc innocentis, Christus nondum influebat in ejus meritum, sed ad id duntaxat conferebat gratia ipsi collata quæ erat principium radicale & vitale talis meriti: igitur destructô tali principiô, omne meritum quod ab eo processerat, totaliter vitam amisit; atque adeo non fuit duntaxat mortificatum, sed etiam omninò mortuum.

XIII. Quomodo gratiæ quã habuit Adamus innocens, correspondebat aliquis gloriæ gradus.

Contra primò. Absque fundamento & non sine erroris periculo asserunt gratiã Adamo non fuisse collatam ex meritis Christi. Siquidem Apostolus ad Ephes. 1. disertè pronunciat, *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: sed gratia Adamo innocenti collata, fuit summa benedictio: non solùm pro ipso, sed etiam pro nobis posteris ad quos debebat illam transfundere: igitur ea fuit collata intuitu meritorum Christi.

Deinde, reponunt pro solutione id quod venit in controversiam: disceptamus enim an Christus priùs decretus fuerit quàm Adamus, aut quælibet alia creatura: igitur illa responsio non videtur idonea.

Insuper: Mysterium Incarnationis fuit Adamo revelatum in statu innocentiæ, ut docet sanctus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. & sanctus Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 2. ubi affirmat matrimonium in statu innocentiæ fuisse signum atque Sacramentum conjunctionis ac unionis spiritualis Christi cum Ecclesiâ; quòd utique probat ex illo Apostoli ad Ephes. 5. ubi cùm retulisset illa verba quæ Adamus dixerat post formatam suam uxorem, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne unâ*, statim subdit, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ*. Quibus Apostolus significat Adamum illa verba protulisse, non solùm ut denotaret intimam unionem conjugum, sed etiam unionem Christi cum Ecclesiâ: igitur Adamus innocens prævidit Christum venturum.

Denique, falsò proferunt Adversarii merita Adami per peccatum subsequens omninò fuisse mortua; siquidem idcircò nostra merita omninò non moriuntur quandiu fideles sumus, quia per fidem semper unimur Christo capiti & mediatori nostræ salutis: at Adamus non amisit fidem, alioquin extincta omninò tunc temporis fuisset Ecclesia: ergo eandem cum Christo capite habere potuit unionem, etiam dum peccavit, quam modo habent peccatores qui fidem non perdiderunt.

QUARTA PROBATIO.

Petita ex absurdis quæ ex adversa sententia oriuntur.

XIV. Probatur 4. ex absurdis quæ ex adversa sententia oriuntur.

SI Christus ob peccatum duntaxat venisset, sequeretur ipsum esse bonum occasionatum; quòd scilicet non habuisset existentiam, nisi commissum esset peccatum: at absurdum est tantùm bonum, qualis est Christus, esse duntaxat occasionaliter intentum à Deo, cùm sit per sese summè volibile & amabile, non minùs ac ipsa redemptio à peccato, imò multò magis, quandoquidem secundùm se sit bonum præstantius: ergo, &c.

1. Sequeretur Christum fuisse duntaxat occasionaliter destinatum.

Reponunt Adversarii 1. non esse inconveniens quòd Christus solùm decretus fuerit ex occasione peccati; quia inquiunt longè majus beneficium collatũ est hominibus, ex eo quòd incarnaretur Deus ob remedium solius peccati quàm si incarnaretur propter alia motiva in ordine ad justificationem & glorificationem, quam habuissent homines si in statu innocentiæ perseverassent, quia eò majus est beneficium aliquod cæteris paribus, quò minùs digniori confertur; at incarnatio facta ob solum remedium peccati, esset beneficium factum peccatori & indigno: si autem fieret propter ea motiva, beneficium istud non conferretur indigno: ergo nihil officit quominùs Incarnatio Verbi sit bonum occasionatum.

Verùm, dico hanc responsionem nec esse ad intentum difficultatis nec veram doctrinam continere. Non quidem est ad intentum præsentis difficultatis, quia non quæritur utrùm Verbi incarnatio esset majus beneficium vel minus, si fieret ob solam redemptionem à peccato: sed utrùm ex se sit majus bonum quàm redemptio, ita ut bonum istud non existeret nisi redemptio esset facienda. Non continet etiam veram doctrinam, quia sine dubio majus beneficium esset quòd fieret incarnatio propter justificationem & glorificationem hominum, ac etiam propter naturæ humanæ dignitatem quàm si fieret ob solam redemptionem: præstantiùs enim est manus dare homini ne in captivitatem veniat & suam libertatem tueatur ac servet, quàm si è vinculis eruatur.

Reponunt 2. occasionatum sumi dupliciter: *Primò*, prout idem est ac præter intentionem agentis, & a casu, in quo sensu fatentur incarnationem non esse bonum occasionatum, maximè respectu Dei, cùm omnia divinæ ejus gubernationi subdantur: *Secundò*, dicitur bonum occasionatum, quia pendet ex aliqua occasione, licèt aliunde sit intentum à Deo, & in hoc sensu concedunt incarnationem esse bonum occasionatum.

Verùm, ex hac responsione sequitur quòd vel incarnatio secundùm se esset minus bonum quàm remissio peccati, vel quòd Deus ordinaret majus bonum, scilicet Christum ad minus bonum, scilicet ad remedium peccati: sed utrumque est absurdum. Christus enim utpotè Deus-homo, longè præstantius est bonum quàm omnium hominum salus: siquidem majorem Deus gloriam recipit per solum Christum, quàm reciperet per omnium hominum salutem. Similiter inordinatè Deus procederet si majus bonum ordinaret ad minus; quippe entia minùs perfecta, secundùm justam ordinationem divinæ Providentiæ, ordinantur ad præstantiora: sic elementa inserviunt viventibus, vegetantia brutis, bruta verò hominibus.

Reponunt iterum; quòd inordinatè quidem procederetur si majus bonum ordinaretur ad minus tanquam ad finem *qui* vel cujus gratiâ aliquid fit: non verò si ordinaretur tanquam ad finem *cui*: nam Angeli in Scriptura dicuntur producti & missi in ministerium hominum; & salus rustici dicitur finis *cui* providentiæ regiæ; quia bonum rustici resultat ex optimâ regis administratione.

Contra. Si incarnatio duntaxat decerneretur ob solam remissionem peccati, consequens esset quòd illa non foret nisi existeret peccatum, & consequenter quòd haberet duntaxat existentiam occasione remittendi peccati, & sic secundùm se

& absolutè ordinaretur ad peccatum: sed quod secundùm se & absolutè ordinatur ad aliud, ita quòd habeat duntaxat existentiam propter illam ordinationem, non ordinatur solùm ad finem *cui*, sed etiam ad finem *cujus gratia*. Ergo si esset inordinata dispositio quod majus bonum referatur ad minus, tanquam ad finem *qui*, consequens esset quòd minùs rectè ordinaretur incarnatio solam remissionem peccati. Minor constat: ad id enim dicitur ordinari ad aliud tanquam ad finem *qui*, saltem immediatum, quando duntaxat producitur ob aliud, nec ullam haberet existentiam si ita ad aliud non ordinaretur: sic enim creaturæ dicuntur ordinari ad gloriam Dei tanquam ad finem *qui*, quia duntaxat propter Dei gloriam creatæ sunt. Confirmabuntur hæ responsiones, ex sequentibus absurdis.

XV.
2. Sequeretur Adami peccatū fuisse utile Christo Dom.

Secundum absurdum quòd ex adversa sententia oritur, est quòd si Christus tantùm decretus esset propter nostram redemptionem, sequeretur quòd Adami peccatum ei fuisset utile, quia non haberet suam existentiam nec gratiam & gloriam nisi Adamus peccasset: imò gaudere posset de peccato Adami; aliquis enim meritò gaudere potest de eo sine quo non reciperet suum esse nec suas perfectiones haberet: sed hæc consequentia omninò absurda est. Probatur major à simili authoritate sancti Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 18. ubi improbat opinionem assetentium homines idcircò duntaxat esse factos & prædestinatos, ut vacuas Angelorum sedes replerent; si enim ita esset, sequeretur quòd deberent sibi gratulari homines de Angelorum perditione & ruinâ. Ait autem: *Si nullatenus facti sunt homines nisi pro restauratione perditorum Angelorum, palam est, quia nisi illi Angeli ab illa beatitudine cecidissent, homines ad illam non ascenderent; si quis ergo dixerit, quia tantùm latabuntur electi homines de Angelorum perditione, quantùm gaudebunt de sua assumptione, quoniam absque dubio hae non esset nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac perversa gratulatione defendi?* At idem dicendum esset de Christo si duntaxat decretus esset venturus pro reparandis hominibus perditis.

Reponunt Adversarii, falsum esse quòd Christus gauderet de hominum ruinâ, sed duntaxat gaudere deberet de bonitate & misericordia Dei, quæ tantum bonum ex tanto malo tanquam ex occasione produxit: Neque enim, inquiunt, nos dedimus occasionem essendi Christo per se & ex intentione nostrâ, sed solùm per accidens & ex intentione Dei, qui ex peccato Adami tanquam ex occasione incarnationem Verbi divini decernere voluit. Ad authoritatem S. Anselmi negant esse paritatem: quia, inquiunt, propterea homines deberent gaudere de ruina Angelorum, si ad eorum sedes implendas ordinarentur, quia supposito lapsu Angelico prædestinarentur homines absque novo beneficio, ut supponit Anselmus in eorum sententiâ quos impugnat: illi enim dicebant Deum elegisse ad gloriam certum numerum Angelorum eâ conditione ut si deficerent aliqui, tot assumerentur ex hominibus, & ideò vi illius pacti sine novo beneficio prædestinarentur; & propterea deberent gaudere de lapsu ex quo sine novo beneficio sequeretur eorum prædestinatio: at incarnatio Christi non procedebat ex lapsu hominum absque particulari beneficio, unde non deberet Christus gaudere de peccato Adæ.

Verum hæ responsiones non satisfaciunt. Non quidem *prima*, quamvis enim Christus gaudere deberet de misericordiâ Dei ex quâ principaliter & propter se procederet ejus productio, tamen videbatur omninò sequi quod deberet etiam gaudere de eo, sine quo Deus misericordiâ non esset motus ad decernendum ipsius Christi adventum, quemadmodum non esset motus ad prædestinandos tot homines, nisi ut volebāt illi quos impugnat Anselmus, tot Angeli essent lapsi. *Nec etiam* satisfacit disparitas quam proferunt, inter casum propositum ab Anselmo & nostrum, quia perinde prorsus est quod prædestinatio hominum fiat ex lapsu sine oovo beneficio, vel quòd ita non fiat, ad hoc ut homines haberent ansam gaudii de Angelorum lapsu: nec enim motivum gaudii esset defectus novi decreti seu quod non destinarentur novô decretô ad gloriam: sed motivum illius gaudii esset consecutio suæ prædestinationis, quæ fieret ex supposito Angelorum lapsu: non autem fieret si Angeli non fuissent lapsi. Unde eorum gaudium tantùm oriretur ex sua prædestinatione quæ infallibiliter sequeretur ex Angelorum ruina. Idem autem dicendum esset de Christo D. si duntaxat ob liberandos homines à peccato decretus ejus esset adventus.

XVI.
Alia proponuntur absurda quæ ex opposita sententia suboriuntur.

Tertium absurdum quod ex opposita sententia oritur, est quòd si Christus duntaxat esset decretus propter homines redimendos, sequeretur primò, quod ille oobis gratias deberet rependere, oon nos illi. *Secundò*, quòd essemus multò præstantiores quàm Christus. *Tertiò*, quòd necessarium fuisset peccatum, ut Christus existeret: sed hæ tres consequentiæ absurdæ sunt & sanctorum Patrum doctrinæ repugnantes. Prima quidem, quia illam sanctus Athanasius lib. 3. contra Arianos infert & impugnat his verbis: *Si Deus*, inquit, *volens creatitiam naturam producere, Filium in eos usus procreavit pro vestrâ opinione, ut per eum nos ædificaret; animadvertite quàm audax sit impietas in vestris verbis. Primùm quia apparebit Filium propter nos, & non nos propter Filium conditos esse: non enim nos ejus causâ creati fuissemus, sed ille nostri, adeò ut ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus.* Et statim infert, *Si illud conceditur, planè sequitur ut Pater Filium sibi noluerit, non enim volens eum creare creavit, sed cum nos vellet salvare nostri gratiâ eum instituit.*

Secundam consequentiam impugnat sanctus Cyrillus lib. 5. Thesauri, cap. 3. ubi ait: *Si propter nos factus est Filius, & non propter Filium nos: erimus nos multò ipsô præstantiores.* Quod & confirmatur ex S. Basilio lib. 4. contra Eunomium ubi ait: *Quod propter aliud & non propter se factum est, vel est pars illius propter quod factum est, vel eo minus est.*

Tertia tandem consequentia impugnatur authoritate sancti Aug. qui lib. 14. de Civitate Dei *cap.* 23. negat necessarium fuisse peccatum ut Sancti nascerentur & fieret hominum generatio. Ait autem, *Quisquis dixit non fuisse Adam & Evam generaturos nisi peccassent, quid dixit nisi propter Sanctorum numerositatem necessarium hominis fuisse peccatum, si enim non peccando soli remanerent, quia sicut putant nisi peccassent, generare non possent: profectò ut non solùm duo homines justi possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit, quod credere absurdum est.* Igitur multò magis absurdum quòd peccatum fuerit necessarium ut Christus hominum caput & Sanctus Sanctorum in hunc mundum veniret. Quam utique illationem infert Rupertus his verbis, *Si teste Augustino*, inquit, *absurdum esset dicere, Adam non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homi-*

net, ut nascerentur, peccatum fuisset necessarium. quid de isto Capite & Rege omnium Electorum Angelorum & hominum sentiendum, nisi quòd & ipse maximè omnium necessarium non habuerit peccatum ut homo fieret ex omnibus, delicias suæ charitatis cum illis habiturus.

Solvuntur Objectiones.

OBjiciunt primò Adversarii. Decretum Incarnationis cùm sit supra naturæ debitum, non nisi per revelationem innotescere potest: sed quotiescùmque Scriptura sacra, Concilia vel SS. Patres, ex quibus colligenda est divina voluntas de hujosmodi decreto loquuntur, non aliam ejus causam vel motivum assignant quàm liberationem à peccato seu redemptionem hominis à servitute peccacati; ergo ex vi decreti qood Deus habuit de facto, Verbum carnem non assumpsisset Adamô non peccante. Majorem ut veram supponunt: Minorem verò probant: *Primò*, illis omnibos sacræ Scripturæ locis, quibus præcedenti conclusione probavimus Christum reverà maximè venisse propter homines redimendos à peccato. *Secundò* ex Conciliis, præcipuè Niceno, & ex ejus Symbolo fidei, ubi dicitur: *Quod propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Tertiò* de-

XVII. Quô sensu S. Scriptura & SS. Patres asserât Incarnationem fuisse per actam propter peccata eluenda.

nique id confirmant plurimis SS. Patrum authoritatibus quarum præcipuæ sunt sancti Irenæi lib. 3. cap. 14. dicentis, *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* S. Cyrilli Alexandrini dialogo 4. de Trinitate, ubi ait: *Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis.* (Filius Dei,) *neque sustinuisset: & si non mortuus esset, non esset assecutus ut adoraretur à nobis, & à Sanctis*, id est Angelis. S. Ambrosii lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento, c. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat redimeretur?* Augustini ser. 8. de Verbis Domini. *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Sancti Leonis serm. 3. in Pentecosten: *Si homo*, inquit, *ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolicâ fraude deceptus à lege sibi positâ per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri, & Filius Dei similitudinem carnis peccati assumeret.* Gregorii Magni in 4. Reg. cap. 1. *Si Adam non peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam:* Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.

Respondeo cum Doctore concessâ majore, distinguendo minorem: Non aliud assignatur motivum Incarnationis ut de facto contigit & reverà peracta est, concedo: Ut esset perficienda ex hypothesi quòd nullum esset peccatum: nego. Nam constat tum ex Scriptura sacra, tum ex SS. Patribus pro nostra sententia laudatis, quòd etsi non peccasset Adamus, nihilominus Christus esset venturus. Unde si illa Scripturæ & SS. Patrum oracula pro nostra sententia laudata, liceat adversariis interpretari, quidni etiam ab eis objectas sententias simili modo benignâ interpretatione liceat explicare, ne SS. Patres & Scripturæ oracula invicem pugnantia appareant? *Adde quòd* ipsi SS. Patres nostræ explicationis fundamentum subjiciant: quippe dum negant Christum venturum si peccatum non esset, *vel* significant quòd non esset venturus in similitudinem carnis peccati, ot constat ex sancto Leone; *vel* quòd non foret morti obnoxius & aliis miseriis quibus subjacuit, ut pro peccatoribus satisfaceret; *vel* quòd oon veniret ut Redemptor, Salvator & Medicus: quo sensu sanctus August. serm. 90. de verbis Apostoli, explicans hæc verba 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere*, ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est medicinæ: si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus: ipse ægrotus genus humanum est.*

Vrgent. SS. Patres simpliciter & absque ullo addito disertè pronuntiant quòd Christus non veniret si peccatum non adesset: sed hæc locutio esset falsa, si veniret Christus non interveniente peccatô in carne impassibili: nam de eo qui venturus est in carne impassibili verum est dicere quòd sit venturus: igitur falsum est asserere quòd non sit venturus: igitur quando sancti Patres absolutè pronuntiant Christum non esse venturum si peccatum non adesset, censent quòd nullatenus foret incarnatio si Adamus non peccasset.

Nego minorem, & ad ejus probationem; nego consequentiam. Nam SS. Patres non dicunt simpliciter quòd nullô modô esset venturus, sed quòd non veniret, in eo statu passibili & mortali in quo apparuit: Unde loquuntur de Incarnatione prout facta est, quapropter aliqui utuntur hôc modô interrogatorio, ot Nazianzenus & Ambrosius, *Quæ causa Incarnationis nisi peccatores salvos facere?* quâ loquendi formulâ significant præcipuam causam Incarnationis peractæ fuisse peccatorum salutem; non tamen negant alias esse causas Incarnationis faciendæ si nullum esset peccatum. Nec propterea eorum loquendi modus falsitatem præfert; nam aliqois dici potest non venturus, quamvis sit venturus; non quidem eô modô quô expectabatur, sed aliô; sic enim Lucæ 7. Christus D. dixit cognatis suis, *Ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum:* Et tamen Evangelista subdit, *Vt autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem, non manifestè sed quasi in occulto:* unde Christus D. absolutè dicens quòd non esset ascensurus, intelligendus est, non publicè, sed occultè.

Instant. Christus non potuit venire vi illius decreti de facto existentis, nisi in carne passibili: ergo si Adamus non peccasset, vel nullatenus venisset, vel oportuisset ipsum venire in carne passibili. Consequentia patet, non est enim alius modus possibilis Incarnationis nisi in carne passibili vel impassibili. Igitur si Christus non venisset in carne impassibili, oportuisset ipsum venire in carne passibili. Probatur antecedens. Cùm primò Deus decrevit Incarnationem efficaciter, *vel* voluit Verbum incarnari in carne impassibili *vel* in carne passibili, *vel* solùm decrevit eum venturum in communi & quoad substantiam, nihil decernendo quoad modum de statu passibilitatis, aut impassibilitatis: sed primum dici nequit, quia si Deus primò voluisset efficaciter quòd Verbum assumeret carnem impassibilem, de facto illam assumpsisset dum fuit incarnatum, alioqui vel decretum illud non fuisset efficax, & sic Adamo non peccante non fuisset sortitum suum effectum, nec coosequenter hâc in hypothesi Verbum fuisset incarnatum: vel fuisset mutatum in

subsequenti signo rationis suppositâ permissione & prævisione pecati, per aliud decretum quô Deus incarnationem priùs destinatam in carne impassibili, posteà voluisset eam fieri in carne passibili, ut esset in remedium peccati: hoc autem dici nequit; quia id repugnat immutabilitati Dei, & perfectioni divinæ Providentiæ, quæ non est inectra & volubilis sicut nostra ob limitationem intellectûs nostri & voluntatis.

Secundum etiam dici non potest, quia duobus modis fingi potest Deum voluisse primò incarnationem seu unionem hypostaticam in communi, abstrahendo à carne passibili aut impassibili: *Primò*, quidem itaut solùm in communi & quasi in confuso decreverit assumere aliquod individuum naturæ humanæ, non determinando an hoc vel illud assumeret: *Secundò*, itaut voluerit hanc humanitatem in individuo sibi hypostaticè unire; non determinando tamen an illam assumeret in carne passibili aut impassibili: sed neuter dicendi modus est verus. Non quidem primus, quia actus efficax voluntatis divinæ terminatur ad rem in particulari, cum omnibus accidentibus, circunstantiis & modis cum quibus debet existere: alioqui actus ille divinæ voluntatis non fuisset efficax quia non fuisset terminatus ad rem sub eo statu sub quo non est ponibilis in actu: ergo Deus non voluit efficaciter Incarnationem Verbi solùm in communi & quoad substantiam abstrahendo à carne passibili aut impassibili.

Adde, quòd velle aliquid in communi & posteà in particulari cum omnibus accidentibus, circunstantiis & modis, dicit imperfectionem intellectûs nostri & voluntatis: ergo non potuit habere locum in Deo.

XVIII. *Quô ordine Deus Incarnationẽ decreverit.*

Respondeo Deum primò decrevisse incarnationem duntaxat quantùm ad substatiam, abstrahendo à statu passibilitatis vel impassibilitatis; quippe habuit rationes ob quas priùs determinaret substantiam incarnationis quàm circunstantias; nimirum, ut posset Christus Angelis & primo parenti mereri gratiam & alia dona quæ ipsis collata sunt independenter à peccato: neque enim merita Christi prævisa potuissent movere Deum ad conferendam illam gratiam, nisi fuisset decreta substantia incarnationis ante prævisum peccatum. Itaque Deus videns possibile quòd Christus posset mereri illa dona Angelis & hominibus, seu quòd intuitu ipsius meriti darentur illis ista beneficia, modò decerneretur ipsius adventus ante prævisionem peccati, decrevit faciendam incarnationem absolutè, nondum decernendo de modo nec de statu impassibili, vel passibili, sumptâ impassibilitate, pro obnoxietate & subjectione ad mortem & miserias.

XIX. *Duplex distingui potest passibilitas.*

Duplex enim distingui potest passibilitas. Una quidem oriunda ex quatuor qualitatibus & elementis contrariis, quibus corpora constant; & hæc est intrinseca naturæ, eamque Adamus in statu innocentiæ habebat, sed ligatam per justitiam originalem & ligni vitæ fructum quô arcebantur ab ejus corpore omnes naturales defectus. Alia verò est passibilitas inflicta propter peccatum, quæ est ipsamet actualis subjectio ad mortem & miserias. Priorem passibilitatem habuisset Christus etiamsi nullum fuisset peccatum, quia veniret compositus ex quatuor qualitatibus & elementis contrariis; sicque vi primi decreti, pariter esset passibilis: at virtute alterius decreti veniret impassibilis secundò modô, quia non erat congruum ut deficiente causâ redemptionis peccatorum, Christus de facto morti & ærumnis subjaceret, sed præventus fuisset a Deo constituente illius humanitatem in statu omninò glorioso & impassibili.

Unde ad argumentum in forma, nego antecedens, & ad ejus probationem dico, Deum primô suô decretô decrevisse substantiâ incarnationis, & Christum esse venturum in carne passibili sompta passibilitate primô modô, quatenus est quid intrinsecum naturæ humanæ, concedo. Decrevit ut veniret passibilis passibilitate sumptâ secundô modô, nego: quia ex hypothesi quòd nullum fuisset pecccatum, Deus alterô decretô statuisset quòd ille Christi adventus fieret in carne impassibili seu non obnoxia morti & ærumnis: sicut de facto decrevit ut veniret passibilis, decretô sequente illud quô substantiam incarnationis decreverat ante peccati prævisionem.

Instant iterùm. Istius duplicis decreti nullum fundamentum potest afferri; & omnes Scripturæ & SS. Patrum sententiæ de futuritione incarnationis solùm significant unicum esse decretum, tam quoad substantiam quàm quoad circunstantias ipsius incarnationis: igitur præfata solutio nulla.

XX. *Quô sensu Verbum fuisset incarnandum ex vi præsentis decreti in carne impassibili, si nullum fuisset peccatum.*

Nego antecedens: Ex hypothesi enim quòd Verbum sit incarnandum ante prævisionem peccati, ut probavimus, necessum est quòd aliud decretum subsequatur, quô nempe determinetur ipsum esse venturum in statu impassibili, ex hypothesi quòd non sit peccatum: quia decens erat ut morti & ærumnis non subjaceret, si nullum peccatum existeret. Propterea opus esset, ut decretum de facto existens de substantia incarnationis aliud sequeretur decretum de substantia ac modo passibilitatis: quia autem illa suppositio de non committendo peccato non fuit vera, propterea ad decretum de substantia incarnationis necessum fuit ut sequeretur aliud quô statueretur Christi adventus in carne passibili. Unde rectè distinguuntur in Deo duo decreta; unum de incarnatione quoad substantiam: alterum de eadem secundùm suas circunstantias: priùs antecedit omnem peccati prævisionem: posterius verò illam sequitur; ita nimirum ut Deus primò voluerit mittere Filium suum in terram tanquam ducem, caput & legislatorem generis humani; secundò præviderit peccatum originale & alia quæ ab ipso emanârunt; tertiò decreverit eum mittere in carne passibili, ut qui Dux, caput & legislator tantùm esset, si nullum peccatum extitisset; ille idem esset noster Redemptor patiendo mortem pro nocentibus.

Confirmantur hæc exemplô illius qui efficaciter vellet finem aliquẽ, non determinando de mediis. V. g. si quis Marsiliâ vellet ire Romam, cùm non posset illuc pergere nisi per mare, vel per terram; ille vi istius intentionis, ex hypothesi quòd esset impedimentũ eundi per mare propter pericula, deberet resolvere profectionem per terram; non quidem vi prioris decreti præcisè, sed mediante alio subsequente decretô quô decernit ire per terram, quia non potest Romam proficisi per mare: ergo à simili cùm Deus decreverit substantiam incarnationis independenter à circunstantiis; quia, ut probatum est, incarnatus esset Dei Filius etiamsi nullum foret peccatum; idcò opus fuit novo decreto quò ex prævisione peccati decerneretur Christi adventus in carne passibili.

Subsumunt: Si opus sit novô decretô ut decernatur Christi adventus in carne passibili; consequens est quòd non veniret Christus ex vi præ-

A sentis decreti quô prædestinata est ejus incarnatio quoad substantiam : & consequenter si Adamus non peccasset, Christus non esset venturus vi præsentis decreti, ut affirmabat conclusio.

Nego subsumptum : Quamvis enim Christus non veniret ut passibilis ex vi præsentis decreti quô destinata est ejus passibilitas, quia deficiente peccato, tale decretum non esset ; tamen veniret ex vi præsentis decreti quô prædestinata est ejus incarnatio quoad substantiam : non quidem præcisè & absque alio decreto, sed mediante decretô de ejus adventu futuro in carne impassibili. Sicut enim v. g. ille qui pergeret Romam, diceretur illuc ire per terram vi prioris decreti, quatenùs ad prius de- B cretum necessario sequebatur aliud de eundo per terram, ex hypothesi quod esset impedimentum eundi per mare, & vice versâ : sic cùm Deus de facto decreverit substantiam Incarnationis independenter à circunstantiis, & illud decretum non magis determinaverit ad statuendam incarnationem futuram in carne passibili, ex hypothesi quòd foret peccatum, quàm determinaverit ut foret in carne impassibili si nullum foret peccatum; revera dici potest quòd vi illius decreti de substantia Incarnationis decerneretur circunstantia impassibilitatis ex hypothesi quòd nullum foret peccatum : & sic Christus esset venturus in carne im- C passibili virtute illius prioris decreti, quia postremum decretum necessariò subsecutum fuisset ad decretum de substantia Incarnationis.

XXI. Christus est Redemptor vel præservativus, vel liberativus.

Objiciunt secundo: Omnia merita Christi Domini sunt merita Redemptoris, & consequenter supponont captivitatem per peccatum contractam à qua nos redimat : sed in casu quòd primus homo non peccaret, non foret talis captivitas: siquidem natura integra permansisset in eo statu in quo fuerat condita : igitur in eo casu Christus non fuisset venturus.

Distinguo majorem : Sunt merita Redemptoris vel præservativi, vel sublevativi, concedo : sublevativi tantùm, nego. Duplex est enim officium Redemptoris, aliud quo præservat ne quis captivitatem incurrat : aliud quo ab ipsa captivitate D redimit & sublevat. Primum exercuisset Christus si venisset in carne impassibili : postremum autem exercuit dum de facto venit in carne passibili.

Objicium tertiò : Incarnatio est quædam personæ divinæ humiliatio atque exinanitio, juxta illud Apostoli ad Philipp. 2. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens* : quæ exinanitio non tantùm contingit per mortem & passionem, sed maximè eô ipsô quô naturam humanam Dei Filius assumpsit : nam homo ex conditione suæ naturæ servus est comparatè ad Deum, quia Deus est ejus Dominus, utpote Dominus universæ crea- E turæ : sed Dei Filius non habuit aliam caussam se sic humiliandi, quàm quia Adamus indebitè suprà suam conditionem extolli voluit : ergo si Adamus taliter non peccasset, Dei Filius non habuisset ullam occasionem sese sic humiliandi per incarnationem.

Nego minorem : Nam præter expiationem peccati, aliæ plurimæ subsunt rationes incarnationis faciendæ; nempe ut Christus esset Ecclesiæ caput, hominum Legislator, & ut divinam suam potentiam, bonitatem ac sapientiam commendaret, nec non ut cum hominibus conversaretur; nam ut illa divina sapientia ait, Proverb. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

QUÆSTIO II.

Propter quod peccatum expiandum Christus principaliter venerit?

I. Peccata sunt quadruplicis generis.

NOtandum 1. Quòd peccata, quantùm ad præsens attinet, spectari possunt in quadruplici differentiâ. *Primum* est peccatum originale, prout in primo parente Adamo consideratur, quatenus nempe ipsô peccante omnes peccavimus tanquam in capite totius humanitatis. *Secundò* B considerari potest originale peccatum, prout est in quolibet nostrum, quatenus nempe eô instanti quo simus homines & Adæ posteri, illicò ipsius reatu & peccato inficimur. *Tertium* est peccatum actuale mortale, quô quis amittit gratiam sanctificantem: quod utique peccatum potuit esse in statu innocentiæ : Siquidem Adamus innocens peccavit actualiter & peccatum istud, quod respectu nostri fuit orginale, respectu Adami, fuit actuale. *Quartum* denique est peccatum veniale, quô non deperditur quidem gratiæ sanctificantis habitus, sed illius splendor minuitur & remittitur charitatis fervor.

II. Christus venit ut omnia prorsus peccata deleret.

C *Notandum* 2. Certum esse quòd Christus Dominus in hunc mundum venerit ad delenda omnia peccata tam originalia quàm actualia, seu ad exhibendum remedium sufficiens ad omnium peccatorum expiationem. Quod utique constat apertis Scripturæ textibus; nam Isaiæ 53. *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* 1. Joann. 1. *Sanguis Iesu Christi Fili ejus emundat nos ab omni peccato*; & cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et 4. *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Quibus concordat S. Paulus 1. ad Timoth. 1. *Venit Iesus peccatores salvos facere.* Et ad Titum 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis, ut nos mundaret ab omni iniquitate.* Hinc Patres Concilii Toletani 6. aiunt, *Solum* D *Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resolvenda, à secreto Patris arcano prodiisse.* Hinc sanctus Ambrosius in Psalm. 35. *Bonum*, inquit, *aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne peccatum.* Suffragatur etiam ratio. Cùm enim finis Incarnationis sit perducere homines ad vitam æternam, ad quàm nihil coinquinatum admittitur, consequens est quòd non solùm originalia, sed etiam actualia peccata debuerint expiari per Christum. Unde solùm superest solvenda difficultas quòd-nam ex his pec- E catis, vel originali vel actuali, fuerit præcipuum motivum Incarnationis, ita ut illius expiatio fuerit causa cur Christus venerit; quæ si defuisset, non venisset.

III. Si sola fuissent peccata venialia, non opus fuisset incarnatione.

Notandum tertiò, omnes Doctores convenire, quòd si duntaxat peccata venialia extitissent, non opus fuisset Christum venire ut redemptorem. Tum quia Christus venit ut nos reconciliaret Deo, veniale autem non dirimit amicitiam & unionem cum Deo: Tum quia purus homo illustratus gratia sanctificante potuisset Deo debitam satisfactionem impendere pro peccato veniali; hinc ad illius expiationem non fuisset necessarius Christi adventus. Quantùm autem ad cætera peccata, non ita conveniunt authores : triplex enim præcipua est circa hanc resolutionem illorum

ſententia. *Prima* eſt Valentiæ *quæſt. 1. punɫto. 5.* & aliquorum recentiorum aſſerentium quòd exiſtente ſolo originali peccato, vel è contrà ſolis exiſtentibus actualibus, Chriſtus D. veniſſet ex vi præſentis decreti. *Secunda* eſt Nazarii aliorúmque affirmantium quòd ſolo originali peccato exiſtente, vel ſolis actualibus exiſtentibus, incarnatio vi præſentis decreti non fuiſſet futura. *Tertia* verò quæ jam communior eſt in utraque ſchola, Angelica & Subtili, docet Chriſtum venturum ex vi præſentis decreti, ſolô exiſtente originali peccatô; non verò ſolis exiſtentibus actualibus. Igitur duo maximè hîc ſunt determinanda. Primum quidem, quòd Chriſtus venerit principaliùs ad delendum peccatum originale quàm actuale. Secundum, quòd ita venerit ad delendum originale peccatum, ut ſi duntaxat actualia fuiſſent, non veniſſet in carne paſſibili, nec ut Redemptor.

Variæ Authorum ſententia.

Conclusio Prima.

IV. Chriſtus præcipuè venit, ut originale peccatum eliceret.

Chriſtus D. magis præcipuè venit ad delendum originale, quàm actuale.

Probatur. Chriſtus principaliùs venit ad delendum illud peccatum, quod eſt origo & radix cæterorum, quódque eſt aliis majus & perniciosius: at peccatum originale eſt radix cæterorum & aliis longè gravius eſt ac perniciosius: ergo, &c. Major conſtat. Quantò enim peccatum eſt gravius, eò magis adverſatur humanæ ſaluti propter quam operandam Deus factus eſt homo. Minor verò probatur. Peccatum quod ex ſe totam inficit naturam humanam abſolutè majus eſt eo quod de ſe ſolùm inficit ſingularem perſonam: ſed peccatum originale totam naturam humanam inficit; actuale verò duntaxat perſonam quæ illud committit: igitur iſtud hôc gravius eſt. Minor eſt certa: Major verò probatur. Aliquid dici poteſt majus aliô vel intenſivè, ſic eò major eſt albedo quò intenſior eſt & plures habet gradus: vel extenſivè, ſic albedo quæ eſt in majori ſuperficiè dicitur eſſe alterâ major: Peccatum autem originale licèt non ſit majus intenſivè peccato actuali, quia minùs voluntarium eſt; tamen extenſivè majus eſt, quia per illud, totum humanum genus inficitur. Ergo cùm principaliter venerit Chriſtus ad delendum illud peccatum quod magis hominum ſaluti adverſatur, conſequens eſt quòd principaliùs venerit ad delendum peccatum originale.

Dices. Peccatum actuale gravius eſt ſimpliciter peccato originali tam intenſivè quàm extenſivè: ergo ſi Chriſtus principaliùs venerit propter aliquod ſpeciale, maximè debuit venire ad delendum peccatum actuale. Conſequentia conſtat. Probatur antecedens; omnes enim concedunt peccatum eò eſſe gravius intenſivè, quò magis voluntarium eſt; peccatum autem actuale magis voluntarium eſt quàm originale, quia hoc duntaxat eſt voluntarium interpretativè; illud verò eſt voluntarium formaliter. Extenſivè etiam videtur non eſſe minùs grave, quia ad tot extenditur ad quot originale peccatum: ergo, &c.

V. Licèt enim ſit minùs grave intéſivè quàm actuale; tamen eſt extenſivè gravius.

Reſpondeo, peccatum quidem originale eſſe minùs grave intenſivè, quia minùs eſt voluntarium quàm actuale: ſed ut mox diximus, originale gravius eſt extenſivè, tum quia peccatum actuale non inficit infantes ante uſum rationis, quos tamen inquinat originale & reos efficit; tum quia per accidens eſt quòd peccatum actuale ſe extendat ad omnes adultos, quia cùm dependeat ex ſingulari cujuſlibet hominis voluntate, per ſe non poſtulat inficere totam naturam: at peccatum originale per ſe ex naturâ ſuâ eſt univerſale, totam naturam humanam inficiens: igitur principalius Chriſtus venit ad illud expiandum.

Conclusio Seconda.

VI. Unde non minùs veniſſet Chriſtus vi præſentis decreti etſi ſolum originale fuiſſet.

Veniſſet Chriſtus D. vi præſentis decreti ſolò exiſtente originali peccatô: ſecus autem ſi ſola extitiſſent actualia peccata. Hæc eſt communior quoad utramque partem.

Probatur prima pars. Primò ex communi modo loquendi SS. Patrum qui conformiter ad mentem S. Pauli, Chriſtum appellant ſecundum Adamum, qui venit reſtaurare ea omnia quæ primus per ſuam perduellionem perdiderat. Unde S. Gregorius lib. 4. in Reg. c. 1. *Si Adam non peccaret, Redemptorem noſtrum carnem noſtram ſuſcipere non oporteret.* Hinc Eccleſia in benedictione cerei Paſchalis canit, *O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte, deletum eſt! ô fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Quocirca Chriſtus dicitur Joannis 1. *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Quod exponens gloſſa ordinaria deſumpta ex Beda, ait: *Peccatum mundi, dicitur originale peccatum, quod eſt commune totius mundi.* Nec obſtat quòd Vulgata habeat *peccata mundi:* nam præterquam quod Græca & Complutenſis habeant *peccatum* in ſingulari, & ita legant SS. Patres Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 11. & Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 3. peccatum originale dici poteſt plura peccata, quia virtualiter continet omnia peccata, cùm nullum ſit quod ab ipſo tamquam à virulento fonte non ducat originem; quapropter David Pſal. 50. vocat peccatum originale in quo conceptus fuerat, peccata & iniquitates, ait enim, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea.*

Probatur etiam ratione. Chriſtus maximè carnem humanam induit ut totam collapſam humanam naturam repararet: at ſi nullum aliud fuiſſet peccatum præter originale, tota natura perierat, etiam ſi cætera peccata actualia abeſſent: Ergo non minùs oportuiſſet ſolo exiſtente originali peccato, eum incarnari. *Deinde*, Chriſtus ideo propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, ut nempe nobis clauſum cœlum aperiret ac reſeraret: at per peccatum originale ita ſingulis hominibus clauſum erat cœlum, ut nullus quantumvis juſtus, poſſet in illud recipi, niſi priùs Deo fuiſſet exhibita condigna ſatisfactio duntaxat per merita & Paſſionem Chriſti impendenda: Ergo etſi ſolum fuiſſet originale peccatum, non minùs oportuiſſet Chriſtum venire ut nobis cœlum reſeraret & Deo Patri debitam ſatisfactionem exolveret. *Denique*, Chriſtus erat venturus ut diſſolveret opera diaboli, & homines ab ejus captivitate ſolveret: at per originale peccatum maximè homines dæmonis imperio ſubduntur ejuſque captivi cenſentur. Ergo, &c.

Dices. Totale motivum Incarnationis fuit ut ſolveretur id quod hominem revocabat à Deo; ideo namque Dei Filius homo factus eſt, ut homines fierent filii Dei ejuſque perpetui hæredes conſtituerentur: at non ſolum peccatum originale, ſed omnia actualia homines revocabant à Deo: igitur, non venit primariò & principaliter

propter peccatum originale.

Distinguo majorem. Totale motivum Incarnationis fuit id quod removebat homines à Deo præcipuè & principaliter ac tanquam caput ad quod cætera removentia reducuntur, concedo: quod removet minùs præcipuè & tantum secundariò; nego: & simili modo distinctâ minore nego consequentiam. Certum est autem quòd cùm originale peccatum sit fons & radix cæterorum, longè magis homines arcet a Deo quàm quodlibet actuale; unde magis præcipuè Christus venit ad illud delendum quam cætera; quanquam etiam venerit consequenter ad illa auferenda: Sicque peccatum originale fuit quidem præcipuum motivum illius Christi adventûs; peccata verò actualia fuerunt tantùm impulsiva. Id fiet clarum hôc exemplô. Medicus aliquis decrevit amicum invisere ut cum illo quædam negotia pertractet; ubi autem iter est agressurus audit amicô sui conjugem graviter ægrotare, quô undiquè promptiori animo ad amicum pergit tum ut negotia absolvat, tum ut ægram sanet: Ejus autem causa motiva cur pergat ad amicum & sine qua non pergeret, sunt negotia pertractanda: impulsiva autem, est curatio ægrotantis amici conjugis, sine qua amicum quidem conveniret, sed non pari animi promptitudine.

VII.

Si verò illud peccatũ non extaret-Christus vi præsentis decreti non fuisset venturus.

Secunda pars sequitur ex præcedenti; si enim peccatum originale sit primarium motivum Incarnationis; sequitur quod eô non existente Christus non esset venturus ex vi præsentis decreti; cessante enim fine primariò & principali alicu- A jus operationis, necessum est ut etiam cesset illa operatio.

Dices, Christus venisset, etiamsi unus duntaxat homo peccasset: Ergo multò magis venisset ob delenda plurium hominum peccata, etiamsi nullum originale peccatum extitisset. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, Tum ex illo S. Pauli ad Galatas 2. ubi ait de Christo, *Dilexit me & tradidit semetipsum pro me;* quibus significat Christum pro singulis peccatoribus mortuum; ac proinde veniret pro quolibet peccatore moriturus quamvis alii non peccarent: Tum ex 2. cap. ad Hebræos, ubi quilibet peccator dicitur crucifigere Christum in semetipso; id est quisque peccator præbet sufficientem occasionem, B ut Christus iterum crucifigatur: Tum denique ex S. Chrysost. hom. 3. in Act. Apost. ubi explicans illa verba, *dederunt sortes*, ait: *Unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit æstimare; etenim si unius animæ salus tanti est ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, &c.*

Respondeo negando antecedens, & ad omnes illius probationes, dico his solùm manifestari summum Christi D. erga homines salvandos amorem, ratione cujus ita erat affectus, ut quamquam unicus esset homo peccator, tamen si Deus ita decrevisset, libentissimè, pro eo salvando humanam carnem indueret & mortem pateretur. Sed inde non sequitur quòd vi præsentis decreti esset venturus in mundum, si unicus duntaxat homo ex Adæ posteris peccasset.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Christi Domini Entitate, Præcellentiis, & Operationibus.

Præsentis disputationis scopus & distributio.

NGENTEM fateor difficultatum silvam ingredimur, auspicando delineationem & explicationem majestatis ac dignitatis illius adorandæ personæ in nostra humanitate subsistentis & operantis. Cùm enim Christus Dominus sit Deus-homo & æterno Patri sicut & temporali Matri, ratione utriusque naturæ, divinæ & humanæ, perfectè consubstantialis, subindéque in se felici vimine societ ima summis, divina humanis, & æterna temporaneis: unde non mirum si quot in Christo adorandæ ac spectandæ sunt præcellentiæ, tot infestos & impugnantes hæreticos habuerint. Alii namque illius divinitatem, nonnulli divinam operationem, aliqui verum illius corpus, plurimi humanam ab ipso assumptam animam & genuinas humanitatis operationes negaverunt, ut videre est in appendice omnium hæresium quam in hujus Tractatûs præludio delineavimus. Ut autem omnia ista hæreticæ hydræ capita catholicæ veritatis ac doctrinæ clavô & gladiô conteramus ac rescindamus, operæ pretium est ut hac in Disputatione explicemus ea omnia, quæ utramque Christi naturam, divinam scilicet & humanam ac genuinas utriusque præcellentias & operationes aperiamus & probemus: quod utique præstabimus tribus in sequentibus Articulis. Quorum *Primus* Christi Domini entitatem seu duplicem naturam divinam & humanam, explicabit. *Secundus* ipsius C adorandi Salvatoris eximias dotes & præcellentias, nempe gratiam & virtutes, potentiam & miraculosam operationem, scientiam tandem ac notitiam aperiet. *Tertius* denique assumptos ab eo naturæ humanæ defectus, meritum & passiones reserabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Christi Domini Divinitate & Humanitate.

DE duabus naturis, ex quibus unus constat adorandus Christus Salvator, dicere instituenti, mihi non multa suppetunt hôc locô quæ de Divinitate propriè disputentur: quæ enim ad illam D pertinent, ea ferè omnia sunt exhausta & explicata priori tomo, in quo tum de Dei natura Deique proprietatibus sivè attributis, tum de Trinitate ac de consubstantialitate Filii cum adorando Patre latè disseruimus: unde reliqua sunt perpauca quæ ad naturam eandem personamque Filii spectant quatenus ad assumptum hominem refertur. At longè amplior est dicendi locus de ipsius Humanitate propriisque illius affectionibus, facultatibus & operationibus, nec non & de loquendi formulâ quâ utriusque naturæ divinæ & humanæ confœderatio explicetur: Quapropter præsentem Articulum tres in Sectiones distinguemus; quarum

Articuli divisio.

Prima demonstrabit Christum reverà esse Deum Deique Filium naturalem non autem adoptivum, æqualem Patri ac ipso inferiorem, ratione videlicet diversæ naturæ quas complectitur. *Secunda* demonstrabit veram esse humanitatem à Christo Domino sumptam unà cum suis facultatibus & operationibus. *Tertia* tandem certas quasdam tradet regulas quibus constabit qualiter absque ullo erroris periculo de hoc mysterio sit loquendum.

Sectio Prima.

De Christi Domini Divinitate.

I. *Quot & qui hæretici Christi D divinitatem impugnaverint his tẽporibus.*

CHRISTUM Messiam tot vaticinatum oraculis, tot votis expetitum, verum esse Deum, non solùm negarunt Judæi contendentes potiùs illum debere esse purum hominem, scilicet insignem Patriarcham, & Regem potentissimum à quo instauraretur sancta civitas, ipsique Judæi pristinam in libertatem assererentur: verùm etiam id apertè in dubium revocaverunt plurimi hæretici; quorum sicut & aliorum Erronum impia dogmata hisce postremis temporibus ab inferis suscitaverunt novi *Paulianistæ* & *Ariani*. Dum enim à multis hæreticis acutè & obscurè disceptantur Valentini Gentilis dogmata, qui oppugnandam suscipiens avitam doctrinam & convellendam fidem de divina Trinitate; quâ credimus unitatẽ essentiæ in Trinitate personarum, Patrem Filium & Spiritum sanctum ita distinguit ut etiam separet, dicens hos esse tres æternos Spiritus, ejusdem quidem naturæ, ordine tamen, gradu & proprietate distinctos. Nonnulli hæretici harum disputationum pertæsi, opinionem à *Gentili* diversam ex Academicis *Ochini* dialogis tuendam susceperunt, nempe Verbum, quod nos æternum Dei Filium credimus, dixerunt esse creaturam & Spiritum quemdam à Deo ante omnia creatum, cujus operà deinde in cæteris rebus creandis Deus sit usus. Superioribus autem opinionibus accessit tertia recentium discipulorum Ebionis & Pauli Samosateni; qui authore *Serveto*, Verbum divinum dixerunt non esse aliud quàm decretum aut oraculum Dei, non rem subsistentem: Jesum autem Christum Salvatorem quoad naturam esse verum hominem, qui tamen unctus Spiritu & gratiâ Dei, noster Deus sit factus; nam ut impiè dicit Servetus lib. 1. de Trinitate, »quia divina Christi natura ex Verbi arcanis pendet, simpliciori viâ nunc dicamus Deum posse homini Deitatis plenitudinem communicare, dare ei divinitatem, majestatem, potestatem & gloriam suam: dignus est agnus qui occisus est accipere divinitatem, potentiam, sapientiam, honorem & gloriam, Apocalypsis 5. Moses factus est Deus Pharaonis Exodi 7. & Cyrus Deus Israëlis Isaiæ 45. multò fortiùs & excellentiori longè modô factus est Christus Thomæ & omnium nostrum Dominus & Deus.« Quibus significat quòd eôdem modô, licèt excellentiùs, divinitas sit communicata Christo quomodo creaturis quibusdam. Nec refert quòd subjiciat: »Illi erant Dii non naturâ, sed temporali dono, Christus verò est naturali nativitate Deus, naturaliter genitus de tota substantia Dei Patris, Deitas, adoratio Dei, & visio Dei est in Christo vero Deo. Sicut Pater est verus Deus; ita veram suam Deitatem unico Filio suo unicè tribuens efficit ut ille sit verus Deus.« Quibus verbis hæreticus ille præclarè videtur loqui de Christo, verùm versutus homo suo more ludit. Nam cùm neget Filium Dei extitisse antequam ex Virgine nasceretur, & in eo ex Virgine nato unam duntaxat naturam agnoscat; non aliam tribuit Christo divinitatem naturalem quàm illud suum figmentum, quô putat Verbum Dei fuisse semen Christi, seu rorem naturalis geniture Christi in utero Virginis & ita carnem Christi esse de substantia Dei.

Hos autem omnes Errones Socinus horribili audaciâ secutus; ea nefaria omnia dogmata complexus est & disseminavit: quæ quia agente homine inimico zizaniorum seminatore, in dies per varias Europæ plagas grassantur, lubet hîc aliquantò longiùs Christi D. Divinitatem divinamque ac naturalem illius generationem sequentibus in quæstionibus ex sacris oraculis probare, & futiles eorum hæreticorum elusiones ac ratiunculas referre ac refellere.

Quæstio Prima.

An reverà Christus sit idem unus Deus cum Patre, eandem indivisim cum eo naturam Divinam habeat.

II. *De quibus nobiscum novi Ariani consentiãt.*

NOtandum 1. Hæreticos, in quos militamus, ultrò concedere, Christum Jesum ex Virgine natum Dei nomine gloriari, utpote cùm augustum illud ei nomen divinæ Scripturæ sæpiùs & apertè tribuant: at contendunt ei nomen istud non aliter tribui quàm creaturis quibusdam, quæ eo nomine donantur; licèt excellentiori & diviniori modo illud sibi vendicet propter ampliorem & uberiorem divinitatis communicationem, quàm in ipso suæ formationis exordio & delapsa in Virginem operatione & virtute Altissimi obtinuit. Ita quòd ante illum ortum & partum, nec fuerit Deus, nec ullam Filii Dei appellationem obtinuerit. Duo itaque hîc sunt probanda: Primum, quod Christus sit verus Deus: Secundum, quòd ante suum è Virgine ortum extiterit.

III. *Christi divinitas maximè ex S. Scripturâ est cognoscenda.*

Notandum 2. Christi divinitatem duplici viâ maximè innotescere; nempe vel apertis utriusque divini Testamenti Veteris & Novi textibus & oraculis, vel ex illius mirandis operationibus in suæ divinitatis commendationem & assertionem: cùm enim Deus sit veritas per essentiam, cui nec fallere nec falli contingere possit; inde liquet quòd ab ipso promanantia oracula certam constantemque veritatem efferant, nec aliquid insolitum præter naturæ ordinem moliri potest unquam in alicujus falsitatis aut erroris patrocinium: unde si apertis oraculis testatus fuerit Christum esse verum Deum verumque Dei Filium; similiter si omnipotentiam suam in patrandis supra naturæ vires operibus exercuerit in Christi divinitatis assertionem, nemini quantumvis rudi Christianæ veritatis poterit esse dubium, Christum verum Deum esse confitendum: igitur ex hoc duplici capite maximè colligenda est & asserenda Christi divinitas.

IV. *Nomen Dei variè creaturis tribuitur.*

Notandum 3. Divinitatis nomen alicui attribui *vel* per *delegationem*. Sic Angeli, qui vice Dei apparebant SS. Patriarchis & Prophetis, nomine Dei appellantur. *Vel* per *ministerium*; sic Exodi 7. Moïses dicitur Deus Pharaonis, quia suis mirandis operibus Dei potentiam & justitiam exercebat. *Vel* per *usurpationem*; sic dæmones à gentibus dicti sunt Dii: *omnes enim Dii gentium dæmonia*, Ps. 95.

Ps. 95. *Vel per imitationem*, sic justi, & divinæ sanctitatis æmulatores interdũ nomine *Dei* illustrantur in Scripturis. Hinc Christus Dominus Joan. 10. aiebat, *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, &c. Vel* per *assimilationem* & exercitium potestatis ac justitiæ, sic Psalmo 81. Deus principes & judices alloquens aiebat: *Ego dixi Dii estis & filii Excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, &c. Vel* denique per naturam & essentiam, quæ propria est ac genuina nomine Dei attributio & significatio, de qua duntaxat futurus est sermo in præsenti.

Conclusio Unica.

Christus est verus Deus, verusque æterni Patris Filius. Hæc est contra Judæos & varios hæreticos.

Probatur Primo,

Ex oraculis Veteris Testamenti, quibus Messias verus Deus nominatur.

V. Christum esse Deum probatur ex Veteri Testamento.

Primò quidem ex illo Psalmi 2. ubi Deus Pater Filium alloquens ait, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quem textum de Messia accipiendum, constantissimum erat apud Hebræos. Hinc Paulus Actor. 4. & 13. nec-non & ad Hebr. 5. ut probet Christum verum esse Messiam, usurpat illa verba, quod certè non faceret, nisi Hebræos ita sentire intelligeret. Et quidem si rectè verba ponderentur, præsertim versùs finem Psalmi, evidens erit, Messiæ posse aptari; is enim qui dicitur Dei Filius, ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et quoniam hoc regnum temporale non erat, sed spirituale, statim subdit: *Prædicans præceptum ejus*; additque deinde, *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*, utique verus & naturalis, & non tantùm per adoptionem vel per participationem, ut patet ex hoc singulari loquendi modo, *Filius meus es tu*, hoc est, modô nobiliori & excellentiori quàm cæteri, qui tantùm filii sunt per adoptionem: tu autem specialiter Filius meus es proprius & naturalis.

Proponuntur diverticula novorum Arianorum.

Reponunt primò novi Ariani, hanc nostram interpretationem prorsus fictitiam esse, nec ullum ex vetustissimis Patribus præfata verba de æterna & divina Christi generatione fuisse interpretatum.

Verùm contrà: Nam præterquam quòd, ut mox dixi, id apertè colligitur ex ipsa verborum significatione, eandem interpretationem habent sancti Patres. Nam S. Ambrosius in Epistolam ad Hebræos exponens hæc verba S. Pauli, *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in Patrem,* » *& ipse erit mihi in Filium*, ait: Hoc enim absque » ulla dubitatione de incarnatione Filii dicitur, ideò » verbum futuri temporis posuit, *ero illi in Patrem,* » *& ipse erit mihi in Filium.* Quòd verò dixit, *Fi-* » *lius meus es tu, ego hodie genui te*, apertè manife- » stat quòd idem, de quo ait, *Ero ei in Patrem*, ex » ipsa essentia Patris sit genitus; ideo præsenti tem- » pore posuit *hodie*: quia de eo nihil præteritum » aut futurum est, sed semper præsentia cuncta: » potest enim & secundùm carnem hoc accipi di- » ctum, quia caro communicat altioribus, sicut » & divinitas humilibus communicare dignata » est.

Et præcluduntur.

Idem habet S. Chrysostomus, *Hæc quidem*, inquit, *dicta sunt de carne*, ERO EI PATER, ET IPSE ERIT MIHI FILIUS: *quod verò dixit*, FILIUS MEUS TU ES, EGO HODIE GENUI TE, *nihil aliud manifestat, nisi quia ex ipsa essentia Patris est genitus.* Ipsis subscribunt *S. Cyprianus* lib. 2. contra Judæos cap. 7. *S. Cyrillus* lib. 8. thesauri. *S. Athanasius* respondendo ad objectionem Arianorum, dicentium in Veteri Testamento nullam mentionem Filii Dei factam esse, quod itidem novi Ariani inculcant. Favet etiam *Tertullianus* lib. contra Praxeam, ubi de Christo ait: *Primogenitus & ante omnia genitus; & unigenitus, ut solus ex Deo genitus: propriè de vulva cordis ipsius: secundum quod & Pater testatur, ad quem deinceps gaudens, propriè gaudentem persona illius*, FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE: Falsum est ergo quod obtrudunt novi Ariani, neminem esse ex veteribus Patribus, qui locum istum de Christi æterna generatione explicet.

Reponunt secundò, illa verba aliter ab Apostolo accipi quam ad significandam æternam Christi generationem: nam Apostolus Actor. 3. illa usurpat ad confirmandam Christi resurrectionem: *Deinde* ad Hebræos 1. ad ostendendum quòd Christus excellentius nomen sortitus fuerit quam Angeli: & cap. 5. accommodat hæc verba ad celebrandum honorem sacerdotii Christi: igitur perversè detorquentur ad exprimendam æternam illius generationem.

Verùm respondeo ejusdem textûs variam usurpationem, nihil obesse divinæ filiationi & æternæ generationi quam genuinè significant illa verba; licèt per accommodationem ad alia significanda etiam usurpari queant; etsi enim hæc verè dicantur de Christo quoad humanam naturam, vel resurgentem, vel sacrificantem, vel glorioso nomine Jesû illustratam; tamen illa præstantia quam habet supra Angelos, ipsi non aliundè competit, quàm quia, qui homo est, simul etiam est Deus; & qui Filius Mariæ, is quoque est Filius Dei: hoc autem verè de Christo dici non posset si tantùm homo esset; nam Christus ratione humanitatis non solùm dicitur inferior Patre, sed etiam paulò minùs ab Angelis minoratus.

In idem collineat eorundem verborum usurpatio in quinto capite ejus Epistolæ; nam in eo capite S. Paulus aperit discrimen inter Christum Pontificem, & alios Pontifices Hebræos, quòd ille præstantiori modô sit à Deo vocatus, quippe est natus ex Deo & Filius Dei.

Nec etiam officit locus *Actor.* 3. pessimè namque Adversarii hunc locum interpretantur, quasi tunc Christus duntaxat cœperit habere participatam divinitatem cùm resurrexit ex mortuis, quia inquiunt, resurrectio est nova generatio, quòd si Christus reviviscens natus est, quis illum genuit? nempe Deus qui ab inferis illum excitavit: ideo & Paulus ad Colossenses c. 1. excitationem Christi, vocat primogenituram ex mortuis: Et proinde per id quod dicitur, *Ego hodie genui te*, tempus illud indicatur, quô Iesus Christus ad vitam, quam deinceps interitus nullus consequeretur, revocatus fuit; atque imperiô cœli & terræ potitus est. Hoc, inquam, eorum ratiocinium omninò absurdum est; nam si Deus dicatur tantùm Christum genuisse, quia ipsum excitavit ab inferis: igitur & Filius debet dici à seipso genitus; propriâ enim virtute à mortuis resurrexit, juxta illud: *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* Item, *Potestatem habeo ponendi animam,*

meam & iterum sumendi eam.

Deinde si duntaxat à Deo censeatur genitus in sua resurrectione: igitur falso toties se Dei Filium probavit ante suam passionem, ac mendaciter beatum prædicavit Simonem Barjonam quòd Deo dixerit, *Tu es Christus Filius Dei vivi qui in hunc mundum venisti.*

Denique si à resurrectione duntaxat Filius Dei imperiô cœli & terræ potitus est, quomodo potuit ante passionem mari & ventis imperare, dæmones pellere, sanare morbos, mortuos suscitare, & quod majus est, peccata condonare? Cùm igitur verbum *gignendi* non nisi translatè & secundùm quid de resurrectione dicatur, alia nobis resurrectione antiquior quærenda est Filii Dei generatio; quam si dixerimus eam esse quâ ex sanctissima Virgine natus est. Libenter quidem fatebor Jesum Nazarenum conceptum ex Spiritu sancto & natum ex Maria Virgine verè & propriè esse Filium Dei, & Deum verum de Deo vero; sed constantissimè negabo, ejus divinam filiationem ab ea duntaxat temporali nativitate esse confitendam; quippe cùm eam ab æterno & ante Luciferi ortum habuerit.

VI. Eadem veritas maximè etiam declaratur ex *Psal.* 109.

Confirmatur ex Psalmo 109. ubi divinus Pater itidem Filium alloquens ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te,* quem Psalmum de Christo scriptum esse non est dubium, tum quia sic eum explicat ipsemet Christus D. Matth. 22. v. 44. & Apostolus 1. ad Cor. 15. v. 24. tum quia hujus Psalmi initium, *Dixit Dominus Domino meo, &c.* non alteri quàm Christo accommodari potest. Quartus etiam versus; *juravit Dominus, &c.* usurpatur ab Apostolo ad Hebræos cap. 1. ad confirmandum Christi sacerdotium: hanc verò partem versûs 3. *Ex utero ante Luciferum genui te,* licèt quidam de nativitate ex Virgine interpretentur, ut Tertullianus, alii autem de æterna generatione Filii Dei, ut Athanasius, Nyssenus, &c. tamen neutra sententia adversariis favet.

VII. Quid significetur per *ante Luciferum genui te,*

Reponunt falsò scribi *ante Luciferum*, quippe cùm ad litteram hîc sit sensus, *Diei nativitatis tuæ ex utero aurora est*, unde hanc interpretationem subjiciunt, tantum fore numerum discipulorum Christi per quos vincat hostes, quanta est densitas roris matutini.

Verùm, quanquam nonnulli Interpretes & Traductores illa verba non penitus expresserint sicut Vulgata, nihil tamen alienum ab ea versione vulgari protulerunt; nam septuaginta Interpretes sic transtulerunt: *Ex ventre ante Luciferum genui te*, Aquilas verò *ex illo excitata infantia tua tibi ros.* Symmachus, *Velut diluculô roris juventus tua.* Theodotion: *Ex utero à matutino juventutis tuæ:* juxta verò Hebræum idioma, si verbum verbo reddatur, dicendum est cum Pagnino, *Ex utero aurora tibi ros nativitatis tuæ*, quæ verba, licèt ad nativitatem ex sanctissima Virgine Matre aliqui transferant: alii verò ad eos qui renascuntur in Christo per prædicationem Evangelii; non peccant tamen qui idem interpretantur de nativitate Sapientiæ, quæ ante mundi fundamenta genita est; Sapientia autem Dei, Christus est; huic namque favent SS. Patres, nam *Hilarius* librô 12. de Trinitáte, *Hæc,* inquit, *de illo Christo præclara vox Patris est, ex utero ante Luciferum genui te, &c. Et S. Ambrosius* lib. 1. de fide cap. 6. ex his verbis: *Ego ante Luciferum genui te*, Filium non esse creaturam concludit,

Præclarè explicant SS. Patres.

quippe cùm à Deo sit genitus non creatus. S. Epiphanius lib. 1. tomi 2. postquam translationes varias hujus loci exposuit, subjicit. *Quo ex sermone cognoscas quòd Deus Verbum in substantia, ex Patre naturâ genitus est, sine principio & sine tempore, antequam quidquam esset; non enim Luciferum solam dicit stellam, & quidem cùm multa sint sidera, ut Sol & Luna in quarto die facta, mare verò, & ligna, fructus anteà facta, firmamentumque terra accedit, & cum his simul Angeli facti fuerint: nisi enim unà cum cœlo & terra Angeli quoque creati essent, non utique dixisset ad Iob, quando genita fuerunt sidera, laudaverunt me omnes Angeli voce. Itaque,* ait, ANTE LUCIFERUM, *quasi diceret, antequam esset quid creatum, erat semper Verbum cum Patre; per ipsum enim omnia facta, & sine ipso factum est nihil.*

Ipsis præclarè adstipulatur *sanctus Augustinus* enarratione in Psalmum 109. ubi ait: Si Deus Filium habet, nunquid & uterum? sed sicut carnis corpora non habet, quia nec sinum; dictum est tamen, *qui est in sinu Patris enarravit.* Qui est autem sinus, ipse est uterus & sinus: & uterus pro secreto positus est. Quid est ex utero? ex secreto, ex oculto de me ipso, de substantia mea, hoc est ex utero; quia generationem ejus quis enarrabit? Accipiamus ergo Patrem dicentem ad Filium, *Ex utero ante Luciferum genui te*, quid est ergo *ante Luciferum?* Lucifer pro sideribus positus est tanquam à parte totum significante Scripturâ, & ex eminenti stella omnia sidera: sed ista sidera quomodo facta sunt? ut sint in signis & in temporibus & in diebus & in annis. Si ergo & in signis & in temporibus posita sunt sidera & Lucifer nominatus est pro sideribus, quod est ante Luciferum, hoc est ante sidera, & quod est ante sidera, hoc est ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate noli quærere quando: æternitas non habet quando: *quando & aliquando* adverbia sunt temporis, de Patre non est natus in tempore per quem facta sunt tempora. Dictum est ergo ut dici oportuit figuratè & propheticè, ut & uterus pro secreta substantia, & Lucifer pro temporibus poneretur. Monendum tamen censeo etiam sanctum Augustinum hunc locum interpretari de nativitate ex Virgine Matre, quod ante illum fecerat Justinus in dialogo cum Triphone Judæo, & Tertullianus lib. 3. contra Marcionem. Contra quorum sententiam multa à beato Athanasio disputantur in oratione contra Arianos qui acriter contendit hæc verba Psalmi de æterna generatione Verbi esse intelligenda.

VIII. Probatur etiam ex plurimis Isaiæ oraculis.

Probatur similiter testimoniis Isaïæ Prophetæ quæ tam multa sunt, ut non possint omnia sine prolixitate congeri: præcipuum autem petitur ex cap. 9. ubi describuntur caracteres ac munia venturi Messiæ his verbis, *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium & pacis ejus non erit finis, & super solium David sedebit in æternum,* quem locum licèt quidam Hebræi ad Regem Ezechiam detorqueant, facilè tamen arguuntur; quomodo enim Ezechias Princeps pacis, cùm multa bella gesserit adversus Assyrios? quomodo regnum ejus sempiternum fuerit, quod pauló post a Babyloniis dissipatum est? Unde etiam Chaldaic; habet hîc expressum nomen Messias. *His adde* quòd ille de quo fit sermo

Quibus Messias Deus appellatur.

dicatur *(Deus)* quæ appellatio simpliciter & absolutè sine ullo addito diminuente, non tribuitur nisi vero Deo, præsertim quando conjuncta est cum appellatione *fortis* & aliis quæ divinam majestatem sonant.

Confirmatur ex *cap.* 38. *Deus ipse veniet & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* ubi describuntur omnes illi mirandi effectus ac stupenda prodigia quæ venturus Messias, qui Deus dicitur, erat operaturus, quæ signa nullus ante Isaiam nec post illum, Prophetarum nullus operatus est præter Jesum à Nazareth: unde meritò Matth. 11. inquirentibus Joannis discipulis & ab eo petentibus nomine sui præceptoris, *Tu es qui venturus es an alium expectamus? respondens Iesus*, ait illis, *euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, &c.* Sermonem verò ibi esse de vero Deo, constat: Tum ex his verbis, *Deus ipse veniet*. Tum ex præcedentibus, *ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri*: Tum ex eo quòd nomen Dei exprimitur nomine *Iehovah* quod proprium est Deo. Hinc ei locô sæpè sancti Patres utuntur adversus Arianos, maximè sanctus Athanasius lib. de Incarnatione Verbi nec non & adversus Judæos ut Irenæus lib. 3. cap. 22. & Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 7.

Confirmatur iterùm ex *cap.* 43. ubi de Messia dicitur, *in te est Deus, & non est Deus absque te: verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Præmiserat autem *hæc dicit Dominus*, quibus designat Patrem æternum loqui ad Christum in quo est Deus, vel quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hoc est substantialiter ratione personæ divinæ; vel quia Deus Pater est in Filio, ut exponit S. Ambrosius lib. 1. de fide cap. 2. Juxta illud Christi oraculum, *Ego in Patre & Pater in me est, &c.* Rectè etiam dicitur Filio non est *Deus absque te*, propter unitatem naturæ, quia nec Pater est Deus absque Filio, nec est alius Deus à Filio, ut rectè exponit Nazianzenus orat 49. tandem merito dicitur *Deus absconditus* propter assumptæ humanitatis sacramentum & *Deus Israël Salvator*, quod interpretatur Jesus; quem locum imitatus videtur sanctus Paulus cùm dixit, erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. *His adde* id quod habet idem Propheta cap. 52. ubi cùm Deum sic loquentem induxisset; *hæc dicit Dominus Deus, in Ægyptum descendit populus meus in principio*, infra subdit, *Ego ipse qui loquebar ipse adsum*; idem ergo Deus qui anteà per Prophetas loquebatur, quem populus Israël colebat, posteà per Incarnationem apparuit: quapropter subjicit *quàm pulchri sunt super montes pedes Evangelizantis pacem, annuntiantis bona.* Quod evidentiùs explicat Propheta Baruch. 3. ab eis verbis *Hic est Deus noster* usque ad illa *& cum hominibus conversatus est*: ubi apertè loquitur de vero Deo Israël qui legem dedit populo suo, quem posteà dicit cum hominibus conversatum, scilicet hominem factum; si enim loqueretur de alia apparitione, quæ fiebat ministeriò Angelorum in corporibus assumptis, vel per solam imaginariam aut sensibilem repræsentationem, non diceret, *post hæc in terris visus est*, multùm enim ante legem datam fuerat illô modô in terris visus & cum Abraham, Jacob, Moise & aliis sanctis hominibus conversatus. Quare cùm sacræ litteræ Christum absolutè & definitè *Deum, & Deum nostrum, Deum verum, Deum super omnia laudandum*, & *Deum Salvatorem nostrum* & denique *Iehovam* nominent, concludendum est Christum Dominum, non nuncupatione aut adoptione vel donorum participatione, sed verè naturâ & substantiâ Deum esse.

PROBATUR SECUNDÒ.

Ex novo Testamento.

ILLIS omnibus oraculis, quibus Christus verus Deus verique Dei vivi Filius appellatur, quæ jam in priore nostro tomo tractatu *de Trinitate*, probando Verbi divinitatem, explanavimus: unde solùm eis immoror quibus insinuatur Jesum Christum longè priùs extitisse quàm nasceretur ex Virgine, quæ cùm intelligi nequeant de humanitate quæ tùm primùm extitit, cùm in Virginis utero formatus est Christus D. necessum est ut de illius divinitate accipiantur. Sic Joannis 8. loquens ipsemet Christus D. de se ait: *Antequam Abraham fieret ego sum*: at non erat ante Abrahamum secundùm carnem, quippe plurimis sæculis post ipsum sanctissimum Patriarcham extitit; igitur illa prioritas de ejus divinitate necessariò est intelligenda.

IX. Probatur etiam ex pluribus Novi Testamenti oraculis Christum esse Deum.

Idem probat sanctus Apostolus cap. 1. ad Hebræos, ex illis verbis Psalmi 103. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleò exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quorum verborum hic sensus apparet, *O Deus! Deus tuus*, id est, ego Pater & Deus tuus Filium Deum unxi oleô lætitiæ; Filius enim, qui ratione Nativitatis æternæ Patrem agnoscit, etiam ipsum agnovit Deum ratione generationis temporalis, quâ minor est Patre secundùm humanam Nativitatem. Unde tritum est apud Apostolum, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*, quibus significat ratione humanitatis assumptæ Christum agnoscere Deum, quem ante Incarnationem duntaxat Patrem agnoscebat. Sequitur *præ consortibus tuis*, hoc est, fratribus qui sunt fideles; horum enim consors factus est Filius Dei in carnis & sanguinis assumptione. Subditur & *tu ab initio Domine terram fundasti*, quibus significat illum, qui unctus est oleo lætitiæ, fuisse unà cum Patre rerum omnium artificem: duobus autem versibus sequentibus celebrat Christi æternitatem, omnia namque creata peribunt, quia mutationi & interitui sunt obnoxia: tu verò permanes, nempe ab æterno in æternum, sine principio & fine, quia *tu idem ipse es & anni tui non deficient*, ut pote cùm sis æternus, immortalis & incorruptibilis Deus.

X. Christus ratione generationis æternæ *Patrem* appellat: ratione verò generationis temporalis eum nominat *Deum*.

Reponunt hæretici, *primò* textum illum litteraliter de Salomone intelligendum esse, & mysticè solùm per Apostolum Christo attribui. *Secundò*, non Deum, sed hominem duntaxat describi; nam qui unctus est, & qui Deum, hoc est, se superiorem & majorem agnoscit, qui etiam consortes & socios regni habet, non est Deus æternus: Christus est unctus, habet Deum, & consortes: ergo non est Deus.

XI. Quàm futilis & inanis sit Novi Arianorum

Contrà, falsum est oraculum istud litteraliter intelligendum esse de Salomone, & mysticè duntaxat à S. Paulo Christo appropriari; siquidem ex ipso textu constat pleraque esse quæ de Salomone nequeant intelligi: is enim nec ab initio

Responsio ad oracula S. Pauli Christi divinitatem asserentis.

terram fundavit, nec cæteris deficientibus idem ipse permanet, cùm pridem vitâ functus fuerit. *Ad secundum*, dico ibi fallaciam esse à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: ea enim omnia de Christo non dicuntur simpliciter, sed secundùm quid, ratione videlicet officii Mediatoris & humanitatis, quâ ratione & unctus est & Deum atque consortes habet; non verò ratione æternæ suæ Deitatis, secundùm quam Filius quidem habet Patrem, non verò Deum conditorem.

Reponunt secundò, de Filio non posse accipi hæc verba, *Tu Domine ab initio terram fundasti*, sed ipsa esse referenda ad Patrem: *Primò*, quia Apostolus sibi contrariaretur, quippe qui priùs dixerat Patrem creasse mundum: non ergo Filius ipse creavit. *Secundò*, quia nusquam alibi tribuitur Filio creatio. *Tertiò*, quia propositum Apostoli est Christum supra alios homines & Angelos extollere: at si hîc ei creationem tribueret, Creatorem creaturæ compararet, quod fatuum & ineptum esset. *Quartò*, impiè tribuitur Patri quòd Filium appellet Dominum suum: igitur ista non ad Filium, sed ad Patrem ipsum sunt referenda.

XII. Quanquam Pater dicatur per Filium creasse, non minùs Filius etiam Creator est dicendus.

Nego antecedens & ad primam probationem, dico falsum esse, quòd quia Pater per Filium creavit, etiam Filius non creaverit: *Quæcunque enim Pater facit, Filius similiter facit*, ut testatur ipsemet Christus Joannis 5. *Ad secundam*, dico pariter falsum esse quòd nusquam alibi Filio tribuatur creatio, nam eôdem capite testatur; *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Et Psal. 33. dicitur quod *Verbò Domini cæli firmati sunt.* *Ad tertiam*, dico fatuam & ineptam prorsus esse eorum hæreticorum argumentationem; scopus enim Apostoli est Filium supra Angelos extollere, non simpliciter, sed ut Deum Dominum Angelorum: meritò igitur profert testimonia Scripturæ, quibus Christum & Deum & Creatorem esse demonstret, quod Hebræi nondum sciebant. *Ad quartam* denique, respondeo blasphemam esse illam hæreticorum calumniam: non enim dicitur quòd Pater Filium appellet, *Dominum suum*; sed absolutè Dominum seu Jehovam; ait enim, *Tu Iehova*: non verò, *Tu Iehova meus*: Filius autem idem est Dominus Jebova, qui Pater: meritò igitur Pater Filium hôc nomine dignatur.

Illum enim esse rerum omnium conditorem S. Scripturæ confirmant.

Confirmantur hæ omnes responsiones simul & præfata probatio, illis omnibus ejusdem Apostoli textibus, quibus apertè profitetur per Filium Dei totam universitatem rerum conditam esse. Sic ad Coloss. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Et 1. ad Cor. 8. *Unus Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus IesusChristus per quem omnia & nos per ipsum.* Et ad Hebr. 1. *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Hinc Filius ipse, qui est æterna divinaque sapientia, meritò dicit Proverbiorum 8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio ..... quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.*

His adde quòd in historia creationis Moïses & Dei Creatoris mentionem facit, & Verbi per quod omnia Deus fecit, & Spiritûs Dei, qui fovebant materiam à Deo productam: Deum enim dicentem inducit, & Deum facientem, quæ de Patre, & Sermone seu Filio Dei Veteres interpretati sunt. In hominis præterea creatione, Deum inducit deliberantem; *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et rursus cap. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis?* hæc autem non ad Angelos dicta; neque enim per Angelos, quasi inferiores Deos, mundus est conditus; neque ad Angelorum similitudinem homo creatus est; neque extra Dei essentiam quærendus est, qui Deo Patri in rerum creatione adfuerit; sed Filium unicum ac Spiritum sanctum Deus Pater alloquitur, qui omnia quæcumque Pater facit etiam ipse facit.

XIII. Probatur maximè Christi divinitas ex 1. cap. Evangelii S. Joannis.

Confirmatur tandem & apertissimè declaratur Christi Divinitas & individua cum Patre creandi virtus, ab amantissimo illius Discipulo, cujus testimonium, utpote firmissimum nostræ assertionis argumentum, in hujus probationis postremum locum reservavimus. Primô enim capite sui Evangelii, apertè dicit; *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et versibus aliquot interpositis sequitur, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Quod apertum oraculum quantis artibus depravare & eludere tentaverit Sathan, per veteres & novos Arianos nemo Theologorum est qui nesciat. Ut autem ejus loci varias corruptelas à veteribus hæreticis excogitatas, & à SS. Patribus expugnatas missas faciam: placet duntaxat hîc referre, & refellere diabolicum illud commentum, quòd novi Ariani excogitaverunt, dicentes nomine *Verbi* aut *Sermonis*, significari quidem hominem illum Jesum ex Mariâ natum, qui appellatur *Sermo* ratione officii sui, quòd singularis præco & interpres fuerit divinæ voluntatis, qui idcircò dicitur, *Caro factus*, quòd abjectissimâ conditione inter homines formam servi habuerit, ut autem divini præfati oraculi authoritatem & vim elevent; dupliciter verba Evangelistæ in hunc modum interpretantur, ut videre est apud Simlerum in Antisocino.

Primi capitis Evangelii S. Ioannis hæretica explicatio proponitur ac refellitur.

XIV. Duplex interpolatio primi capitis S. Joannis Evangelistæ à novi

1. IN principio mundi per Evangelium reformandi, cùm Joannes Baptista inciperet exhortari homines ad resipiscentiam, jam tùm Jesus Christus erat destinatus officiô patefaciendi & confirmandi Evangelium: sed eô tempore nondum ut legatus & internuntius Dei notus erat

1. IN principio Evangelii, cùm Joan. Baptista Christo viam pararet suâ prædicatione, jam tùm aderat Jesus Christus Sermo atque Interpres sive Legatus Dei, & Sermo iste, licèt inter homines versaretur, soli tamen Deo notus fuit ab initio & quasi apud Deum reconditus erat. Deni-

hominibus, sed soli Deo Patri suo; quin etiam idem ille tunc divinâ potestate & authoritate erat præditus.

2. Sed eô tempore soli Deo Patri suo adhuc erat cognitus.

3. Per illum omnia sunt facta, quæ ad mundi per Evangelium reformationem pertinent, & sine illo factum est nihil, quod ab ejus discipulis, & ministris est factum.

4. & 5. Ille erat primarius vitæ æternæ Præco, & tanquam summus Ecclesiæ Doctor, hominibus rerum cœlestium ignaris solidam Evangelii doctrinam proponebat, vitæque sanctæ exemplô prælucebat: sed isti noluerunt ejus doctrinæ credere, vitamque imitari.

6. Fuit homo missus à Deo ad Judæos, cui erat nomen Joannes.

7. Is venit ut palam & publicè de Jesu testaretur, quòd sit & Christus, hoc est, Messias, & unicus mundi Servator ut per illum omnes ei crederent.

8. Non erat is Christus, hoc est, Messias ipse, quemadmodum multi ex Judæis opinabantur, sed præcursor Christi in hunc finem à Deo missus ut de Christo testaretur.

9. Ipse autem Jesus Nazarenus verus erat & primarius Evangelii Doctor, qui ab eo tempore, quo in mundum venit, omnem hominem salvandum solidâ doctrinæ cœlestis notitiâ vitæque sanctimoniâ informat.

10. Inter homines hujus mundi versabatur, & homines per ejus Evangelium sunt reformati & regeniti: sed & impii increduli eum non agnoverunt.

11. Ad suos populares Judæos venit, sed illi noluerunt eum pro vero Messia & Servatore mundi à Deo misso & exhibito agnoscere.

12. Quotquot autem fidem ei adhibuerunt, eis dedit potestatem, ut Filii Dei, & hæredes vitæ æternæ fierent.

13. Sed ii qui hanc potestatem sunt adepti, non sunt judicandi esse illi omnes, qui vel ex illustri aliqua familia aliisve hominibus naturali modô sunt geniti, vel hominum voluntate in filios adoptati; sed illi soli, qui per prædicationem Evangelii ex Deo sunt regenerati.

14. Etsi verò Jesus Nazarenus tantâ & tam divinâ potestate & authoritate fuit præditus; tamen cotam hominibus hujus mundi, præsertim.

que hic Sermo destinatus erat nobis Servator, ac princeps nostræ salutis, isque Dominus ac Deus noster erat, quamvis mundo ignotus esset.

Arianis excogitata ut Christi divinitatē oracula comprobantia elevent.

2. Hic, inquam, Sermo ab initio Evangelii erat apud Deum: quippe cui soli cognitus erat, imò apud quem tam familiariter versabatur, ut ex ejus sinu Evangelium paulò post nobis afferret.

3. Per hunc Sermonem facta sunt omnia quæcumque ad Evangelii confirmationem pertinent, & sine ejus auspicio nihil istorum factum est, quæ consequenter etiam ab Apostolis facta sunt, itaut omnium istorum operum gloria ad ipsum solum authorem referenda sit.

4. In hoc Dei Sermone J. C. exhibita seu proposita nobis erat vita æterna: & hæc vita sive ejus promissio erat vera & spiritualis lux hominum, quippe cujus notitiâ & certâ spe mentes humanæ illustrantur.

5. Porrò hæc lux in tenebrosa hominum societate hactenus clarè lucet: sed filii tenebrarum (qui malè agunt, & lucem oderunt) suâ culpâ eam minimè comprehenderunt, ut qui inepti sunt ad eam percipiendam.

6. Cæterùm hôc ipsô tempore in Judæa celebris erat homo quidam à Deo missus, cui nomen erat Joannes.

7. Quem eô consiliô in medium prodire voluit, ut tanquam fidelis testis ac præcursor testimonium de Jesu Christo apud omnes redderet, atque ita authorem illius spiritualis lucis, cujus ante memini, sua prædicatione omnibus commendaret, ut omnes per istius viri ministerium ad Christo fidem habendam præpararentur.

8. Non erat, inquam, hic Joannes lux cœlestis, quæ totum mundum jam-jam illustratura erat, sed præcursor tantùm illius, idcirco missus ut de luce illa testimonium daret.

9. Lux autem illa erat Jesus Christus, videlicet lux illa vera, & cœlestis, quæ postea quàm in mundum venit, & munus suum exequi cœpit, omnes omninò homines, quantùm in se fuit, salutari Dei notitiâ & salutis æternæ spe certissimâ collustravit.

10. Porrò lux illa spiritualis J. C. tùm in hoc mundo degebat, atque in media hominum societate versabatur, docens & sanans omnes, prout occasio ferebat; imò mundus hic per ipsum instauratus, & quasi novus, sive alius factus est.

11. Et quod magis mirandum est, venit ad proprium populum suum, videlicet Judaïcum, cui peculiariter erat promissus, & cui omnium primo viam salutis annunciavit; attamen hi sui populares eum non receperunt, sed tanquam facinorosum aliquem cruci affixerunt.

12. Interim quotquot ex Judæis simul & Gentibus eum pro Servatore suo complexi sunt, his magnam sanè dignitatem attribuit, videlicet ut olim perfectâ ratione Filii Dei evadant, ideoque simillimi fiant in gloria & immortalitate.

13. His inquam potestatem istam dedit, qui in ipsum ex animo credunt, ejusque præcepta custodiunt, quales non sunt promiscuè omnes quicumque ex sanguine parentum, sive ex libidine carnis aut libidine viri nascuntur; sed ii tantùm qui ex Deo geniti sunt; probi videlicet, ac pii homines, qui divinæ voluntati, statim atque ipsis patefacta fuerit, obedire parati sunt, atque ita virtute Dei ad justitiæ studium revocati sunt.

14. Hic autem Sermo Dei Jesus Nazarenus, quantisper in hoc mundo vixit, caro fuit, hoc est, miser, mortalis, atque abjectus, & quasi

Scribis & Pharifæis, vixit ut homo vilis, abjectus obfcurus, ærumnofus, & mortalis. At inter nos Apoftolos, & difcipulos fuos familiariter verfatus eft, fuamque gloriam, poteftatem, & authoritatem divinam variis ac admirandis fignis factifque, tam clarè notam & teftatam fecit, ut à nobis omnibus pro Unigenito & dilectiffimo Dei Patris Filio cognitus fuerit, qui non tantùm veram doctrinam Evangelii, & in ea immenfam Dei erga genus humanum gratiam & benignitatem copiofiffimè & clariffimè mundo patefecerit, verùm etiam tandem vitam æternam, quam nomine Dei promifit omnibus in fe credentibus, certiffimè daturus fit, &c.

unus è vulgo mortalium effet; ita velut in tentorio terreni corporis inter nos commoratus eft: tamen (ut nos Apoftoli) qui familiariùs eum ipfo verfati fumus, gloriam ipfius divinam in transfiguratione & miraculis, fubinde fefe profitentem clarè viderimus; gloriam, inquam, ejus velur Unigeniti & fingularis Filii Dei, quam à Patre fuo acceperat; à quo videlicet & ipfe genitus, atque in hunc mundum legatus fuit: Atque is in omnibus dictis & factis fuis abundantiffimam Dei benignitatem, & fidelitatem erga nos pleniffimè oftendit.

Novi Ariani Sermonem, aut Verbum dicunt effe Spiritum creatum ante cætera omnia conditum, & adminiftrum Dei in creando orbe, & hunc in carne affumpta hominem factum effe. *Servetus* verò negat Verbum feu Sermonem effe rem exiftentem, fed rei difpofitionem feu difpenfationem, quâ placitum eft Deo arcanum fuæ voluntatis nobis revelare: additque effe vocem Dei, oraculum è caligine nubis, decretum, ideam, ficut operis futuri idea eft in animo artificis; hunc Sermonem carnem factum effe, quia voce ab initio prolatâ, genita fit caro ifta; haud fecùs, quàm fi homo verbum proferens, ex ore fuo projiceret aurum aut margaritas, ita tùm propriè loquendo diceretur vox ejus facta effe aurum: ita Verbum Dei potentiffimum abfque ullo rerum coagulo in carnis materiam tranfiviffe. Atque hæ funt Adverfariorum Hæreticorum opiniones tam abfurdæ, portentofæ & impiæ; ut eas Chriftianis hominibus indicaffe & detexiffe fatis jufta confutatio fit, ait Simlerus.

Quorum impiũ dogma, apertè confutatur ex verbis ipfis fancti Evangeliftæ.

Nihilominus ad pleniorem harum blafphemiarum confutationem; dico hæc omnia hæretica commenta, effe alieniffima à mente fancti Evangeliftæ; fiquidem illa tribiunt *Sermoni* feu *Verbo*, quæ non nifi perfonæ fubfiftenti congruant, utpote cùm aiunt Verbum in principio extitiffe, Verbum fuiffe Deum, nam articulus additus oftendit Verbum in hac oratione Evangeliftæ effe fubjectum; ut locum non habeat cavillum illorum, qui dicunt Patrem fuiffe Verbum; itaut Verbum dicatur de Deo; quomodo etiam Deus juftus & fortis effe dicitur: fiquidem hîc *Verbum* non eft attributum, fed fubjectum attributi nominis *Dei*. Præterea dicitur per hoc Verbum omnes creaturas effe conditas, Verbum fuiffe vitam, & lucem, & authorem omnis vitæ & lucis in hominibus; Joannem Baptiftam de eo teftatum effe: ipfum veniffe ad gentem fibi peculiarem & propriam, & ab ea non fuiffe receptum; dediffe iis qui eum receperunt, & in eum crediderunt, poteftatem ut fierent Filii Dei. Denique Verbum illud carnem factum, & inter homines commoratum; vidiffe quoque homines ejus gloriam quafi Unigeniti à Patre: quæ omnia cùm non poffint competere nifi hypoftafi intelligenti & operanti, evidenter probant *Verbum illud* perfonam effe, & etiam ante carnem affumptam extitiffe; poft carnem autem affumptam duabus naturis conftare in unitate perfonæ, divinâ nempe, quæ propria eft ipfius Verbi, & humanâ quam affumpfit dum caro factum eft.

Nec non & perpetuâ Ecclefiæ traditione.

Hæc autem interpretatio non folùm conftantiffima fuit apud omnes fanctos Patres qui poft Nycænum Concilium primum vixerunt, ut comminifcuntur hæretici, qui volunt tempore hujus famofiffimi Concilii peffumdatam fuiffe ac omnino corruptam de Filio Dei & Chrifto fidem, fed etiam eft fenfus totius antiquitatis longè ante Concilium & ab ipfis nafcentis Ecclefiæ primordiis. Nam fanctus Ignatius epiftolâ tertiâ loquens de Jefu Chrifto Patris æterni Filio quem *Sermonem* feu *Verbum* appellat, ait: *Verbum non à voce, fed à fubftantia Dei exiftens; non enim compofitam orationis vocem fignificat, fed divinæ operationis genitam fubftantiam, quæ omnia ei à quo miffus fit, placata Patri atque reconciliata reftituat.* Irenæus lib. 2. cap. 3. ad idem ait, *oftenfum manifeftè quòd in principio λόγος exiftens apud Deum, per quem omnia facta funt, qui & femper affuit generi humano. Hinc noviffimis temporibus fecundùm præfinitum tempus à Patre, unitum fuo plafmati paffibilem hominem factum mifit.* Idem habet *Tertullianus* adverfus Praxeam. *Gregorius Neocæfarienfis*, & quotquot ante Concilium Nycænum de æterna vel temporali divini Verbi generatione fcripferunt.

Reponunt hæretici, eatenus Chriftum appellari *Verbum* & *Deum*, per quem omnia facta funt, quatenus peculiari deputatione ad homines, Dei minifterium gefferit, ut omnia recrearentur & renovarentur per myfterium reconciliationis & redemptionis; nam inquiunt, nova creatura ubique in Novo Teftamento tribuitur Chrifto, per quem Deus hanc executus eft.

XVI. Hinc præcluditur diverticulum hæreticorũ dicentium verbum idcirco appellari Deum quòd Dei vices impleverit.

Contrà, hæc refponfio prorfùs eft futilis & evanida; quippe abfolutè teftatur Evangelifta Verbum illud, de quo fermonem inftituit, à principio extitiffe, nempe in illo principio de quo Moifes dixerat, *In principio Deus creavit cœlum & terram*: Nec refert quòd ipfi opera reparationis tribuantur; quid enim obftat quominus uni & eidem duo opera, quæ fe mutuò confequuntur, attribuantur? Unde meritò Irenæus lib. 4. cap. 14. ait: *Filium Dei ab initio affiftere fuo plafmati & fuum plafma in femetipfo recapitulare*: ergo nihil officit quominus Verbum, qui unà cum Patre & Spiritu fancto omnia formavit, fui imaginem per primi hominis peccatum confpurcatam, & multis prætereà modis corruptam reparaverit ac reftituerit per fuæ Incarnationis myfterium, quâ ratione licèt fpecialiter ipfi non tribuatur creatio, tamen fpecialiter ipfi attribuitur hominum reftauratio, & reformatio, quippe cùm folus ipfe humanam naturam affumpferit.

XVII. Chriftus non folùm recreator, fed etiam creator eft.

Reponunt fecundo, Teftamentum Vetus creationem uni & foli Deo Patri tribuere, ficut & Novum pofteriorem creationem, feu renovationem, non dicit unquam folum Deum abfolviffe, fed per Chriftum: unde etiam nos redemptos, jufti-

ctos, Deo reconciliatos, & vitæ æternæ hæredes factos, quod est opus novæ creationis, à Deo per Christum esse facta asserit; absque isto enim nihil horum factum est: igitur S. Joannes loquitur solùm de reparatione ante omnia per Christum facta, hoc est, restaurata. *Confirmant* ex eo quòd Novum Testamentum dicatur initium dictorum & factorum Christi; nam Lucas Actor. 1. cap. 8. dicit se scribere quæ *Iesus cœpit facere, & docere usque in diem quâ præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit assumptus est.* Ad eundem quoque modum Marcus dicit se scribere initium Evangelii Jesu Christi; sic & sanctus Paulus ad Heb. 2. doctrinæ salutis cœptæ prædicari à Christo & operum ejus summam recenset: mentirentur autem illi Apostoli si Christus sub Veteri Testamento fecisset aut docuisset aliquid: igitur nihil præter hominum reconciliationem & Redemtionem molitus est; & subinde Joannis verba de sola hominum reparatione, & reconciliatione sunt intelligenda.

Confirmant insuper; si Christus creasset cœlum & terram, non tacuisset istud; ibi præcipuè, ubi contra Judæos probat se Filium Dei esse, ex operibus sibi communibus cum Patre; ibi autem tantùm operum novæ creationis meminit, in sanando, vivificando, ressuscitando, judicando. Dixisset etiam, si verum hoc fuisset, Pater operabatur in creando: ita & ego operabar: at tantum de præsentibus loquebatur dicens: *Sicut Pater meus operatur, ita & ego operor:* igitur, &c.

Id enim probant oracula Veteris & Novi Testamenti. *Verùm* contrarium apertè constat ex dictis; nam utrumque Testamentum tam Novum quàm Vetus rerum omnium creationem Christo æterno Verbo, & Sapientiæ subsistenti tribuit. Unde non tantùm per Christum redempti, justificati & Deo reconciliati dicimur, quod est novæ creationis opus; sed etiam utrumque Testamentum ait: *Verbo Dei cœli firmati sunt: & omnia per ipsum condita sunt*, & de eo dictum est Psalmô 102. & ad Heb. 1. *Tu initio Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt celi.*

Ad confirmationem dico, Adversarios multifariam peccare in suo argumento, *primùm* enim Evangelistæ loquuntur de Filio Dei non simpliciter, sed ut incarnatô & donatô nomine *Iesu & Christi*, utrumque autem hoc nomen tantùm habuit à sua conceptione & Nativitate temporali; Jesus enim appellatus est ab officio, quia salvum facturus erat populum suum à peccatis eorum: Christus similiter dictus est ab unctione, quam ab oleo Divinitatis, & divinis charismatibus, quibus est illustratus, in humanitatis cum Verbo unione obtinuit: at hæretici, quæ de Christo secundùm utramque naturam, seu de tota persona dicuntur, transferunt ad alteram naturam Verbi ab initio existentis apud Deum: ergo verum paralogismum in suo argumento admittunt.

Unde pridem extitit antequam doceret, & mundum reformaret. *Deinde* Evangelistæ describunt initium Evangelii, nam *facere & docere* ad Evangelii administrationem refertur: hæretici verò id referunt ad initium personæ Christi, quod certè hallucinari est. *Denique* si Christus tantùm habuerit initium, cùm cœpit facere & docere, quodnam erit illius exordium? Marcus enim illud initium Evangelii Christi ab illius baptismo auspicatur, Lucas autem altiùs ab ipsa Conceptione & Nativitate suam narrationem orditur: ergo juxta hæreticorum blasphemam temeritatem, oporteret alterutrum Evangelistam mendacii reum esse.

Ad alteram confirmationem, nego consequi, quòd si Christus creavisset cœlum & terram non tacuisset illud Judæos alloquendo; hæc enim conditionalis propositio facta est; nam ut mysterium Filii Dei ante ejus in carnem adventum umbris quibusdam ac propheticis locutionibus involutum fuit, & ille se Veteribus sub ænigmate duntaxat conspiciendum præbuit: ita etiam postquam in carnem venit, non statim cælestem gloriam conspiciendam exhibuit; cùm enim Filius Dei in carne se Mediatorem & Redemptorem mundo exhiberit, divinâ majestate, quasi quôdam velô tecta, Scripturæ nobis eos potissimùm sermones & illa facta Christi describunt, quæ ad illud officium Mediatoris spectant. Neque tamen interea Christus divinam suam naturam & Majestatem tacuit; nam & se Deum esse, & verum Dei Filium ante Abrahamum existentem, non solùm verbis, sed & mirandis operibus plurimis testatus est. *Adde quòd* sanctus Joannes disertè pronuntiat, *In mundo erat & mundus per ipsum factus est:* igitur illud ipsum Verbum quod caro factum est, totius mundi artifex; subindeque pridem ante suam ex beata Virgine nativitatem, & conceptionem secundùm divinam naturam, & personam existebat.

XVIII. Quid nomine mundi significetur. *Reponunt*, nomine *mundi* ab Evangelista significari, non rerum omnium universitatem, sed homines duntaxat, à quibus non est cognitus; quid enim hoc ad rem, Christum non esse cognitum à machina cæli? *Addunt* quòd sæpè apud Joannem mundus pro hominibus accipiatur, ut cùm Christus dicitur *lux mundi*, & quòd *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, & quòd Christus *tollat peccata mundi*, &c.

Respondeo quòd etsi nomine *mundi* plerumque homines significentur; tamen ubi Joannes ait, mundus per ipsum factus est, nomine *mundi* universitatis machinam intelligit, siquidem hâc locutione vult Christum commendari: at quid magni fuisset, Christum tantùm hominem inter homines versatum esse & in mundo extitisse? præclarum autem & honorificum est Christo, quòd fuerit *Emmanuël*, hoc est, nobiscum Deus, seu ut loquitur sanctus Paolus, *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Proponuntur ac solvuntur præcipuæ objectiones quas hæretici obtrudunt.

OBjiciunt primò. Christus ille, qui ex Virgine Maria natus est, idem est qui veteribus SS. Patribus ac Patriarchis fuerat promissus: at ille qui fuerat promissus, non est verus Deus, sed tantùm homo: igitur Christus non est verus Deus. Majorem admittunt omnes. Minorem probant hæretici variis Testamenti Veteris oraculis, maximè verò ex illis verbis Genesis 3. v. 15. ubi Christus dicitur *semen mulieris*, quæ contetere debebat caput serpentis & cap. 12. ubi Deus Abrahamo promittit quòd in ipso benedicentur universæ cognationes terræ, hoc est, in *ejus semine*, ut explicat Apostolus ad Galat. 3. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones & semini ejus, non dicit & seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, & semini tuo qui est Christus.* Item ex Deuteronomii 18. ubi promittit Moïses Israëlitico populo Messiam venturum his verbis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus, ipsum audies*, quem Prophetam esse Christum interpretati sunt Petrus & Stephanus *Actor.* 4. & 7. imò ad eum locum vide-

tur allusisse Christus cùm dixit Joan. 5. *Si crederetis Moïsi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit:* ut notavit S. Cyprianus lib. contra Judęos cap. 18. At Moïses ibidem indicat illum futurum Prophetam, non esse Deum; tum quia dicit eum sibi fore similem: tum quia subdit *ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb quando dixisti, ultra non audiam vocem Domini Dei mei*, &c. Similiter Psalmô 102. Deus promittit David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* & similiter quoties Prophetæ sermonem faciunt de venturo Messia, non eum aliter quàm purum hominem delineant: igitur, &c.

Respondeo negando minorem, & ad ejus probationem dico, præfata oracula reverà quidem designare quòd venturus Messias deberet esse verus homo, non tamen negare quòd itidem etiam verus Deus censeretur; non enim in promissionibus ubique stat integra descriptio personæ Messiæ, sed multa de officio ejus efferuntur, ex quibus tamen nihilominus illum esse verum Deum colligi potest, cùm ea tribuantur illi, quæ ei qui homo tantùm esset, convenire non possunt, putà cùm dicitur quòd illius virtute, aut ipsius genitricis operà conteri debeat caput serpentis: quòd per ipsum benedicendæ sint omnes gentes: quòd regnare debeat in sæculum sæculi, &c. Quæ complectuntur liberationem ab ira Dei, & reconciliationem cum Deo, solutionem à peccato & morte & tyrannide Sathanæ: quæ omnia infinitam efficaciam requirunt; nec subinde præstari possunt neque expectari ab eo qui duntaxat homo sit. *Adde quòd* in quibusdam vaticiniis clariùs Messiæ persona describitur & titulis quibusdam ornatur, quibus longè apertiùs indicatur, Messiam venturum Deum-hominem fore. Sic Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel:* neque enim dici potest *Emmanuël*, nisi illa persona quæ nata est ex Virgine, Deus quoque sit; nam Deus per Moïsem & Prophetas locutus est, & miracula fecit; & tamen neque Moses, neque Prophetæ dicti sunt *Emmanuel:* igitur oportuit eum, qui natus est ex Virgine, non solum esse verum hominem, sed & verum Deum.

XIX. Christus tanquam verus Deus fuit promissus SS. Patribus.

Instant, Jesus Christus, qui natus est ex Virgine, fuit ab Angelo denuntiatus, & quis esset futurus: at Angelus illius nativitatis Præco, non dicit illum esse Deum æternum, imò ait Filium Dei ideo esse vocandum, non quòd ex divina essentia & divino Patre ante sæcula sit genitus, sed sic vocatum iri, quia virtute Altissimi è Spiritu sancto concipi & ex Maria nasci deberet. Adde quòd non ait, *vocatur*, sed *vocabitur Filius Dei:* igitur tunc non erat Dei Filius cùm hæc Angelus proferret.

Deinde, Angelus Josephum dubitantem de partu Virginis non consolatur dicendo quòd qui clausus erat Virginis uterô æternus esset Dei Patris Filius; quòd sanè fuisset potissimum & valde gratum in illa perturbatione solatium: ergo ipsum talem esse Angelus non censuit.

Denique, Evangelistæ accuratè describunt factam Annuntiationem Christi, ejus Conceptionem, Nativitatem, Majoresque; neque prætereunt tempus, menses, quibus in utero gestatus; meminerunt etiam loci in quo natus est, præsepis in quod reclinatus, domûs in qua educatus; narrant insuper quæ seu puer seu adultus gesserit, quæve ei acciderint, &c. at nullus eorum ne verbô quidem attigit illius Divinitatem, & æternam generationem de divino Patre: quod certè non tacuissent, si id verum esse existimassent: igitur Christus ille ex Maria Virgine natus, non est censendus æternus Dei Filius.

Eumque Angelus Mariam ac Josephum allocutus Deum verum affirmavit.

Nego has omnes consequentias; Et *ad primam rationem*, dico Angelum sufficienter designare illum qui nasciturus erat ex Virgine, esse æternum Dei Filium, cùm dixit, *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*; nec enim illa divinæ filiationis attributio aliud significare potest, quàm quòd is qui nasciturus erat, verus esset Dei Filius, non solùm ratione divinæ naturæ, sed etiam divinæ personæ, per quam assumpta humanitas ex Virgine nascitura subsistebat.

Nec refert quòd dixerit *vocabitur*, non autem *vocatur Filius Dei*, Filius enim Dei in carne manifestatus est suô tempore, qui tamen ab æterno fuit Unigenitus Filius Dei; & sic quem anteà tantùm Fideles Veteris Testamenti obscurè cernebant in carne venturum, eum jam exhibitum palam, omnes Fideles Novi Testamenti Filium Dei esse prædicant.

Ad secundam probationem dico, quòd cùm Josephus de conceptu hoc sanctissimo sollicitus fuerit, satis fuit ad ejus animum confirmandum indicare, quòd Maria non concepisset ex adulterio, nec humano more ac modo, neque ex ullo Viri congressu, sed ex Spiritu sancto, & virtute Altissimi, dicendo, *Quod in ea natum est de Spiritu sancto est*.

Ad tertiam confirmationem dico, non valere consequentiam hanc: Evangelistæ Christum hominem describunt: ergo nihil aliud de eo scribunt quàm hominem esse; æternitatem enim illius & veram Deitatem Evangelistæ & Apostoli prædicabant, ut ex eorum oraculis suprà probatum est: Igitur si hæretici amplectantur illa loca Scripturæ, quibus vera humana natura in Christo Salvatore probatur, etiam alia quæ illum Deum dicunt, & divinam gloriam, divinumque cultum ei attribuunt, reverenter accipere & amplecti debent.

Urgent: Si essent duæ in Christo naturæ divina & humana, debuissent Evangelistæ apertissimè illas declarare, alioqui omisissent fundamentum Fidei, & Deum Deique Filium contumeliâ affecissent; & omnium contentionum in Ecclesia causæ fuissent: sed nullibi duas in Christo naturas apertè fatentur: ergo non sunt duæ in Christo naturæ.

Ac omnes Evangelistæ perspicuè declarant

Nego minorem: Nullus namque Evangelistarum est, qui non referat divina illa oracula & miranda opera, quibus Christus testatus est suam Divinitatem: igitur Evangelistæ & Apostoli non omiserunt Fidei fundamentum. Neque ipsi discordiarum authores sunt, sed homines ambitiosi, turbulenti, & qui simplicitate Apostolicæ doctrinæ contenti non sunt, dissidiorum causa semper fuerunt, & hodie quoque sunt. Fateor doctrinam de Christo Servatore Deo simul & homine, Dei hominisque Filio, ab ipsa Apostolorum ætate multos adversarios habuisse, quorum alii Christum Deum, alii hominem esse negârunt, multi etiam ut vel utrumque vel alterutrum tollerent, naturas impiè confuderunt: non tamen ideò conficitur dogma ipsum falsum esse.

Objiciunt secundò: Qui Mediator hominum est apud Deum Israëlis, non est ipse Deus Israëlis: sed Christus ex Virgine natus, est Mediator apud Deum Israëlis: ergo non est ipse Deus Israëlis. Major probatur ex absurdis quæ consequuntur, si dicamus

si dicamus Deum Israëlis esse Mediatorem apud Deum: *Primò* enim, Deus statuetur seipsô inferior. *Deinde*, Deus orabit seipsum. *Tertiò*, pars offensa erit mediatrix apud seipsam.

XX. Quanquam Christus sit Mediator, non propterea est absolutè inferior Deo.

Nego majorem, & *ad primum absurdum*, dico non consequi Deum seipsô inferiorem esse eò quòd sit Mediator: nam Mediator ratione officii, inferior est, apud quem intercedit: sed non est inferior naturâ, cùm apud homines sæpè æqualis apud æquales pro aliis intercessor fiat: ita Filius qui est unus Deus cum Patre, & in forma Dei æqualis Deo, seipsum exinanivit formam servi accipiens, & ad officium Mediatoris sese dimisit absque ulla naturæ, potentiæ, Majestatis & Deitatis suæ diminutione.

Ad secundum dico, Filium, ut Mediator est, orare Deum maximè ut consideratur secundùm naturam humanam; nam preces, & subjectio, ad humanam naturam spectant; efficacitas autem horum à natura divina profluit, cum qua humana natura in unam personam conjuncta est.

Ad tertium respondeo, absurdum quidem esse, ut pars offensa sit mediatrix ubi una tantùm persona est offensæ partis: at ubi plures personæ sunt, non est inconveniens unam ex illis communi decretô se ad pacificationem & satisfactionem offerre: sic autem actum est inter Deum & homines per ipsum Dei Filium, nec aliter certè fieri debuit, aut potuit; quis enim præter hunc Mediatorem à parte offensa missum, vel hominum vel Angelorum prodire, & apud Deum intercedere potuisset? Certè nisi pars offensa munus Mediatoris suscepisset, nusquam in gratiam cùm Deo rediissemus.

His adde quæ diximus de satisfactione Christi, quòd nempe potuerit etiam sibi ipsi ut offenso facere satis.

Objiciunt tertiò, is solus est unus verus Deus, quem Christus agnovit & invocavit, invocandumque docuit pro vero Deo: at Christus solum Patrem agnovit invocandumque docuit, Matth. 11. Luc. 11. Joann. 17. Ergo solus Pater est verus Deus.

XXI. Christus una cum Patre invocatur.

Distinguo minorem: Christus ut mediator secundùm humanam naturam Deum Patrem invocavit, nobis quoque ordinariam precandi formulam tradidit, quâ Patrem invocemus, concedo: ut Verbum divinum, & secundùm naturam divinam Patrem invocavit, nego.

Et etiam Pater noster dicitur.

Adde quòd Christus ipse se hoc honore non spoliat, quominus ipsum quoque cum Patre invocemus; sunt enim aperta loca Scripturæ, in quibus Christus se à nobis invocandum proponit. Sic Joannis 5. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et Joan. 14. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*: Vult ergo se cum Patre invocari. Prætereà cùm Apostoli verbô & exemplô suô Christum invocare doceant, an non Christos, cujus spiritu illi locuti sunt, sibi invocationem vendicat? Adde quòd cum opera Trinitatis ad extra indivisa sint, inde fit quod nomine *Patris* quem in formula orationis à Christo traditæ invocamus, tres simul personæ comprehenduntur.

Instant: Si appellatione *Dei* Christus quoque seipsum intelligeret, etiam includeret se mentione Dei factâ: sed non includit se dum de Deo loquitur; verùm discretè de se sermonem facit, & Patrem appellat solum verum Deum; se autem ejus legatum Joannis 3. num. 16. dicens: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret, &c.* Et cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et Joannis 14. *Creditis in Deum, & in me credite*: Igitur cùm se non jungat in societatem nominis *Dei*, sequitur nomen *Dei* absolutè positum, solum Patrem significare.

Respondeo nomen *Dei* bifariam in Scripturis accipi, nempe vel essentialiter, vel hypostaticè, seu *vel* quatenus significat essentiam communem tribus personis; *vel* quatenus significat aliquam ex divinis personis, quæ reverà Deus est. Unde ad minorem dico, quòd quoties nomen *Dei* ponitur relativè, & hypostaticè ad significandam personam Patris, meritò Christus discernit se à Deo, hoc est, à Patre, quippe est alia persona à Patre: non autem se discernit à Deo, quatenus *Dei* nomen absolutè & essentialiter sumitur. *Vel aliter distinguo*: Christus quatenus Mediator Dei & hominum, se discernit à Deo, concedo: quatenus Dei Filius est, nego. Concludendum igitur cum sancto Ambrosio, lib. 3. de Fide c. 2. *Ergo cùm legis Deum, non separes Patrem, non separes Filium, quia divinitas Patris & Filii una eademque est: & ideò nec ibi separes ubi legis quòd beatus & solus potens: de eo enim dictum est, sicut habemus, præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia: sed etiam Christus vivificat: convenit ergo Filio & Patri Dei nomen, quando convenit & operationis effectus.*

Nomen Dei accipitur vel essentialiter, vel hypostaticè.

Urgent. Eatenus Christo Dei nomen tribuitur, quatenus quid unum cum Patre censetur, *sed non est* quid unum cum Patre ratione naturæ, sed duntaxat ratione consensûs & affectûs: igitur, &c. Probatur minor ex Joannis cap. 17. ubi Christus Patrem precatur, ut discipuli *omnes invicem unum sint, sicut & nos unum sumus*: fideles autem non essentiæ unitate, sed animorum & voluntatum consensu & bonorum communicatione tantùm sunt unum inter se: ergo Christus non essentiæ unitate, sed consensu & bonorum communicatione, unum est cum Patre.

Nego minorem: Quanquam enim ibi Christus fortè sermonem faciat de concordia & proprietatum similitudine, non tamen ibi asserit nullam præterea aliam arctiorem conjunctionem, sive unitatem esse sui cum Patre, quàm sit inter homines; alioqui secum ipse pugnaret: docet enim alibi se esse Dei Filium ex Patre genitum, æqualem Patri, & eundem qui Pater, Deum esse. Unde consequitur propter æqualitatem & unitatem essentiæ, Patrem & Filium eandem concordissimam habere voluntatem, ut jam pluries probatum est.

Objiciunt iterùm. Ex attributione nominis *Dei* & divinæ generationis, non potest colligi Christum esse verum Deum, eandemque cum Patre habere naturam: igitur &c. Probatur antecedens: Illis omnibus Scripturæ textibus quibus Dei nomen creaturis tribuitur, ut observavimus in tertio notabili: similiter divina generatio & filiatio tribuitur creaturis; nam Isaiæ 1. de Judæis scribitur, *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Joannis 1. *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Et Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*: igitur, &c.

XXII. Aliter nomen Dei tribuitur creaturis & aliter Christo.

Nego antecedens: Nam ut suprà dictum est, aliter tribuitur Dei nomen Christo D. quàm creaturis, ipsi namque convenit propter identitatem essentiæ cum Patre; creaturis verò duntaxat propter vel usurpationem vel imitationem, vel repræsentationem, vel delegationem.

Adde quòd non solùm *Dei* nomen aliquod tribui-

tur Christo, sed illa maximè ei tribuuntur nomina quæ verum Deum significant, ut *Iehova, Tetragrammaton*. Similiter alia ratione Christus dicitur *Filius*, quam cæteri filii Dei; siquidem homines dicuntur *filii Dei* vel propter formationem, *vel* propter singularem Dei erga illos protectionem & affectum, *vel* propter adoptionem, quæ fit per gratiam sanctificantem; quare credentes nati sunt ex Deo per adoptionem & gratiam, & in se habent semen divini Spiritûs, & participes sunt divinæ naturæ per donorum largitionem & operationem spiritûs inhabitantis: sed Christus naturâ est Filius Dei & ipsa Deitas absque initio temporis per æternam generationem ipsi communicata est tota & indivisim, unde ipse non tantùm dicitur Filius Dei, sed etiam Deus ipse.

Quot modis homines dicantur *Filii Dei*.

Instant: Quanquam nomen *Iehovah* & aliud simile tribuatur Christo, ex eo tamen inferri non potest Christum reverà esse unum Deum cum Patre: igitur, &c. Probant antecedens: nam nomen hoc *Iehovah* tribuitur urbi Jerosolymæ, Ezechielis ultimô: & Moyses cùm aram construxisset Exodi. 17. eam appellavit *Iehovah*: similiter Judicum 7. Angelus nomen *Iehovah* sibi vendicat.

XXIII. Quomodo nomen *Iehovah* tribuitur creaturis.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, nomen *Iehovah* illis rebus attribui, non absolutè, sed tantùm respectivè ad Deum; sic enim altare à Mose extructum est, quòd *Iehovah* sit exaltatio Moisis; legimus enim in Vulgata, *Ædificavit Moïses altare & vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea*. Similiter civitati Jerosolymitanæ tribuitur nomen Jehovah, eò quòd peculiari protectione ac residentiâ Dei gauderet; legimus enim *nomen civitatis ex illa die Dominus ibidem*. Quantùm autem spectat ad Angelum, dico quòd non tantùm *Iudicum 6.* sed etiam *Genesis 32.* & alibi sæpè *Iehovah* nominatur: at volunt aliqui Theologi hunc Angelum, qui *Iehovah* nominatur, non fuisse creatum Angelum, sed ipsum Dei Filium, qui tùm hominibus in sensibili specie se videndum præbebat, ut plurimi Patres docent cum Tertulliano; quod utique confirmari posset ex eo quòd illi Viri sanctissimi, quibus Jehovah ille apparebat, soli vero Deo cultum debitum ei obtulerint, ut *sacrificia*. Judicum 3. *preces* Genesis 48. *Templum* Malachiæ 3. & Patres Angelô hôc visô Genesis 32. & Judicum 3. dixerunt se *vidisse Deum facie ad faciem*, Ozeas quoque Angelum qui cum Jacobo luctatus est, & de nomine interrogatus, illud *admirabile* esse respondit, Jehovam fuisse testatur. Ex quibus colligi potest illum Angelum, qui *Iehova* nomen sibi vindicabat, fuisse illum *magni consilii Angelum*, nempe Christum, qui etsi nondum incarnatus tum fuit, tamen nihilominus mediatoris officiô fungi cœpit, & figuram officii sui proposuit, ut familiariùs ad fideles accederet.

Veriùs tamen dicendum arbitror, eum reverà fuisse Angelum creatum qui sanctis Patribus apparuit: nam ait S. Paulus ad Hebræos 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus: at, novissimè nobis locutus est in Filio*; quòd certè minùs verum appareret si Filius ipse etiam antiquis Patribus fuisset locutus: igitur qui tunc loquebatur reverà erat Angelus creatus: at quoniam Dei mandata ac legationem implebat, etiam & Dei nomine ac vice loquebatur.

QUÆSTIO II.

Utrum Christus in quantùm homo, sit Filius Dei adoptivus aut naturalis?

I. Christus quatenus æterni Patris Filius, est ei consubstantialis.

CONVENIUNT omnes Catholici Christum D. quatenus æterni Patris Verbum, esse quoque verum consubstantialem ejus Filium; ita namque non solùm apertis Scripturæ textibus declaratur, sed etiam sacris in Oecumenicis Conciliis definitur contra Arianos, Sabellianos, & alios hæreticos. Constat pariter quòd saltem ratione suppositi divini, quo Christi humanitas subsistebat, in concreto Christus dici possit Filius Dei naturalis, ut patet ex Symbolo Apostolorum, in quo credimus *in Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Et ex Symbolo sancti Athanasii: *Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est*. Et passim hæc veritas in Scripturis sacris exaratur: sic Joannis 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*, &c.

Unde solùm difficultas est, utrùm Christus consideratus in quantùm homo, appellari possit, & reverà sit Filius Dei adoptivus: homo namque filiationis Dei adoptivæ capax est, ut sacer textus plerumque indicat: sic ad Romanos 8. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater*. Et ad Galat. 4. *Ut adoptionem filiorum reciperemus: quoniam autem estis filii*, &c. Et ad Ephes. 1. *In adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*. Quæ ut evidentiùs appareant;

II. Unde deductum sit Adoptionis nomen, & quid significet.

Notandum primò ex doctore in 3. *distinct.* 10. *num.* 2. quòd *adoptionis* nomen deductum sit à juris-peritis, ad scholas Theologicas, ad declarandam illam consignationem, quâ Deus per gratiam sanctificantem, & superinfusam charitatem aliquos homines peculiariter seligit, & destinat ad æternam hæreditatem, tanquam filios proprios & adoptivos: adoptivus enim filius ille dicitur, ait Doctor, *qui non naturaliter genitus ab aliquo, nec ex generatione naturali habet jus succedendi ei in hæreditate & bonis illius, sed illud jus obtinet ex gratia & pura liberalitate adoptantis*; quâ ratione filia Pharaonis Moisem adoptavit in filium Genesis 2. ratione cujus adoptionis Moïses jus habebat ad thronum, & sceptrum Ægypti, ut indicat sanctus Paulus ad Heb. cap. 11. dicens, *Fide Moïses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans Thesaurò Ægyptiorum, improperium Christi*. Pari ratione Deus dicitur aliquos homines adoptare, quando eos acceptat ad hæreditatem vitæ æternæ, qui ex sua natura non exigerent illam hæreditatem ipsis communicari. Unde adoptio divina est, *acceptatio, quâ Deus homines sibi gratos acceptat ad possessionem vitæ æternæ per modum hæreditatis*; quæ adoptionis descriptio quadrat illi, quam tradit Concilium Francofordiense circa finem, ubi ait: *Quid est adoptio nisi charitatis copulatio quâ pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?*

Quæve sit ejus definitio.

Quam utique descriptionem confirmat liber sacro-syllabus in eodem Concilio probatus, in quo dicitur: *Porrò adoptivus dici non potest, nisi ille*

qui alienus est ab eo, à quo dicitur adoptatus. Et gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstatur.

III.
Quadruplex discrimen inter adoptioné divinam & creatam.

Notandum secundo quòd etsi divina adoptio, cum humana in aliquibus quadret, in pluribus tamen ab ea discrepat: *Primò* quidem, quia humana adoptio fit solùm in supplementum sterilitatis, & infœcunditatis; quippe idcirco adoptans sibi alterum in filium seligit & adsciscit, quòd cupiat habere aliquem hæredem locô filii, quem natura ipsi denegat: Deus autem licèt habeat filium naturalem in omnibus sibi æqualem, nihilominus propter eximiam suam charitatem, dignatur nos in filios suos conscribere, & ad hæreditatem proprio naturali filio debitam destinare: nam, inquit Apostolus ad Romanos 8. *Si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei: cohæredes autem Christi.*

Secundum discrimen inter utramque adoptionem, divinam & humanam, est quòd ille qui adoptat nullô modô est principium aut causa naturæ adoptati; imò inter homines introducta fuit adoptio, ut esset solatium sterilitatis, & defectus naturæ aliquo modo suppleretur: at verò Deus ita nos adoptat in filios, ut etiam sit principium secundùm esse naturæ: tametsi ab eo eramus alieni quantùm ad donum gratiæ & justitiæ: quare cùm Deus aliquem adoptat, dicitur adoptare eum, qui alias suus erat per creationem; non tamen per gratiam sanctitatis; & communicans ei gratiam sanctificantem, peculiari quâdam ratione dicitur eum facere suum: Quod præclarè explicat sanctus Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 46. dicens. *Adoptamur in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti & creati, hoc est conditi, ut unum beneficium sit, quô nos fecit esse per omnipotentiam suam: alterum quô adoptavit, ut cum eo tanquam filii vitâ æternâ pro nostra participatione frueremur.* Cùm enim ex solo beneficio creationis non haberemus jus ad vitam æternam, & beatitudinem quæ est hæreditas Dei quam filiis præparavit, ex illo solo non eramus filii adoptivi: sed id obtinemus per justificationem, quâ Dei Filii & ejus hæredes instituimur.

Tertium discrimen inter adoptionem divinam & humanam, est quod ratione humanæ adoptionis, adoptatus non succedit in hæreditate paterna, vivente adhuc patre, sed eô mortuô: in divina verò secùs accidit; nam adoptatus jure filiationis semper vivente Deô, potitur ejus hæreditate & beatitudine. Cujus discriminis ratio est non solùm, quia Deus est immortalis; homo verò morti obnoxius: sed maximè id provenit, quia homo adoptans cùm suis ipse bonis indigeat, neque ea communicare posset adoptato sine sui damno, ideò illa non tradit adoptato dum agit in vivis; cùm autem Deus sit ipsa hæreditas filiorum quos adoptat, vivens seipsum illis communicat per visionem & amorem, absque ullo sui detrimento.

Quartum discrimen assignat Doctor, quòd homo adoptat per novum velle, & absque positione ullius entitatis realis in adoptato: Deus verò adoptat sine ullo velle realiter distinctô, sed per communicationem entitatis alicujus realis, nempe gratiæ sanctificantis, quâ adoptatus formaliter constituitur in ratione adoptati; unde velle divinum non dicitur adoptatio propriè loquendo, sed potius ipsa gratia communicata, velle autem humanum est ipsa adoptatio.

IV.
Tres conditiones ad adoptioné desiderantur.

Notandum tertiò ex Doctore *ibidem*, ad adoptionem tres conditiones desiderari. *Prima* est, quòd talis adoptio sit gratuita; ita quòd adoptans non necessitetur nec astringatur ullâ lege ad aliquem in filium suum & hæredem adoptandum. *Secunda*, quòd in adoptione interveniat mutuus consensus adoptantis & adoptati; si ille qui adoptatur in filium, sit sui juris: si verò sit sub tutela paterna aut sui actoris, necessum est ut interveniat ipsius patris aut actoris consensus, ut cavètur lege in *adoptionibus*, &c. *Tertia* tandem, quòd persona quæ adoptatur, sit extranea, hoc est, quòd non habeat ex natura sua jus ad illam hæreditatem, ad quam adoptatur: quæ tres conditiones etiam desiderantur in adoptione divina:

1. Quòd sit gratuita.

Primò namque illa fit gratuitò, quippe ex sola charitate, & pura misericordia dat nobis æternus Pater gratiam sanctificantem, quâ Filii Dei nominamur & sumus.

2. Quòd fit mutuò grata.

Secundò, justificatio adultorum, qui sunt sui juris, fit cum proprio eorum consensu; justificatio verò parvulorum qui sunt sub cura & tutela Ecclesiæ, fit mediante ipsius Ecclesiæ ministeriô.

3. Quod adoptatus sit extraneus.

Tertiò tandem adoptatus à Deo ad æternam beatitudinem, est extraneus; Attamen illa extraneitas, ut observat Doctor *numerô* 3. non ita intelligenda est, quasi debeat peccatum præcedere gratiam justificationis, alias Virgo Deipara non potuisset censeri Filia Dei adoptiva, quia nunquam contraxit peccatum ante gratiam; nec pariter Adamus potuisset dici filius adoptivus tempore suæ innocentiæ, nec denique Angeli fuissent Filii Dei adoptivi quia semper fuerunt Innocentes. Restat ergo ut talis extraneitas consistat in carentia juris naturalis ad hæreditatem & bona adoptati.

Triplex capitalis sententia.

His ita præmissis, difficultas superest determinanda, utrùm Christus in *quantùm homo*, sit & dici possit Filius Dei adoptivus. Circa cujus resolutionem triplex est sententia. *Prima* quidem eorum qui existimant Christum, in quantùm homo est, non posse dici filium adoptivum, sivè attendatur ejus persona, sivè spectetur ejus natura. Ita *Suares* disputatione 49. & *Vasques* disputatione 89. qui contendit oppositam sententiam esse damnatam ut hæreticam in Concilio Francofordiensi contra Felicem & Elipandum, sed ut apprimè notat Cavellus noster in *Scholio* 3. ad præfatam quæstionem Doctoris, non benè didicit Vasques à sancto Paulo illud, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* *Secunda* sententia est, quòd licèt absolutè & simpliciter Christus non sit dicendus Filius adoptivus Dei; tamen talis dici possit cùm hac reduplicatione, quatenus homo: quam utique sententiam docuit Durandus in 3. dist. 4. q. 1. cui ex parte subscribere videtur Doctor locô suprà laudatô, ubi ait: *Quod qui diceret filiationem esse præcisè suppositi & non secundùm naturam, posset faciliter dicere Christum non esse Filium adoptivum, quia ista relatio non convenit supposito secundùm se: sed dicendo filiationem fundari in natura simili naturæ generantis naturaliter, filiatio adoptiva fundabitur in natura quæ est similis creanti, ut Imago ejus similitudine naturali, & etiam similitudine gratiæ, quâ ipsa ut natura intellectualis, potest attingere ad hæreditatem adoptantis.* Cùm autem distinctione 8. præcedenti loquendo de filiatione naturali numero 10. dixerit quòd non sumitur in creatis à natura, sed à persona, ideò colligunt aliqui ipsum magis propendere in affirmantem sententiam quàm in negantem. *Tertia* tandem sententia est eorum qui contendunt Christum Dominum ut hominem, nec adoptivum, nec naturalem filium dicendum. Ita Lugo dispu-

tatione 31. & Faber disp. 23. Nos verò censemus quæstionem non esse absolutè determinandam, sed duntaxat cum distinctione & modificatione. Unde sit

CONCLUSIO PRIMA.

V. Christus ut homo non est Filius adoptivus.

Christus ut homo non est absolutè dicendus Filius Dei adoptivus. Hæc est communior, & probatur illis omnibus Scripturæ & SS. Patrum authoritatibus, quibus Adrianus Pontifex & Patres Concilii Francofordiensis impugnaverunt pessimam assertionem Elipandi Archiepiscopi Toletani & Felicis Episcopi Urgelitani. Præcipua autem sunt ea quibus Christus Dominus sæpè-numerò coram hominibus loquens de Patre Deo nunquam eum unà nobis communi nomine interpellat, non enim dicit Pater noster, sed Pater meus; Et *ascendo* (inquit Joan. 20.) *ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Non dixit, inquit Adrianus, *Patrem nostrum, sed Patrem* MEUM, *naturà videlicet: & Patrem vestrum, beneficiò & gratiâ:* Quamvis autem locus à negatione parùm roboris plerumque habeat; hîc tamen non parvi momenti est, cùm enim toties Christus Filius Dei dicatur, cur semel & iterum non diceretur adoptatus, si reverà talis esset? Unde rectè sanctus Aug. lib. contra Secundinum Manichæum cap. 3. ait. *Lege*, inquit, *Scripturas, nunquam invenies de Christo dictum, quòd adoptione sit Filius;*

Probatur 1. ex Scriptura sancta.

Quapropter Concilium Francofordiense, in epistola ad Episcopos Hispaniæ, post quoddam sancti Hilarii testimonium ait: *Tu verò quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde iste tibi sensus venisset, voluissem scire: Patriarchæ nescierunt, Tractatores hoc nomen tacuerunt, Doctores fidei nostræ non docuerunt.*

Probat secundò Adrianus ex illo ad Romanos 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* nam si *proprium* appellat, quomodo erit adoptivus? hæc autem referenda esse ad Christum secundùm quòd homo est, colligit Adrianus. *Quia*, inquit, *non est traditus secundum Divinitatem, sed secundum id quod homo erat: illum nimirum qui traditus est hominem, ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur. Confirmatur* authoritate sancti Hilarii 6. de Trinit. ubi expendens ea verba Apostoli ait: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?*

VI. 2. Ex SS. Patribus.

Probatur secundò authoritate SS. Patrum, maximè verò sancti Augustini tract. 2. in cap. 1. Joannis, ad illa verba. *Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, ubi ait, *Non enim nos nati sumus de Deo quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius: ille enim venit Unigenitus, ut solveret peccata: quibus peccatis implicamur, ne non adoptaret nos propter impedimentum eorum.* Loquitur autem sanctus Augustinus de Christo quatenus homo est; nam secundùm humanitatem solùm habuit fratres adoptatos. Unde sic arguit Adrianus, *quomodo per illius gratiam nos sumus adoptati, si ipse consors nobis in adoptionis gratia fuit? nam sicut peccatum non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam non tribueret, si ipse propter hominem quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium habuerit ut gratiam adoptionis acciperet.*

Secundò profert testimonium sancti Gregorii magni lib. 1. Moralium cap. 6. ubi Christo applicans illa verba: *Erat ille vir magnus inter omnes orientales*, ait, *Omnes homines tantummodo homines sunt; ipse autem oriens Deus & homo rectè dicitur: omnes qui in fide Deo nascuntur, superat: quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat.* Idem penè habet sanctus Isidorus lib. de doctrina & fide Ecclesiasticorum dogmatum cap. 2. cujus verba sunt: *Dei filius hominis factus est filius, natus secundùm veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas Unigeniti, non adoptione nec appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, ut esset verus Deus & verus homo unus filius.*

VII. 3. Ratione Doctoris; quia semper Christus habuit jus ad hæreditatem.

Probat Doctor eandem veritatem hac ratione. Ut aliquis adoptetur, necesse est quòd sit extraneus ad id ad quod adoptatur; itaut illius generationem non comitetur aliquid tanquam dispositio conferens jus ad hæreditatem: sed Christus in eodem temporis momento, quô conceptus est, habuit gratiam habitualem quæ conferebat jus ad hæreditatem: ergo Christus etiam secundùm humanitatem non fuit adoptatus: Major patet ex 3. notabili. Minor probatur: nam in primo conceptionis momento Christi humanitas fuit unita Verbo & sic exigebat gratiam sanctificantem.

Repones forsan cum eodem Doctore, quòd illa gratia quæ comitabatur generationem Christi, non fuerit concessa in priori instanti aut signo naturæ, sed in posteriori; & sic in priori illo signo natura humana secundùm se spectata erat extranea, nec habebat jus ad hæreditatem: ergo ut sic poterat adoptari.

Verùm, quamvis huic objectioni non respondeat Doctor, sed solùm dicat *responsionem quære*; tamen dico hæc non sufficere, ut Christus simpliciter, quatenus homo, dicatur Filius Dei adoptivus; quia quantumvis Christus habuerit tantùm in secundo instanti naturæ jus ad hæreditatem, nihilominus in primo instanti habuit dispositionem necessitantem, saltem de congruo, ad illud jus, quæ utique dispositio, non alia fuit quàm exigentia suppositi divini cùm proprio supposito careret.

VIII. Nam in primo instanti naturæ suæ conceptionis habuit jus ad gratiam sanctificantem.

Adde quòd illa prioritas naturæ, quâ priùs concipitur natura humana existens, quàm assumpta à Verbo, non sufficiat ad illam rationem extranei requisitam ex parte adoptandi; nam extraneitas est aliquid extrinsecum præsupponens naturam completam secundùm omnes suos modos intrinsecos, & consequenter natura priùs concipi debet ut completa secundùm subsistentiam quàm dici possit extranea vel non extranea. Igitur cùm in illo priori naturæ non concipiatur natura humana Christi affecta personalitate, nec consequenter intrinsecè perfecta, non potest censeri extranea ad hæreditatem, quippe cùm in illo signo nondum concipiatur hæreditatis capax, sed tantùm in secundo instanti naturæ in quo concipitur habere subsistentiam Verbi, & esse intrinsecè completa: ut sic autem considerata natura, non erat extranea, quia suppositum Verbi quô sustentabatur, ex congruitate exigebat gratiam sanctificantem, quæ conferebat jus ad hæreditatem.

IX. Christus non potest ullatenus dici Filius adoptivus.

Probatur secundò. Si Christus esset Filius adoptivus in quantùm homo, etiam simpliciter dici posset filius adoptivus; quæ enim conveniunt Christo in quantùm homo est, de ipso possunt simpliciter affirmari, nec ullatenus negari debent: nam dicitur simpliciter de ipso quòd passus sit famem, sitim & similia quæ non competebant ipsi, nisi in quantùm est homo seu ratione humanitatis: ergo cùm falsum sit Christum simpliciter esse

filium adoptivum, verum esse non potest quòd sit filius adoptivus etiam in quantùm homo.

Denique maximè cavenda est illa loquendi formula, eaque attributio à Christo eliminanda est, quæ hæresim sapit, aut saltem hæreticorum loquendi modum imitatur: at Christum appellare filium adoptivum, etiam quatenus hominem, sapit hæresim Nestorianam, quæ absolutè pronuntiabat Christum esse Filium Dei duntaxat adoptivum: igitur simpliciter talis non est dicendus.

Objicies primò varias SS. Patrum authoritates, quibus significari videtur Christum esse Filium Dei adoptivum; nam Irenæus lib. 1. adversus hæreses cap. 21. ita disertè pronuntiat: *Propter hoc enim Verbum Dei homo & qui Filius Dei, filius hominis factus est, Mixtus homo Verbo Dei ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* Et Marius Victorinus lib. 1. contra Candidum Arianum sic habet, *Nos adoptione filii, ille naturâ, etiam & adoptione quâdam filius & Christus, sed secundum carnem:* Et Hilarius 2. de Trinitate post medium ait: *Potestatis Divinitas non amittitur dum carnis humilitas adoptatur*, scilicet in Christo. Ex quibus saltem colligitur humanitatem Christi fuisse adoptatam.

X.
SS. Patres dum aiunt Christum esse filium adoptivum, benignè sunt interpretandi.

Respondeo sanctos Patres impropriè adoptionem usurpare, non verò secundùm strictam illius significationem, quippè Irenæus & Victorinus ipsam substantialem unionem humanitatis cum Verbo, ipsius humanitatis adoptionem appellant. At si Christus esset Filius adoptivus, illius adoptio non esset præcisè petenda ex unione hypostatica: siquidem illa per se non confert rationem divinæ filiationis, tum quia ut probatum est, Verbum potuit assumere quamlibet naturam non rationalem, in hac autem hypothesi non posset natura irrationalis assumpta dici Filia Dei; tum quia unio cum persona quæ est filius naturalis magis conferre censetur filiationem naturalem quam adoptivam. *Ad sanctum Hilarium* dico lectionem illam videri mendosam; nam quamvis in aliquibus codicibus sit illud *adoptatur*; in aliis tamen legitur *adoratur*, in quo facilè potuit incuriâ scriptorum error irrepere. Cui responsioni suffragatur ipsemet Hilarius, nam verba faciens de Christi Nativitate secundùm carnem, ait: *Aliud intelligitur, aliud videtur: aliud oculis, aliud animo conspicitur: parit virgo, partus à Deo est: infans vagit, laudantes Angeli audiunt; panni sordent, Deus adoratur: ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur;* ubi particula *dum* vim habet causalis, perinde ac particula *siquidem:* reddit ergo optimè causam cur dignitas potestatis non amittatur per humilitatem partûs & vagitûs dicens, *dum carnis humilitas adoratur.*

Objicies secundò varios Scripturæ textus, quibus Christus prædicatur inferior Patre, sic Joannis 14. *Pater major me est:* sed non est inferior Patre ratione filiationis naturalis, quippè per eam ipsi est æqualis: igitur debet ipsô censeri inferior ratione filiationis adoptivæ. *Deinde* ad Romanos 8. Christus dicitur cohæres noster: *Si filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* sed non est cohæres noster secundùm naturam & filiationem divinam: ergo secundùm humanam. *Denique* eôdem c. 11. v. 29. Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus*, id est, in omnibus filiis prædestinatis: ergo Christus est primus in omnibus filiis adoptivis ratione gratiæ & gloriæ; & consequenter reverà est filius adoptivus.

XI.
Quâ ratione Christus D. dicatur inferior Patre.

A *Respondeo* ex his & similibus Scripturæ textibus, nihil contra nostram assertionem inferri. Non quidem ex primo, nam cùm illa verba objecisset Elipandus, *Pater major me est*, Patres Concilii Francofordiensis responderunt illa non fuisse à Christo dicta propter adoptionem, sed propter formam servi quam Christus ut homo habuit; nam, ut inquiunt, *Deus & homo erat qui secundùm Deum dicebat, Ego & Pater unum sumus, & secundùm hominem, Pater major me est:* igitur illa inferioritas non est refundenda in rationem adoptionis, sed in assumptionem humanitatis.

Et cohæres noster.

Ad alios contextus dico Christum non appellari *nostrum cohæredem & confratrem*, quòd sicut nos sit B filius adoptivus, sed quia ut Filius Dei naturalis, eundem habet Patrem quem nos filii Dei adoptivi agnoscimus: & jus habet ad eandem hæreditatem, at multò præstantiùs quàm nos; quippè jus illius fundatur in sua filiatione naturali; nostrum verò in gratuita adoptione. Quæ responsio patet à simili: si quis enim hominum, v. g. filium à se genitum habens, nihilominùs alios adoptaret ex consensu, & voluntate ipsius filii: quamvis ille filius esset naturalis, nihilominus dici posset primogenitus inter fratres adoptivos, quia illorum adoptio facta esset duntaxat ex ejus beneplacito & nutu, & priùs habebat jus ad hæreditatem quàm illi quorum est cohæres: idem autem dici C potest de Christo Filio Dei naturali, cujus beneficiô in Dei Filios adoptivos sumus consignati.

Objicies tertiò, Christus *prædestinatus est Filius Dei*, ad Romanos 1. sed prædestinatio est adoptio: ergo Christus est Filius Dei adoptivus: nam prædestinare est ad hæreditatem adoptare: igitur reverà Christus est Filius Dei adoptivus.

XII.
Plura desiderantur ad adoptionē quam ad prædestinationem.

Nego minorem, plura enim requiruntur ad adoptionem, quam ad prædestinationem; nam ad adoptionem requiritur quod adoptatus sit extraneus, ad prædestinationem verò solùm desideratur quòd aliquis eligatur ad gloriam, sive interim ille sit extraneus, sive non. Ad probationem D dico, quòd prædestinare est adoptare, quando natura prædestinati habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem, concedo: quando verò non habet, nego: Christus autem non habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem; quippè cùm jus ad hæreditatem in ejus naturali filiatione fundetur: igitur neganda est consequentia.

Objicies quartò. Omnis humanæ naturæ dignitas est tribuenda Christo: sed dignitas est in homine quòd sit Filius Dei adoptivus, quia non convenit alicui naturæ non intellectuali: ergo illa Christo est tribuenda.

XIII.
Non omnis dignitas est admittenda in Christo. Sed solùm quæ non habet annexam imperfectionem.

Distinguo majorem similiter & minorem. Dignitas est esse filium adoptivum, dignitas, inquam, arguens aliquam imperfectionem, concedo: di- E gnitas est sine imperfectione, nego: minùs enim dignum ac gloriosum est, esse filium adoptivum quàm naturalem. Igitur neganda est consequentia. Non enim omnis dignitas arguens imperfectionem debet admitti in Christo; sed solùm illa quæ arguit imperfectionem necessariò consequentem ad naturam humanam: dignitas autem adoptionis supponit extraneitatem, quæ est imperfectio non necessariò consequens naturam humanam: igitur illa non debet in Christo admitti.

Objicies quintò, Eatenus Christus est Filius Dei naturalis, quatenus est genitus à Deo Patre: at non est genitus à Deo Patre quatenus homo: ergo ut sic est Filius Dei adoptivus, non autem naturalis.

Respondent aliqui cum Vasquesio cap. 12. & 13. negando minorem: quia, inquiunt, natura humana Christi subsistit in Verbo quod est Filius Dei naturalis, & à Patre Deo genitus; nam esse Filium Dei naturalem contingit duobus modis: *Primò modò* strictè & propriè quatenus dicit genitum à generante intellectuali naturaliter: *Secundò modò* minùs propriè, quatenus significat aliquid personaliter unitum ei quod dicitur genitum naturaliter: priori modô Christus ut, homo non est Filius Dei naturalis: secundô autem modô talis dici potest.

XIV. Qualiter sit verū quòd Christus ut homo sit Filius naturalis Dei.

Respondeo insuper, quòd si illa propositio, *Christus ut homo, est Filius Dei naturalis*, sic accipiatur ut significet, quòd homo ille unitus Verbo, non tantùm habeat gratiam habitualem per quam est adoptatus ad hæreditatem, sed etiam habeat gratiam unionis hypostaticæ, per quam dicitur Deus; certè hôc sensu, Christus ut homo, est Filius Dei naturalis, quia est unitus personaliter Filio Dei naturali: si verò sic intelligatur hæc propositio: Christus secundùm quòd homo est, id est, specificativè, natura humana Christi est filia naturalis Dei, in hoc sensu, propositio illa falsa est, nam humanitas Christi non est genita à Deo, sed a beata Virgine. *Vnde* absolutè loquendo, permitti posset minor & negari consequentia, quia cùm inter filiationem simpliciter naturalem & simpliciter adoptivam detur medium, nimirum esse Filium Dei, non absolutè naturaliter, sed per participationem filiationis naturalis, quomodo Christus ut homo, est Filius Dei propter unionem humanitatis cum persona Filii naturalis Dei, sequitur quòd illatio sit vitiosa cùm argumentum non fiat ex justa distributione.

Objicies sextò: Manent naturæ impermixtæ in Christo, nec mutuò suas proprietates præpedientes: sed *adoptari* est proprietas naturæ habentis gratiam: ergo potest dici de Christo quòd adoptetur ratione naturæ humanæ ipsius quæ habet gratiam, non minùs quàm potest dici de ipso, ratione naturæ divinæ quòd sit Filius naturalis.

XV. Proprietates necessariò naturā divinam & humanam consequentes, sunt in Christo.

Distinguo majorem: Manent naturæ impermixtæ non impedientes proprietates suas necessariò & connaturaliter ex ipsis consequentes, concedo: proprietates suas, hoc est, illa omnia quæ possent illis naturis competere, nego: Minorem similiter distinguo: Adoptio est proprietas necessariò & connaturaliter consequens naturam habentem gratiam sanctificatem, quando illa natura extranea est ad hæreditatem, concedo: secùs, nego. Unde neganda est consequentia, siquidem natura humana Christi, ut completa est per subsistentiam Verbi non babet illam extraneitatem.

XVI. Subtilis Doctoris sententia est Christū non esse Filium Dei adoptivum.

Objicies denique: Doctor subtilis docet Christum ut hominem posse dici Filium Dei adoptivum, ut videre est *locis jam laudatis*; & *insuper* in 3. dist. 8. ubi docet filiationem non sumi in creatis à persona, sed à natura: hinc veteres illius Discipuli, nempe *Tartaretus, Major, Bassolis*, &c. eandem sententiam tuentur: igitur nostra assertio in eum militat.

Nego antecedens: Doctor enim laudatâ *quæstione* 10. resolvit cum Magistro Christum non esse Filium Dei adoptivum; *Quia*, inquit, *tunc esset Filius Trinitatis, quia tota Trinitas adoptat & agit omnem actum ad extra*, & ibidem solvit omnia argumenta quæ ipsemet pro adversa parte formaverar: unde *Pytigianus* disputatione 10. *Faber* disp. 23. *Rada* 3. parte Controversiæ 3. art. 2. & *Poncius* in Commentario, pro nostra assertione militant fatenturque Doctorem hac in sententia esse problematicum; nihilominus in negantem partem magis propendere; nam ipse Doctor in 3. dist. 2. quæst. 1. num. 11. cùm dixisset, *Non necesse est quòd si Filius Dei est filius hominis, quòd ille idem filius hominis sit Filius Dei per gratiam.* Addit, *Fortè enim negaretur de eodem determinatè: imò nec conceditur quod Christus sit Filius Dei adoptivus*: igitur falsum est quòd nostra assertio Doctoris menti & doctrinæ adversetur. Hinc apparet quàm graviter exorbitent plurimi Recentiores utriusque scholæ, dum subtilem Doctorem pro opposita sententia absolutè laudant.

Conclusio Secunda.

XVII. Non est de F de Christum non esse Filium Dei adoptivum.

Non est certum certitudine fidei, Christum quatenus hominem, non esse dicendum Filium Dei adoptivum. Hæc est contra Vasquesium & alios ipsius sequaces.

Probatur primò. Si illa propositio esset de fide, maximè quia censeretur definita in Concilio Francofordiensi contra Felicem & Elipandum: sed hæc ratio nulla est: igitur, non est certum de fide quòd Christus, quatenus homo non sit dicendus Filius Dei adoptivus: Majorem admittit Vasques cap. 6. & 7. disputationis 84. Minor verò probatur: Primò plurimi Doctores etiam post illud Concilium, ut Alensis, Albertus, Richardus, & alii censuerunt esse probabile quòd Christus in quantùm homo dici posset Filius Dei adoptivus; nec ullus ex Antiquis damnavit ut hæreticam, sententiam Durandi qui hujusmodi adoptionem Christo assertivè tribuit.

Id namque non fuit definitum in Concilio Francofordiensi.

Nec vales reponere illos Authores ignorasse definitionem Concilii Francofordiensis, cùm nullam ejus mentionem fecerint. *Dico* enim id non esse verisimile; nam licèt credi possit eos fortè non legisse Acta ipsius Concilii, quæ duntaxat *annò* 1567. Surius ex antiquissimo & vero exemplari transumpta excudi curavit; tamen vix credi potest eos non legisse historias & scripta eorum omnium, qui hæresim Felicianam impugnârunt, aut de ea sermonem instituerunt, quales nedum fuerunt *Beatus*, & *Heterius* qui adversus Elipandum primi insurrexerunt & dictis ac scriptis generosè impugnaverunt: sed & Carolus Magnus Imperator, cujus operâ damnata est illa hæresis. Nec-non & Jonas Aurelianensis, ac plurimi alii Authores qui adversus Elipandum & Felicem scripserunt, quos certè omnes, vix credi posset, ipsis peritissimis Doctoribus ignotos fuisse.

XVIII. Felix & Elipandus idcirco damnati quòd Nestorianā hæresim instaurarent.

Secundò, quanquam in illo Concilio damnati fuerint Felix & Elipandus asserentes Christum esse Filium Dei adoptivum; tamen sufficiens non videretur fundamentum ad asserendam illam propositionem, ut ab aliquibus Theologis assertam, esse respuendam ut hæreticam, quia licèt Felix & Elipandus ab eo Concilio damnati fuerint, ac proscripti ut hæretici, quòd assererent Christum esse Filium Dei adoptivum; illa tamen damnatio non præjudicat nostræ assertioni: nam Felix & Elipandus, idciro damnati sunt in hoc Concilio, quòd Nestorii hæresim instaurarent & duas in Christo astruerent personas, seu duo supposita juxta duas naturas, humanam scilicet & divinam, quas habuit, uti docent *Suares* disp. 49. sect. 3. *Valentia* quæst. 10. *Baronius* ad annum Christi 783. num. 5. & 6. item annô 794. *Mariana* lib. 7. de rebus Hispaniæ, imò & *Surius* ipse in annotationibus supra hoc Concilium quod

etiam evinco ex actis illius Concilii, quæ consistunt in quadam epistola ad Episcopos Hispaniæ: item in epistola Adriani Papæ, nec-non in libro *sacro-syllabo*, cujus author est Paulinus Aquileiensis qui una cum 300. Episcopis ex Germania & Gallia Concilio Francofordiensi adfuit. Probo, inquam, ex his actis Felicem & Elipandum ideo damnatos; quòd Nestorii hæresim innovarent.

Ut probatur 1. ex epistola Concilii Francofordiensis ad Episcopos Hispaniæ

Primò quidem ex epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ: Patres enim Elipandum & ejus asseclas alloquentes columnâ secundâ aiunt; *Invenimus in libelli vestri principio scriptum, quòd vos posuistis, Confitemur & credimus, Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coæternum, & consubstantialem, non adoptione, sed genere. Item post pauca in eodem legebatur, Confitemur & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei, sed adoptione, non naturâ sed gratiâ.* Et col. 4. *Quia hominem Christum verum Dei Patris Filium esse negatis, vobis defensor esse noluit.* Et inferiùs col. 25. *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est etiam & damnata?* Et addit, *Quapropter fortè illum anathematizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium & Sabellium Manichæumque qui pravè de Filio Dei senserunt, Epistolâ vestrâ anathematizastis:* In his satis insinuatur, Felicem & Elipandum errasse circa veritatem ipsius mysterii Incarnationis, & in Nestorianam hæresim vel apertè, vel simulatè incidisse.

2. Ex libro *sacro-syllabo*

Idem probatur ex libro *sacro-syllabo*: nam columnâ tertiâ de Felice & Elipando dicitur. *Hæresim veternosam illustrium Virorum calcibus mirabiliter inculcatam Catholicâque falce olim funditus detruncatam spinosè moliuntur rediviva radice suscitare de stirpe.* Et columnâ 8. *Non duo Filii; alius Dei, alius hominis, ut, sicut illi errando æstimant, adoptivus sit hominis Filius & sine adoptione Dei Filius.* Quibus significatur quòd apertè Verbum, ut Filium naturalem ab homine filio adoptivo Felix & Elipandus distinguebant, quemadmodum veteres Nestoriani.

3. Ex epistola Adriani summi Pontificis.

Idem colligitur ex epistola *Adriani*, nam in principio epistolæ Pontifex agens de hæreticis quos impugnat; *Non sunt*, inquit, *ex hominibus, quos Pater dedit illi, qui eum adoptivum, & non proprium Filium confitentur; quasi alienus aliquando à Patre fuerit:* ergo sententia hæreticorum illorum erat quòd persona Christi qui erat homo non erat proprius Filius Dei, sed tantùm adoptivus. Quod utique apertè significat Pontifex authoritatibus SS. Patrum, quibus suam sententiam tuetur & oppositam ut hæreticam expugnat. Profert enim sanctum Athanasium dicentem, *Siquis verò adversus divinas Scripturas docet alium esse Filium Dei, & alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundùm gratiam adoptatum, sicut nos, quasi essent duo Filii, hunc anathematizat sancta Ecclesia.* Profert item authoritatem sancti Gregorii Nazianzeni, ita scribentem ad Cledonium, *Si quis introducit duos filios; unum quidem qui ex Deo & Patre; secundum verò qui ex matre & non eundem ut adoptionis excedat gratiam, quæ promissa est his qui rectè credunt, alienum eam à nostro consortio judicamus; natura verò dua Deus, & homo, Filii verò non duo, &c.* Sed hæ & similes authoritates, quas profert Pontifex, non urgerent adversarios, nisi reverà duas in Christo personas admisissent: igitur ut Nestoriani duas in Christo personas admittebant.

4. Ex doctrina Felicis & Elipandi.

Confirmatur, quia hæretici isti considerabant *Primò* Christum secundùm humanitatem, tanquam hominem purum, imò & servum & leprosum; & *posteà* adoptatum in Dei Filium, & *tandem* conjunctum Filio Dei naturali, non quidem personaliter, sed affectivè & per eximiam Dei gratiam, quò fiebat ut esset *homo Deificus*, non autem *homo-Deus*: sed hæc non fuissent vera nisi admisissent duas in Christo personas; humanam unam, divinam alteram, ut admittebant veteres Nestoriani: igitur reverà Nestoriano errore erant infecti. Probatur antecedens: Primò quidem ex libro *sacro-syllabo*, nam columnâ secundâ legimus, *Asserunt igitur, sed fictis assertionibus irretiti, Dominum nostrum Iesum Christum adoptivum Dei Filium de Virgine natum, quod divinis nequeant approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum: quod dici nefas est, quia de beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem:* Aut certè, *purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitari impium est, necesse est fateantur:* nulla autem esset hæc ratiocinatio, si hæretici illi reverà duas in Christo personas non admisissent, & personam filii adoptati distinxissent à persona Filii Dei naturalis.

5. Ex Authoribus qui eos hæreticus impugnaverunt.

Confirmatur insuper ex illis authoribus, qui vel Elipandi hæresim impugnaverunt, vel de ea mentionem fecerunt: *Primò* namque Alcuinus, cujus operâ Carolus Magnus motus est ad illam hæresim reprimendam, ut conqueritur ipsemet Elipandus epistolâ ad ipsum Alcuinum datâ; ita lib. 1. adversus Elipandum scribit; *Admones me*, inquit, *non piò, ut videtur, animò, sed severâ invectionis castigatione gloriosum Regem Carolum nos corrumpere: non ego illum corrumpere veni in Franciam, qui corrumpi non potest, sed adjuvare in fide Catholica: impossibile est enim ut corrumpatur à quoquam, quia Catholicus est in fide, Rex in potestate, Pontifex in prædicatione, Iudex in æquitate, & Philosophus in liberalibus studiis, Inclytus in moribus, & in omni honestate præcipuus.* Subdit deinde qualiter ante ipsius accessum in Franciam, illa hæresis damnata fuerat in Concilio Ratisbonensi annô 792. & coram Adriano summo Pontifice, ubi semel & iterum Felix illam hæresim ejuraverat: sed postmodum sopitos infidelitatis cineres (agente Elipando) instar canis ad vomitum, & lotæ suis ad volutabrum, cùm rursus excitasset, ad eum epistolam exhortatoriam dedit Alcuinus: cui Felix non epistolari brevitate, sed libelli prolixitate respondere visus est, inquit Alcuinus, *atque in eo omnes perfidiæ vestræ foveas maximè aperuit, asserens Christum & veterem hominem & nuncupativum Deum & adoptivum filium, & secunda indiguisse regeneratione, & alia plurima doctrinæ Ecclesiasticæ inconvenientia: cui libello ejus septem nostræ devotionis libellis respondimus, omnes vestræ pravitatis evacuans doctrinas:* Quibus constat qualiter illi hæretici Christum non hominem Deum, sed hominem Deificum, ut veteres Nestoriani asserebant.

Alcuino.

Egregia Caroli Magni commendatio.

Jona Aurelianensis.

Idem colligitur ex *Iona Aurelianensi*, librô 1. *de cultu imaginum*, ubi agens de illa hæresi Feliciana ait: *Emersit ex Hispania tempore sanctæ memoriæ piissimi atque invictissimi Augusti, quidam Felix nomine, actu infelix Vrgelitanensis civitatis Episcopus, qui junctò suo sceleratissimo errori Eliphandô Toletanæ urbis Episcopô, secundùm humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum prædicare ausus est: Et hæc virulenta doctrina utramque Hispaniam magna ex parte infecit.* (Subdit infrà.) *Milites Christi invictissimi armis muniti . . . ejusdem Principis jussu in unum coacti, adhibitâ etiam*

sanctâ Romana Ecclesia author tate, eundem Felicem damnârunt; imò cum authore sui erroris Nestoriô, quem imitatus est, perpetuo anathemati mancipârunt. Idem refert Sigebertus in suo Chronico ad *annum* 793. ubi sic. Scribit. *Feliciana heresis condemnata in præsentia Adriani Papæ ab ipso Felice authore abdicatur. Hæc heresis asserebat Filium Dei in divina natura verum Deum esse, in humana verò nuncupativum. Item in divina natura verum esse Filium Dei, in humana verò adoptivum, unum personam Dei & hominis dividens in duas personas, scilicet veri filii & adoptivi.* Idem referunt sanctus *Antoninus.* 2. parte historiæ tit. 14. cap. 1. *Paulus Æmilius* lib. 2. *Nauclerus* generatione 27. & alii.

Sigeberto.

Proponitur prima Adversariorum evasio.

Reponunt cum Vasquesio illi qui contendunt illos hæreticos non admisisse duas in Christo personas, sed tantùm asseruisse Christum, quatenus hominem, non esse Filium Dei naturalem, sed adoptivum. Reponunt, inquam, *Primò* illos authores qui in Felicem & Elipandum pugnaverunt, Nestorianum errorem ipsis attribuisse, non quòd illum docerent, sed quia docebant aliquid ex quo error ille videtur inferri.

Et præcluditur.

Contrà. Si illi hæretici omninò confessi fuissent unionem naturarum in Christo secundùm subsistentiam unicam, & solùm ex mala intelligentia nominis *adoptionis*, Christo tribuissent, filiationem adoptivam, non erat cur Nestorianus error eis affingeretur. *Insuper,* cur non aliquis vel Patrum Concilii Francofordiensis, vel Authorum, qui in eos pugnaverunt, maximè verò Alcuinus eruditissimus, cui perspicua erat hæresis Feliciana, ejusmodi hæreticam deceptionem & assertionem aperuisset & apertè explicasset? at nullus ita illius hæresis virus explicat, sed unanimi calculô, ut suprà dictum est, docent illius hæresis assertores Nestorianismum innovasse, asserendo Christum hominem eôdem prorsus modô fuisse filium adoptivum, licèt præstantiori gratiâ, quô sunt alii homines justi.

Maximè ex Epistola ipsius Elipandi.

Adde quòd idipsum ipsemet Elipandus docuit in Epistola sua ad Carolum Regem. Ejus verba hæc referuntur in Epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ columnâ 3. *Ex Patre Unigenitum sine adoptione, primogenitum verò in fine temporis, verum hominem assumendo de Virgine carnis adoptionem, Unigenitum in natura, primogenitum in adoptione & gratia.* Quibus verbis planè docet hominem illum fuisse Deo unitum & ab eo assumptum solâ adoptionis gratiâ. Quòd verò illam adoptionem nostræ similem judicaverit Elipandus, colligitur ex columna 2. ejusdem epistolæ, ubi refertur Elipandum in sua epistola exposuisse illud 1. Joannis 3. *Similes ei erimus*, id est, inquiebat, *similes in carnis adoptione, non similes in Divinitate.* Non est ergo cur illum à Nestoriano errore liberare tantopere laborent.

Secunda evasio.

Reponunt secundò ex confessione fidei ipsius Elipandi quæ inserta est in lib. Beati & Etherii, quam integram refert Vasques cap. 2. suprà laudatæ disputationis, apparere quòd Elipandus unicam in Christo personam admiserit, ait enim: *Homo interior in una eademque Dei & hominis persona adglomeratus atque carnis vestimentô indutus.*

Evertitur.

Respondeo callidè & hæreticâ vafritie ipsum unicam in Christo dixisse personam, eô modô quô unitatem personæ in Christo admittebat Nestorius. Nam ut testatur S. Thomas 3. parte quæst. 2. art. 6. *Si fiat vis in nomine* PERSONÆ, *etiam Nestorius utebatur unitate personæ*

A *propter unitatem dignitatis & honoris. Unde etiam sexta Synodus definit anathema in eum qui dicit unam personam secundùm dignitatem & honorem & adorationem: sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt:* Potuit ergo similiter Elipandus hac arte ponere unitatem personæ, quâ faciliùs orthodoxos Patres luderet, & sententiam damnationis caveret.

Ex ipsamet Elipandi Confessio, nc.

His adde, quòd verba illa in una eademque Dei persona adglomerata, non plus significent quàm unionem accidentalem. Nec etiam se aliud intendere declaravit ipsemet Elipandus, subdit enim in eadem confessione, *Quia non per eum qui* B *natus est de Virgine visibilia & invisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, sed genere; neque gratiâ sed naturâ, & per istum Dei simul & hominis filium adoptivum humanitate & non adoptivum Divinitate mundum redemit:* Et infrà: *Si conformes sunt omnes sancti huic Filio Dei secundum gratiam & cum adoptivo adoptivi & cum advocato advocati, & cum Christo Christi, & cum parvulo parvuli & cum servo servi;* ubi planè videtur, nos Christo exæquare in adoptione; imò illô tam indignô loquendi modô, de Christo, nihil ampliùs quàm de puro homine sentire videtur; quippè *ibidem* scribit quòd Deus Christum nonnullæ C actionis suæ mysteria nescire voluit.

Tertia responsio.

Reponunt denique: Si Elipandus & Felix fuissent Nestorianô errore infecti, non opus fuisset tot Concilia cogere, nec scribere tot libros ad eorum errorem revincendum & eliminandum; facillimum enim fuisset illos ut hæreticos notare ac convincere, tum antiquis definitionibus contra Nestorium, tum Scripturæ testimoniis quibus demonstratur tantùm esse in Christo unam personam. At verò Concilium Francofordiense non ita procedit; sed potiùs ex unitate personæ Christi, quam Elipandus non negabat, & proprietatibus ac vera definitione adoptionis quas D ignorasse videtur, colligit Concilium, non posse Christo convenire adoptionem: & ad hoc tandem inconveniens deducit, quòd si Christus filius adoptivus censeatur, etiam sit in duos filios dividendus. *Addunt*, quòd cùm jam in Ecclesia, præsertim Latina funditus eversus esset Nestoriani error, quomodo à Concilio & Episcopis Latinis sperare poterat Elipandus suæ doctrinæ confirmationem, si eadem cum Nestorio sensisset? quâ fronte apud Carolum magnum Principem valde Catholicum, & maximum Ecclesiæ defensorem egisset, ut Concilium congregari juberet, in quo ejus doctrina approbaretur?

Solvitur.

E *Respondeo* equidem Elipandum & Felicem non disertis verbis fuisse professos errorem Nestorii, nec asseruisse expressè duas in Christo hypostases aut duo supposita, vel unionem accidentalem; sed tantùm usos fuisse nomine *adoptionis*, quam tamen ita declarabant, ut planè in re nihil aliud quàm Nestorius sentirent; quia neque eam à nostra adoptione distinguebant, ut suprà probatum est: neque illam soli humanitati attribuebant, sed cuidam homini, quem servum & priorem tali unione seu adoptione esse dicebant. Hinc non mirum si Elipandus ausus fuerit judicium & approbationem Concilii postulare, quia fortè non intelligebat quid ad suum errorem consequeretur, aut propriâ hæresi ac vanâ gloriâ excæcatus sperabat fore, ut suis verborum involucris, alios faciliùs deciperet. Et eandem ob causam Concilium non solùm usurpavit testimonia & definitiones contra Nestorium factas ad confundendos

dendos illos hæreticos, sed etiam studuit declarare qualiter in re nil aliud quàm Nestorius dicerent.

QUÆSTIO III.

Utrum in Christo sint duæ filiationes, una æterna ad Patrem, alia temporalis ad Matrem?

I. Unde sit petenda Relationum distinctio.

NOtandum primò, vel potiùs repetendum ex us quæ diximus in Logica ex Doctore in 4. *dist. 6. quæst.* 10. relationes, sicut & cætera entia, essentialiter & numericè distingui per suas differentias essentiales & individuales: sed quoniam propter exiguam relationis entitatem ipsæ differentiæ nos latent; solùm innotescere possunt, vel per terminum solum, vel per fundamentum solum, vel per terminum & fundamentum simul. *Certum* est autem quòd ad multiplicationem fundamentorum multiplicentur relationes; propterea quod idem numerô accidens nequeat esse naturaliter in diversis numerô subjectis; maximè veró accidens relativum, quia accidentia relativa sunt essentialiter denominationes actualés eorum: ideoque diversum numerô fundamentum sufficit ad colligendam diversitatem numericam relationum. An autem etiam multiplicentur relationes ad multiplicationem terminorum ejusdem speciei, non est ita constans apud Philosophos & Theologos: verior tamen apparet sententia Doctoris affirmantis quòd ubi sunt diversæ rationes terminandi & fundandi, ibi sunt diversæ relationes: sed in patre habente tres filios v.g. sunt tres rationes fundandi, scilicet tres generationes activæ; similiter sunt tres rationes terminandi, nempe tres generationes passivæ: igitur sunt tres paternitates. Quam utique veritatem sufficienter probavimus & asseruimus in nostra Logica. Difficultas igitur præsens movetur an in Christo sit duplex sufficiens fundamentum ad multiplicandas relationes filiationis; ita quòd per unam filiationem referatur ad Patrem æternum ratione suæ divinæ generationis; per alteram veró referatur ad Matrem ratione generationis temporalis.

II. Variæ authorũ sententiæ de filiatione Christi.

Notandum secundò, circa præsentem difficultatem tres maximè esse Authorum sententias. *Prima* est nostri Alexandri Alensis 3. part. qu. 10. memb. 3. docentis Christum Dominum, quatenus Verbum, referri relatione reali, unica ad Patrem, & ad Matrem. *Secunda sententia* est sancti Thomæ 3. part. quæst. 25., art. 9. docentis Christum referri quidem ad Patrem & ad Matrem duplici relatione; verumtamen relationem quâ refertur ad Patrem esse realem, illam vero quâ refertur ad Matrem esse rationis: Cui subscribere videtur sanctus *Bonaventura* in 3. dist. 8. art. 2. *Tertia* tandem est Doctoris subtilis eâdem distinctione *num.* 10. ubi ait: *Ego dico quod alia est filiatio in Christo ad Patrem, & alia ad Matrem & utraque est realis.* Cui præter discipulos subscribunt ex Recentioribus Lorca disp. 24. Suares disp. 12. dist. 2. & plures alii.

III. Filiatio fundari potest non solùm in persona, sed etiam in natura.

Notandum tertiò filiationem non requirere suppositum tanquam proprium subjectum, sed posse immediatè inesse naturæ tanquam subjecto; quod utique probat Doctor *num.* 3. Quia, *inquit*, filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali: at major est similitudo inter naturam productam, & producentem, quàm inter suppositum producens & productum, quia illa similitudo inest duobus suppositis duntaxat ratione naturæ: igitur relatio filiationis immediatiùs subjectatur in natura quàm in supposito. Duo igitur hîc sunt statuenda: *Primum* quòd in Christo sint duæ relationes, quarum una refertur ad Patrem, altera veró ad Matrem. *Secundum* quòd illæ duæ relationes sint reales.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. In Christo D. sunt duæ relationes; una quidẽ æterna ad Patrem, altera temporalis ad Matrem.

CHristus duplici relatione refertur, unâ quidem æternâ ad Patrem; alterâ vero temporali ad Matrem. Ita Doctor, *probatque* conclusionem *primò*. Filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura cognitiva: sed in Christo sunt duæ habitudines hujusmodi, una quatenus est productus ut Deus à Patre æterno, cui similis est in natura intellectuali divina: altera quatenus est productus ut homo à beata Virgine, cui similis est in natura intellectuali humana: ergo sunt in ipso duæ filiationes. Major patet, quia, inquit Poncius in comment. omni & soli filiationi convenit prædicta descriptio, ut apparet ex ejus explicatione; dicitur enim *habitudo producti*, quia sicut paternitas est habitudo producentis; ita filiatio est habitudo producti: dicitur *naturaliter*, si enim non produceretur naturaliter, quamvis esset similis in natura producenti, non esset filius: exinde namque Spiritus sanctus non est Filius, quamvis sit similis Patri in Divinitate, quia non est productus naturaliter. Additur *similis producenti*, quia vermis quantumvis producatur naturaliter a Sole, non tamen dici potest filius Solis, eò quòd non sit ipsi similis in natura: dicitur denique *in natura cognitiva*, seu intellectuali; quippe juxta communem acceptionem filiationis, sola substantia intellectualis & cognoscitiva potest appellari *filia*. Minor etiam constat; tot enim sunt in Christo habitudines, quot sunt origines à distinctis principiis: at duæ sunt in Christo origines, una quidem æterna, quâ naturam divinam accipit à Patre; altera veró temporalis, quâ humanitatem recipit à Matre: quapropter sanctus Damascenus lib. 3. cap. 7. ait, *duas generationes Christi veneramur*: igitur etiam in eo sunt duæ filiationes.

1. Quia definitio filiationis utrique congruit.

2. Quia sunt termini distincti diversam relationem connotantes.

Probat secundò Doctor. Christus præter filiationem æternam habet aliam, quâ refertur ad Matrem: ergo habet duas filiationes. Antecedens constat: Siquidem Christus est Filius beatæ Virginis; consequentia veró probatur. Christus cùm sit Filius Virginis, ad eam refertur per relationem filiationis: sed non potest ad illam referri per filiationem æternam; quia Filius divinus per suam filiationem æternam non magis referri potest ad beatam Virginem à qua generatur temporaliter, quàm refertur Pater æternus ad eam per suam paternitatẽ, si itidem generaretur à beata Virgine & ab ea genitam humanitatem assumeret: at in illa hypothesi Pater æternus non diceretur Filius Virginis, nec ad eam referretur per suam paternitatem: ergo nec Filius divinus potest ad eam referri per suam filiationem æternam.

Confirmat Poncius hoc argumentum Doctoris, quia si Pater assumpsisset naturam humanam à beata Virgine genitam, uti facere potuit, sicut probavimus supra, Pater reverà esset homo, & quatenus homo esset Filius beatæ Virginis: igitur

3. Quia filiatione æternâ Verbum non potest referri ad Matrem.

haberet aliquam formam à qua diceretur Filius ipsius: sed illa forma quâ denominaretur Filius Virginis, non posset esse paternitas æterna: ergo deberet esse alia relatio ab ipsa paternitate distincta: sed Christus nunc habet talem formam, quàm haberet Pater si de facto esset genitus à beata Virgine, sicut Christus ab ea de facto est genitus: ergo reverà Christus præter filiationem æternam quâ refertur ad Patrem, aliam habet temporalem quâ refertur ad Virginem.

4. Quia in eo sunt duæ nativitates perfectæ.

Probat tertiò Doctor. In Christo sunt duæ nativitates & duæ naturæ productæ: ergo pariter in eo sunt duæ filiationes. Antecedens est de fide. Consequentia verò probatur. Multiplicatis fundamentis & terminis quantumcumque subjectum remaneret idem, etiam multiplicantur relationes: at si Christus sit bis genitus, multiplicantur in eo fundamenta & termini filiationum: ergo multiplicantur quoque filiationes. Major est evidens: non enim aliâ ratione Pater divinus idem remanens duplici relatione refertur ad Filium & ad Spiritum sanctum, quàm quia multiplicantur fundamenta proxima, nimirum generatio & spiratio activa: multiplicantur etiam termini, nimirum Filius & Spiritus sanctus: subindeque multiplicatis fundamentis & terminis multiplicari debent filiationes. Minor etiam probatur. Fundamentum proximum filiationis est esse genitum in natura intellectuali: sed ex sancto Damasceno lib. 3. cap. 7. duas generationes in Christo veneramur, quia Christus est bis genitus, semel ab æterno & iterum in tempore: ergo filiationis ejus duo dantur fundamenta proxima, videlicet duæ generationes passivæ: duo quoque datur termini, nimirum Pater æternus, & Virgo Deipara: igitur duæ pariter debent esse filiationes.

Repones forsan, Filium in humanis non habere duas filiationes, licèt habeat duas naturas, nempe corpus & animam; respiciat quoque duos terminos, Patrem videlicet & matrem: ergo multiplicatio naturarum & terminorum non efficit filiationum multiplicationem.

Multiplicatio termini & fundamenti partialis non semper infert multiplicationẽ relationis.

Respondeo equidem multiplicationem terminorum partialium & unicum totalem constituentium non conferre ad multiplicationem filiationum: sic pater & mater cùm sint unica causa totalis generationis, sunt etiam unicus terminus totalis filiationis hominis ab ipsis geniti: longè autem dispar est ratio de Patre æterno, & beata Virgine generantibus Christum, quia Pater æternus, & Virgo Deipara non concurrunt tanquam duæ causæ partiales, nempe tanquam pater & mater, ad generationem temporalem Christi: sed quemadmodum Pater solus ab æterno dicitur principium totale & adæquatum filii: ita Virgo Deipara dicitur in tempore sola & adæquata, & totalis causa seu genitrix Christi Domini: licèt enim Spiritus sanctus ad illam generationem per suam obumbrationem & supervenientem virtutem conferat, tamen istud non confert per modum Genitoris; quapropter non dicitur Pater Christi: igitur cùm Christus duas distinctas nativitates, duosque terminos distinctos & diversos suæ filiationis habeat, etiam duas omninò distinctas debet habere relationes filiationis.

Conclusio Secunda.

V.

Filiatio æterna &

DUæ filiationes Christi sunt reales. Hæc est Doctoris.

temporalis Christi sunt reales.

A *Probatur primò.* Æterna filiatio absque dubio realis est: at etiam temporalis est realis: igitur duplex illa relatio realis est. Majorem admittunt omnes. Minorem probat Doctor: Illa relatio est realis quæ habet id omne quod ad relationem realem desideratur, nempe extrema realia, ex quibus sequitur independenter ab ullo actu intellectûs: at filiatio Christi respectu Matris talis est; nam habet Matrem generantem & naturam genitam: ergo sicut ratione utriusque hujus extremi, maternitas beatæ Virginis est verè realis, etiam & relatio filiationis Christi ad ipsam est verè realis.

1. Quia per utramque significatur principium generans & natura genita.

Confirmatur; Christus est Filius beatæ Virginis B formaliter quamvis nullus intellectus aut potentia vitalis conciperet aut fingeret aliquam formam in ipso: sed, ut probatum est suprà, non potest censeri formaliter Filius Virginis per suam filiationem æternam: igitur necessariò ad ipsam refertur per relationem filiationis creatæ.

2. Quia B. Virgo verè est Mater Christi & ipse est ab ea verè genitus.

Probatur secundò. Si beata Virgo genuisset purum hominem, esset vera istius hominis geniti mater per relationem verè realem; & ipse itidem esset illius verus filius ad eam relatus per relationem realem filiationis: sed non minùs genuit Christum Dominum, seu non minùs cooperata est ad ejus productionem, quàm si Christus esset C purus homo, nec Christus ut homo minùs realiter accipit suam naturam & entitatem ab ea per veram generationem: igitur est ipsius Filius filiatione reali. Major constat. Minor probatur. Si quod esset discrimen inter generationem puri hominis & generationem Christi, maximè quia purus homo genitus à Virgine accepisset ab ea naturam & personalitatem simul; Christus autem naturam ab ea duntaxat accipit: sed hoc non obstat ad veram relationem filiationis realis, quod sic probo. Beata Virgo est vera Mater Christi per relationem realem, quamvis Christus ab ipsa non acceperit personalitatem: ergo Christus est verus & realis Filius ipsius filiatione reali, quamvis suam personalitatem à beata Virgine non acceperit. Consequentia patet à paritate rationis: si enim beata D Virgo verè dicatur Mater Christi præcisè ex eo quod per ejus cooperationem producta est humanitas, quæ personalitatem habuit non minùs ipsam naturam perficientem & afficientem, quàm si personalitas fuisset à beata Virgine genita: ergo similiter Christus hac ratione censendus est verus ejus Filius, quia per illius cooperationem habuit naturam genitam, quàm suppositum non minùs affecit & sustentavit, ac si illud fuisset unà cum natura ab ipsa beata Virgine productum.

Confirmatur, quia homo non minùs est causa vera & realis alterius hominis à se geniti, quàm E ignis sit causa alterius ignis à se producti; licèt homo non producat formam substantialem, nempe animam rationalem hominis geniti, sicut ignis producit formam substantialem ignis producti: nec homo genitus minùs dicitur productus ab homine generante, quàm ignis productus dicitur reverà produci ab igne producente; quia ad hoc quòd homo generans dicatur vera causa & realis hominis geniti, sufficit quòd per ejus cooperationem realem producatur verus homo, sivè interim ille animam rationalem producat, sivè non: ergo à simili, ad veram relationem generantis & geniti sufficit quòd per cooperationem Virginis producatur verus homo, sivè interim illa personalitas illius hominis ab ipsa producatur sivè non. Paritas constat, quia non magis homo ge-

nitus debet accipere suam personalitatem ab homine generante, ut dicatur ejus filius, quàm accipere animam rationalem quæ est ipsius forma substantialis constituens essentialiter ipsius naturam; sed non obstante quòd ab homine generante homo genitus non accipiat formam substantialem, reverà dicitur ejus filius ab ipso genitus: ergo à paritate rationis licèt Christus non accipiat suam personalitatem à beata Virgine, non minùs verus erit ejus Filius, & ad eam referetur per veram & realem relationem.

3. Quia duæ filiationes ejusdem generis possunt esse in eodem subjecto.

Probat tertiò Doctor. Si quid obesset quominùs Christus verà relatione reali referretur ad Matrem, maximè quia, ut vult sanctus Thomas, non possunt esse plures formæ ejusdem rationis in eodem supposito, & consequenter in Christo non possunt esse duæ filiationes: sed hæc ratio nulla est: igitur, &c. Major est præcipuum fundamentum sancti Thomæ. Minorem verò probat Doctor. Si repugnaret plures relationes ejusdem rationis esse in eodem supposito, maximè vel quia relatio est simpliciter, vel quia est talis relatio nempe originis & filiationis: sed ex neutro capite id repugnat. Non quidem *ex primo*, quia possunt esse plures relationes in eodem supposito Christi, nempe relationes æqualitatis, identitatis & similitudinis; Christus enim cùm veram haberet naturam humanam talis magnitudinis, affectam albedine, reverà habebat relationem identitatis ad omnes homines, æqualitatis ad eos qui erant ejusdem magnitudinis & staturæ, & similitudinis ad homines albos, sicut & dissimilitudinis ad homines nigros: igitur non repugnant in eodem supposito Christi plures relationes.

Non etiam repugnat ex secundò capite; nempe quod in eodem supposito possint esse plures relationes ejusdem rationis, putà originis; quia non magis repugnat dari plures relationes consequentes originationem, quàm dari plures originationes in eodem supposito: sed dantur plures originationes seu productiones passivæ in Christo, una secundùm quam accipit à Patre naturam divinam, quæ per generationem æternam communicatur ipsi; altera secundùm quam accipit naturam humanam per cooperationem beatæ Virginis: ergo similiter potest habere duas filiationes. Major constat: Non enim apparet repugnantia, cur magis relatio originis multiplicetur in eodem supposito, quàm quòd multiplicetur ista originatio quæ est proxima ratio fundandi illam relationem. Minorem probat Doctor authoritate sancti Damasceni affirmantis *nos duas generationes in Christo venerari*.

VI. Reverà sunt in Christo duæ generationes nō solùm activæ, sed etiam passivæ.

Nec valet dicere, Sanctum Damascenum esse intelligendum de generationibus activis; nam, inquit Doctor, non est major ratio cur essent duæ generationes activæ Christi, quàm duæ passivæ. Probari potest insuper eadem minor: *Tum quia* Christus quatenus homo, habet dependentiam à sua Matre: quæ dependentia distincta est realiter ob originatione passiva, quam habet à Patre: ergo reverà habet duas reales originationes: *Tum quia* in eodem supposito possunt esse duæ relationes originis activæ: ergo & passivæ. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens etiam constat: quia in Patre æterno sunt duæ productiones activæ originis, nempe generatio activa & spiratio activa; *Tum denique quia* non minùs esse possunt duæ relationes originis in Christo, quàm duæ operationes diversissimæ, quarum una sit divina & altera humana: sed duæ operationes sunt

A diversissimæ in Christo: igitur pari ratione sunt in eo duæ relationes originis.

Reponunt Thomistæ cum Caietano, disparitatem esse, cur Christus possit habere duas nativitates, & duos respectus similitudinis & dissimilitudinis; ac duas operationes; non verò duas filiationes: quia, inquiunt, nativitas temporalis quam præter divinam potest habere, fundatur immediatè in natura humana ipsius: plures autem operationes & relationes aliæ non subjectantur immediatè in supposito, sed in ipsis naturis, quibus identificantur; unde suppositum potest quidem habere illas relationes & operationes, ratione naturarum quas sustentat: filiatio verò temporalis immediatè subjectari deberet in ipso supposito Christi, si suppositum illud istius relationis suscipiendæ esset capax: non est autem capax realis relationis, quia suppositum Verbi, quod sustentat naturam humanam Christi, non potest recipere ullum accidens. B

VII. Filiatio non subjectatur necessariò & immediatè in supposito, sed in natura.

Verùm contra. Primò gratis supponunt filiationẽ, quæ advenit supposito, debere in ipso immediatè subjectari: igitur nulla est eorum responsio. Patet antecedens: quia quemadmodum, licèt actiones sint suppositorum, non autem naturæ secundùm adversarios, ipsi tamen fatentur actiones immediatè non subjectari in supposito, sed in natura, aliàs Christus non haberet ullas actiones aut operationes verè humanas, quod est absurdũ: ergo similiter quamvis filiatio specter ad suppositum, quod per illam denominatur Filius, inde tamen non sequitur quòd illa debeat immediatè subjectari in supposito, non autem in natura. C

Confirmat hanc responsionem Poncius in Commentario: *Primò*, quia suppositum creatum secundùm veriorem sententiam, consistit in negatione: sed filiatio suppositi creati, cùm sit respectus realis, non potest immediatè subjectari in negatione: ergo filiatio non debet subjectari immediatè in supposito, sed in natura.

Confirmat secundò, quia si Spiritus sanctus acciperet naturam humanam genitam à Virgine, non minùs esse Virginis Filius, quàm Christus: sed non esset illius Filius per filiationem æternam; quia talem non habet Spiritus sanctus: ergo per temporalem: sed illa temporalis relatio non subjectaretur immediatè in personalitate Spiritus S. ergo illa filiatio subjectaretur in humanitate: & consequenter filiatio non debet subjectari in alio quàm in humanitate. D

Confirmat tertiò, quia gratis diceretur quòd filiatio debeat subjectari in alio, quàm in eo in quo subjectatur productio passiva, per quam habet Christus, quòd sit productus à Virgine: sed illa subjectatur in humanitate secundùm adversarios: ergo & filiatio debet in ea subjectari.

Reponunt Thomistæ. Si filiatio immediatè reciperetur in humanitate, humanitas dici posset filia Virginis: illud enim formaliter dicitur filius quòd formaliter habet filiationem immediatè in se subjectatam: at hoc est absurdum: igitur falsum est quòd filiatio immediatè recipiatur in natura humana. E

VIII. Non tamen natura humana dici debet Filia Virginis.

Respondeo primò negari posse majorem, quamvis enim filiatio divina intimè conjungatur cum anima & corpore Christi; tamen in triduo mortis, quando anima separata erat à corpore, non denominabat corpus filium, nec animam filiam: ergo similiter quamvis filiatio immediatè recipiatur in humanitate, non sequitur quòd debeat ipsam denominare filiam. Quod utique *confir-*

matur: quemadmodum enim filiatio & personalitas divina non debet necessariò denominare filiam, aut personam, naturam assumptam; si enim Verbum assumpsisset lignum v. g. illud lignum assumptum non posset denominari nec filius nec persona, quia ut aliqua natura individualis dicatur persona & filia, debet esse intelligens & rationalis, quæ conditiones ubi non adsunt, natura assumpta non est capax recipiendæ talis denominationis: sic à simili dicere possumus quòd ad hoc, ut aliqua natura reverà denominetur filia, necessum est quòd sit completa per suam subsistentiam, & personalitatem: & consequenter illa natura secundùm se solitariè spectata, & seorsim à sua personalitate, non potest habere talem denominationem, quanquam sit genita & producta.

Respondeo secundò, quòd si naturam humanam esse filiam nihil aliud sit quàm eam habere filiationem in se immediatè subjectatam, negari potest minor, & quidquid in contrariom proferetur, tantùm erit quæstio de nomine.

Dices primò: Filiatio divina non recepitur immediatè in natura divina, nec illam denominat filiam: ergo nec filiatio creata: igitur filiatio creata non debet recipi immediatè in natura, sed in supposito.

Respondeo primò, negari posse consequentiam; disparitas enim est inter filiationem creatam & increatam, quia illa est accidens, hæc verò substantia; illa requirit subjectum cui insit per modum inhæsionis, hæc verò tantùm requirit subjectum cui insit per modum constitutionis. Unde retorqueri potest argumentum; nam sicut filiatio increata non recipitur in supposito, sed constituit suppositum: ita nec filiatio creata recipi debet in supposito.

IX. *Filiatio divina dici potest immediatè esse in natura divina.*

Respondeo secundò, negari antecedens; filiatio enim divina quodammodo recipitur per suam realem entitatem in natura divina, & ipsam determinat ad constituendum filium; ita quòd si natura divina filii distingueretur realiter à Patre, illa filiatio ipsi identificata illam denominaret filiam Patris: non sic autem illam denominat, quia ad hoc ut natura aliqua denominari possit filia, necessum est quòd realiter distinguatur a principio generante; unde similiter retorqueri potest argumentum: Filiatio divina immediatè recipitur in natura divina per identificationem & ipsam denominaret filiam si realiter ab ipsa distingueretur: igitur filiatio creata immediatè debet recipi in natura singulari, & eam denominare filiam, quandoquidem illa natura creata distinguitur realiter à principio generante.

Dices secundò: Si filiatio immediatè reciperetur in humanitate, & non in toto supposito seu in ipso homine constante naturâ & personalitate, sequeretur quòd si Verbum dimitteret humanitatem assumptam, sicut reverà illam dimittere potest, illa natura sic dimissa proprium haberet suppositum; & sic homo ille diceretur Filius Virginis, & non diceretur: diceretur quidem, quia ipsius natura fuisset genita à beata Virgine: igitur si filiatio sequatur naturam, reverà homo ille esset beatæ Virginis Filius: non esset autem, quia beata Virgo non genuisset illud suppositum. Quod utique *Confirmatur*, quia si eòmet instanti quô Verbum dimitteret humanitatem, illam assumeret, Pater æternus, propter illam naturam assumptam non posset dici Filius Virginis: ergo nec ille qui esset homo purus, propter dimissam humanitatem a Verbo, dicendus esset Filius Virginis.

X. *Quanquam Christus D. duas habeat filiationes, non idcirco dicendus est Filius & non Filius Virginis.*

Respondeo, omissis variis solutionibus quas ex Suare, Fabro & aliis refert & refellit Poncius in Commentario *num.* 10. & sequentibus; negando sequelam majoris quantùm ad secundam partem: reverà enim eo in casu homo ille purus esset verè filius Virginis si sufficiat ad hoc ut persona aliqua dicatur filia alterius personæ, quòd sit suppositum habens naturam genitam, in qua natura immediatè residet relatio filiationis; ea enim in hypothesi tam suppositum creatum, quam suppositum Patris æterni reverà dici possent Filii Virginis, quia haberent naturam sibi conjunctam in qua immediatè esset recepta relatio filiationis ad beatam Virginem. Si verò quis contendat id non sufficere ad rationem filiationis, sed prætereà requiri vel quòd suppositum una cum humanitate producatur, vel quod sequatur connaturaliter ad productionem naturæ humanæ pro eo instanti, quô natura humana producitur: tunc nec suppositum humanum nec Pater æternus dici deberent filii Virginis. Unde hæc difficultas tantùm esse potest de modo loquendi.

Dices tertio: Per filiationem homo constituitur in ratione filii: igitur duæ filiationes reales constituunt duos filios realiter; sed Christus non est duo filii: ergo non habet duas filiationes.

Nec etiam duo Filii.

Distinguit primam consequentiam Doctor *num.* 18. Per duas filiationes duo constituuntur filii, si illæ filiationes sint in duobus suppositis, concedit: si in eodem, negat; *Quia*, inquit, *concreta non plurificantur nisi plurificentur, tam forma quàm suppositum; sola enim plurificatio formæ non sufficit, maximè ubi plures formæ sive ejusdem rationis, sive eôdem nomine expressæ, possunt esse in eodem supposito: sic Christus non est plures volentes, licèt habeat plures volitiones.*

XI. *Nec etiam inde sequeretur personarum confusio.*

Dices quartò: Ideo Pater æternus non est incarnatus, sed Filius, quia aliàs esset confusio proprietatum, ut dictum est in primo articulo primæ disputationis, quia eadem persona esset Filius & Pater: Pater quidem, quatenus prima persona Trinitatis: Filius verò quatenus esset genitus a Beata Virgine: ergo Christus non est Filius tam Patris, quàm Virginis aliâ filiatione quàm æterna: quia alioqui esset confusio proprietatum: quandoquidem non esset Filius unâ tantùm & eâdem filiatione.

Respondet Doctor *primò* negando consequentiam eum sua probatione, quia nulla prorsus est confusio quòd Christus aliâ filiatione sit filius Virginis, & alterâ filius Patris æterni; quippe ex eo quòd sit filius Virginis, non negatur propterea quòd sit filius Patris æterni. Unde quando dicitur de Christo quòd sit filius, non potest aliquis dubitare ex illo loquendi modo, quod persona divina Christi sit persona Verbi & filius æterni Patris: secùs esset autem si Pater, aut Spiritus sanctus essent incarnati; ubi enim aliqua ex duabus illis personis diceretur filius, dubitare quis posset, num esset sermo de filio Patris æterni, vel de filio Virginis, quæ confusio non sequitur ex incarnatione Verbi, quia per appellationem filii divini, sufficienter intelligimus personam Verbi.

Respondet secundò retorquendo argumentum. Sequeretur confusio ex incarnatione Patris, quia eadem persona esset Pater & Filius: ergo Pater incarnatus reverà esset filius Virginis: sed non esset filius per filiationem æternam, quam non habet: ergo per filiationem temporalem: igitur persona divina est capax filiationis temporalis:

ergo filius non est illius filiationis incapax, ut volunt adversarii.

Dices quintò: Ideò admittenda esset filiatio realis temporalis, ut Christus reverà diceretur filius Virginis; sed posset dici filius Virginis absque illa relatione reali. Probatur, quia Deus potest dici Dominus creaturarum absque relatione reali: ergo Christus potest dici filius beatæ Virginis absque relatione reali.

XII. Licèt Deus dicatur creator absque relatione reali, non tamen dici posset filius sine reali filiatione.

Negat minorem Doctor: neque enim filius dici posset filius Virginis, nisi B. Virgo, similiter diceretur illius Mater, & haberet relationem realem maternitatis: illa autem hanc relationem non haberet, nisi pariter Christus haberet relationem filiationis, quia quâ ratione beata Virgo dicitur Mater Christi, propterea quòd genuit illius humanitatem, eâdem ratione Christus debet dici filius illius, quia habet humanitatem ab ipsa genitam; non enim est major ratio, cur ad generationem activam beatæ Virginis sequatur in ipsa relatio maternitatis, quàm quòd ad generationem passivam sequatur in Christo relatio filiationis: *Vnde* neganda est minoris probatio, quia Deus non habet rationem aliquam in se, ob quam debeat necessariò sequi relatio realis, ex eo quòd sit rerum Conditor & Dominus; imò habet rationem ipsi relationi reali omninò oppositam, nempe immutabilitatem, quâ fit ut non sit capax realis relationis suscipiendæ: secùs autem est de Christo Domino, quia est capax illius novæ relationis filiationis, ratione naturæ assumptæ à beata Virgine genitæ: igitur non est eadem ratio de Christo respectu relationis filiationis, ac de Deo respectu relationis realis Creatoris & Domini.

Dices sextò: Si Christus haberet novam relationem realem ad Matrem, esset realiter ipsi æqualis: sed hoc est falsum, quia æqualitas realis fundatur super unitate unionis, & consequenter illa æqualitas non intercedit, nisi inter illa quæ habent unitatem unionis: sed Christus non habet unitatem alicujus unionis realis cum Matre: ergo nec habet aliquam æqualitatem, nec proinde relationem realem.

XIII. Inde sequitur æqualitas aliqua inter Filiū divinum & Matrem.

Negat minorem Doctor cum sua probatione; nam, ut eum explicat Poncius, duo homines puri æquales in perfectione naturæ non habent unitatem aliquam unionis inter se: ergo æqualitas non fundatur super talem unitatem. Quòd si dixeris duos homines habere unitatem unionis inter se ratione convenientiæ in natura ob quam fundant relationem æqualitatis; idem etiam dici potest de Christo & beata Virgine; qualiscumque enim æqualitas statuetur inter duos homines ratione naturæ; eadem statui poterit inter Christum & Virginem ratione naturæ humanæ genitæ, quam habet Christus.

Dices ultimò: Si quam habuit relationem Christus ad beatam Virginem, eam duntaxat habuit, quandiu servavit integram naturam humanam ab ipsa beata Virgine genitam: sed illam integritatem humanitatis amisit in triduo mortis: dum enim anima separata est à corpore, totum hominis compositum periit: igitur vel amplius illam relationem realem filiationis non habet, vel eam non habet à beata Virgine acceptam, sed duntaxat à Deo in resurrectione reproductam.

XIV. Christus post resurrectionem eâdem filiatione fuit filius Virginis quâ antea.

Negat minorem Doctor; *num.* 19. Quia, *inquit*, Christus post resurrectionem est filius Mariæ eâdem filiatione, quâ priùs; quia filiatio fundatur super existentia naturæ acceptæ per generationem absolutè, cui non accedit interruptio, dummodò existentia sit eadem: & ideo quandocumque illa existentia est eadem, & aliud extremum idem, & filiatio est eadem: & eâdem actione, quâ fundamentum redit idem, & relatio redit eadem. Hæc doctor, quibus significat Christum post resurrectionem eâdem numerô filiatione esse filium B. Virginis, quâ fuit ante mortem.

QUÆSTIO IV.

Vtrum Christus Dominus sit & dici possit Dei servus & æterno Patri subjectus.

I. Quadruplex distinguitur servitus.

Notandum primò: Ex Isamberto ad quæst. 22. art. 3. quadruplicem distingui posse servitutem in sacris litteris. Primam *naturalem* & generalem, omnibus creaturis communem in ordine ad Deum, juxta quam quælibet creatura est ita sub dominio Dei, ut ei deserviat ad nutum, de qua Sapientiæ 16. *Tibi factori suo creatura deserviens*. Quòd autem hæc servitus vera sit; patet, quia tunc adest propria ratio servitutis, quando aliquis ita est subditus alteri, ut non tantùm teneatur ei obedire tanquam superiori, sed etiam totum quod est & habet, existit sub illius dominio, teneturque se & omnia sua in bonum ejus dirigere; sic enim servus propriè dictus, totum quod est, & quod habet censetur esse sui domini, ut docet Aristoteles in Politicis: at verò totum istud reperitur in qualibet creatura in ordine ad Deum prout creatura est; nam & in esse, & in conservari dependet à Deo; potestque Deus utendo jure suô absolutô, illam destruere. Item ordinatur in Deum tanquam in finem ultimum, & si sit rationalis creatura, tenetur se & omnes suas actiones in illum dirigere, & si quem alium finem sibi constituat, peccat: igitur quælibet creatura qua creatura est, dicitur serva in ordine ad Deum. *Secunda* servitus est *legalis* & despotica, quæ lege & non primâ istius naturæ institutione est introducta, secundùm quam aliqui ita sunt sub dominio alterius, ut sint illius quoad omnes suas actiones, & operationes temporales, easque in ejus bonum teneantur impendere; in qua specie constituuntur non tantùm servi emptitii, sed etiam conductitii pro eo tempore quô seipsos & sua opera locant aliis. *Tertia* servitus est *peccaminosa*, quâ creatura rationalis peccato, vel diabolo subjicitur, de quâ 1. Joannis 10. *Qui facit peccatum servus est peccati*. *Quarta* & ultima servitus, dici potest *Pœnalis*, quæ consistit in illo affectu quô creatura rationalis obedit Deo metu pœnæ subeundæ, quomodo Apostolus ad Rom. 1. ait: *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore*. Quæritur autem utrum Christus Dominus aliquo ex his modis servus possit æstimari & appellari.

II. Primum genus servitutis non opponitur ingenuitati.

Notandum secundò, inter primam servitutem & reliquas id esse discriminis, quòd prima non repugnet ingenuitati, sed illam compatiatur secum, & simul inferat ipsum jus ad hæreditatem: siquidem Adam ante peccatum & ejus posteri, si perseverassent in statu innocentiæ, fuissent servi Dei hôc genere servitutis, ut satis per se intelligitur; & tamen vi justitiæ originalis vel potius gratiæ sanctificantis habuissent jus ad vitam æternam, communicassentque in bonis ipsius Dei, cùm gratia sanctificans, quam importat justitia originalis, sit singularis quædam naturæ divinæ partici-

[...]io, ratione cujus *Filii Dei nominamur & sumus*, ait S. Joan. Item justi sunt servi hoc genere servitutis; nam & beata Virgo ancillam Dei se nominat in suo cantico, & passim omnes Sancti; nec tamen sunt minùs ingenui & liberi; imò ut canit Ecclesia in officio beatæ Agathæ: *summa ingenuitas ista est in quâ servitus Christi comprobatur.* Hinc S. Hieronymus in illud Psal. 115. *O Domine quia ego servus tuus*, ait: *Grandis dignitatis, & meriti est esse servum Dei.* Et S. Ambrosius lib. 1. de Jacob & vitâ beatâ cap. 3. talem servitutem vocat *libertatem gloriosam.* Et S. Augustinus ad citatum versiculum Psalmi 115. ait: Creaturam debere suo creatori famulatum, *quem cùm exhibet libera est; hanc accipiens à Domino gratiam ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat.*

Quia Sancti eò magis liberi quò perfectiùs Deo famulantur.

III. Servitus non importat necessario negationem communicationis in bonis Domini.

Observandum insuper ad rationem formalem servitutis, non desiderari negationem communicationis in bonis domini, ut minùs rectè docet Vasques loco citato cap. 9. quia cùm servitus patiatur secum ingenuitatem, compatitur similiter jus ad hæreditatem, atque consequenter communicationem in bonis: sola itaque communicatio in bonis cum æqualitate & omnimodâ planè independentiâ, tollere potest rationem servitutis, non autem quælibet communicatio in bonis domini.

IV. Christus D. dici potest Patri subjectus tripliciter.

Notandum tertiò, tribus modis dici posse Christum esse subjectum Patri, videlicet *vel* ratione inæqualitatis naturæ humanæ respectu divinæ: *vel* ratione voluntatis divinæ quæ est superior voluntate creatâ Christi; *vel* ratione obedientiæ præstitæ mandato & præcepto paterno. De primâ & secundâ subjectione non est controversia; dicitur enim 1. Joan. 14. *Pater major me est:* unde subjectio Christi status manifestatur. Solùm igitur movetur quæstio de tertiâ ratione subjectionis, an videlicet Christus fuerit subjectus Patri ratione cujusdam præcepti ad quod teneretur ratione virtutis obedientiæ.

Conclusio Prima.

V. Christus tenebatur obedire mandato Patris.

Christus fuit subjectus Patri ratione præcepti cui tenebatur obedire. Probatur: nam ipsemet Joannis 10. & 14. dicit *Mandatum accepi à Patre meo. Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* & licèt nomen *mandati* aliquando in sacris Scripturis sumatur latiùs, quatenus ea quæ nobis commendantur nec præcipiuntur, appellantur mandata; tamen communiter nomine mandatorum, intelliguntur præcepta & prohibitiones. Hinc eôdem cap. 14. profitetur Christus se accepisse præcepta à Patre: *Ego*, inquit, *præcepta Patris mei servavi*, quibus in locis Christus facit parem conditionem præceptorum sibi à Patre impositorum. *Deinde* ad Philipp. 2. dicitur Christus factus obediens usque ad mortem. Nec est quòd dicatur excellentiorem esse obedientiam quando quis obedit superiori absque intimatione præcepti, quàm cum, intimatione præcepti: hoc enim simpliciter falsum est: licèt enim aliunde actus ille sit excellentior, & arguat voluntatem etiam aliô titulô excellentiorem; nihilominus, si spectetur vis obedientiæ, certè desideratur intimatio præcepti quæ sola respicit obedientiam tanquam suum proprium correlatum. Verùm de his amplior erit sermo disput. sequenti ubi agetur de meritis Christi.

Objicies primò. Præcepta dantur alicui solummodò propter duo, scilicet propter directionem faciendam in ipsa voluntate operantis; vel propter inflictionem pœnæ, quatenus lex pœnam decernit propter transgressionem: at neutrô modô datum fuit præceptum Christo. Non quidem primô modô, quia erat impeccabilis, & voluntas ejus aliunde satis sufficienter dirigebatur. Non etiam posteriori modô, quia metus pœnæ arguit servitutem pœnalem, quæ nulla erat in Christo, ut mox dicemus. *Præterea*, Ubi transgressio legis nulla potest esse, ibi etiam nulla potest adjungi legi pœna infligenda, quia deest ipsi Legislatori ratio motiva ad pœnam constituendam, quæ est continere subditos in observatione legis, quam possunt infringere: ergo non potuit illi infligi pœna: ergo nullum datum præceptum.

Confirmatur exemplô voti quod Christus non potuit emittere, ut docent communiter Theologi, quia votum emittitur ab homine, ut quia ejus voluntas non est firmata in bono, vovendo illam firmet immobiliter ad id quod expedit facere, & id facit ut timore inhonorandi Deum, & violandi promissum, abstineat ab ejus contrario. Cùm itaque detur etiam præceptum alicui ad eum dirigendum, quia ejus voluntas non est firmata in bono, sed potest ab eo deficere, & voluntas Christi non fuerit hujus conditionis, quandoquidem non potuit votum emittere, sic nec potuit præceptum aliquod illi imponi.

VI. Directio & pœna non intenduntur primariò per præcepta, sed tantùm secundariò.

Respondeo negando majorem: datur enim præceptum propter actum qui lege præcipitur; unde in ejusmodi præcepto, nec directio, nec pœna primariò consideratur, sed tantùm secundariò. *Directio* quidem ubi voluntas firmata non est: pœna verò, ubi adest potestas præceptum & legem injungendi: & quia neutrum istud fuit in Christo; ideo non est etiam datum illi præceptum sub illis rationibus, sed additâ ratione excellentiæ & dignitatis actûs, quem poterat elicere per obedientiam absque indigentiâ directionis & metu pœnæ. *Ad confirmationem*, respondeo Christum non potuisse votum emittere sub rationibus illis allatis in objectione, potuisse tamen aliis rationibus, quatenus nimirum est aliquis actus latriæ seu Religionis, potuit enim Christus ut homo velle ex voto orare Patrem, jejunare, sacrificium & similia, hæc enim nullam includunt imperfectionem, vel indecentiam.

VII. Christus D. liberè mortuus est quia liberè voluit implere præceptum Patris.

Objicies secundò: Ubi est præceptum, ibi est necessitas exequendi rem præceptam, quia præceptum inducit obligationem: at Christus Joan. 10. negat se habuisse necessitatem moriendi: ergo, &c.

Respondeo Christum Dominum asserere quidem se non habuisse necessitatem moriendi, quia mandatum de morte obeunda pro nobis, acceptatum fuit ab eo liberè, juxta illud Psal. 38. *Tunc dixi: Ecce venio.*

Objicies tertiò: Mors Christi plerumque dicitur tantùm permissa, non autem præcepta.

Respondeo dici permissam ratione crucifigentium; dici tamen præceptam ratione crucifixi & mortui.

Petes primò, quibus legibus Christus subjectus fuerit?

VII. Christus D. subjectus erat legi naturali.

Respondeo primò fuisse subjectum legibus *juris naturæ* tam ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quæ tamen dignitati personæ ejus non disconveniebant. Ratio est quia Christus assumpsit naturam humanam cum conditionibus quæ illam sequuntur (exceptô peccatô, & ignorantiâ): atqui præcepta juris naturæ sequuntur naturam

humanam, item continent rectum ordinem, quem rationalis creatura debet servare, & contra quem Christus non potuit operari. Dixi ordinis etiam supernaturalis, cùm enim anima esset ordinata ad finem supernaturalem respectu cujus dantur media quædam necessaria, quæ ex sua natura sequuntur taleio ordinationem cujusmodi est dilectio Dei supernaturalis, inde fit ut huic & aliis similibus præceptis fuerit Christus subjectus.

Dixi præterea, quæ tamen *dignitati personæ ejus non derogabant*; nam dignitas personæ Christi postulabat ut ab aliquibus legibus etiam juris naturæ eximeretur: v. g. jure naturæ debemus parentibus obedientiam: at Christus eam Matri suæ beatissimæ Virgini, cùm esset illâ superior, non tenebatur præstare: ideóque quod Lucæ 2. dicitur *& erat subditus illis*, non ex obligatione præcepti naturalis, sed ex libera ejus voluntate, & ad nostram instructionem intelligendum est; ut significat S. Bernardus sect. 29. in Cantica.

Non verò legibus humanis.

Respondeo secundo, Christum D. non fuisse subjectum *legibus humanis*, & colligitur ex cap. 27. Matthæi, ubi Christus significavit se solvere tributum, non ex obligatione, sed voluntariè; ne scilicet alii scandalizarentur. Ratio autem responsionis est, quia superior non potest obligari legibus inferioris: at Christus est superior omnibus legibus & legislatoribus humanis: ergo non fuit subjectus legibus humanis.

Neque etiã legibus positivis Veteris ac Novi Testamenti.

Respondeo tertiò, Christum non fuisse subjectum legibus positivis tam novi quàm veteris Testamenti. Probatur de legibus Novi Testamenti, quia Princeps est solutus à suis legibus, & præcipuè quando lex respicit subditos, quatenus sunt in aliquo statu dissentaneo à statu Legislatoris, ut patet quando Princeps fert legem de solvendis tributis: atqui Christus est author Novi Testamenti, & lex Novi Testamenti respicit homines quatenus sunt aliquo modo peccatores: ergo Christus non fuit subjectus legi Novi Testamenti.

Probatur insuper de legibus *Veteris Testamenti*, quia lex vetus tantùm data fuit pro Adami posteris descendentibus secundùm rationem communem: at Christus hoc modo non descendit ab Adamo. Unde colligo quòd quando ad Galatas dicitur Christus *factus sub lege*, debet illud intelligi de voluntariâ Christi subjectione in exemplum humilitatis. Illud autem Matthæi 5. *Non veni solvere legem sed adimplere*, rectè intelligitur de adimpletione figuræ per exhibitionem veritatis, lex enim vetus erat umbra futurorum in Novo Testamento.

Conclusio II.

IX. Christus D. est servus Dei servitute naturali.

Christus ut homo, verè & propriè dici potest servus Dei servitute naturali, non verò servitute legali. Probatur prima pars ex Scripturâ sacrâ, in quâ Christus Dominus sæpissime appellatur servus Dei. Sic Isaiæ 42. *Servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in eo anima mea?* Et cap. 53. *In scientiâ suâ justificavit ipse servus meus multos.* Et Zachariæ 5. *Adducam servum meum Orientem.*

Probatur 1. ex Scriptura sacra.

Eadem veritas in Novo Testamento traditur; nam Matthæi 12. Evangelista locum ex Isaiâ adductum interpretatur de Christo. Nec refert quòd Evangelista non referat verba *servus meus*, sed *puer meus*, nam sæpissimè nomen *pueri* pro servis accipitur. Sic 1. Reg. 9. *Dic puero ut antecedat nos*, & 21. *Si mundi sunt pueri* (id est servi)

A *maximè à mulieribus*. Et Psalmo 68. *Non avertas faciem tuam à puero tuo.* Quod etiam constat ex Novo Testamento, ubi pueri nomen pro servo interdum scribitur. Sic maximè; Actor. 4. Petrus dixit: *Convenerunt enim vere in civitate ipsâ adversus sanctum puerum tuum Iesum*, quo loci pueri nomen non significat hominem juniorem & nondum adulta ætate maturum, sed propriè pro servo accipitur. Imò ipsemet Christus Matthæi 11. hanc sibi appellationem tribuendam esse satis apertè significavit, cùm dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ*, ubi Patrem appellat Dominum eorum quæ in cælis & in terris facta existunt, ut significet etiam se ut hominem, Patrem

B ut Dominum agnoscere; & consequenter, se inter ejus servos annumerari, ut colligit S. Athanasius lib. 3. contra Arianos. *Nec valet* reponere cum Vasquesio Scripturæ verba metaphoricè esse accipienda: tum quia Scripturarum oracula in propriâ suâ significatione sunt accipienda, quoties nullum inde sequitur absurdum: at nil Christo, neque Christianæ veritati detrahitur, ex eo quòd Christus quà homo appelletur servus Dei: igitur talis reverà censendus est: tum quia SS. Patres mox laudandi præfatas Scripturæ authoritates in propriâ significatione usurpârunt: igitur ita debent accipi. Nec pariter obstat quòd Adrianus summus Pontifex in suâ epistolâ ad Conci-

C lium Francof. dicat, *nullum unquam Evangelistarum, neminem Apostolorum servum illum vocasse*: hoc enim ideò dixit, vel quia rarò & non ita expressis verbis in novo, ac in veteri Testamento sic vocatur, vel accipit servum in aliâ significatione, scilicet, vel pro puro homine, vel pro homine subdito peccatis, de qua re infra.

Probatur secundo ex SS. Patribus: imprimis verò S. Chrysostomus homil. 7. in epist. ad Philipp. exponens hæc verba, *Formam servi accipiens*, ait, *Sicut in formâ Dei perfectus est Deus, ita in formâ servi perfectus est servus.* Similiter S. Ambrosius lib. 7. epistolarum epist. 45. quemdam arguit qui negaverat Christum pro nobis servitutem acce- 2. Ex SS. Patribus.

D pisse, ubi exponens illud Psalmi 108. *Adjuva me Domine Deus meus*, ait: *Servitus enim carnis, dominatus Divinitatis est.* S. Hieronymus in epist. ad Tit. cap. 1. *Nec mirum quamvis sanctos homines, Dei servos nobiliter vocari, cùm per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad Filium, Magnum tibi est vocari servum meum.* Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 16. *Christus & in formâ servi servus, & in formâ servi non servus; in formâ quippe servi, Domini servus, & in formâ servi hominum Dominus.* August. epist. 174. *Secundum formam Dei de seipso dixit. Ego & Pater unum sumus, secundum formam servi: quoniam Pater major me est.* S. Athanasius serm. 3. contra Arianos, ubi voces facti, conditi,

E servi & filii, referens; sic habet: *Omnes istiusmodi voces, ratione humanitatis, bene & propriè competunt.* Nazianzenus oratione 3. de Theologiâ. *Tu mihi contra voces illas ingratitudinis tuæ indices enumera, has videlicet, Deus meus, & Deus vester, major, creavit, fecit, sanctificavit, servum etiam (si ita libet) & obedientem adjunge.*

3. Ratione.

Probatur etiam ratione: Ille enim verè censetur servus qui est sub potestate domini, & omnes suas actiones suosque labores in ejus obsequium tenetur impendere, nec non & in omnibus ei parere & obsequi: at hæc omnia Christo ut homini conveniunt respectu Dei. Primò namque Deus omnium hominum & proinde Christi ut hominis ita est Dominus, ut pro libito proque

jure sui dominii possit omnes homines adeòque Christum ut hominem & omnes creaturas annihilare; ut ipsemet Deus testatur Deuteronomii 32. *Ego occidam, & ego vivere faciam*, & Sapientiæ 16. *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes potestatem.* Similiter Christus ut homo, quidquid habet, Deo præpotenti tanquam totius boni distributori & largitori debet. Pari ratione, omne suum obsequium in ejus cultum & honorem tenetur impendere; nam omnia serviunt ei, quapropter Christus D. ut docet Apostolus ad Philipp. 2. Deo *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Dices primò: Ratio creaturæ dependentis à Deo, non est fundamentum adæquatum servitutis veræ & propriæ; sed insuper requiritur, ut qui servus est, non communicet ullô modô in bonis domini sui; at Christus ut homo, communicat in bonis Dei; siquidem, ut sit homo completus, debet habere subsistentiam; subsistentia autem Christi divina est: ergo ut homo, communicat in bonis Domini sui.

X. Nec efficit quòd Christus communicet in bonis Dei.

Nego majorem: Quanquam enim hæc communicatio in bonis domini fortè sit quid consequens ad servitutem legalem, quia qui servus est servitute legali, ita est sub alterius dominio, ut cum eo neque in bonis, neque in honore, neque in dignitate communicet, non tamen illa negatio servitutis requiritur ad servitutem naturalem, ut diximus in secundò Notabili. Siquidem hæc non excludit jus ad communicandum in bonis & honoribus, ut patet non solùm in filio qui licèt servus naturalis patris, tamen habet jus ad communicandum cum illo in bonis & honoribus: sed etiam in sanctissimis viris; homines enim justi communicant per gratiam in bonis Dei, quia per gratiam sunt consortes divinæ naturæ, ut docet sanctus Petrus epistolâ 2. cap. 1. & habent jus ad visionem & fruitionem Dei: attamen verè ac propriè nominantur servi Dei, ut pluribi testatur S. Paulus, qui in suis epistolis maximè gloriatur hac appellatione pluries repetita, *Paulus Apostolus Iesu Christi.* Hinc Matthæi 25. omni Justo ad æternam gloriam evocato dicitur *Euge serve bone & fidelis, &c.*

Instabis iterùm, justos equidem vocari servos Dei, sed impropriè: Siquidem Christus illis dixit Joan. 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos:* igitur illa responsio nulla.

XI. Justi propriè dicuntur servi Dei.

Nego consequentiam: Christus enim solùm à justis ablegat appellationem & sortem servitutis servilis, quia justi non operantur instar servorum ex timore servili, sed instar filiorum ex amore: idcircò potiùs amici quàm servi nominantur. Quòd autem hæc servitus naturalis non excludat conditionem filii adoptivi, nec amici; constat, quia illa etiam compatitur cum conditione maternitatis; etenim beatissima Virgo quæ abundantissimè in honoribus Dei communicavit, quæque divinæ maternitatis titulo & gloriâ illustrata est, tamen immediatè post conceptionem Verbi divini ac sibi concessam dignitatem maternitatis seipsam Dei servam & ancillam nominavit, dicendo Lucæ 1. *Ecce ancilla Domini*: unde in suo Cantico ibidem canebat, *Respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.*

Vrgebis: Non eandem esse paritatem communicationis Sanctorum ac Deiparæ Virginis in bonis Dei ac Christi: igitur quantumvis illa communicatio non obsit quominus beata Virgo & Sancti dicantur servi Dei, cùm longè nobiliùs & diviniùs Christus in Dei bonis communicet, nullatenus ejus servus reputari poterit.

Contra. Quantumvis Christus longè perfectiùs quàm quilibet alius Sanctus communicaverit cum Deo in bonis, non tamen communicavit ad æqualitatem; siquidem Christus non sibi vendicat omnia divina attributa; nam nec est omnipotens, nec infinitus, nec immensus, licèt enim attributa Dei de Christo prædicentur per communicationem idiomatum, tamen reverà humanitas ejus non potest dici omnipotens, immensa, æterna, &c igitur non communicat in omnibus Dei bonis ad æqualitatem. Unde non obstante hâc communicatione in bonis, Christus reverà dici poterit Dei servus, quia licèt sit æqualis Patri secundùm divinitatem, tamen est minor Patre secundum humanitatem.

XII. Christus D. non est servus Dei servitute legali, & peccaminosâ.

Probantur cæteræ conclusionis partes. Primò quidem ex Concilio Francofordiensi quod in epistola ad Episcopos Hispaniæ sic Felicem & Elipandum interpellat, *Intelligite*, inquit, *in hac professione vestrâ, duplices diabolicæ fraudis latuisse dolos .... dum & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus & adoramus, servum prædicatis & adoptivum ... considerate quale est hoc scandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Christianorum servum esse vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus, non ille nobiscum adoptivus. Nos per illum à servitute liberati, non ille nobiscum servus.* Idem colligitur ex Adriani summi Pontificis epistolâ ad Episcopos Hispaniæ in qua pariter Felicem & Elipandum alloquens, ait: *Tanta vos dementia deludit; adoptivum eum.... filium quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum, & quod pudet dicere, servum: cùm impii & ingrati tantis beneficiis liberatorem nostrum non pertimescatis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit?* Et paulò post: *Dominum igitur Angelorum omnisque creaturæ, cujus sub pedibus cuncta subjecta sunt, vos dicitis servum & adoptivum.* Quibus duobus testimoniis apertè satis constat à Christo ablegari servitutem, non quidem naturalem in ordine ad Deum, cui assumpta natura subjicitur: sed vel legalem, vel pœnalem, vel peccaminosam: quod clariùs Concilium in eadem epistola significat dum ait: *Etsi eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens usque ad mortem. Papâ Leone dicente: Assumpta est de Matre Domini natura non culpa, creata in forma servi sine conditione servili.* Quibus verbis Concilium significat se removere à Christo servitutem non naturalem consistentem in humilitatis obedientia, quæ est propria creaturæ, sed servitutem legalem & peccaminosam.

De quâ solùm loquitur Concilium Francofordiense.

Reponis Vasques Pontificem & Concilium removere à Christo omnem omninò servitutem, siquidem significant Christum esse simpliciter dicendum Filium, non verò servum.

Et SS. Patres ab Adversariis pro sua sententia laudati.

Contra. Tam Pontifex quàm Concilium à Christo servitutem illam eliminant, pro qua impugnanda SS. Patrum authoritates proferunt: at omnes SS. Patrum authoritates quas proferunt solùm à Christo removent triplicem postremam servitutem. Nam S. Chrysostomus homil. 13. in epistolâ ad Heb. quem etiam pro sua sententia formanda allegat Vasques, solùm excludit conditionem servilem à Christo per ordinem ad homines, ait enim: *Sicut servus factus est, sic etiam*

Pontifex

Pontifex & minister : sed sicut servus factus non mansit servus , sic & minister factus non mansit minister; non enim ministri est sedere, sed stare. Quibus verbis ostendit S. Chrysostomus Christum jam ad dexteram Patris sedentem in cœlis non ampliùs gerere ministetium servi nec ministri, per ordinem ad homines. Unde excludit solùm à Christo subjectionem illam , quam adhuc mortalis monstrabat per ordinem ad homines.

Similiter S. Leo Sermone primô de Nativitate post medium à Concilio mox laudatus , sic ait: *Assumpta est de Matre hominis Domini natura , non culpa : creata est forma servi sine conditione servitutis, quia novus homo sic contemperatus est veteri , ut veritatem susciperet generis , & vitium excluderet vetustatis.*

Denique, sanctus Damascenus , qui apertiùs pro Vasquesii sententiâ militare videtur , non aliam à Christo ablegat servitutem, quàm quæ per peccatum est introducta , ait enim lib. 4. de Fide cap. 19. *Si qua reverà disjungi nequeunt , hoc est , carnem à Verbo , animô , & cogitatione distinxeris , & servus & ignarus dicitur : qui videlicet serva & ignoratione natura laborantis erat : ac nisi caro Deo Verbo copulata fuisset , serva proculdubiò & ignorans extitisset , verum ob personalem cum Deo unionem id habuit , ut nec serva esset nec in ignoratione versaretur.* Quibus verbis significat illam tantùm à Christo removeri servitutem, cui sicut & ignorantiæ fuisset subjecta ipsius humanitas , si à Verbo non fuisset assumpta. Certum est autem quòd non fuisset sujecta ignorantiæ nisi propter peccatum : igitur S. Damascenus solùm removet à Christo servitutem , quæ per peccatum inducta fuisset : igitur non est cur tantoperè sibi blandiatur Vasques suam sententiam apertis & evidentibus Conciliorum & SS. Patrum oraculis esse firmatam.

Vrget Vasques : Concilium Francofordiense , postquam à Christo removit servitutes præfatas, subjicit ; *Quid dicitis de Deo Patre qui eum in baptismo & transfiguratione* FILIUM *nominavit, non* SERVUM?

Deinde, si Christus posset dici servus servitute naturali , frustrà tantopere laborasset Adrianus summus Pontifex , ut omnes Scripturæ textus aliquam Christo servitutem tribuentes, in sensum allegoricum detorqueret , facili namque negotiô dixisset illos esse intelligendos de servitute naturali Christi in ordine ad Deum , si illam in Christo agnovisset.

Respondeo primò negando consequentiam. Nam præter servitutem naturalem, quâ homo dependet à Deo , etiam habere potest aliam servitutem respectu Dei ex peccato coontractam , siquidem eo ipso quô homo peccator est , novô titulô Deo ut Judici & vindici subjicitur , Deusque oovum jus obtinet in peccatorem , ut ipsum non solùm pœnis subjiciat , sed etiam exterminet & annihilet.

Respondeo secundò , Concilium loqui de servitute quæ fundaretur in supposito & persooâ, qualem servitutem admittebant Felix & Elipandus, qui Nestorii errorem innovantes , duplicem in Christo personâ affirmabant, ut significant Patres ejusdem Concilii , Felicem & Elipandum in eâdem epistolâ sic alloquentes , *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio refutata etiam & damnata est?* Unde S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 21. *Si autem*, ait , *qui servum eum dicunt , unum Christum instar Nestorii in duos dividunt.*

Respondeo ad secundum Consultius quidem ac rectius fuisset Scripturæ testimonia in proprio quàm in metaphorico sensu accipere : nihilominùs prudenti consilio Pontifex ad metaphoram deduxit , oe servitutis nomen (tantopere Hispanis odiosum propter diram ac diuturnam eorum servitutem , quâ à Mauris vexabantur) Christo tribueret , & sic Hispanicæ Ecclesiæ Patribus gravis & infensus appareret.

SECTIO II.

De Humanitate Christi.

CHRISTUM esse verum hominem , non est quòd probemus contra Judæos ; nihil enim certius ab omnibus illis existimatum est, quippe omnes Prophetiæ quæ venturum Messiam prænuntiabant , eum de semine Abrahæ ex fœmore Jacob ; Davidis filium , & aliud ejusmodi significabant. Idipsum expressè docuit Moses Deuter. 18. dum populum Judaïcum alloquens , ait : *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus.* Quoniam verò in hac assertiooe iofestos habet Ecclesiæ fides antiquos omnes hæreticos , quos in hujus tractatûs præludio recensui : quippe hominem specie tenus assumptum aliqui putaverunt : nonnulli veram carnem inficiati sunt , vel è cœlo delibutum corpus dixeruot, vel animam , partemve animæ segregârunt , aut ejus facultates negaverunt. Contra utrosque hæreticorum cuneos hac in sectione pugnandum est, ac docendum , perfectam hominis in Christo fuisse naturam & suis omnibus expletam partibus ac facultatibus , quales sunt anima rationalis & humanum corpus ac utriusque naturales partes & potentiæ. Quô unô demonstratô, causam adversus illos obtinebimus , qui aut effigiem solam hominis adumbratam esse in Christo mentiti sunt : aut solam animæ substantiam absque corpore fuisse cum hujus imagine aut larva : aut istud ipsum carne minimè constare ; sed alienâ ex materia seu ex æthere cœlove esse decerptum existimant.

Quatuor igitur maximè veniunt hîc determinanda. *Primum*, an Christus verè integram hominis naturam animâ rationali & humanô corpore constantem assumpserit. *Secundum*, an omnes humani corporis partes & humores inseparabiliter sibi conjunxerit. *Tertium* , an Christi humanitas propriam habuerit existentiam ac substantialem existendi & subsistendi modum. *Quartum* , an habuerit omnes animæ facultates , maximè voluntatem humanam eamque in omnibus divinæ concordem. Sectionis distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

An Christus verè integram humanitatem animâ rationali, & humanô corpore constantem habeat?

NOtandum primò , citra dubium esse, Verbum divinum ab eo tempore , quô in humanis apparuit, hominem fuisse denuntiatum & appellatum, nec ullus est hæreticorum, qui eam constantem veritatem deneget , quippe id apertissimè testantur Scripturarum oracula, noo solùm Veteris Testamenti, sed maximè oovi. Sic Joan. 8. Christus ipsemet, ait: *Quæritis me interficere hominem qui veritatem locutus sum vobis.* Et c. 9. Cæcus illuminatus à 1. Christum Dominum hominem esse Scriptura sacra significat.

Christo dixit; *Ille homo qui dicitur Iesus lutum fecit*, &c. Quin eùm audiret Christus, non correxit, sed ulteriùs ab illo petiit, ut crederet etiam ipsum esse Filium Dei. Et cap. 10. Judæi dicentes Christo: *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum:* Christus verò primum admittens, se nihilominus Deum esse, & rectè appellari confirmat. Unde Caïphas Joan. 11. & 18. consilium, spiritu propheticô motus, dedit Judæis: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo*, &c. Quem hominem ibidem declarat Evangelista esse Jesum Christum, qui moriturus erat pro universo humano genere. Solùm ergo dubium restat an illa hominis appellatio Christo reverà fuerit attributa: ita quòd veram humanitatem in ipsô designaverit, an autem duntaxat fuerit metaphorica quædam locutio, ut contendebant olim hæretici, quotquot integram in Christo ac veram humanitatem existere denegabant.

II.
Varii hæretici animâ rationalem Christo D. denegaverunt.

Notandum secundò, varios, ut in hujus tractatûs præludio monuimus, hæreticos extitisse, qui veram animam in Christo negabant; imprimis namque *Ariani* quadam docebant Christum non habere veram animam rationalem, sed Verbum illi fuisse locô animæ, ut refert S. Epiphanius hæresi 69. & sanctus August. hæresi 49. qui quidem error etiam tribuitur Eusebio Cæsariensi, & aliis Arianis ejus sequacibus in 7. Synodo actione 6.

Maximè verò Ariani.

Apollinaris autem, qui in principio idem senserat cum Arianis, postmodum apertis Scripturæ textibus convictus erroris, nec tamen cedens, demùm docuit in Christo quidem esse animam sentientem; non verò mentem, ut referunt Epiphanius hæresi 77. Nazianzenus orat. 46. August. hæresi 55. Quid autem nomine *mentis* intellexerit hæreticus ille, an scilicet potentiam intellectivam, vel ipsam substantiam rationalis animæ, non satis apertè explicant dicti Patres. Nam August. dicit: Negavit mentem quæ est rationalis anima hominis; Epiphanius verò refert se interrogasse hæreticos quid nomine *mentis* intelligerent, ipsosque respondisse esse substantiam seu spiritum: Ex quo, inquit Suares, disp. 15. sect. 7. sequitur eos negasse partem quamdam humanæ naturæ, fortè eô sensu quô hæretici *dicti Dimerita* dixerunt, ex tribus partibus humanæ naturæ, corpore, animâ & mente, Verbum duas priores tantùm assumpsisse, ut constat ex S. Epiphanio hæresi 78. & ex epistolis Damasi, quas refert Nicephorus lib. 12. historiæ cap. 17. in quibus Damasus contra hos hæreticos definit assumpsisse Christum veram animam rationalem, non obscurè indicans illos hæreticos id negasse, & in eo secutos fuisse errorem Apollinaris.

Apollinaristæ.

Dimerita.

III.
Plurimi hæretici in Christo D. verum corpus esse negaverunt.

Notandum tertiò, varios itidem hæreticos negavisse in Christo verum corpus ex Virginis fœcunditate & semine genitum; siquidem Marcion Episcopi filius, & Cerdonis discipulus, ut refert, Tertul. lib. de præscr. cap. 51. illiusque sequaces contendunt in Christo solum fuisse corpus phantasticum & apparens, ut referunt Justinus Martyr Apologiâ 2. pro Christianis: Irenæus lib. 1. cap. 29. qui ait, propterea hunc hæreticum expunxisse prima capita Evangelii Lucæ quæ sunt de humana Christi generatione, & Tertullianus illis libris, quos contra Marcionem edidit. Fuerunt verò alii hæretici, qui verum corpus Christum habuisse docuerunt, sed non ejusdem rationis cum nostro, qui idcircò varias in partes scissi sunt: quidam enim dixerunt Christi A corpus formatum fuisse ex elementis, ut *Apelles* Marcionis discipulus & postea desertor, inquit, Tertul. alii habuisse corpus cœleste, ut *Valentinus*: qui, *inquit* Tertul. lib. de præscript. cap. 49. dicebat Christum *spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nil inde vel accipientem vel mutuantem.* Alii denique dixerunt habuisse corpus divinum consubstantiale Divinitati, vel certè ex ipsa formatum, ut docebat *Apollinaris*, referente Justinô Martyre Apologiâ 2. circa finem.

1. Marcionitæ.
2. Apelleitæ.
Valentiniani.

Tria igitur sunt hîc distinctè resolvenda majoris B claritatis gratiâ, quæ nihilominùs in idem collineant. *Primum*, quòd Christus veram & integram humanitatem assumpserit. *Secundum*, quòd verum corpus nostris consubstantiale habuerit. *Tertium* quòd etiam veram animam rationalem habuerit nostris omnino similem.

Conclusio Unica.

IV.
Verbum divinum assumpsit verum corpus & veram animam.

V*Erbum divinum veram & integram humanitatem assumpsit, animâ rationali & humanô corpore constantem.* Hæc est de fide determinata in variis Conciliis generalibus & Symbolis. Fir- C maturque illis omnibus Scripturæ sacræ oraculis, quæ Deum factum hominem confirmant ac nostri similem, & inter nos humanô more versatum ac locutum. Etenim homo non est, sed larva hominis & imago mendax, quod parte aliquâ necessariâ & substantivâ hominis caret. Quamobrem, ut argumentatur Theodoretus lib. 1. contra hæreticos cap. 14. *quoties vel hominem se Christus vocat, vel cùm Abrahami & Davidis semini ac stirpi inscribitur, toties vera carnis ac vera animæ testimonium perhibetur; non enim si alterutra pars desit, nuncupationibus istis veritas subest.* Quam utique rationem eximiè expendit S. Hi- D larius lib. 9. & ex eo Theodoretus: *Natus igitur*, inquit, *Vnigenitus Deus ex Virgine homo, & secundùm plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia Evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret. Locutus & gerens homo universa quæ Dei sunt; loquens deinde & gerens Deus universa quæ hominis sunt: ita tamen, ut in ipso illo utriusque generis sermone nunquam, nisi cum significatione* HOMINIS *locutus & D*EI *sit.*

Ut colligitur ex Scriptura.

V.
1. Definitur in Symbolis.
Et Conciliis.

Eandem veritatem testantur vetustissima Symbola, quæ ante Nycænam Synodum per Eccle- E sias legebantur. Hoc Nycænæ ipsius, & sequentium Synodorum decisiones ac fidei professiones apertissimè tradunt, dum proferunt Verbum incarnatum & hominem factum. Hinc Synodus Constantinopolitana secunda inter Oecumenicas, epistolâ ad Damasum & alios in Romana Synodo congregatos, ait: *Se nec animæ aut mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere: verùm nosse se perfectum ante sæcula Dei Verbum & perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse.* Chalcedonensis in decreto fidei quod actione 3. promulgatum est, Christum Dominum eundem affirmat esse *perfectum in Divinitate & perfectum in humanitate; Deum & hominem reverà eundem ex anima rationali & corpore: consubstantialem Patri secundùm Divinitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem, & per omnia similem nobis absque peccato:* quæ Athanasii Symbolum

eadem expressit sententia : *Perfectus*, inquit, *Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens.* Longum esset & supervacuum hic scribere omnes posteriorum Conciliorum definitiones, ac SS. Patrum authoritates, quibus Catholica hæc veritas docetur & firmatur : juvat tamen illam probare argumentis, quibus utuntur plerique Patres ad eandem veritatem confirmandam.

VI.
1 Ratione firmatur.
1. Quia aliàs Christus non esset verus homo.

Primum itaque argumentandi genus ex eo deducitur, quòd nisi integra esset Christi humana natura, vera non esset, nec verus homo Christus, idcòque nec homo esset omnino; nam qood verè aliquid non est, hoc simpliciter oon est : sie aotem ratiocinatur Tertullianus in libro de carne Christi : *Aliter*, inquit, *non diceretur homo Christus sine carne ; nec hominis filius sine aliquo parente homine, sicut nec Deus sine spiritu Dei, nec Dei Filius, sine Deo Patre..... quid dimidias cum mendacio Christum ? Totus veritas fuit.* Hinc lib. de resurrectione carnis cap. 40. *Porrò nec anima*, inquit, *per semetipsam homo, quæ figmento jam homini appellato posteà inserta est : nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribitur : ita vocabulum* HOMO *consertarum substantiarum duarum quòdam modò fibula est sub quò vocabulò non possunt esse, nisi cohærente.* Eandem ratiocinationem format Gelasius in libro de duabus naturis, probans adversus Acephalos Christum constare duabos naturis, quoniam unius
» rei proprietate sublatâ, inquit, pro parte apud
» eos medius erit Christus non unus, non integer;
» ideoque nec verus : sequitur ut falsus, quia mo-
» dis omnibus in hoc tendit abruptum, si aliquid
» naturaliter inde removetur, ex quibus vel in qui-
» bus unus & integer Christus est : ob hoc conse-
» quenter & verus : ergo ut verus sit, integer sit
» necesse est : ut integer unus idémque persistet.
» Hæc Gelasius.

VII.
2. Quia Christus esse debuit verus Mediator inter Deum & homines.

Probatur secundò ex eo quòd Christus Redemptor debuit inter nos ac Deum sequester conciliatorque esse, hoc est medium, sive, ut loquitur Scriptura *Mediator*; decuit autem hujusmodi Mediatorem ambas utrasque partes in se complecti, ut faciliùs concordes statueret. Sic ratiocinatur sanctus Hilarius lib. 9. sob initium : *Mediator*, inquit, *ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus & illo ipsò inter Deum & hominem mediatoris sacramentò utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, natura utriusque res eadem est; ita tamen, ut neutrò careret in utroque.* Hoc argumentum loculentis verbis urget sanctus Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 15. ubi ait : *Non incassum hominem Iesum Christum Mediatorem Dei & hominum nuncupatum ; nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis : & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo ; inter Deum irascentem, hominemque peccantem ; talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, & ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se homine natum hominem contineret.*

Denique *probant* SS. Patres totum hominem idcirco à Verbo assumptum, quia totus homo vulneratus sanari debuit. Testatur hoc imprimis Justinus Martyr circa finem Apologetici primi, dicens : *Nostrâ causâ hominem factum esse Dei Verbum, uti passionum nostrarum particeps factus remedium adhiberet.* Greg. Nazianzenus epistolâ

A 1. ad Cledonium. *Si quis*, inquit, *in hominem mentis expertem speres* (loquitur de Apollinare) *amens est reverà, neque dignus qui totus salvetur : quod enim assumptum non est quæ rationis est expers: quod autem unitum est Deo, ipsum & salute donatur : si dimidiatus tantùm Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tantummodo sit quod assumitur & salvum sit. Quod si totus peccavit, toti quoque genito unitus est : atque ex toto salutem assequitur.* In idem collineat Faustinus lib. contra Arianos cap. 3. *Totus*, inquit, *Adam totum salvare venerat ; non autem videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis & animæ ; hoc enim totus homo est per naturam.* Idem urget sanctus Ambros. epistola 63. sic scribens: B *Adversus Apollinarem legitimam hanc esse circonspectionem, ut confiteamur, sicut in Dei forma nihil ei defuit ut divinæ naturæ & plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quò imperfectus homo judicaretur, qui ideò venit, ut totum hominem salvum faceret ; neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur; si enim aliquid ei defuit, non totum redemit : si non totum redemit : fefellit igitur qui dixit, ideò se venisse ut totum hominem salvum faceret. Sed quia impossibile est mentiri Deum ; non fefellit ergo; quia ita venit, ut totum redimeret & salvum faceret ; totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis.* Istud argumentum mirum in C modum urget sanctus Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 10. ubi inter cætera ait : *Hoc Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit ; & illam Deus Dei Filius naturam fecit participem salutis æternæ, quàm sibi conjunxit in unitate personæ.*

3. Quia totus homo vulneratus, totus assumi debuit ut sanaretur.

Objiciebat 1. Apollinaris. Duo perfecta non capiebat Christus, seu duæ naturæ perfectæ in unam personam ooo poterant coalescere : igitur Christus duas integras & perfectas naturas, quales suot divina & humana, non habet sibi personaliter unitas.

VII.
Qualiter duæ naturæ perfectæ in Christo uniri potuerunt.

Respondet S. Gregorius Nazianz. mox laudatus, antecedens esse verum in iis quæ, instar eorporum continentur, vas enim unius modii capax duos non continebit, neqoe corporis unius locus duo corpora : at in intelligibilibus & eorporis D expertibus rem secus habere, hæc enim plura possunt esse simul ac etiam pervadere ac penetrare se possunt. *Addo* : Distingui posse illud antecedens : Duo perfecta tam secundùm naturam quàm secundùm suppositum, simul in unam personam coalescere oequeunt, concedo : quorum unum est duntaxat secundùm naturam, & perfectibile est per suppositum alterius à quo debet compleri & sustentari oego; humanitas autem Christi est duntaxat perfecta secundùm naturam, & perficitur ac completur per suppositum Verbi.

Objiciebat 2. Si Christus fuisset perfectus homo, fuisset mundi pars : at hoc dici nequit, quia E mundi pars non potest afferre salutem mundo. Igitur non fuit perfectus homo.

Respondeo 1. negari posse majorem : siquidem Christus oon tantùm homo sed est etiam Deus, qua ratione non est mundi pars, sed Dominus. *Respondeo secundò*, oegando minorem, qoid enim obstat quominùs pars mundi salotem mundo afferat ? quippe decebat ot homo nostri similis salutem nobis afferret, juxta illud Psalmi, *Frater non redimit, redimet homo*, non utique homo purus, sed homo Deus, ut explicat sanctus Augustinus.

Objiciebat 3. illud Pauli ad Philipp. 3. ubi de Christo Domino dicitur, quòd sit *in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.* Igitur reverà Christus non erat homo, sed tantùm ad instar hominum.

VIII. Quomodo Christus D. censeatur in similitudinem hominum.

Nego consequentiam. Et ad antecedens dico illam particulam *in similitudinem* non excludere veritatem, sicut patet Genes. 2. cùm dicitur quòd Adam genuit Filium *ad imaginem & similitudinem suam.* Vel si gratis demus illam particulam excludere veritatem, reponam cum S. Chrysostomo in hunc locum, illud non referri ad homines ut homines, sed ad homines ut peccatores, quomodo de eodem Christo dicitur ad Romanos 8. quod habuerit carnem *in similitudinem carnis peccati,* quamvis non habuerit carnem peccati. Cætera quæ objiciebat referet sequens

Conclusio Secunda.

IX. Veram habuit animã rationalem.

CHristus habuit animam rationalem ejusdem speciei cum cæteris animabus hominum. Hæc etiam est de fide, ut constat ex præcedenti concl. & probatur insuper illis Scripturæ textibus quibus Christus Dominus de sua anima sermonem fecit.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Sic Joannis 12. *Nunc anima mea turbata est.* Et Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ubi nomine *anima,* non potest Verbum divinum intelligi; alioqui sequeretur illud esse passibile ac humanis passionibus & affectibus subditum, quòd neque ipsi Apollinaristæ admittebant, utpote cùm crederent Verbum esse verum Deum. Nec etiam ista oracula possunt accipi metaphoricè, quemadmodum in Veteri Testamento dicitur *anima Dei,* id est, divina voluntas: Sic Isaiæ primò: *Kalendas vestras & solemnitates vestras odit anima mea,* hoc est, meæ divinitati sunt odiosæ. Nam reverà nomine *anima* Christus veram sui corporis vivificantem animam ab ipsa divinitate distinctam sufficienter significavit, cùm ait Joan. 12. *Potestatem habeo ponendi animam meam: & iterum sumendi eam.* Hæc enim potestas ponendi animam, fuit in aliquo ab anima distincto; non quidem in corpore, cùm corpus non habeat potestatem se solô ablegandi, & resumendi animam: igitur hæc maximè residebat in divinitate Christi: igitur Christi divinitas & ejus anima distinguuntur.

Nec etiam testimonia illa possunt exponi de anima sentiente, tum quia ibi non est sermo de quacunque tristitia rationali, sed de tristitia voluntaria, ut constat ex verbis sequentibus, *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Tum quia ex voluntaria consideratione & attentione excitavit in se illam tristitiam, ut argumentatur VI. Syn. Act. 8. quod utique confirmatur ex Joann. 10. ubi Christus Judæos ejus necem meditantes ita alloquens ait, *Potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam.* Ex quibus constat illum habuisse libertatem arbitrii & subinde animam rationalem.

2. Ex Conciliis.

Insuper hæc veritas definita est in plurimis Conciliis. Primùm quidem in Concilio *Romano* sub Damaso Papa in professione fidei quam refert Theodoretus lib. 5. Historiæ cap. 9. *Ephesino* in epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ ibidem approbatur Canone 3. *Chalcedonensi* sessione 1. & aliis sequentibus.

3. Ex SS. Patribus.

Eam itidem veritatem tradunt, omnes sancti Patres, maximè sanctus Leo in epistolis 11. 72. & 93. & sanctus Augustinus librô contra Felicianum Arianum cap. 13. ubi illam veritatem plurimis rationibus demonstrat; quarum potissimam desumit ex fine Incarnationis: *Tum quia* sine rationali anima non potuisset Christus orare, mereri nec satisfacere: *Tum quia* cùm incarnatus fuerit ad redimendum hominem lapsum, assumere debuit id quod potissimum in homine ceciderat, quodque maximè redemptione indigebat; hoc autem est anima rationalis.

4. Ratione.

Confirmari potest etiam rationibus Philosophicis: Siquidem Deus non potest fieri forma corporis; quippe forma est totius compositi pars constitutiva: omnis autem pars imperfectionem denotat, quæ longè à Deo eliminanda est.

Deinde, etiamsi potest aliquatenus informare, cùm compositum suam denominationem accipiat à forma, nullâ ratione Christus esset verus homo, quippe hominis formam constitutivam non haberet.

Denique, anima rationalis non est in homine distincta à sensitiva: ergo si Christus assumpsisset tantùm animam sensitivam, non assumpsisset animam hominis, sed bruti.

Objiciebat Apollinaris. Si Christus totum ac perfectum suscepit hominem, consequens est humanas in eo cogitationes extitisse: fieri autem non potest ut non sit in humanis cogitationibus aliquid peccati; quia, inquit Apostolus, ad Rom. 8. *Sapientia carnis mors est: & Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non subjicitur.* Unde concludebat Apollinaris, ut refert Leontius, Deum totum hominem non assumpsisse, quandoquidem totus homo non est expers omnis peccati in hac via.

X. Inde tamen non sequitur peccatũ esse in eo.

Respondent sancti Patres, maximè sanctus Athanasius librô *de salute advenarum,* negando vitiosas hujusmodi cogitationes, sive affectus in humana Christi natura fuisse; quippe non sunt illius naturæ appendices, sed peccati fœtus: quare in Adamo ante lapsum neutiquam istæ cogitationes, quæ concupiscentiæ vocabulô censentur, extabant: sed, inquit Athanasius, postquam mandatum prætergressus est, talibus cogitationibus obstrictus esse cœpit: non quòd Deus urgentes cogitationes istas creaverit: sed quòd diabolus ex fraude ac deceptione illas super rationali natura seminaverit, postquam in transgressione legis constituta esset, & à Deo rejecta. Cùm ergo Christus nullâ prorsus cogitatione fuerit infectus Adami peccatoris, immunis fuit ab ejusmodi cogitationum & illecebra carnis.

Objiciebat secundò: Si Christus habuisset reverà integram animam rationalem & mentem humanam, duas etiam principales moderatrices habuisset humanarum actionum facultates, nempe humanam mentem & divinam voluntatem: at hoc dici non debet, quippe unica moderatrix sufficiebat: superfluebat igitur altera: in Christo autem nil debuit esse superfluum: igitur non debuit mentem humanam assumere cùm ad suas moderandas actiones sufficientissima fuerit divina voluntas.

XI. Duæ erant in Christo voluntates directrices: sed humana subjiciebatur divinæ.

Nego minorem: Nam, inquit sanctus Maximus martyr apud Euth. Panopl. titulô 7. *Quemadmodum lana alba purpura colore tincta, non est bicolor, sed unius duntaxat coloris, sic in assumpta natura, deificatâ hominis mente, non sunt duo principalia Deus & mens, sed unum videlicet qui divinam mentem effecit Deus:* Quibus verbis non vult Maximus extinctam fuisse mentem in Christi anima ex consortio divinitatis, quemadmodum

lanæ candor aboletur purpuræ rubore suffectus, A sed solùm quòd salvâ & integrâ manente animâ, ejusque principali parte, quæ est mens, ea tamen principatum non tenuit actionum, sed cùm ex toto Divinitate esset imbuta & munita ad hujusce ductum ac moderationem applicabat; ita quòd divina mens humanam in Christo mentem ageret eamque gubernaret.

Conclusio Tertia.

XII. Christi D. corpus erat ejusdem materiæ cum nostro.

VErbum divinum corpus humanum assumpsit ejusdem materiæ & rationis cum nostro. Hæc pariter est de fide quam apertè Scriptura tradit: Sic B Joannis 1. legimus: *Verbum caro factum est*, non per conversionem Divinitatis in carnem, sed per assumptionem humanitatis, & unionem cum persona Verbi. Hinc Rom. 1. Christus dicitur, *Factus ex semine David secundùm carnem.* Et ad Hebræos 2. *Quia pueri communicaverunt carni & sanguini: & Filius Dei participavit eisdem.* Idem definitum est in Conciliis supra laudatis, & specialiter in Concilio *Hispalensi* 2. cap. 13. & in *Bracharensi* 1. cap. 4.

Ut egregiè probat Tertullianus, primò ex ejus Nativitate.

Eandem veritatem probat Tertullianus quinque libris contra Marcionem: maximè verò librô *de carne Christi* cujus præcipuas rationes in gratiam Religiosæ juventutis cui nondum hic C Author familiaris est, hîc summariè referre luber. Probat Christum veram habuisse carnem *primò ex ejus Nativitate.* Marcion, inquit c. 1. ut carnem Christi negaret, negavit etiam Nativitatem, aut ut Nativitatem negaret, negavit & carnem, scilicet ne invicem sibi testimonium redderent & responderent nativitas & caro, quia nec nativitas sine carne, nec caro sine nativitate. *Inde cap.* 2. carpit Marcionem quòd deleverit prima capita Evangelii Lucæ, quibus Christi Nativitas & infantia delineatur: His opinor, inquit, consiliis & originalis instrumenta Christi delere Marcion ausus est, ne caro ejus probaretur, & quâ oro te authoritate? Si Propheta es: prenuntia aliquid, si D Apostolus, prædica publicè: si Apostolicus, cum Apostolis senti: si tantummodo Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorum es, meritò dixerim, morere: nam & mortuus es non credendo quod creditum Christianos facit.

Cap. 3. Probat illam nativitatem & carnis assumptionem nec impossibilem, nec inconvenientem esse Deo. Non potest, inquit, dicere si natus fuisset & hominem verè induisset, Deus esse desiisset, amittens quod erat dum assumit quod non erat: periculum enim statûs sui Deo nullum est.

Cap. 4. Demonstrat illam nativitatem ex Virgine, neque indignam, neque Deo stultam. E Unde sic Marcionem interpellat, ab ipsa quidem exortus odiô habitâ nativitate, Perora, age jam spurcitias genitalium in utero elementorum, humoris & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per novem menses, describe uterum de die in idem insolescentem, gravem, anxium, nexum, totum incertum libidinibus fastidii & gulæ. Invehere jam & in ipsum mulieris enitentis pudorem, vel pro periculo honorandum vel pro natura religiosum. Horres utique & infantem cum suis impedimentis profusum utique & oblitum, dedignaris quòd pannis fringitur, quòd vinctionibus formatur, quòd blanditiis deridetur. Hanc venerationem, ô Marcion, naturæ despicis: & quomodo natus es? odisti nascentem hominem, & quomodo diligis aliquem, te quidem planè non amasti cùm ab Ecclesia & fide Christi recessisti, sed videris si tibi displices aut si aliter natus es. Certè Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria natum: propter eum descendit, propter eum prædicavit: propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, & mortem crucis: amavit utique quem magnô pretiô redemit.

XIII. 2. Ex vera ejus passione & morte.

Confirmat cap. 5. demonstrando Christum veram habuisse carnem, quia verè passus & crucifixus est. Quid enim, inquit, indignius Deo? quid magis erubescendum? nasci, an mori? carnem B gestare an crucem? circumcidi, an suffigi? educari? in præsepè deponi, an in monumentum recondi? ...... Hîc responde, interfector veritatis, nonne verè crucifixus est Deus? nonne verè mortuus, ut verè crucifixus? nonne verè ressuscitatus, ut verè scilicet mortuus? Falsò ergo statuit inter nos scire Paulus tantùm crucifixum, falsò sepultum ingessit, falsò ressuscitatum inculcavit. Falsa est igitur & fides nostra & totum phantasma est quod speramus à Christo. Scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil verè est passus. Parce unicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei: quodcumque de eo C indignum est, mihi expedit: salvus sum si non confundar de Domino meo. Qui me, inquit, confusus fuerit, confundar & eum, aliàs non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent, bene impudentem & feliciter stultum, natus est Dei Filius: non pudet quia ineptum est: & sepultus resurrexit, certum est quia impossibile est. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus? si non verè habuit in se quod figeretur, quòd moreretur, quod sepeliretur, & ressuscitaretur? Carnem scilicet hanc sanguine suffusam, ossibus substructam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci & D mori novit, humanam sine dubio, ut natam de homine.

XIV. 3. Ex ejusdem corporis constitutione.

Cap. 6. Vrget contra Appellem Marcionis discipulum, qui asserebat Christum de sideribus & substantiis, superioris mundi carnem esse mutuatam: licèt Angeli sibi efficiant corpora ex materia cœlesti aut aërea dum hominibus apparent: igitur ait: Qui carnem Christi ad exemplum proponunt Angelorum, non natam dicentes scilicet carneam, comparent velim & causas tam Christi, quàm & Angelorum ob quas in carnem venerunt. Nullus unquam Angelus ideò descendit ut crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut à morte ressuscitaretur: si nunquam ejusmodi fuit causa Angelorum corporandorum, habes causam [illegible] E non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori, ideò nec nasci: at verò Christus mori missus; nasci quoque necessariò habuit, ut mori posset; non enim mori solet nisi quod nascitur. Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate: forma moriendi, causa nascendi est ...... homo verè futurus usque ad mortem, eam carnem oportebat ut indueret cujus est mori, eam porrò carnem cujus & mori nativitas antecedit.

Deinde sibi objiciens illud Lucæ 8. ubi Christus respondet: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Quasi matrem & fratres respuisset, Respondet non istud dixisse ut matrem negaret, sed ut potiores faceret illos qui Verbum Dei au-

diunt & custodiunt; negavit itaque parentes quomodo docuit negandos pro Dei opere Matthæi 10. *Demum cap.* 8. refellens commentum Appellis somniantis Angelum igneum cælestia condidisse ex pœnitentia debiti, ostendit quòd si exinde caro Christi esset deducta de peccati constitisset elementis, peccatrix de peccatorio sensu, & par erit ejus substantiæ, id est nostræ, quam ut peccatricem Christus dedignatur induere.

XV. 4. Quòd Christus omnia veri corporis signa habuit.

Cap. 9. Demonstrat omnia veræ carnis terrenæ signa in Christo fuisse. Considera, inquit, singulas qualitates, musculos ut glebas, ossa ut saxa, etiam circum papillas calculos quosdam. Aspice nervorum tenaces connexus, & traduces radicum, & venarum ramosos discursus ut ambages rivorum; & lanugines ut muscos, & comam ut cespitem, & ipsos medullarum in adesto thesauros ut metalla carnis: hæc omnia terrenæ originis signa & in Christo fuerunt: hæc sunt quæ illum Dei Filium celavere.... nam quæ enumeravimus adeo terrenæ testimonia carnis sunt, ut & nostræ... Quid dicis cœlestem carnem quam unde cœlestem intelligas non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoscas habes? Esurit sub diabolo; sitivit sub Samaritide, lacrymatus super Lazarum, trepidat ad mortem: *Caro enim*, inquit, *infirma*: sanguinem fudit postremò. Hæc sunt, opinor, signa cœlestia: sed quomodo, inquam, contemni & pati posset, si quid in illa carne de cœlesti generositate radiasset?

XVI. 5. Quia non solùm in Maria, sed etiam ex Maria fuit formatus.

Probat denique Tertullianus *cap.* 17. & sequentibus ex eo quod Christus conceptus & natus fuerit ex Maria, & non solùm in Maria Virgine: Si primus Adam, inquit, de terra traditur, meritò sequens vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit; proinde de terra, id est, carne nondum generationi resignata in spiritum vivificantem à Deo est prolatus.... Sed & hîc ratio defendit quòd Deus imaginem, & similitudinem suam à diabolo captam æmulâ operatione recuperavit; in virginem adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in Virgine æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit: sed Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo; imò concepit, nam exinde ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fecit: enixa est denique diabolum fratricidam: contrà Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel interemptorem suum salvum quandoque præstaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet; inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quô jam damnatus intraverat.

Et *cap.* 10. respondens objectioni Valentini dicentis quidem Christum natum per Virginem non ex Virgine: & in vulva, non ex vulva; quia & Angelus in somnis ad Joseph: Quod in ea natum est, inquit, de Spiritu sancto est, non dixit *ex ea*; sic huic objectioni facit satis: Etsi *ex ea* dixisset, *in ea* dixerat: in ea enim erat quod ex eâ erat: tantundem ergo & cùm dixit in ea & ex ea consonat: quia ex ea erat; quod in ea erat. Sed bene quod idem dicit Matthæus originem Dei decurrens ab Abraham usque ad Mariam. *Iacob*, inquit, *generavit Ioseph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus*. Sed & Paulus Grammaticis istis silentium imponit: *Misit*, inquit, *Deus Filium suum factum ex muliere*. Numquid per mulierem aut in mulierem? Hoc quidem impressiùs, quod factum potius dicit quàm natum, simpliciùs enim enuntiasset natum: factum autem dicendo, & Verbum caro factum est, consignavit & carnis veritatem ex Virgine factam asseveravit.

XVII. Quâ ratione S. Paulus dixerit se non cognoscere Christum secundùm carnem.

Dices. Sanctus Paulus 2. ad Corinth. cap. 5. ait: *Si cognovimus Christum secundùm carnem, sed jam non novimus*, id est, ut exponebat Faustus Manichæus, Paulus in principio existimabat Christum habuisse veram carnem; posteà verò doctior factus mutavit sententiam & eum non verâ; sed duntaxat apparenti carne velatum agnovit.

Respondeo impiam illam esse Fausti expositionem. Unde duplex potest esse sensus illius oraculi. *Primus*, ut Paulus loquatur pro eo tempore, quô Christum in suis fidelibus persequebatur; quasi diceret, etsi aliquando *secundùm carnem*, id est, carnaliter judicantes de Christo indignam æstimationem habuimus, sed jam non ita novimus seu existimamus. Vel *secundus* sensus esse potest; quòd loquatur de conditione carnis passibilis, in qua cognovit Christum dum vitam mortalem ageret: sed jam eum ita mortalem non novit. Quæ expositio traditur in VII. Synodo act. 6. & ab August. lib. 11. contra Faustum; quadratque Pauli verbis; siquidem postmodum subjungit: *Et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro eis mortuus est & resurrexit*.

Dices secundò. Idem Apostolus 1. ad Cor. 15. docet Christum esse hominem cælestem de cœlo in terram delapsum, ait enim: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*; sed Christus non dicitur homo cælestis nisi ratione corporis ex materia cælesti formati: igitur Christi corpus non erat ejusdem substantiæ & rationis cum nostris.

Et eum esse hominem cælestem.

Nego minorem, non enim Christus dicitur *homo cælestis* quòd ejus corpus ex materia cælesti fuerit compactum, sed ita dicitur secundùm personam, quæ divina est ratione formationis sui corporis, quia formatum fuit virtute Spiritûs sancti absque semine: *Vel* dicitur homo cælestis, quia cælestem vitam vixit: quapropter idem Apostolus homines Christum imitantes ibidem cælestes appellat: Adam verò dicitur homo terrenus, utpote subditus peccato: quapropter subjungit sanctus Paulus: *Qualis terrenus tales & terreni, qualis cælestis tales & cælestes*. Qualiter etiam explicat Tertull. lib. de carne Christi cap. 8. *Non*, inquit, *ad materiæ differentiam spectat, sed tantùm terrenæ retro substantiæ carnis primi hominis, id est, Adæ cælestem de Spiritu substantiam opponit secundi hominis, id est, Christi*: Et ideò ad spiritum, non ad carnem cælestem hominem refert, ut quod sic comparat, constet in hac carne terrena cælestes fieri, spiritu scilicet: quòd si secundùm carnem quoque cælestis Christus, non compararentur illi non secundùm carnem cælestes: si ergo qui fiunt cælestes, qualis est Christus, terrenam carnis substantiam gestant; hinc quoque confirmatur ipsum etiam Christum in carne terrena fuisse cælestem, sicut sunt qui ei adæquantur: *Tertiò denique* Christus dicitur homo cælestis, propter gloriam, quam à principio habuit; quamvis enim illa in ipsius corpus non redundaverit ab initio, sed duntaxat in ejus resurrectione; tamen erat connaturaliter debita propter illius unionem ad

Verbum: Primus verò homo dicitur terrenus propter mortalitatem ex peccato contractam. Ita S. Chrysostomus homiliâ 42. in 1. ad Corinth. & Aug. 15. de civitate cap. 23.

QUÆSTIO III.

An Verbum Divinum assumpserit hypostaticè omnes humani corporis partes, maximè verò sanguinem & alios humores.

I. Variæ sunt hominis partes.

NOtandum primò multiplices esse partes humanitatis assumptæ; quædam enim sunt physicè essentiales, ut corpus & anima: aliæ integrantes, ut caput, brachia, crura: & aliæ excrementitiæ, ut capilli, ungues, & ea omnia quæ tanquam superflua ad nutritionem & corporis integritatem non conferunt. *Præterea*, integrantium partium quædam sunt præcisè de integritate corporis humani, ut caput, ossa, caro, & reliquæ; quædam duntaxat de veritate, non verò de integritate, ut sanguis, spiritus vitales, & alii humores, qui eâ ratione dicuntur de veritate corporis, quia corpus humanum sine illis, saltem sine sanguine, qui est basis & fundamentum vitæ, non potest consistere. Quæritur an illas omnes partes Verbum Divinum hypostaticè sibi copulaverit. Conveniunt omnes reverà eum assumpsisse, & sibi copulavisse omnes partes quæ sunt de integritate corporis, alioquin verum & perfectum humanum corpus non assumpsisset, quod est contra præcedentem conclusionem. Gravis autem difficultas est de partibus spectantibus ad corporis veritatem & vitam.

II. Duplicem in humano corpore sãguinem distinguit Cajetanus, nempe *nutrimentalem & naturalem*.

Notandum secundò, quosdam Theologos cum Caietano, *qu. 54. art. 2.* duplicem in corpore humano distinguere sanguinem: alterum nutrimentalem tantummodò, & alterum naturalem, seu quem dicit esse de veritate naturæ. *Nutrimentalis* solùm, est humor quidam sanguineus parùm decoctus, & depuratus, qui veram sanguinis naturam nondum habet, quamvis in colore & aliis accidentibus sit ei similis. Talis est qui proximè ex alimento generatur, idque, vel in hepate, vel in venis ducentibus ad hepar, quas Medici Mesaraïcas appellant: & hunc sanguinem aliquos sudasse refert Philosophus in libro de historia animalium. Sanguis verò *naturalis* ille est, qui fit ex priori per decoctionem majorem, & elaborationem virtutis formativæ sanguinis residentis juxta Galenum in hepate, vel juxta Aristotelem in corde, quò fit ut longè purior evadat, & veram formam substantialem sanguinis obtineat. Dicitur autem *naturalis*, quia licèt ad totum animal nutriendum aliquô modô deserviat; tamen hoc munus ei non est adæquatum, sed prætereà etiam concurrit ad naturalem integritatem & vitam corporis.

Docet autem Caïetanus cum plurimis Thomistis priorem sanguinem non vivere, nec animari formâ vivificante corpus: posteriorem verò esse animatum. At reclamat Doctor subtilis in 3. dist. 30. quæst. 2. num. 2. ubi docet idcirco carnem quam assumpsit Christus nulla fuisse peccati macula fœdatam, nec eguisse ulla gratia sanctificante ut purificaretur ante assumptionem; quia inquit, *sanguines beatæ Virginis de quibus informabatur corpus Christi secundùm Damascenum 48. nunquam fuerunt animati animâ alicujus hominis.* Per consequens nunquam ab anima peccatrice

III. Sanguis non est animatus.

A contraxerunt maculam: Cui sententiæ suffragantur omnes Medici, necnon & Philosophi plurimi, deduciturque ex Aristotele *lib. animalium cap. 3.* ubi dicit, sanguinem esse alimentum ultimum, & esse in venis tanquam in vase; unde *cap. 10.* negat esse partem animalis. Constat autem ex eodem *lib. 3. de anima, textu 43.* alimentum esse alterius substantiæ à vivente, quia nutritio est substantialis conversio, quæ non habet locum inter res ejusdem formæ; unde cùm alimentô incipit informari anima viventis, jam desinit esse alimentum, & incipit esse pars. Cùm ergo sanguis sit ultimum alimentum non informatur animâ, sed ex illo fit proxima conversio & animæ informatio, qualiter debent intelligi illa verba quæ feruntur ex B eo lib. 3. de historia animalium cap. 19. quanquam in codicibus Græcis non habeantur: *Palpitat intra venas sanguis animalium omnium & quandiu vita servatur, semper agit anima & fervet:* Sed quidquid sit de animatione sanguinis, sufficit quòd sit pars humani corporis, ut censeatur à Verbo assumptus.

Utrum autem assumptus sit immediatè, vel duntaxat mediante humanitate; ita quòd propriam suam habuerit subsistentiam, nec substiterit subsistentiâ Verbi; gravis est controversia inter Theologos. *Durandus* enim in 4. dist. 10. qo. 1. C negat ullum sanguinem sive naturalem, sive nutrimentalem à Verbo fuisse hypostaticè assumptum. *Caïetanus* autem & plurimi Thomistæ, distinctionem statuentes inter sanguinem nutrimentalem, & naturalem, asserunt hunc fuisse assumptum, non verò illum. *Cæteri* verò Theologi docent omnem sanguinem, qui fuit in Christo, dum in corpore mortali viveret, fuisse subsistentem subsistentiâ Verbi; respuunt enim illam distinctionem sanguinis in nutrimentalem & naturalem.

Notandum tertiò, circa annum Christi 1351. gravem extitisse controversiam Barchinonæ; dum enim aliqui in prædicta civitate assererent, & publicè prædicarent sanguinem Christi in pas- D sione effusum à Divinitate fuisse separatum, & inde non fuisse in triduo mortis adorandum cultu latriæ: atque ut refert Vvadingus in nostris *Annalibus ad eundem annum, num. 3.* idipsum ex professo doceret *Franciscus Bajuli*, Minoritarum Gardianus; Nicolaus Rosselli tunc in regno Aragoniæ Inquisitor per suas litteras movuit Joannem Morlandinum ex Magistro generali Ordinis Prædicatorum à suo Avunculo Clemente sexto, annô proximè elapsô simul cum Pastore Ordinis Minorum ad Cardinalatum assumptum: hic Morlandinus rescripsit se vivô vocis oraculô accepisse in mandatis à Pontifice die 20. Julii, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant, ju- E dicatumque fuisse omninò hanc opinionem pro hæretica censendam. Compacto processu Nicolaus Inquisitor solis litteris illius Cardinalis innixus, severè animadvertit in omnes, qui istius propositionis assertores fuerant, atque ut in Curia & præsentia Episcopi Barcinonensis, illam sententiam ejurarent, effecit.

IV. Unde gravis controversia exorta circa adorationẽ Christi sanguinis in triduo.

Ita tunc absque tumultu sopitum fuit conclusumque negotium: revixit tamen post centum & tredecim annos eadem opinio apud Brixienses *annô 1462.* prædicante beatô *Iacobô Picenô, à Marchia* communiter nuncupatô, virô utique insignis sanctitatis & plurimis miraculis conspicuô. Cùm autem Jacobus Brixiensis Ordinis Prædicatorum in Lombardia Inquisitor, acriter conten-

Et ubi postmodum renovata.

deret illam opinionem condemnatam fuisse tanquam hæreticam à Clemente VI. ventum est ad asperas lites, & publicas cotam Pio II. disputationes. Nihil tamen à summo Pontifice hac de re decretum fuit, ut constabit infrà.

Status quæstionis.

Tria igitur hac in quæstione maximè sunt resolvenda: *Primum*, an Verbum reverà sanguinem humanum immediatè assumpserit: *Secundum*, an sit de fide: *Tertium*, an etiam Verbum assumpserit immediatè partes excrementitias corporis humani.

Conclusio Prima.

V. Omnis sanguis humanitatis fuit à Verbo assumptus.

Probabilius est omnem humanitatis Christi Domini sanguinem fuisse immediatè à Verbo divino assumptum, & ipsi hypostaticè unitum. Hæc est communior inter Theologos, & colligitur ex Clement. VI. in extravaganti *Unigenitus* de pœnitentia & remissionibus, ubi de sanguine Christi pro nobis effuso ita loquitur: *Quem in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset; sed velut quoddam profluvium noscitur effudisse:* ubi *propter unionem ad Verbum*, videtur ad ipsum sanguinem referri: quanquam referri possit ad totam humanitatem, & sensus sit sanguinem Christi habuisse illum valorem, propter unionem humanitatis cum Verbo; valor enim sanguinis effusi à dignitate humanæ naturæ effundentis illum desumitur: dignitas autem naturæ humanæ provenit ex unione ipsius cum Verbo.

Non potest tamen apertè probari ex Scripturæ textibus qui solent proferri.

Probari solet conclusio ex Scriptura sacra tribuente sanguini Christi remissionem nostrorum peccatorum, & redemptionem. Sic Matthæi 26. Christus tribuens suis Apostolus calicem ait: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ad Ephes. 1. *In quo* (scilicet Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Ad Colossenses 1. *Per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, &c.* 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filii eius emundat nos ab omni peccato.* Apocalypsis 1. *Sancti dicuntur dealbasse stolas suas in sanguine agni.*

Verùm hæc testimonia, ut fatentur etiam Suares disputatione 15. sect. 6. & Vasques disput. 86. cap. 6. non probant efficaciter id quod contendimus. Nam responderi potest sanguinem Christi habuisse hanc efficaciam duntaxat per modum meriti, cujus valor non ex re oblata, sed ex offerente & acceptante desumitur. Quocirca si Christus solô sudore suô seu lacrymis, & quôcunque aliô opere voluisset nostram redemptionem perficere, sicut reverà potuit, non minùs hæc omnia dicerentur, de sudore, lacrymis & operibus, utpotè infiniti valoris & efficientiæ in ratione meriti, quàm de sanguine dicuntur; ut apertè docet sanctus Augustinus lib. 13. de Civitate cap. 15. ubi sic loquitur, *Tunc enim sanguis ille, quoniam ejus erat qui nullum omninò habuit peccatum, ad remissionem nostrorum effusus est peccatorum:* Ubi cùm ait, *qui nullum habuit peccatum*, dignitatem offerentis expressit qui nec habuit nec habere potuit peccatum. Quamvis autem Christus non solùm sanguine suô, sed etiam sudore, lacrymis, laboribus & operibus nobis meruerit nostram redemptionem, nihilominus dicitur solô sanguine redemisse nos, & emundasse nostras conscientias, & dealbasse nostras animas; quia omnia merita ipsius consummata fuerunt per passionem ejus, in qua sanguinem suum effudit pro nobis, itaut nondum intelligeretur perfecta nostra redemptio, donec Christus pro nobis pateretur, & sanguinem suum effunderet.

Probari solet insuper illis Scripturæ textibus, quibus pretium nostræ redemptionis tribuitur ipsi sanguini. Sic 1. Petri cap. 1. *Non corruptibilibus aurô & argentô, sed pretiosô sanguine quasi agni immaculati, &c.* Unde sanctus Augustinus Sermone 128. de Tempore, *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini & totius mundi incolumitas sempiterna, pecunia illa totius mundi copiosa possessio est.* Et sanctus Leo sermone 12. de Passione cap. 3. *Effusio sanguinis Iusti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium.* Eôdem fere modô loquitur sanctus Bernardus sermone 3. de Circuncisione. Verùm eôdem modô reponi potest sanguinem Christi habuisse pretium & valorem, non ratione sui, sed ratione offerentis & fundentis illum. Unde his probationibus omissis,

VI. Suadetur efficaciùs ratione.

Suadetur conclusio hàc ratione. Quidquid pertinet ad integritatem corporis humani assumptum est hypostaticè à Verbo: sed probabilius est sanguinem pertinere ad integritatem humani corporis: igitur Verbum divinum illum hypostaticè assumpsit. Major constat ex præcedenti quæstione in qua probavimus Verbum divinum assumpsisse integram humanitatem, & consequenter corpus omnibus suis partibus constans. Minor verò probatur. *Primò* quidem authoritate Aristotelis *lib. 3. de Historia animalium cap.* 2. ubi refert sanguinem inter partes similares corporis animalis. Cui suffragatur Seneca lib. 2. quæst. naturalium ubi ita scribit: *Quasi pars nostri & sanguis, qui tamen & materia est, parat enim & alia & nihilominus in numero est eorum, quibus totum corpus efficitur:* Subscribit etiam sanctus Damascenus lib. 2. de Fide cap. 12. ubi ait: *Corpus autem omne ex quatuor elementis constatur, animantium verò corpora ex quatuor humoribus.* Idem docuit S. Augustinus epistolâ 146. dicens, *Quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicina disciplina testatur.*

Nihilominùs reponi posset sanguinem in tantùm humani corporis partem censeri, in quantùm in eo involvitur & ad ejus nutritionem, vitam, conservationem & operationem confert; non verò quòd sit germana illius pars integrans; ita quòd sine sanguine non censeatur perfecta & integra humanitas.

VII. Nec non authoritate S. Pauli.

Probatur tertiò, idque efficaciùs illâ authoritate sancti Pauli ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Quapropter sanctus Cyrillus epistolâ quæ lecta fuit & approbata in Concilio Chalcedonensi Actione 1. dictum illud Joannis *Verbum caro factum est*, sic interpretatur, *Carnem & sanguinem assumpsit.* Et Nazianzenus orat. 50. *Verbum*, inquit, *caro factum est, non putativè sed verè, quia assumpserit corpus ex carne, & ossibus, & sanguine constans.* Verùm reponi posset his locis significari quidem sanguinem esse partem hominis, non integralem, sed duntaxat adscititiam, quæ cùm sit sedes & vehiculum spirituum animalium, quorum beneficiô homo vivit & movetur; idcircò per sinecdochem nomine *sanguinis*, totus homo in Scripturis designari solet. Sic Matthæi 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi.* Et 1. ad Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

Ex quibus colligitur conclusionem non habere aliquod

aliquod efficacissimum fundamentum, neque ex authoritate, neque ex ratione, quô illius constantissima veritas appareat: nam quod ex Conciliis & summorum Pontificum decretis afferri solet: istud huic assertioni non patrocinari declarabimus in sequenti conclusione.

VIII. Quare nostra sententia probabilior censeatur.

Nihilominus illam sententiam probabiliorem diximus; tum quòd conformior sit modo loquendi Scripturæ & SS. Patrum, qui nostram redemptionem Christi Domini sanguinis pretio & valori tribuere videntur; tum quòd in eam sententiam conspiret numerosior Theologorum cœtus: tum denique quòd in eam magis propendere videantur summi Pontifices, coram quibus hæc controversia agitata fuit. Refert enim Spondanus ad *annum* 1462. quòd crescente contentione & schismate à populo facto propter controversiam motam inter beatum Jacobum Marchianum & Fratres Prædicatores, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad Apostolicam Sedem remissa est: qua de re Pius II. eô tempore summus Pontifex Præfectis Ordinum mandavit, doctissimos eorum Theologos ad curiam mittere, quos in festo Natalis Domini audivit disputantes tribus diebus in Palatio Apostolico, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, ac divini & humani juris Doctoribus qui in Curia erant. Denique post triduum, cùm Partes quæcumque voluissent, in medium produxissent, dissolutô auditoriô, Pium cum Cardinalibus, plerisque diebus rem tractasse; majorem partem sententiam Prædicatorum approbasse, paucos cum Minoribus sensisse, Pium quoque in majori parte fuisse: sed non esse visum eô tempore decretum fieri declarationis ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur; ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse: quam tamen nunquam placuit decidere. Quàm autem inanis & futilis sit hæc ratio Spondani, nempe summum Pontificem idcirco noluisse suô decretô hanc controversiam dirimere, ne Minoritas offenderet, patebit in sequenti conclusione.

IX. Spondani narratio minùs sibi constat.

Objicies primò: Si Verbum divinum humanum sanguinem assumpsisset, sequeretur illud assumpsisse plures naturas: at hoc est absurdum, quippe unicam duntaxat naturam humanam assumpsit: igitur, &c. Major patet, quia cùm sanguis non sit de integritate naturæ, necessum est quòd sit alia natura ab humana.

X. Non est inconveniens quòd Christus D. plures naturas partiales assumpserit.

Distinguo majorem: Assumpsisset plures naturas ordinatas ad unam & eandem totalem constituendam, concedo: secùs, nego: in hoc verò nihil est absurdi, quandoquidem constat Christum assumpsisse corpus & animam; corpus autem ex partibus heterogeneis constat.

Dices secundò: Si Verbum assumpsisset sanguinem, sequeretur quòd per communicationem idiomatum dici posset, *sanguis est Deus, & Deus est sanguis:* sed hoc est absurdum: igitur & illud unde sequitur.

Nego sequelam majoris, quia per communicationem idiomatum duæ naturæ integræ de se invicem prædicari quidem possunt, non verò partialis de integra, aut integra de partiali: unde licèt Verbum immediatè assumpserit animam & corpus, non tamen rectè dicitur, Deus est corpus & corpus est Deus.

Conclusio II.

Non est certum certitudine fidei sanguinem Christi proximè & immediatè fuisse unitum Verbo Dei: maxime in triduo mortis; ita quod contraria sententia possit absque hæresi atque errore defendi. Hæc est contra Suarem, Vasquesium, & plures alios Modernos; probaturque conclusio. Si quod esset contrariæ sententiæ fundamentum quô constaret certissimè credendum Christum Dominum sanguinem humanum assumpsisse, maximè quia, ut volunt adversarii, ita definitum est à Clemente VI. & Pio II. sed ratio ista nulla est: igitur, &c. Major constat ex ipsis Suare & Vasquesio, qui omnia testimonia quæ ex sacra Scriptura & SS. Patribus proferunt in suæ assertionis patrocinium ita infirma judicaverunt, ut ad decretum Clementis VI. & Pii II. tanquam ad solidissimum fundamentum recursum habuerint.

XI. Non est tamen de fide omnē humanitatis Christi sanguinem fuisse assumptum.

Minorem probat noster Vuadingus locô mox laudatô. *Primò* quidem ex eo quòd Pius summus Pontifex suô diplomate beatum Jacobum Marchianum de Ecclesia & fide Catholica benè meritum omni hæresis & erroris notâ liberaverit propter assertam contrariam sententiam: nam dum hic beatus vir conquereretur apud ipsum summum Pontificem, quòd illius adversæ partes Barcinonæ jactitarent, processum adversus eum compactum, fuisse authoritate Pontificiâ confirmatum, ipsumque idcircò haberi à multis ut hæreticum, suô diplomate quod ex authographo exscripsit Vuadingus, sic respondet. Pius Episcopus, &c. dilecto filio Fr. Jacobo de Marchia. Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Scripsisti te valde anxiari propter materiam illam sanguinis effusi Domini & Salvatoris nostri, quæ in nonnullis locis vulgari dicitur tanquam decisa & determinata à nobis, contra tuam sententiam & prædicationem. Miramur de hoc, nec scimus unde talis fama surrexerit. Nos enim materiam ipsam huc usque non determinavimus, nec propter varias occupationes determinare potuimus, sed Deô dante, id facere intendimus, cùm primò opportunior aderit occasio, nec tot occupationibus erimus distenti. Ne autem existimes nos honorem tuum, & famam negligere, quandoquidem scribis à Mediolano usque Veronam publicè prædicatum te esse hæreticum: volumus, ut Venet. fratri nostro Episcopo Veronensi scribas, cui nos etiam præsentes mandamus, ut quæ in hac materia prædicata sunt, in scriptis redigat, ac in forma authentica ad nos transmittat: nam si Prædicatores minùs honestè in prædicatione se habuerint, & aliquid de te dixerint, quod dicendum non esset, ostendemus eis id nobis displicuisse, nec eorum transgressio erit impunita. Quòd autem attinet ad authenticationem illius sententiæ seu processûs Barcinonæ celebrati, factam per Prælatum illum, cui ea res à nobis commissa fuit, scias eam non ideo factam, ut per ipsam fides aut authoritas adjiceretur hujusmodi sententiæ, seu processui: sed ut testimonium quoddam esset rei gestæ, hoc est, ut non deperiret ejus facti, qualecunque esset, notitia; nec enim fuit intentionis nostræ propter commissionem confirmare aut approbare sententiam, aut processum. Cùm enim pro parte Fratrum Prædicatorum nobis supplicatum fuisset, ut eos authenticare facere vellemus, non potuimus, quin

XII. Quàm pio affectu Summus Pontifex B. Jacobum alloquatur.

» causam committeremus. Commissarius verò judicavit, quemadmodum jam vidisti. Proinde non turbetur cor tuum, neque formidet, sis animô quietô, nec scandalizetur ex hoc mens tua, nam sinceram charitatem tuam novimus, nec ignotus est nobis zelus tuus, persevera in fide optima, quam Deus scrutator cordium benè novit, nec te moveant vulgi rumores aut voces calumniantium. Satis nota est Deo conscientia tua, poteste que contentari, quòd nos paternam de te opinionem concepimus, & conceptam retinemus. Ad Capitulum tui Ordinis proximè celebrandum contenti sumus, ut accedas & ea agas, quæ Deo placita sunt, & honori Ordinis, ac saluti animæ tuæ conducant. De accessu autem ad Ducem Venetiarum contentamus, & hortamur ut accedas. Scimus enim esse Principem bonum, & Dei timoratum. Putamus non nisi ex bona & honesta causa te alloqui, & videre velle, tuumque ad illum accessum utilem fore existimamus. Datum Macorati Senen. Dioc. sub annulo Piscatoris, die 28. Aprilis 1464. Pontificatûs nostri annô sextô. Igitur Pontifex oppositam sententiam non notavit erroris.

XIII. Nihil in contrarium definivit.

Confirmatur autem hæc eadem Pontificis sententia, quòd nempe nil authoritate Apostolicâ definiverit circa hanc controversiam, ex eo quòd idem summus Pontifex octiduô ante suam mortem, annô videlicet 1464. aliud ediderit diploma, quod refert Laërtius Cherubinus, quô statuebat » quòd nulli Ordinum Minorum, aut Prædicatorum deinceps liceat de suprà dicta dubietate disputare, prædicare, vel publicè aut privatè verbum facere, seu aliis suadere, quod videlicet hæreticum, vel peccatum sit, tenere, vel credere sanguinem ipsum sacratissimum, ut præmittitur, triduô passionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi ab ipsa dignitate quomodolibet fuisse vel non fuisse divisum vel separatum, donec super dubietatis hujusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per Sedem Apostolicam definitum. *Mandavit propterea* universis & singulis eorundem & aliorum quorumcunque Ordinum per totum orbem constitutis Fratribus, cujuscumque statûs, gradûs, vel conditionis existant, præsentibus & futuris, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrent, & à qua nisi in mortis articulo constituti, non nisi per Pontificem Romanum absolvi possent, ne contra statutum & ordinationem prædictam venire aut facere vel tentare quomodocumque præsumant.

XIV. Quidquid aliqui supponant.

Non est igitur verum quod affirmant Suarez & Vasquez Clementem VI. & Pium II. eam doctrinam condemnasse, quæ asserebat sanguinem in triduo mortis à Divinitate sejunctû fuisse, cùm nihil proferre possint huic suæ assertioni stabiliendæ, præter unicas illas Joannis Cardinalis Dominicani litteras, quibus plura opposuit noster Franciscus de *Ruvere* Cardinalis Franciscanus, qui & postea fuit Pontifex nomine *Sixtus IV.* & libellum, sive processum compactum ab Inquisitore item Dominicano, quem perperam Gabriel Vasquez dicit ex mandato Clementis per litteras Apostolicas efformatum; cùm ejus exemplaria extent, neque ulla ibi conspiciantur breviaut Bullæ, sive diplomata Pontificia, præter unam illam Cardinalis epistolam; atque hanc solam allegavit pro definitionis fundamento Inquisitor suprà dictus Brixiensis, dum vehementer causam urgeret contra B. Jacobum Picenum.

Adde quòd Dominicus de Dominicis fermè illius ætatis vir doctus in libro, quem de sanguine Christi scripsit, asseverat decretum Clementis authenticum non esse, neque ex probatis testimoniis constare. Et certè libellus sive processus à Rossello efformatus, nullâ aliâ fide, quàm Rosselli constat, neque Notarii syngraphâ, neque publici alicujus ministri testimonio roboratur. Unde vix satis mirari possum quâ de causâ Silvester in Rosa aurea tract. 3. quæst. 31. asseverat Clementem summum Pontificem prædictam propositionem damnasse; & quod magis mirum est, condemnationem & retractationem Barcinonæ factam per Inquisitorem prædictum approbatam fuisse à Pio II. id enim expressis verbis ipse negat Pius in suprà dicto diplomate ad B. Jacobum Marchianum dato.

His adde quòd ut aliquid tanquam fidei dogma declaretur, oportet authoritate Scripturæ, aut traditione aliquâ niti: difficile autem est aliquid horum ostendere quibus nixi fuissent, & moti summi Pontifices ad illam definitionem proferendam; nam omnes vel Scripturæ, vel SS. Patrum authoritates, quibus sanguini Christi effuso nostrorum remissio peccatorum & reliqua subsequentia beneficia tribuuntur, parùm urgent: quia, ut diximus in priori conclusione, omnia ista sanguini appropriantur, non quod per solam sanguinis effusionem salvati aut liberati simus; cùm & alia fuerint in Christo opera meritoria nostræ salutis, atque per sudorem & lacrymas salvare potuisset, si ita voluisset; sed quia omnia ejus merita terminata & consummata sunt in morte & passione. Unde ad mortem Christi principaliter hæc referuntur; ad sanguinis verò effusionem, tanquam ad medium per quod mors subsecuta est, sicut & cruci hæc ipsa beneficia tanquam instrumento tribuuntur.

Urget Vasques proferens, ut putat, firmum hujus definitionis fundamentum quod gloriatur se collegisse ex VI. Synodo *actione* 16. ubi damnatur hæreticus quidam *Constantinus* nomine, quòd dixerit sanguinem fuisse dimissum à Verbo in triduo mortis. Et ex eadem Synodo *actione* 8. ubi probatur confessio Macharii Antiocheni Antistitis licèt Monotelithæ, in eo quòd dixerit Christum assumpsisse carnem & sanguinem: & ex Concilii Alexandrini Epistola, quæ est 10. apud Cyrillum recitata & approbata in Concilio Ephesino & Chalcedonensi anathematismô 5. ubi dicitur Verbum divinum particeps factum carnis & sanguinis.

XV. Quare Constantinus hæresis fuerit damnatus.

Verùm hæc nihil urgent, nam quod attinet ad Constantini condemnationem, ea meritò proclamata est, ut ipsemet Vasques admittit, quia non solùm sanguinem, verùm & carnem & voluntatem humanam Christum exuisse, palàm confessus est in Concilio: Synodus enim interrogavit ipsum, *Ubi itaque remansit ipsa caro & sanguis?* Constantinus respondit, *Exuit eam.* Synodus verò iterùm rogavit, *Et humanam voluntatem simul exuit cum carne?* Constantinus respondit, *Etiam, Domini.* Unde partim damnatus est tanquam Manichæus, & partim tanquam Monothelitarum asseclа, quia unam duntaxat in Christo voluntatem confitebatur. *Idem* dicendum ad Macharium, qui ut hæreticus in ea Synodo depositus est, & illius confessio damnata, in eo quòd unam tantùm in Christo voluntatem & operationem confiteretur; unde inane est ab ejus confessione petitum testimonium. Ad authoritatem verò Cyrilli, & Con-

ciliorum illius epistolam approbantium fecimus satis suprà.

Conclusio Tertia.

V.
Verbum non assumpsit hypostaticè capillos, ungues nec partes excrementitias.

Capilli, ungues, lacrymæ, sudores, & alia partes excrementitia non sunt assumpta hypostaticè à Verbo divino immediatè, sed duntaxat, quia erant in natura humana, quæ assumpta est. Hæc est communior contra Suarem disp. 15. sect. 7. qui probabilius existimat ungues, dentes, & capillos assumptos fuisse secundùm hypostasim à Verbo divino.

Probatur: Tum quia partes illæ excrementitiæ ad integritatem humani corporis non pertinent, unde non remanebunt in corporibus gloriosis: Tum quia partes illæ nec directè, nec indirectè ullatenus conferebant ad finem Incarnationis, nempe hominum salutem: igitur non videntur assumptæ.

Dices: Sanctus Ambrosius lib. de Incarnatione cap. 6. & Athanasius in Epistolâ ad Epictetum, agentes contra hæreticos qui dicebant divinitatem & carnem Christi esse ejusdem substantiæ, inferre videntur consequenter dicturos Verbum in carnem, capillos, sanguinem & ossa conversum fuisse: ergo censebant illi Patres has partes corporis spectare ad ejus integritatem.

Explicantur SS. Patres qui videntur contrarium sentire.

Nego Patres illud inferre, sed tantùm referunt errorem hæreticorum illorum. Nam S. Ambrosius ita scribit: *Deinde cùm isti* (nempe hæretici) *dicant quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem & ossa conversum est, & à propria natura mutatum est, datur illis locus, ut infirmitatem carnis ad infirmitatem Divinitatis quâdam factâ divinæ naturæ mutatione detorqueant.* S. Athanasius verò, contra eosdem hæreticos sic scribit, *Quinimo etiam in aliam impietatem transitum facitis; asserentes Verbum in carnem, in ossa, in pilos, nervos, imò prorsus in corpus, mutatâ priori naturâ abiisse.* Non igitur prædicti Patres inferunt tanquam absurdum Verbum mutatum fuisse in capillos, si mutatum fuisset in corpus vivens, quasi & capilli viverent: sed id supponunt ex sententia illorum hæreticorum.

VI.
An particulæ sanguinis ab ejus corpore separatim in terra existant.

Petes, an aliqua particula sanguinis Christi reverà in terris substantialiter manserit & adhuc asservetur?

Respondeo magnam esse circa hanc difficultatem Theologorum controversiam; plurimi namque cum Joanne à Turrecremata censent nullam particulam sanguinis Christi in terris post ipsius resurrectionem mansisse: sed sanguinem, qui circumfertur nomine Christi, non esse eum qui fluxit ex ejus corpore, sed ex aliqua imagine Christi percussa à Judæis Berithi; cujus historiam refert Athanasius lib. de Passione imaginis Domini nostri Jesu Christi, qui author licèt à quibusdam non censeatur magnus Athanasius; tamen liber ille non debet esse levis authoritatis, siquidem prædicta historia recitata fuit sub nomine Athanasii & approbata in Concilio Nycæno 2. Actione 4. Hic autem author cap. 7. illius libri loquens de sanguine qui fluxit ex percussa illa imagine ait: *Hic est sanguis ille dominicus qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec esse aliter æstimandum à verè Catholicis præter id quod scribitur à nobis quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur.*

Anceps Authorum sententia.

Cæteri verò Theologi putant Christi sanguinis particulas adhuc in terris asservari, nec omnem effusum in passione sanguinem fuisse à Christo resumptum. Probat Sylvester in Rosa aurea tract. 3. quæst. 31. *Primò* quidem authoritate Pii II. qui in Bulla ad Abbatem Monasterii Xanctonensis ita definit, *Petitio exhibita continebat, quòd licèt tanto tempore cujus memoria non extitit in Ecclesia dictæ domûs, ut piè creditur, quædam particula pretiosi sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligno crucis, pro redemptione humani generis salubriter effusi, &c.... Nos igitur qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes quod veritati fidei nullatenus repugnat affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse, &c.* Igitur censet summus Pontifex probabilissimum esse quòd aliqua Christi Domini sanguinis particula substantialiter in terra remaneat.

Attamen probabilior est affirmativa.

Adde quòd refert Platina in vita Leonis III. Pontificem profectum fuisse Mantuam ad visendum Christi sanguinem, qui tunc ob assidua miracula in magna veneratione erat: inde verò approbato sanguine, ad Carolum fuisse profectum.

Confirmatur ex lib. 6. revelationum B. Brigittæ, ubi beata Virgo his verbis eam alloquitur, *Cùm tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam* (scilicet præputii) *sacram membranam commendavi sancto Ioanni custodi meo cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus quando deposuimus de cruce.* Accedunt narrationes innumeræ, quæ falsitatis omnes damnari ab homine cordato non possunt; & tamen ex iis superesse aliquam sanguinis à Christo fusi portionem (sub alia tamen quàm sanguinis forma) fit extra dubium. Hujusmodi est quòd rubor in plerisque instrumentis passionis dominicæ adhuc cernitur; rubor non est nudus color ex sanguinis aspersione relictus (nam qualitates secundæ non propagantur eô modô) sed vera sanguinis substantia, quæ primùm instrumentis illis adhæsit, eisque affixa perseverat. Ut de spina sacelli regii Parisiensis, & de ferro lanceæ, olim Nurimbergæ, nunc Romæ asservato; & de sacra sindone Taurinensi, ac Vultu sancto Romano, sive linteo Veronicæ, referunt multi scriptores. Et specialiter quoad sindonem Tau[illegible]sem declaravit Julius II. ruborem qui in e[illegible]ernitur, esse reliquias sanguinis fusi, idemque de Veronicæ sudario habent, qui de eo agunt.

Confirmantur denique hæc omnia ex eo quòd caro præputii sub summorum Pontificum oculis & Romanæ Curiæ conspectu reverenter custoditur & dignè colitur; nam quotannis in conspectu Cardinalium in feriis Paschalibus ostenditur in Basilica Lateranensi, atque etiam Latino, atque Italico præconio ex alto suggestu populo proponitur adorandus sanguis, & aqua qui ex Christi morientis latere effluxerunt: igitur non est improbabile aliquas Christi Domini sanguinis substantiales particulas adhuc in terris remanere.

Objici potest illud vulgare sancti Damasceni effatum, *Quod semel assumpsit nunquam dimisit.*

Verùm respondeo *primò*, axioma illud non haberi in sancto Damasceno, sed tantùm apud ejusdem Scoliastem.

Respondeo *secundò*, quòd quandoquidem illud vulgò à Theologis admittitur, intelligendum est duntaxat de natura assumpta & de partibus, quæ

secundùm se totas pertinent ad veritatem naturæ humanæ: & quidem non materialiter, sed quoad speciem tantùm consideratis, hoc est, Christum nunquam dimisisse totum sanguinem suum, sed tantùm aliquam particulam sanguinis sui, sicut dimisit pelliculam præputii.

QUÆSTIO III.

Vtrùm Verbum assumpserit animæ rationalis facultates; nempe Intellectum & Voluntatem?

I.
Facultates animæ non sunt realiter ab ea distinctæ.

NOtandum primò ex Doctore subtili in 2. dist. 15. animæ rationalis facultates non esse ab ea realiter distinctas, ut abundè probavimus in Physicis disp. de anima, qu. 3. conclusione 2. Quam utique veritatem apertè tradit sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 11. ubi ait: *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia & voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique, nec tres substantiæ, sed una substantia.* Cui subscribit sanctus Bernardus Serm. 11. in Cantica: *Quædam*, inquit, *in anima intueor, memoriam intelligentiam & voluntatem. Et hæc tria ipsam animam esse.* Quam utique veritatem probat Doctor; *Primò*, quia natura semper tendit ad unitatem, nec pluralitatem patitur nisi id aliqua necessitas postulet: sed nulla apparet necessitas statuendæ distinctionis realis inter animam & ejus facultates; quippe cùm nec seorsim existere possint, nec anima physicè suas facultates producat: nam si anima per realem actionem suas ederet facultates, sequeretur quòd independenter ab eis esset productiva, subindeque tales facultates ei essent frustraneæ; quidnî enim suos vitales actus sicut & suas facultates immediatè posset edere.

Ex quibus apertè colligitur, quod si spectetur hæc naturalis ratio, cùm Christus animam rationalem assumpserit, etiam & intellectum & voluntatem, ejus facultates assumpsisse dicendus est. Verùm quoniam huic veritati obluctantur hæretici, quorum *aliqui*, ut vidimus in præludio hujus tractatûs à Christo Domino humanum intellectum ablegant: *Alii* voluntatem humanam proscribunt, contendentes eum fuisse intelligentem & volentem, intellectu duntaxat ac voluntate Verbi: idcirco operæpretium duxi hac in quæstione demonstrare Christum Dominum reverà intellectum & humanam voluntatem habuisse.

II.
Quis fuerit Monothelitarum error.

Notandum secundò hæreticos Monothelitas, de quibus egimus in præludio hujus tractatûs, duas in Christo esse perfectas & integras naturas, divinam & humanam, contra Apollinarem & Arium, easque inconfusas adversus Eutichem agnovisse. An autem reverà negaverint in Christo duplicem voluntatem, solam divinam agnoscentes; an verò duntaxat negaverint duplicem actionem quam unam utriusque naturæ fuisse putaverint, eamque divinam, controvertitur apud Theologos. Nam Vasques in 3. p. disp. 77. cap. 11. contendit Monothelitas in homine Christo non negasse operandi ac volendi potentiam: sed solùm actionem. Eorum, inquit, error erat, in Christo solùm esse effectum voluntatis divinæ, non autem humanæ, cujus nutu membra inferiora ad suas actiones & opera moverentur; itaut membra solùm parerent motui voluntatis divinæ, quæ erat pro humana: at verò humanam nullam esse, quæ sicut in nobis membra ad suas actiones moveret. Ita quòd illum affectum voluntatis in Christo quô moveri dicebant membra ad suas operationes, unam voluntatem & unam solùm operationem, eamque *theandricam* nuncupabant, quô vocabulô primùm usus est sanctus Dionysius Epistolâ 4. quæ est ad Caium. Dicebant autem operationem theandricam in Christo compositam esse, non ex duabus operationibus, neque ex duobus affectibus duarum voluntatum, quos operationes vocabant; sed ex una operatione voluntatis, & actione membrorum aut alterius voluntatis, quam operationem, seu motum aut opus vocabant. Quem utique legitimum erroris sensum se primùm detexisse gloriatur Vasques. Cui subscribit de Lugo disp. 25. & nonnulli alii.

Verùm reclamant cæteri Theologi, contendentes hæreticos illos non solas operationes humanæ voluntatis, sed hanc insuper voluntatis facultatem sustulisse. Quam utique veritatem ex ipsismet SS. Patribus copiosissimè probat *Petavius* lib. 8. cap. 4. maximè verò ex eo quòd SS. qui eos hæreticos impugnaverunt, semper distinctè asserant illos negasse duas in Christo voluntates & duas operationes. Unicum hîc profero Euthimium in Panoplia sub finem tituli 18. inter alias Patrum sententias quas ibi colligit: *Quorum*, inquit, *eadem natura, horum eadem est voluntas & operatio: quorum autem differens est natura, horum differens est voluntas & operatio. Porrò non hypostaticas, neque personales, neque gnomicas dicimus voluntates illas & operationes, hoc est, volendi operandique facultatem.* Quo certè nihil clarius est, ut ostenderet voluntatem operationemque de qua quærebatur inter Monothelitas & Catholicos, non solùm actionem esse, sed etiam facultatem. *Adde quòd* ipsimet hæretici voluntatem & operationem humanam tanquam duo negaverint; nam in 6. Synodo Actione 8. Macharius Antiochenus Antistes Monothelitarum Patronus, interrogatus an duas confiteretur naturales voluntates, & duas operationes naturales in Incarnatione Christi Domini? respondet *se neque naturales voluntates duas, neque duas naturales operationes agnoscere.*

III.
Non fuisse primi illius erroris assertores.

Notandum tertiò, Monothelitas non fuisse primos illius hæresis repertores & assertores, nam ut cæteros taceam, narrat Hypolitus in Collectaneis Beronem Valentini repudiata hæresi, *constitutâ unicâ & singulari operatione, divinitatem Christi & humanitatem confudisse.* Similiter Apollinaris unam in Christo operationem docuit, ut ex aliquot illius dictis Martinus Papa refert in Concilio Lateranensi, aiebat enim: *Quorum una operatio horum una est essentia: ergo facta est essentia Verbi & carnis.* His maximè præluserunt Eutichiani, quos *Monophysitas* communi vocabulô nuncupârunt, quorum propaginem Monothelitas fuisse diximus in præludio: nam & illi longè ante hos exorti, unicam in Christo statuerunt operationem & voluntatem, ac duas anathemate damnârunt: Sic Severus commemoratus ab Agathone Papa in epistola Synodica quæ est in Actis Synodi sextæ, anathema dixit, Synodo Chalcedonensi & epistolæ sancti Leonis ad Flavianum, *Iisque omnibus, qui in duabus naturis unum dicunt vel dixerunt Dominum nostrum Iesum Christum post ineffabilem & incomprehensibilem unitionem*, & consequenter confitentes duas operationes aut proprietates.

Sed Monophysitæ.

Ab ipsis tamen Monophysitis in hoc dissentiebant Monothelitæ, quòd hi duas perfectas &

Qui à Monothelitis variè dissentiebant.

integras naturas in Christo cum Catholicis agnoscerent, ut constat ex 6. Synodo, in qua diligenter exposita & damnata est hæc hæresis, quippe in *Actione* 6. Macharius Antiochenus factionis illius Antistes, in ea quam jussus edidit suæ fidei professione, disertè prædicat Christum post Incarnationem in duabus perfectis naturis sine confusione ac divisione, in una existere persona & hypostasi una, nusquam differentia naturarum unitione sublatâ: sed servatâ potius utriusque proprietate naturæ & in unam concurrente personam & unam hypostasim. Non conveniebant autem illi hæretici in hæresis suæ ratione reddenda & expositione facienda, nam alias quandam operationem Dei & hominis Christi statuebant quam & *Dei-virilem* & *Theandricam* nominabant, aliàs verò agnoscebant duas operationes & voluntates, ut narrat Agatho Romanus Pontifex in Epistola Synodica, quæ refertur *Actione* 4. Synodi VI. alias nec unam nec duas dicendas esse decernebant, ut in *Extesi* Heraclii & *Typo* Constantii, de quibus egimus in præludio hujus tractatûs.

Restat ergo probandum contra hos & alios hæreticos, duos in Christo fuisse reverà intellectus, duas voluntates, ac earum facultatum operationes; quod utique præstabimus in duabus sequentibus conclusionibus.

Conclusio Prima.

IV. Duplex intellectus in Christo; divinus & humanus.

Christus habuit duplicem intellectum, divinum & humanum. Hæc est contra Apollinaristas contendentes Verbum divinum non assumpsisse mentem humanam, seu intelligendi facultatem, cujus vices Verbum divinum præstare affirmabant.

Ut colligitur 1. ex S. Scriptura.

Probatur primò ex Scriptura sacra, illis omnibus oraculis, quibus apparet Christum Dominum exercuisse operationes intellectûs humani, maximè verò illis quibus dicitur admiratus. Sic Matth. 8. admiratur fidem Centurionis; quam utique admirationem docent Theologi Christo Domino convenisse quoad scientiam experimentalem, sicut qui novit eclypsim futuram per scientiam; non minùs eam demiratur cùm illam novit experientiâ. Ex quo sic argumentor, Christus non potuit admirari ratione intellectûs divini, quippe ea tantùm admiramur quorum causa nos latet; nec etiam ratione animæ sensitivæ cujus non est investigare & detegere causas rerum; igitur restat ut illa admiratio Christo convenerit ex parte animæ rationalis intellectu suó præditæ, ideoque in Christo fuit humanus intellectus.

Secundò, id ipsum constat ex illis locis in quibus refertur Christum Dominum habuisse scientiam & sapientiam, consilium cæterasque perfectiones ad intellectum humanum pertinentes; omnia enim ista ipsi competere non poterant ratione intellectûs divini; maximè verò si attendas illud augmentum scientiæ experimentalis, secundùm quod dicitur Lucæ 2. *Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines.*

Denique hæc Catholica veritas colligitur ex iis oraculis in quibus habetur Christum Dominum orâsse & pernoctâsse in oratione Dei; oratio enim est creatæ mentis in Deum elevatio.

His adde quæ diximus in 1. quæstione, demonstrando Christum assumpsisse integram naturam humanam, quia id omne assumpsit quod sanandum erat; intellectiva autem facultas sauciata A erat per peccatum, ut dictum est in priori volumine, ubi demonstravimus omnes animæ facultates per originale peccatum in plurimis esse viciatas: Igitur ut sanaretur debuit à Christo cum ipsa anima assumi. Nulla sunt, aut saltem levia, quæ adversus hanc veritatem possunt obtrudere hæretici.

Conclusio Secunda.

V. Duplex erat voluntas, divina & humana.

Christus reverà habet voluntatem divinam & humanam. Hæc est de fide determinata in plurimis Conciliis contra Monothelitas, maximè verò in VI. *Synodo*, ubi hæc hæresis examinata & B proscripta fuit, & in Concilio *Lateranensi* sub Martino primo Consultatione 5. Canonibus 12. 13. & 14. & in VII. Synodo Act. 7. in confessione fidei ubi prædicti hæretici damnantur: & in Concilio *Florentino* in decreto Eugenii.

Probaturque imprimis è Scripturæ testimoniis, quibus duæ in Christo insinuantur voluntates. Sic Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Joan. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Habebat ergo voluntatem Patri subjectam non divinam; ergo humanam. *Similiter* ex illis oraculis quibus legimus Christum obedivisse: Sic ad Philipp. 2. *Factus obediens* C *usque ad mortem.* Hebræos 5. *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam.* Obedientia enim est actus voluntatis; non divinæ, quia obedientia superiorem agnoscit, Deus autem superiorem non habet ergo humanæ. *Tertiò*, eadem veritas firmatur ex illis locis, in quibus Christus dicitur nobis meruisse salutem, meritum enim pertinet ad voluntatem: non divinam, quia meritum est alicujus in perfectionem tendentis: ergo humanam.

Denique, colligitur ex illis locis in quibus Christus dicitur actus studiosos & laudabiles fecisse, tanquam exemplar quod imitari debemus: tales autem actus studiosos exercere non potuit sine voluntate humana, nam si non sit humana voluntas, D nec erit liberum arbitrium; absque libertate autem actus laudabilis, & studiosus esse nequit.

Ex eo quod duæ perfectæ fuerint in Christo naturæ.

Probatur secundò, illis omnibus argumentis quibus SS. Patres Monothelitarum hæresim impugnaverunt: quorum *primum* formatur ex eo quòd Monothelitæ duplicem in Christo perfectam naturam agnoscerent. Sic enim Patres sextæ Synodi in sermone ad Imperatorem Constantinum: *Perfectum igitur in divinitate & in humanitate, perfectum secundùm antiquas Patrum traditiones & divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus: atque uti naturas duas accepimus; ita & duas naturales voluntates & naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in* E *ejus Incarnatione voluntatis expertem aut operationis audebimus asserere, ne earum proprietates perimentes, naturas unà perimamus.* Eôdem argumentô utitur sanctus Damascenus *lib.* 3. *cap.* 15. dicens: Salvâ naturarum differentiâ, salvæ erunt & operationes, non enim natura ulla est operationis expers, &c. *Eôdem modò ratiocinatur sanctus Maximus in Epistola ad Nicandrum*: Quomodo, *inquit*, « si naturâ propriè Deus, & naturâ propriè homo « idem erat, non & divinam voluntatem & opera- « tionem natura propriè & humanam voluntatem « operationemque naturâ propriè habuit, horum « neutro secundùm naturam deficiens, per quæ « consentanea rebus nomina præferens & his tutò « sùs res ipsas affirmans, manifestè agnoscebatur «

„ idem divina pariter & humana naturaliter obti- A
„ nens, ac volens & operans, indeque ea ex quibus
„ & in quibus, & quæ erat creditus? Quando-
„ quidem naturali voluntate & naturali operatio-
„ ne sublatâ, quinam Deus erit aut homo? Qui-
„ nam hoc & illud secundùm substantiam esse mon-
„ strabitur, si non utriusque naturæ sine ullo defe-
„ ctu proprietatem retinet?

Etenim si duplex in Christo voluntas non esset, nec homo proprie, nec Deus esset.

Probant secundò. Si esset una duntaxat in Christo voluntas, ea vel simplex esset; vel composita. Si simplex, vel solius esset Dei propria, vel solius hominis: si composita, multa ex eo absurda sequerentur, velot creatam simul & increatam esse; tum neque Deum, neque hominem esse Christum, sed mixtum aliquid ex utroque: quod utique argumentum sic urget sanctus Maximus apud B
„ Eutimium *titulo* 18. Si una tantùm in ipso volun-
„ tas, ait; & una dicitur à nobis operatio, eundem
„ vel non esse naturâ hominem, sed solùm Deum,
„ vel naturâ solùm hominem, & non Deum; vel
„ neque hominem, neque Deum, perspicuè profi-
„ tebimur, veluti si naturalem Dei voluntatem
„ fortè dixerimus. Aut hæc omninò divina erit,
„ aut humana: Si divina, naturaliter per ipsam Ver-
„ bum divinum volet, Deum se naturâ tantùm &
„ ejusdem cum genitore suo voluntatis, non homi-
„ nem ostendens: Non enim natura fert, ut ex eo
„ quòd natura divinum est, id quod natura est hu-
„ manum, propriam formam ac notam accipiat; C
„ quemadmodum neque fieri potest, ut per id,
„ quod secundùm substantiam humanum est, id,
„ quod divinum est substantia, dignoscatur. Nec
„ dispar erit consequentiæ ratio, si voluntatem ean-
„ dem Christi humanam esse dicamus.

VI. *Monothelitæ confictis, aut interpolatis SS. Patrum, aut Pontificum operibus suam hæresim tuebantur.*

Objiciebant Monothelitæ; *Primò* quidem nonnullas veterum Patrum authoritates. *Verùm* eas esse partim ementitas, partim fraudulenter ab illis concinnatas & depravatas; partim denique malè interpretando & aliorsùm detorquendo, demonstratum est in VI. Synodo, ubi illorum artes & calumniæ patefactæ convictæque sunt: nam quidam libri falsò ab istis attributi veteribus commemorantur: Sic *act.* 3. & 12. & 14. Epistola Mennæ Constantinopoliani ad Vigilium Papam de una Christi voluntate: & Vigilii ipsius duo libri alter D
ad Justinianum Imperatorem, alter ad Theodoram ejus conjugem, unam operationem asseverantes. In *actione* verò 5. & 8. ejusdem Synodi plura loca ex variis SS. Patrum monimentis ab Machario Antiocheno collecta perhibentur, quæ authenticis collata codicibus Patriarchii Constantinopolitani, deprehendit Synodus malâ fide decerpta esse ac detruncata, & ideò communibus omnium suffragiis damnata sunt.

VII. *Quidam Patres Monothelitis favere videntur. Cyrillus.*

Porrò testimonia quæ specie aliquâ illorum hæresi blandiuntur, pauca sunt. Primum quidem desumebant ex S. Cyrillo lib. 4. in Joan- E
nem ubi magnum illud Ecclesiæ Lumen ait: *Christum unam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse.*

Verùm huic objectioni respondet S. Martinus
„ Papa apud Euthymium: *Unam*, inquit *actionem*
„ vocat unitione: cognatam verò, ratione partium;
„ ut pote quæ ejusdem fuerit in omnium efficiente
„ imperio, & sanctæ carnis attactu: Etenim per
„ ambo ista Deus Verbum manifestè illam ostende-
„ bat eò ipsò, quòd per carnem vivificabat, eam
„ per totum vivificam esse demonstrans. Quemad-
„ modum & ignis per ferrum urens, visione illâ,
„ quâ secum jungitur, urendi ut præditum efficit
„ ferrum. Adeò ut propterea non solius ignis secundùm naturam deinceps sit adustio: sed etiam „
ferri propter unitionem: ac similiter divina Ver- „
bi in miraculis operatio, non ejus tantummodò „
fit ob naturam; verùm etiam sanctæ carnis ipsius, „
propter hypostaticam cum illo copulationem: si- „
quidem actionis secum participem illam in divi- „
nis præstandis adhibebat.

Gregorius Nyssenus.

Objiciebant insuper testimonium Greg. Nysseni, ut videre est in 6. Synodo *actione* 12. qui scribens contra Eonomium asserit: *Ita Divinitatem per corpus quod induit, communem omnium reverà salutem operari, ut propria carnis perpessio, Dei sit operatio.* Cui consentaneum est illud Philonis in libro de Cherubinis, ubi ait: *Proprium Dei esse facere, quòd nefas sit facta ulli rei tribuere: proprium verò creaturæ pati.* Ex quibus colligebant naturam humanam in Christo non fuisse operativam, sed divinam duntaxat in illo fuisse operatam.

Sed explicantur.

Verùm sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrum, & S. Damascenus lib. 3. cap. 13. retorquent illud argumentum in hæreticos: si enim propterea una in Christo esse deberet operatio, quòd solius Divinitatis propriè sit actio, humanitatis autem passio; eadem consequentiæ necessitas efficiet, ut una sit duntaxat in eodem Christo natura Dei, si nempe illa sola sit operatrix, & creata duntaxat patibilis: quippe natura duntaxat colligitur per motionem & operationem. Igitur ubi est duntaxat unius naturæ operatio, ibi & unica natura: nec refert quòd omnis natura creata patiatur; id enim non obstat, quominus etiam sit activa, omne enim creatum agens, maximè corporeum, agendo repatitur.

VIII. *Aliqui SS. Patres Christi D. humanitatem instrumentum appellant.*

Objiciebant tertiò. Omne instrumentum non habet ex se actionem, sed duntaxat ab agente principali: sed natura humana ex SS. Patribus dicitur instrumentum Divinitatis: igitur ex se non erat operativa, sed duntaxat deserviebat ut instrumentum ad ipsius Divinitatis operationem. Major constat ex Philosophis: Minorem verò probabant ex S. Cyrillo in dialogo de incarnatione Verbi parte 5. ubi ait: *Christus usus tanquam instrumentò propriâ carne ad opera carnis & ad naturales agritudines & ejusmodi alia quæ extra reprehensionem erant, anima verò itidem propria ad humanas & expertes vitii passiones: nam & esuriisse dicitur & longinquarum peregrinationum labores pertulisse*, &c. Idem habet sanctus Athanasius oratione 4. *Deus existens*, inquit, *proprium corpus habuit, & hoc usus instrumento, homo propter nos factus est. Ideò quæ propria sunt carnis ipsius esse dicuntur, quoniam in illa inerat, ut sunt esurire, sitire*, &c.

Instrumentum naturale habet ex se actionem: non verò artificiale.

Distinguo majorem, instrumentum artificiale quod agendi principiò caret, & solâ moventis impressione movetur, concedo: instrumentum naturale vel substantivum, quod propriâ formâ & efficiendi virtute ac potestate præditum est, ideóque veram habet effectionem, & confert in opus conficiendum, nego: similiter distinctâ minore, nego consequentiam; nam natura humana in Christo si fit divinitatis instrumentum, non est instrumentum artificiale, sed naturale; quia ex ipsa propriam exercet actionem, nec tantummodò patitur.

IX. *Fuerunt in Christo duplicis generis operationes: na-*

Adde quòd cùm Christus duplicis generis habuerit operationes, *alias* quidem purè naturales, ut sunt cognitio, volitio, locutio, contactus, &c. *Alias* verò naturæ vim excedentes, ut omnes miraculosæ operationes, quas Christus operatus

tales, & supernaturales.

operatus est, vel contactu, vel sermone, ut est infirmitatum curatio, mortuorum excitatio, & cætera ejusmodi miracula, quorum naturalis causa non fuit natura humana. Priorum actionum ipsa humanitas principalis erat causa; non autem instrumentum duntaxat; posteriores verò actiones sola Divinitas operabatur, & humanæ naturæ actione, puta vel contactu vel locutione ad illos mirabiles effectus patrandos, tanquam instrumentô utebatur.

Objiciebant denique: Si Christus habuisset duas voluntates, etiam habuisset pugnam voluntatum, quippe humana repugnasset divinæ & consequenter non fuisset omnis expers peccati, peccat enim omnis qui divinæ voluntati reluctatur: sed hoc asserere, injuriosum est Christo Sancto Sanctorum: igitur, &c.

Nego majorem, quamquam enim Christus duas habuerit voluntates, inde non est consequens quòd humana reluctata fuerit divinæ, imò ipsi in omnibus semper erat subdita; siquidem Christus factus est æterno Patri obediens usque ad mortem, ad Philipp. 2. Hinc Matth. 26. aiebat. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, & Luc. 22. *Non mea voluntas sed tua fiat.* Quapropter testabatur Joannis 3. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Adde quòd hâc ratione non minùs negare debuissent Monothelitæ appetitum sentientem in Christo: hic enim appetitus multò faciliùs cum divina voluntate pugnare videtur, quàm humana voluntas; nec exinde, ut volebant hæretici, cavendum erat ne Christus peccatô labefactaretur; nam, ut notavit sanctus Ambrosius lib. de Incarnationis dominicæ sacramento cap. 7. *Qui alios à carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne & ipse dominatu quòdam carnis istius vinceretur?*

X.
Non fuit in Christo pugna voluntatum.

Objiciebant prætereà summos Pontifices Romanos, maximè *Vigilium* & *Honorium* à suis partibus stare, ac eorum sententiæ patrocinari, ut apparet in disputatione Pyrrhi cum sancto Maximo. Verùm quàm falsa & mendax fuerit illa assertio, ut evidentiùs appareat, operæ pretium est hîc fusiùs examinare, an reverà isti duo summi Pontifices à Monothelitarum partibus steterint, quod utique præstabo duobus in sequentibus paragraphis.

§. 1.

Vtrum Vigilius Romanus Pontifex fuerit Monothelita?

ITa accusatur à Pyrrho in disputatione cum sancto Maximo Martyre, affirmans quòd ille Pontifex suô calculô probaverit libellum sibi oblatum à Menna Patriarcha Constantinopolitano, in quo affirmatur unam in Christo esse voluntatem. *Verùm* hanc calumniam his verbis purgat sanctissimus Martyr. Admiror quomodo Patriarchæ cùm sitis, audetis mentiri: qui tibi antecessit in suis ad Honorium litteris scripsit, commonefactum quidem fuisse de eo libello, non autem oblatum nec ostensum; ipse verò in tua ad Joannem Papam Epistola dixisti oblatum esse & ostensum, lectum etiam per Constantinum quæstorem: utri igitur credemus? Tibi, an ei cui successisti? uterque enim non potest verum dixisse. Unde cùm Pyrrhus concessisset sic fuisse scriptum à Sergio suo prædecessore, fateri coactus est Vigilium ex hoc capite non posse culpari.

XI.
Vigilius, Romanus Pontifex non fuit Monothelita.

Vrgebis. Reverà Mennas obtulit suum libellum

Non enim probavit Libellum oblatum à Menna.

A Vigilio, ut constat ex epistola Sergii ad Cyrum Episcopum Alexandrinum, quæ lecta est in sexta Synodo, actione 12. in qua affirmatur porrectum à Menna ipsi Vigilio libellum istum, ait enim: Unde nos quæ nostræ erant scientiæ per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ sanctissimo quondam Patriarchæ, hujus ab eo conservandæ regiæ urbis porrectum ab eo, hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ prædecessori sanctitatis vestræ, habentem & diversa testimonia paterna de una operatione, & una voluntate Salvatoris nostri Christi. Igitur reverà libellus ille fuit oblatus Vigilio B & ab eo probatus.

Respondeo negando consequentiam. Quanquam enim verum esset quòd ipsi Vigilio fuerit libellus oblatus, non est tamen consequens, quòd ab eo fuerit approbatus. *Respondeo secundò*, in isto libello Mennæ fuisse à Græcis Monothelitis addita illa verba de *una operatione & de una voluntate Salvatoris nostri Christi*; cùm enim hunc libellum protulissent Monothelitæ in VI. Synodo actione 3. & lectum fuisset ex eo, *quòd una sit in Christo voluntas*, tunc, ut ibidem refertur, exurgentes Legati Sedis Apostolicæ, vitiatum esse codicem à Monothelitis exclamârunt, additamque esse il- C lam Mennæ nomine ad Vigilium epistolam sive libellum, eò quòd acta ipsa germana id non haberent; ejusque rei certum illud attulerunt argumentum, quòd Mennas diem obierit annô 21. Justiniani Imperatoris: quinta verò Synodus in cujus exordio dicitur lecta epistola Mennæ, congregata est duntaxat ejus imperii anno 27. Hinc enim necessariò inferendum est non potuisse à Menna tempore quintæ Synodi mitti libellum ad Vigilium, utpote cùm Menna jam sex annis ante congregatam Synodum obiisset. Falsificatio autem istius libelli & impostura ex templo apparuit, ut constat ex actis illius sessionis 3. ubi hæc habentur. *Et inspicientes tam piissimus Imperator, quàm gloriosissimi Iudices unà cum quibusdam ex sancta Synodo, Deo amabilibus Episcopis, & ape-* D *rientes ac discernentes invenerunt tres quaterniones, in principio libri additos, non habentes subnotationem numeri, qui secundùm consuetudinem affigitur in quaternionibus: sed in quarto quaternione habente primum numerum, & in sequenti quaternione secundum & tertium atque quartum subsequente; alias verò & dissimiles esse litteras eorundem, in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo qui dicitur Menna ad Vigilium.* Ex quibus apparet hæreticorum fraus & vafrities.

Nec si probasset, inde foret arguendus.

Hic enim liber fuit postmodū vitiatus ab hæreticis.

Cùm autem in sui erroris patrocinium instarent Monothelitæ *actione* 12. ut rursus libellus ille legeretur; Judices & Concilium dixerunt *Super-* E *flua præsens lectio sermonis existit, quia penitùs fictus & falsus est, eò quòd neque in repositis gestis hic venerabilis Patriarchii epistolarum Menna sanctissimæ memoriæ hujus Regiæ urbis Antistitis sermo, qui dicitur Menna ad Vigilium invenitur, sed & in superius positâ actione 3. dum relegeretur primus liber gestorum sancti Concilii, inventi sunt additi tres falsi quaterniones hunc sermonem attinentes.* Ex quibus collige fraudes & imposturas, quibus usi sunt Monothelitæ, ut suas in partes Romanum Pontificem pertraxisse viderentur.

Ut compertum fuit in VI. Synodo.

Eâdem *actione* 3. denuò objicitur à Monothelitis, quòd Vigilius duos scripserit libros: alterum ad Justinianum Imperatorem; alterum verò ad Theodotam Augustam Justiniani conjugem; in quibus libris habebatur: *Anathematisamus autem*

Monothelitæ falsitatis accusati.

Theodorum qui fuit Episcopus Mopsuestiæ tanquam qui alienus semper extiterit ab Ecclesia, & SS. Patribus adversarius, qui non confitetur incarnatum esse Dei Verbum, id est, Christum esse unam subsistentiam & unam personam & unam operationem. Addiderunt autem Monothelitæ libros istos in 7. Actione v. Synodi reperiri.

Sicut & duo libri ipsius Vigilii.

Verum Legati Romanæ Sedis iterùm falsitatis accusaverunt Monothelitas; quia nempe ipsi addiderant, *& unam operationem*; hancque rationem demonstrandæ falsitatis & imposturæ subjecerunt; quia si mentio ibi facta fuisset unius operationis, dubio procul illud fuisset insertum in definitione Concilii.

Insuper, oportuisset & Synodum ejusdem unius operationis errorem esse professam, quandoquidem Vigilius receptus est à Synodo. Quod cùm non possit dici, neque de Vigilio id sentiendum est.

Hinc *Actione* 12. ejusdem Concilii, dum iidem libelli rursus apponerentur: sic Judices, sic etiam Concilium, *In memoria habemus quòd tunc* (hoc est Actione 3.) *prosecuti sunt, qui ex parte Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ falsatam fuisse prædictam 7. Actionem, eo quòd sint fallaces duo libelli, qui in ea continentur quasi porrecti à Vigilio, Justiniano & Theodoro piæ memoriæ.* His igitur constat falsò Vigilium Romanum Pontificem, erroris Monothelitarum accusari, quantùm autem ad Honorium, res longè difficilior, ut apparebit in sequenti §.

§. II.

An Honorius Monothelitarum dogma fuerit professus & ejus assertoribus patrocinatus.

XI.
Aliqui Catholici docent Honorium patrocinatum fuisse errori Monothelitarum.

AFfirmativam partem tuentur nedum hæretici: sed etiam nonnulli Theologi Catholici cum Melchiore Cano lib. 6. *De Locis Theologicis cap. ultimò*; existimantes Honorium reverà fuisse errori Monothelitarum patrocinatum: Tum quia in suis duabus Epistolis quæ lectæ sunt Actione 12. & 13. sextæ Synodi approbat doctrinam Sergii principis Monothelitarum, & decernit dicendum non esse Christum habere duas voluntates, neque duas operationes: *Tum quia* in eadem VI. Synodo damnatur tanquam hæreticus, eo quòd, inquiunt Concilii Patres Act. 13. invenimus per scripta quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit. Quapropter decernente eôdem Conciliô nomen ejus è sacris diptychis expunctum est, & scripta tanquam profana atque animæ perniciosa igne cremata sunt: *Tum quia* in VI. Synodo Actione ultimâ dicitur anathema Honorio unà cum Sergio cæterisque Monothelitis, ut legitur in Epistola ejusdem Synodi ad Clericos universos: *Tum quia* Actione 7. Synodi octavæ lecta est & approbata Epistola Concilii Romani sub Adriano II. in qua refertur, quòd Honorius à VI. Synodo post mortem judicatus, quia de hæresi fuerat accusatus. *Tum denique quia* ab Agathone Epistola ad Constantinum Imperatorem quæ habetur Act. 4. VI. Synodi, anathema dicitur Honorio tanquam Monothelitæ, & à Leone II. Epistolâ ad eundem Imperatorem, quæ habetur ad finem ejusdem Concilii, scriptum est Honorium in Monothelitarum hæresi defunctum, adeoque justâ anathematis sententiâ fuisse condemnatum.

At ab eo errore vindicatur.

Verum his non obstantibus reclamat numerosior & nobilior Doctorum cœtus cum Ecclesiasticis Annalistis & Historicis, quorum sententiã esse veriorem ac certiorem, ut probemus efficaciùs, & luculentiùs demonstremus; tria hîc sigillatim censeo esse demonstranda. *Primum* quidem quòd reverà Honorius Monothelitarum erroris non fuerit assertor. *Secundum*, quòd non sit ejusdem erroris accusandus, eo quòd cum Sergio datis & acceptis initio controversiæ litteris communicaverit. *Tertium* denique, quòd in VI. Synodo minimè damnatus ac proscriptus fuerit tanquam hæreticus. Sed ut hæc evidentiùs appareant;

Repetenda sunt ea quæ diximus initiô hujus tractatûs de Monothelitarum hæresis origine, propagatione & damnatione. Maximè verò revocandum est quòd cùm Cyrus Patriarcha Alexandrinus hæreticorum Nestorianorum ad Ecclesiam revocandorum prætextu Synodum congregasset, in ea definitum est cap. 7. *unam esse Dei-virilem operationem in Christo*; cujus Synodi acta misit quàm primùm ad Sergium Constantinopolitanum Antistitem, unà cum Epistola plena adulationis quæ lecta est in VI. Synodo Actione 13. at cùm hæc definitio de unica Christi operatione nota fuisset Sophronio Jerosolymorum Patriarchæ, omni conatu institit apud Cyrum, ut illam rescinderet, quod cùm obtinere non potuisset, scripsit ad Sergium Constantinopolitanum, nec-non ad Honorium summum Pontificem, quatenus illa definitio Synodi Alexandrinæ rescinderetur. Ut verò accepisset istas litteras à Sophronio Sergius, scripsit ad Honorium celebrem Epistolam, quæ habetur Actio[illegible]. VI. Synodi, in qua exponit ad bonum pacis sibi videri utramque sententiam esse silentiô reprimendam, sive quæ unicam in Christo defendit voluntatem & operationem, sive quæ duplicem admittit: suam tamen sententiam in omnibus subjicit judicio atque censuræ Apostolicæ Sedis.

Honorius duplicem Epistolam ad Sergium scripsit.

Acceptis à Sergio Epistolis, ad eum duplicem Epistolam scripsit Honorius, in quibus volunt adversarii eum fuisse Monothelitis patrocinatum. Defunctô *Honoriô*, suffectus est in ejus locum *Severinus*; cui *Ioannes IV.* successit, qui coactô Romæ Conciliô damnavit Monothelitas. Defunctô Joanne, ejus successor *Theodorus* anathema dixit Paulo Constantinopolitano Antistiti quòd faveret Monothelitis, quem Episcopatu privavit.

XII.
Referuntur summi Pontifices Honorii successores qui Monothelitis obstiterunt.

Martinus Theodori successor cogit Concilium Lateranense, in quo rursùm damnantur Monothelitæ definiturque duas in Christo esse voluntates & operationes, in cujus assertionis odium Martinus pellitur in exilium, ubi variis ærumnis Martyrii coronam promeretur. Cùm autem post ejus obitum Imperium teneret Constantinus Pogonatus verè orthodoxus, egit primùm cum *Domno* Martini successore, deinde cum Agathone qui mortuo Domno successerat, de congregando Concilio generali. Congregatur igitur VI. Synodus generalis Constantinopoli: præsunt Legati Sedis Apostolicæ, præsens est etiam Imperator cum viris gravioribus. Monothelitæ quorum Antistes erat Macharius Antiochenus Patriarcha pacificè audiuntur. Tandem definitur duas esse in Christo voluntates, & duas actiones, & anathema dicitur authoribus ac præcipuis defensoribus illius hæresis.

Honorius

Honorius non est dicendus Monothelita propter datas & acceptas Epistolas à Sergio initiò controversiæ.

XIII. Honorius non est culpandus quòd ad Sergium scripserit.

PRobatur. Nullus dici debet hæreticus, quòd datis & acceptis litteris cõmunicet cum aliquo Episcopo, qui ab omnibus celebratur & habetur ut Catholicus, nec in alicujus erroris suspicionem venit: at quando Honorius à Sergio Epistolam accepit ad eumque rescripsit, Sergius ab omnibus ut Catholicus habebatur, nec in alicujus erroris suspicionem veniebat: igitur propter communicationem cum ipso, Honorius non est damnandus ut hæreticus Monothelita. Major constat: alioqui hæresis essent insimulandi omnes sancti Patres, qui communicaverunt cum hæreticis antequam in erroris suspicionem venissent, ut Hieronymus cum Ruffino, Augustinus, cum Juliano. Minor verò probatur: Nempe quòd Sergius tunc temporis, ut Catholicus & optimus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Pastor haberetur. Probatur, inquam: *Primò* ex Epistola Sophronii Jerosolymorum Antistitis ad Sergium, ubi ipsum multis encomiis celebrat: Vobis, inquit, mittimus (confessionem fidei) qui non solùm dogmata probata ab adulterinis discernere scitis, sed quæ deficiunt, propter perfectam in Christo charitatem, perfectè supplere potestis. Accedam igitur ad dicendum illa quæ à principio in Ecclesia sancta Catholica collactatus & nutritus didici, & à teneris unguiculis accepi & vos divinè prædicare audivi, &c. Igitur tunc temporis Sergius ut Catholicus habebatur.

1. Quia tunc Sergius habebatur ut verè Catholicus.

2. Quia suam sententiam judicio Ecclesiæ Romanæ subjecerat.

Deinde, qui suam doctrinam sobmittit judicio Romani Pontificis, nec illa apertum errorem continet, ut hæreticus noo potest haberi: at Sergius in suâ ad Honorium Epistolâ suam doctrinam apertum errorem noo continentem submittit ipsius judicio, ait enim circa finem: *Adhortamur vos sacratissimi, hæc omnia legere & Deo placitam ac plenissimam charitatem, quæ in nobis est nunc quoque sequentes, si quid amplius minúsve inveneretis, hoc per datam vobis à Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras una cum vestra optabili sospitate, quæque super his vobis fuerint placita, significari.* Quibus constat quàm humiliter Sergius se Honorii judiciô submittat, dum rogat ut ipse Romanus Pontifex, si quid minùs vel amplius in Epistola esse cognoverit, ut adjiciat pariter vel dimoveat, licèt hæc subdolè ab eo proferrentur, ne detegeretur ut hæreticus.

3. Quia nihil erat in Epistola Sergii quô judicare potuisset Honorius illô fuisse Monothelitam.

Denique, nihil erat in Epistola Sergii ad Honorium ex quo judicare posset, ipsum Sergium Monothelitis patrocinari; ita enim suam sententiam declarat, ut duntaxat bonum pacis sectari videatur, & Ecclesiæ tranquillitati providere; cùm aliunde suam sanam & integram fidem testaretur, circa Christi divinitatem & humanitatem in unitate personæ, ait enim: Nos verò considerantes incipientem ex hoc inter quosdam hîc contentionem exardescere, & scientes quòd semper ex ejusmodi decertationibus illæ hæresum dissensiones effectæ sunt; necessarium judicavimus, omne studium ponere, ad sedandum, atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, & ad sæpe dictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem reparabantur, eô auxiliante, composuit, de cætero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro, magis autem, sicut sancta & universalia Concilia tradiderunt, unum eundemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum operatum confiteri, tam divinam quamque humanam, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivisè procedere, & ad unum eundemque redigere; eo quòd unius quidem operationis vox, quanquam à quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videretur, & perturbare aures quorundam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfusè, atque secundùm subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum, quod non est unquam nec fuit.

Similiter autem & duarum operationum dictio multos scandalizet, utpotè à nullo Sanctorum ac probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper & consequens ei est, prædicare duas voluntates, contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate verò ejus obsistente ejus voluntati & resistente; & perinde duo contraria volentes introduci: quod impium est. Impossibile est quippe in uno eodem subjaceoti duas simul & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina, operæ pretium instruit, quod nuoquam intellectualiter animata Domini caro separatim, & ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundùm subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit; sed quando, & qualem, & quantum ipse Deus Verbum volebat. Et, (ut pleniùs dicatur) quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur & disponitur ab intellectuali, & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota humanitatis ejus conspersio ab ipsius Verbi Deitate semper in omnibus mota, Dei mobilis erat, secundùm Nyssenum Gregorium dicentem contra Eunomium ita: Secundùm quòd Deus erat Filius, impassibilis utique est & immortalis: si quæ autem passio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profectò quæ suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est. Operatur quippe verè Deitas per corpus quod circa ipsum est, omnium salutem, ut sit carne quidem passio, Dei autem operatio.

Nec refert quòd ibidem videatur improbare sententiam Sophronii culpantis definitionem Synodi Alexandrinæ, & oppositam definitionem, ac Cyri sententiam approbare; id enim duntaxat, præstat ut significet quantùm tranquillitatis illa definitio Ecclesiæ Alexandrinæ dederit: quam utique pacem interturbare rescindendo illam definitionem Alexandrinæ Synodi durum existimabat. Quomodo, inquit, non esset durum & valde onerosum quando hoc, resolvere evertereque erat futuram quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quæ bene fuerat effecta tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quæ nullô tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini atque laudabilis Patris nostri Leonis, aut sancti & Magni atque universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere; nunc vero præclarâ & magnâ voce in divinis Missarum arcanis hoc prædicantes. Igitur non est cur existimetur Sergius alicujus erroris ab Honorio accusaretur. Quapropter nullam habuit causam, cur Honorius illô tempore sese à Sergii communicatione subtraheret, subindeque ideò non est

Monothelitarum erroris insimulandus.

Nec etiam arguendus est erroris, propter doctrinam in suis ad Sergium litteris expressam.

XIII. Non est etiam arguendus propter doctrinam ipsius litteris expressam.

XIII. HOnorius enim ut diximus suprà, duas ad ipsum Sergium Epistolas dedit: sed in earum neutra Monothelitarum error continetur, nec aliquid quod in ipsius erroris patrocinium veniat: igitur ex iis Epistolis non est damnandus Honorius. Probatur minor: *Primò* quidem ex priore Epistola; siquidem in ea docet: PRIMO quòd Christus Dominus Deus & homo sit qui coruscavit carne plenâ divinis miraculis ipse & carneus effectus, plenè Deus & homo. SECUNDO fatetur quod passiones & opprobria passus non est in utraque naturâ, cùm constet divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones, & idcircò ipsius humanitas non de cœlo, sed de sancta est assumpta Dei Genitrice. TERTIO docet propter ineffabilem conjunctionem humanæ divinæque naturæ Deum dici passum & humanitatem de cœlo descendisse: *Nam*, inquit, *per se veritas, in Evangelio ita loquitur, Nullus ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo, profectò nos instruens quòd Divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discretè atque inconfusè, sic indivisè videretur conjungi, ut nimirum stupendâ mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri.* QUARTO docet Christum Dominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita; eundemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter. Quibus significat se ob idiomatum communicationem credere unum in Christo volentem & operantem, sicut unica est ejus persona: cùm tamen astruat ob diversas proprietates duarum simul indivisè & inconfusè conjunctarum naturarum, æquè & voluntates distinctas & inconfusas in eo reperiri.

Quid prior ipsius ad Sergium Epistola contineat.

In illa non admittit unitatē operationis in Christo D. sed operantis.

Denique, fatetur quòd sit unus operator divinitatis atque humanitatis: *Quia*, inquit, *Dominus noster Iesus Christus Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plena sunt sacra littera luculentius demonstrantes. Vtrum autem propter opera divinitatis & humanitatis gemina operationes debeant derivatò dici vel intelligi: ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea Grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vendicare.* Profitetur ergo Honorius in Christo unum operatorem dicens non convenire personæ unitatem *operationis*, sed *operantis*? Sic S. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 14. de his agens, docet non dici posse ratione unius personæ, *unam voluntatem*, sed *unum volentem*, nec *unam operationem*, sed E *unum operantem* in duabus scilicet naturis; quos dum asserit indivisè, inconfusè & inconvertibiliter conjunctas, duas planè necessariò introducit operationes & voluntates. His quidem nihil magis Catholicum dici potuisse, nihil magis pium ac sanctum, nihil denique his temporibus ad pacem in Ecclesiis conservandam utilius excogitari videri potuit. Quam quidem Catholicam veritatem (dicam liberè cum Campensi inquit *Baronius*) non solùm nulla Synodus potuerit unquam damnare, sed si Angelus de cœlo aliud annuntiaverit, præter id quod dictum est, illatum in hujusmodi ab Apostolo susciperet anathema.

XIV. *Dices*: Idem Pontifex in eadem Epistola apertè A dixit, *unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi.*

Et quando dicit *unam voluntatem fatemur Domine nostri Iesu Christi*, non dixit unam divinitatis & humanitatis simul: sed solius humanitatis.

Respondet sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrhum quòd unam dixerit voluntatem, *Non humanitatis & divinitatis simul*, sed *humanitatis solius*: cùm enim Sergius scripsisset quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; respondit Honorius, inquit sanctus Martyr, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse; carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum; sed unam tantùm, quæ naturaliter ejus humanitatem signabat: quæ utique responsio firmatur ex ipsamet Epistola Honorii, cùm enim dixisset, *Vnam voluntatem fatemur Domini* B *nostri Iesu Christi*; statim subdit. Quia profectò à divinitate assumpta est nostri natura non culpa, illa profectò quæ ante peccatum creata est nunquam post prævaricationem vitiata. *Et infrà*: Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, à Salvatore vitiata natura quæ repugnaret legi mentis ejus: sed venit quærere & salvare quod perierat, id est, vitiatam generis humani naturam: nam lex alia in membris aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori; quia super legem natus est humanæ conditionis. Et siquidem scriptum est; Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris, &, Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, & alia hujusmodi: non sunt hæc C diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ, ista enim propter nos dicta sunt quibus dedit exemplum, ut assequamur vestigia ejus, pius Magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potiùs Domini omnibus præferat voluntatem. Hæc Honorius: Cùm igitur audis unam Honorium dicere voluntatem, intelligere debes eum ita locutum respectu duarum inter se pugnantium contrariarum voluntatum ad malum & bonum.

XV. *Instabis*: Honorius in eadem Epistola ait Sergium Sophronio rectè providéque scripsisse cùm novitatem vocabuli abstulit, improbando videlicet dictum Sophronii, qui duas in Christo vo- D luntates admittebat.

Honorius solius pacis servandæ gratia voluit quod taceretur assertio unius aut duarum voluntatum in Christo.

Respondeo Honorium non magis culpare Sophronium quòd duas voluntates admitteret, quàm adversarios, qui unicam in Christo voluntatem profitebantur: sed solùm voluit quòd pacis servandæ gratiâ, taceretur assertio unius aut duarum voluntatum: *Nos enim*, inquit, *non unam operationem vel duas, non unum Iesum Christum ejusque sanctum Spiritum sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum.* Quibus significat quòd sit quidem dicendus unus operator divinitatis atque humanitatis.

Duplex causa cur Honorius noluit decernere an sit unica aut duplex in Christo voluntas.

An autem essent duæ voluntates aut operationes, definire noluit duplici de causa. Prior est, quia in novis decernendis cautè est procedendum: putabat autem illud novum: nam neque in Evangelus, neque in Synodis, res ea clara videbatur. *Non oportet*, inquit, *ad dogmata hæc Ecclesiastica retorqueri, quæ neque Synodales apices super examinantes, neque authoritates canonicæ visa sunt exclamasse; ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicari, quas neque Evangelicæ, vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visa sunt terminasse.* Posterior est, ne si duas operationes, Nestorio: si unicam, Euticheti favere videretur. *Et nos*, inquit, *secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel sperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem nova voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala ge-*

Prima, nè novitatis argueretur.

Secunda, nè si duas operationes, Nestorio; si unicam, Euticheti favere videretur.

nerare, nec aut duarum operationum vocabulô offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Iesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutichianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur. Secunda causa cur nil decreverit circa hanc controversiam, fortè fuit, ne hâc definitione, Ecclesiastica pax interturbaretur, & Ecclesiæ unitas funditùs tolleretur.

XVI. Honorius non magis est hæresis accusandus quàm ipse Sophronius; quem omnes ab ea immunem fatentur.

His adde quod non magis culpandus videatur Honorius propterea quòd censuerit utramque assertionem, unius aut duarum voluntatum esse tacendam, quàm ipse Sophronius; qui idem servandum silentium censuit: sed à nemine Sophronius arguitur hæresis, quòd censuerit abstinendum ab isto novo loquendi modo: ergo neque ob id culpari debet Honorius. Quòd autem Sophronius consenserit abstinere hâc loquendi formulâ, constat ex epistola Sergii ad Honorium, ubi ait: Ad ultimum stetit & placuit quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cætero, de una sive duabus operationibus movere debeat, sed ei sufficiat præfata, cautaque ac trita SS. Patrum traditio atque doctrina. His itaque contentus sæpè nominatus venerabilis Vir, & hæc custodire certificans, &c.

XVII. In posteriori epistola Honorii nihil est pariter unde hæresis possit accusari.

Similiter in posteriori epistola Honorii, nihil est quòd pro eo tempore potuerit hæresis accusari: siquidem in illa tantùm hæc habentur. Unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur: nam qui hæc dicunt, quid aliud nisi juxta unius vel geminæ naturæ Christi Dei vocabulum, ita & operationem unam vel geminam suspicantur propter simplicitatem hominum & amputandas inextricabiles quæstionum ambages, non unam vel duas operationes in Mediatore Dei, & hominum esse definit? Sed utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt operantem; & humanam quæ carnis sunt exequentem non divisè, neque confusè, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarũ differentias integras confitentes. *Et infrà*. Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, sed pro una (quam quidam dicunt) operatione, oporter nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridicè confiteri: & pro duabus operationibus, ablatô geminæ operationis vocabulô, ipsas potiùs duas naturas, id est, Divinitatis & carnis assumptæ in una persona unigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes. Et hoc quidem beatissimæ fraternitati vestræ insinuandum prævidimus, quatenus unius confessionis propositum, unanimitati vestræ sanctitatis monstraremus, ut profectò in uno spiritu anhelantes, pari fidei documentô inspiremus. *Addit præterea:* Scribentes etiam communibus Fratribus Cyro & Sophronio antistitibus ne novæ vocis, id est, unius vel geminæ operationis vocabulô insistere vel morari videantur; sed abrasâ hujusmodi novæ vocis appellatione, unum Christum Dominum in utrisque naturis, divina vel humana prædicent operantem. Quanquàm, hoc quod ad nos prædictus Frater & Coepiscopus noster Sophronius, misit, instruximus ne duarum operationem vocabulum deinceps prædicare innitantur: quod instantissimè promiserant prædictum virum esse facturum; si etiam Cyrus Frater & Coepiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit.

Huc-usque ex epistola posteriori Honorii ad Sergium sexta Synodus, ex quibus liquet ipsum vocabulum unius, aut duarum operationum æqualiter tacendum utrique parti significavisse, propter bonum pacis: quod & Legati Sophronii servandum promittunt. Cùm igitur neque ob indictum de utraque voce silentium, neque ob communicationem & consensionem cum Sergio Sophronius non venerit usquam in suspicionem erroris; ita nec Honorius propter eadem debet in suspicionem hæresis venire; maximè cùm hâc ratione Honorius consuluerit paci, ut nullum præjudicium fecerit veritati. Nam alterô tantùm ex his duobus modis potuisset veritati præjudicium fieri, vel quia firmasset Monothelitarum hæresim de unica voluntate atque operatione Christi: at non ita; quia disertè prohibet dici *unicam*, quemadmodum vetat dici *duas*: vel quia hâc suâ simulatione, & indifferentiâ visus esset occultè favere Eutichianis: at non ita, quia vult expresè, ut credamus utrasque naturas in Christo unitate naturali copulatas, non divisè neque confusè, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, & nec humanam in Deum conversam: sed naturarum differentias integras: igitur tantùm abest, ut hæreticus censeri debeat ob epistolas, quin potius est quòd meritò asseramus, eum tunc temporis rebus Ecclesiæ prudenter providisse, ne scilicet diu vexatam Ecclesiam ab hæreticis Eutichianis, & Nestorianis, & nondum omni ex parte firmâ ac solidâ pace fruentem novis suborientibus controversiis, divexari pateretur.

Honorius disertè prohibet dici *unicam operationem* in Christo sicut vetat dici *duas*.

Probabilius est, Honorium in sexta Synodo non fuisse hæreticis annumeratum, nec damnatum.

XVIII. Honorius in Synodo non fuit hæreticis annumeratus.

HÆc ultima Honorii vindiciæ pars longè probatu difficilior apparet, quam præcedentes; propterea quòd in actis sextæ Synodi quæ per Ecclesiam universam vulgantur, & in omnium manibus sunt, hæreticis legitur annumeratus, quod idem præstiterunt sequentes aliquæ generales Synodi, ut præmonuimus in hujus controversiæ exordio: nihilominùs veriùs cum nobiliori Doctorum & Ecclesiæ Annalistarum cœtu dicendum arbitror, Honorii nomen insertum fuisse à Monothelitis ipsis, cum cæteris damnatis sui erroris defensoribus, quò faciliùs sextæ Synodi authoritatem & definitionem elevarent, & suæ prætensæ innocentiæ ac justæ damnationis patrocinium accerserent. Tanti namque faciebant Honorii memoriam, ut etiam usque modo Patriarchæ Constantinopolitani Monothelitæ, nomen ejus suis in diptichis insertum servaverint, expunctis nominibus successorum ipsius, à quibus fuerant damnati: Ad hanc autem tuendam sententiam non levioribus, sed, ut mihi videtur, gravissimis moveor argumentis.

Probatur primò ex Synodo Lateranensi annô Christi 649 sub Martino Papa & Martyre celebrata.

Primum repetô ex Synodo Lateranensi sub Martino Papa & Martyre celebrata annô Christi 649: hoc est, post decem annos ab obitu Honorii: cui Synodo interfuerunt centum & quinque Episcopi, præsidente ipsô summô Pontifice, in qua exactè librata est & tractata causa Monothelitarum; & post diligentem inquisitionem damnati sunt una cum hæresi, atque ipsorum scriptis, Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus

Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus successores Patriarchæ Constantinopolitani, authores & propugnatores erroris: de Honorio autem adeo altum silentium fuit, ut nullam prorsùs vel ab hæreticis de hæresi calumniam passus, nec à sancta Syoodo levissimâ sit suspicione pulsatus: cùm cæteris autem damnatis illius erroris authoribus, & Patronis eandem sententiam minimè effugisset Honorius; aut certè suô graviter officiô defuisset Martinus cum Concilio, qui personam ipsius acceptasset in præjudicium veritatis, quod sanè de tanto Pontifice atque Martyre glorioso, nullus absque crimine judicare potest. Quippe hàc exceptione approbasset ipsius Honorii doctrinam, & sic tacendo videretur approbare, quod decernendo improbabat: igitur si silentium istius Concilii testimonium sit validissimum innocentiæ Honorii, estne credibile sextam Synodum adversus illum Pontificem insontem potuisse ferre sententiam, & eum cum hæreticis numerare? Quid notitiæ potuit habere sexta Synodus circa mentem, & sententiam Hooorii, quod Patres Concilii Lateranensis latuerit? Recentior enim erat apud hos quàm apud illos Honorii memoria ac doctrina; & faciliori negotiô Patres Lateranenses poterant ipsius mentem nosse, utpote qui plurimos adhuc Honorii familiares superstites haberent, cum quibus causam illam tractaverat Honorius, & à quibus illius mentem rescire poterant? Dicitur Honorius damnatus in sexta Synodo, ob solam lectionem duarum ipsius ad Sergium epistolarum: sed hæ erantne ignotæ Romæ, aut à Romanis & Latinis Præsulibus minùs intellectæ, quàm Constantinopoli, cujus Synodi maxima pars Orientales erant; quocirca oportuit illas epistolas in idioma Græcum traducere: certè nullus æqui judicii istud censebit.

XIX. *Secundò ex* Concilio Romano sub Agathone Papa celebrato anno 680.

Secundum argumentum petitur ex Concilio Romano celebrato sub Agathone annô 680. hoc est, eôdem annô, quô celebrata est sexta Synodus cui aderant centum viginti quinque Episcopi, ut constat ex epistola Synodica, quæ fuit velut instructio Legatorom qui missi sunt ab eodem Agathone ad sextam Syoodum, & extat in ejosdem Synodi sextæ *actione* 4. in qua quidem Synodica epistola, tria habentur: *Primum* est professio fidei, ubi expressè continetur doctrina Catholica de duabus voluntatibus & operationibus in Christo. *Secundum*, repetitur damnatio eorundem Monothelitı erroris patronorum, Theodori, Cyri, Sergii, Pyrrhi, & Pauli; nec levis quidem fit mentio quod similiter erraverit Honorius: quod certè dissimulandum non erat, si verum esset. *Tertium*, denique affirmatur Agathonis prædecessores *veram fidem docuisse semper, & usque ad animæ ipsius exitum constanter defendisse, non seductos blanditiis, non periculis territos, &c.* Quâ fronte autem hæc subscriberentur à centum viginti quinque Episcopis unà cum summo Pontifice, si non ita pridem Hoootius laboraret eôdem errore, qui damnabatur in ea Synodo Lateranensi, & cujus damnatio procuranda erat à Legatis proficiscentibus ad illam sextam Synodum? Quis ita levis, ut credat tot Præsules toti Ecclesiæ in Concilio Oecumenico congregatæ tam turpiter imponere voluisse, & ita fuisse excordes & ac suæ famæ prodigos, qui, ut Honorii nomen illibatum servarent, mallent se apertô mendacii periculô, coram universo Ecclesiæ cœtu exponere?

XX. Et ex Epistola nomine solius Agathonis ad Imperatores Constantinum, &c. directa.

Confirmatur ex epistola nomine Agathonis solius ad Imperatores Constantinum, Heraclium atque Tyberium per eosdem Legatos directa, quæ pariter refertur initiô *actionis quartæ* ejusdem sextæ Synodi, ubi fidei Symbolum, quod veritatem de duplici voluntate & operatione expressè continet, profertur, subditque Pontifex ore liberô, firmâque ac iteratâ contestatione fatetur, nunquam aliquando Apostolicam sedem à recto fidei tramite deviasse. Ait enim: *Christi adnitente præsidiô hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est.* Et paulo post: *Hæc est enim vera fidei regula, quam in prosperis & adversis vivaciter tenuit ac defendit, hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata ad hoc tempus permansit.* Et de suis prædecessoribus paulò post speciatim hæc addit: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum Fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licèt impar & minima, quò susceptô, tamen divinâ dignatione, ministeriô, pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quem illi sinceriter prædicaverunt, prædicare neglexero.* Hæc Agatho, quæ quidem non adeò firmiter asserere, liberè prædicare ac sincerè confiteri potuisset, si ad eandem firmandam, quam confutat hæresim, Honorius in crimen adduci potuisset.

In qua Romani Pontifices ab omni errore liberi semperfuisse declarantur.

Quæ utique verissima judicabis, si spectaveris quis hæc dixerit, ubi, ad quos, & quando scripserit; oempe sanctissimus, & omnium ore laudatissimus Agatho, in Synodali magno Patrum conventu, consensu omnium scribens ista ad ipsos Imperatores Constantinopoli degentes, quorum prædecessores favissent errori, ut constat ex Heraclii *Exthesi*, & *Typo* Constantis: idque scriberet tempore, quô Oecumenica Synodus celebranda erat, eâ scilicet in urbe cujus Patriarchas ipse Agatho cum suo Concilio damnaverat; se se autem exposuisset justæ accusationi de personarum acceptione, si in præjudicium veritatis, illius erroris reum cum ipsis fautoribus ac Patronis Monothelitarum excepisset.

XXII. S. Maximus Honorium ab ipsa calumnia vindicavit.

His adde quòd pridem ante illos summos Pontifices sanctus Maximus Honorium ab ipsa calumnia vendicavit, in illa disputatione, quam habuit cum Pyrrho, cùm enim hic hæreticus pro se stare Honorium acclamaret; *Quid*, inquiebat, *de Honorio ad respondendum habes, quia per te antecessori meo unam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit?* Sanctus Maximus illum ab hac erroris insimulatione liberat, ostendens ipsum semper fuisse acerrimum veræ fidei propugnatorem, & unam voluntatem in Domino dixisse, non divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius, ne oppositas in Christo voluntates carnis & spiritûs admitteret.

Nec non & Joannes IV. Pontifex.

Confirmatur ex eo quòd *annô* 640. hoc est, secundô ab obitu ipsius Honorii, cùm Monothelitæ occasione prædictarum epistolarum ad Sergium, suas in partes illum pertrahere conarentur, Joannes tum in Petri Cathedra sedens eum advocavit, qui sub Honorio duas illas epistolas scripserat, ut mentem defuncti Pontificis aperiret,

& quid censuisset ille ad Constantinum Imperatorem scriberet. Paruit ille, &, ut refert sanctus Maximus Martyr, mandavit Imperatori eatenus duntaxat Honorium unam in Christo voluntatem dixisse, quatenus negaret humanam voluntatem contrariam, carnis scilicet & spiritûs; non verò duplicem negasse, quarum altera divina sit, altera humana.

Constat igitur ante sextam Synodum, tum ex ejusdem Honorii litteris, tum ex sancti Maximi scriptis, atque ex Conciliis duobus Romæ celebratis, tum ex litteris Romanorum Pontificum, Joannis, Martini, & Agathonis, nullatenus Honorium posse erroris insimulari; ac subinde nullus rerum justus æstimator adduci poterit, ut credat Honorii nomen, cum aliis istius hæresis patronis, à sexta Synodo esse insertum; quin potiùs istud dolosâ Monothelitarum arte, ac fraude compactum esse facilè judicabit. Qualiter autem id factum fuerit, mox aperiemus.

XXII. Potest vindicari innocentia Honorii ex terminis & circunstantiis damnationis illius.

Tertiam argumentum quô vindicari potest Honorii fides integra, & apparere fictitiam esse illius in sexta Synodo damnationem, colligitur tum ex terminis, tum ex circunstantiis damnationis illius, quæ legitur & exaratur in *actione* 28. hujus Concilii, cujus verba hæc sunt: *Sanctum Concilium dixit, Secundum promissionem quæ à nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas epistolas quæ à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quàm ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: similiter autem & epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium: hásque invenientes omninò alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas hæreticorum; eas omnimodò abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem (id est, eorundem) impia execramur dogmata, horum & nomina sancta Dei Ecclesia projici judicamus, id est, Sergii quondam Præsulis hujus à Deo conservandæ regiæ urbis, qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri, & Pauli, qui & ipsi præsulatu functi sunt in sede hujus à Deo conservandæ civitatis, & similia eis senserunt; ad hæc & Theodori quondam Episcopi Pharan: quarum omnium suprà scriptarum personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Papa antiquæ Romæ in suggestione, quam fecit ad piissimum & à Deo confirmatum Dominum nostrum, & magnum Imperatorem, eósque abjicit, utpote contraria rectæ fidei sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his verò simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematisari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium; quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Hactenus quæ fertur sententia adversus hæreticos in Synodo condemnatos.

XXIII. Hæreticorum dolô Honorii nomen insertum est inter Patronos erroris Monothelitarum.

Hoc est præcipuum adversariorum propugnaculum, quô nituntur quotquot Honorium Monothelitarum erroris reum esse volunt. *Verùm* falsatam esse præfatam sententiam, & hæreticorum vafritie ac dolô falsò insertum Honorii nomen, pluribus, iísque non levioribus momentis demonstro.

Primò quidem, quia Synodus dicit se eos damnare, quos ait prædamnatos ab Agathone Pontifice in ipsius epistola ad Imperatorem: at in illa epistola cùm hæreticis damnatis non habetur Honorius; imo constantissimè testatur Agatho, nunquam Ecclesiam Apostolicam à via veritatis, in quamlibet erroris partem deflexam esse, nec per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis unquam errasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse: quod certè falsissimum esset, si ipsum Honorium in errorem, quem ipse Agatho damnaverat, lapsum fuisse judicasset: igitur cùm testetur Synodus, eos duntaxat damnari, quos Agatho prædamnaverat in sua epistola ad Imperatorem, consequens est Honorium in illa Synodo non fuisse damnatum, utpotè qui cum damnatis hæreticis ab Agathone non fuerit nominatus.

Quod probatur 1. quia dicitur damnari cum iis quos damnârunt summi Pontifices, quod apertè falsum est.

Secundò dicitur in ea sententia idcirco damnatum esse Honorium, quòd ejus epistolæ ad Sergium alienæ sint ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus SS. Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas hæreticorum doctrinas: sed hæc omnia falsissima sunt, ut suprà probatum est; quippe in illis epistolis nihil est quod Catholicam doctrinam non redoleat. Deinde etiamsi illæ epistolæ, (quod dici non potest) aliquid erroris præferrent, nunquid ex iis damnandus à Synodo erat ipse Honorius, & non more majorum disquirendum an inveniri posset ipsum mutatâ sententiâ errorem ejurasse antequam diem extremum clauderet? *Insuper* cùm notum esset quod extaret posterior ejusdem Honorii epistola ad eundem Sergium: cur non expectata est ejus, lectio, quæ duntaxat facta est in sequenti sessione, ex qua posteriori epistola certô argumentô constare poterat, ut suprà diximus, ipsum Pontificem asseruisse duas operationes, & totidem in Christo voluntates? Sanè nullus est qui hanc præposteram & præcipitatam Romani Pontificis condemnationem, de impostura & falsificatione suspectam esse non judicet.

2. Quod in suis epistolis ad Sergium contra Catholicam doctrinam senserit quod est falsum.

Tertiò, cùm isti Synodo præessent Apostolicæ sedis Legati, quomodo altum silentium servassent audientes damnari tam præcoci impetu ejusdem sedis Antistitem, maximè in re tam aperta & jam sufficienter discussa, tum per præcedens judicium Joannis Romani Pontificis missum Constantinopolim, tum per defensionem sancti Maximi Martyris, qui in publica disputatione cum Pyrrho toti orbi Catholico promulgata, hanc ab Honorio calumniam propulsaverat? Tum denique cùm in epistolis Agathonis cujus vices gerebant, expressissimum haberent nullum è Romanis Pontificibus in aliquem errorem lapsum? Quônam modô tam profundô lethargô laborassent, ut ne unus vel alter quidem ista senserit ac insurrexerit, saltem defensor litterarum Agathonis, cùm præsertim ex iis accepissent nihil ab ipsis decernendum, præterquàm illa tantùm ipsa quæ iisdem ipsis litteris continerentur? *His adde* quòd etiamsi reverà epistolæ Honorii aliquem errorem redolerent, cur non institerunt Legati ut supersederetur, donec constitisset ipsum non deposuisse illum errorem, sed in eo fuisse defunctum? Potestne alicui in mentem venire, qui noverit quantâ animi firmitate ipsi Legati obstiterint Monothelitis; dum Vigilium Rom. Pontificem suas in partes pertrahere tentabant; ipsi tamen animô quietô audierint damnari alterum ejusdem sedis Antistitem, ne verbulô quidem in ejus defensionem prolatô? Quid? Ob damnationem Theodori Mopsuesteni & condemnationem

3. Quia ejus damnationi nō obstiterunt Legati summi Pontificis.

ſcriptorum Theodoreti & Ibæ Epiſcoporum, oportuit totum Chriſtianum orbem commoveri, ac Oecumenicam Synodum congregari; nec tamen niſi cum maximo labore id actum eſt: Antiſtes autem primæ Sedis, qui omnes judicat, & à nemine judicatur, damnatus eſſet ex ſimplici illarum Epiſtolarum lectione, nulla diſquiſitione factâ an illum errorem, priuſquam diem extremum obiret, ejuraſſet.

4. Quia in ſexta Synodo nomina omnia Patriarcharũ damnatorũ fuerunt deleta, ſed non ita de nomine Honorii.

Quartò: Si reverà Honorius damnatus fuiſſet ut hæreticus, cur poſt celebratam ſextam Synodum, illius nomen cum damnatorum Patriarcharum nominibus è ſacris diptichis non fuit expunctum; nam refert Anaſtaſius Bibliothecarius, Synodo abſolutâ, omnium damnatorum Patriarcharum nomina fuiſſe deleta, ipſorumque imagines de Eccleſiis fuiſſe ſublatas. Conſtat autem Honorium cum orthodoxis Pontificibus in Baſilicâ ſancti Petri ſepultum eſſe, illiuſque ſepulchrum plurimis elogiis, ac honorificis titulis, quos refert Baronius ad *annum Chriſti 638. n. 2. & ſequentibus.* Inter cætera autem illius Epitaphium hoc præfert.

Quem doctrina potens, quem ſacra regula vita,
Pontificum pariter ſanxit habere decus.
Sanctiloqui ſemper in te commenta magiſtri
Emicuere tui tanquam fœcunda nimis
Namque Gregorii tanti veſtigia juſti.
Dum ſequeris cupidus & meritumque geris.
Æternæ lucis Chriſto dignante perennem
Cum Patribus ſanctis poſſide jamque diem

5. Ex illuſtribus titulis quibus ejus Mauſoleum decoratur.

Qui verſus quanquam nullam elegantiam præ ſe ferant, & illius ſæculi rudiorem Muſam ſapiant; nihilominus ſufficienter aperiunt ipſum fuiſſe virum probum, ac ſancti Gregorii imitatorem, quæ certè de homine hæretico dicta non pateretur Romana ſedes, nec illius nomen in albo orthodoxorum Pontificum inſertum ſineret, ejuſque imaginem muſiuo contextum in apſide ſanctæ Agnetis Eccleſiæ, quam ipſe inſtauraverat, pateretur hactenus cerni publicè venerationi Chriſtianorum expoſitam.

His igitur ſufficienter conſtare debet falſata eſſe iſtius Synodi acta & Monothelitarum vafritie Honorii nomen ac Epiſtolas dolosè cum damnati erroris aſſertoribus eſſe inſerta.

Verum, inquies, quis adduci poterit, ut credat quòd aliquis eo pervenerit audaciæ, ut corrumperet acta Concilii generalis?

XXIV. Græcis non eſt infrequens acta Conciliorũ interpolare.

Reſpondeo id mirum non videri homini rerum Eccleſiaſticarum perito; hæc namque ſtropha frequentiſſima fuit apud Græcos, quos falſificaſſe acta quintæ Synodi, falſitatiſque convictos ſuprà vidimus in cauſa Vigilii.

Inſuper: Sanctus Gregorius lib. 5. Epiſtola 14. quæ eſt ad Narſen, teſtatur eos corrupiſſe acta Concilii Chalcedonenſis, ubi addit ſe ſuſpicari, quod etiam Epheſinam Synodum corruperint, unde ibidem ſubjicit veraciores eſſe codices Romanorum quàm Græcorum; *Quoniam*, inquit, *Romani ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent.* Similiter eos corrupiſſe Canones ſecundæ Synodi, evidens eſt ex Actione 16. Concilii Chalcedonenſis, & litteris ſancti Leonis de Patriarcha Conſtantinopolitano.

Denique, eos corrupiſſe acta ſeptimæ Synodi non minùs ac præcedentium, teſtatur, Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione Hiſtoriæ ad ſextam Synodum; poſt quam ſubdit: *Sic igitur Græci acceptâ occaſione celebratorum univerſalium Conciliorum frequenter egiſſe clareſcunt, & nunc minuendo, nunc addendo vel mutando, nunc in abſentia ſociorum; nunc in abſcondito angulorum, nunc extra Synodum, nunc poſt Synodum aſtutiâ ſuâ, imò fraude communibus ſanctionibus abutuntur, & ad ſuos libitus cuncta quæ ſibi viſa fuerint, etiam violenter inflectunt.*

Petes quiſnam ille fuerit audax interpolator, qui ejuſmodi acta Synodalia temerare auſus fuerit, & Honorii nomen cum damnatis hæreticorum patrociniis inſerere?

Reſpondeo, non improbabile videri, id quod docet Baronius ad *annum 681. n. 19.* hujus impoſturæ artificem, & authorem cenſeri *Theodorum* Patriarcham Conſtantinopolitanum Monothelitam, & illius hæreſis audaciſſimum defenſorem, qui eò inſolentiæ prorupit, ut nomina Romanorum Pontificum ab excitata controverſia defunctorum, è ſacris diptichis atque imprimis *Vitaliani* abſtulerit, retentô ſolô nomine *Honorii*, ut conſtat ex eo quòd Georgius Conſtantinopolitanus, qui in hujus locum ſuffectus fuerat in ſexta Synodo *Actione* 8. poſtulavit, ut nomem Pontificis *Vitaliani* reſtitueretur, quod ultrò conceſſum eſt. Cùm verò aſtutiſſimus ille ſimulatâ pœnitentiâ ſuam in ſedem reſtitutus fuiſſet annô 681. mortuô ſcilicet poſt tres annos & totidem menſes Georgiô, credibile eſt quod ipſe ſummâ rerum potitus, & Synodi prototypum nactus, nomen ſuum è damnatorum numero deleverit, Neque enim dici poteſt quòd in ea Synodo non fuerit damnatus: *Tum quia* Synodus de omnibus Epiſcopis Conſtantinopolitanis ab exorta hac hæreſi judicium tulit, & condemnavit Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum: orthodoxi autem declarati ſunt Thomas, Joannes, & Conſtantinus prædeceſſor iſtius Theodori; quidni ergo ipſe Theodorus, cùm eadem ſentiret, quæ cæteri Patriarchæ hæretici, & propterea fuerit deſtitutus, non itidem cum hæreticis fuerit damnatus? *Tum quia* Anaſtaſius Bibliothecarius, qui actiones ejuſdem ſextæ Synodi in compendium redegit iſta habet: *Deinde*, inquit, *protulit piiſſimus & sereniſſimus princeps tomum ad relegendum, in quo uno hæreticum dogma Macharii erat conſcriptum, & ejus in manu ſubſcriptum apertiſſimè unam voluntatem in Domino affirmantem; ſub ipſius ſubſcriptione & Theodori Patriarchæ utique juxta eum tenorem ibi ſubſcriptio erat.* Conſtat igitur Theodorum ejuſdem erroris reum fuiſſe; & tamen nihil hujuſmodi reperitur in actis, quæ præ manibus habentur: Unde non leve ducitur argumentum quod ex autographo actorum Synodalium expunxerit ea, quæ in ſui ignominiam vergebant, & inſeruerit Honorii nomen, ac in ſui nominis locum repoſuerit, tum ut quod conceperat in Eccleſiam Romanam odium eâ ratione tentaret explere; tum maximè, ut culpa ſua cæterorumque ſucceſſorum Sergii nec-non & ipſiuſmet Sergii minor videretur, utpote qui in eodem errore comitem habuiſſent univerſalis Eccleſiæ Pontificem.

XXV. Theodorus Patriarcha Conſtantinopolitanus videtur Honorii nomen cum damnatis hæreticorũ Patronis inſeruiſſe.

XXVI. Cur Honorius & Sergius anathemate percuſſi fuerint in ſeptima Synodo.

Inſtabis. Quomodo ergo in ſeptima Synodo Actione ultima, non eſt detecta illa fraus: ſiquidem in ea dicitur anathema Honorio & Sergio cæteriſque Monothelitarum hæreſis defenſoribus; quod etiam repetitur in Epiſtola Synodi nomine miſſa ad Conſtantinum Imperatorem, & Irenem matrem ejus?

Acta illius ſeptimæ Synodi fuerũt à Græcis inter-

Reſpondeo pariter acta iſtius Concilii à Græcis fuiſſe interpolata in odium Romanæ Eccleſiæ, nominis Honorii in locum Theodori ſuffectione, ut factitatum fuerat in ſexta Synodo per ipſum

polata in odium Romanæ Ecclesiæ.

Theodorum Constantinopolitanæ Sedis Patriarcharum damnatorum culpa minor appareret, quibus nimirum præjuisset Romanæ Ecclesiæ Pontifex Honorius.

Respondent aliqui, Patres hujus septimæ Synodi deceptos ex corruptis actis sextæ Synodi dixisse anathema Honorio.

Verùm id non habet speciem probabilitatis; nam Legati Adriani Romani Pontificis, qui ejus nomine præerant Concilio, non passi fuissent tantam injuriam inferri Romano Pontifici, quem ab errore immunem Joannes summus Pontifex & sanctus Maximus Martyr declaraverant.

Urgebis: Si hæc ita sint, cur ergo Concilium Romanum sub Adriano II. testatur Honorium in sexta Synodo fuisse accusatum? nam in illius Concilii Epistola habetur, *Honorium judicatum fuisse post mortem à sexta Synodo, quia de hæresi fuerat accusatus.*

XXVI.
Honorius non fuit damnatus à sexta Synodo, sed tantùm ab orientalibus & injustè, nam prima sedes ab alia sede inferiori nō est judicanda.

Respondeo in ea non dici damnatum fuisse Honorium à sexta Synodo, ut falsò supponit objectio, sed tantùm quòd damnatus sit ab Orientalibus: quod utique non negamus, sed meritò habemus quòd conqueramur de illa injusta damnatione: tum quòd omninò innocens fuerit Honorius: tum quòd prima sedes ab alia inferiori non est judicanda. Itaque illius condemnatio non emanavit à Synodo Oecumenica, à qua tamen fuisset reverà damnandus si istô errore fuisset infectus.

Objiciunt aliqui Agathonis authoritatem, quasi in ea damnaretur Honorius.

Falsum est quod Honorius ab Agathone damnatus fuerit.

Verùm contrarium apertissimè constat, quippè expressissimè habet, ut supra vidimus, Ecclesiam Romanam nunquam à tramite Apostolicæ Sedis aberrasse, nec hæreticis novitatibus depravatam succubuisse, quod apertè falsum esset, si ipsemet in ea Honorium damnaret.

Objiciunt denique epistolam Leonis secundi ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur ad finem sextæ Synodi, cujus acta confirmat & approbat: in qua scribitur Honorium in Monothelitharum hæresi defunctum, ait enim: Pariter anathematisamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Successores, magis quàm Præsules, nec-non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed prophana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est.

XXVII.
Epistola Leonis secundi quæ ad finem sextæ Synodi in qua damnatur Honorius, est spuria & falsa. Probatur tribus momentis.

Respondet Baronius ad *annum Christi 683. n. 19. & sequentibus*, illam Leonis Epistolam spuriam esse, idque probat, quia contradictoria continet; nam *primò* scribitur *datâ nonis Maii indictione decimâ;* & tamen in contextu habetur quod Leo Imperatorias litteras accepit, & acta Synodalia, elapsâ nuper indictione decimâ, mense Juliô, & suscepit Legatos è Synodo redeuntes. *Secundò* quia Leo non potuisset suscepisse Legatos unà cum litteris & actis sextæ Synodi, mense Juliô; quippe duntaxat decem menses sedit, creatus est autem Pontifex mense Augustô. *Tertiò* ait se recepisse mense Maiô, indictione decimâ Epistolam Imperatoris, & tamen constat illam ab Imperatore missam duntaxat eàdem indictione, mense Decembri. Quæ omnia cùm apertè sibi contrarientur fatendum est illam Epistolam Leonis nomine vulgatam spuriam ac ementitam esse: adeoque ex his omnibus momentis constat Honorium istius erroris prorsus immunem fuisse, & nullatenus à sexta Synodo hæreticis fuisse annumeratum, ac cum ipsis damnatum.

Urgebis. Idem Leo Pontifex scripsit ad varios orbis Christianæ Præsules, maximè verò ad Hispanos eorumque Regem Ervigium, ad quos transmisit fidei definitionem, & acta sextæ Synodi per Petrum notarium regionarium, quatenus ipsorum omnium subscriptionibus munirentur quæ in illo Oecumenico Concilio statuta fuerant: sed in illis ipsis actis per Leonem transmissis reperitur illa Honorii damnatio & ejusdem Epistolarum proscriptio: igitur reverà Leo probavit illam Honorii damnationem, & ut legitimam habuit.

Litteræ quæ nomine Leonis ad Præsules Hispanos circumferuntur suppositiriæ sunt & falsæ. Probatur etiam tribus rationibus.

Negat majorem Baronius ad *annum 683. n. 21. & sequentibus*, demonstratque illas Epistolas quæ B nomine Leonis circumferuntur ad Præsules Hispaniæ & Regem Ervigium spurias esse ac suppositiæ. PRIMO quia in singulis istis Epistolis asseritur ipsam Oecumenicam Synodum absolutam fuisse *indictione 9.* Constat autem ex ultima ejusdem Synodi actione illam absolutam fuisse duntaxat *indictione decimâ.* SECUNDO in Epistola ad Præsules Hispaniæ, hæc habentur: *De diversis autem Conciliis huic sanctæ Apostolicæ Sedi, cujus ministeriò fungimur, subjacentibus, Archiepiscopi sunt à nobis destinati, qui cum pio Principe, simul & omnibus qui ejus mandatò convenerunt Ecclesiarum Præsulibus præsidentes; ac confidenter primum quidem sancta quinque universalia Concilia, &c.* Sed falsum est quod aliquis Archiepiscopus Româ missus C Synodo interfuerit; nullus enim in actis illius Synodi refertur: igitur apparet hoc esse commentitium. TERTIO denique in Epistola ad Regem Ervigium dicit quod Imperator scripserit ad Agathonem Papam, ut Legatos dirigeret Constantinopolim ad Synodum celebrandam. Constat autem tum ex litteris Agathonis, tum ex ipsis Synodi actis, quòd Imperator scripserit non ad Agathonem, sed ad ejus prædecessorem Donum Pontificem.

Adde quòd illa Epistola tradat Imperatorem hæc scripsisse nonâ indictione; quod æquè falsissimum deprehenditur; siquidem illæ ad Donum D litteræ Imperatoris, datæ reperiuntur indictione sexta pridiè idûs Augusti, quæ certè de impostura roborant argumentum.

QUÆSTIO IV.

Utrum natura humana in Christo propriam habuerit, existentiam & subsistentiam creatam substantialem?

I.
Triplex est esse: essentiæ, existentiæ & subsistentiæ.

NOtandum primò quæstionem hanc aliis verbis communiter proponi à Thologis: An videlicet in Christo sit unicum esse vel multiplex: E etenim triplex esse communiter assignatur à Philosophis, scilicet essentiæ, existentiæ & subsistentiæ. Esse essentiæ, illud est quô res constituuntur in aliqua determinata specie entis, illud scilicet quod coalescit ex partibus essentialibus & quidditativis, cujusque rei à quo deducitur abstractum essentiæ, quòd solâ ratione differt à suo concreto esse, ut passim docet Doctor, maximè in 1. dist. 8. quæst. penultimâ. Esse existentiæ est, quô res est actu & realiter ponitur extra causas, & extra nihil, unde existentia & actualis essentia realiter non differunt: Esse subsistentiæ substantialis est ipsamet realis existentia substantiæ cujuslibet, quâ dicitur ens per se subsistens: subsistentia nam-

que sumitur variis, maximè duobus modis. *Primò* quatenus est modus entis existentis per se, & independenter à quolibet subjecto inhæsionis ipsum sustentantis, qualiter differt ab accidente, vel quatenus significat modum existendi incommunicabiliter, ut *quò* & ut *quod*, hoc est, per modum partis & superioris: Priori modo sumpta subsistentia dicitur differentia substantiæ & modus illius existentiæ: Posteriori verò dicitur suppositum in rebus ratione expertibus, & persona in rebus ratione præditis.

Notandum secundò, omnes Doctores Catholicos convenire, in Christo esse unicum esse subsistentiæ personale, quia in ipso est unica persona; siquidem natura bumana Christi subsistit per ipsam Verbi subsistentiam personalem, ut suprà probavimus: non conveniunt autem omnes iidem Doctores, an etiam in Christo sit unicum esse subsistentiæ substantialis; siquidem plurimi è sanctis Patribus infra laudandis, triplicem in Christo subsistentiam admittunt, sicut & substantiam ac essentiam, nempe divinam, corpoream & spiritualem. Unde gravis hac de re extitit aliquando controversia inter Præsules Hispanos, & Benedictum secundum; nam Scriptores historiæ Hispanicæ, putà Ambrosius Maurus lib. 12. cap. 38. & Mariana lib. 6. cap. 18. referunt quòd cùm Patres Concilii Toletani 14. in sua confessione fidei

II. Christus D. habet unicum esse personale. An autem in eo sit triplex subsistentia substantialis, magna fuit olim controversia.

dixissent in Christo tres esse substantias, ubi illam confessionem ad se ab illis Præsulibus transmissam, ut authoritate Pontificiâ probaretur excepisset Benedictus II. tria in ipsa notavit quòd non satis rectè dicta viderentur; maximè verò quòd tres in Christo substantias profiterentur. Quod utique significavit verbo tenus per Virum Hispanum, quem cum Petro Notario regionario sedis Apostolicæ Legato Romam miserant: quod cùm accepissent Toletani Patres, Julianus Toletanus antistes, nomine totius Concilii & præsulum Hispaniæ scripsit librum apologeticum postulante Rege Egicâ, in quo moltis testimoniis confirmabat, tres in Christo secundùm sanctorum Patrum & Oecumenicorum Conciliorum sententiam, admittendas esse substantias, illumque librum ad ipsum Benedictum transmiserunt, sed cùm jam esset vitâ functus, illum excepit Sergius ipsius successor, qui, ut refert *Rhodericus* Archiepiscopus in historia cap. 13. nec-non & *Garcias Loaysa* Doctor Complutensis, & Archiepiscopus Toletanus in annotationibus Concilii 15. gratum habuit & probavit Sergius Pontifex.

An autem Apologeticus ille scriptus fuerit à succedente Concilio Toletano 13. an verò illô tempore inter 14. & 15. controvertitur apud eosdem authores, putátque Baronius sub anno 684. & 685. scriptum fuisse & transmissum Apologeticum illum ante celebratum Concilium 13. notatque plures quàm tres propositiones in illa fidei confessione suspectas habuisse Benedictum, idque probat ex eodem Concilio 13. ubi Patres sic loquuntur, *Tertium sanè quartumque capitulum continentes, non solùm sensum sed & ipsa pene verba ex libris beatorum Ambrosii atque Fulgentii nos prælibasse monstravimus.* Dicunt autem *monstravimus*, certè non alibi nisi in illo priori Apologetico ad Benedictum misso, pro defensione earundem propositionum; ibi ergo omnia quatuor capita notata à Benedicto confirmata fuerunt, & transmissa ad eundem Benedictum intermediô illô tempore inter Concilia Toletana 14. & 13. licet postmodum locupletatum fuerit, ut colligi videtur ex illis verbis Concilii 13. studiosiùs relegentes, &c. & ab unanimi Patrum Concilii 17. consensu approbatum: quod utique constat, quia in actis illius Concilii, post confessionem fidei, babetur: ex quibus apparet non inutilem moveri controversiam, an in Cbristo tres admittendæ sint subsistentiæ?

III. Diversa Authorum circa præsentē quæstionē sententia.

Notandum tertiò, maximam esse inter Doctores Scholasticos circa resolutionem primæ difficultatis controversiam. Plurimi enim Thomistæ cum Caetano in 3. part. quæst. 17. art. 2. & Capreolo in 3. dist. 6. quæst. 1. contendunt Christi humanitatem non existere per existentiam creatam, sed per unionem hypostaticam assumptam esse ad existendum per ipsam existentiam Verbi divini, idque firmare nituntur authoritate sancti Thomæ ex dictis in 3. part. eâdem quæstione. Verùm, ut observat Suares disp. 36. sect. 2. S. Thomas intelligendus est de esse subsistentiæ personali, non verò de esse existentiæ & subsistentiæ substantiali. Cæteri verò Tbeologi cum subtili Doctore in 3. dist. 6. quæst. 1. contendunt in Christo duplicem esse existentiam, nempe divinam, quâ existit natura divina, & creatam quâ natura humana realiter existit.

Conclusio Prima.

IV. Duplex in Christo existentia, divina & humana.

IN Christo sunt duo esse existentia, alterum increatum natura divina; alterum creatum natura humana. Hæc est Doctoris, illámque probat octo rationibus, quarum *prima est.* Terminus generationis, seu id quod recipit esse per generationem, & transit à non existente in rerum natura ad esse existens, vel est ipsamet existentia, vel aliquid habens existentiam: alioqui non reciperet esse existentiæ per generationem: sed humanitas Christi, aut Christus ipse, quà homo, verè est genitus à Matre, & productus in tempore ab ea cooperante Spiritu sanctô: ergo illa humanitas recipit esse existentiæ per generationem, quod ante non habebat: sed esse increatum, seu existentia Verbi non producitur per temporalem generationem: ergo terminus illius generationis habuit aliud esse existentiæ ab existentia Verbi. Major est Aristotelis 5. Metapb. textu 7. Minor verò est sancti Damasceni lib. 4. de fide cap. 13.

Probatur octo rationibus Doctoris subtilis.

Reponunt Thomistæ quòd esse increatum, non absolutè, sed sub humanitate terminabat generationem. *Contrà.* Esse increatum, ut erat in humanitate, non dicebat nisi respectum ad ipsam: at talis respectus non potest esse terminus generationis realis & actualis. Præterea sunt duæ naturæ in Christo habentes distinctas entitates actuales: ergo & distinctas existentias, quia existentia nihil aliud est, quàm actualis entitas: unde quemadmodum non potest intelligi esse personale vel subsistens, absque subsistentia; ita neque esse actuale absque existentia, & ista quidem ratio fundatur in nostro generali principio, quô dicimus essentiam & existentiam non distingui realiter.

Tertiò, Doctor probat conclusionem ex illo Aristotelis, *Vivere viventibus idem est quod esse*: at humanitas Christi vivebat vitâ actuali distinctâ à vita Verbi; aliàs sicut Verbum verè non est mortuum, sic humanitas verè non fuisset mortua, si non aliâ vitâ quàm vitâ Verbi vixisset: ergo habuit esse actuale distinctum ab esse Verbi: esse autem actuale est esse existentiæ: ergo, &c.

Quartò. Humanitas ut condistincta à Verbo, est aliquid vel nihil: si nihil; ergo Verbum nihil assumpsit;

sumpsit; si aliquid, aut illud est tantùm in potentia objectiva, ut Antichristus, aut in actu: si in potentia objectiva tantùm, Verbum non plus assumpsit humanitatem, quam quodlibet ens possibile: si in actu, ergo humanitas, ut condistincta à Verbo habet existentiam, nam humanitas in actu, & humanitas existens idem sunt. Confirmatur: nam Verbum assumpsit humanitatem vel extra causas & extra nihil, vel adhuc duntaxat in suis causis existentem: si primum, habemus intentum: si secundum, Verbum non tam ipsam humanitatem, quàm causas assumpsit, quia res in sua causa nihil est aliud quam ipsa causa, ut productiva illius rei.

Quintò, si humanitas assumpta dimitteretur, non necessum esset illam annihilari, sed reverà existeret, quô supposito, aut existeret vi cujusdam novæ productionis, aut vi antiquæ productionis, per quam primum est effecta ut à Verbo assumeretur. Non primum, quia non apparet ulla necessitas ut denuò producatur: ergo existeret vi suæ productionis: igitur illa productio terminata est ad humanitatem actualiter existentem.

Sextò, arguit ad hominem, quia Verbum posset assumere naturam Angelicam: sed secundùm adversarios natura Angelica assumpta non perderet propriam existentiam: ergo nec assumpta natura humana debet propriam existentiam perdere. Minorem admittunt adversarii, docent enim existentiam in rebus purè spiritualibus, esse realiter ab essentia indistinctam. Consequentiam probat Doctor. *Primò*, quia non magis est connexa propria existentia cum natura Angelica, quàm sit connexa cum natura humana. *Secundò*, quia ideò dicitur natura humana non habere propriam existentiam in Verbo, quia sequeretur idem suppositum in se habere plures existentias: sed idem seqoitur ex assumptione naturæ Angelicæ cum propria existentia: ergo si hæc propria existentia existens possit assumi, etiam & illa poterit.

Septimò. fundamentum relationis ut sic, præcedit relationem ut sic: ergo fundamentum relationis actualis realiter existentis, præcedit ipsam secundùm realem existentiam: sed unio naturæ humanæ ad Verbum, est relatio actualis realiter existens: ergo præcedit ipsam secundùm realem existentiam, & consequenter debet habere existentiam realem antecedenter ad illam unionem anterioritate naturæ; non verò temporis, quia ex supradictis natura humana Christi non extitit priùs tempore, ante unionem: sed quod habuit pro illo priori, habuit in eodem instanti temporis: ergo pro illo instanti temporis habuit eandem existentiam: sed illa existentia non erat existentia Verbi: ergo in illo instanti habuit aliam existentiam; quod est nostrum intentum.

V. Priùs natura quàm natura humana assumebatur, anima perficiebat corpus Christi.

Confirmat Doctor: quia priùs naturâ, quàm assumebatur natura, anima perficiebat corpus Christi, quia natura constituebatur ex corpore & animâ, & non poterat consequenter esse natura illa, antequam anima perficeret corpus; sed in illo priori, anima non poterat perficere corpus, nisi utrumque existeret: ergo priùs existebat utrumque, quàm perficiebatur natura; sed in illo priori non habebant existentiam Verbi: ergo aliam; sed illa alia non fuit perdita ob assumptionem: ergo manebat cum assumptione, & consequenter manebat cum existentia Verbi, quæ advenerat per assumptionem.

Octavò: Omnis modus, præsertim extrinsecus, supponit rem cujus est modus: sed unio hypostatica est modus extrinsecus; ergo supponit humanitatem: igitur quemadmodum illa unio est actualis, ita supponit humanitatem existentem.

VI. Nonnulla sanctorum Patrum testimonia quæ adversus nostrã conclusionem militare videntur.

Objiciunt primò adversarii nonnullas SS. Patrum authoritates: primam quidem depromptam ex epistola Synodica Sophronii approbata in VI. Synodo actione 11. ubi de Christi humanitate loquens, ait: *In illo* (id est in Verbo) *& non in se ipsa habuit existentiam unam*: item sanctum Damasc. lib. 3. de fide, cap. 22. dicentem naturam humanam existere per existentiam Verbi. *Tertiò*: Testimonium S. Leonis Papæ epistolâ 11. dicentis humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam. Et S. Fulgentii lib. de Incarnatione cap. 5. ubi sic ait, Ipsa acceptatio carnis fuit conceptio virginalis: igitur censent illi SS. Patres naturam humanam non priùs fuisse existentem quam assumeretur à Verbo, ideòque illam existere per existentiam Verbi.

Respondeo primò ad *Sophronium*, ipsum significare voluisse humanitatem non bis extitisse; semel in seipsa & postmodum in Verbo, sed quamprimùm ita extitisse in Verbo ut priùs tempore non extiterit, quàm in ipso subsisteret. Quod utique confirmatur ex antecedentibus & consequentibus verbis ipsius epistolæ: dicitur enim, *Simul caro & simul Verbi Dei caro; simul caro animata rationalis, & simul Verbi Dei caro animata rationalis*. Et subjungitur, *itaque in illo, & non in se ipsa habuit existentiam unam*, id est, *non prius tempore extitit in se quàm in Verbo*, quod ultrò concedimus; Sed aliud est habere existentiam in Verbo, & aliud existere existentiâ Verbi. Primum enim non repugnat existentiæ creatæ; secundum verò sic. *His adde* responderi posse quòd Sophronius per *existentiam*, subsistentiam personalem intellexerit: Observat enim *Budæus* in Commentario linguæ Græcæ, quòd eôdem nomine interdum exprimitur *existentia* & *subsistentia*.

Explicantur.

Ad sanctum *Damascenum* dico authoritatem illam esse fictitiam; siquidem contrarium docet, nam eôdem *cap*. 22. ait: *Carnem ab ultimo ortu Deo Verbo unitam esse; imò potius in ipso extitisse, & personalem cum eo identitatem habuisse*. Ubi observa ipsum non dicere *carnem per Verbum*, sed *in Verbo extitisse*: quia Verbum non est ipsamet existentia humanitatis, sed terminus existentiæ illius.

Ad SS. *Leonem* & *Fulgentium* respondeo ipsos nihil aliud velle, quàm quòd in eodem instanti temporis humanitas formata fuerit & assumpta, sic enim ait Leo: *Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs creata postea assumeretur, sed ut ipsa, id est, in ipsa assumptione crearetur*; ubi illud priùs, &, posterius ad temporis successionem manifestè referuntur. Fulgentius verò ita rem exposuit; *Hanc carnem tunc ex natura Virginis concipientis exhibuit, cùm in eadem Deus concipiendus advenit*: non est igitur aliquod intervallum existimandum inter initium carnis, & adventum Majestatis.

Objiciunt secundò. Ex opposita sententia tria sequuntur absurda. *Primum*, Verbum divinum existere per existentiam creatam. *Secundum*, existentiam creatam esse perfectionem Verbi. *Tertium*, Beatissimam Virginem non esse Matrem Dei. *Primum* probant à simili; quia quemadmodum Verbum dicitur velle per voluntatem creatam, & intelligere per intellectum creatum, quia habet voluntatem & intellectum creatum: ita dicitur existere per existentiam creatam, si dicatur habere existentiam creatam. *Secundum* ita pro-

bant. Existentia est complementum & perfectio subsistentiæ: sed in Christo unica est subsistentia; nempe Verbi: ergo existentia creata erit complementum & perfectio ejus. *Tertium* probant, quia ex opposita sententia sequitur actionem Virginis Mariæ terminatam fuisse ad existentiam creatam, vel ad existens creatum, proindeque ab ejusmodi existente creato habebit quòd sit actio productiva existentis creati; non verò Dei, ac proinde non erit Mater Dei.

VII. Quâ ratione Christus dicitur existere existentiâ humanâ.

Respondet Doctor subtilis, non esse absurdum quod Verbum dicatur existere per existentiam creatam; non quidem quà Deus est, sed quatenus homo; non propterea dici debet Verbum existere per existentiam creatam secundùm quid, sed simpliciter, nam existentia illa nata est reddere illud quod afficit simpliciter existens; non autem secundùm quid: licèt enim Paulus existat existentiâ albi, quia formaliter est albus; non tamen simpliciter, sed secundùm quid existit illâ existentiâ, quia illa existentia est secundùm quid; & maximè respectu existentiæ, quæ est in se existentia simpliciter, sed in supposito existentia naturæ humanæ est in se existentia simpliciter, prout ens dividitur in ens simplex & in ens secundùm quid, & ens simpliciter est substentia, ens secundùm quid est accidens; existentia autem naturæ humanæ est existentia substantiæ: igitur cùm Verbum divinum simpliciter sit homo, simpliciter existit illâ existentiâ, & si dicas quòd ista existentia naturæ humanæ non est prima existentia hujus suppositi, sed adveniens ei, jam habenti esse perfectum, ideoque videtur esse existentia suppositi secundùm quid, si illud non est natum dare existentiam secundùm quid, qualis est omnis natura substantialis, qualitercunque se habeat ad illud, cui dat esse: quòd si omnino fiat altercatio, pro eodem accipi primum suppositum, & non simpliciter, non est contentio nisi in Verbo.

VIII. Eò præcisè beata Virgo est Mater Dei quia illud existens quod genuit fuit completum & terminatum per subsistentiam Verbi.

Respondetur etiam secundum absurdum nullum esse, quia tantùm abest, ut existentia sit complementum subsistentiæ, quin potiùs subsistentia ulteriùs actuat existentiam, illamque supponit.

Ad tertium dico, Virginem Deiparam non eâ ratione dici Matrem Dei, quòd non genuerit existens aliquod creatum: sed quòd existens illud creatum ab ipsa genitum ulteriùs fuerit completum & terminatum per subsistentiam Verbi. Unde licèt formalis terminus illius generationis, sit humanitas cum sua existentia; tamen ultimus terminus qui generatur, non est humanitas, sed hic homo: quia illa humanitas & existentia ejus non producitur in se, sed in Verbo; & ideò Verbum verè dicitur generari, & nasci ex Virgine: sicut interfectores Christi, inquit Suares disp. 36. sect. 1. verè privârunt humanitatem Christi existentiâ suâ, non enim extitit humanitas in triduo mortis; tamen quia humanitas non est passa nec privata existentia secundùm se, sed ut in hoc supposito existens, ideò verè dicitur hic homo interfectus, & Deus mortuus.

Objiciunt tertiò. Si humanitas Christi habeat propriam existentiam creatam, Christus non erit ens per se. Consequens probatur, Humanitas habens existentiam creatam est formaliter ens in actu, Verbum divinum quoque est ens in actu: at ex duobus entibus in actu non fit ens per se; ergo, &c.

Respondeo, ex duobus entibus in actu completis non fieri ens per se, bene tamen ex duobus entibus in actu incompletis, ut in hypothesi; humanitas siquidem destituta propria subsistentiâ, non censetur ens in actu omninò completum.

CONCLUSIO II.

IX. Sunt in Christo tres subsistentiæ substantiales. Probatur primò authoritate Conciliorum.

R*Ectâ ratione dici potest in Christo esse tres substantias, & subinde tres subsistentias substantiales.* Probari potest primò authoritate Conciliorum Toletanorum 14. & 15. in quibus illa propositio asserta est etiam per libellum apologeticum à Juliano Archiepiscopo Toletano primùm editum, & deinde ab illo Concilio 15. approbatum, non solùm per Sergium Benedicti successorem, sed etiam per ipsum Benedictum secundum. Si vera sint ea quæ refert Rodericus lib. 3. historiæ Hispanicæ cap. 13. ubi hanc controversiam referens ait: *Prius in tempore liber de tribus substantiis, quem dudùm Romam miserat Primas sanctissimus Julianus, & minùs cautè tractando, Benedictus Romanus indixerat reprobandum ob id quòd voluntas genuit voluntatem.* Additur: Sed S. Julianus veridicis testimoniis in hoc Concilio per oracula eorum quæ Romam transmiserat verum esse firmavit: & apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos Presbyterum, Diaconem & Subdiaconem viros eruditissimos in omnibus Dei servos, & in divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis secundùm quod & olim transmiserat de laude Romani Imperii. Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & piè recipiens cunctis legendum indixit, atque acclamando, Laus tua, Deus in fines terræ, lectum sæpiùs notum fecit, qui & rescriptum Domino Juliano per suprà fatos Legatos cum gratiarum actione & cum honore remisit, & omnia quæcunque scripsit justa & pia esse deprompsit. Ex quibus constat illam propositionem quòd in Christo sint tres substantiæ, licet primùm non probatam à Benedicto & unà cum aliis notatis propositionibus visam fuisse incautè positam, quasi longè aliud voluissent Toletani Patres, tamen mutatò judiciò explicationem Juliani & ejus librum approbasse Benedictum.

Secundò authoritate sanctorum Patrum.

Confirmatur authoritate SS. Patrum, qui tres in Christo substantias aut Christum ex tribus substantiis compositum esse docuerunt, sic enim sanctus Aug. lib. 3. de Trinitate, cap. 17. ait: *Quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, & per hoc jam ex tribus, Deo, animâ, & carne:* Quibus manifestè docet perinde ex tribus atque ex duabus substantiis unum constare Christum. Similiter S. Isidorus lib. de differentiis, c. 7. *Nos*, inquit, *ex duabus subsistimus substantiis; anima videlicet & corporis: ille* (videlicet Christus) *ex tribus; Verbi, animæ, & corporis;* quem etiam loquendi modum imitata est Toletana Synodus undecima in professione fidei, ubi cùm dixisset duas in Filio esse naturas, subdit: *Idem Christus in his duabus naturis tribus extat substantiis: Verbi quod ad solius Dei essentiam referendum est: Corporis & animæ, quod ad verum hominem pertinet.*

Maximè S. Augustini. Isidori. Et Synodi Toletanæ.

His subscribit Stephanus Eduensis Episcopus lib. de Sacramento altaris cap. 17. *Credimus*, inquit, *in Christo duas fuisse naturas, divinam & humanam, & tres substantias, divinam, carnem & animam.* His addere possumus sanctum Bernardum sermone 3. de vigilia nativitatis post medium, ubi ita loquitur: *Et attende, quia sicut in illa divina singularitate Trinitas est in personis, unitas est in substantia: ita in ista speciali connexione*

Ac Stephani Eduensis. Et S. Bernardi.

trinitas est in substantiis, in persona unitas.

Dices. Plurimi è SS. Patribus hunc dicendi modum improbant: igitur est respuendus. Probatur antecedens; Siquidem S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 56. non putat dicendum esse Christum ex tribus componi substantiis; Etenim, inqoit, *Omnis compositio ex his duntaxat quæ proximè componuntur fieri dicitur, non enim dicimus domum ex aqua & terra compositam esse, sed ex lateribus & lignis, alioqui necesse erit dicere hominem ex quinque ut minimum constare naturis, nempe ex quatuor elementis & animâ. Sic in Iesu Christo Domino nostro non partem consideramus partium, sed ea quæ proximè inter se componuntur, Divinitatem & humanitatem.* Similì modô loquuntur Patres B Concilii Francofordiensis in Epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ, nec-non & Paulinus Aquileiensis in libello *sacro-syllabo*: igitur, &c.

X. Quibus non refragantur S. Damascenus, nec S. Paulinus: nec Patres Francofordienses.

Respondeo præfatos Patres talem loquendi modum non improbare, quòd revera sit erroneus, sed qoia fortè posset aliquem inducere, vel, ut cogitaret Christum constare tribus naturis distinctis, aut tres habere substantias personales, sicut & substantiales; vel ut significarent oppositum modum loquendi magis proprium & accommodatum esse ut fidem nostram simpliciter profiteamur: tametsi contra hæreticos Apollinaristas negantes animam in Christo, & contra Valentinianos & Marcionistas negantes in Christo verum corpus; rectè qois dixerit tres in Christo esse substantias. C Nam, ut inquit Concilium Francofordiense locô mox laudatô, *aliud est contra hæreticos contendere, aliud verò puram fideliter confiteri fidem; ibi enim veritas animæ & carnis in Christo ostendenda est, hîc perfecta humanitas in eodem confitenda est.*

Adde quòd, ut inquit sanctus Damascenus, in compositione non computantur partes remotæ, sed proximæ: non enim dicendum est hominem compositũ esse ex quinqoe substantiis, sed ex duabus; quia quatuor earum, nempe elementa, conveniunt in uno corpore. Hâc igitur ratione sincerior videtur modus loquendi Concilii Francofordiensis & Damasceni, ut Christus dicatur ex duabus naturis, & substantiis constare, divinâ scilicet & D humanâ.

XI. Licèt Christus duas habeat naturas non tamen potest dici *Duo*.

Petes, an Christus dici possit aliqua duo?

Respondeo cum Doctore *in 3. dist. 6. quæst. 2.* nec masculinè, nec neutraliter Christum posse dici *duo* simpliciter. Non quidem *masculinè*, quia nomina hæc, *unus, totus, alius, duo*, in masculino genere sumpta, significant hypostasim & personam, ut diximus in tractatu de Trinitate; in Christo autem non sunt duæ personæ nec duo supposita: igitur Christus non potest dici duo in genere masculino.

Neque etiam ita dici potest in neutro genere, quia si Christus dici posset duo neutraliter, maximè propter duas naturas quas habet: sed eâ ra- E tione non potest dici duo, nam ex Logicis abstracta non possunt prædicari de concretis simpliciter, sed tantùm cum additione & explicatione; non enim dicitur, *album simpliciter est albedo*, quia plus dicit *album* quàm *albedo*: siquidem albedo solam formâ significat; *album* verò formam & subjectum. Unde hæc enuntiatio non est legitima, *Christus est natura divina* vel *natura humana*, quia Christus plus dicit quàm naturam divinam seorsun & naturam humanam: siquidem præter illas naturas dicit etiam suppositum Verbi. Hinc sanctus Athanasius in Symbolo ait: *Perfectus Deus & perfectus homo: non tamen duo, sed unus est Christus.*

Quia in eo est unicum supposit.

A Attamen quemadmodum dici potest per expositionem quòd album est id quod habet albedinem: ita in sensu expositorio dici potest, Christum esse id quod habet duas naturas; vel rectiùs in quô sunt duæ naturæ, divina videlicet & humana.

Dices: Ubicumque est aliud & aliud, ibi sunt duo: sed in Christo est aliud & aliud: ergo in eo sunt duo. Probatur minor: Christus secundùm quòd homo, est aliquid; & etiam secundùm quod Deus, est aliquid: sed secundùm quod homo, non est idem aliquid ac secundùm quod Deus: ergo est aliud aliquid.

Respondet Doctor *ibidem*, particulam *secundùm quod*, seu *in quantùm*, sumi posse dupliciter; nimirum, vel reduplicativè; vel specificativè. Priori modô significat quòd terminus qui apponitur, sit ratio cur prædicatum dicatur de subjecto, & sic neganda est minor & ejus probatio. Sicut enim non sequitur, lac in quantùm *album* est aliquid; & in quantum *dulce* est aliquid: ergo in quantũ album est idem aliquid quod est quatenus dulce, vel est aliud aliquid: at non potest dici quod sit idem aliquid, quia certum est quod lac quatenus dulce, reduplicativè loquendo, noo sit album: ergo est aliud aliquid: ergo verum est quod lac sit duo, quod est absurdum: quia si lac diceretur duo, sequeretur quod essent duo supposita. Igitur sicut nulla est prima consequentia hujus argumenti, ita nec valet minor argumenti de Christo in sensu reduplicativô: unde sicut de lacte oon potest dici quod in quantùm dulce in sensu reduplicativo sit album vel non album; quia dulcedo est ratio impertinens ut lac dicatur album vel non album, quia posset esse album quamvis non esset dolce; eôdem modô suppositum Christi, nec in quantùm Deus, est idem quod est quatenus homo, quia posset esse Deus absque eô quòd esset homo; neque etiam est sic ab eo diversum, quia alias suppositum Verbi seu Christus, non posset reverà dici homo.

Sicut lac in quantùm album & inquantùm dulce non est duo.

Si vero *ly in quantùm*, aut *quatenus*, sumatur specificativè, itaut sit sensus, quod Christus quatenus homo, id est, qui est homo, seu nonobstante qood sit homo, est etiam Deus, sic negari potest minor, nec-non & minor probationis illius; Christus enim qui est homo, est omninò idem qui est Deus, quia idem suppositum Christi est Deus & homo. Nec inde sequitur quod *Deus* sit ratio formalis ob quam sit homo; aut *humanitas* ratio formalis, ob quam sit Deus, quia id solùm verum esset, si particula *in quantùm* acciperetur in sensu reduplicativo.

Dices 2. Christus non tantùm est Deus: ergo est Deus & aliquid aliud: & consequenter est duo. Probatur consequentia: quia si verùm sit quod homo currat, & non solus currat, consequens est quod aliquid aliud præter hominem currat: ergo similiter si ponatur particula exclusiva ex parte prædicati, ut fit in prædicto argumento, dicendo quod Christus sit Deus & non tantùm sit Deus, sequitur quod sit aliquid aliud.

Respondet Doctor negando consequentiam, cum consequentia probationis; quia non eôdem modô discurrendum est de particula exclusiva quando additur subjecto, ac quando additur prædicato; nam quando additur subjecto, significat quod omne subjectum non habens formam cui prædicatum tribuitur, etiam non possit habere illud prædicatum, licèt omnia quæ talem formam habent, possint etiam tale prædicatum habere; sic

esse spirantem activè, quia hæc duo pateroitas & spiratio passiva non habent aliunde quòd identificentur, nisi à tertio in quo quasi uniuntur; cùm tameo, ut diximus, utrique non conveniat infinitas formaliter; hinc fit quòd illa prædicatio non sit admittenda.

Ex quibus sequitur quòd in his quæ non sunt purè divina, prædicatio abstracti de abstracto non sit vera per identitatem, quia quatenus abstracta, non habent amplius illud tertium ratione cujus enuntiarentur de se mutuò. Ideóque quantumcumque in concreto verum sit hominem esse animal; tamen in abstracto falsum est humanitatem esse animalitatem.

His ita prælibatis, duo maximè hîc sunt determinanda: *Primum*, an vera sit mutua idiomatum communicatio in Christo: *Secundum*, qualiter illa fiat, an videlicet per communicationem divinorum attributorum humanitati, idque propriè, realiter & substantialiter, ita quòd humana natura dici possit formaliter, immensa, omnipotens, ut volunt quidam Lutherani; an verò solùm per attributionem proprietatis unius naturæ, &c.

B

Conclusio Prima.

IV.
Est in Christo communicatio idiomatum.

Reverà admittenda est in Christo communicatio idiomatum.

Ut docent SS. Patres.

Probatur primò authoritate SS. Patrum, nam Gregorius Nyssenus lib. 5. contra Eunomium ita scribit: *Sic mortis perpessio ad eum, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur propter hominis cum ipso copulationem, & sublimia, Deoque digna nomina in hominem descendunt, adeo ut ille, qui in cruce conspectus est, Dominus gloriæ nominetur, ob ejus cum eo quod abjectum est & humile, commixtionem; nominum quoque gratia in humanam simul transeunte naturam.* Origenes in Epistolam ad Rom. *Per indissolubilem*, inquit, *unitatem Verbi & carnis, omnia quæ carnis sunt adscribuntur & Verbo, quomodo & quæ Verbi sunt prædicantur in carne.* Sanctus Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 4. *Vnde illud*, inquit, *quod rectum est. Dominum Majestatis crucifixum putemus? Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Iesus Dominus Majestatis dicitur crucifixus: quia consors utriusque naturæ, id est, humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscretè & Dominus Majestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cælo.*

Eandem veritatem luculenter explicat S. Joan. Damasc. lib. 3. cap. 15. *Vnus est Christus*, inquit, *& una ipsius persona sive hypostasis, duas tamen naturas obtinet, Divinitatis & humanitatis. Porrò cùm ex Divinitate naturaliter gloria procedat, utrique communis est, propter hypostasis identitatem. Ex carne verò humilia proficiscuntur & eadem ambobus communia; quippe unus est & idem, qui hoc & illud est, nempe Deus & homo & ad eundem pertinent, tamque sunt divinitatis, quamque humanitatis propria.*

Et ex Scriptura sacra colligitur.

Probant hanc veritatem SS. Patres ex Scripturis sacris, in quibus plerumque humanitati tribuuntur ea quæ Divinitati propriè conveniunt; & vicissim Divinitati, quæ duntaxat humanitati propria sont; Sic Joan. 3. Christus ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis qui est in cælo*; nam solùm Verbum propriè loquendo, de cœlo descendit & erat in cœlo, eô sensu quô id intelligi voluit Christus dum hæc loqueretur. Sic etiam Joan 10. Christus dixit A Judæis: *Antequam Abraham fieret ego sum* ....: *Exultavit ut videret diem meum*, nempe Incarnationis; Christus tamen ut homo non existebat ante Abrahamum, sed ut Verbum: igitur illa prioritas existentiæ quæ Verbo erat propria, humanitati appropriatur.

Sic pariter Apostolus ad Romanos scribens, eundem Deum, ac Dei Filium, vocat & Davidis Filium: ut observat S. Cyrillus in libro ad Theodosium Imperatorem. Cùm enim dixisset, *Segregatum se esse in Evangelium Dei de Filio suo*, mox eundem, ait: *factum esse ei de semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, &c.* Unus igitur idemque Filius Dei est & hominis; & homo Filius Dei est, & Dei Filius, ac Deus, homo est, atque hominis Filius.

Sic pariter in Epistola ad Hebræos eundem, quem capite primô *Filium Dei* nominavit, ac *splendorem gloriæ, figuramque substantiæ ejus; qui omnia portat Verbô virtutis suæ*, in sequenti; *Paululum ab Angelis minoratum Iesum*, ait: *propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut pro omnibus gustaret mortem.* Ex quibus priora verba sola sibi Verbi divinitas; posteriora sola sibi humanitas vendicat.

His Oecumenicarum Synodorum decreta concinunt, & in illis fidei conditæ formulæ, quæ *Iesum Christum Filium Dei unicum, vel unigenitum* asserunt, *ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo*

C *vero*, quem eundem, *propter nos homines & propter nostram salutem incarnatum* prædicant, *& natum de Virgine, passum, mortuum, ac sepultum.*

Et ex Conciliis ac Symbolis.

In quibus humanitati assumptæ tribuuntur quæ Verbo sunt propria.

Declarat hoc S. Leo Papa in Epistola decima ad Flavianum; ubi sanctissimus Pontifex ait: *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, & Filius hominis*, inquit, *legitur descendisse de cælo, cùm Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit: & rursus Filius Dei crucifixus ac sepultus, cùm hæc non in divinitate ipsa, quâ Vnigenitus consempiternus, & consubstantialis est Patri, sed in natura humana sit*

D *infirmitate perpessus: unde unigenitum Filium Dei crucifixum & sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundùm illud Apostoli, si enim cognovissent, nunquam Dominum Majestatis crucifixissent.*

Et vicissim de Verbo enuntiantur ea quæ humanitati ex se conveniunt.

Probant secundò ex eo quòd Verbum suam propriamque fecerit humanitatem, adeoque quod cum ea connexum est, eique naturaliter convenit, hoc in se totum transtulit, ac sibi accommodavit, deque seipso prædicari voluit. Cujus ineffabilis communicationis rationem profert S. Cyrillus Epistola ad Valerianum: *Cujus*, inquit, *proprium est corpus, huic meritò, quæ hujus propria sunt adscribuntur omnia, unô exceptô peccatô.* Cui præluserat S. Athanasius Sermone 4. con-

E tra Arianos, ubi ait: *Decuisse Dominum humanam carnem induentem, totam hanc cum propriis ipsius affectionibus induere: ut quemadmodum proprium ipsius corpus esse dicimus, sic & corporis affectiones ipsius esse tantùm propriè dicamur.*

IV.
Quinque traduntur regulæ quibus cognosci ac discerni possit idiomatum communicatio.

Observandum est autem SS. Patres quasdam tradere regulas, quibus rectè efferri possit hæc idiomatum communicatio quas plures Theologi colligunt, præcipuas verò subjicio. *Primò* namque S. Cyrillus anathematismo 4. docet triplex vocum genus esse, quæ de Christo Domino, tum à Scriptura sacra, vel à SS. Patribus efferuntur. Aliæ enim soli divinitati congruunt, ut hæc: *Ego in Pa-*

tre & Pater in me est. Joan. 14. aliæ sunt humanæ penitus, ut ista Joan. 8. *Nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum quam audivi à Deo:* aliæ sunt mediæ utrique naturæ convenientes, ut cùm scribit Apostolus ad Hebræos 13. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.*

Secunda regula est, quòd interdum totus Christus ab una natura ejusque proprietatibus denominari solet, interdum a duabus, ut observat S. Joan. Damasc. c. 3. libri 3. *Quando*, inquit, *ex naturis compositam hypostasim consideramus, interdum ab utraque Christum denominamus, velut Deum & hominem simul, nec-non Deum incarnatum: alias ab unâ tantummodo parte, Deum dumtaxat & Dei Filium: vel hominem tantùm, & hominis filium. Nonnumquam ab solis sublimibus denominamus, aliquando verò ab solis humilibus, Vnus enim est qui & hoc, & illud similiter existit.* Habet & Cyrillus illam ipsam regulam in libro ad Theodosium, eamque declarat similitudine hominis, qui modò carnis solius, modò animæ vocabulô totus exprimitur: *Sic igitur & Christus in sacris litteris prædicatur, interdum quidem sic, tanquam totus sit homo, tacitâ ipsius divinitate, quod dispensatione quâdam usurpatur: aliàs tanquam Deus, nullâ humanitatis factâ mentione: in quo nulla ei fit injuria, propter amborum in unitate concursum.*

Tertia regula est, quòd de eâdem Christi persona propter naturarum numerum & unitatem personæ, contraria interdum enuntiantur: Sic S. Athanasius in epistola ad Epictetum ait: *Imprimis admirabile esse, ut idem & pateretur & non pateretur: nam patiebatur eatenùs quòd proprium ejus corpus pateretur & in patiente inerat: non patiebatur autem, quòd natura Deus sit Verbum impatibile.* Quæ utique eleganter sic explicat S. Fulgentius lib. 3. ad Trasimundum, cap. 8. ubi inter cætera ait: *Hinc incomprehensibilis in cruce; inviolabilis in vulnere; impassibilis in passione; immortalis prædicatur in morte.* Toletana quoque Synodus 14. ait: *Ipse vivit moriens, ipse moritur vivens, ipse impassibilis patiens, ipse passioni non subjacens.*

Quarta regula est, quòd prædicata quæ Christo attribuuntur, debeant spectari secundùm convenientiam & proprietatem, quam habent cum natura ratione cujus ei tribuuntur: *Nam*, inquit S. Leo epistola ad Flavianum, *quamvis in Domino Iesu Christo Dei & hominis una persona sit, aliud tamen est unde contumelia in utroque communis; aliud unde communis & gloria: de nostro enim illi est minor Patre humanitas: de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas.*

Quintam tradit Doctor subtilis in 3. *dist. 7. qu. 2.* quòd quæcunque naturæ cum persona unitionem exprimunt, à lege communionis idiomatum excipiuntur: *Quia*, inquit Doctor, *illa communicatio in prædicationibus fit propter unionem & ab eâ tanquam à causa & fonte proficiscitur, & ita præsupponit unionem: non ergo fit secundùm illa quæ exprimunt unionem.* Quæ utique profert, ut satisfaciat argumento, quod sibi proposuerat, quod erat ejusmodi. Si Deus est factus homo: ergo Deus est factus Deus. Consequentia probatur; quia propter unionem naturarum, est communicatio idiomatum: & ita sicut occidens hominem, occidit Deum; ita si factus est homo, factus est Deus; huic ergo captiunculæ rectè occurrit illa regula. Nam hoc quod est factum esse, naturæ ac personæ copulationem exprimit; quare non potest alteri communicari: proinde non est consequens, si Deus factus est homo, id est, si unitus est homini, etiam factus est Deus, sive unitus est Deo.

CONCLUSIO II.

V. Per communicationem idiomatum attributa divina non conveniunt humanitati formaliter, nec humana divinitate.

COmmunicatio idiomatum non fit eò quòd attributa divina formaliter communicentur humanitati, & humana divinitati. Hæc est communis inter Theologos contra Lntheranos, maximè Ubiquistas.

Probatur. Nam *vel* attributa divinitatis formaliter sunt in humanitate, & non attributa humanitatis in divinate: *vel* par est ratio attributorum uniuscujusque naturæ ad alteram sibi conjunctam: neutrum dici potest. Nam non potest intelligi quomodo attributa naturæ divinæ insint humanitati, quia non possunt illi inesse tanquam formæ informantes, cùm ratio formæ informantis dicat imperfectionem: non etiam tanquam formæ assistentes; quia formæ assistentes non communicantur formaliter iis rebus quibus assistunt: non tanquam unitas hypostasis Verbi humanitati, qoia alias deberet natura divina esse quid unum cum humana in illo ipso in quo uniretur.

Adde quòd, non est possibile attributa divinitatis inesse formaliter naturæ humanæ Christi Domini, nisi denudetur natura humana suis attributis, quæ sunt opposita attributis divinitatis.

Confirmatur ex iis omnibus locis Conciliorum & Patrum in quibus habetur utramque naturam & utriusque naturæ proprietates esse in Christo inconfusas, impermixtas, distinctas.

Denique si aliquod è divinis attributis conveniret formaliter humanitati, maxime imnensitas: sed hæc non potest formaliter convenire ipsi Christi Domini humanitati. Majorem admittunt Ubiquistæ: Minor verò probatur.

VI. Christi humanitas non est ubique ut probatur 1. ex Scriptura sacra.

Primò ex iis Scripturæ locis, in quibus dicitur quòd humanitas Christi non est ubique. Matthæi & Marci nltimô. Angelus loquens mulieribus de Christo quem quærebant & qui resurrexerat, ait: *Non est hic*, Joan. 11. *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.*

2. Ex SS. Patribus.

Secundò ex Patribus, Basilio librô de Spiritu sancto cap. 22. concludente divinitatem Spiritûs sancti, ex ejus immensitate. Quomodo etiam arguit Didymus lib. de Spiritu sancto. Et S. Ambrosius lib. 1. cap. 7. ac S. Gregorius Nyssenus adversus Eunomium, ubi ait. *Qui dicit, Vado, localem discessum significat. Quod autem per omnia graditur & in omnibus existit & omnia continet, non habet quò discedat, eò quòd à divina plenitudine non est vacans.* Et S. Aug. epistola 57. ad Dardanum: *Secundùm hanc carnis formam; non est*, inquit, *putandus ubique diffusus. Cavendum est etiam, ne ita divinitatem hominis ut corporis veritatem destruamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est ita sit ubique ut Deus: nam in Deo sumus: & tamen ubique non sumus: Christum autem ubique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum: & in aliquo loco esse propter verum corporis modum.*

Eis adstipulantur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Joan. cap. 14.) *Hic animadvertendum est, quod etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, Majestate tamen Divinitatis semper adest.* Theodoretus dialogo 3. *Corpus Dominicum surrexit quidem, à corruptione, & interitu alienum, & impa-*

tibile, est & immortale, & divinâ gloriâ glorificatum, & à cælestibus adoratur potestatibus: corpus tamen est & habet quam habuit prius circumscriptionem. S. Maximus in disp. cum Pyrrho: *In sanctis Evangeliis scriptum est; Postridie voluit ire Jesus in Galilæam, ire nimirum voluit, quatenus ibi non erat, non erat autem humanitate, divinitate autem ubique est.*

Tertiò, ex eo quod docuimus in primo volumine, immensitatem sic esse propriam naturæ divinæ, ut implicet alicui creaturæ communicari; quia est id quò res ita est in omnibus rebus, ut implicet aliquam rem esse aut esse posse in qua non sit tota in toto & tota in qualibet parte. Ex hinc est quòd SS. Patres ex immensitate Verbi divini aut Spiritûs sancti intulerunt divinitatem istarum personarum, ut diximus in Tractatu de Trinitate.

Objicies primò, varios Scripturæ locos, qui videntur significare Christum Dominum esse ubique ratione suæ humanitatis. Sic Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ephes. 4. Christus dicitur *ascendisse in cælum, ut impleret omnia.*

Quibus aliqui S. Scripturæ textus non officiunt.

Respondeo primum locum intelligi de præsentia per authoritatem, & non per indistantiam localem: itaut sensus sit quòd nihil in Conciliis in suo nomine congregatis, nisi suâ decernetur authoritate.

Ad secundum dico, Christum Dominum esse nobiscum usque ad consummationem seculi, per protectionem, & auxilium; non verò per localem præsentiam. Sic dicit Deus Jeremiæ 1. *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum ut eruam te*, hoc est, auxilium tibi præsto quò eruaris.

Ad tertium, respondeo hunc sensum esse verborum istorum, *(ut impleret omnia)* hoc est, ut omne genus hominum spiritualibus bonis repleret, juxta illud Psal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ*, & Ecclesiastici 24. *A generationibus meis adimplemini.* Vel ut adimpleret omnia, id est ut ad effectum perduceret omnia quæ de se scripta erant in lege, Prophetis & Psalmis.

Instabis. Verbum divinum est ubique: Christus homo, est Verbum divinum: ergo est ubique Christus homo: ergo cùm Christus non sit homo sine humanitate, ejus humanitas est etiam ubique.

VII. Diluuntur hæreticorum Ubiquistarum objectiones.

Respondeo. Verbum divinum esse ubique per suam divinitatem, & Christum hominem esse Verbum divinum per suam personalitatem; quare non est consequens quòd sit ubique Christus homo, seu quòd sit ubique Christus per suam humanitatem.

Vrgebis. Si persona Verbi esset alicubi, ubi humanitas ab eo assumpta non sit, jam Verbum est alicubi homo, & alicubi non est homo: absurdum consequens: ergo & antecedens.

Respondeo ad sequelam. Verbum est alicubi homo, & alicubi non est homo, id est, existit alicubi Verbum ubi humanitas Verbi non existit, concedo: est alicubi homo & alicubi non est homo, id est, ibi est Verbum incarnatum, ubi non est homo, nego.

Instabis iterùm. Quando duæ res sunt sibi invicem unitæ inseparabiliter, ubicunque una illarum est, ibi debet esse & altera: atqui personalitas Verbi & humanitas assumpta à Verbo, sunt sibi invicem unitæ inseparabiliter, & persona Verbi est ubique locorum: ergo humanitas Christi est ubique locorum.

Respondeo distinguendo majorem. Si sint illæ res sibi invicem unitæ adæquatè ac totaliter, concedo; secùs, nego: sic anima nostra est unita pedi inseparabiliter; neque tamen ubicumque est anima ibi est pes, cùm non sit pes in aliis partibus corporis, putà in capite, in brachiis; licèt ubi est pes ibi sit anima: à pari, non est humanitas Christi nisi ubi est Verbi personalitas, licèt alicubi existat Verbi personalitas, ubi non existit humanitas.

Objicies secundò: Si humanitas Christi non est ubique: ergo moveri potest de loco in locum: ergo quando sic movetur, vel secum defert personam Verbi sic unitam, & tunc sequitur quod Verbum movetur localiter: quia quod sic defertur movetur localiter: vel non defert: ergo desinit esse ei unita; quod est absurdum.

Respondeo. Humanitatem Christi posse moveri de loco in locum: & quando sic movebatur, non secum detulisse propriè personam Verbi, neque etiam non detulisse, sed semper fuisse illi unitam, quocumque tandem in loco talis humanitas constitueretur: sic est nobis intimè præsens Deus per immensitatem suam, neque tamen quando movemur localiter, Deum nobiscum deferimus, neque deserimus non deferentes.

QUÆSTIO II.

Vtrum tres illæ propositiones sint veræ: DEUS EST HOMO, &, DEUS FACTUS EST HOMO, &, HOMO FACTUS EST DEUS.

I. Propositiones sunt vel in materia naturali.

NOtandum primò ex Doctore subtili in 3. *dist.* 7. *quæst.* 1. propositionum *alias* esse in materia naturali, alias in materia contingenti, & *alias* in materia remotâ. *Propositiones in materia naturali* illæ sunt, in quibus naturalia prædicantur de subjecto cujus sunt naturalia, vel saltem aliqua consequentia immediatè naturam. Hujusmodi propositiones ratione modi prædicandi dicuntur iterum propositiones *per se.* & priores quidem *in primo modo dicendi per se:* posteriores verò *in secundo modo dicendi per se.* Propositiones in materia naturali in primo modo dicendi per se, illæ sunt in quibus prædicatum est de definitione subjecti, ut hæc, *homo est animal*; propositiones in materia naturali in secundo modo dicendi per se, illæ sunt in quibus è converso subjectum cadit in definitionem prædicati, ut docet Doctor hîc. V. g. in hac propositione naturali in secundo modo dicendi per se, *homo est risibilis*, prædicatum *risibilis* non est de definitione subjecti, nempe hominis, sed è converso subjectum illud cadit in definitionem talis prædicati, ut continens causam adæquatam & immediatam ejus. *Propositiones in materia contingenti* illæ sunt, in quibus prædicata vel sunt accidentia, vel saltem extrinseca ad subjecta de quibus enuntiantur. *Propositiones in materia remota*, sunt illæ in quibus opposita, vel repugnantia prædicantur de quibusdam, respectu quorum sunt repugnantia vel opposita.

Vel contingenti.

II. Propositiones in materia necessaria, aliæ sunt immediatæ, aliæ verò mediatæ.

Porrò inter propositiones in materia naturali seu necessaria is est ordo, ut quædam sint mediatæ, aliæ verò immediatæ; & mediatæ quidem ordinentur ad immediatas, ita quòd non sit status donec perventum fuerit ad primam omnino immediatam. Ille autem ordo servatur quoque inter propositiones contingentes. V. g. hæc propositio mediata, *homo currit*, reducitur ad hanc immediatam *Petrus currit*: igitur *currere* non competit

immediatè homini, ſed primùm Petro, vel alteri individuo, & illo mediante homini. Propoſitio itaque hæc, *Deus eſt homo*, non cenſetur immediata: igitur ad immediatiorem revocatur, nempe ad hanc, *Verbum eſt homo*, cui primò convenit eſſe hominem, & ratione ejus Deo.

immediatæ, ſunt vel *evidentes*; vel *credita*.

Propoſitionum iterum aliæ ſunt *evidentes* naturaliter; aliæ verò *credita*. Propoſitiones evidentes ſunt, vel quæ habent evidentiam ex terminis naturaliter cognitis, ut hæc, *Totum eſt majus ſuâ parte*; vel ſaltem ſunt ex aliquo medio naturaliter cognoſcibiles, ut iſta, *Homo eſt riſibilis*, quæ per animal rationale, tanquam per medium naturaliter cognoſcibile, fieri poteſt naturaliter evidens. *Propoſitiones credita* ſunt, quæ neutrô modô fieri poſſunt evidentes, ut, hæc, *Deus eſt homo*, quia neque ambo extrema cognoſcuntur naturaliter, neque unio inter illa eſt etiam naturaliter nota. Ulterius propoſitionum quædam ſunt formales, aliæ propriæ, aliæ in quibus prædicatum eſt nnivocum; & aliæ in quibus non ſolummodò prædicatum eſt univocum, ſed etiam prædicatur univocè.

Evideotes, ſunt, *vel* formales; *vel* propriæ; *vel* vel univocæ.

Propoſitiones formales ſunt in quibus proprium prædicabile enuntiatur de proprio ſubjicibili, ſive interim illud ſit eſſentiale, ſive tantùm accidentarium ſeu ſubjicibile. *Propoſitiones propria* ſunt in quibus prædicatum reale ſecundùm germanam proprietatem ſuam enuntiatur de ſubjecto reali. Propoſitiones in quibus prædicatum eſt univocum, non tamen prædicatur univocè, illæ ſunt in quibus prædicata ſunt denominativa, vel ſaltem modum prædicandi denominativorum obtinent: ſic album prædicatur de nive & de pariete. Propoſitiones tandem in quibus prædicatum enunciatur univocè, ſunt illæ quæ verificant aliquod ſuperius de inferioribus quod eſt illis inferioribus intrinſecum.

His ita prælibatis, reſolvendum eſt an tres illæ propoſitiones prænominatæ in titulo quæſtionis ſint probandæ ut legitimæ; an verò earum aliqua ſit ut erronea vel ut ſuſpecta rejicienda?

III. Qualiter ſint uſurpandæ hæc vocabula *factum eſſe*, & *fieri*.

Notandum ſecundò ex eodem Doctore pro faciliori intelligentia ſecundæ propoſitionis quòd prædicatum *factum eſſe* vel fieri, aliquando ponitur in propoſitionibus de ſecundo adjacente, aliquando verò in propoſitionibus de tertio adjacente. Quando ponitur in propoſitionibus de ſecundo adjacente, denotat effectionem rei ſimpliciter; quando verò eſt in propoſitionibus de tertio adjacente, ſignificat tantùm effectionem ſeu rem fieri ſecundùm illud quod ſpecificatur per prædicatum. V. g. in hac propoſitione de ſecundo adjacente, *Petrus eſt factus*, ſignificatur Petrum eſſe productum ſimpliciter: in illa verò quæ eſt de tertio adjacente *Petrus factus eſt albus*, ſignificatur Petrum non fieri ſimpliciter, ſed duntaxat album: ita quòd illa effectio connotet effectionem albedinis in Petro, non verò effectionem & productionem Petri; licèt etiam ſignificet Petrum fieri album: ſicut enim verè de eo enunciatur, quòd fiat ſimpliciter quando accipit eſſe ſimpliciter poſt non eſſe ſimpliciter: ita verè enuntiatur ipſum fieri tale, quando per actionem agentis accipit eſſe taliter, quod prius non habebat.

IV. Effectio ſecundùm quid, non ſemper importat mutationem in eo quod fit.

Notandum tertiò ſimiliter, ex eodem Doctore, *ibidem nu. 9.* quòd *effectio ſecundùm quid* non ſemper importat mutationem in eo quod tali modô fieri dicitur: licèt enim agens naturale ſupponat paſſum quod tranſmutat, & quod eſt in potentia ad terminum, ex quo neceſſariò ſequitur mutatio; quia quod tranſit de potentia ad actum, neceſſariò mutatur; attamen agens ſupernaturale, qualis eſt ſanctiſſima Trinitas, dum efficit unionem hypoſtaticam, non præſupponit Verbum, tanquam aliquid potentiale ad terminum iſtius unionis; neque alterum terminum nempe hominem, vel unionem hominis inducit, tanquam actum vel formam Verbi, quæ ipſi inſit per inhærentiam, ſed ſummô modô univit hominem Verbo ſine ulla inhærentia, ideoque in iſta unione nullus fuit tranſitus à potentia ad actum. Non minùs tamen Unio hypoſtatica veram habet rationem effectionis; licèt enim Verbum non fuerit mutatum, attamen reverà factum eſt homo. Quod autem de novo fit tale, aliquando mutatur, aliquando verò non: mutatur quidem, quando id quod advenit, habet rationem formæ perficientis ſubjectum, quod erat in potentia ad illam recipiendam, ſicut communiter accidit in effectionibus paſſivis, quando videlicet agentia naturalia efficiunt aliqua ſubjecta talia eſſe in actu, qualia duntaxat erant in potentiâ.

Unde incarnatio activa non efficit mutationem in Verbo.

Nec refert quòd omni effectioni correſpondere debeat neceſſariò aliqua paſſio; ac proinde quando dicitur Verbum factum hominem, videtur quòd in eo deberet correſpondere paſſio, quæ eſſet correlativum illius effectionis. *Dico* enim quod paſſio correſpondens iſti actioni, non in Verbum, ſed refundenda ſit in naturam humanam unitam Verbo; quæ propterea non tam cenſetur terminus quàm ſubjectum iſtius effectionis paſſivæ, licèt ſignificetur ad modum termini in iſta propoſitione, *Verbum factum eſt homo*; ſubindeque licèt in hac effectione reperiatur aliqua mutatio, illa non in Verbum, ſed in naturam humanam eſt refundenda.

Conclusio Prima.

V. Hæc propoſitio *Deus eſt homo*, eſt propriè dicta.

HÆc *propoſitio* Deus est homo, *eſt vera & propriè dicta, non tamen in materia naturali.* Prima pars eſt omnium Theologorum. Eamque Doctor ſic probat. Ut iſta propoſitio ſit vera & propriè dicta, ſufficit quòd aliqua è divinis perſonis ſubſiſtat in humanitate & verè dici poſſit talis naturæ ſuppoſitum: ſed de fide eſt nnam è divinis perſonis, nempe perſonam Verbi, ſubſiſtere in natura humana & verè dici illius humanæ naturæ ſuppoſitum: ergo hæc propoſitio *Deus eſt homo*, eſt propriè dicta.

Inſuper: Si non eſſet iſta propoſitio propria, maximè, *vel* quia homo non poteſt eſſe prædicatum: *vel* quia Deus non poteſt eſſe propriè ſubjectum propoſitionis: *vel* quia Deus & homo non ſunt ſufficienter unum, ut alterum de altero propriè prædicetur: atqui homo poteſt eſſe prædicatum propriè dictum reſpectu Dei ſupponentis pro Verbo incarnato; nam *homo* ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humanâ, quæ univocè convenit Chriſto & cæteris hominibus; *Deus* etiam ſupponere poteſt pro Filio Dei incarnato; ſiquidem nomen ſignificans naturam in concreto, poteſt ſupponere pro quolibet ſuppoſito illius naturæ; ſed nomen *Deus* eſt concretum ſignificans naturam divinam: ergo poteſt ſupponere pro perſona Filii Dei.

Denique, hæc duo ſunt ſufficienter unum inter ſe, ut alterum de altero enuntietur, quia ſunt unum unitate ſuppoſiti: igitur illa propoſitio eſt vera & propriè dicta.

Dices

Dices. Illa propositio non est vera & propriè dicta, cujus contraria potest esse vera: sed contraria istius propositionis, nempe *Deus non est homo*, potest esse vera, si subjectum illud supponat indefinitè; nam non est potior ratio, cur subjectum illud *Deus*, ut supponens indefinitè pro individuo Deitatis, recipere debeat prædicatum istud *homo*, ratione Verbi quod verè factum est homo, quàm non recipere ratione Patris vel Spiritûs sancti, pro quibus etiam potest supponere, qui tamen reverâ non sunt homines facti: ergo illa propositio *Deus est homo*, non videtur absolutè & simpliciter vera.

Quia hæc vox *Deus* non accipitur indefinitè.

Nego minorem: Falsum est enim simpliciter, Deum non esse hominem; quippe cùm revera Filius Dei qui Deus est, sit homo. Unde ad probationem dico, subjectum *Deus* non supponere indefinitè; nisi fortè duntaxat ex rigore sermonis & vocis, non verò ex usu ejusdem vocis recepto apud fideles Christianos, apud quos notum est & familiare, quòd illa propositione *Deus est homo*, & similibus, subjectum illud *Deus*, non supponat indefinitè, sed determinatè pro persona Verbi.

Dices secundò: In dividentibus ordinatis, prima dividentia sunt magis diversa, & minùs consequenter prædicabilia de se invicem: sed priùs dividitur ens in infinitum & finitum, quàm ens finitum dividatur in aliqua alia: ergo finitum & infinitum sunt magis diversa & minùs prædicabilia de se invicem, quàm ulla entia finita in quæ dividitur ens finitum: sed aliqua entia finita sunt ita incompossibilia, ut verè non possint prædicari de se invicem: ergo multò minùs ens infinitum prædicari poterit de ente finito, & vice versâ: igitur cùm homo sit ens finitum, non potest prædicari de Deo.

VI. Quæ sunt magis diversa, non propterea minùs sunt de se invicem prædicabilia.

Distinguit minorem Doctor. Prima dividentia habent diversitatem quoatùm ad hoc quòd in paucioribus formalitatibus conveniant, concedit: quantùm ad repugnantiam quâ excluderent se invicem à conjunctione & prædicatione, negat; nam repugnantia major non oritur ex majori diversitate: siquidem calor & frigus minùs sunt diversa, quàm calor & substantia; & tamen calor & frigus excludunt se ab invicem ac se mutuò destruunt: non ita calor & substantia: igitur, &c.

Dices tertiò: Si homo prædicetur de Deo, aut prædicatur ut relativum, seu ut relatio, aut ut absolutum. Non *primum*, quia homo non est relatio nec relativum. Non etiam *secundum*, quia sic prædicari posset de tribus personis secundùm S. Augustinum lib. 5. de Trinitate cap. 8. & 10. & consequenter tres personæ divinæ essent homo; quod est falsum: ergo homo nullatenus prædicari potest de Deo.

VII. Homo prædicatur de Deo ut est quid absolutum.

Negat minorem Doctor pro secunda parte, quia prædicatur de Deo, ut est quid absolutum, & sic negat etiam sequelam probationis. Ad S. autem Augustinum dicit quòd quando docet quòd quidquid prædicatur de Deo, ut absolutum, prædicatur etiam de tota Trinitate; loquitur de prædicatis intrinsecis & essentialibus; non verò de prædicatis extrinsecis absolutis, qualis est homo respectu Dei.

VIII. Hæc prædicatio *Deus est homo*, an & ad quod prædicabile possit revocari.

Dices quartò: Si vera esset & propria prædicatio hominis de Deo, reduci deberet ad aliquod ex quinque prædicabilibus: sed ad nullum reduci potest; non quidem ad *genus*, *speciem*, aut *differentiam*, quia prædicatum *homo*, non est de essentia Dei; non etiam ad *proprium*, quia tunc *Deus* spectaret ad definitionem hominis; non etiam ad *accidens*, quia nullum accidens de Deo prædicari potest, sicut nec ipsi inesse.

Respondet Doctor, quòd in hac prædicatione aliquid assimiletur prædicationi speciei, quia per unionem hypostaticam Verbum fit individuum naturæ humanæ: aliquid etiam participat de ratione accidentis in habitudine ad subjectum; *Quia*, inquit, *ista natura temporaliter advenit Verbo perfecto in se æternaliter existenti.* Unde illa prædicatio fieri potest per modum accidentis Logici, non verò Metaphysici; quod utique non est inconveniens, quia nec significat hominem esse accidens in se, nec denotat illum informare Verbum accidentaliter & ipsi inhærere.

Respondeo secundò, negari posse majorem, quia cùm unio hominis cum Verbo sit singularissima, nec habeat ullum exemplum in rebus creatis, ideò non mirum si prædicatio illa sit etiam specialis, nec ad aliquod genus prædicationis rerum creatarum possit revocari.

Dices quintò: Idem non prædicatur denominativè de eodem: sed de Deo prædicatur homo denominativè, quia dicitur *Deus humanatus*: ergo non prædicatur de ipso in abstracto: igitur illa prædicatio *Deus est homo*, non est propria.

IX. Quare de Verbo dici non possit quòd sit humanatum nec quòd sit Deificatum.

Respondet Doctor negando minorem; quia esse humanatum, non est denominativum proprium derivatum ab homine, sed à fieri hominem: nam idem est esse homanatum ac fieri hominem; unde si Verbum necessario esset homo, sicut necessariò est Deus, non diceretur *humanatus*, sicut non dicitur *Deificatus*. Quòd autem dicatur humanitas de ipso in fieri, non impedit quominus possit dici de ipso aliò modò, quàm in fieri: bene enim quod dicitur calefieri, dicitur etiam calidum, & quod dicitur dealbari, dicitur album. Si autem quæras, quod est proprium denominativum hominis? Dicit Doctor, quòd sit esse *humanum*; hoc autem non dicitur de Deo, quia significaret quòd homo spectaret ad ipsum aliò modò, quàm naturà spectat ad suppositum, quod est falsum: humanitas autem, quæ est proprium abstractum hominis, non dicitur de Verbo; falsum est enim quòd Verbum sit humanitas.

X. Præfata prædicatio non est in materia naturali.

Probatur secunda pars: nempe quòd illa propositio non sit in materia necessaria; quia, inquit Doctor, in omni propositione necessaria & per se, prædicatum debet esse de intrinseca ratione subjecti, si illa prædicatio sit in primo modo dicendi per se: vel si sit in secundo modo, subjectum debet continere causam inhærentiæ, & connexionis prædicati cum subjecto, ut docent communiter Logici: sed nec *homo* est de essentia Dei, nec *Deus* continet causam naturalem, & per se connexionis talis prædicati cum tali subjecto: ergo illa propositio non est per se.

Deinde, in omni propositione *per se*, prædicatum quod enuntiatur de communi subjecto, enontiari quoque debet de omnibus contentis sub subjecto: sed *homo*, qui enuntiatur de Deo, non enuntiatur de omnibus personis quæ sunt Deus, nempe de Patre & Spiritu sancto: igitur, &c.

Denique, in omni propositione *per se*, requiritur quòd subjectum secundùm naturalem illius vim, seu ex rigore, sit determinatum; nam si sit indeterminatum, & determinari possit ad supponendum pro quibusdam determinatis, poterit quidem efficere propositionem veram, non verò propositionem per se: sic in hac propositione *ani-*

mal est homo, subjectum istud *animal*, est indeterminatum ac indefinitum, & limitari potest ad hoc, ut supponat vel pro solo animali rationali, vel pro Petro & Paulo; inde fit, ut illa propositio quidem vera sit, non tamen est propositio per se. At in hac propositione *Deus est homo*, subjectum se habet hujusmodi; quia est indeterminatum ex stricta sua significatione, ut supponat vel pro Patre, vel pro Filio vel pro Spiritu sancto, & solùm determinatur ex communi usu Fidelium, ut duntaxat supponat pro Filio: igitur ex se non est propositio per se & in materia singulari.

Conclusio Secunda.

XI. Hæc propositio *Deus factus est homo*, est vera.

HÆc propositio, DEUS FACTUS EST HOMO, *est vera & propria*. Probatur 1. ex Scriptura S. nam Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Et ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*. Idipsum constat ex Symbolo Nycæno his verbis. *Et homo factus est*. Probatur etiam ratione à Doctore subtili. Effectio sive simplex, sive secundùm quid, dicit tantùm duplicem habitudinem, scilicet ipsius rei factæ ad facientem, nec-non ad illius rei non esse præcedens; sive interim illud esse sit simpliciter, sive secundùm quid; sed in Verbo incarnato reperitur duplex illa habitudo, scilicet Dei, ut est factus homo, ad actionem totius Trinitatis, & etiam ad non esse hominis, præcedens; quippe Verbum ante suam Incarnationem non erat homo: igitur illa propositio est vera & propriè dicta.

Deinde, id quod est & non fuit semper, reverà dicitur factum: sed Deus per Incarnationem est homo, & non fuit semper: ergo per Incarnationem factus est homo.

Denique. Rectè dicimus aliquid fieri hoc vel illud, quando jam anteà erat simpliciter, sed non habebat illam entitatem quam posteà acquisivit: sic dicimus parietem fieri album, quia licèt antea esset paries, tamen non habebat albedinem quam postmodum habuit per actionem agentis dealbantis: ergo à simili verum est, quòd Deus factus est homo; quia cùm antea esset simpliciter, non habebat tamen humanitatem quam in Incarnatione assumpsit.

Dices. Si illa propositio esset vera, sequeretur quòd Deus esset factus simpliciter: sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatur sequela majoris, quia si verum est quòd Petrus factus est homo, etiam verum est quòd sit factus simpliciter: ergo pari ratione, si verum est quòd Deus factus sit homo, etiam erit factus simpliciter.

Nec tamen inde sequitur quòd sit factus simpliciter.

Negat sequelam Doctor; & ad probationem negat consequentiam. Disparitas enim est, quòd non sequatur vi formæ, sed materiæ, quòd si Petrus est factus, etiam sit factus simpliciter, cùm enim esse simpliciter Petri sit esse hominem: consequens est vi materiæ, quòd si Petrus factus est homo, factus est simpliciter: sed Deus habet aliud esse simpliciter quàm esse hominis; unde non sequitur quòd si sit factus homo, etiam factus sit simpliciter: sicut non sequitur, quòd idem Petrus est factus albus: ergo factus est simpliciter, quia Petrus habet aliud esse quàm esse album.

Dices secundò: Si Deus factus esset homo, sequeretur ipsum esse mutatum ad humanitatem: sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur sequela: quia alia omnia quæ dicuntur talia fieri, mutantur ad illa per susceptionem eorum ad quæ mutantur.

Nec quòd sit mutatus.

Nego sequelam: Et ratio disparitatis est, quia scilicet omnia alia quæ fiunt vel simpliciter vel secundùm quid, non possunt terminare unionem sui cum forma, respectu cujus dicuntur fieri absque mutatione; Deus autem potest terminare unionem sui cum natura humana absque ulla sui mutatione.

Adde quòd cætera sint perfectibilia per formas quas acquirunt: Deus autem non est perfectibilis per humanitatem.

Dices tertiò: Si Deus factus est homo, sequitur quòd Deus factus sit Deus: sed hoc est absurdum: ergo, &c. Patet sequela majoris, quia per communicationem idiomatum homo est Deus: ergo si fiat homo, etiam fit Deus.

Nec etiam quòd sit factus Deus.

Negat sequelam Doctor cum consequentia illius probationis; quia, inquit, per communicationem idiomatum non prædicantur de se invicem prædicata utriusque naturæ, cùm expressione ipsiusmet, ut suprà notavimus ex ipso in assignandis regulis communicationis idiomatum: & sic dici non debet quòd Deus assumpsit naturam divinam sicut assumpsit naturam humanam; unde quamvis esset verum dicere non solùm quòd assumpserit humanitatem, sed etiam quòd assumpserit hominem, de quibus agemus infrà; tamen non est verum dicere quòd assumpserit Deum.

Conclusio Tertia.

HÆc propositio, HOMO FACTUS EST DEUS, *ex rigore sermonis est simpliciter vera; eâ tamen parcius ac nonnisi adhibita cautione utendum est*.

XII. Hæc propositio, *homo factus est Deus*, est etiam vera.

Probatur prima pars illis Scripturæ textibus, quibus Christus dicitur factus Filius Dei. Sic ad Rom. 1. *De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*: sed Christus secundùm quod homo: est ex semine David secundùm carnem: ergo secundùm quod homo, factus est Filius Dei: igitur ista propositio, *homo factus est Deus*, potest esse vera ex rigore sermonis.

Ut colligitur 1. ex S. Scriptura.

Et ex SS. Patribus.

Probatur etiam authoritate SS. Patrum, apud quos hæc loquendi formula est frequens & familiaris. Sic Greg. Nazianzenus orat. 35. *Hic homo*, inquit, *Deus effectus est, postquam cum Deo coaluit*: Similiter S. Augustinus 1. de Trinitate 13. *Talis fuit illa unio*, inquit, *ut Deum faceret hominem & hominem Deum*. Item S. Damascenus lib. 3. cap. 11. *Verbum*, inquit, *caro est factum, & caro Verbum, & Deus homo, & homo Deus*. Athanasius librô de humana natura suscepta: *Iste ipse Deus*, inquit, *factus est caro, ut caro ejus fieret Deus Verbum*. Et Maximus Martyr in Centuria prima Theologicorum capitum cap. 62. *Certa*, inquit, *fiducia speranda deificationis natura hominum, est Dei incarnatio, quæ in tantùm hominem Deum fecit, in quantùm ipse homo factus est. Etenim qui citra peccatum homo factus est, planè citra mutationem in Deitatem, naturam nostram deificabit, ac tantùm propter se illam evehet, quantùm propter hominem sese dimisit*. Quibus perinde significat Deum factum hominem, atque hominem esse Deum factum.

Maximè ex S. Augustino.

Hæc autem omnia eleganter confirmat S. Augustinus serm. 15. de Nativitate Domini cap. 2. ubi utrumque defendit, & Filium Dei factum esse filium hominis, & filium hominis esse factum Filium Dei: atque aliter sentientes refellit: *Non ergo vobis subrepat*, inquit, *quorundam sententia*

minùs attentorum in regulam fidei: & in Scripturarum divinarum oracula. Dicunt enim: Qui filius est hominis, factus est Filius Dei: qui vero Filius Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est, attenderunt, sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est, sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius Divinitate mutatá, Verbum tamen caro factum est. Mox veram illis fidei regulam opponit. *Quis enim Christianus neget, ex illa fœmina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum? Ergo & homo factus Deus dicitur, & quod idem est, in melius commutatus.*

Idipsum optimè probat subtilis Doctor.

Probat conclusionem Doctor. Illud simpliciter dicitur factum, quod per actionem alicujus agentis fit tale; prius autem tale non erat: sed homo per actionem Trinitatis fit Deus, propter suam unionem hypostaticam cum Deo: ergo verè & simpliciter dici potest, quòd homo factus sit Deus. *Deinde* ratione solius unionis, quâ Deus unitus est homini, Deus dicitur factus homo: ergo ratione ejusdem unionis dici debet, homo factus est Deus, quia non minùs homo unitus est Deo, quàm Deus homini. *Denique* si quæ sit ratio ob quam ejusmodi propositio non debeat admitti, maximè quia *homo* supponit pro supposito, falsum est autem suppositum Christi esse factum Deum; vel etiam quia participium illod *factus*, non dicit effectionem simpliciter, sed effectionem talem, quam præcedere debet illud quod dicitur taliter fieri: sed istæ rationes nullæ sunt; nam homo hîc non supponit pro supposito, sed duntaxat pro humanitate singulari: neqoe illud quod fieri dicitur tale, necessariò debet præcedere tempore effectionem talem, sed sufficit si præcedat naturâ, habeatque suam existentiam priùs naturâ, quàm accipiat talem denominationem: Certum est autem quòd humanitas Christi saltem priùs naturâ existat, quàm uniatur Verbo, & consequenter priùs naturâ quàm fiat Deus: igitur nihil officit quominùs vera sit illa propositio, *homo factus est Deus.*

XIII.
Aliqui SS. Patres objiciuntur.

Objicies primò: S. Cyrillum librô adversus Antropomorphitas cap. 22. ubi ait: *Neque enim, ut quidam volunt, homo Deus effectus est.* Item S. Damascenum lib. 3. cap. 2. cùm scripsisset eôdem momentô, ac simul extitisse carnem Christi, & Verbi propriam fuisse, inde concludit sic: *Quare non hominem Deum factum dicimus, sed Deum inhumanatum.* Et Fulgentium lib. de incarnatione cap. 10. *Neque ipsa caro, id est ipse homo, in se formam Dei viventis accepit, sed Deus qui in forma Dei erat formam servi accepit.*

Sed benignè explicari possunt.

Respanderi potest has, & similes SS. Patrum sententias solùm repudiare sensum qui Nestorio placebat, nempe quòd antequam humanitas Christi assumpta esset à Verbo, jam subsistens erat, & perfectus homo. Quem otique sensum ot hæreticum repudiamus; undè meritò Petrus Diaconus lib. de Incarnatione cap. 5. aiebat: *Secundùm hanc ergo Prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus est Deus, sicut dicunt hæretici, qui per provectum, non per naturam, Christum Deum audent asserere, &c.* Igitur negant SS. Patres Christum factum fuisse Deum eô sensu, quô affirmabant Nestoriani, quasi priùs homo extitisset, ac deinde progressione quâdam ad Divinitatis consortium meritô virtutum suarum fuerit evectus.

XIV.
Illa tamen propositione parciùs est utendum.

Verùm quanquam hæc secundùm sermonis rigorem vera esse possint, nihilominùs quoniam hæc loquẽdi formula arridere posset novis Nestorianis; ideo, ut fert secunda pars conclusionis, câ cum cautela utendum est. Et satiùs dicendum arbitror cum seraphico Doctore in 3. dist. 7. qu. 3. quòd prædicta locutio, quâ dicitur: *homo factus est Deus*, distingui debet per hunc modum, quô distincta est prædicta: *Deus est factus homo*, ex eo quòd res hujus participii *factus*, poni potest circa totum, vel circa prædicatum, vel circa utrumque extremum. In primo sensu locutio est vera, & est sensus *homo factus est Deus*, id est, factum est, ut homo esset Deus: & hoc quidem verum est. Si autem determinat prædicatum, sensus est: *homo est Deus, qui factus est*: & hoc quidem falsum est: si aotem cadat circa otrumque extremum, & dicat ordinem subjecti ad prædicatum, tunc est sensus; *homo factus est Deus*, id est, qui priùs erat homo, factus est Deus posteriùs: & hoc quidem adhuc falsum est: quia esse hominem nunquam antecessit in illo supposito esse Deum, nec divinum esse aliquatenus inchoatur. Et sic patet quòd si ista locutio aliquô modô posset concedi in primo sensu: in duobus tamen aliis concedi non potest nec debet: *homo factus est Deus.* Unde hæc magis est impropria; *homo factus est Deus*, quàm hæc: *Deus factus est homo*, & rariùs invenitur scripta. Si tamen alicubi legatur vel inveniatur, tunc secundùm primum sensum est accipienda.

Eam optimè explicat seraph. Doctor.

QUÆSTIO III.

An hæc propositio sit vera, CHRISTUS EST CREATURA.

I.
Creatio sumitur vel propriè, vel impropriè.

NOtandum primò, ex Doctore subtili in 3. *dist.* 11. *quæst.* 1. *num.* 6. creationem sumi duobus modis: *Primò* quidem, propriè & strictè: *Secundò*, minùs propriè & universaliùs. Et quidem secundùm hanc acceptionem habere duplicem respectum: Unum quidem ad causam efficientem, à qua producitur, alterum autem ex nihilo sui quod supponit. *Creatio propriè sumpta* respicit solum Deum tanquam causam efficientem excludendo quamcumque aliam: respicit etiam purum nihil quod supponit, & ex quo producitur simpliciter. *Creatio verò generalius & minùs propriè sumpta*, dicit quidem habitudinem ad primam causam efficientem, non ut immediatè & solam producentem, nec excludendo consortium alterius causæ. Dicit etiam ordinem ad non esse sui; non quidem simpliciter, sed secundùm quid, nempe ad formam expellendam per adventum illius formæ quæ producenda est. Et hôc modô sumpta creatione, omnia alia entia præter Deum, dicuntur creari, quia suum recipiunt esse à primo efficiente; & licèt etiam producantur à causis secundis, attamen, inquit Doctor, non dicuntur aliarum causarum creaturæ; qoia creatura quôcumque modô sumatur, nunquam dicit relationem ut sic, ad causam secundam. Priori aotem genere creationis, *solummodò Angeli*, inquit *ibidem* Doctor; *& anima intellectiva, & gratia & quædam hujusmodi quæ de nihilo producuntur, à primo efficiente dicuntur creari.*

II.
Christus D. non est propriè creatus.

Certum est autem quòd sumendo creationem *propriè* & in stricta sua acceptione, Christus nullatenus dici possit creatura, etiam ut homo. Cujus veritatis rationem hanc profert Doctor,

quòd creatura hôc modô sumpta, respicit solùm Deum, tanquam causam efficientem, & tanquam princicipium à quo producitur: sed Christus, etiam ut homo, non habet solùm hos respectus; siquidem dicit etiam habitudinem ad alias causas efficientes; Christi enim humanitas non à solo primo efficiente producta est immediatè in esse, sed etiam à beatâ Virgine, quæ aliquam causalitatem habuit respectu ejus productionis: non habuit etiam respectum ad purum nihil, à quo tanquam à termino produceretur; habebat enim præjacentem materiam, scilicet materiam corporis, quæ transformabatur à forma sanguinis ad formam corporis organici animati. Difficultas autem est an Christus secundô modô creationis dici possit creatura, idque *vel* simpliciter, & sine additamento; *vel* cum additamento, & determinatione, nempe quatenus homo.

III. *Qualiter accipiendæ sint hæ dictiones, in quantum, quatenus, &c.*

Notandum secundò, ex eodem Doctore *ibidem q. 2. n. 4.* has dictiones, *in quantùm, quatenus, secundùm quid* & similes, intelligi posse duobus modis, scilicet reduplicativè & specificativè. *Reduplicativè* quidem, quando absolutè significant prædicatum inhærere toti subjecto, & assignant causam aliquam ejusmodi inhærentiæ seu conjunctionis prædicati cum subjecto, ut in hac propositione, Homo in quantùm animal est sensitivus, in quo prædicatum *sensitivus* significatur inesse toti subjecto nempe homini; notatur etiam causa propter quam insit, nempe quia homo est animal. *Specificativè* sumuntur, quando distrahunt vel saltem possunt distrahere prædicatum in ordine ad subjectum, vel subjectum in ordine ad prædicatum, ut in hoc exemplo: *Æthiops, secundùm quod habet dentes, est albus*; in quo significatur albedinem non inesse toti subjecto absolutè, imò prædicatum istud *albus*, distrahit à toto subjecto, & limitatur ad aliquam ejus partem, scilicet ad dentes Æthiopis. Nec est quod dicat Vasques *disp. 66. cap.* 10. particulas istas, *in quantùm* & *secundùm quod*, non sumi reduplicativè, quando repetitur idem subjectum, idque esse falsum in omni Schola & secundùm omnes Scholasticos: turpiter enim ipsemet hæc asserendo fallitur, siquidem in præsenti materia S. Thomas & S. Bonaventura, ac subtilis Doctor concedunt hanc propositionem, *Christus, in quantùm homo, est creatura*, habere posse sensum reduplicativum, illi autem Doctores longè meliùs noverunt quàm Vasques, qoid sit sensus reduplicativus.

IV. *Propositionis falsitas non tollitur per illius reduplicationê, sed per specificationem.*

Notandum tertiò, quod cùm propositio aliqua est falsa ex repugnantia terminorum seu extremorum, quâcumque determinatione vel reduplicatione positâ, quæ non tollit repugnantiam eorum, non tollit etiam rationem falsitatis illius propositionis, quia manente causâ, manent etiam effectus: repugnantia autem extremorum est causa falsitatis propositionis, quare manente repugnantiâ, etiam manet falsitas ejusdem propositionis; *reduplicatio* autem non habet vim tollendi repugnantiam extremorum propositionis falsæ absolutè, quia illa nihil distrahit nec addit extremis: *specificatio* autem habet vim tollendi repugnantiam extremorum, & consequenter solvendi falsitatem propositionis; quia vel addit, vel distrahit, seu diminuit aliquid ab extremis ratione cujus distractionis, propositio, quæ erat anteà falsa sine additione vel distractione, jam fiat vera per illam additionem vel distractionem.

CONCLUSIO PRIMA.

V. *Christus D. per communicationem idiomatum, absolutè dici posset creatura.*

NOn est improbabile hanc propositionem, CHRISTUS EST CREATURA, *sine ullo additamento, & propter solam communicationem idiomatum, esse veram de rigore sermonis: nihilominus vitanda est propter periculum erroris Arianorum*: Ita *S. Thomas*, ut eum exponit Caïetanus 3. part. quæst. 16. art. 8. & *subtilis Doctor*, consentire videtur quæst. 1. num. 7. ubi cùm exposuisset opinionem Varronis hoc ipsum affirmantis, illam non impugnat, ut præcedentes opiniones, sed solùm addit: *Cui ista opinio non placet, potest dicere ipsam esse falsam propter istas rationes, &c.* Quibus, saltem tacitè, illam sententiam sustineri posse admittit. Probatur autem conclusio: *Primò* quidem authoritate SS. Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum, qui Christum creaturam & creatum appellant. Siquidem ex Græcis S. Greg. Nazianzenus orat. 38. quæ est de Nativitate Christi, ait: *O novam mixtionem! ô mirandam temperationem! qui est, fit; & qui creatus non est, creatur.* Idem docet Greg. Nissenus serm. 13. in Cantica; *Increatum dicimus Verbum*, inquit, *quod initiò rerum existebat, creatum autem illum dicimus, qui caro factus est, &c.* Subscribit S. Cyrillus lib. 10. Thesauri cap. 4. ubi hæc habet, *Nam cùm ipse naturâ increatus sit, & omnium Dominus & creator, creatura etiam factus, primus invenitur inter homines quos assumptâ humanâ naturâ reformavit*: Similiter Sophronius in illa epistolâ quæ habetur in sexta Synodo actione 11. sæpè vocat Christum *creatum* & *increatum*.

Eum enim sic appellârunt plurimi Patres Græci.

Et Latini.

Ex Latinis verò S. Hilarius lib. 12. de Trinitate; ubi licèt contendat contra Arianos Christum non esse creaturam ratione communicationis idiomatum, apertè concedit Christum posse dici creaturam: *Filius itaque suus est*, inquit, *qui est in homine & ex homine factura neque tantùm factura, sed etiam creatura.* Subscribit S. Ambrosius in Psal. 118. serm. 3. *Non vereor*, inquit, *ne quis dicat Creatum ergo Christum asseris? Respondebo, ita creatum dico, quemadmodum factum sub lege, hoc est, factum ex muliere, factum sub lege.* Adstipulatur S. Hieronymus in 2. cap. ad Ephes. *Nos*, inquit, *liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, & hominem, & crucifixum, & maledictionem totâ spei nostræ fiduciâ confitemur.* S. Leo serm. 3. Pentecostes: *Si homo*, inquit, *ad imaginem Dei factus legem Dei servasset, Creator hominum creatura non fieret.* Tandem ut cæteros prætercam, rem istam apertè docet S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 29. ubi ait: *Redemptor noster, quia Divinitatis ejus status capi ab humana mente non potuit, hunc se nobis, ad nos veniens, creatus, natus, mortuus .... quasi transeundo monstravit.* Quibus docet non plus esse periculi Christum dicere creatum, quàm natum & mortuum.

Et ratione firmatur.

Suadetur etiam ratione: *Primò* quidem, quia non videtur majus periculum Christum appellare creaturam, quàm tribuere illi proprietates, quæ eandem imperfectionem redolent, & includunt, ut esse mortalem, passibilem, finitum, &c. sed hæc tribuuntur Christo: ergo etiam creaturæ appellatio ipsi potest attribui. *Deinde*, Non plus repugnat Christo incipere esse post non esse, quàm desinere esse: quia utrumque æquè repugnat æternitati: sed de Christo propriè, & de rigore sermonis dicitur quòd desierit esse, alioqui verè

non diceretur mortuus : igitur similiter dici potest quòd inceperit esse post non esse, & consequenter quòd sit creatura. *Præterea* esse creaturam est de essentia hominis, quia homo essentialiter est ens dependens & finitum, sed omnia quæ sunt de essentia hominis dicuntur de Christo : ergo pariter de eo dici potest quòd sit creatura. *Denique*, si negetur de Christo quòd sit creatura, maximè quia illa appellatio repugnat Verbo & naturæ divinæ : sed hæc ratio nulla est, quia licèt repugnet naturæ humanæ assumptæ esse Creatorem aut æternam, tamen nonobstante illâ repugnantiâ, verè dicitur de Christo quòd sit creator & quòd sit æternus : ergo pari ratione negari non debet absolutè quin sit creatura, cùm utrobique sit par ratio.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI. Christus D. non est dicendus creatura.

Probabilius est & verius (etiam precisô periculô scandali & erroris) Christum non esse simpliciter creaturam appellandum. Ita subtilis Doctor, ut colligere licet ex locis jam citatis : quanquam enim nil expressè circa hanc sententiam definiat; tamen hanc ultimam conclusionem probabiliorem judicat; siquidem solvit omnia fundamenta adversæ sententiæ, non verò hujus: at S. Thomas eam expressè docet lib. 4. contra gentes cap. 48. *Probatur* autem conclusio à Doctore *quæst. 1. nu. 9.* Primò quia ad hoc ut aliquid dicatur creatura sine ulla determinatione, debet accepisse suum primum esse vel totale vel partiale post non esse: sed Christus neutrum accepit post non esse; non quidem esse totale; quippe nullum tale esse habet propriè, aliàs sequeretur naturas in ipso esse permixtas eô modô, quô partes physicæ ad compositionem totius invicem miscentur : non etiam accepit primum esse partiale; quia illud est esse Verbi divini quod est æternum.

Repones sufficere quòd creatio terminetur ad aliquod esse, licèt illud non sit primum, ad hoc ut aliquid dicatur creatura. *Contrà* ; quia quoties prædicatum convenit formaliter parti minori, vel accidenti respectu subjecti, tunc non debet denominare simpliciter totum cujus est pars, vel subjectum cujus est accidens; licèt enim, v. g. *esse album*, competat dentibus Æthiopis, ex eo tamen non licet inferre totum Æthiopem esse album : similiter licèt in Petro sit unica albedo vel plures, non oportet propterea inferre Petrum esse unum, vel plures ratione unitatis vel pluralitatis albedinis quam habet. Unde cùm ratio creaturæ conveniat minori parti, nempe duntaxat humanitati ipsius Christi, non potest rectè totum Christum denominare creaturam.

Deinde esse creaturam, est unum ex prædicatis transcendentibus naturæ humanæ : prædicata autem transcendentia non minùs conveniunt supposito secundùm se quàm naturæ : igitur si prædicatum illud conveniat Christo, non minùs tribuetur ejus supposito quàm naturæ : sed falsum est quòd suppositum Christi dici possit creatura aut creatum : ergo quantumvis conveniret naturæ humanæ, non propterea absolutè deberet tribui Christo.

VII. Solvuntur rationes quibus præcedens conclusio firmatur.

Unde ad fundamenta præcedentis conclusionis minùs probabilis dico : *Primò, SS.* Patres esse intelligendos de creatione impropriè dicta, quatenus scilicet *creatio* significat idem quod *factura*, seu quid factum, quia reverà Christus factus est: *Vel* dico quòd loquuntur SS. Patres cum determinatione; ita quod Christus dicatur creatura ra-A tione humanitatis assumptæ, quæ secundùm se verè & propriè diceretur creatura, si hæc appellatio supposito Verbi, quô subsistit, quadrare posset; vel si illa proprium suppositum haberet, quia ex se habet quidquid necessum est ut natura dicatur creata, secundùm rationem naturæ.

Ad primam rationem respondeo cum Suare dupliciter. *Primò* quidem attributa creaturarum reverà convenire Christo ratione naturæ creatæ, quando illa non includunt suppositum creatum quod sit ex nihilo productum; & ideò ex illis attributis solùm inferri potest Christum esse creaturam, non propriè, sed impropriè; accipiendo no-B men creationis & creaturæ. *Respondeo secundò* quædam esse prædicata creaturarum, quæ apertè cognoscuntur convenire Christo ratione duntaxat naturæ humanæ, ut esse *mortalem & passibilem*, de quibus non potest esse controversia inter Catholicos & Nestorianos. Alia verò sunt prædicata, de quibus dubium esse potest, an tribuantur Christo ratione naturæ humanæ, an verò etiam ratione suppositi de quibus maximè controvertitur inter Catholicos & hæreticos, ut esse mutabilem, esse finitum, &c. quæ licèt in proprietate & rigore sermonis, dici possent de Christo ratione naturæ humanæ : attamen quoniam posset esse difficultas an etiam hæc ipsi conveni-C rent ratione suppositi, idcircò securius est & cautius ab eis abstinere.

Ad secundam rationem dicit Doctor, non magis repugnare Christo incipere esse post non esse, quàm desinere esse post esse, desitione scilicet opposita inceptioni de qua loquimur, quæ nimirum fiat per annihilationem. Unde concedit quod æqué repugnet Christo annihilari ac creari; non tamen æquè repugnat mori atque creari : quia mori denotat solummodò desitionem vivendi, non verò desitionem essendi simpliciter; creari verò significat inceptionem essendi simpliciter.

Ad tertiam rationem dico, quòd esse creaturam in propriâ & strictâ acceptione, non sit de essen-D tia hominis, sed tantùm in latiori usurpatione nominis *creatura*, quia non est de essentia hominis quòd sit persona creata, sed tantùm quòd per naturam creatam constituatur.

Ad ultimam denique rationem, respondet Doctor quòd magis repugnet Christo esse creaturam quàm Creatorem; quia esse creatorem convenit primo & principali constitutivo Christi, nempe supposito Verbi & naturæ divinæ; esse verò creaturam, convenit tantùm esse Christi minùs principali, nempe ejus humanitati. Cùm autem hoc prædicatum, creatura, natum sit & ordinetur ad denominandum non solùm naturam, sed etiam suppositum : hæc verò denominatio creari repu-E gnet supposito Verbi, quô Christus subsistit : idcircò toti Christo repugnat esse creaturam.

Dices insuper : De Christo prædicatur in quid, quòd sit *homo* : igitur id quod prædicatur, est aliquid creatum, vel increatum : sed non est increatum; alioqui dicendo quòd Christus est homo, idem esset ac dicere; quòd sit Deus : quod est absurdum : ergo est aliquid creatum; & consequenter esse creatum, seu esse creaturam, prædicatur de Christo simpliciter.

Quanquam Christus D. sit homo formaliter, & homo sit formaliter creatura, tamen

Negat consequentiam Doctor, quia quamvis *homo* prædicetur de Christo, & homo sit creatus & creatura, non sequitur quòd Christus sit creatus aut creatura; siquidem argumentum constat quatuor terminis, quia quando dicitur quòd Christus sit homo, tunc prædicatum *homo* accipitur

Christus non est dicēdus creatura.

in concreto, ut concernit suppositum: quando A verò dicitur quòd homo sit creatura, accipitur *homo*, ut præſcindit à ſuppoſito: homo autem in concreto & homo in abſtracto ſunt duo termini: & præterea Chriſtus eſt alius terminus & etiam creatura eſt alius terminus: ergo ſunt quatuor termini in illo argumento, & ideo non poteſt valere conſequentia.

Quia quando aliquid prædicatur ſecundùm rationem concreti, non eſt conſequens quòd etiam prædicetur ſecundùm rationem abſtracti & eſſe formalis.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo ſubſumptum. Illud quod prædicatur, eſt aliquid creatum, quoad illud eſſe formale quod dicit homo, concedo: quoad materiale, nego: Quando enim prædicatur de Chriſto quòd ſit homo, prædicatum illud *homo* conſiderari poteſt vel ſecundùm ſuum eſſe formale, quatenus duntaxat ſignificat noſtram naturam humanam; vel quoad eſſe materiale, nimirum quoad eſſe ſuppoſiti divini: non ſequitur autem quòd quidquid dicitur de formali prædicato alicujus prædicati, poſſit dici ſimpliciter de ſubjecto ejuſdem; non enim rectè quis diceret de pariete qui eſt albus, quòd ſit color aut qualitas; licèt hoc dici poſſet de albedine quæ formaliter ſignificatur per album. Similiter non poſſum dicere de Petro quòd ſit tota eſſentia hominis, quamvis poſſem dicere de humanitate ſignificata per *ly homo* quod poteſt prædicari de Petro: igitur à pari, non poſſum dicere de Chriſto quòd ſit creatura, licèt id poſſit prædicari de humanitate, quam ſignificat formaliter *ly homo*, quod de Chriſto prædicatur.

Vrgebis: Chriſtus eſt homo: aut ergo increatus homo, aut creatus: non increatus, quia aliàs homo eſſet æternus, omne enim increatum æternum eſt: ergo eſt creatus; & conſequenter de eo dici poteſt quòd ſit creatus aut creatura.

VIII. Chriſtus ſecundùm ſe totum non eſt abſolutè dicendus creatus aut increatus.

Reſpondet Doctor negando ultimam conſequentiam, quia argumentum procedit à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: ſicut procederetur in hoc argumento: *Petrus eſt factus albus:* ergo *eſt factus*; nam quando dicitur quòd Petrus ſit factus albus, prædicatum *albus* diſtrahit ſignificationem quam haberet *factus*, ſi ſimpliciter & ſine addito diceretur, Petrus eſt factus: ſic enim ſignificaret quòd Petrus eſſet factus ſimpliciter: ita etiam *homo* in hac propoſitione, Chriſtus eſt creatus homo, diſtrahit ſignificationem quam haberet ly creatus, ſi ſimpliciter diceretur de Chriſto, & efficit ut ſignificet tantùm quòd Chriſtus acceperit eſſe hominis; non verò quòd acceperit eſſe creaturam ſimpliciter, ſicut reverà ſignificaretur, ſi diceretur quòd eſſet creatus abſque addito.

Reſpondeo ſecundò diſtinguendo majorem aſſumpti: Ergo increatus homo aut creatus: quantùm ad formale vel materiale quod dicit homo, concedo: quoad utrumque verò ſimul, nego. Nam materiale illius prædicati, nempe ſuppoſitum, eſt increatum; formale verò nempe humanitas, eſt quid creatum; unde quoad utrumque ſimul, neque eſt creatum tantùm, neque increatum tantùm.

Dices tandem, Chriſtus ratione corporis eſt conceptus, ſeu dicitur conceptus ex eo quòd ipſius corpus ſit conceptum: ergo pari ratione dicetur creatus, ex eo quòd ipſius anima ſit creata. Conſequentia patet: quia totum non minùs debet denominari à proprietate partis imperfectioris quàm perfectionis: igitur cùm anima præſtet corpore, Chriſtus magis denominari debet à proprietatibus animæ quàm corporis.

IX. *Negat conſequentiam* Doctor, & ejus probationem diſtinguit: Totum non magis denominari debet à proprietate partis imperfectioris, quàm perfectioris, quando nihil obeſt, concedit: quando aliquid impedit, negat. In propoſito autem aliquid obeſt; tum quia eſſe conceptum, non ſignificat quòd primum eſſe rei, quæ dicitur concepta, acceipiatur poſt non eſſe ſimpliciter ſui ipſius, ſicut iſtud ſignificat eſſe creatum; tum quia eſſe conceptum, dicitur de ſuppoſito ratione naturæ tantùm, nec per ſe & immediatè prædicari debet de ſuppoſito; eſſe verò creatum, convenit ſuppoſito ratione ſui immediatè, non minùs quàm convenit naturæ; unde non debet dici de ſuppoſito, niſi ſuppoſitum iſtud ſit reverà creatum, quæ certè Chriſti ſuppoſito non competunt.

Totum poteſt aliquādo denominari à parte minùs perfecta, non verò à perfectiori.

Conclusio Tertia.

Si hac propoſitio, Christus quatenus homo *eſt creatura, ſumatur reduplicativè, eſt apertè falſa; ſecus verò ſi ſumatur ſpecificativè.* Hæc concluſio duas habet partes: quarum primum probatur prima: Reduplicatio nunquam tollit repugnantiam extremorū, quia neque addit neque demit aliquid ab extremis, ſed proprium munus ejus, eſt denotare cauſam conjunctionis extremorum, ſeu adhæſionis prædicati cum ſubjecto: ergo iſta propoſitio, quæ ante reduplicationem erat falſa, ut diximus in præcedenti concluſione, per illam reduplicationem non poteſt fieri vera. Hoc apertè docet ſanctus Epiphanius impugnando hæreſim Arianorum, quæ eſt 59. ubi latiſſimè diſputat contra Arianos Filium Dei non eſſe creaturam appellandam: quamvis enim de eo quà Deus eſt, potiſſimùm contendat: tamen his argumentis utitur quæ ad Chriſtum ex toto pertinere videntur, & univerſè adſtruit nihil creati in Chriſto reperiri etiam quà homo eſt, *Ecquid*, ait, *prodeſſe nobis creatura poſſet, aut ad ſalutem hominum conferret, vel ad divini Verbi Incarnati gloriam, Divinitatemque perfectam? Quid, inquam, nobis profuerit, ſi creaturam illum dixerimus? Quid eſt in quo creatum aliquid creatis prodeſt, aut utilitatem afferre poſſit? Ad hæc quomodo Deus Deum creavit, & adorandum propoſuit. cùm ipſemet dixerit, Non facies tibi ſimilitudinem ullam, neque in terrâ, neque in cælo, neque adorabis illam: quomodo igitur ſibi filium creavit, adorareque juſſit? præſertim cùm Apoſtolus dicat, & ſervierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, & ſtulti facti ſunt. Stultum enim eſt creaturæ Divinitatem tribuere, ac primum legis violare mandatum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Propterea ſancta Dei Eccleſia creaturam non adorat, ſed Filium genitum, Patrem in Filio Patris vim in Spiritu ſancto.*

X. Chriſtus quatenus homo reduplicativè non poteſt dici creatura.

Vt egregiè probat S. Epiphanius.

Hîc Epiphanius videtur admittere, inquit Petavius, nulla ratione Filium Dei creaturam oportere dici, ne ut hominem quidem. Nam argumenta quæ affert, generatim hoc probant: & *creatura* nomen alienum eſſe contendit ab Incarnati Verbi gloria. Tum nihil creaturam creaturis prodeſſe dicit, aut in iis operari: Chriſtus autem homo plurimum & contulit generi humano, & in eo eſt operatus. Adorari quoque creaturam dum negat, Chriſtum hominem non eſſe creaturam indicat: quippe quem adorare fas ſit pro indiviſo, Deum ſimul & hominem: ut ſuô locô dicturi ſumus.

Probatur ſecunda pars: Specificatio habet vim teddendi propoſitionem veram, quæ antea falſa erat. Ratio eſt quia addendo vel diminuendo aliquid ab extremis, jam tollit repugnantiam illorum,

Bene verò ita nominari poſſet ſpecificativè.

ut in hoc exemplo, propositio illa, *Æthiops est albus*, absolutè est in se falsa; efficitur autem vera per hanc specificationem, *Æthiops secundùm quod habet dentes, est albus*, quia ejusmodi specificatio restringit subjectum seu assignat aliquam ejus partem in qua sit albedo, seu hoc distrahit prædicatum à toto subjecto, & illud limitat ad illam partem subjecti quæ capax est recipiendæ albedinis, nempe ad dentes; ita in proposito, propositio hæc, *Christus est creatura*, in se absolutè est falsa, sed redditur vera per hanc specificationem, Christus in quantùm homo est creatura, quia illa specificatio denotat partem, vel quasi partem hujus subjecti, id est Christum secundùm humanitatem, ad quam limitat prædicatum *creatura*. Quod certè non satis maturè Vasques, in 3. p. d. 66. c. 2. dixit Doctorem subtilem non ponderasse; nam ille non advertit Scotum ponderasse particulam illam sumptam specificativè, scilicet *in quantùm*, efficere veram propositionem: licèt sumpta reduplicativè relinquat illam falsam, si antea ex repugnantia terminorum falsa erat.

Objicies primò. Saltem ex dictis sequitur hanc propositionem esse absolutè veram: *Christus est creatura*. Probatur quia ex Aristotele 5. Physicorum textu commenti t. *Quod convenit toti secundùm partem, illud dicitur de toto*, sed v. g. totus homo sanatur, quia thorax sanatur: ergo cùm naturæ humanæ conveniat esse creaturam, sic dicetur de Christo & maximè cum determinatione illius naturæ, seu in quantùm est homo: ergo simpliciter dicitur quòd Christus est creatura secundùm quòd homo, sicut simpliciter verum est dicere quòd homo sanatur secundùm thoracem.

XI. Quod congruit alicui secundùm partem, non semper illud denominat secundùm totum.

Respondet Doctor negando consequentiam, & ad probationem dico, quòd quando opposita possunt inesse alicui toti per diversas partes, neutrum oppositorum denominat totum ex vi sermonis. Patet exemplô scuti, cujus si altera pars sit alba & alia medietas nigra, falsum erit dicere, scutum esse vel album vel nigrum simpliciter: quando verò aliquod prædicatum natum est inesse toti per aliquam partem determinatam; quia scilicet illi parti præcisè inest, tunc ex hoc quod denominat partem, sequitur quòd denominat totum; quemadmodum visio, v. g. nata est inesse animali secundùm oculos, & ideo si secundùm oculos insit de virtute sermonis, inest toti. Sic intelligi debet Aristoteles, quia enim thorax seu cor est id cui primò convenit sanitas, ideò si homo dicatur sanus secundùm thoracem, simpliciter, dici poterit sanus. Applicando hæc ad propositum dicit esse creaturam, non posse denominari de toto, non quia duntaxat oppositum æquè possit inesse Christo, atque istud prædicatum, putà esse Creatorem; sed quia, ut dictum est, nec principaliori parti, nec primo esse totius istud prædicatum convenit.

XII. Propriè dici non debet quòd Christus D. *incepit esse.*

Petes primò, an verè & propriè dici possit quòd Christus D. *incepit esse?*

Respondeo. quod etsi secundùm rigorem sermonis hæc possit esse vera simpliciter, tamen in sensu reduplicativo apparet falsa, quippe significat Christum habuisse initium durationis quod absolutè falsum est; qui enim dicitur habuisse initium durationis simpliciter, concipitur etiam habuisse illud initium secundùm suum suppositum, quod falsum est.

Nec obstat quòd *incipere esse*, conveniat humanæ naturæ, quæ per hoc nomen *homo* significatur: quia terminus in subjecto positus per reduplicationem non supponit formaliter pro natura humana, quæ incepit, sed magis materialiter pro supposito, nisi sumatur in sensu specificativo quo prædicatum incepit esse; distrahat à supposito & duntaxat enuntietur de humanitate seorsim sumpta; quô sensu intelligendi sunt S. Patres, qui cum S. Augustino Epist. 105. fatentur Christum habuisse initium; ait enim S. ille Doctor: *Antequam mundus fieret nec nos eramus, nec ipse Mediator Christus.*

XIII. Nec quòd sit *homo Deifer*.

Petes secundò, an hæc propositio sit Catholica, *Christus est homo Deifer?*

Respondeo primò, ipsam probari à plurimis Patribus; maximè verò à S. Basilio, qui in Psal. 45. ad hæc verba: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, hæc enarrat: *Fortè de carne loquitur* DEIFERA, *quæ sanctificata est per conjunctionem cum Deo*. Et in Psal. 49. enarrans hæc verba, *In idumeam extendam calceamentum meum*, ait, *calceamentum Deitatis est* DEIFERA *caro per quam in homines venit*. Similiter S. Maximus Martyr in expositione capitis 7. libri de cœlesti Hierarchia, ubi S. Dionysius Thronos appellat DEIFERAM *vim*, disputat qua ratione sancti Patres carnem Salvatoris Deiferam nominant: *Atque caro*, inquit, *secundùm substantiam & hypostasim unita est Deo Verbo: ideò carnem gestare à Patribus ipse dicitur, & carnem induisse: Quid igitur est absurdi, si & illius caro* DEIFER[A] *nominetur, tanquam Deum Verbum portans indissolubili unitione, adeò ut ipsius caro dicatur & sit propriè & ex rei veritate.*

Licèt enim aliqui è SS. Patribus videantur approbare.

Respondeo secundò hanc propositionem ut hæreticam repudiari ac damnari à nonnullis SS. Patribus. Sic illam proscribit S. Cyrillus, ut impurum impiumque dictum Nestorii lib. 1. contra ipsum & in Epistola decretoria quam cum anathematismis ad eundem Nestorium scripsit, quæ in Ephesina Synodo probata est, illius hæretici in illa proferenda voce *Deifer*, mentem sic aperit: *Sed nec illud dicimus, habitasse Verbum quod ab eo processit, in eo qui à sancta Virgine genitus est, tanquam in vulgari homine: ne* DEIFER *homo intelligatur esse Christus.* Similiter S. Joan. Damascenus lib. 3. cap. 12. eundem hæreticum exagitat his verbis; *Nestorius Deo invisus, eum quem Virgo peperit* DEIFERUM *appellare superbi est ausus; nos autem absit ut* DEIFERUM *ipsum dicamus aut cogitemus, quin potiùs incarnatum Deum.*

Tamen alii plurimi reprobant.

Non solùm autem Catholici Doctores, sed etiam hæretici, putà Apollinaristæ illam vocem respuerunt; refert enim S. Greg. Nazianzenus Epistola 52. quæ est secunda ad Cledonium, quòd Apollinaris prohibebat Christum appellari *hominem Deiferum*, sed potiùs *Deum carniferum*, vel *Deum hominiferum*: At longè aliô sensu à Doctoribus Catholicis illam vocem improbabat; orpotè qui Christum negaret esse hominem ac nihil præter carnem assumptum putaret.

Nec tamen SS Patres invicem pugnant.

Igitur illa vox omninò repudianda est eô sensu quô Nestoriani illam usurpabant: nihilominus sine ullo pietatis Catholicæ detrimento usurpata fuit à SS. Patribus ante subortam hæresim Nestorianorum, ut significarent quòd Christi humanitas erat Deifera, non quòd Deum portaret quasi aliquod onus & extraneum, sed suum ac proprium, hoc est, intimè & personaliter conjunctum, & eundem hypostaticè secum factum, ut suprà explicat S. Maximus.

Petes tertiò, utrum Christus rectè possit appellari *homo dominicus?*

XIV. Non etiam est dicendus Homo dominicus.

Respondeo primò, appellationem illam placuisse plurimis SS. Patribus; nam S. Athanasius in expositione fidei iteratò Christum appellat *hominem dominicum*. Similiter S. Epiphanius in Ancorato. *Sic*, inquit, *in carne passus est Christus, in ipso, inquam, homine* DOMINICO, *quem ipsemet effinxit è cælo veniens sanctus Deus & Verbum*. Usus est etiam eâdem appellatione pluribi S. Augustinus; maximè lib. 83. quæstionum, quæstione 36. ubi ait: *Hic præstantissimum illud & unicum exemplum* DOMINICI *hominis præponendum est*. Memorabilis etiam est de hac locutionis formula locus apud Rufinum in appendice apologiæ pro Origene quam nomine Pamphili Martyris edidit, ubi hæc " narrat, Damasus, inquit, Episcopus, cùm de re" cipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, " editionem Ecclesiasticæ fidei, cui eidem editioni, " si Ecclesiæ jungi velint, subscribere deberent, " conscribendam mandavit cuidam amico suo Pres" bytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more ne" gotium procurabat. Necessarium visum est di" ctanti in ipsa editione de Incarnatione Domini " *hominem dominicum* dici. Offensi sunt in hoc ser" mone Apollinaristæ, novitatem sermonis incur" sare cœperunt: adesse sibi cœpit, qui dictaverat, " & ex authoritate verâ Scriptorum Catholicorum " virorum, confutare eos qui impugnabant. Acci" dit ut & uni ex ipsis qui novitatem sermonis cau" sabantur, ostenderet in libello Athanasii Episco" pi scriptum esse sermonem, de quo quæstio dice" batur. Quasi suasus jam ille cui probatum fuerat, " rogavit dari sibi codicem, quò & aliis ignoran" tibus & contradicentibus satisfaceret. Acceptô " codice, inauditum excogitavit adulterationis ge" nus, locum ipsum in quo sermo iste scriptus erat, " rasit, & ipsum sermonem rursum rescripsit, " quem raserat, codex redditus simpliciter rece" ptus est. Movetur iterum pro eodem sermo" ne quæstio: ad probationem codex profertur: " invenitur sermo de quo erat quæstio, ex litura in " codice positus: fides proferenti talem codicem " derogatur, eò quòd litura illa corruptionis & " falsitatis videretur indicium. Sed quoniam (ut " iterùm eadem dicam) viventi hæc facta sunt à " vivente, continuò egit omnia, ut fraus commissi " sceletis nudaretur, ac nequitiæ macula non inno" centi viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret, sed " in Auctorem facti, atque in uberiorem ejus infamiam redundaret.

XV. Insignis hæretica vafrities.

Præfatam appellationem SS. Patres impugnant.

Verùm S. Hieronymus qui in lib. 2. *Apologia contra Rufinum* narrationem istam ridendo tepudiat, etiam dictum illud improbat, quod priùs etiam improbaverat S. Gregorius Nazianzenus qui Apollinaristas Christum *hominem dominicum* appellantes, ita suggillat in epistola 51. quæ est prima ad Cledonium: *Ne homines*, inquit, *isti decipiant, neque porrò decipiantur, asserentes mentis expertem hominem dominicum, ut ipsi vocant: vel potius Dominum ac Deum nostrum; non enim hominem à Deitate disjungimus, sed unum & eundem profitemur*. Præcipuum autem ad illam repudiandam dictionem momentum esse videtur S. Augustini authoritas, qui in 1. lib. Retractationum, cap. 19. semetipsum castigans & priorem sermonem emendans ait: *Non video utrum rectè dicatur homo dominicus qui est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, cùm sit utique Dominus. Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? & hoc quidem ut dicerem apud quosdam legi Tractatores Catholicos divinorum eloquiorum, sed ubicunque hoc dixi, dixisse me nollem. Posteà quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi*.

Maximè S. Augustinus.

Quibus verbis S. Augustinus unicam illius damnandæ locutionis affert rationem, quòd Jesus Christus non sit homo dominicus, quia totus & integer spectatus reverà homo dominicus est, ut sic enim utramque naturam signat, sive Deum & hominem. Probari tamen posset illa locutio eô sensu quòd dominicus dicatur ab humanitate considerata in abstracto, quæ sic spectata non est Dominus, sed pertinens ad Dominum. Non est autem rarum apud SS. Patres humanitatem Christi hominem dici, & pro simplicibus vel abstractis complexa nomina in usum adhiberi. Non me latet sanctum Thomam in 3. part. quæst. 16. art. 3. locutionem istam *homo dominicus* improbare hôc argumentô: *Quod*, inquit, *cùm dicitur homo Christus Iesus, designatur suppositum æternum, & quòd est persona Filii Dei. De persona autem Filii Dei prædicatur, & Dominus essentialiter: & ideò non debet prædicari denominativè, quia hoc derogat veritati unionis*. Sed qui hominem dominicum dixerunt, non personam aliquam sub vocabulo *hominis* intellexerunt: quin potiùs naturam ipsam à Domino assumptam & in communi consuetudine loquendi tam enucleata & exacta vocum proprietas observari solet, ut ad Dialecticorum vel Philosophorum trutinam exigantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De præcellentiis Christi Domini.

I. Præcipuæ humanitatis Christi D. dotes sunt gratiæ, virtutes, & scientiæ.

CHRISTUM omnibus divinis charismatibus refertum, eximiisque dotibus quas Deus homini concedere potest illustratum, nemo fidelium est qui in dubium revocet: cùm enim in ipso habitet plenitudo Divinitatis corporaliter, ut loquitur Apostolus, intimumque ac personale cum divinitate commercium ipsius humanitas habeat, certissimum est quòd ipse Deus totius excellentiæ bonique Oceanus in Christi Domini humanitatem uberrimè quidquid perfectionis est derivaverit. Non est tamen instituti præsentis ratio omnes illas hîc recensere & examinare divinas Christi dotes ac præcellentias, sed duntaxat discurrere tres præcipuas, ad quas cæteræ tanquam ad fontem & scaturiginem revocantur. Sunt autem *Gratia, Virtutes* & *Scientia*, quibus mirum in modum ornatus Christus gloriâ ac honore coronatus extitit. De quibus sigillatim agendum est in præsenti articulo tribus in sequentibus Sectionibus.

SECTIO PRIMA.

De gratia Christi.

II. Quadruplex in Christo D. gratia distinguitur.

QUADRUPLICEM in Christo gratiam agnoscunt, & communiter distinguunt Theologi, nimirum gratiam unionis ad Verbum quæ substantialis appellatur: gratiam habitualem seu sanctificantem; gratias gratis datas, & gratiam capitis. *Gratia unionis* est ipsamet unio hypostatica quæ eâ ratione dicitur gratia, quia præter ullum debitum & humanæ naturæ meritum concessa est ipsi humanitati assumptæ à Verbo. *Gratia habitualis*, est habitus supernaturalis à Deo creatus & infusus in anima, quô illa sanctificatur & Deo

Deo efficitur grata. Gratiæ *gratis datæ* sunt illa dona supernaturalia, quibus Christus illustratus est ad debitè implendum munus Legislatoris & Redemptoris. *Gratia* denique *capitis*, est ipsamet gratia habitualis Christi Domini, quatenus in illo existens, est principium sanctificandi alios, nempe Angelos & homines, quorum est caput. Quod utique quadruplex genus gratiæ declarat S. Joannes 1. cap. Gratiam quidem unionis cùm ait: *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*: gratiam autem sanctificantem & gratis datam, cùm ibidem de Christo dicit, *Vidimus eum plenum gratia & veritatis*. Plenum, inquam, gratiæ quâ sanctificabatur, & veritatis quâ alios sanctificabat. Denique gratiam capitis, cùm subdit, *De plenitudine ejus omnes nos accepimus*. De triplici priori gratiarum genere duntaxat agendum est in præsenti sectione: nam de gratia capitis erit sermo in Disputatione sequenti.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per gratiam Unionis, an verò requirat aliquod donum ab ipsa unione distinctum.

III. Duplex est sanctificatio, una à statu contrario: altera à statu privativo.

NOtandum primò, hîc non esse sermonem de justificatione, & sanctificatione à statu *contrario*, quâ quis transit à statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei. Cùm enim Christus Dominus nusquam peccaverit, ita nec sanctificari potuit hujusmodi sanctificatione, quæ fiat per transitum à statu peccati ad statum gratiæ: sed duntaxat hîc loquimur de justificatione & sanctificatione à statu privativo, quâ quis transire potest à statu purorum naturalium ad statum gratiæ; quâ utique sanctificatione absque dubio Christus sanctificatus est: licèt enim de facto nusquam sine gratia extiterit, tamen certum est quòd ejus naturalia, prioritate saltem naturæ, præsupponi debuerint ad gratiam sanctificantem. Sed difficultas est per quid formaliter Christus dicatur sanctificatus & justus.

IV. Ad justificationem tria requiruntur.

Sciendum insuper quòd ad justificationem tria desiderantur. *Primum*, quòd per illam justificationem & sanctificationem homo reddatur Deo gratus, & fiat objectum dilectionis divinæ, & eâ ratione ordinetur ad vitam æternam, & beatitudinem supernaturalem. *Secundum*, quòd per illam fiat sanctus & impollutus, non habens ullam peccati maculam. *Tertium* denique, quòd dicatur *justus*, hoc est, jus tenens ad vitam æternam; & justè se habeat in ordine ad Deum, seipsum & proximum. Certum est autem, quòd hæc tria fuerint in Christo Domino. Primò namque fuit à Deo dilectus, nam Pater æternus Matth. 3. testatur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Item fuit omni sanctitate præditus, ut testatur Angelus Virginem alloquens Lucæ 1. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quapropter prænunciatur à Daniele ut *Sanctus Sanctorum*. Tertiò denique fuit justus, hoc namque titulò promittitur à Prophetis, & ejus adventus postulatur à sanctissimis viris. Sic Isaiæ 45. *Nubes pluant Justum, &c.* Sed controvertitur apud Theologos per quid hæc tria Christo conveniant, an videlicet per aliquod donum creatum gratuitum ipsius animæ infusum: an verò per ipsam gratiam unionis: ita quòd sicut Christus erat subsistens formaliter per subsistentiam Verbi: sic etiam sanctificatus fuerit formaliter per ipsius Verbi sanctitatem.

Quæ fuerunt in Christo D.

V. Quid sit sanctitas.

Notandum secundò: Sanctitatem à S. Dionysio librò de divinis nominibus cap. 12. sic definiri: *Sanctitas est ab omni scelere libera perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas*. Quæ utique definitio convenit triplici sanctitati quam in divinis distinguunt Theologi. Est enim in Deo sanctitas *essentialis* quæ est propria ipsi divinæ essentiæ, quatenus hæc distinguitur formaliter à suis attributis: quæ etiam dicitur *radicalis*, quia essentia divina cui competit, est radix attributorum, & eorum omnium quæ illis conveniunt.

Triplex est in Deo, nimirum Essentialis.

Moralis.

Secunda potest appellari sanctitas *moralis* seu formalis, quæ nihil aliud est, quam ipsamet divinæ voluntatis rectitudo in i eo tam in amando quàm in operando liberè ad extra. Nam conformatio affectûs cum lege æterna est vera sanctitas; hinc est quòd omnia Dei opera dicuntur sancta & justa. Dicitur autem *sanctitas moralis*, quia convenit actibus voluntatis divinæ, qui respectu objectorum ad extra sunt planè liberi. *Tertia* tandem potest appellari *transcendentalis*, quâ quidquid ex propria sua ratione est divinum formaliter, etiam sanctum est; nam quidquid divinum est, maximè est purum, omnimodò incontaminatum, & immune ab omni scelere & inquinamento. Appellatur autem transcendentalis; sicut enim res seu entitas, est aliquid transcendens, conveniens omnibus quæ sunt in Deo, nihil enim in Deo est, quod non sit realiter aliquid divinum; & subinde quod non sit aliqua divina entitas, vel essentialis, vel attributalis, vel personalis: ita sanctitas illa quæ ejusmodi entitati divinæ imbibitur, dicitur transcendentalis. Hinc est quòd cùm personalitates divinæ secundùm se, sint aliquid & entitates reales, quatenus condistinguuntur ab essentia divina & attributis, hanc transcendentalem sanctitatem sibi vendicant; & ideò hæc aliô nomine rectè potest appellari *personalis*, ad distinctionem sanctitatis essentialis & moralis.

Et Transcendentalis.

VI. Tria in Verbo incarnato distinguuntur.

Notandum tertiò, in Verbo Incarnato hæc tria posse distingui. *Primum* est Divinitas seu divina essentia. *Secundum* est propria subsistentia seu ipsa Verbi personalitas, ut condistincta formaliter ab ipsa essentia divina. *Tertium* est unio personalis ipsius Verbi cum humanitate.

Multiplex Authorum sententia.

Hinc controversia est apud Theologos per quid horum Christi Domini humanitas reverà sanctificetur sanctitate substantiali. *Quidam* enim Thomistæ cum Vasque disp. 41. volunt illam sanctitatem esse petendam præcisè ab ipsa divinitate. *Nonnulli* cum Suare dist. 18. sect. 1. contendunt illam oriri ab ipso modo unionis quem ipse Suares putat esse aliquid substantiale. *Plurimi* è nostris docent illam sanctitatem personalem fieri formaliter per ipsammet personalitatem Verbi unitam humanitati. *Nos* verò extremas inter has sententias mediò tutissimi ibimus, docentes sanctitatem substantialem Christi, neque ex sola unione, neque ex Divinitate aut personalitate Verbi seorsim, sed conjunctim esse mutuandam. At quoniam nonnulli Theologi cum Paludano in 3. dist. 3. quæst. 2. non aliam sanctitatem in Christo agnoscunt, quàm quæ à gratia habituali petitur, & idcirco volunt gratiam illam sanctificantem, quâ nos formaliter justificamur, fuisse absolutè necessariam animæ Christi, ut esset sancta & grata Deo; priùs resolvendum est an anima Christi Domini seclusâ omni aliâ gratiâ, tam actuali quàm habituali, fuerit vi unionis

hypostaticæ, singulariter sancta, grata & accepta A Deo, sanctitate, & gratitudine substantiali seu personali.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Christus D. reverà erat sanctus sanctitate personali.

Anima Christi Domini seclusâ omni gratiâ tam actuali quàm habituali, reverà erat sancta, Deo grata, & accepta in ordine ad beatitudinem per sanctitatem personalem ac substantialem. Hæc est communior & tutior. Et probatur 1. authoritate Concilii Francofordiensis in epistola ad Episcopos Hispaniæ; ubi sic ait: *Christus naturâ unctus, nos per gratiam, quia in illo fuit pleni Divinitas.* Et S. Cyrillus l. 4. in Joan. cap. 29. dicit, *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos & Reges; sed quia Verbum* B *caro factum est.*

Ut docent SS. Patres.

Similiter S. Nazianzenus Oratione 4. de Theologia: *Christus igitur*, inquit, *propter humanitatem, ea enim humanitas unita est, non actu & operatione ut in aliis qui Christi nuncupantur, sed totius Unctoris præsentiâ.* Sanctus Athanasius oratione contra Arianos, ubi introducit Verbum ita loquens: *Ego sum Chrisma sicut unctio; Christus autem, sive unctus, est homo qui à me assumptus est.* Sanctus Dionysius Alexandrinus, in Epistola contra Paulum Samosatenum, ubi dicit Christum Joanni antecellere, *Quia in Ioanne erat quidem opus, labor justitia: in Iesu verò natura*; ita quòd, ut explicat Turian. Scolio 1. & 2. Christus esset Sanctus, Justus, & Unctus; non labore & C exercitatione virtutis ex gratia, sed ipsâ Deitate, quâ non poterat non esse bonus.

Et Theologica ratio probat.

Probatur insuper ratione. Unumquodque ens substantiale intellectuale ex vi hujus est sanctum & gratum Deo, ex vi cujus præcisè sumptum habet jus ad vitam æternam: sed Christus est ens substantiale intellectuale & habet jus ad vitam æternam ex vi unionis hypostaticæ præcisè sumptæ: ergo ex vi talis unionis præcisè Christus est sanctus & gratus Deo: sed hæc sanctitas est substantialis ac personalis: igitur eam Christus sibi vendicat. Major constat à simili: non enim aliâ ratione quis dicitur sanctus per gratiam habitualem, ut diximus in 2. Notabili, quam quia est Deo gratus, & jus habet ad vitam æternam. Probatur minor: Christus ex vi istius habet jus ad vitam æternam, D & est Deo gratus, ex quo habet quòd sit Filius Dei naturalis: sed id habet ex unione hypostaticâ: igitur ex illa habet quòd sit Deo gratus, & sibi jus vendicet ad vitam æternam. Major est S. Pauli ad Galat. 4. dicentis, *Quod si Filii & hæredes; hæredes quidem Dei*, ubi fundat jus ad possessionem Dei in ratione filiationis. Minor etiam constat ex dictis, ubi probavimus Christum esse Filium Dei naturalem.

Deinde. Illud est substantialiter & intrinsecè sanctum, quod intrinsecè & substantialiter constituitur ac completur per aliquid divinum; sed Christus, ut subsistens subsistentiâ Verbi, constituitur, fit & completur per illius suppositum quod E divinum est: ergo ut sic est substantialiter & intrinsecè sanctus. Minor est de fide, & fusiùs in præcedentibus à nobis est probatum. Major etiam vera apparet: Omne enim divinum sanctum est; quippe divina sanctitas non solùm in ipsam divinam essentiam, sed etiam in id omne quod in Deo est, delibatur & effluit: ergo cùm omne constitutivum suam rationem formalem conferat constituto, consequens est quòd suppositum Verbi sit substantialiter sanctum, & etiam illam sanctitatem tribuat suo constituto.

VII. Non est consequens quòd si Christus sit sanctus substantialiter, quòd pari ratione sit impeccabilis.

Dices. Si Christus sit substantialiter & intrinsecè sanctus, præcisè ex vi unionis hypostaticæ, etiam eâdem ratione erit impeccabilis: sed hæc sequela militat in doctrinam Doctoris subtilis, docentis Christi impeccabilitatem non esse reperiendam præcisè ex vi unionis hypostaticæ, sed vel ex gratia sanctificante, vel ex ratione beatitudinis qua fruebatur: igitur, &c.

Respondeo negari posse sequelam majoris: Siquidem sola sanctitas formalis, saltem inamissibilis, qualis erat sanctitas Christi, pugnat formaliter cum impeccabilitate; non autem sanctitas substantialis & personalis. Et ratio disparitatis est, quòd sanctitas personalis primò & per se respicit entitatem & rei substantiam, ad quam impeccabilitas primò & per se non spectat; quia posse peccare, voluntatis est, non autem naturæ. Quod autem entitas personalis respiciat primò entitatem rei quam sustentat, ex eo colligitur quod illa sanctitas sit sanctitas Verbi ut sustentantis & suppositantis, ac proinde ei confertur quod dicitur sustentari ac suppositari; hoc autem propriè convenit entitati & naturæ assumptæ: sanctitas verò formalis respicit primò potentiam, nempe voluntatem ad quam spectat immediatè & proximè posse vel non posse peccare; gratia enim seu charitas, quæ est forma quâ sanctificamur, recipitur primò & immediatè in voluntate: Itaque ratione hujusmodi sanctitatis personalis, nec Christus erat simpliciter impeccabilis, nec ejus actiones præcisè erant meritoriæ; quia illa sanctitas potest æquè afficere subjectum incapax peccabilitatis aut impeccabilitatis, & actionum meritoriarum; nam si Verbum assumpsisset lignum aut quamlibet aliam naturam rationis & libertatis expertem, illi tribuisset istam sanctitatem substantialem ac suppositi; neque tamen illa natura assumpta esset peccabilis aut impeccabilis, nec ratione illius sanctitatis esset elicitiva actionum meritoriarum: in natura autem intellectuali, qualis est ea quæ à Verbo revera assumpta est, sanctitas personalis tribuit impeccabilitatem, nec-non & vim merendi; non quidem de condigno & formaliter, sed de congruo & causaliter; quia nempe sanctitas substantialis per illam unionem impressam erat causa, & velut origo omnium gratiarum, quibus Christus formaliter erat sanctus & proximè impeccabilis.

Dices secundo: Non est potior ratio cur Christi suppositum humanitati conferat substantialem ac divinam sanctitatem, quàm æternitatem; immensitatem & cætera divina attributa: at ista non confert; non enim natura assumpta dicitur æterna, infinita & immensa: igitur nec sanctitatem divinam & substantialem conferre debet.

VIII. Cur potiùs Christo tribuatur divina sanctitas quàm alia attributa.

Distinguo majorem: Non est potior ratio ex parte Verbi, concedo: ex parte naturæ assumptæ, nego: Non repugnat, inquam, ex parte Verbi, quia ipsam naturam sustentando, ipsi confert id omne quod requiritur ad ejus complementum & ornatum, ad quod ipsa non habet ex se incompatibilitatem & repugnantiam, qualem reverà habet ad infinitatem, immensitatem, æternitatem; quia illa attributa ita sunt peculiaria divinæ naturæ, ut nullatenus alicui naturæ creatæ convenire possint; siquidem creata natura cùm sit ex se finita, & limitata tum in entitate, tum in duratione, habet ex se repugnantiam ut sit infinita, immensa & æterna: similem autem repugnantiam non habet ut dicatur sancta; sicut enim ex se nihil habet repugnans, ut subsistat subsisten-

ciâ divinâ, ita pariter nihil habet quô repugnet ipsi attribui sanctitatem substantialem divinam quæ ipsi supposito divino imbibitur.

Instabis: Humanitas Christi non habet majorem repugnantiam ad potentiam & scientiam divinam, quam ad divinam sanctitatem: sicut enim sanctitatis est capax, ita capax est scientiæ & potentiæ: sed non potest reddi omnipotens aut sciens propriè per omnipotentiam & scientiam Verbi: ergo nec potest dici sancta à sanctitate Verbi.

Maximè verò scientia & potentia.

Nego majorem: Quia *esse sanctum* nihil aliud hîc intelligitur, quam esse unitum alicui, ratione cujus conjunctionis resultat in unito dignitas saltem moralis & congruentiæ, ob quam dignom censeatur quòd diligatur à Deo, & sit expers peccati, & jus habeat ad beatitudinem æternam, quæ omnia non præsupponunt aliquam formam intrinsecè existentem; at esse omnipotentem & scientem non solùm significat aliquid esse conjunctum physicè cum aliquo habente scientiam aut omnipotentiam: sed insuper, ut scientia & omnipotentia intrinsecè inexistat, sive per identificationem, sive per inhærentiam: igitur inter utrumque non est paritas.

Objicies tertiò. Doctor subtilis dist. 10. n. 5. expressè dicit, *Ista negatio extraneitatis in Christo non est nisi propter gratiam habitualem Christi, quia propter illam solam habet jus in hæreditate æterna: non autem propter solam unionem personalem:* ergo non censet Doctor Christum habere aliquam sanctitatem petendam ab unione personali.

XI. Quæ fuerit Doctoris subtilis hac de re sententia.

Respondeo primò, Doctorem solùm hoc protulisse contra suammet responsionem, & ipsam replicam non solvisse, quia volebat eam aliàs examinare & solvere; unde ait, *responsionem quære:* quapropter sicut conclusio istius replicæ non est ex propria Doctoris sententia; ita nec major, onde illa propositio deducitur; absurdum enim esset quòd quoties aliquis contra suam doctrinam objectionem aliquam proponeret cujus solutionem differret, toties illa objectio censeri deberet esse ad ejus mentem; siquidem fieri posset quòd in solutionibus quas promittit, solveret istas propositiones & eas negaret.

Respondeo secundò, quod quamvis gratis admittatur Doctorem approbavisse illam doctrinam, inde tamen non sequitur eum velle quòd Christus ex vi unionis hypostaticæ præcisè non habeat jus ad vitam æternam, nec ita sit gratus Deo, ut Deus ipsi negare posset vitam æternam; sed quòd tale jus haberet ratione gratiæ habitualis, quæ suppositâ acceptatione divinâ sibi jus illud vendicaret; non quidem ratione sui, sed ratione illius divinæ acceptationis; quæ utique foret etiam necessaria, ut sanctitas personalis jus illud ex integro obtineret, ut fusiùs dicemus in tractatu de Gratia.

Objicies quartò. Si unio hypostatica ratione naturæ & personalitatis divinæ haberet vim sanctificandi, sequeretur quòd ubicumqoe adesset talis uoio, sobjectum sanctificaret & Deo gratum efficeret, nec-non & acceptum ad beatitudinem æternam: sed hoc est falsum: igitur, &c. Major patet: quod enim ex vi alicujus ponitur, semper necessariò admittitur ex positione illius à quo profluit: igitur si unio personalis Verbi haberet vim sanctificandi necessariò, illam sanctitatem conferret omni subjecto cui uniretur. Minor verò probatur: quia simpliciter & absolutè loquendo, Verbum poterat assumere naturam ali- A quam irrationalem; hæc autem est omninò incapax sanctitatis & gratitudinis supernaturalis, nam hæc soli naturæ rationali convenire possunt: igitur, &c.

X. Quæ-nam sanctitas naturæ irrationali assumptæ tribueretur.

Respondere possem primò distinguendo majorem: Si subjectum illud esset capax sanctitatis, concedo: secus, nego: quemadmodum enim licet ipsa personalitas divina quatenus afficit naturam intellectualem eam personam efficiat; non posset tamen personam efficere naturam irrationalem si illam assumeret; quia illa natura non est capax talis personalitatis: ita nec illam naturam irrationalem sanctam redderet propter similem defectum capacitatis. Quod utique confirmatur: tum quia B gratia habitualis quæ ex ratione sua alios homines quos afficit, efficit Filios Dei adoptivos; non tamen Christum filium Dei adoptivum constituit: ita similiter gratia unionis potest efficere naturam rationalē assumptam gratam & sanctam, quamvis talem non efficeret naturam irrationalem, si illam assumeret: tum quia unio hypostatica ex natura sua, confert aliquam exigentiam ad gratiam habitualem & beatitudinem: sed non conferret illam naturæ lapidis aut equi, si istam assumeret: igitur unio hypostatica potest tribuere effectum formalem uni subjecto capaci illius effectûs, quanquam eundem non tribueret omni alteri subjecto talem capacitatem non habenti. Verùm quia mox diximus num. 7. illam personalem sanctitatem C non censeri distinctam ab ipsa Verbi personalitate & subsistentia: idcirco

Respondeo secundo, distinguendo majorem: Redderet naturam assumptam eô modô sanctam quô capax est sanctitatis, concedo: aliter, nego. Cùm autem irrationalis natura non sit capax sanctitatis quæ confert jus ad beatitudinem, idcirco, si Verbum eam assumeret, non ei conferret istam sanctitatem; sed tantùm substantialem, quæ non est alia à subsistentia Verbi.

Conclusio Secunda.

XI. Substantialis sanctitas non petitur præcisè ab unione hypostat.

Sanctitas substantialis Christi Domini non petitur immediatè ex ipsa unione naturæ humanæ cum D *Verbo.*

Probatur *primò.* Unio illa non est formaliter & secundùm se aliquid substantiale & divinum, sed tantùm respectus extrinsecùs adveniens, ut probatum est in prima disputatione: sed relatio secundùm se formaliter non potest conferre sanctitatem substantialem: igitur Christi humanitas dici non potest substantialiter sanctificata per ipsam unionem.

Deinde. Modus ille substantialis in quo Suares vult consistere formaliter unionem hypostaticam, est aliquid creatum, utpotè inexistens ipsi humanitati: sed nihil creatum potest conferre sanctita- E tem substantialem: tum quia non est sanctitas per essentiam, otpotè cùm sit aliquid finitum; neque etiam per participationem, quia neque est participatio essentiæ divinæ, cui maximè convenit prædicatum sanctitatis per essentiam, nec habet necessariam connexionem cum ipsa essentia divina per modum prædicati, aut essentialis aut attributalis, aut personalis: igitur ab isto substantiali modo non potest repeti illa substantialis sanctitas.

Denique. Idcirco illa unio diceretur conferre illam substantialem sanctitatem humanitati Christi, quia ipsi uniret bonū increatum quod est substantialiter & essentialiter sanctum: At ex hac ratione

non posset dici quòd illa unio conferat ipsam sanctitatem præcisè & immediatè : sicut à simili unio gratiæ habitualis cum anima, non confert ipsa per se præcisè animæ sanctitatem, quæ non per illam unionem, sed per gratiam sanctificantem sibi adhærentem dicitur reverà ac formaliter sanctificari : igitur nec unio humanitatis Christi cum persona Verbi, quæ substantialiter facta est, potest esse ratio formalis præcisa & immediata, unde petenda sit illa substantialis sanctitas.

Objicit Suares varias authoritates SS. Patrum, ex quibus colligit Christum ut hominem formaliter ex vi ipsius gratiæ unionis fuisse absolutè & simpliciter sanctum & Deo gratum. Sic SS. Patres explicantes illud Psal. 44. *Vnxit te Deus tuus oleò lætitiæ* : & illud Isaiæ 6. ac Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, &c.* dicunt hanc unctionem quâ Christus homo fuit unctus, & à qua *Christus* est appellatus, esse ipsam Divinitatem seu Verbum, per cujus præsentiam humanitas sanctificatur. Ita Nazianzenus in priori conclusione laudatus, unde ibidem subdit, *Christum esse Divinitate delibutum, hæc enim humanitatis unctio est.* Et S. Cyrillus lib. 3. thesauri cap. 3. *Ipse*, inquit, *seipsum unxit, Divinitas enim humanitatis unctio est.* Et S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. *tunc ait unctam fuisse invisibili Deo humanam naturam, quando divina est juncta persona:* Quapropter in Enchiridio c. 40. unionem humanitatis ad Verbum *summam gratiam* appellat: igitur censent SS. Patres Christi sanctitatem esse maximè petendam ab ipsa unione humanitatis cum Verbo.

XII. Cui veritati SS. Patres non contradicunt.

Distinguo consequentiam : Censent SS. Patres illam sanctitatem esse repetendam ex parte unionis formaliter sumptæ, seu quatenus præcisè unio est, nego: materialiter sumptæ seu quatenus connotat ipsam personam Verbi, & illâ mediante divinam essentiam ipsi humanitati conjunctam, concedo: hæc enim Verbi personalitas per se immediatè illam sanctificationem confert humanitati per immediatam sui cum illa conjunctionem.

Objicies secundò : Unio hypostatica quâ unio est formaliter, & ut est quid creatum in humanitate est aliquid excellentius & perfectius gratiâ habituali; sed gratia habitualis per se immediatè sanctificat formaliter subjectum cui inest : igitur illa unio sanctificat humanitatem, non tantùm, ut conditio seu via ad sanctitatem, sed etiam per seipsam immediatè, & ut est forma vim sanctificandi obtinens, illam sanctitatem confert.

XIII. Unio hypostatica secundùm entitatem est minùs perfecta quàm gratia.

Distinguo majorem : Est aliquid perfectius secundùm se & præcisè, quatenus unio est, nego: siquidem illa unio sic spectata, est duntaxat respectus extrinsecus, qui minorem habet perfectionem quàm ipsa gratia, quæ secundùm suam entitatem præstantior est & nobilior omni respectu extrinsecô : est quid perfectius ratione personalitatis Verbi quæ dicitur uniri humanitati, concedo: unde illius dignitas non ex sua ratione formali, sed duntaxat ex parte extremorum est petenda.

Conclusio Tertia.

XIV. Non etiam est petenda illa sanctitas personalis à divinitate.

Sanctitas personalis aut substantialis non est petenda præcisè à Divinitate, nec à personalitate Verbi seorsim, sed conjunctim. Hæc conclusio tres habet partes quæ in unicam collineant.

Prima autem constat, quia Christi humanitas non potest præcisè sanctificari substantialiter immediatè per id quod sibi non confertur immediatè A conjunctum : sed Divinitas unitur duntaxat humanitati mediante personalitate; siquidem unio naturæ divinæ cum humana, est duntaxat hypostatica & personalis : igitur illa sanctificatio non fit, nisi mediante ipsâ personalitate.

Nec à subsistentia Verbi seorsim.

Secunda pars etiam constat: Personalitas enim Verbi ut formaliter à natura divina distincta, non est sanctitas nec essentialis nec formalis : ergo ut sic, non potest sanctificare Christi humanitatem. Consequentia est aperta. Antecedens probatur: Si personalitas Verbi ut formaliter ab essentia divina distincta, esset sanctitas, vel hoc ei competeret ex peculiari suo conceptu; vel ratione divi- B næ entitatis cum ipsa identificatæ : sed neutrum dici potest. Non quidem primum, non enim ulla apparet ratio cur personalitas Verbi sit potiùs sanctitas formaliter, quàm personalitas Patris aut Spiritûs sancti, vel quodlibet aliud divinum attributum. Non etiam secundum, cùm enim ipsa divina entitas non solùm personalitati Verbi, sed etiam aliis personalitatibus, nec non & omnibus divinis attributis identificetur; consequens est, quòd si ratione illius identificationis, Verbi personalitas esset formaliter sanctitas, etiam personalitates Patris & Spiritûs sancti, & quodlibet attributum divinum essent formaliter sanctitas, & sic C humanitas Christi esset sancta, non solùm à personalitate sibi immediatè unita, & a natura divinâ, sed etiam ab intellectu, à Divinitate, ab omnipotentia, & aliis attributis & perfectionibus Dei, quod est absurdum.

Confirmatur ex eo quòd relationes, divinas personas constituentes, in suo conceptu formali non dicant ullam perfectionem; quia aliàs (ut docuimus in tractatu de Trinitate) darentur in Deo tres perfectiones relativæ realiter ab invicem distinctæ; ex quo ulteriùs consequens esset, perfectiones divinas inter se comparatas inæquales esse, & cuilibet ex divinis personis aliquam perfectionem deesse, cùm una persona non habeat personalitatem alterius : sed si personalitas Verbi ex se formaliter esset sanctitas, sequeretur quòd D ipsa haberet peculiarem perfectionem à perfectione Patris distinctam : sequeretur insuper quòd in divinis personis tres essent sanctitates, sicut sunt tres personalitates, quod utique nullus Scotistarum aut Thomistarum admittet : igitur nec admittere debet personalitatem Verbi esse formaliter sanctitatem.

XV. Sed ab ipsa Divinitate mediante unione personali.

Probatur denique tertia pars, nempe quòd illa sanctitas substantialis petenda sit ab ipsa Divinitate humanitati mediâ personalitate conjuncta. Hoc namque indicant SS. Patres suprà laudati, *num.* 12. dum apertè docent humanitatem Christi sanctificari per ipsam divinitatem. Sic præci- E puè apertè loquitur S. Nazianzenus Orat. 2. in Pascha, ubi postquam adduxit figuram agni Paschalis, ita de Christo scribit : *Perfectus autem non modò propter humanitatem Divinitate delibutam, idemque effectum quòd id à quo peruncta est, atque ut audacter loquar, Divinitatis sociam*, vel secundùm aliam versionem, *simul Deum*. Itaut denotetur hominem fuisse sanctificatum in Christo, non tantùm quia fuit Divinitati sociatus, sed maximè quia fuit simul Deus & homo. Igitur illa sanctificatio maximè à Divinitate, ut hypostaticè humanitati conjuncta, petenda est.

Suffragatur etiam ratio, quia ab ipso petenda est Christi substantialis sanctitas, quod ex se formaliter & essentialiter est sanctum & sanctificativum: sed Divinitas sub conceptu naturæ divinæ

unitæ humanitati, est essentialiter & formaliter sancta & sanctificativa: igitur ab ea præcisè est petenda Christi substantialis sanctitas. Major constat: Minor pariter, natura enim divina secundùm se est essentialiter sancta, habet etiam sibi formaliter convenientem sanctitatem formalem quæ est attributum ipsi conveniens: igitur cùm illa ex se & in se habeat omnem sanctitatem vel essentialiter vel formaliter, consequens est quòd per suam unionem cum humanitate eam sanctificat; ac proinde ab illa est petenda illius humanitatis sanctificatio substantialis.

Quæ mediatio non obest quin natura humana dicatur immediatè divinitati conjuncta.

Nec refert quod Deitas non sit immediatè conjuncta humanitati, sed duntaxat mediâ personalitate: hoc enim non obstat quominus illa sanctitas personalis unionis sit sanctificativa per se ipsius humanitatis, cui tandem mediâ personalitate conjungitur. Sicut enim albificatio parietis maximè petitur ab albedine sibi conjunctâ, licèt albedo ipsi non insit, nisi mediante inhærentiâ: ita natura divina habet vim principaliorem sanctificandi humanitatem, quamvis requiratur unio ipsius cum personalitate, quæ immediatè humanitati conjungitur tanquam conditio sine qua non; sicut requiritur inhærentia albedinis parieti, ut paries fiat albus. His adde quòd personalitas Verbi non distinguatur realiter; sed tantùm formaliter ab essentia divina: unde illa mediatio unionis non obest quin divinitas immediatè immediatione reali sanctificet humanitatem; quamvis id non præstet immediatione formali.

Dices: Gratia habitualis sanctificat formaliter animam, quia illam veluti deificat, & ad divinæ naturæ consortium promovet: sed personalitas Verbi, ut formaliter à natura divina distincta, perfectiori modô humanam naturam deificat, quàm gratia habitualis; cùm illa deificet substantialiter, hæc verò accidentaliter: igitur illa sanctitas substantialis maximè petenda est à personalitate Verbi.

Distinguo majorem: Gratia habitualis sanctificat formaliter animam per quamdam divinæ naturæ participationem: Siquidem, inquit S. Petrus, *magna & pretiosa nobis Deus dona donavit per quæ efficimur consortes divinæ naturæ*, concedo: sanctificat per communicationem, aut imitationem cujuslibet perfectionis divinæ; nego: Similiter distinguo minorem: Personalitas Verbi ut formaliter à natura divina distincta, perfectiori modô deificat, quàm gratia habitualis per imitationem divinæ naturæ, ut natura est, nego: per applicationem alicujus divini, nempe personalitatis Verbi, concedo: & nego consequentiam.

XVI. Gratia habitualis est divinæ naturæ imitatio, non verò realis communicatio.

Dices secundò, Per id præcisè sanctificatur Christi humanitas, cui immediatiùs unitur: sed immediatiùs unitur subsistentiæ Verbi, quàm naturæ divinæ; siquidem huic duntaxat mediâ personalitate conjungitur: ergo Christi humanitas magis principaliter & immediatiùs sanctificatur per personalitatem Verbi quàm per naturam.

Distinguo majorem, Si illud cui immediatiùs unitur sit formaliter sanctitas, aut habeat sanctitatem formaliter, concedo: secùs, nego: Unde cùm personalitas Verbi ex se formaliter non sit sancta, nec habeat sanctitatem divinam sibi formaliter, sed duntaxat realiter convenientem, inde est quòd ipsa præcisè non habeat vim sanctificandi seorsim à Divinitate, sed tantùm conjunctim.

XVII. Personalitas divina non est sancta formaliter, sed tantùm realiter.

Dices tertiò, Illud immediatè sanctificat humanitatem Christi, quod ipsâ sui communicatione sic eam elevat ad esse divinum, ut sit ei positivè prima radix fundans in ea jus aliquod beatitudinis supernaturalis obtinendæ (sic enim gratia habitualis, quia in nobis, & in Angelis est positivè prima radix vitæ æternæ obtinendæ; lumen verò gloriæ illam supponit) nos & Angelos sanctificat: atqui personalitas Verbi ut condistincta virtualiter à divina essentia, ita est immediatè unita humanitati, ut vi ipsius immediatæ unionis sit ei positivè prima radix fundans in ea jus aliquod obtinendæ beatitudinis supernaturalis: hæc enim, ut infra docebitur, fuit ei debita positivè ex vi unionis istius: & si per impossibile, personalitas Verbi divini esset distincta realiter ab essentia divina, & nihilominus facta fuisset unio humanitatis ad Verbum divinum, quô altiùs non potest sublimari, haberet aliquod jus ad vitam æternam: igitur personalitas Verbi ut condistincta ab essentia divina, est quasi forma sanctificans immediatè, & formaliter humanitatem Christi Domini.

Unde ex se præcisè non confert jus proximum ad beatitudinem.

Distinguo majorem: Si illud quod naturam elevat ad esse divinum, sit ex se aut essentialiter, aut formaliter sanctum, & conferat jus aliquod proximum ad beatitudinem supernaturalem, concedo: si sit duntaxat sanctum sanctitate transcendentali & tantùm conferat jus remotum & inchoatum ad illam beatitudinem, nego; & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: siquidem suppositum Verbi non habet ex se sanctitatem formalem, sed duntaxat transcendentalem, neque ex se præcisè confert jus ad beatitudinem, sed tantùm cum divina natura quæ ipsô mediante, unita humanitati, ei tribuit jus completum ad beatitudinem obtinendam.

Quia habet duntaxat sanctitatem transcendentalem, non verò formalem.

Instabis. Quidquid ex se divinum est, formaliter sanctum est & sanctificativum: sed personalitas Verbi ex se & ut condistincta à Divinitate, est aliquid divinum: igitur etiam ex se formaliter est sancta & sanctificativa.

Distinguo majorem: Est formaliter sanctum & sanctificativum eâ sanctitate, quam sibi vendicat, concedo: omni aliâ sanctitate, nego. Minorem etiam distinguo. Suppositum Verbi est sanctum sanctitate formali, nego; sanctitate transcendentali, concedo: igitur potest equidem ex se præcisè conferre humanitati sanctitatem transcendentalem, sed hæc non est sufficiens ut habeat jus ad beatitudinem.

XVIII. Hinc fortè non adoratur propter se & in abstracto: sed duntaxat ratione divinæ naturæ cui identificatur.

Urgebis: Illud est præcisè & formaliter sanctum sanctitate formali, quod secundùm se adorari potest absolutâ adoratione Latriæ; quia tunc adoratur tantùm propter suam excellentiam pecularem & sanctitatem propriam: at personalitas Verbi divini ut condistincta formaliter à divina essentia adorabilis est absolutâ adoratione Latriæ, ut docet Ecclesia, dum in Præfatione Missæ de S. Trinitate sic canit. *Ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.* Quibus verbis significat adorationem Latriæ deberi personalitatibus divinis ut condistinctis ab essentia, sicut debetur deitati, ut condistinctæ à personalitatibus.

Distinguo majorem: Quod ut sic adoratur adoratione Latriæ propter se præcisè & in abstracto, nego: propter se & propter divinam naturam sibi realiter identificatam, & ut accipitur in concreto, hoc est quatenus connotat non solùm personalitatem, sed etiam naturam divinam cum ipsa

personalitate constituentem personam divinam, concedo: & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Nec enim Ecclesia præfatis verbis significat personalitates divinas in abstracto sumptas, esse præcisè sic adorabiles, sed tantùm docet quòd in Deo summè adorando sit unica essentia in tribus Personis subsistens, quæ idcircò in Majestate pares sunt & æquales. *Vel* si contendas Ecclesiam intelligendam esse de Personalitatibus, ut in abstracto acceptis, neganda erit major; non enim necessium est, ut id quod est secundùm se adorabile adoratione Latriæ absolutæ, sit formaliter sanctum, & vim habeat conferendi jus ad beatitudinem ex se præcisè, & seorsim à quolibet alio, sed ad id sufficit quòd habeat sanctitatem transcendentalem, quæ in eo omni quod divinum est delibatur.

Quæstio II.

Vtrum in anima Christi fuerit gratia habitualis; & ad quid necessaria?

I.
Quid sit gratia habitualis.

NOtandum primò: Nomine *gratia habitualis* significari qualitatem illam supernaturalem animæ divinitùs infusam & inhærentem, eamque non solùm sanctificantem & efficientem dignam quæ diligatur à Deo, & ab ipso acceptetur, & ordinetur ad beatitudinem æternam: sed etiam elevetur ad statum & gradum supernaturalem, ut illius ope & concursu possit anima supernaturales actus ac æternæ vitæ meritorios elicere. Hinc varios ob fines illa gratia censetur esse utilis & necessaria. *Primò* quidem, ut sanctitatem formalem conferat. *Secundò*, ut anima connaturaliter & ex comprincipio supernaturali sibi inexistente ac ipsam ad statum supernaturalem sublimante, possit actus supernaturales connaturaliter edere. *Tertiò*, denique, ut vitam æternam tanquam præmium supernaturale possit etiam connaturaliter promereri. Quæritur autem an ad hunc triplicem effectum gratia habitualis fuerit in Christo necessaria.

Et ob quos fines concedatur.

II.
Qualiter formalis sanctitas à personali differat.

Notandum secundò: Sanctitatem *formalem* in hoc à *personali* distingui, quòd *personalis* subjecto insit, & conveniat ex præcisa ratione unionis hypostaticæ & personalitatis ac subsistentiæ per quam divina natura, quæ est totius sanctitatis fons & origo, unitur humanæ: Sanctitas autem *formalis*, est quâ subjectum quod denominatur sanctum, tale dicitur propter aliquam formam sibi intrinsecè inhærentem, & quatenus per istam formam tanquam per quoddam principium sibi inexistens, redditur potens elicere actus supernaturales divinæ dilectionis. Differunt *secundò*, quia una substantialis est & infinita, saltem ratione principii: altera verò accidentalis, creata & limitata; fit enim per gratiam habitualem, quæ est qualitas. *Tertiò*, sanctitas personalis afficit naturam humanam per modum termini; taliter enim ipsi conjungitur, qualiter ipsa divina natura divinaque personalitas, ex qua petitur. Constat autem ex dictis, naturam divinam non uniri humanitati formaliter, seu per modum formæ aut compartis, cujus divinitas est omnino incapax; sed mediante personalitate Verbi, quæ gerit vices suppositi creati, terminando communicationem & dependentiam illius humanitatis. *Accidentalis* verò afficit per modum formæ.

Et in quibus cum ea conveniat.

Hæc autem utraque sanctitas, *Primò* convenit in eo quòd utraque reverà sit realis & intrinsecè unita ipsi humanitati, mediante personalitate Verbi: formalis verò fit per gratiam sanctificantem, quæ est vera & realis qualitas inhærens animæ, quam formaliter sanctificat. *Secundò*, conveniunt istæ duæ sanctitates, quòd ipsum subjectum elevent ad aliquod esse divinum & supernaturale; personalis quidem ad esse supernaturale Verbi, quatenus per illam homo est Deus & naturalis Filius Dei: posterior verò ad esse divinum per participationem, ut dicemus in tractatu de gratia. Hinc controversia est apud Theologos, an gratia sanctificans fuerit Christo necessaria, ut fieret & denominaretur formaliter sanctus? an verò duntaxat, ut volunt Thomistæ, ad completam illius sanctificationem & ad operandum connaturaliter in ordine gratiæ?

III.
Actus meritorii sunt supernaturales vel quoad substantiam vel quoad modum.

Notandum tertiò, actus meritorios alios esse supernaturales *quoad suam entitatem*, ut est dilectio Dei super omnia tanquam Authoris gratiæ & gloriæ; alios verò tantùm *quoad modum*, qui scilicet sunt equidem naturales secundùm suam entitatem, sed quia ordinantur in finem supernaturalem, & fiunt ab homine existente in gratia, hâc ratione dicuntur supernaturales, putà dare eleemosynam propter Christum. *Insuper* advertendum est, actum supernaturalem quantùm ad substantiam, posse concipi produci duobus modis: nimirum vel modô connaturali, vel modô supernaturali. Dicitur produci *connaturaliter*, quando elicitur à principio intrinseco permanenter inhærente principiô vitali, quod est elicitivum talis actûs, ratione cujus adjuncti comprincipii, vitale principium corroboratur, & complerur ultimò illius virtus ad exercendos tales actus. Dicitur autem produci *supernaturaliter*, quando elicitur per aliquod supernaturale auxilium actuale, seu transiens, corroborans ipsam potentiam, vel per aliquid aliud, quod suppleat vices illius auxilii; putà uberiorem Dei concursum.

Actus supernaturalis quoad substantiã producitur duobus modis.

Status quæstionis.

His ita præmissis tria veniunt resolvenda. *Primum*, an reverà Christus habuerit gratiam habitualem. *Secundum*, an eâ opus habuerit, ut fieret formaliter & completè sanctus. *Tertium*, an illa fuerit ei necessaria ut eliceret actus supernaturales & meritorios.

Conclusio Prima.

IV.
Christus D. habuit gratiam habitualem.

ANima Christi D. reverà illustrata fuit gratiâ habituali. Hæc est communis inter Theologos; quamvis enim aliqui affirment humanitatem Christi sanctificatã fuisse formaliter per unionem hypostaticam; nullus tamen est, qui negaverit illam etiam sanctificari per gratiam. Probant aliqui conclusionem variis Scripturæ sacræ textibus, ex quibus duntaxat unum aut alterum veritatem hanc apertiùs evincentem profero. Primum quidem illud Isaiæ 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum Spiritus Domini*: quô loci per particulam *Spiritùs Domini*, intelligitur permanentia gratiæ in Christo, ut explicat S. Cyrillus initio libri 2. in Isaïam. Confirmat eandem veritatem Propheta cap. 61. ubi loquens in persona Christi, ait: *Spiritus Domini super me eò quòd unxerit Dominus me*, quæ utique verba de se vaticinata fuisse docuit ipsemet Christus Lucæ 4. & hunc sensum referunt, ideò Spiritus Domini per donum gratiæ habitualis inest Christo, quia ipse per unionem hypostaticam unctus est gratiâ substantiali & increatâ.

Ut Scriptura S. testatur.

Probatur item eadem veritas ex cap. 1. S. Joannis ubi de Verbo Incarnato dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.* Ubi plenitudo gratiæ haud dubiè intelligenda est de gratia creata, eaque habituali & perseveranti: Statim enim subditur: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus:* nam quod accipitur de plenitudine alicujus fontis, debet esse ejusdem conditionis quoad entitatem cum aliquo ex iis quæ implent fontem, ut patet in aqua à fonte derivata, quæ est ejusdem naturæ cum ipsa, quæ ab ipso fonte immediatè profluit: at plenitudo gratiæ Christi, de qua omnes accipimus, est ad modum fontis (ut explicabimus in Tractatu de gratia:) ex isto fonte non solùm gratias actuales, sed etiam gratiam sanctificantem & permanentem accepimus. Quapropter Christus toties in Scripturis sacris dicitur *nostra justificatio & nostra justitia:* igitur sicut nostra sanctificatio & justificatio est creata, & habitualis, ac perseverans, ita etiam gratia illa, quæ est in Christo tanquam in fonte, à quo nostra efluit, debet esse creata & habitualis.

Nec valet reponere cum Erasmo & Caietano, verba illa, *plenum gratia & veritatis*, non esse construenda cum istis antecedentibus, *& Verbum caro factum est, & vidimus gloriam ejus, &c.* sed cum his sequentibus: *Ioannes testimonium perhibet,*

V. Qualiter sint intelligenda hæc verba plenum gratia, &c. quia inquiunt, in Græcis Codicibus particula πλήρης, hoc est *plenus* est masculini generis & nominativi casûs, sicut & hæc *Ioannes*, cùm tamen deberet esse accusativi casus si referretur ad illud *Verbum caro factum est*, ut indicat hæc particula verbalis *vidimus*. Hoe inquam non obstat, nam Græci & Latini Codices, imò & communis usus totius Ecclesiæ Latinæ, quô in fine Missæ Evangelium S. Joannis recitator, inserunt illa verba post citata, plenum gratiæ & veritatis: igitur censent illa non spectare ad proximè succedentia, sed ad antecedentia, & consequenter ad Verbum Incarnatum. *Deinde* verba illa intelligenda sunt de eo, de cujus plenitudine omnes homines paulò pôst dicuntur accepisse; sic enim plenitudo & ejus redundantia sibi invicem correspondent: at non dicimur accepisse de plenitudine S. Joannis Baptistæ, sed de plenitudine Christi: igitur illa verba *plenum gratia & veritatis* dicuntur de Verbo incarnato.

Nec favet Caietano & Erasmo, quòd vocabulum πλήρης sit in masculino genere & nominativo casu, nam λόγος quod Latinè dicitur Verbum, Græcè est masculini generis; & hæc verba *vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre*, leguntur per parenthesim, unde sicut ibi *Verbum*, Græcè λόγος est masculini generis & nominativi casûs, ita & hoc ejus adjectivum πλήρης: quasi esset hic sensus Verbum caro factum est, quod est plenum gratiæ; & vidimus gloriam ejus, &c.

VI. SS. Patres docent. *Confirmatur* ex S. Augustino lib. 15. de Trinitate, cap. 26. ubi præfata verba S. Joannis de gratia creata sanctificante à Christo accepta interpretatur, ait enim: *Dominus ipse Iesus non solùm Spiritum sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; & propterea dictus est plenus gratiâ, quia unxit eum Deus Spiritu sancto; non utique oleò visibili, sed donô gratiæ, quod visibili significatur unguentô, quô baptizatos ungit Ecclesia;* Quibus verbis significat Christum habuisse gratiam creatam & habitualem. Sed apertissimè hanc veritatem docet S. Bernardus homilia 4. super *Missus est*, ubi ait: *Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem;* quibus distinguit sanctificationem duplicem in Christo, unam quæ fit per unionem hypostaticam, & alteram quæ fit per Spiritûs sanctificationem; quæ utique alia non est quam quæ fit per gratiam sanctificantem, creatam, & habitualem.

Probatur item ratione. Ubi est conformitas sanctitatis, ibi debet esse paritas gratiæ sanctificantis, quæ sit fundamentum talis conformitatis: atqui inter Christum & Prædestinatos, est conformitas sanctitatis, juxta illud S. Pauli ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus;* Igitur cùm forma sanctificans Prædestinatos, sit aliquid perseverans, etiam & gratia Christi talis esse debet.

Deinde. Id omne perfectionis quod competit tam Angelis quam hominibus justis, non est negandum animæ Christi: maximè dum illam illustrat, nec dedecet statum & gloriam Incarnationis: sed gratia sanctificans quæ tribuitur Angelis & hominibus, maximè confert ad pulchritudinem & perfectionem supernaturalem animæ, nec ullam habet repugnantiam cum unione hypostatica; hæc enim primò & per se dicit tantùm oppositionem cum propria subsistentia humanitatis assumptæ, quæ est aliquid omninò distinctum à gratia habituali: igitur illa non est Christo deneganda.

Denique præter physicam unionem humanitatis ad Verbum, oportuit ut anima Christi etiam uniretur Deo per cognitionem & amorem supernaturalem: sed ad connaturalem illorum actuum elicitionem. (qualis animam Christi decebat) necessaria fuit gratia habitualis, ut docebimus in sequentibus: ergo talem gratiam habuit.

Dices primò. Quidquid est incapax filiationis adoptivæ, etiam est incapax gratiæ habitualis: sed Christus est incapax filiationis adoptivæ: igitur, &c. Minor patet ex dictis. Major similiter constat; nam esse filium adoptivum, est formalis effectus gratiæ habitualis, ut indicat Apostolus ad Rom. 8. & docet Concilium Trid. Sessione 6. cap. 10. dum definit justificationem (cujus formalis causa est gratia habitualis) translationem à statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei: sed forma nequit esse in subjecto sine suo effectu formali: ergo nec gratia habitualis in Christo, nisi esset ejus filius adoptivus.

VII. Filiatio adoptiva est tantùm secundarius effectus gratiæ habitualis; ac proinde ab ea separari potest. *Nego majorum*, & ad ejus probationem distinguo majorem. Esse filium adoptivum est effectus formalis primarius gratiæ habitualis, nego: secundarius, concedo: & sic distinctâ minore, nego consequentiam: quamvis enim non possit separari effectus alicujus formæ à subjecto cui forma illa communicatur, tamen separari potest ab ea effectus secundarius, ut patet in quantitate afficiente Corpus Christi Domini, cujus effectus primarius est extendere partes extra partes, in ordine ad se: secundarius verò illas extendere in ordine ad locum; in sacramento autem altaris, Christi Domini corpus habet quidem primarium illum effectum quantitatis, non verò secundarium. Quòd autem filiatio adoptiva sit duntaxat effectus secundarius gratiæ habitualis, constat; quia gratia habitualis est forma quædam absoluta, cùm sit qualitas permanens; adoptiva autem filiatio divina est de genere relationum: at nulla relatio est primarius & formalis effectus alicujus qualitatis permanentis, sed so-

personalitate constituentem personam divinam, concedo: & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Nec enim Ecclesia præfatis verbis significat personalitates divinas in abstracto sumptas, esse præcisè sic adorabiles, sed tantùm docet quòd in Deo summè adorando sit unica essentia in tribus Personis subsistens, quæ idcircò in Majestate pares sunt & æquales. *Vel* si contendas Ecclesiam intelligendam esse de Personalitatibus, ut in abstracto acceptis, neganda erit major; non enim necessium est, ut id quod est secundùm se adorabile adoratione Latriæ absolutæ, sit formaliter sanctum, & vim habeat conferendi jus ad beatitudinem ex se præcisè, & seorsim à quolibet alio, sed ad id sufficit quòd habeat sanctitatem transcendentalem, quæ in eo omni quod divinum est delibatur.

Quæstio II.

Utrum in anima Christi fuerit gratia habitualis; & ad quid necessaria?

I.
Quid sit gratia habitualis.

NOtandum primò: Nomine *gratiæ habitualis* significari qualitatem illam supernaturalem animæ divinitùs infusam & inhærentem, eamque non solùm sanctificantem & efficientem dignam quæ diligatur à Deo, & ab ipso acceptetur, & ordinetur ad beatitudinem æternam: sed etiam elevetur ad statum & gradum supernaturalem, ut illius ope & concursu possit anima supernaturales actus ac æternæ vitæ meritorios elicere. Hinc varios ob fines illa gratia censetur esse utilis & necessaria. *Primò* quidem, ut sanctitatem formalem conferat. *Secundò*, ut anima connaturaliter & ex comprincipio supernaturali sibi inexistente ac ipsam ad statum supernaturalem sublimante, possit actus supernaturales connaturaliter edere. *Tertiò*, denique, ut vitam æternam tanquam præmium supernaturale possit etiam connaturaliter promereri. Quæritur autem an ad hunc triplicem effectum gratia habitualis fuerit in Christo necessaria.

Et ob quos fines concedatur.

II.
Qualiter formalis sanctitas à personali differat.

Notandum secundò; Sanctitatem *formalem* in hoc à *personali* distingui, quòd *personalis* subjecto insit, & conveniat ex præcisa ratione unionis hypostaticæ & personalitatis ac subsistentiæ per quam divina natura, quæ est totius sanctitatis fons & origo, unitur humanæ: Sanctitas autem *formalis*, est quâ subjectum quod denominatur sanctum, tale dicitur propter aliquam formam sibi intrinsecè inhærentem, & quatenus per istam formam tanquam per quoddam principium sibi inexistens, redditur potens elicere actus supernaturales divinæ dilectionis. Differunt *secundò*, quia una substantialis est & infinita, saltem ratione principii: altera verò accidentalis, creata & limitata; fit enim per gratiam habitualem, quæ est qualitas. *Tertiò*, sanctitas personalis afficit naturam humanam per modum termini; taliter enim ipsi conjungitur, qualiter ipsa divina natura divinaque personalitas, ex qua petitur. Constat autem ex dictis, naturam divinam non uniri humanitati formaliter, seu per modum formæ aut compartis, cujus divinitas est omnino incapax; sed mediante personalitate Verbi, quæ gerit vices suppositi creati, terminando communicationem & dependentiam illius humanitatis. *Accidentalis* verò afficit per modum formæ.

Et in quibus cum ea conveniat.

Hæc autem utraque sanctitas, *Primò* convenit in eo quòd utraque reverà sit realis & intrinsecè unita ipsi humanitati, mediante personalitate Verbi: formalis verò fit per gratiam sanctificantem, quæ est vera & realis qualitas inhærens animæ, quam formaliter sanctificat. *Secundò*, conveniunt istæ duæ sanctitates, quòd ipsum subjectum elevent ad aliquod esse divinum & supernaturale; personalis quidem ad esse supernaturale Verbi, quatenus per illam homo est Deus & naturalis Filius Dei: posterior verò ad esse divinum per participationem, ut dicemus in tractatu de gratia. Hinc controversia est apud Theologos, an gratia sanctificans fuerit Christo necessaria, ut fieret & denominaretur formaliter sanctus? an verò duntaxat, ut volunt Thomistæ, ad completam illius sanctificationem & ad operandum connaturaliter in ordine gratiæ?

III.
Actus meritorii sunt supernaturales vel quoad substantiam vel quoad modum.

Notandum tertiò, actus meritorios alios esse supernaturales *quoad suam entitatem*, ut est dilectio Dei super omnia tanquam Authoris gratiæ & gloriæ; alios verò tantùm *quoad modum*, qui scilicet sunt equidem naturales secundùm suam entitatem, sed quia ordinantur in finem supernaturalem, & fiunt ab homine existente in gratia, hâc ratione dicuntur supernaturales, putà dare eleemosynam propter Christum: *Insuper* advertendum est, actum supernaturalem quantùm ad substantiam, posse concipi produci duobus modis: nimirum vel modô connaturali, vel modô supernaturali. Dicitur produci *connaturaliter*, quando elicitur à principio intrinseco permanenter inhærente principiô vitali, quod est elicitivum talis actûs, ratione cujus adjuncti comprincipii, vitale principium corroboratur, & completur ultimò illius virtus ad exercendos tales actus. Dicitur autem produci *supernaturaliter*, quando elicitur per aliquod supernaturale auxilium actuale, seu transiens, corroborans ipsam potentiam, vel per aliquid aliud, quod suppleat vices illius auxilii; putà uberiorem Dei concursum.

Actus supernaturalis quoad substantiam producitur duobus modis.

His ita præmissis tria veniunt resolvenda. *Primum*, an reverà Christus habuerit gratiam habitualem. *Secundum*, an eâ opus habuerit, ut fieret formaliter & completè sanctus. *Tertium*, an illa fuerit ei necessaria ut eliceret actus supernaturales & meritorios.

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

IV.
Christus D. habuit gratiam habitualem.

ANima Christi D. reverà illustrata fuit gratiâ habituali. Hæc est communis inter Theologos; quamvis enim aliqui affirment humanitatem Christi sanctificatã fuisse formaliter per unionem hypostaticam; nullus tamen est, qui negaverit illam etiam sanctificari per gratiam. Probant aliqui conclusionem variis Scripturæ sacræ textibus, ex quibus duntaxat unum aut alterum veritatem hanc apertiùs evincentem profero. Primum quidem illud Isaiæ 11. ubi dicitur de Christo, *Requiescet super eum Spiritus Domini*: quò loci per particulam *Spiritûs Domini*, intelligitur permanentia gratiæ in Christo, ut explicat S. Cyrillus initio libri 2. in Isaïam. Confirmat eandem veritatem Propheta cap. 61. ubi loquens in persona Christi, ait: *Spiritus Domini super me eò quòd unxerit Dominus me*, quæ utique verba de se vaticinata fuisse docuit ipsemet Christus Lucæ 4. & hunc sensum referunt, ideò Spiritus Domini per donum gratiæ habitualis inest Christo, quia ipse per unionem hypostaticam unctus est gratiâ substantiali & increatâ.

Ut Scriptura S. testatur.

Probatur item eadem veritas ex cap. 1. S. Joannis ubi de Verbo Incarnato dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.* Ubi plenitudo gratiæ haud dubiè intelligenda est de gratia creata, eaque habituali & perseveranti: Statim enim subditur: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus:* nam quod accipitur de plenitudine alicujus fontis, debet esse ejusdem conditionis quoad entitatem cum aliquo ex iis quæ implent fontem, ut patet in aqua à fonte derivata, quæ est ejusdem naturæ cum ipsa, quæ ab ipso fonte immediatè profluit: at plenitudo gratiæ Christi, de qua omnes accipimus, est ad modum fontis (ut explicabimus in Tractatu de gratia:) ex quo fonte non solùm gratias actuales, sed etiam gratiam sanctificantem & permanentem accepimus. Quapropter Christus toties in Scripturis sacris dicitur *nostra justificatio & nostra justitia:* igitur sicut nostra sanctificatio & justificatio est creata, & habitualis, ac perseverans, ita etiam gratia illa, quæ est in Christo tanquam in fonte, à quo nostra efluit, debet esse creata & habitualis.

Nec valet reponere cum Erasmo & Caïetano, verba illa, *plenum gratia & veritatis*, non esse construenda cum istis antecedentibus, *& Verbum caro factum est, & vidimus gloriam ejus, &c.* sed cum his seqentibus: *Ioannes testimonium perhibet*, quia inquiunt, in Græcis Codicibus particula πλήρης, hoc est *plenus* est masculini generis & nominativi casûs, sicut & hæc *Ioannes*, cùm tamen deberet esse accusativi casus si referretur ad illud *Verbum caro factum est*, ut indicat hæc particula verbalis *vidimus*. Hoc inquam non obstat, nam Græci & Latini Codices, imò & communis usus totius Ecclesiæ Latinæ, quô in fine Missæ Evangelium S. Joannis recitatur, inserunt illa verba post citata, plenum gratiæ & veritatis: igitur censent illa non spectare ad proximè succedentia, sed ad antecedentia, & consequenter ad Verbum Incarnatum. *Deinde* verba illa intelligenda sunt de eo, de cujus plenitudine omnes homines paulò pòst dicuntur accepisse; sic enim plenitudo & ejus redundantia sibi invicem correspondent: at non dicimur accepisse de plenitudine S. Joannis Baptistæ, sed de plenitudine Christi: igitur illa verba *plenum gratia & veritatis* dicuntur de Verbo incarnato.

V. Qualiter sint intelligenda hæc verba *plenum gratia, &c.*

Nec favet Caïetano & Erasmo, quòd vocabulum πλήρης sit in masculino genere & nominativo casu, nam λόγος quod Latinè dicitur Verbum, Græcè est masculini generis; & hæc verba *vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre*, leguntur per parenthesim, unde sicut ibi *Verbum*, Græcè λόγος est masculini generis & nominativi casûs, ita & hoc ejus adjectivum πλήρης: quasi esset hic sensus Verbum caro factum est, quod est plenum gratiæ; & vidimus gloriam ejus, &c.

VI. SS. Patres docent.

Confirmatur ex S. Augustino lib. 15. de Trinitate, cap. 26. ubi præfata verba S. Joannis de gratia creata sanctificante à Christo accepta interpretatur, ait enim: *Dominus ipse Iesus non solùm Spiritum sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; & propterea dictus est plenus gratiâ, quia unxit eum Deus Spiritu sanctô; non utique oleô visibili, sed donò gratiæ, quod visibili significatur unguentò, quô baptizatos ungit Ecclesia;* Quibus verbis significat Christum habuisse gratiam creatam & habitualem. Sed apertissimè hanc veritatem docet S. Bernardus homilia 4. super *Missus est*, ubi ait: *Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionem;* quibus distinguit sanctificationem duplicem in Christo, unam quæ fit per unionem hypostaticam, & alteram quæ fit per Spiritûs sanctificationem; quæ utique alia non est quam quæ fit per gratiam sanctificantem, creatam, & habitualem.

Probatur item ratione. Ubi est conformitas sanctitatis, ibi debet esse paritas gratiæ sanctificantis, quæ sit fundamentum talis conformitatis: atqui inter Christum & Prædestinatos, est conformitas sanctitatis, juxta illud S. Pauli ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri Imagini Filii sui, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus;* Igitur cùm forma sanctificans Prædestinatos, sit aliquid perseverans, etiam & gratia Christi talis esse debet.

Deinde. Id omne perfectionis quod competit tam Angelis quàm hominibus justis, non est negandum animæ Christi: maximè dum illam illustrat, nec dedecet statum & gloriam Incarnationis: sed gratia sanctificans quæ tribuitur Angelis & hominibus, maximè confert ad pulchritudinem & perfectionem supernaturalem animæ, nec ullam habet repugnantiam cum unione hypostatica; hæc enim primò & per se dicit tantùm oppositionem cum propria subsistentia humanitatis assumptæ, quæ est aliquid omninò distinctum à gratia habituali: igitur illa non est Christo deneganda.

Denique præter physicam unionem humanitatis ad Verbum, oportuit ut anima Christi etiam uniretur Deo per cognitionem & amorem supernaturalem: sed ad connaturalem illorum actuum elicitionem, (qualis animam Christi decebat) necessaria fuit gratia habitualis, ut docebimus in sequentibus: ergo talem gratiam habuit.

Dices primò. Quidquid est incapax filiationis adoptivæ, etiam est incapax gratiæ habitualis; sed Christus est incapax filiationis adoptivæ: igitur, &c. Minor patet ex dictis. Major similiter constat; nam esse filium adoptivum, est formalis effectus gratiæ habitualis, ut indicat Apostolus ad Rom. 8. & docet Concilium Trid. *Sessione 6. cap. 10.* dum definit justificationem (cujus formalis causa est gratia habitualis) translationem à statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei: sed forma nequit esse in subjecto sine suo effectu formali: ergo nec gratia habitualis in Christo, nisi esset ejus filius adoptivus.

VII. Filiatio adoptiva est tantùm secundarius effectus gratiæ habitualis; ac proinde ab ea separari potest.

Nego majorem, & ad ejus probationem distinguo majorem. Esse filium adoptivum est effectus formalis primarius gratiæ habitualis, nego: secundarius, concedo: & sic distinctâ minore, nego consequentiam: quamvis enim non possit separari effectus alicujus formæ à subjecto cui forma illa communicatur, tamen separari potest ab ea effectus secundarius, ut patet in quantitate afficiente Corpus Christi Domini, cujus effectus primarius est extendere partes extra partes, in ordine ad se: secundarius verò illas extendere in ordine ad locum; in sacramento autem altaris, Christi Domini corpus habet quidem primarium illum effectum quantitatis, non verò secundarium. Quòd autem filiatio adoptiva sit duntaxat effectus secundarius gratiæ habitualis, constat; quia gratia habitualis est forma quædam absoluta, cùm sit qualitas permanens; adoptiva autem filiatio divina est de genere relationum: at nulla relatio est primarius & formalis effectus alicujus qualitatis permanentis, sed se-

tummodò resultat ad positionem illius in subjecto capaci: Primarius itaque & formalis effectus gratiæ habitualis est reddere suum subjectum gratũ Deo gratitudine formali & inhærente, ad quem effectum divina filiatio adoptiva sequitur, ubi & quando subjectum, quod hæc gratia afficit, est capax filiationis adoptivæ. Unde cùm Christus, pro eo instanti, quò gratia habitualis fuit illi infusa, fuerit incapax divinæ filiationis adoptivæ; quia per gratiam unionis jam erat Dei Filius naturalis: naturalis autem filiatio habet oppositionem cum adoptiva; hinc est quòd habitualis gratia non potuit conferre Christo illam filiationem adoptivam.

Dices secundò: Qui Deus est per essentiam, non potest esse Deus per participationem: at si Christus habuisset præter gratiam unionis, etiam gratiam habitualem creatam, fuisset Deus per essentiam ratione unionis hypostaticæ, & etiam Deus per participationem, ratione gratiæ habitualis, quæ est quædam participatio naturæ divinæ: ergo falsum est quòd Christus habuerit gratiã habitualem creatam. Major constat: nam esse Deum per essentiam, est esse Deum absque omni exceptione & limitatione: esse verò Deum per participationem, est esse talem partialiter & limitatè: implicat autem esse Deum totaliter & ex parte, sine exceptione & cum exceptione: igitur, &c.

VIII.
Christus D. potuit esse Deus per participationem ratione gratiæ,

Distinguo majorem: Qui Deus est per naturam, non potest esse Deus per participationem, ratione ejusdem per quod est Deus per naturam, concedo: ratione alterius, nego: itaque Christus potuit esse Deus per essentiam ratione substantiæ & naturæ divinæ sibi communicatæ, & similiter per participationem ratione gratiæ habitualis.

† *Dices tertiò:* Ubi subjectum continet in seipso eminenter aliquam perfectionem, illam non potest habere formaliter, seu per formam sibi inexistentem: at Christus ratione gratiæ unionis, continet gratiam habitualem, & omnes alias gratias eminenter: siquidem gratia unionis longè nobiliori modô Christum efficit Deo gratum & sanctum, quàm gratia habitualis, quæ tantùm accidentariò perficit suum subjectum: igitur Christo repugnat habere in se gratiam habitualem. Major constat: etenim quia Sol est calidus eminenter, nequit esse formaliter calidus: similiter, quia anima rationalis continet eminenter gradum vegetativum & sensitivum, repugnat ipsi habere animam propriè & formaliter sensitivam & vegetativam, qualis est in brutis & plantis.

IX.
Licèt gratia unionis eminenter contineat gratiam habitualem, tamen non potest illius effectus supplere.

Respondeo quantùm ad præsens institutum: distinguendo majorem: Si continentia eminentialis non sit solùm effectiva rei, quam continere dicitur, sed etiam executiva effectuum, quas res illa præstare potest, concedo: si tantùm sit productiva illius rei quam eminenter continere dicitur, non verò executiva effectuum quos res illas potest edere, nego: gratia autem unionis, licèt eminenter contineat omnem gratiam, non tamen potest eosdem edere effectus, quos gratia habitualis per se præstat in anima Christi, quippe illa nec animam Christi sanctificat formaliter, nec eam constituit in statu ut connaturaliter actus supernaturales & meritorios possit edere.

Dices denique. Gratia habitualis & sanctificans conceditur maximè, ut anima fiat Deo grata: sed anima Christi non potest esse magis grata cum gratia habituali, quàm sine illa. Probatur. Anima quæ est Deo grata infinitè, non potest esse magis grata; quia infinitô nihil est majus: sed per gratiam unionis anima Christi est grata Deo infinitè ratione Divinitatis sibi communicatæ & hypostaticè unitæ: igitur non potest esse magis grata.

X.
Quanquam Christus D. sit summè Deo gratus per gratiam unionis; tamen potuit etiam esse gratus per gratiam habitualem.

Nego minorem, & ejus probationem distinguo. Quod est infinitè gratum, non potest esse magis in eodem genere gratificationis, concedo: in alio genere, nego: Anima autem Christi per gratiam unionis est quidem Deo grata infinitè gratitudine substantiali, quæ non impedit quominus similiter grata fieri possit in alio genere, nempe per formam aliquam accidentalem superadditam. Quod utique confirmatur à simili; quamvis enim Christus ratione unionis hypostaticæ sit infinite perfectus substantialiter, illa tamen perfectio substantialis non impedit quominus habuerit insuper omnes dotes accidentales, quibus illius humanitas fuit illustrata.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI.
Gratia habitualis fuit Christo necessaria ad sanctitatem formalem.

Gratia habitualis fuit Christo necessaria, ut sanctificaretur formaliter.

Probatur. Christus debuit esse formaliter sanctus: sed talis esse non potuit absque gratia habituali: ergo hæc illi ad id fuit necessaria. Major constat ex superiori conclusione; Christus enim omnem omninò sanctitatem habere debuit quæ maximè ejus animam illustrare potest & consecrare, idque intimiori ac præstantiori modô; longè autem præstantius est sanctificari formaliter seu per formam intrinsecè inexistentem, ut sanctificantur homines & Angeli, quàm duntaxat per aliquam denominationem & unctionem extrinsecam, ut loca & vasa sancta. Minor verò probatur: Si seclusâ gratiâ habituali Christus sanctificari potuisset formaliter, maximè per sanctitatem substantialem & personalem; sed ita sanctificari non potuit: quod sic probo 1. Per id non potest sanctificari formaliter, quod habere nequit rationem formæ sanctificantis: at neque personalitas Verbi, nec Divinitas ipsa, ex quibus petitur sanctitas substantialis, habent rationem formæ sanctificantis. Non quidem *personalitas*: hæc enim non afficit naturam humanam per modum formæ, sed per modum termini: neque etiam ex se, ut probavimus, habet vim sanctificandi, quia non est formaliter sanctitas. Hoc etiam *Divinitas* præstare nequit, quia Divinitas non potest esse forma sanctificans humanitatem: forma enim debet uniri intrinsecè & per se immediatè ei cujus est forma: sed Divinitas non est unita humanitati per se, sed tantùm ratione suppositi in quo facta est unio hypostatica; nulla enim unio realis fieri potest immediatè inter naturam divinam & humanam: igitur Divinitas non potuit habere rationem formæ sanctificantis naturam humanam.

Maximè quia per sanctitatem personalem non potuit formaliter sanctificari,

Confirmatur, quia si Divinitas sanctificaret formaliter humanitatem Christi, maximè vel ut forma physica, vel ut moralis: sed neutrô modô id præstat. Non quidem, *ut forma physica*; tum quia forma physica ex se ordinatur ut pars ad actuandũ & componendum: Divinitas autem non potest habere rationem partis informantis & actuantis; quippe hoc imperfectionem redolet: Tum quia si Divinitas uniretur per modum formæ physicæ humanitati, ipsam formaliter efficeret Deum, communicatio enim formalis Divinitatis Deum efficit: sed hoc est absurdum: Tum denique quia Divinitas per se formaliter solùm præstat jus in ordine ad beatitudinem increatam: at illud jus non

Neque tanquam à forma physica,

potest

potest convenire primò & per se humanitati Christi, sed solùm per communicationem idiomatum: igitur humanitas Christi non potest sanctificari physicè per ipsam Divinitatem.

Neque tanquam à forma morali.

Neque etiam ab ea sanctificari potest formaliter, tanquam *per formam moralem*, tum quia forma moralis, licèt connotet principium & subjectum reale, tamen secundùm se præcisè, non est realis, est enim duntaxat respectus extrinsecus procedens ex ordinatione Dei talem acceptantis ad beatitudinem: Christus autem debuit esse realiter sanctus sanctitate formali: ergo illam sanctitatem debuit habere per aliquam formam intrinsecam sibi realiter inexistentem: Tum quia omnis forma physica secundùm entitatem præstantior est morali: igitur cùm nostra sanctificatio fiat per formam physicam nobis realiter inexistentem, sequeretur nostram justificationem secundùm suam entitatem esse præstantiorem sanctificatione Christi: Tum denique quia Christus ut sanctus sanctorum & prædestinatorum caput debuit habere conformitatem cum suis membris in ratione sanctitatis: sed ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. & Canone 11. justi non sanctificantur per aliquid extrinsecum & morale, sed per formam intrinsecè inhærentem: igitur hâc ratione etiam Christus debuit sanctificari.

Dices. Christo concedenda est ea sanctificatio quæ præstantior est, & illustrior: at longè præstantius est, sanctificari formaliter per ipsam divinitatem, quàm per aliquid creatum: igitur, &c.

Quia id non est possibile.

Distinguo majorem: Si modus ille præstantissimus sit possibilis, concedo: secus, nego: repugnat autem, ut mox probatum est, divinitatem aut aliquid divinum habere rationem formæ sanctificantis, & subinde repugnat, ut Christi humanitas formaliter sanctificetur per ipsam divinitatem.

Dices secundò: Anima quæ est sancta sanctitate virtualiter & eminenter continente omnem sanctitatem, habet etiam sanctitatem formalem: sed anima Christi, ex vi præcisè unionis hypostaticæ, est sancta sanctitate eminenter continente omnem sanctitatē quæ à gratia vel actuali vel habituali oritetur: ergo illa non indiget gratiâ habituali, ut dicatur formaliter sancta. Minor constat: Christus enim per unionem hypostaticā habet sanctitatem increatam Dei, quæ eminenter continet omnem sanctitatem creatam, sicut divina entitas eminenter continet omnem creatam entitatem. Major verò probatur: Idcircò Deus non eget gratiâ habituali, ut sit formaliter sanctus omnimodâ sanctitate, quia ejus sanctitas eminenter continet quidquid sanctitatis est in gratia habituali: ergo à simili, si anima Christi virtute unionis hypostaticæ habeat sanctitatem oriundam à gratia, nullatenus indigebat tali gratiâ, ut censeatur omnimodè formaliter sancta.

XII.
Continentia eminentialis omnis sanctitatis, non sufficit ad sanctificationem formalem.

Nego majorem: Siquidem ad sanctificationem formalem non satis est quòd aliquid contineat eminenter omnem aliam sanctitatem: sed debet etiam ipsi inesse per modum formæ afficientis & perficientis, qualiter sanctitas increata, aut aliquid divinum non potest esse in Christo, ut mox dictum est. Ad probationem majoris, dico falsum esse antecedens; non enim præcisè Deus non indiget gratiâ habituali ut sit sanctus formaliter, quia ipsius sanctitas eminenter continet omnem aliam sanctitatem, sed quia ipsa divina sanctitas increata inest ipsi extrinsecè, per modum formæ, seu attributi divinam essentiam afficientis & perficientis.

CONCLUSIO TERTIA.

Christus D. opus habuit gratia habituali ad eliciendos actus supernaturales connaturaliter.

Gratia habitualis fuit Christo necessaria ut connaturaliter eliceret actus supernaturales & meritorios.

Probatur primò: Tunc agens connaturaliter operatur, quando habet proportionem ad actus quos elicit: sed anima Christi, cùm sit entitas naturalis, non potest habere proportionem ad productionem actuum supernaturalium absque gratiâ habituali: igitur ad illos effectus producendos illâ fuit Christo necessaria. Major constat; non enim alia ratione visio dicitur connaturaliter elicita, quàm quia fit per potentiam visivam, speciem intelligibilem, & medium proportionatum, quæ omnia complent & integrant principium, ut visionem producat. Minor probatur: Si quid aliud præter gratiam habitualem posset ipsam animam Christi elevare ad statum supernaturalem, & ipsam inclinare intrinsecè ad producendos actus supernaturales, maximè vel personalitas & subsistentia Verbi, vel divinitas ipsi communicata: sed neutra id præstat: ut enim taliter elevetur & inclinetur anima, debet habere in se aliquod comprincipium operativū *ut quò* & elicitivum talium actuum: sed id non potest præstare subsistentia Verbi, quia ipsa non est virtus activa, sed purus terminus naturæ. Ergo non potest concurrere ad actus per modum principii *quò*: sed duntaxat per modum conditionis constitutivæ suppositi & principii *quod* ad operationem concurrit. Non etiam id præstare potest divinitas, nam principium *quò*, operativum, vel debet habere identitatem cum principio quod operatur, vel debet illud physicè informare: utrumque autem divinitati repugnat respectu humanitatis: igitur nec subsistentia Verbi nec divinitas possunt habere rationem principii, *quò* in humanitate, per ordinem ad producendos actus supernaturales connaturaliter.

Et meritorios.

Idem dicendum de actibus meritoriis: meritum enim præmii supernaturalis necessariò requirit, ut actus meritorius sit supernaturalis, vel quoad entitatem vel saltem quoad modum: ergo si actus supernaturalis non possit connaturaliter produci ab animâ absque gratia habituali, neque poterit etiam produci actus meritorius.

XIII.
Gratia habitualis saltem secundariò ordinatur ad operationem.

Dices primò: Illud tantùm potest inclinare animam ad actus supernaturales per modum comprincipii, quod est ex se operativum: sed gratia habitualis non est ex se operativa: ergo illam non requirit anima Christi ad eliciendos actus supernaturales & meritorios connaturaliter.

Distinguo majorem: Gratia habitualis non est per se operativa, nec ordinatur ad operandum primariò & proximè, concedo: sic enim ordinatur ad sanctificandam animam & eam efficiendam dignam, quæ à Deo diligatur & ordinetur ad finem supernaturalem: non est operativa radicaliter & secundariò, nego: nam ut probabitur in Tractatu de Gratia, illa habitualis gratia non solùm animam illustrat & dignificat, sed etiam ei virtutem confert ad producendos actus supernaturales.

Dices secundò: Ut anima Christi elevetur & inclinetur connaturaliter ad actus supernaturales, sufficit quòd habeat in se auxilium aliquod actuale supernaturale: ergo ad id ei non opus est gratiâ habituali.

Distinguo antecedens; Illud actuale auxilium sufficit, ut actus supernaturalis fiat, concedo: ut fiat connaturaliter, nego: agens enim naturale non inclinatur ad suum effectum, nisi præter actualem motionem inclinetur ad suum actum per aliquam formam in se residentem & permanentem: quapropter Deus ut naturæ Author, singulis agentibus naturalibus indidit aliquam formam seu virtutem per quam naturaliter propendeat ad suos actus eliciendos.

XIV. *Hic solùm agitur de potentia ordinaria.*

Adverte tamen nos hîc duntaxat agere de potentia ordinaria, quâ scilicet Deus ut author naturæ & gratiæ, solet causas secundas ad suos actus inclinare: si enim sermo sit de potentia absoluta & extraordinaria, haud dubium est quòd seclusâ omni gratiâ habituali, Deus posset conferre virtutem animæ ad producendos actus supernaturales & meritorios: idque vel per auxilium actuale supernaturalis ordinis, vel per uberiorem concursum, qualiter diximus, agendo de visione beatifica, Deum posse supplere vices luminis gloriæ, vel per aliquod aliud auxilium fortiùs aut saltem æqualiter supplens activitatem gratiæ habitualis. Deus enim, ut docuimus in physicis, supplere potest omnem efficientiam causæ secundæ extrinsecæ & non vitalis: atqui efficientia, quâ gratia concurrit ad actus supernaturales producendos, est merè extrinseca, est enim ab illa ut ab habitu; omnis autem efficientia habitûs, est extrinseca, ut patet inductione factâ per omnes habitos: igitur Deus potest per se, vel per aliquod auxilium fortius, supplere efficientiam gratiæ habitualis; & proinde facere, ut anima Christi exerceret actus supernaturales quoad substantiam, sine gratia habituali.

XV. *Frustranea est Suarii & Vasquesii contentio de ampliori sanctificatione Christi D. per gratiâ habitualem.*

Adverte insuper Vasquem & Suarem frustrà, ut mihi videtur, hîc contendere utrum Christus per gratiam habitualem præstantiorem sanctitatem habuerit, quam habuisset cum sola gratia unionis. Negat enim Vasques, contendens sanctitatem personalem, quàm putat esse formalem, fuisse infinitam; ac subinde non fuisse susceptivam alicujus augmenti. Suares verò affirmat, quia, inquit, cùm sanctitas formalis dicat aliquam perfectionem, per illam Christus dici debet formaliter perfectior & sanctior, imò completè & consummatè sanctus.

Verùm existimo neutram sententiam esse probandam: non quidem Vasquesii, quia licèt sanctitas personalis concederetur infinita in suo genere; non tamen inde sequitur quòd sit infinita in omni genere; proindeque cum ea non est incompossibilis ulterior sanctitas, nempe formalis. Non etiam Suarii, quia licèt sanctitas formalis dicat perfectionem, & per eam Christus dicatur formaliter sanctus, qualiter non dicitur per sanctitatem personalem; non tamen rectè & in rigore loquendo, dici potest magis aut consummatè sanctus; nam termini illi *consummatio* aut *magis* respiciunt gradus ejusdem speciei in aliqua entitate, & reperiuntur in iis quæ se habent similiter; non autem in iis quæ se habent aliter: Christus autem per gratiam habitualem, non est sanctus similiter ac per gratiam unionis, sed aliter: igitur per illam non est dicendus sanctior, sed aliter sanctus.

QUÆSTIO III.

Qualis fuerit gratia habitualis Christi?

TRES maximè difficultates præfert hujus quæstionis titulus, de quibus fusissimè disputant Authores. *Prima* est, an Christi gratia fuerit infinita. *Secunda*, an fuerit summa. *Tertia* tandem, an potuerit augeri, quæ omnia, ut omissis inutilibus tricis & verborum magis quam rerum contentionibus, hâc unicâ quæstione tribus in sequentibus conclusionibus discutiemus. Verùm ut dicendorum resolutio fiat apertior & evidentior.

I. *Gratia Christi D. potest concipi esse infinita variis modis.*

Notandum primò, Christi gratiam habitualem posse intelligi infinitam variis, sed maximè alterô ex his sex modis, ut cum plurimis Theologis observat Izambertus ad quæst. 7. disput. 4. art. 3. *Primò* quidem in ratione entis & qualitatis; siquidem gratia est qualitas secundùm suam entitatem. *Secundò*, ratione alicujus modi physici ipsi gratiæ intrinseci, eique advenientis ex ejus unione ad Verbum, qui modus in ratione modi sit infinitus, sicque illam gratiam afficiendo ac modificando quandam infinitatem ei conferat. *Tertiò*, intelligi potest infinita in ratione gratiæ, quatenus videlicet posset infinitè dignificare naturam. *Quartò*, per solam extrinsecam acceptationem Dei; ita quòd illam Deus judicet dignam, quæ producat effectus conducentes ad infiniti boni possessionem. *Quintò*, per ordinem & moralem habitudinem, quam haberet ad divinum suppositum Verbi; quatenus illa inest humanitati subsistenti subsistentiâ Verbi. *Sextò* tandem, quòd licèt in seipsa & secundùm suam entitatem spectata, sit finita, tamen dicatur infinita quatenus secundùm ordinariam Dei potentiam, nulla alia gratia habitualis datur major, & etiam illa sese extendit ad eos omnes effectus, qui cogitari possint à gratia habituali producendi.

II. *Potest dici summa dupliciter, nempe positivè & negativè.*

Notandum secundo ex Doctore subtili in 3. *dist.* 18. *quæst.* 4. *num.* 2. gratiam duobus modis posse concipi summam: scilicet positivè & negativè. Dicitur *summa positivè*, quatenus excedit omnem aliam gratiam existentem aut creabilem, & hôc sensu, si datetur aliqua summa gratia, non est possibilis altera quæ ipsi æquaretur, quod enim positivè summum est, etiam est unicum in ipso genere in ratione summi: gratia verò *negativè* dici potest summa, si tanta sit ac tam perfecta, ut nulla alia gratia sit possibilis, quæ eam excedat, quamvis possent dari multæ æquales, quæ nec eam excederent, nec ab ipsâ excederentur. Dicitur autem summa negativè, quia scilicet tantùm ex eo summa censetur, quia dicit negationem excessûs per quam non possit nec excedere nec excedi: Fatetur autem *ibidem* Doctor quòd gratia positivè summa, nec Christo, nec alicui alteri possit conferri; quia quâcumque possibili gratiâ productâ potest Deus alteram similem & æqualem producere; *Potuit enim*, inquit, *& potest aliam naturam æqualem assumere & consequenter ei conferre gratiam similem ei, quam contulit animæ Christi.* An autem Christo dederit summam gratiam negativam, resolvendum est in præsenti.

III. *Notandum tertiò*, seu potius repetendum ex Physicis, qualitatis augmentum considerari posse duobus modis: nimirum *extensivè*, eò quòd

Qualiter fiat augmentum, qualitatis.

scilicet fit in subjecto extenso, sic albedo lactis A augetur ad ipsius lactis augmentum: secundò *intensivè*, quando perficitur qualitas per additionem novorum graduum, sic albedo fit major per additionem alterius in eadem parte subjecti. Duplices autem gradus distinguunt Philosophi, nempe *quidditativos* seu specificos, quibus essentiæ rerum dicuntur indivisibiles & esse sicut numeri, itaut ipsis nihil possit addi vel detrahi quin essentia varietur: alios *individuales* & entitativos, suntque realitates quædam ejusdem generis & speciei, quæ si separatim existant, vera erunt distincta ejusdem speciei individua; si verò uniantur in eodem subjecto, unicum efficient. V. g. si duæ albedines in gradibus remissis duobus in B subjectis distinctis existant, duo erunt albedinis individua; si verò in eodem subjecto reponantur, unicam quidem numerò albedinem efficient, sed intensiorem.

Quod autem dixi de qualitatibus corporeis, idem dicendum de spiritualibus tam naturalibus quàm supernaturalibus: nulla enim est qualitas sive naturalis, sive supernaturalis, quæ non possit augeri per additionem alterius gradûs ejusdem rationis & speciei. An autem possit augeri in infinitum per additionem iteratam graduum, controvertitur, non solùm apud Philosophos, sed etiam apud Theologos; maximè verò in præsenti materiâ, in qua Doctor Angelicus, & Subtilis in aliquibus conveniunt, in aliis verò discrepant. Conveniunt, inquam, in hoc quòd uterque doceat gratiam Christi non fuisse actu secundùm entitatem & gradus infinitam: Differunt verò, quia S. Thomas contendit gratiam Christi esse infinitam saltem potestate, quia per absolutam Dei potentiam potuit augeri in infinitum, & consequenter non fuit summa possibilis, quia augeri potuit; Doctor verò subtilis id negat.

Status quæstionis.

Tria igitur hac in quæstione sunt determinanda. *Primum*, quòd gratia non fuerit de facto & actu infinita. *Secundum*, quòd reverà ita fuerit perfecta, ut præstantior, nec produci, nec creaturæ communicari possit. *Tertium*, quod non possit D augeri in infinitum, ac consequenter quòd non fuerit infinita potestate.

Conclusio Prima.

IV. *Christi D. gratia non fuit de facto infinita.*

GRatia Christi tam in ratione entis & qualitatis, quàm in ratione intensionis non fuit de facto infinita. Hæc est communis inter utriusque Scholæ tam Angelicæ quàm Subtilis sectatores.

Probatur primò, quia de facto nullum datur actu ens infinitum, nam Sapientiæ 11. *Deus omnia fecit in numero, pondere & mensura*: Sed gratia Christi tam secundùm entitatem quàm secundùm E intensionem est ens actu: ergo nullò ex his modis potest esse infinita.

Deinde: Si gratia Christi aliquam infinitatem haberet, illa esset repetenda vel ex parte subjecti quod afficeret, vel ex parte effectuum quos produceret: siquidem debet esse proportio inter subjectum & accidens quod in eo recipitur, sicut & inter ipsum accidens ac effectus ad quos producendos ordinatur: atqui ex neutro capite colligi potest hæc gratiæ infinitas. Non quidem ex parte *subjecti*, quia anima Christi est ens finitum ac limitatum: Neque etiam ex parte *effectuum*; nam nullus effectus à gratia productus aut producendus potest assignari qui, vel entitativè, vel intensivè sit infinitus, quatenus physicè & efficienter ab ipsa gratia procedat: ergo gratia Christi tam secundùm entitatem quàm secundùm intensionem est de facto finita.

Denique repugnat aliquam entitatem creatam esse tantæ perfectionis, quantæ est entitas increata: sed si gratia esset infinita tam secundùm entitatem, quam secundùm intensionem, esset æquè perfecta ac entitas increata: ergo, &c. Major constat, ens enim increatum longè præstantius est omni ente creato: Minor verò probatur, quia vel gratia est eadem realiter cum charitate, vel saltem necessariò eam sibi habet annexam connaturaliter secundùm eandem intensionem, quam ipsa obtinet, itaut si gratia sit infinitæ intensionis, etiam charitas debeat esse infinitæ intensionis: sed si charitas creata esset infinitæ intensionis, esset æquè perfecta ac charitas divina & increata, & æquè perfectum posset producere actum dilectionis. *Insuper* cùm omnis entitas infinitè perfecta debeatur Deo connaturaliter; sequeretur etiam gratiam sic infinitam deberi Deo tanquam ejus nativa proprietas, quod apertè absurdum est: igitur nullâ ratione Christi gratia censeri debet infinita.

V. *Etiamsi lumen gloriæ esset infinitum, tamen, Deus non comprehenderetur à Beatis.*

Probant etiam aliqui hanc conclusionem à posteriori; quia, inquiunt, si gratia Christi esset infinita, sequeretur lumen gloriæ ejus etiam esse infinitum, & si lumen gloriæ infinitum, visio beatifica infinita, & per consequens comprehensiva Dei, quod est absurdum; nam soli Deo proprium est posse seipsum comprehendere. *Verùm* hæc ratio, est insufficiens, quia datô quòd lumen gloriæ sit infinitum, non sequitur ex eo præcisè visionem beatificam Christi esse infinitam, visio enim non tantùm elicitur à lumine gloriæ, sed etiam ab intellectu, qui est finitus & incapax infinitæ actionis.

Præterea, licèt concederetur visionem beatificam Christi esse infinitam; non tamen sequeretur esse comprehensivam Dei: nam ad hoc, ut visio infinita sit comprehensiva, debet esse infinita simpliciter & sine modificatione, sicut est visio illa quâ Deus seipsum comprehendit; visio autem Christi beatifica, non esset infinita simpliciter & sine modificatione; aliàs esset Deus ipse: Ergo ex eo quòd esset infinita, non sequeretur fore comprehensivam Dei.

Itaque dicimus Beatos in patriâ non propterea comprehêdere Deum, licèt viderent totum Deum, omnia divina attributa, omnes res possibiles, quæ relucent in essentia divinâ, & omnes respectus & habitudines quas Deus habet ad illa; quia ista omnia non cognoscerent tantùm quantùm sunt cognoscibilia, proindeque visio eorum beatifica dici quidem posset infinita, non tamen comprehensiva, quia diceretur infinita cum modificatione, scilicet diceretur infinita extensivè, non verò intensivè.

VI. *Licèt Christus debuerit habere omnes perfectiones, non tamen debuit habere infinitas.*

Dices primò. Id omne perfectionis & gratiæ asserendum est in Christo, quod nec ejus statum dedecet, nec manifestam contradictionem involvit: talis autem est gratia infinita: igitur hæc est asserenda in Christo.

Nego minorem; Siquidem, ut mox probatum est, repugnat gratiam aliquam esse actu infinitam. *Adde quod* illa gratiæ infinitas omninò fuerit superflua: tum ad finem Incarnationis, quia etiamsi hominum redemptio exigeret meritum & pretium infinitum, non esset necesse quòd illa meriti infinitudo peteretur ex parte gratiæ habitualis infinitæ; quippe ad id sufficiebat Christi personalitas, quæ tale pretium meritoris operi-

bus per quandam dignitatem externam conferret.

Instabis. Gratia habitualis in natura humana Christi conferebat ad illam exornandam, propter unionem hypostaticam: sed hæc fuit actu infinita: ergo & illa.

Respondeo primò, negando majorem, falsum enim est, ut diximus in prima disputatione quòd gratia fuerit prærequisita; tanquam medium necessarium ad unionem hypostaticam.

VII. Gratia unionis ex se non est infinita.

Deinde etiamsi reverà prærequisita fuisset gratia habitualis in ordine ad unionem hypostaticam, non sequitur inde quòd debuerit esse actu infinita; nam sicut licèt creaturæ ordinentur ad Deum tanquam ad finem, non dicunt infinitatem; ita neque gratia requireret aliquam infinitatem propter illam ordinationem ad unionem hypostaticam. *Denique*, falsum est quod unio hypostica formaliter sumpta sit infinita tam ratione sui, quàm ratione extremorum immediatè unitorum. Non quidem ratione sui, quia illa, ut diximus, est respectus extrinsecùs adveniens qui reverà est quid finitum: non etiam ratione extremorum, quia humanitas, est finita; personalitas autem Verbi quæ est aliud extremum immediatum istius unionis, nec finita est, nec infinita.

Dices secundò. Quod babet efficientiam infinitam, etiam in entitate infinitum est: sed gratia Christi habet virtutem, & efficientiam infinitam, est enim fons inexhaustus, de cujus plenitudine infiniti homines & Angeli, si darentur, possent suam gratiam mutuari. *Insuper* illa gratia habitualis Christi infinitum valorem conferebat ejus operibus, & ea efficiebat digna, quæ pro infinitis hominibus & Angelis redimendis & salvandis sufficerent.

VIII. Quâ ratione Christi D. gratia sit fons unde nostræ effluunt.

Nego minorem, & ad *primam* illius probationem dico, gratiam Christi non eâ ratione censeri fontem, de cujus plenitudine omnes accepimus, quasi illa in se contineat omnes omninò gratias quoad entitatem, quæ in universos homines & Angelos effluunt; sicut in fonte continentur omnes aquarum guttulæ, quæ in fluviolum exundant; sed tantùm quòd Christus fuerit causa meritoria omnium gratiarum & cœlestium charismatum, quæ intuitu illius meritorum Deus hominibus, & Angelis concedit.

Ad secundam probationem, dico quòd etiamsi Christi merita fuissent infiniti valoris & capacia quæ conferrent ad redemptionem infinitorum hominum, non inde sequitur quòd ejus gratia fuerit infinita secundùm entitatem, quia infinitus ille meritorum valor non exigeret principium *quò* infinitum, sed tantùm principium *quod*: ac subinde non esset opus quòd gratia habitualis Christi, quæ est tantùm principium *quò* illius meritorum, esset infinita; sed duntaxat requiritur, ut principium *quod*, scilicet persona Verbi à qua ille valor derivatur, infinitatem quandam illis tribueret ratione sibi identificatæ divinæ naturæ.

Adde quòd valor operum meritoriorum maximè sit petendus ab acceptatione Dei; unde si essent possibiles infiniti homines & Angeli, Deus potuisset acceptare Christi Domini merita pro eorum redemptione & salute: hæc autem acceptatio non prærequirit gratiam infinitam, à qua illa opera bona tanquam à principio *quod* eliciantur.

IX. Gratia illa non est intrinsecè infinita moraliter, ratione acceptationis Dei.

Ex his collige primò, gratiam Christi non posse rectè dici infinitam ratione *extrinseca acceptationis Dei*, eò quòd illa sit in supposito divino, ut aliqui moderni Theologi docent; quia illa extrinseca acceptatio est tantùm moralis aliqua dignitas gratiæ moraliter dignificatæ à supposito Verbi Divini: sed propter istam moralem dignificationem gratia Christi dici non debet infinita. Probatur. Suppositum Verbi non magis dignificat gratiam in humanitate Christi residentem, quam ipsam humanitatem assumptam cui illa immediatè unitur: sed propter istam dignificationem humanitatis non dicitur humanitas infinita: ergo nec eâ ratione gratia Christi dici debet infinita. Major patet, quia humanitas Christi intimiùs unitur Verbo & immediatiùs, quàm quodlibet accidens ipsi humanitati inhærens: at ratione illius intimæ unionis humanitas dici non potest infinitæ dignitatis, sed tantùm quòd habeat infinitam dignitatem, propter Verbum infinitum cui conjungitur: Nec refert quod meritum Christi ratione suppositi dicatur infinitum, saltem extrinsecè & ratione acceptationis divinæ: non enim idem dici potest de gratia, quia meritum reverà offertur acceptandum in tantùm, in quantùm acceptari potest. Unde voluntas divina intuitu Verbi illud acceptat in infinitum, hoc est, pro infinito merito & pro infinitis hominibus & Angelis, si tot existerent: gratiâ autem non offertur acceptanda, sed potius est principium partiale illius quod acceptandum offertur; ideoque quemadmodum aliud principium partiale meriti, nempe voluntas Christi, non dicitur infinita; ita neque gratia dici debet infinita, quantumvis meritum ab illo utroque principio procedens dici possit aliquâ ratione infinitum.

Neque ratione effectûs formalis.

Collige secundò gratiam Christi non etiam esse infinitam in ratione gratiæ, seu ratione *effectûs formalis*, quô reddebat Christum gratum, aut effectûs effectivi quatenus erat principium merendi pro hominibus & Angelis; nam uterque iste effectus sive formalis, sive effectivus, quatenus erat à gratia, omninò finitus erat, quia nulla forma præstare potest effectum, sive formalem, sive alium ultra suam entitatem; virtus enim entitatem non excedit: at entitas gratiæ est finita: igitur effectum infinitum præstare non potest, unde etiam effectus ille sive formalis, sive effectivus, magis in personam Christi, quàm in ipsam gratiam refunditur.

Neque tandem ratione alicujus modi Physici.

Collige tertiò, Christi gratiam non etiam censeri infinitam ratione alicujus modi physici intrinseci advenientis ei ex ipsa ejus conjunctione ad Verbum divinum; siquidem non potest explicari quid sit ille modus infinitus: nil enim posset aliud concipi, quàm quod ipsa gratia mediante animâ & voluntate Christi cui inest, terminatur à supposito Verbi: at hæc ratio terminationis non potest conferre gratiæ aliquam infinitatem; tum quia hâc ratione cætera accidentia, quæ sunt in Christo, etiam dicerentur infinita; tum quia potiori jure illa infinitas tribuenda esset ipsi voluntati & animæ Christi, quæ immediatiùs ipsi supposito Verbi quàm ipsa gratia unitur.

Conclusio Secunda.

X. Christus D. habuit summam gratiam.

De facto collata est Christo summa gratia habitualis. Colligitur ex illo Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Quasi diceret Evangelista, Christum talem habuisse gloriam, qualem decebat haberi ab unigenito Dei Filio; decuit autem illi conferri summam gloriam: ergo & de facto collata est: at gloria correspondet gratiæ & in illa fundatur: ergo si summa sit gloria animæ Christi,

etiam illius gratia debuit esse summa. Confirmatur ex cap. 3. ubi Joan. Baptista faciens sermonem de Christo dicit; *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quæ verba sacri Doctores & interpretes explicant de Christo: quod etiam colligitur ex his verbis sequentibus, *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus:* sed qui non habet spiritum & gratiam ad mensuram, necessariò debet habere omnem gratiam possibilem, adeoque summam quæ creaturæ conferri potest: igitur Christus talem habuit.

Confirmari potest authoritate Philosophi dicentis quòd in unô quôque genere est unum quod est metrum & mensura cæterorum, & cæteris quibuscunque sub eodem genere contentis præstantius est: ergo pariter in genere gratiæ: istud autem unum esse non potest aliud quàm Christus, quia est unus Mediator Dei & hominum, unicum & supremum Ecclesiæ caput: ergo etiam unus & unicus est qui omnem gratiæ excellentiam & plenitudinem contineat.

Ut optimè probat subtilis Doctor.

Probat hanc veritatem Doctor subtilis hâc ratione; Deus Christo D. contulit omnem omnino gratiam possibilem & qua major alicui creaturæ concedi non potest si illa sit possibilis: at ita est: ergo fatendum est illam ipsi contulisse. Major patet: cùm enim Deus Christum, utpote Filium suum naturalem magis diligat, quàm justos quoslibet, qui duntaxat sunt illius filii adoptivi, haud dubium est quòd ipsi omnes omnino contulerit dotes quas filiis adoptivis conferre possit, & consequenter quòd ei dederit summam gratiam. Minor verò probatur: nempe quod summa gratia sit possibilis. Summa gratia potest creari: ergo est possibilis. Probatur antecedens. *Tum quia* summa gratia est ens finitum & limitatum, omne autem ens finitum potest a Deo creari: igitur, &c. *Tum quia* in entibus permanentibus quæ nata sunt habere aut posse habere simul omnes partes & perfectiones ac gradus sibi compossibiles, potest Deus illas partes & gradus unô instanti producere & conferre: atqui gratia est ens permanens ex natura sua, cùm sit qualitas supernaturalis: ergo Deus potest producere & conferre omnes partes & gradus sibi compossibiles: at gratia quæ habet omnes gradus sibi compossibiles est revera summa, quia ipsi nihil potest addi, alioqui non censeretur habere omnes gradus sibi compossibiles: igitur, &c. Tum denique quia Deus potest creare maximam gratiam quæ producibilis est, sed illa maxima gratia est summa: ergo non est inconveniens quòd summa gratia ponatur in esse: igitur revera summa gratia est possibilis: sed probabilissimum est Deum Filio proprio contulisse omnes dotes possibiles: igitur, &c.

1. Quia gratia summa est possibilis.

2. Quia anima Christi est capax recipiendæ summæ gratiæ.

Probat secundo Doctor. Omnis perfectio Christo est tribuenda, cujus recipiendæ est capax absque ulla contradictione & inconvenientia: sed anima Christi est capax recipiendæ summæ gratiæ: ergo fatendum est illam ipsi esse collatam. Major constat ex dictis, dignificanda est enim Christi Domini humanitas, quantùm fieri potest absque ulla inconvenientia. Minorem probat Doctor. Subjectum quod est receptivum alicujus accidentis habentis quosdam gradus intensionis, potest recipere omnes illos gradus, si non limitetur ad aliquem certum gradum infra summum: at anima Christi est susceptiva gratiæ, nec illius capacitas determinatur & limitatur ad aliquem certum gradum istius gratiæ: ergo potest quemcunque gradum recipere. Probat majorem per oppositum; ideo enim aqua non potest quemcunque gradum caloris recipere, quia calor est accidens disconveniens aquæ in aliquo gradu, nempe in summo qualis competit igni; unde non posset summus ille gradus caloris inesse aquæ nisi illam corrumperet, siquidem ille est ultima dispositio ad formam ignis.

Probatur minor. Ideò anima Christi ex se determinaretur ad certum gradum gratiæ suscipiendum, vel quia ulterior gradus ipsam dedeceret; vel quia non posset ipsi communicari, absque contradictione: sed nullus gradus gratiæ quantumvis intensus dedecet animam Christi, nec ulla apparet contradicto quòd illa suscipiat quemcunque gradum gratiæ possibilem: igitur illa non est limitata ad aliquem gradum gratiæ recipiendum citra summum.

Confirmat quia non minor est capacitas animæ Christi D. respectu gratiæ recipiendæ, quam in Angelis. Probat: Si minor esset in anima Christi capacitas ad recipiendam gratiam, quàm in Angelis, maximè quia illa capacitas proportionaretur entitati: unde consequens esset, quòd entitas minùs perfecta minorem haberet capacitatem: sed hæc ratio nulla est: *Tum quia* major aut minor entitatis naturalis perfectio impertinens est ad receptionem gratiæ, quæ est ordinis supernaturalis: *Tum quia* gratia receptibilis in Angelo, est ejusdem speciei cum ea, quæ receptibilis est in anima: sed quotiescunque forma susceptibilis in aliquibus est ejusdem speciei, etiam illa, ut susceptiva, debent esse ejusdem speciei in ratione susceptivi: hinc quia albedo lactis & nivis est ejusdem rationis, etiam nix & lac sunt ejusdem rationis in suscipienda albedine; ergo cùm gratia receptibilis in Angelo sit ejusdem speciei cum eâ quæ recipitur in anima rationali, consequens est quòd sit in anima & Angelo capacitas ejusdem rationis ad recipiendam gratiam.

Constat igitur ex his animam Christi esse susceptivam tantæ gratiæ, quantùm quæcunque alia substantia finita intellectualis recipere potest, ac subinde quòd Christus non habuerit repugnantiam, ut gratiam perfectissimam obtineret: igitur summa gratia ipsi est attribuenda; nam inquit Doctor *num. 6.* probabile est dicere secundùm Magistrum, quòd Deus tantam ei gratiam contulerit, quantam potuit; in commendando enim Christum malo excedere quàm deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere. Confirmat per illud Augustini de libero arbitrio. *quidquid tibi verâ ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quàm non fecisse:* Videtur autem simpliciter melius secundùm rectam rationem, summam gratiam esse alicui collatam, quam non esse collatam; quia in hoc manifestatur summa misericordia Dei in dando summum bonum gratiæ sine meritis: igitur probabile est hoc esse factum, & non in alio quàm in anima Christi: igitur, &c. Ita Doctor, non minùs piè quàm subtiliter.

XII.

Eandem veritatem egregiè probat Doctor seraphicus.

Eandem veritatem egregiè etiam suadet Doctor seraphicus dist. 13. art. 1. quæst. 2. his verbis: Si loquamur de gratia Christo collata, secundùm quòd est singularis persona in se & sic cùm dicat donum creatum, necessariò finitum est & mensuratum. Finitas enim & mensuratio circa creaturam potiùs dicunt complementum quàm imperfectionem. Si autem loquamur de illa in comparatione ad gratias aliorum hominum, sic improportionabiliter excedit ratione unionis ad personam

Ee iij

„ Verbi, ad quam unionem gratia illa disposuit animam Christi. Gratia enim illa propter conjunctionem summam cum Verbo æterno habet excedere in infinitum, & incommensurabiliter gratias aliorum hominum tripliciter, scilicet quantùm ad virtutem habitus, & quantùm ad usus, & quantùm ad effectus. *Quantùm ad habitus*: nunquam enim aliqua creatura potest tantùm proficere, quòd tam nobilis & perfecti habitûs sit capax, sicut anima conjuncta Deo in unitate personæ. *Quantùm ad usus* virtutum, quia omnes virtutes in Christo habuerunt usus suos, qui spectant ad perfectionem: & propterea dicuntur fuisse in eo omnes sensus, quia usum habuit completum omnium donorum excellentiori modô, quàm unquam adhuc pertingi posset ab aliquo. *Quantùm ad effectum*, similiter improportionaliter excedit gratia Christi: quia propter hoc quòd ille homo erat Dei filius meritum illius pensatur secundùm dignitatem illius personæ, à qua exit opus: & propterea meritum passionis suæ infinitum excedit merita passionum nostrarum: & ob hoc quòd Deus erat, mors ejus pensata fuit à Deo, quantus erat ille qui moriebatur. Et ideò quantùm ad sufficientiam, si infinita millia hominum essent reatu originalis astricta, per illius passionis effectum potuissent esse libera.

Et Alii.

Alii ita probant. Magis est assumi ad esse divinum quàm ad summam gratiam: sed humanitas Christi assumpta est per summâ unionem ad esse divinum: ergo & ad summam gratiam possibilem. *Præterea*, natura humana Christi assumpta est ad summam unionem quantùm ad esse: ergo & assumpta ad summam unionem quantùm ad operari: sed summa unio quantùm ad operari non est nisi per summum habitum gratiæ quæ est principium operandi: ergo natura humana Christi assumpta fuit ad summum habitum gratiæ.

Objicies primò: Sanctus Augustinus 13. de Trinitate cap. 5. dicit: *Beatum esse qui habet quidquid vult & nihil mali vult*, quòd non intelligitur de velle actuali; quia si aliquis sanctus in via posset esse beatus saltem pro aliquo instanti pro quo potest habere quidquid vult, etiam & nihil mali vellet: sed intelligitur de potentia volendi, ut scilicet habeat quidquid potest rectè velle: Potest autem humanitas, v. g. rectè velle habere tantam gratiam, quantæ natura ejus est capax; quia velle liberum seu rationale semper est rectum, quia conformatur voluntati seu inclinationi naturali, quæ semper est recta; inclinatio autem naturalis Michaëlis est ad tantam gratiam quantæ natura ejus est capax: natura autem animæ Christi non est ita excellens, nec per consequens tantæ gratiæ capax: ergo de facto non habet tantam gratiam quantam habet Michaël cùm sit beatus.

XIII. Quomodo censeatur beatus qui habet quidquid vult.

Respondet Doctor subtilis beatum esse, qui habet quidquid vult, hoc est, quidquid Deus vult illum velle: Deus autem non vult voluntatem aliquam velle liberè majorem gloriam, quàm sit ea quam ei contulit: & ideò illa voluntas non potest aliam gloriam rectè velle.

Ad probationem respondet naturalem appetitum cujuscumque voluntatis esse ad summam gloriam; ita quòd quælibet voluntas appetat naturaliter perfici summa gloriâ; attamen non est ibi tanta inclinatio naturalis ad summam gloriam, ut oppositum ejus, id est, non summa gloria, insit violenter potentiæ habenti talem inclinationem; ut contingit in inclinatione illa naturali, quâ grave inclinatur naturaliter deorsum, quia oppositum ejus, scilicet non esse deorsum, vel esse sursum, violenter inest ei. Ratio est, quia illa alia inclinatio non habet principium intrinsecum necessitans ad illud quod ipsa est: ita quòd oppositum ejus non possit inesse nisi violenter: inclinatur enim ad habendam gratiam summam, & tamen potest quietari in anima, quia non habet principium intrinsecum determinans eam ad aliquem gradum determinatum. Voluntas autem libera tunc est recta non modò quando sequitur hujusmodi appetitum naturalem, sed potiùs quando se conformat regulæ superiori; videlicet voluntati Dei; quæ quandoque volt voluntatem rationalem sequi appetitum naturalem, quandoque non: voluntas verò divina vult voluntatem beatam non plus velle gloriæ, quàm decreverit ei conferre, nonobstante appetitu naturali; cujus operatio seu inclinatio tunc deseritur sine tristitia, quia in patria plus incomparabiliter voluntatis est, in sequendo regulam superioris, quàm inclinationem appetitûs naturalis.

Objicies secundò: Non est ponendum plus gratiæ in anima Christi; quàm requiratur ad ejus beatitudinem: sed perfectè potest beatificari sine gratiâ summâ. Probatur. Inclinatio naturæ Christi potest terminari sine summâ gloriâ: ergo sine summâ gratiâ; nam inclinatio ejus non est summa, quia ejus natura non est summa, quemadmodum v. g. quia aqua non est summè gravis, potest quietari in loco deorsum, qui non erit omnium infimus.

XIV. Inclinatio ad perfectionem potest esse major aut minor dupliciter.

Respondet Doctor, inclinationem posse spectari dupliciter: *vel* ex parte fundamenti, nimirum naturæ cujus est inclinatio, *vel* ex parte termini, nimirum gratiæ recipiendæ: Inclinatio ex parte fundamenti, est perfectior in perfectiori natura, quàm in minùs perfecta; & per consequens præstantior in Angelo, quàm in anima Christi, quia inclinatio naturalis non distinguitur realiter à natura, cujus est inclinatio; sicque ubi perfectior natura, ibi perfectior inclinatio ex parte fundamenti: Inclinatio autem, ut respiciens talem terminum, nempe gratiam, non est perfectior in perfectiore naturâ quàm in minùs perfectâ; quia gratia quæcumque simpliciter naturam ornat & perficit: & ideo natura Christi potuit habere inclinationem, ad summam beatitudinem. In explicationem hujus rei, possunt esse duæ superficies, una duorum pedum, altera unius pedis: Prior est major & perfectior in se & in ordine ad plura accidentia recipienda; tamen per respectum ad intentionem albedinis utraque est æquè perfecta, quia utraque potest æquè intensam ac summam albedinem recipere.

Objicies ultimò: Summa natura non est facta: ergo nec summa gratia. Antecedens probatur: Quâcumque naturâ factâ potest excellentior fieri. Consequens probatur: quia ordo Universi magis consistit in speciebus quàm in individuis, species enim plus ornant universum quàm individua: ergo convenientiùs debuit fieri summa natura quæ differt specie ab aliis naturis, quàm summa gratia, quæ tantùm differt munere ab aliis gratiis non summis.

XV. Quare potiùs fieri debuerit summa gratia quàm summa natura,

Respondet Doctor debuisse potiùs fieri summam gratiam, quàm summam naturam, quia in naturæ operibus manifestatur tantùm potentia & sapientia divina: in operibus autem gratiæ bonitas & misericordia: præstat autem misericordiam manifestari quàm potentiam. *Addo* nullâ necessitate congrua Deum fuisse compulsum ad summam na-

turam condendam; fuisse autem motum ad summam gratiam, intuitu scilicet naturæ in tam excellenti supposito subsistentis.

Conclusio Tertia.

XVI. *Gratia Christi D. non potest augeri in infinitum.*

Gratia Christi non est potestate infinita; nec augeri potest in infinitum. Hæc est Doctoris *ibidem num.* 2. eamque sic probat. Gratia Christi non potest augeri in infinitum, si reverà augmentum hoc gratiæ repugnet: at repugnat gratiam sic augeri: igitur etiam istud augmentum in infinitum repugnat gratiæ Christi. Major constat: quia gratia Christi non est diversæ speciei à cæteris gratiis: ergo si cæteræ gratiæ non possunt in infinitum augeri, etiam hoc non erit affirmandum de gratia Christi. Minorem probat Doctor, ex hypothesi quòd Deus vellet gratiam unius aut alterius gradûs intendere per additionem aliorum graduum, vel illam succrescere faciet & augebit usque ad supremum aliquem gradum finitum ac determinatum; ultra quem alius non erit producibilis, v. g. usque ad octavum gradum: vel in illo augmento non dabitur status, sed ulteriùs in infinitum poterit procedi. Si primum, habetur intentum, quòd scilicet omnis gratia habebat determinatos gradus suæ intensionis: Si secundum, sequetur illam gratiam posse esse actu infinitam; quia quantò magis intendetur per additionem plurium graduum, tantò magis erit perfecta intensivè, unde si fiat progressus in infinitum in illa intensione; consequens est quòd illa gratia poterit esse infinitæ intensionis: sed repugnat aliquam gratiam esse infinitè intensam: ergo repugnat gratiæ augmentum fieri in infinitum.

Reponunt Adversarii rationem illam procedere à falso supponente, nempe quòd infinitum in potentia possit fieri in actu: sicut enim in continuo datâ quâcumque divisione partium, semper ulterior divisio fieri potest in infinitum, nec tamen sequitur quòd in continuo, sint partes actu infinitæ: ita quamvis gratia possit augeri in infinitum per additionem novorum graduum, non sequitur quòd illa possit esse actu infinitè intensa, quia ex eo quòd aliquid sit infinitum in potentia, non sequitur quòd illud possit esse infinitum in actu.

XVII. *Forma infinita in potentia posset esse in actu.*

Contra primò, urget Doctor authoritate Philosophi 3. *Physicorum c. de infinito*, dicentis quòd *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, hoc est, quidquid possibile est in potentia, etiam possibile est esse actu, quod maximè verum est in formis, ut interpretatur Averroes: igitur non potest procedi in infinitum quin pariter illa forma possit in actu esse infinita, alioqui non posset tantùm esse in actu quantùm potest esse in potentia. Non est autem paritas inter intensionem gratiæ ac divisionem continui, quia quod in divisione continui partes omnes possibiles simul non possint esse actu; ratio est aperta, quia si partes illæ omnes essent actu; sequeretur illas esse indivisibiles, quod repugnat, quia hoc est contra rationem continui divisibilis: at verò quòd formæ alicujus intensibilis omnes partes simul existant, nulla apparet repugnantia: si quæ enim esset, maximè quia additô supremô & ultimô gradu illius formæ, videretur exhausta Dei potentia & abbreviata manus Domini si ulteriorem gradum non posset producere; sed hæc repugnantia nulla est; nam omnipotentia Dei non spectat ad illa quæ non sunt factibilia: unde quemadmodum non est exhausta Dei potentia, licèt naturæ humanæ, ne quidem minimum gradum essentialem possit addere, quia id fieri nequit absque eo quòd mutetur species humana; sic non videtur exhausta Dei potentia etsi nullum gradum gratiæ Christi possit superaddere, quia supponitur jam omnem possibilem gradum ei fuisse superadditum.

XVIII. *Deus non est infinitè participabilis à creatura determinata.*

Probat insuper Doctor eâdem ratione, quâ S. Thomas nititur evincere contrarium, ex hoc principio quòd gratia est quædam participatio Dei, ex quo sic arguebat S. Thomas, Deus est infinitè participabilis à creatura: ergo gratia poterit infinitè intendi, ut Deus infinitè participetur. At Doctor subtilis sic arguit, Participare perfectionem infinitam Dei, est partem aliquam accipere illius infinitæ perfectionis: ergo partem aliquam accipere secundùm determinatum gradum, nam si secundùm gradum indeterminatum & infinitum, quemadmodum perfectiones divinæ sunt infinitæ & simul se totis existunt, sequeretur etiam quod non repugnaret aliquam creaturam habere simul infinitos gradus perfectionis, & sic æquè esse perfectam ac Deus ipse, qui infinitam actu perfectionem possidet, quod est absurdum: igitur licèt Deus quantùm est ex se, sit infinitus & infinitæ perfectionis; non est tamen infinitè participabilis à creatura aliqua specie determinata, quia non datur aliqua creatura quæ sit infinitè participativa Dei, licèt Deus sit infinitè participabilis syncathegorematicè, hoc est, ab infinitis creaturis possibilibus, si ita sint possibiles.

Objicies primò illud Lucæ 2. ubi dicitur, *Et Iesus proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines*: Quibus apparet illum suscepisse gratiæ augmentum, sicut & ætatis: igitur quemadmodum non habebat summam ætatem: ita nec summam gratiam.

XIX. *Qualiter Christus D. dicatur profecisse in gratia.*

Respondeo primò hujus textûs varias proferri explicationes: nam S. Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. duas explicationes affert: quarum *prima*, est quòd profectus ille intelligendus sit de Ecclesia, non de Christo; nam quæ membris conveniunt, interdum capiti tribuuntur. *Secunda* est quòd sit intelligendus de augmento gratiæ & sapientiæ, non interno, sed externo, nempe secundùm manifestationem, quia in dies illius sapientia & sanctitas magis ac magis coram hominibus elucebat. Ita similiter hunc textum explicat sanctus Athanasios Orat. 4. contra Arianos: *Augescente*, inquit, *magnitudine corporis, unà crescebat in eo Deitatis manifestatio*.

Verùm quia dicitur crevisse non solùm externa apparentia apud homines, sed etiam internô profectu apud Deum, ideò rectiùs censerem dicendum cum Seraphico Doctore, in cap. 2. Lucæ, profectum illum sic esse intelligendum: *Vel* quòd Christus magis ac magis in dies claruerit in operibus charitatis ad Deum & proximum: *Vel* cum Angelico Doctore 3. p. q. 7. art. 12. quòd profectus ille sit intelligendus quoad actus & effectus; non autem quoad habitus: cujus veritatis lucidum apparet exemplum in Sole, qui licèt tantam claritatem habeat mane, quantam meridiè; respectu tamen nostri, non ita videtur fulgidus manè ac meridiè.

Objicies secundò: Summa gratia quam habet Christus est finita: sed quôcumque finitô potest dari majus: ergo illa gratia quantumvis summa, potest dari alia perfectior. Major constat ex dictis;

Minor verò probatur, quia quâcunque finitâ creaturâ potest dari alia præstantior, si istud non repugnet: at non repugnat quantumvis perfecta creatura aliam dari præstantiorem creaturam. Probatur, quia si id repugnaret, maximè quia inde sequeretur illam creaturam esse infinitam: sed hoc non est verum: illa siquidem fieret præstantior per additionem novi gradûs, quô aliam creaturam excederet: sed novus ille gradus non efficeret illam infinitam: igitur, &c.

XX. Quocumque finito non semper potest dari majus.

Negat minorem Doctor, ad cujus probationem dicit quod illa propositio *quâcunque gratiâ finitâ potest dari major*, potest intelligi dupliciter. *Primò*, sic ut velit quòd quâcunque gratiâ finitâ potest dari major per additionem alterius gradûs intra eandem speciem, & in hoc sensu negat propositionem: quando enim gratia aut quælibet alia qualitas habet summum gradum suæ perfectionis, quantumvis sit finita, non potest reddi major; non quia hôc positô fieret infinita si ulterior gradus adderetur, sed propter incompossibilitatem: quemadmodum albedo v. g. addita nigredini non potest illam intendere, non quia illam efficeret infinitam, sed quia cum illâ est incompossibilis: at etiam novus gradus gratiæ est incompossibilis cum summâ gratiâ, quia inde sequeretur illam non esse summam si per novum superadditum gradum fieri posset præstantior: igitur non ratione infinitatis, sed ratione incompossibilitatis repugnat quòd novus gradus addatur summæ gratiæ.

Objiciès tertiò. Si repugnaret gratiæ cuicunque augeri & reddi perfectior, maximè hoc esset repetendum, *vel* ex natura intrinseca gratiæ, *vel* ex defectu virtutis in causa effectiva, *vel* ex defectu capacitatis in subjecto: at neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia illa ex se est participatio gratiæ seu Charitatis divinæ infinitæ, quæ cùm possit magis & magis participari in infinitum, etiam potest participantem præstantiorem in infinitum efficere. Non etiam *secundum*, quia Deus est infinitæ virtutis, & consequenter ad infinitos effectus & gradus producendos potest suam explicare virtutem: Non denique *tertium*, quia subjectum capax recipiendæ alicujus formæ, potest illam recipere secundùm omnem suum gradum.

XXI. Egregia Subtilis Doctoris ratiocinatio.

Negat minorem Doctor & ipsasmet rationes objectionis deducit ad oppositum pro confirmandâ sua sententiâ. *Primam* quidem, quia omnis participatio divinæ perfectionis necessariò est finita, ut suprà diximus, alioqui sequeretur aliquam creaturam habere posse perfectionem infinitam, & sic æquè esse perfectam ac Deus, quod repugnat. *Secundam* similiter, quia Deus non potest producere gratiam, nisi vel ex nihilo ipsam creando, vel ex subjecto si illam producat per eductionem: at neutrô modô potest producere gratiam infinitam, quia omnis natura quæ producitur ex nihilo sui vel mediatè, vel immediatè, necessariò est limitata & finita; quia omnis perfectio illimitata est à se necessariò & consequenter nequit produci ex nihilo: igitur cùm omnis gratia sit à Deo producta ex nihilo sui vel immediatè, vel mediatè, non potest esse infinita. *Tertiam* denique rationem etiam deducit ad oppositum; omne enim suscipiens finitum nequit habere capacitatem ad perfectionem infinitam; quia etsi suscipientis capacitas sit respectu cujuscunque gradûs in forma; non tamen capacitas alicujus finiti se extendit ad formam infinitam.

XXII. Christi D. gratia fuit summa etiã positivè.

Ex his collige gratiam Christi esse de facto summam, non solùm *negativè*, sed etiam *positivè* per respectum ad omnes gratias, quæ vel hominibus, vel Angelis fuerunt concessæ; itaut illa omnes planè excedat gratias tam Angelorum quàm hominum: tum quia omnes illorum gratiæ à Christo velut à capite omnis Ecclesiæ, sive militantis, sive triumphantis, sive patientis, in ipsos tanquam in mystici corporis membra derivantur: at vita longè nobiliùs residet in capite quàm in omnibus membris: ergo gratia habitualis quæ est principium vitæ spiritualis longè præstantior est in Christo, quàm in omnibus tam hominibus quàm Angelis: tum quia omnes Angeli & homines tantùm propter Christum fuerunt Deo grati: ergo ipsis Christus longè magis fuit gratus: quia propter unumquodque tale & illud magis, ac subinde majorem, ac præstantiorem habuit gratiam: tum denique quia ei, & quidem soli, conferri debet perfectissimum & summum operandi principium, cui soli concessum est perfectissimum & summum principium essendi: atqui humanitati Christi concessum est principium & summum principium essendi, nempe esse divinum per unionem hypostaticam: igitur ei soli conferri debuit perfectissimum & summum principium operandi per gratiam: at quod uni & soli collatum est in summo non tantùm est summum de facto negativè, sed etiam positivè: igitur gratia Christi de facto est positivè summa.

XXIII. Christus D. habuit omnem gratiæ plenitudinem.

Quæres primò, an Christus habuerit omnem plenitudinem gratiæ sanctificantis, idque ab instanti suæ conceptionis?

Respondet Seraphicus Doctor dist. 18. art. 1. quæst. 3. quòd absque dubio in Christo secundùm humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit gratia perfecta & ordinata, & consummata plenitudo; non enim decebat Verbum increatum uniri animæ perfectissimâ unione, qualis est unio in unitatem personæ, quin anima esset Deiformis, in quantùm erat possibile. Et ideò non tantùm Deiformitatem habuit gratiæ & gloriæ, sed etiam super omnem gratiam & gloriam, nec tantùm fuit in eo plenitudo *sufficientiæ*, sicut in Sanctis, de qua plenitudine dicitur Act. 6. Stephanus *plenus gratiâ & fortitudine*, nec tantùm plenitudinem *prærogativæ*, sicut in Virgine Maria, de qua plenitudine dicitur; *Ave gratiâ plena*. Nec tantùm plenitudo *numerositatis & copiæ*, sicut in tota Ecclesia de qua plenitudine dicitur Ephes. 4. *Ascendit super cælos ut adimpleret omnia*: Sed etiam plenitudo *superabundantiæ*, de qua Joannis 1. *Vidimus gloriam ejus, &c.* Plenum, inquam, plenitudine superabundantiæ propter quod subdit, & de plenitudine ejus omnes nos accepimus.

Confirmatur ex illo Lucæ 1. ubi Angelus Mariam alloquens ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quibus duo denotat, *Primum*, quòd eôdem momentô quô Christi anima habuit gratiam unionis, habuit pariter gratiam habitualem, quâ formaliter sanctus erat. *Secundò*, non dixit Angelus quod ex te nascetur *erit sanctum*, sed quod ex te *nascetur sanctum*, ut videlicet significaret Christum ab eo tempore, quô formatus est in utero Virginis, habuisse sanctitatem & gratiam habitualem. Hoc ipsum egregiè probat S. Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 26.* ex Prophetia Isaiæ quâ dicitur quòd super Christum requiescere deberet Spiritus sanctus: Dominus ipse Jesus, inquit, Spiritum sanctum non solùm dedit

» dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, pro-
» pterea dictus est plenus gratiâ: & manifestius de
» illo scriptum est in Actibus Apostolorum, Quo-
» niam unxit eum Deus Spiritu sanctô, non uti-
» que oleô visibili, sed donô gratiæ, quod visibili
» significatur unguentô, quô baptisatos ungit Ec-
» clesia. Nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu
» sancto quando super eum baptisatum velut co-
» lumba descendit; tunc enim corpus suum, id est,
» Ecclesiam suam præfigurare dignatus, in qua
» præcipuè baptisati accipiunt Spiritum sanctum.
» Sed istâ mysticâ & invisibili unctione tunc intel-
» ligendus est unctus, quando Verbum Dei caro
» factum est, id est, quando humana natura, sine
» ullis præcedentibus bonorum operum meritis,
» Dei Verbo est in utero Virginis copulata, itaut
» cum illo fieret una persona. Hæc S. August.

Quæres secundo, an præter gratiam habitualem, Christus etiam opus habuerit gratiâ actuali quæ est motio quædam divina à Deo concessa in ordine ad operationem supernaturalem, quâ transactâ operatione non regnat.

Gratia actualis fuit in Christo.

Respondeo primò, probabiliùs videri gratiam actualem fuisse Christo necessariam ad operationes liberas supernaturales spectantes ad statum viatoris, V. g. ad amorem Dei, vel proximi; necnon ad actus virtutum moralium obedientiæ, humilitatis, &c. Probatur, quia gratia actualis, vel est antecedens seu excitans, vel concomitans seu adjuvans: sed hæc utraque videtur fuisse Christo necessaria, quia gratia excitans est quædam sancta cogitatio quâ nobis proponitur bonum honestum prosequendum & malum inhonestum fugiendum: Similiter est subitus quidam motus voluntatis, quem excitat divinus Spiritus in ordine ad timorem vel amorem Dei: sed Christus opus habuit illâ motione intellectûs quâ judicaret hîc & nunc esse amandum Deum vel proximum, obediendum, &c. Similiter necessum fuit ut ejus voluntas ad illos actus moveretur & specialem Dei concursum haberet: igitur ipsi videtur fuisse necessaria gratia actualis tum excitans, tum adjuvans. *Confirmatur*, quia propter similem rationalem indigebat Christus eodem Dei concursu naturali, quô indigent cæteri homines in actibus naturalibus non obstante illius unione ad Verbum: ergo similiter non obstante gratiâ unionis & habituali, egebat insuper gratiis actualibus, quibus egere solent homines ad actus supernaturales eliciendos.

QUÆSTIO IV.

Utrum gratia gratis data fuerint in Christo.

I. Quid sit gratia gratis data & quotuplex.

NOtandum primò, nomine *gratia gratis data* Theologos nihil aliud intelligere, quàm donum aliquod supernaturale, principaliter institutum ad salutem & utilitatem spiritualem aliorum: seu ut loquitur S. Thomas 1. 2. quæst. 3. art. 4. ordinatum ad hoc quod homo cooperetur alteri ut reducatur ad Deum; homo autem ad id cooperari nequit interiùs, quia cùm solius Dei sit movere & regere cor hominis: sed solùm exteriùs vel docendo, vel persuadendo. Et ideò gratias gratis datas novem numerat Apostolus 1. ad Cor. 10. dicens. *Alii per Spiritum datur sermo sapientia: alii autem sermo scientia secundùm eundem Spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum: alii operatio virtutum: alii Pro-*

A *phetia: alii discretio Spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.*

Rationem hujusce divisionis profert S. Thomas. Ad hoc ut homo alium instruat in rebus divinis, tria sunt necessaria. *Primò*, ut habeat divinorum plenitudinem cognitionis, ut ex hoc instruere alios possit. *Secundò*, ut possit confirmare & probare ea quæ dicit, alias ejus doctrina non esset efficax. *Tertiò*, ut ea quæ concipit possit convenienter suis auditoribus proferre. Ad primum necesse est, ut principia illius scientiæ quam docere debet, sint ei certissima, & hoc præstat gratia fidei gratis data: ut rectè se habeat circa principales conclusiones, & hoc præstat sapientia; atque ut abundet exemplis & cognitione effe-
B ctuum per quos interdum oportet manifestare causas: atque id præstatur per scientiam. Ad secundum requiritur, ut confirmetur vel per opera quæ solus Deus facere potest, & ad hoc duo sunt necessaria. *Primum*, est gratia sanitatum, quâ in confirmationem veritatis annunciatæ redditur sanitas ægris. *Secundum*, est operatio virtutum, quâ operetur stupenda v.g. mare dividere, sistere solem; vel per manifestationem eorum quæ soli Deo sunt cognita. Et hæc duplicis sunt generis, futura contingentia & occulta cordium. Ad primum datur Prophetia. Ad secundum discretio spirituum. Denique ad tertium, quod est proferre auditoribus ea quæ conceperit, duo requi-
C runtur: nimirum genera linguarum & interpretatio sermonum: quia potest hæc facultas proferendi concepta, attendi tantùm quoad duo, vel quoad idioma in quo aliquis potest intelligi, ad quod valent genera linguarum; vel quoad sensum eorum quæ proferenda sunt, ad quod ordinatur interpretatio sermonum.

Notandum secundò, in hoc maximè differre gratias gratis datas à gratia gratum faciente, seu justificante, quòd *gratia gratum faciens* concedatur ad utilitatem propriam recipientis, gratia autem *gratis data* ad utilitatem totius Ecclesiæ seu alterius personæ ad Deum ordinandæ. *Insuper* gratia gratum faciens reperitur in omnibus & solis
D justis: est enim ratio formalis per quam aliquis justus formaliter constituitur, gratia verò gratis data nec in omnibus, nec in solis justis reperitur: non quidem in omnibus, quia non est necesse quòd omnes hujusmodi gratiis illustrentur, quia non competit omnibus alios dirigere & ordinare in Deum: nec etiam in solis justis, quia gratia gratis data non est incompossibilis cum peccato; siquidem plurimi etiam gravissimi peccatores, ut Caïphas & Balaam, illustrati sunt donô Prophetiæ; hinc S. Paulus 1. ad Cor. 13. docet Prophetiam haberi posse sine charitate quæ inseparabilis est à gratiâ gratum faciente. *Tertiò*, tandem maximè discrepat in eo quòd gratia gratum
E faciens sit habitus permanens in voluntate: gratia verò gratis data non sit habitus nec possideatur permanenter, sed tantùm per modum transeuntis, quod maximè constat ex eo; quia, ut inquit Aristoteles, habitibus utimur cùm volumus: at ut docent Theologi, Prophetæ v. g. non utebantur donô Prophetiæ quoties volebant, sed duntaxat quando Deus id gratum habebat.

Discrimen inter gratias gratis datas & gratum facientes.

Notandum tertiò, Fidem quæ inter gratias gratis datas numeratur, maximè quatuor modis posse accipi. *Primò*, prout idem dicit quod fidelitas, & sic spectat ad virtutes morales. *Secundò*, quatenus sumitur pro fiducia, & sic revocatur ad spem vel naturalem, vel supernaturalem. *Tertiò*,

III. Fides variis modis accipitur.

prout est credulitas seu assensus rebus revelatis & obscurè propositis, & hæc, si nitatur testimoniô humanô, revocanda est ad fidem humanam, si verò divinô, est ipsa virtus Theologica & supernaturalis. *Quartò tandem accipitur* pro certa fiducia seu confidentia in Deum, quâ quis ita credit Deo, ut sibi persuadeat se divinâ illius ope posse facere quodcunque conducit ad salutem aliorum, de qua fide dicitur Marci 11. *Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicunque jusserit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei.* Hôc autem postremô modô accepta fides dicitur gratia gratis data.

Conclusio Unica.

IV. Christus D. habuit omnes gratias gratis datas.

R*Everà Christus Dominus habuit omnes gratias gratis datas.* Hæc est communis inter Theologos, exceptô Abulensi, qui in caput undecimum libri Numerorum quæst. 64. negat prophetiam propriè sumptam fuisse in Christo. Probatur conclusio. *Primò* authoritate S. Augustini epistolâ 57. quæ est ad Dardanum ubi sic ait: *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ.* Quam etiam veritatem colligit S. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 20. ex his verbis: *De plenitudine ejus omnes accepimus*, nec-non & ex illo ad Ephes. 4. *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ex quibus locis sic licet ratiocinari; In quocunque est plenitudo omnis gratiæ, & à quo omnis & quælibet gratia redundat in alios, ille debet etiam habere omnes & singulas gratias, quæ de facto conceduntur aliquibus; alioqui non haberet totius gratiæ plenitudinem, & gratia illi data fuisset ad mensuram: at Christus habuit omnem plenitudinem gratiæ, & ab ejus plenitudine derivantur non solùm gratiæ gratum facientes, sed etiam gratiæ gratis datæ in homines, qui ipsis illustrantur: igitur eas pariter Christus habere debuit.

Probatur secundò. Christus nobis datus fuit à Deo, ut noster esset dux, Legislator, Præceptor & Doctor fidei: igitur habere debuit id omne, quod maximè conducebat ad munus Legislatoris & Doctoris perfectissimè obeundum: sed ad id maximè conferunt gratiæ gratis datæ: debuit ergo illas habere: Probatur antecedens ex illo Isaiæ 55. & Joëlis 2. ubi de Messiâ dicitur: *Lætamini in Domino Deo nostro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Et Joan. 13. Christus Dominus se profitetur Doctorem, cùm ait discipulos alloquens: *Vos vocatis me, Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Subsumptum autem apparet ex primo notabili; inde enim constat singulas gratias gratis datas perfectissimè conferre ad exequendum munus Doctoris justitiæ & beatitudinis æternæ.

1. Fidem.

Probatur tertiò, singulas illarum gratiarum species sigillatim expendendo. *Primò*, quidem de *fide* id constat, hæc enim sumitur, *vel* quatenus significat rerum fidei singularem & excellentem cum certitudine cognitionem, *vel* facilitatem & promptitudinem ad res fidei accommodatè proponendas, *vel* denique fervorem fidei & fiduciam specialem impetrandi ac patrandi miracula: sed quôvis modô sumatur illa fides perfectissimè fuit in Christo, habuit etenim omnium fidei mysteriorum excellentissimam cognitionem, summamque facilitatem illa revelandi & explicandi. Hinc aiebat Matthæi 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius & cui voluerit Filius revelare*, & Apostolis dicebat Joan. 15. *Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*: Similiter summam habuit in Deum fiduciam ab eo obtinendi & patrandi miracula: Hinc Joan. 11. aiebat, cùm esset Lazarum ressuscitaturus: *Gratias ago tibi quia audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis.*

2. Sapientiam.

De Sapientiâ, itidem constat, quia ipsa nihil aliud est quam perfecta mysteriorum fidei cognitio, quâ conclusiones ex illis mysteriis per causas altissimas deducimus, & aliis facilè explicamus. Fuisse autem in Christo patet ex Lucæ 2. quia sedit in medio Doctorum, ubi enim nostra lectio habet, *Stupebant super prudentia ejus*, Græca habet *super intelligentia*; quâ acutissimè & facillimè profunda fidei & sacræ Scripturæ mysteria eis explicabat. Item ex Matth. 22. ubi futuram resurrectionem contra Saducæos, & suam divinitatem contra Pharisæos, sapientissimè ostendit.

3. Scientiam.

Idem constat *de Scientia*, quæ nihil aliud est quàm rerum creatarum, ut virtutum v. g. & vitiorum cognitio, & peritia deducendi conclusiones ex ejusmodi rebus, easque aliis proponendi: Christum autem id habuisse constat, tum ex plenitudine scientiæ tam infusæ quam beatæ, quam habebat, ut sequenti parte dicemus: tum ex eo quòd docuit obediendum esse Magistratui, Parentes esse honorandos, & alia præcepta ad Philosophiam morum spectantia, additis etiam similitudinibus ex rebus naturalibus desumptis, ut patet ex innumeris ejus parabolis.

4. Gratiam sanitatum.

De *gratia sanitatum* & *gratia virtutum*, probatur similiter, quia illæ nihil sunt aliud quàm donum quô redditur sanitas ægroto, & exercetur opus miraculosum, id est insolitum & excedens naturæ ordinem: Christum verò sanasse ægrotos & miracula fecisse, clarius est quàm probatione indigeat. De *interpretatione sermonum* probatur, quia illa nihil aliud est quam peritia explicandi obscuros & reconditos sensos Scripturæ sacræ, vel in alieno idiomate: Christum autem id præstitisse constat præsertim ex illis omnibus testimoniis, quibus contra Pharisæos probabat per testimonia veteris Testamenti suam divinitatem, æternitatem, & consubstantialitatem cum Patre, præsertim ex eo, quando David vocat eum Dominum dicens: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* Nam hæc verba proferebat Hebraicè, & profundissimè interpretabatur de seipso, cui Pater divinus in Ascensione dicturus erat, *Sede à dextris meis.*

5. Interpretationem sermonum.

6. Donum linguarum.

Hinc patet etiam habuisse *donum linguarum*, tum quia ex vi scientiæ infusæ, & scientiæ beatæ rerum omnium quas videbat in Verbo, notitiam illarum habuit: tum quia habebat etiam potestatem utendi illis cùm volebat, quia ad hoc erat illi facultas expeditissima, & organum perfectissimum: Deinde erat Doctor universalis, & ad eum spectabat unumquemque docere de propria salute; quapropter erat conveniens, ut linguis omnium loqueretur. Licèt itaque non legatur expressè ipsum fuisse variis linguis locutum; communiter tamen deducitur satis evidenter ex multis novi Testamenti testimoniis; constat enim primò locutum fuisse Hebraïcè in cruce, cùm dixit, *eloi, eloi Lamazabathani*; locutum fuisse punicè, uti mulieri Chananeæ; & Latinè Romanis cum quibus versabatur Hierosolymis.

7. De discretione spirituum.

De *discretione spirituum* patet, quia ea nihil aliud est quam cognitio, quâ dijudicatur & penetratur quô spiritu quis impellatur ad aliquid

dicendum vel faciendum, fuisse enim in Christo, constat ex illo Matth. 22. ubi indicavit Pharisæos proposuisse ei quæstionem de censu reddendo Cæsari ut illum caperent in sermone, & querimoniam Judæ ob perditionem unguenti effusi fuisse ex avaritiâ & affectu latrocinii.

8. Donum Prophetiæ.

Probatur tandem de *dono Prophetiæ*, quia Deuter. 18. Christus prædicitur & exprimitur nomine Prophetæ, *Prophetam*, ait Moises, *suscitabit D. de medio fratrum tuorum*: quem locum explicat de Christo S. Petrus cap. 3. & S. Ambrosius Serm. 8. in Psal. 118. circa id, *Particeps ego sum: Habet*, inquit, *Christus participes suos, habet participes carnis, habet & Prophetiæ, quia Prophetam*, inquit, *suscitabit vobis Dominus*, &c. Et infrà, *Ipse est verus Propheta qui sine alterius munere futura cognoscit.*

Tandem ratione probatur. Esse Prophetam nihil aliud est quàm supernaturali cognitione intelligere ea quæ distant ab ordinaria viatorum cognitione, eaque hominibus annunciare: at Christus supernaturali cognitione multa ejusmodi intellexit, & hominibus annunciavit, ut futurum excidium Hierosolymitanum, se tertia die resurrecturum, & multa alia, ut constat ex Evangelio: igitur Christus verè fuit Propheta.

Fuit enim verè & propriè Propheta.

Objicis Abulensis contra hoc ultimum gratiarum donum: *Primò*, Joan. Baptista fuit plusquam Propheta: ergo multò magis Christus, ac subinde non habuit donum Prophetiæ, sed aliquod aliud longè præstantius. *Secundò*, De ratione Prophetiæ, est quòd res revelata non sit nota Prophetæ nisi duntaxat sub involucris & in ænigmate: at in Christo nihil fuit obscurum, nihil divinæ ejus cognitioni abstrusum & impervium. *Tertiò*, Nihil quod evacuandum fuit, in Christo extitit, quia evacuatio dicit imperfectionem: sed ex Apostolo 1. ad Cor. 13. *Prophetiæ evacuabuntur*: igitur Prophetiæ donum in Christo non extitit.

Denique, Si Christus fuisset Propheta, maximè vel ut Deus, vel ut homo: at non ut Deus, ut per se notum est: neque etiam ut homo; quia ut sic fuit beatus: beati autem non sunt Prophetæ: igitur, &c.

Respondeo ad primum, S. Joan. Baptistam dici plusquam Prophetam, non per exclusionem, sed per præcellentiam: ita quòd præstantiori Prophetiæ donô quàm cæteri Prophetæ fuerit illustratus. Hinc de eo vaticinatur ejus Pater S. Zacharias, *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*: unde particula illa plusquam Propheta, non est exclusiva doni Prophetiæ, sed significativa prærogativæ cujusdam ipsius S. Joan. Baptistæ supra cæteros Prophetas, quæ in eo maximè consistebat, quòd non ut cæteri Prophetæ denuntiaverit Christum obscurè, & procul, sed apertè ipsum cognoverit & manifestum fecerit, eum digitô demonstrando.

Ad secundum dico, quòd licèt res revelatæ, ut plurimum non apertæ fuerint Prophetis, sed abditæ, hoc fuit per accidens ad Prophetiæ donum ad quod præcisè spectat percipere & annunciare ea quæ naturalem hominum captum & notitiam excedunt, sive illa sint præterita, sive præsentia, sive futura; hoc autem perfectissimè habuit Christus Dominus, ut constat ex iis omnibus quæ futura denunciavit.

Ad tertium dico, Prophetiam fore evacuandam, ratione scilicet obscuritatis quam ordinariè includit, quia incompatibilis est cum visione beatifica: in Christo autem Prophetia nullam obscuritatem involvebat, unde non erat cur ab ipso evacuaretur. Vel dico Apostolum significare Prophetiam evacuandam, sicut ibidem dicit scientiam esse destruendam, non quantùm ad habitum, sed quantùm ad effectum instructionis aliorum, quia scilicet in altera vita nulli supererunt edocendi.

Ad quartum denique respondeo, Christum fuisse Prophetam ut hominem. Nec refert quòd fuerit beatus, quia fuit simul Viator & Comprehensor; unde utriusque statûs præcellentias sibi vendicare potuit. Nec valet inferre exinde quòd Christus tantùm extrinsecè & ratione duntaxat statûs fuerit Propheta: istud enim negabo, quia licèt illa cognitio sit Prophetica extrinsecè ratione statûs; tamen Christus intrinsecè erat Propheta ratione cognitionis prædictæ intrinsecè inhærentis.

Hîc autem *adverte* quòd licèt in reliquis Prophetis, Prophetia sit ad modum actûs citò transeuntis, tamen fuit in Christo per modum habitûs jugiter perseverantis, quô perfectissimè omnia præterita, præsentia & futura cognoscebat, ut significat S. Hieronymus Epistolâ 125. ad Damasum de tribus quæstionibus sacræ Scripturæ in quæstione tertia, quia erat ipse habitus scientiæ infusæ & ipse habitus luminis gloriæ, per quos omnia clarè cognoscebat. Idem ferendum judicium de cæteris gratiis, sapientiâ, scientiâ, fide, discretione spirituum; non vero de gratia miraculorum & sanitatum, & dono linguarum.

Sectio II.

De virtutibus animæ Christi & donis Spiritus sancti.

I. Triplex est virtutum genus.

TRIPLEX genus virtutum solitò distinguunt Theologi, aliæ enim dicuntur *Intellectuales*, aliæ *Morales*, aliæ *Theologicæ*: Primæ intellectum illustrant: Secundæ exornant voluntatem: Tertiæ verò ad utriusque facultatis ornatum & operationem spectant. De intellectualibus fiet sermo in Sectione sequenti, ubi examinabimus Christi Domini intellectûs virtutes & præcellentias, nempe sapientiæ ac scientiæ illius plenitudinem: impræsentiarum autem agendum est de virtutibus Theologicis & Moralibus, ad quas cùm spectent etiam dona Spiritus sancti, resolvemus pariter, an illa omnia quæ justis concedi solent, etiam Christo fuerint concessa: totum autem negotium istud tribus sequentibus quæstionibus absolvetur.

Quæstio Prima.

An Christus habuerit omnes virtutes Theologicas?

II. Quid & quotuplex sit virtus Theologica.

NOtandum primò, virtutem *Theologicam* appellari, quæ immediatè hominem ordinat circa Deum supernaturaliter attingendum per actus omnem naturæ captum transcendentes. Tres autem præsertim assignantur, scilicet Fides, Spes, & Charitas, quarum aliquæ imperfectionem quandam involvunt, ut fides, spes: *Fides* namque cùm sit argumentum non apparentium, obscuritatem & inevidentiam importat: *Spes* verò absentiam rei speratæ: *Charitas* verò cùm ex se

nullum defectum dicat, nec distinguatur à gratia sanctificante, ut cum subtili Doctore docebimus in Tractatu de Gratia, vel saltem ad eam sit necessariò consequens, ut volunt Thomistæ, haud dubium est illam fuisse in Christo Domino, de quo pariter conveniunt omnes Theologi; de fide verò & spe non ita consentiunt.

III.
Fides & spes duobus modis considerantur.

Notandum secundò fidem & spem duobus modis posse spectari; scilicet vel quoad actum vel quoad habitum. Quoad actum quidem, quatenus nempe est actualis attingentia ipsius Dei vel cogniti ab intellectu per fidem, velut certò expectati & nondum possessi per spem: quoad habitum verò, qui est supernaturalis qualitas jugiter in anima perseverans, quâ inclinatur, & juvatur ad actus fidei vel spei supernaturalis exercendos. Quanquam autem omnes Theologi conveniant fidem & spem quantùm ad actum non fuisse in Christo penes principale objectum illarum virtutum, scilicet Deum ipsum possidendum & videndum, quia Christus ab instanti suæ Conceptionis, ut probabitur infrà, jucundissimâ Dei fruitione per visionem & amorem potiebatur: tamen aliqui cum Durando contendunt, illas in Christo extitisse quantùm ad habitum; imò etiam volunt aliqui cum Suare in explicatione articuli quarti quæst. 7. spem in Christo fuisse quantùm ad actum & habitum, quô Christus adhuc mortalis desideravit beatitudinem sui corporis, item & sui nominis exaltationem. Duplex enim distinguitur objectum spei: scilicet primarium & secundarium. Objectum primarium, est quod per se speratur, ut beatitudo objectiva nempe Deus possidendus: objectum verò secundarium, sunt aliqua bona corporis vel animæ quæ beatitudinem ipsam consequuntur, & consequenter possunt esse objectum spei, quales poterant esse in Christo nominis exaltatio & corporis glorificatio.

IV.
Duo ad fidei motus requiruntur.

Notandum tertiò, duos ad fidem motus & actus requiri, alterum in intellectu, alterum in voluntate. Actus in intellectu, est ipsemet assensus fidei elicitus ab intellectu, qui assentitur rebus revelatis; actus præquisitus ex parte voluntatis, est motio aliqua voluntatis imperantis intellectui, ut assensum præbeat objectis revelatis, licèt obscurè popositis, nonobstante illius naturali inclinatione ad præbendum assensum duntaxat rebus evidentibus. Quam utique motionem aliqui *voluntatis imperium* appellant, ut Theologi communiter; alii *piam voluntatis affectionem*, ut plerique Recentiores; aliqui *affectum credulitatis*, ut Patres Concilii Arausicani Canone 3. Apostolus verò ad Romanos 10. appellat obedientiam, cùm ait: *Non omnes obediunt Evangelio*, quasi diceret, non omnes habent affectum seu voluntatem credendi Evangelio. Porrò hujusmodi voluntatis motionem ad actum fidei eliciendum ab intellectu, idcircò in nobis esse necessariam colligunt Theologi, quòd cùm sit objectum fidei inevidens & obscurum, non est per se sufficiens ad movendum intellectum, ut ipsi assensum præbeat, idcircò oportet, ut intellectus moveatur a voluntate, & ab ipsa veluti captivetur in obsequium fidei, ut loquitur S. Paulus.

Status quæstionis.

His ita præmissis tria veniunt in præsenti quæstione statuenda. *Primum*, quòd in Christi intellectu non fuerit fides, neque quoad actum, neque quoad habitum. *Secundum*, quòd nec in ejus voluntate fuerit pia affectio, quâ illa moveret intellectum ad assensum fidei. *Tertium*, quòd similiter non fuerit in Christo spes Theologica, neque quoad actum neque quoad habitum, tam circa objectum primarium quam circa secundarium.

CONCLUSIO PRIMA.

V.
Fides Theologica non fuit in Christo.

Fides Theologica neque quoad actum, neque quoad habitum fuit in Christo D.

Probatur primò. Quidquid intrinsecè dicit imperfectionem & oppositionem cum statu beatifico, & cum clara Dei visione, non fuit in Christo: At fides infusa tam quoad actum quàm quoad habitum, dicit imperfectionem & oppositionem cum visione beatifica: igitur in Christo non est admittenda. Major constat: quia Christus fuit beatus ab instanti suæ Conceptionis, ac subinde claram Dei visionem habebat, & consequenter ei repugnabat id omne quod erat oppositum statui beatitudinis, & illi intuitivæ Dei visioni. Minor etiam probatur: quia fides est per se cognitio inevidens & assensus rei obscurè propositæ, unde istud vulgare *Fides est credere quod non vides*; quocirca S. Paulus ad Hebræos 11. dicit: Est autem *Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: quod autem obscurum est & inevidens, directè pugnat cum cognitione evidenti & intuitiva: igitur, &c.

Deinde, Cognitio ænigmatica pugnat cum cognitione intuitiva: sed cognitio fidei est ænigmatica: cognitio verò beatifica est facialis & intuitiva; hinc Apostolus 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: igitur, &c.

Denique, Illud quod tantùm est ex parte in viatoribus, & evacuandum in beatis, non fuit in Christo, quia beatus erat ab instanti Conceptionis: At quod cognoscitur per fidem, evacuandum est in patriâ, ut ibidem docet Apostolus, dicens: *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: igitur fides non potuit esse in Christo.

Habuit tamen fidelitatem.

Objicies primò, illud Isaiæ 11. ubi Propheta delineans futuras Christi Domini virtutes, ait: *Erit fides cinctorium renum ejus*: ergo reverà Christus habuit fidem.

Distinguo. Habuit fidem quæ est assensus supernaturalis rebus obscurè divinitùs propositis, nego: habuit fidem quæ est fidelitas, & veracitas in promissis, concedo: Propheta autem nomine fidei, nil aliud significat, quàm istam fidelitatem, ut ad illum locum observat S. Hieronymus; quæ virtus cùm sit moralis & dicat perfectionem sine imperfectione, quia importat conformitatem factorum ad verba & promissa, idcirco illa potuit esse in Christo.

VI.
Non omnis virtus est admittenda in Christo.

Objicies secundò. Fides est perfectior virtutibus moralibus: sed in Christo sunt virtutes morales, ut videbimus: ergo & fides; nam quò virtus est perfectior, eò potiùs videtur esse ponenda in Christo.

Respondeo, non quamcumque nobilitatem facere ut virtus aliqua sit in Christo, sed eam quæ sibi nullam annexam habet imperfectionem, aut oppositionem ad statum Christi: virtutes autem morales nec imperfectionem, aut oppositionem habent cum statu Christi; fides verò habet, ut dictum est: ergo tametsi perfectior sit virtutibus moralibus ex objecto, tamen propter istam imperfectionem & oppositionem cum statu Christi, in eo ponenda non est.

VII.
Quare Christus D.

Objicies tertiò: Etiamsi in Christo Domino non sint divitiæ, seu magni sumptus circa quos occu-

potius habuerit magnificentiā quam fidē.

patuit magni sumptus circa quos occupatur magnificentia, non desinit tamen virtus magnificentiæ in eo locum habere: ergo à pari licet non sit respectu Christi Domini objectum fidei, quòd est res divina non visa, non ideo tamen est negandum esse in ipso fidem Theologicam.

Respondeo negando consequentiam: Siquidem in Christo Domino fuit magnificentia, licet et defuerint opes, quia opes & sumptus magni, sunt tantùm objectum materiale istius virtutis, cùm objectum formale sit modus servandus in opum distributione, atque in sumptibus faciendis; & si deficit aliquid sub ratione materiæ, non propterea oportet deficere habitum, sed tantùm si deficit sub ratione formali objecti: non deficit verò in Christo ratio formalis objecti magnificentiæ, scilicet modus quô sunt opes distribuendæ; ac sumptos faciendi. At verò in Christo Domino non reperitur ratio formalis fidei, nimirum res divina, ut non visa formaliter. Sic opposita penitus est ratio magnificentiæ & fidei in Christo; quippe magnificentiæ objectum materiale respectu illius deest, nimirum opes & sumptus faciendi; sed non deest objectum formale, nimirum modus sub quo sunt opes distribuendæ ac sumptus faciendi: fidei è contra objectum materiale non deest in Christo: nam objectum materiale fidei sunt res credendæ: est autem in intellectu ipsius Trinitas, Incarnatio, &c. sed deest objectum formale; quia non est in eo Trinitas ut non visa, Incarnatio ut obscurè cognita, sed ut clarè visa atque intuitivè cognita.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. Non erat etiam in eo pia motio voluntatis ad assensum fidei.

Non fuit in Christo Domino pia voluntatis affectio & motio per quam intellectus captivatur in obsequium fidei, & movetur ad assentiendum veritatibus à Deo obscurè revelatis.

Probatur. Medium sequitur rationem finis & necessitatem conditionem sui principalis: sed pia hæc voluntatis affectio, est medium ad fidei actum & habitum tanquam ad finem, & ordinatur ad illam ut accessorium ad principale: ergo quâ ratione non admittitur in Christo fides, neque etiam in ipso asserenda est pia hæc voluntatis affectio.

Confirmatur. Ubi aliquid ita subordinatur alteri, ut sit duntaxat in illius subsidium, & ut ei deserviat, tunc si illud cui subordinatur absit penitus, neque etiam potest subsidium istud reperiri: alioqui esset frustraneum: at hæc pia voluntatis affectio ita subordinatur fidei infusæ, ut duntaxat admittatur, ut determinet intellectum ad credendum rebus revelatis: igitur non est in Christi voluntate asserenda.

Quia non poterat redaci ad actum.

Dices: Christus in se habet potentiam generativam & nutritivam, quæ ordinantur ad ipsius vitæ conservationem, eumque inclinant ad exercendos actus, qui nusquam erunt nec esse possunt in Christo pro eo statu in quo nunc est: ergo pariter in ipso potest esse illa pia voluntatis affectio, quamvis ipsum inclinet ad actus fidei, quos propter repugnantiam status nunquam eliciet.

Nego paritatem, longè enim dispar est ratio, quia virtutes generativæ & nutritivæ, quatenus considerantur in actu primo, nullam dicunt imperfectionem, nec privant Christum aliquô bonô sibi intrinsecô, & suo statui conveniente, sicut ipsa fides quæ cùm intrinsecè importet obscuritatem, privaret Christum intuitivâ Dei visione: Adde quòd virtutes illæ & potentiæ pertinent ad naturæ humanæ integritatem, unde non sunt in Christo frustraneæ.

IX. Utrum fuerit in Christo meritum fidei.

Dices secundo: Fides fuit in Christo secundùm meritum, ut docent plurimi Theologi cum S. Thoma 3. p. q. 7. art. 3. ad 2. sed istud meritum fidei consistit in illa pia affectione voluntatis moventis intellectum ad assensum fidei: igitur illa motio fuit in voluntate Christi.

Distinguo minorem: Fuit virtualiter, quatenus voluntas Christi parata erat in omnibus perfectissimè Deo obedire; ita quòd etiam obediret Deo revelanti & obscurè proponenti veritates per fidem credendas, si aliundè illas clarè & intuitivè non videret, concedo: fuit actu & formaliter; ita quòd habuerit actuale fidei meritum propter illam motionem voluntatis, nego. Ad istud autem meritum virtuale non requiritur illa pia motio voluntatis, sed sufficit optima dispositio & promptitudo in voluntate ad obediendum fidei, si status permitteret, quam utique dispositionem velut in actu primo in Christo fuisse non inficior.

CONCLUSIO TERTIA.

X. Christus non habuit spem circa objectum primarium.

Spes non fuit in Christo, nec quoad actum, nec quoad habitum, tam circa objectum primarium, quàm circa secundarium. Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum *probatur prima*, nempe quòd illa virtus non fuerit in Christo quoad actum, quia quod possidetur, sperari non potest juxta illud Rom. 8. *Spes autem quæ videtur, non est spes*, id est, spes non est eorum quæ habentur & possidentur, nemo enim, sperat quod jam habet: atqui Christus à primo instanti suæ Conceptionis fruebatur Deô tanquā summô bonô, ut videbimus; ergo Deum sperare non potuit, seu erga Deum spei actum exercere. Explicatur vis hujus rationis: Spes est quidam motus animi in id quod non habet: ergo sicut adeptô terminô cessat motus: ita etiam obtentâ beatitudine cessat actus spei in Beatis, qualis fuit Christus à primo instanti suæ Conceptionis.

Quòd etiam non fuerit quoad habitum, patet; nam intrinsecè & realiter includit imperfectionem respectu Christi, scilicet inclinare voluntatem in actu primo in Deum summum ejus bonum, tanquam absens & non possessum: Status autem Christi talis fuit, ut semper Deum clarè viderit; unde non præcisè removetur iste habitus à Christo, quia otiosus & superfluus esset: sed quòd in eo arguat imperfectionem, & aliquam includa repugnantiam cum statu ejus, nimirum absentiam objecti, quod anima Christi semper præsens habuit.

Nec circa secundaria.

Non fuit etiam spes in Christo circa objecta secundaria: putà sui corporis glorificationem. *Probatur.* Ubi abest realis ratio specificativa alicujus habitûs, ibi penitus abest habitus correspondens: atqui realis ratio specificativa habitûs spei virtutis Theologicæ abest à Christo: ergo & habitus spei, nec ex consequenti habuit illum in ordine ad objecta secundaria. Major patet: quia nihil potest esse sine suo reali constitutivo. Minor probatur: Realis ratio specificativa habitûs spei virtutis Theologicæ, est ipse Deus ut fruendus & possidendus, quia habitus specificantur per ordinem ad proprium & reale objectum, Deus autem ut possidendus & fruendus, est proprium objectum spei: atqui hæc ratio Dei ut objecti possidendi & fruendi, semper penitus abfuit à Christo,

quia ſemper fuit beatus: ergo ſemper penitus abfuit à Chriſto habitus ſpei etiam quoad objecta ſecundaria.

Confirmatur hæc ratio. Habitus tantùm inclinat potentiam ad objecta ſecundaria, mediante & præſuppoſitâ inclinatione ad primarium ſuum objectum, quia objecta ſecundaria ſunt velut participationes, vel appendices ad objecta primaria: ergo ubicunque non datur inclinatio ad primarium & ſpecificans objectum, ſicut in Chriſto reſpectu ſpei, etiam non dabitur inclinatio ad ſecundarium objectum.

Præterea, ad rationem ſpei requiritur ut objectum non tantùm ſit arduum, ſed etiam habeat aliquam certitudinem, contingentiam & fallibilitatem: atqui gloria corporis non fuit Chriſto difficilis & ardua, etiam ſpectata quoad modum conjungendi illam Chriſto; nec etiam fuit illi contingens & fallibilis: igitur Chriſtus ſpem non habuit: Major ſuadetur exemplô: nemo enim v.g. ſperare dicitur ortum ſolis die ſequenti futurum, quia hoc eſt neceſſarium & infallibile, & nullô modô arduum. Probatur deinde ex eo quòd ſpes ita verſetur circa difficile, ut tamen juxta modum quô circa illud ſe ſe occupat, diſtinguatur ab audacia & fortitudine: at audacia & fortitudo verſantur circa illud ut eſt ſimpliciter difficile: ergo ſpes circa illud idem verſatur quatenus habet aliquam incertitudinem & contingentiam, itaut ad corroborandam voluntatem detur ei ſpes, quæ propterea à quibuſdam ſolet timori comparari, in hoc quòd utrumque ſint de objecto non omnino certo, ſed fallibili ex ſe. Minor duas habet partes. Prior eſt gloriam corporis fuiſſe Chriſto infallibilem & certiſſimam: poſterior eſt, non fuiſſe difficile Chriſto illam habere. *Probatur itaque prior*, quia ſi inter aliqua duo eſt naturalis quædam circumínceſſio & habitudo, unô obtentô certum eſt alterum futurum: at eſt naturalis connexio inter gloriam animæ & gloriam corporis, imò tanta ut poſitâ gloriâ in anima, neceſſariò ſequatur in corpore ſaltem ab anima non ſeparato, niſi ſpeciali diſpenſatione impediatur, ut factum eſt in Chriſto: ergo gloria corporis fuit illi certa & infallibilis. Probatur etiam poſterior: Difficultas quæ ad virtutem ſpei requiritur, & quæ conſiſtit in objecto ſpei conjungendo cum ipſo ſperante, provenire debet ex conditione iſtiuſmet objecti, & non ex mera libertate ſperantis, quâ veluti compedes iniciat ſibi, ne bonum aliàs ſibi debitum facilè obtineat: atqui gloriam obtinendi corporis difficultas in Chriſto fuit tantùm ex merâ voluntate ejus, quâ ſtatuit illam non aliter conſequi quàm moriendo pro nobis. Major confirmatur, quia aliàs quodcunque bonum abſens etiam ex natura ſua facillimum, poſſet eſſe objectum ſpei noſtræ, cùm liberum ſit cuilibet impedimenta ad illud obtinendum ſibi procurare, ipſa tamen bona communiter ſperari non dicuntur. Minor verò probatur ex ipſo Chriſti Domini transfigurationis myſterio: in eo ſiquidem pro ſua libertate ac beneplacito ex pluribus dotibus corporis glorioſi permiſit ſolùm claritatem manifeſtari: igitur cùm Chriſtus æquè fuerit liber circa cæteras dotes ac circa glorificationem, quemadmodum ex beneplacito & mera voluntate ſua, impedivit ne in ſua transfiguratione cætera apparerent: ita etiam penes ejus libertatem fuit omnes illas dotes corporis glorioſi quoad meritum & redemptionem generis humani impedire, ne reſultarent & redundarent ex beatitudine animæ in ſuum corpus.

Reponit Suares, quòd ad rationem ſpei non deſideretur incertitudo & fallibilitas, quia, inquit, ſi id eſſet neceſſarium, ſequeretur quòd in viatoribus confirmatis in gratia non eſſet amplius ſpes, cùm illi ſint ſecuri de ſua ſalute.

XII. Duplex eſt inevitabilitas & certitudo reſpectu rei ſperandæ.

Verùm reſpondeo, gloriam ſive corporis, ſive animæ duobus modis dici poſſe neceſſariam & inevitabilem. *Primò* quidem ex natura ſua, quando ſcilicet ipſe ſperans habet in ſe neceſſarium principium illius gloriæ. *Secundò*, per accidens, quando principium illius gloriæ efficiendæ quod eſt in ipſo expectante & ſperante, eſt quidem naturâ ſuâ fallibile; de facto tamen ratione alterius extrinſeci ſuperadditi, dicitur certò futurum id quod ſperatur: ſicut homo juſtus habet gratiam per quam poteſt obtinere gloriam, in qua gratia contingenter moritur, quia potuit in illa non mori, per accidens tamen quatenus Deus illum ſpeciali auxiliô protegit, infallibiliter in illa moritur. Porro *prima inevitabilitas* & neceſſitas tollit ab objecto ſpei difficultatem & contingentiam illi propriam, quia tunc bonum expectatum conjungitur & inevitabiliter & neceſſariò ipſi expectanti, quia ad poſitionem illius quaſi naturaliter ſequitur, ut effectus à ſua cauſa. *Secunda verò inevitabilitas* & neceſſitas non aufert ab objecto ſpei difficultatem & contingentiam illi propriam, ut patet in adultis juſtis morientibus in ſtatu gratiæ, qui infallibiliter conſequuntur gloriam, nihilominus illa conſecutio dicitur contingens, quia poſſent non mori in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Unde cùm in gratia confirmatis ſtatum ſuum ex ſpeciali revelatione cognoſcentibus, reperiatur tantùm illa ſecunda inevitabilitas per accidens; hinc eſt quòd in ipſis ſemper permaneat habitus ſpei.

Cæterùm in Chriſto fuit prior inevitabilitas reſpectu gloriæ corporis; ſiquidem ratione gloriæ animæ ſuæ beatæ habuit internum principium gloriæ corporis aſſequendæ, quippe gloria animæ, niſi per miraculum præpediatur, in ipſum corpus redundat.

Objicies illa verba Pſalmi 17. *Deus meus, adjutor meus & ſperabo in eum*, quæ verba S. Apoſtolus explicat de Chriſto: ergo reverà Chriſtus habuit ſpem.

Reſpondeò ibi verbum *ſperandi* non ſumi pro actu ſpei, ſed pro confidentia, quâ quis confidit alteri ſuam ſalutem, unde etiam Apoſtolus non utitur verbô *ſperandi*, nam ubi David dicit *ſperabo in eum*, ipſe ſcribit *ero fidens in eo*. Itaque potuit equidem eſſe deſiderium aliquod in Chriſto reſpectu gloriæ corporis conſequendæ, non verò ſpes propriè dicta: iſtud namque deſiderium oriri potuit ex ſummâ charitate in Deum propter quem gloriam propriè corporis deſiderabat.

XIII. Nec etiam habuit virtutem pœnitentiæ.

Ex his collige ſimiliter virtutem pœnitentiæ non fuiſſe in Chriſto, quatenus illius actus primarius & ſpecificativus eſt vel dolor peccati ex motivo emendationis, vel intentio expiandi debiti, etenim habitus non poteſt eſſe in ſubjecto cui ab intrinſeco repugnat actus illius primarius: ſed humanitati Chriſti ratione illius unionis ad Verbum & plenitudinis ab intrinſeco repugnat objectum ſpecificans actum primarium pœnitentiæ; nempe peccatum proprium pœnitentis ut expiabile vel emendabile, & conſequenter etiam ipſi repugnat ille habitus pœnitentiæ. Si verò pœnitentia accipiatur pro ipſâ virtute religionis,

obedientiæ, vel charitatis, quæ etiam ex se nutantant in peccatum, & illud expiandum ac destruendum aggrediuntur: non inficior hac ratione virtutem pœnitentiæ in Christo extitisse.

Quæstio II.

An & qualiter virtutes morales fuerint in Christo.

I. Quid sit virtus moralis.

N*Otandum primò*, nomine *virtutis moralis* hîc intelligi omnem habitum electivum in medietate consistentem quoad nos, prout vir prudens definierit: cujus definitionis particulas luculenter explicatas habes in nostra Philosophia morali. Dicitur autem *moralis*, quia actus humanos hominumque mores informat. Sunt autem quatuor principes virtutes morales, quarum tres dicuntur appetitivæ, quia in rationali appetitu resident & ordinantur ad regulandam voluntatem: illæ autem sunt, Justitia & Fortitudo & Temperantia, & una intellectualis, nempe Prudentia, quæ hominum mentes illustrat & dirigit in suis actibus rectè debitèque eliciendis & componendis. Dicitur autem hæc virtus moralis, non quòd ipsa in voluntate resideat, & eam immediatè dirigat, sed quia intellectum ordinat ad moderandos & regulandos ipsius voluntatis actus liberos & studiosos, estque adeò necessaria, ut eà absente cæteræ virtutes futile & inane sibi nomen vendicent. Hæ autem quatuor virtutes vulgò dicuntur *Cardinales*, comparatione sumptâ a cardinibus Januæ. Quemadmodum enim janua cardine vertitur, sic universa vitæ nostræ moralis conversatio his virtutibus, quasi cardinibus ad honestatem volvitur. Dicuntur etiam *principes*, quia ad ipsas omnes aliæ ordinantur. *Addo insuper* virtutum moralium alias esse quæ nullam imperfectionem includunt, vel connotant in habente illas, ut sunt Fortitudo & Justitia: alias verò quæ aliquam imperfectionem includunt & connotant, ut Continentia, quâ scilicet præsentibus concupiscentiis homo cum difficultate resistit.

II. Virtutes morales possunt spectari in triplici statu.

Notandum secundò, virtutes morales spectari posse in triplici statu, nimirum imperfecto, perfecto & heroico, seu superexcellenti. In statu *imperfecto* non est propriè virtus, sed dispositio quædam quam nata est sequi virtus perfecta; vel est virtus duntaxat inchoata seu remissa. In statu *perfecto*, est virtus intenta quidem & firma: sed quæ versatur tantùm circa propriam materiam, ut Temperantia circa frænandas ac moderandas corporis & animi voluptates. In statu verò *superexcellenti & heroico* dum extra proprium objectum se se extendit, ut Temperantia moderans voluptates etiam propositô mortis periculô, quâ ratione videtur extendi ad Fortitudinem, seu strictissimam fœderationem, arctumque vinculum, cum ipsa virtute Fortitudinis contraxisse. Difficultas autem est quônam ex illis statibus in Christo extiterint.

III. Virtutes morales possunt infundi.

Notandum tertiò, quòd etsi morales virtutes humanô studiô comparentur; nihilominus etiam divinitùs possunt infundi, quemadmodum & Theologicæ: cum hoc tamen discrimine, quòd virtutes Theologicæ infundantur per se & necessariò, quia nullis naturæ viribus, nulloque hominum labore ac studio possunt obtineri: morales autem dicuntur infundi duntaxat per accidens, quia licèt ex se hominum industriâ & exercitatione comparari queant; tamen citra omne hominis studium divinitùs possunt ex summa Dei liberalitate in animam infundi: non quidem eâ solùm ratione, quâ ordinantur ad finem supernaturalem, putà cùm illæ virtutes hominem ordinant ad operandum ex motivo charitatis, & propter Dei gloriam, sed etiam cùm referuntur ad finem naturalem; putà cùm eliciunt suos actus ex motivo pacis publicæ & propter honestatem humanam. Non enim possum probare quorundam Modernorum sententiam, qui volunt virtutes morales posse solùm infundi divinitùs, quatenus ordinant hominem ad finem supernaturalem, & cum movent ad operandum ex motivo Charitatis. Enimverò si virtutes morales quatenus infusæ, per hoc distinguerentur à seipsis, quatenus acquisitæ, sequeretur neminem per virtutem moralem acquisitam elicere posse actum studiosum in ordine ad finem supernaturalem, & ex motivo charitatis, quod est apertè falsum.

Tria igitur hac in quæstione sunt statuenda. *Primum*, an reverà Christus habuerit omnes virtutes morales. *Secundum*, an illas habuerit in statu perfecto & heroico. *Tertium*, an eas obtinuerit propriô studiô, an verò per infusionem, idque ab instanti suæ conceptionis.

Conclusio Prima.

O*Mnes virtutes morales, quæ nullam imperfectionem includunt & connotant, reverà fuerunt in Christo.*

IV. Quænam morales virtutes fuerint in Christo.

Probatur primò. Nulla perfectio etiam naturalis, aut moralis debuit deesse Christo; at virtutes morales sunt maximæ perfectiones, quia maximè perficiunt homines in ordine ad vitam humanam honestè, studiosè, monasticè, œconomicè, & politicè degendam: ergo non debuerunt deesse Christo. *Deinde*, Christus promptè eliciebat actiones morales, putà Justitiæ, Fortitudinis & Prudentiæ, quoties se se offerebat occasio: ergo illas eliciebat mediantibus virtutibus moralibus, quia nemo potest promptè & expeditè prorumpere in illam actionem sine habitibus ordinatis ad illam. *Denique*, in Christo potuit esse aliqua difficultas in exercendis virtutum actibus, ut quando tempore mortis, sensus mortem refugiebat: ergo ad eam superandam fuit conveniens eum habere virtutem fortitudinis.

Objicies Liberalitas, Temperantia, Continentia & Prudentia non fuerunt in Christo: sed istæ virtutes sunt morales, nullamque dicunt imperfectionem repugnantem statui Christi: ergo in Christo non fuerunt omnes virtutes morales, quæ non habent imperfectionem annexam. Minor constat: Major probatur Primò enim quòd non fuerit *liberalitas* patet, quia est virtus quâ rectè dispensantur divitiæ: Christus autem fuit summè pauper. Quòd non etiam *Temperantia* & *Continentia*: Probatur; quia illa moderatè componit sensus circa objecta sensibilia, itaut ordinatos motus circa illa exerceat; hæc verò temperat motus carnis: Christus autem nullos habuit motus qui coërcerentur. De *Prudentia* etiam probatur, nam illa non acquiritur nisi cum scientia acquisita: at Christus in instanti suæ conceptionis non habuit scientiam acquisitam: ergo neque saltem pro illo instanti prudentiam. Hôc satis debili fundamentô suadetur Vasques 10 3. p. D. Thomæ dist. 2. c. 2. ut defendat Prudentiam non fuisse infusam in Christo in instanti conceptionis, sed paulatim acquisitam simul cum scientia acquisita.

Respondeo, negando majorem, & dicendo ad sin-

V. Quomodo in Christo fuerit liberalitas.

gulas partes probationis ejus, *primò* virtutes morales non consistere in ipso exercitio actûs studiosi & moraliter boni, sed in qualitate permanente quæ sit productiva actûs illius, ut docetur in Ethicis: proindeque juxta illud, pauperes posse esse liberales sicut & divites, licet nihil possideant quod possint erogare, quia sufficit qualitas illa permanens seu habitus studiosus rectè afficiens voluntatem circa actus liberalitatis exercendos, si sese offerret occasio; atque ita liberalitatem fuisse in Christo nullus negat. *Adde quod* etiam quoad actum externum Christus liberalitatem exercuit, præsertim quando bis maximam hominum multitudinem satiavit Matth. 14. & 15.

Temperantia. Continentia.

Secundò, temperantiam & continentiam non acquiri ad coercendos inordinatos motus duntaxat, sed ne illi motus adsint, ideoque temperantiam & continentiam in gradu communi temperare quidem motus inordinatos circa sensibilia, in gradu verò heroico, non solùm temperare, sed etiam efficere ut nullô modô adsint: Christus autem habuit temperantiam & continentiam in gradu heroico, & ideo eas virtutes habuit, ut in eo nulli essent motus inordinati circa sensibilia.

Et prudentia.

Prudentia autem non solùm reperitur cum scientia acquisita, sed etiam cum aliis virtutibus moralibus, quarum omnium est forma & regula, quapropter tametsi Christus in instanti Conceptionis scientiam acquisitam non habuerit; non minùs tamen prudentiam debuit habere, quæ tunc etiam esset moderatrix cæterarum virtutum quas illi fuisse infusas in instanti Conceptionis inferiùs probabitur.

VI. Quomodo virtutes morales in beatis perseverent.

Objicies secundò: In Christo non fuerunt illæ virtutes quæ habent repugnantiam cum statu beatitudinis & perfectæ sanctitatis: sed virtutes morales habent repugnantiam cum statu beatitudinis & perfectæ sanctitatis: igitur, &c. Major constat: Christus enim ab instanti suæ Conceptionis fuit beatus. Minor etiam est evidens: quia virtutes illæ non remanent in Beatis, nec requiruntur in Viris sanctissimis; siquidem ordinantur ad refrænandas passiones, quæ in Viris sanctissimis strænatæ sunt; maximè verò in Christo qui passiones habuit rationis imperio perfectissimè subjectas, ut patebit infrà: igitur, &c.

Nego minorem & ad ejus probationem dico primò, virtutes morales remanere in statu beatitudinis, non quidem quantùm ad materiale, ut sunt voluptates & delectationes ciborum & venereorum respectu temperantiæ, vel timor aut audacia circa pericula mortis respectu fortitudinis, vel distributiones & commutationes rerum respectu justitiæ, &c. remanent tamen secundùm quòd est formale in ipsa virtute, nam electio recta secundùm ordinem rationis circa honestatem & medium illarum passionum ad quas moderandas virtutes illæ ex se ordinantur, seu remanent quantùm ad actum primarium & internum; non verò quoad secundarium & externum: Nam virtutes illæ *primò* & per se ordinantur ut disponant appetitum ad faciliter & promptè eligendum in propriis materiis conformiter ad rationem. Secundariò verò ad refrænandas passiones: unde virtutes illæ possunt esse in Viris sanctissimis, quantùm ad illum primarium affectum, licèt in ipsis esse nequeant quantùm ad secundarium.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII.

Christus habuit virtutes morales in gradu heroïco, idque per infusionem ab instanti suæ Conceptionis. Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum probatur *prima*. In eo non fuerunt virtutes morales in communi gradu, sed superexcellenti, in quo non sunt passiones immoderatæ, sed bene ordinatæ & compositæ: at in Christo non fuerunt passiones immoderatæ, sed ad nutum & voluntatē compositæ: igitur fuerunt in eo virtutes in gradu heroico. Major constat: cùm enim virtus heroïca maximè in eo consistat, ut passiones omnes reprimat easque imperio voluntatis subjiciat, certum est ipsum habere virtutem heroïcam qui bene compositas habet passiones. Unde virtutes in statu perfecto dicuntur purgantes animum; in gradu autem heroïco appellantur ab Aristotele & Plotino virtutes purgati animi. Minor etiam constat: nam ut probabimus infrà, Christus omnes suas passiones, omnes appetitûs sensitivi motus pro voluntate ac nutu exercebat ac moderabatur.

Christus habuit virtutes morales in gradu heroïco.

Ab instanti suæ Conceptionis.

Deinde. Christus habuit virtutes in statu perfectissimo qui possibilis erat: sed reverà possibilis est virtus in gradu heroico: ergo, &c. Major patet: convenientissimum enim fuit dignitati Christi, ut omnem omninò excellentiam & perfectionem haberet cum suo statu compossibilem. Minor constat ex Philosophis.

Denique. Virtus illa censetur haberi in statu heroico, quæ secum alias virtutes annexas habet: at Christus habuit omnes virtutes sibi connexas: igitur, &c.

Idque per infusionem.

Probatur secunda pars ex Isaïæ cap. 7. ubi de Christo adhuc infante dicitur, *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* In quem locum sic S. Hieronymus scribit; *Pannis involutus; & butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona.* Præterea Christus ad minimum fuit æquè perfectus, ac primi parentes; at primi parentes statim atque creati sunt, habuerunt omnes virtutes morales, ut docent communiter Theologi: ergo à fortiori Christus illas virtutes morales habuit. *Tandem* Christus à primo instanti suæ Conceptionis fuit perfectus tam quoad voluntatem, quàm quoad intellectum; nam ideò etiam pro eo instanti vocatur Vir in sacris litteris, ut cùm dicitur, *Fœmina circumdabit virum*: at perfectio voluntatis secundùm ordinem naturæ fit maximè per virtutes morales ex genere suo acquisitas: ergo Christus ab illo instanti illas habuit.

Tertia pars probatur: Christus non habuit virtutes illas per acquisitionem: ergo habuit per infusionem. Antecedens probatur: Nam probabilius est virtutes morales omnes pro illo instanti Conceptionis fuisse in Christo; non potuit autem omnes simul pro eo instanti acquirere, quia per aliquem actum intensissimum acquirendo unam, aliæ nondum adfuissent: ergo probabilius est non per acquisitionem, sed per infusionem virtutes illas morales in Christo fuisse.

QUÆSTIO III.

Utrùm Christus habuerit omnia dona Spiritûs sancti.

I. Quot & quæ sint dona Spiritûs sancti.

Notandum primò, dona Spiritûs sancti, septem solitò numerari ex Isaïæ cap. 11. ubi loquens de Christo, ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus*

Spiritus Consilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebis eum Spiritus timoris Domini. Quorum omnium donorum tria pertinent ad voluntatem, nempe timor, pietas & fortitudo: reliqua autem quatuor ad intellectum spectant, *Pietas* enim hominem disponit in iis quæ sunt ad alterum: *Fortitudo* in iis quæ sunt ad seipsum contra incursionem periculorum: *Timor* in iis quæ sunt ad seipsum contra concupiscentiam inordinatam delectabilium. *Intellectus* mentem perficit ad apprehensionem veritatis speculativæ: *Sapientia* ad perfecte judicandum: *Consilium* ad apprehensionem veritatis practicæ: *Scientia* denique ad rectè formandum judicium practicum de ipsa veritate, ut docet Durandus in 3. dist. 34. quæst. 3. num. 6. ubi existimat in Christo ut viatore, hæc dona fuisse tam quoad actum, quam quoad habitum: at in Christo ut solùm comprehensore qualis nunc est, ea tantùm esse, etiam quoad actum, quæ hominem perficiunt in vita speculativa; quæ verò illum perficiunt in vita activa & practica, esse solummodò quoad habitum; sed ei ut plurimum refragantur cæteri Theologi.

II. Non distinguuntur a virtutibus.

Notandum secundò, ex Doctore subtili in 3. dist. 24. num. 6. verisimilius esse quòd dona Spiritûs sancti non distinguantur à virtutibus Theologicis & moralibus, nisi per modum adjutorii prædictarum virtutum: nam ut egregiè ratiocinatur, Illi habitus tantùm ponendi sunt in viatore, quibus perficitur, circa omne objectum, quantùm perfici potest in viâ. Hujusmodi sunt septem virtutes in genere, non curando de scientiis speculativis acquisitis: igitur præter scientias speculativas acquisitas nullus erit habitus in viatore ponendus, alius simpliciter à septem virtutibus. Probatio majoris. Objectum circa quod perfici potest viator, non potest esse nisi Deus, vel creatura: sed circa Deum sufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis, & hoc perfectissimè quantùm perfici potest, si illi tres habitus sint perfecectissimi in suo genere; circa creaturam verò (non loquendo de speculativis) intellectus perfectissimè perficitur per prudentiam, si prudentia sit perfectissima: ipsa enim est de omni agibili, & quantùm ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia.

Similiter quantùm ad appetitum, perfectissimè perficitur tribus virtutibus moralibus, si sint perfectissimæ; quia tam circa alium, & appetibile alteri, quàm circa se, & appetibile sibi; & hoc vel primo & directè, vel secundariò propter illa prima: & hoc intelligendo de istis quatuor virtutibus Cardinalibus, quòd non sint in aliquo unus habitus numerò, qui sit sibi universalis Temperantia, vel universalis Justitia, hoc est, circa omnia, sed quòd singulæ species Justitiæ insint suis propriis singularibus. Per tres autem virtutes Theologicas sufficienter perficitur viator circa Deum immediatè: quia circa ipsum, ut immediatè cognoscendum in via, sufficienter perficit fides: quia de Deo in via non potest haberi, nisi cognitio fidei, sicut dictum est suprà in isto tertio, dist. 24. circa autem ipsum, ut diligibilem in se, sufficienter perficit Charitas; & ut appetibilem & commodum mihi, sufficienter perficit spes, sicut patet in quæstionibus superioribus de fide, spe, & Charitate. Sed non convenit viatorem habere circa Deum actus ordinatos alios, quàm intelligere, diligere ipsum in se, & appetere eum mihi, ut bonum meum: ergo, &c. Consimiliter circa omne aliud bonum à Deo, ut circa objectum, sufficienter perficitur viator habitibus intellectualibus, & appetitivis: sed isti habitus intellectivi perficientes intellectum, sunt virtutes intellectuales, & illæ sufficienter perficiunt viatorem quantùm possibile est, & ad considerandum, & ad syllogisandum practicè; habitus etiam appetitivi sunt virtutes appetitivæ, quæ virtutes sufficienter perficiunt viatorem ad appetendum, vel ad diligendum sive in ordine ad se, sive ad aliud: igitur homo perfectus tribus virtutibus Theologicis & virtutibus intellectualibus, speculativis & practicis, & virtutibus moralibus ordinantibus ad se, & ad alterum; perficitur, quaotùm potest competere viatori: igitur non videtur aliqua necessitas ponendi aliquos alios habitus ab istis, qui sunt virtutes Theologicæ intellectuales & Morales.

III. Triplex est Timor: naturalis, mundanus, & divinus.

Notandum tertio, generatim triplicem esse Timorem. *Primus* est *naturalis*, qui est passio quô animal naturaliter fugit malum imminens: hic residet in parte sensitiva, & per se neque laudabilis est neque vituperabilis. Secundus est *mundanus* seu humanus, quô scilicet quodcunque temporale malum, vel cujuscunque temporalis boni amissio ita timetur, ut propterea justitia deseratur, aut illicita committendo, aut debita omittendo: hic semper vitiosus est atque à Scripturis reprobatus; maximè Ecclesiastici 7. & Matthæi 10. Tertius denique est *divinus*, qui rursus à quibusdam Theologis triplex distinguitur, nempe servilis, initialis & filialis. *Servilis* est quô non amore justitiæ, sed metu gehennæ, vel etiam temporalis pœnæ à malo opere quis abstinet, & quod legis est operatur: quod autem bonum sit timere pœnam, definit Concilium Trid. Sessione 6. & probant SS. Patres, atque imprimis S. Augustinus qui passim docet nisi timore incipiat homo Deum colere, non pervenire ad amorem, ut in Psal. 149. Unde hortatur homines ut timore pœnæ faciant, quod amore justitiæ nondum possunt: Sic sermone 13. de verbis Apostoli. *Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Et Tractatu 43. in Joannem: *Si nondum potes amare justitiam, time vel pœnam.*

Hic rursus triplex. *Servilis.*

Timor *initialis* est ille, qui à malo retrahit, & ad bonum impellit, partim metu pœnæ, & partim amore justitiæ. *Initialis* dicitur; quia propriè est incipientium ducere vitam spiritualem. Medius est inter servilem & filialem, de quo nunc dicturi sumus: sed ita ut propiùs accedat ad filialem, quam ad servilem, quia ordinem habet ad filialem, tanquam ad tendentem in Deum, & avertit à servili tanquam deserentem illum. Timor *filialis* est ille quô quis metuit Deum offendere & per offensam, id est, culpam à Deo separari, vel certè Deum reveretur tanquam supremum omnium Dominum, & peccatorum justum vindicem. Hic timor dicitur, *castus, filialis, reverentialis*. Castus, secundùm quod Deus comparatur ad animas nostras tanquam sponsus, juxta illud 1. Cor. 11. *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Filialis secundùm quod comparatur ad Deum tanquam ad Patrem Rom. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus abba Pater.* Reverentialis secundùm quod per eum homines, etiam beatitudine donati, Deum reverentur. Hôc positô, dico donum timoris non sic nuncupari à timore naturali: quem tamen timorem in Christo viatore fuisse certum est; non etiã à timore mundano, qui nec fuit unquam, nec esse potuit in

Initialis.

Et filialis, qui etiam dicitur *castus* & reverentialis.

Christo; quia timor vitiosus est atque carnalis; an autem in eo fuerit triplex timor divinus, nimirum servilis, initialis & filialis, hîc est determinandum.

Conclusio Unica.

Omnia dona Spiritûs sancti reverà fuerunt in Christo.

IV. *ChristusD. habuit omnia dona Spiritus S.*

Probatur ex illo Isaiæ cap. 11. laudatô in primo Notabili, nec-non ex illis omnibus sacræ Scripturæ textibus, quibus suprà demonstratum est omnes gratias, omniaque divina Charismata, quæ in universos homines derivantur, in Christo tanquam in capite præexistere, & ab illo in homines tanquam in sua membra effluere. *Probatur* insuper. Dona Spiritûs sancti nihil aliud sunt quam B perfectiones aliquæ potentiarum quibus homo facilè movetur à Spiritu sancto ad perfectissima opera exercenda: sed Christus movebatur a Spiritu sancto ad præstantissima opera: ergo, &c. Major patet ex omnibus Theologis ponentibus hoc discrimen inter dona & virtutem tam infusam, quam acquisitam; quòd virtutes hominem perficiunt quoad communes actus: dona verò ad præstantissimos actus. Minor patet ex multis Christi operibus, ut quando Spiritus sanctus movit illum ad jejunandum quadraginta diebus & noctibus.

Non solùm quoad habitum,

Præterea. Quæ dicunt perfectionem sine imperfectione & remanent in Beatis, fuerunt in Christo: at dona Spiritûs sancti remanent in Beatis, non quidem singula quoad actum, sed quoad habitum, & sunt Beatis ornamento sicut aliæ virtutes. Dicunt etiam perfectionem sine imperfectione, ut patet discurrendo per singula: nam *sapientia* est habitus quô intellectus redditur facilè mobilis à Spiritu sancto, ut firmiter judicet de rebus divinis propter rationes supernaturales: *Intellectus* est donum quô facilè est mobilis idem intellectus ad percipienda & explicanda prima principia religionis nostræ: *Scientia* donum quô facilè redditur mobilis, ut deducat conclusiones ex illis principiis. Donum consilii est, quô redditur facilè mobilis, ut in particulari judicet quid hîc & nunc sit agendum. *Donum pietatis* est, quô voluntas redditur facilè mobilis ad cultum Dei; D vel, ut alii volunt, ad misericordiam erga proximum. Donum *fortitudinis* est, quô eadem voluntas redditur facilè mobilis ad constanti animo inhærendum operi difficili: Donum *timoris* denique, quô eadem voluntas redditur facilè mobilis ad se submittendum divinæ Majestati propter ejus summam eminentiam: ista autem omnia nullam dicunt imperfectionem, sed potius perfectionem: ergo illa dona Spiritûs sancti fuerunt in Christo, & nunc etiam remanent in illo.

Quòd verò hæc dona fuerint in Christo secundùm actum, patet ex multis ejus operibus; ut quando Matthæi 4. perrexit in desertum. Quod E sic describitur ab Evangelista, *Ductus est in desertum, &c.* quando ibi jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: quando Lucæ 6. *Exiit in montem orare & pernoctare in oratione Dei:* quando prudentissimè respondit quærentibus, an liceret dare censum Cæsari? quando locutus est aliis mulierem in adulterio comprehensam adducentibus, ut ejus calculô condemnaretur: quandô in deserto misericordiâ motus pavit populum.

Sed etiam quoad actum.

Dices primò. Ea tantùm dona Spiritus sancti sunt in Christo asserenda, quæ respiciunt vitam A beatam & contemplativam; non autem activam, quæ non habet locum in beatitudine supernaturali: sed ex donis Spiritus sancti superiùs enumeratis, quædam sunt quæ respiciunt duntaxat vitam activam, ut consilium, scientia, pietas, & timor: ergo dona ista non sunt in Christo comprehensore asserenda.

Respondeo primò, majorem esse veram de iis donis, quæ adæquatè considerata respiciunt vitam activam: secùs autem, si inadæquatè duntaxat. Ad minorem autem dico quinque præfata dona in hoc distingui à duobus aliis, quòd alia duo nullomodo pertineant ad vitam activam, cætera autem quinque partim ad activam, & partim ad contemplativam ordinentur.

Nec tantùm quæ spectant ad contemplationem: sed etiã actionem.

Respondeo secundò, negari posse majorem; siquidem Christus Dominus non solùm dum in terris cum hominibus agebat, sed etiam in cœlis existens, agit vitâ nedum contemplativam, sed etiam activam, quatenus circa nos & Angelos exercet munia veri capitis moralis; hæc enim munia non consistunt in pura speculatione, sed in aliquo influxu & actuali directione, quæ cùm non consistant in aliqua simplici speculatione objecti beatifici, sed etiam ordinent ad aliquid præstandum circa membra sub se constituta, ista operatio nedum ad vitam contemplativam, sed etiam ad activam pertinet.

Dices secundò. Donum consilii videtur impor- C tare dubitationem & ignorantiam, quia ibi tantùm adhibetur consilium, ubi est hæsitatio & ignorantia de eo quod faciendum est: at in Christo non fuit ulla hæsitatio & ignorantia: ergo nec opus donô consilii.

V. *Donum consilii non semper importat dubitationem.*

Nego majorem, falsum enim est quòd consilium præcisè & formaliter sumptum importet dubitationem & ignorantiam in consultante: nam passim in sacris Litteris & Patribus tribuitur Deo, cui nulla inest hæsitatio & ignorantia: sed consilium formaliter duntaxat importat actum intellectûs, quô ipsa electio voluntatis dirigitur. Quòd autem consilium ut est in nobis, habeat dubitationem & ignorantiam sibi annexas, id tantùm provenit ex nostra imperfectione.

Sola potest esse difficultas de *dono timoris*, gravis enim circa hoc inter S. Bernardum & Abailardum aliquando controversia fuit, an timoris donum esset in Christo admittendum; negabat quippe Abailardus timorem istum in Christo reperiri. Verùm hunc errorem ejuravit, & contrarium postmodum docuit, ut constat ex epistola sua 2. ad universos filios Ecclesiæ, ubi habet: *Castum timorem in sæculum sæculi permanentem, qui propriè Charitatis reverentia dicitur, tam ipsi animæ Christi, quàm electis Angelis, & hominibus inesse semper recognosco.*

VI. *Donum timoris in Christo negaverat Abailardus: sed hunc errorem ejuravit.*

Quòd autem reverà in Christo fuerit donum timoris, non quidem secundùm eum actum, quô metuitur offensa Dei, vel separatio Dei; sed secundùm actum quemdam reverentiæ Dei ortæ ex consideratione Justitiæ, & severitatis ejus erga delinquentes, in primis verò eminentiæ ipsius: *Probatur* hâc ratione. Timor respicit duo objecta, quorum unum est malum terribile, & aliud est illud cujus potestate malum inferri potest: sicut aliquis timet Regem, in quantùm habet potestatem occidendi, unde non timeretur ille qui potest nocere, nisi haberet quandam eminentiam potestatis, cui facilè resisti non potest: Christus autem semper fuit securus se nunquam peccaturum, sicque certus erat se non fore à Deo

ſeparandum : atque ideò non habebat hunc primum actum timoris, ſed duntaxat ſecundum, videlicet actum reverentiæ, prout ſcilicet ejus anima quôdam affectu reverentiæ à Spiritu ſancto excitata ferebatur in Deum; unde Heb. 5. dicitur, *Quod in omnibus exauditus eſt pro ſua reverentia.*

VII. Quid ſit præcisè donum timoris: & ad quam virtutem ſpectet.

Quæritur autem apud Theologos, quis ſit ille actus timoris filialis, ſeu reverentiæ ad Deum propter ejus eminentiam : poſſumus enim intelligere per illam reverentiam, affectum parendi Deo ut ſupremo Domino, & ſic refunditur in obedientiam: *vel* colendi illum ut ſupremum ens, & ſic ſpectat ad religionem: vel ſubdendi ſe Deo præferendo in omnibus honorem divinum proprio, & ſic pertinet ad humilitatem: quâ ratione S. Auguſtinus lib. de ſerm. Domini in monte docet, *Donum timoris humiliati reſpondere*, quapropter ſerm. 1. de Annunciatione, timorem ſuperbiæ opponit: & ideo S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 26. dicit donum timoris dari contra ſuperbiam. Ex hoc verò affectu ſequitur in voluntate quidam motus per modum fugæ quô creatura in conſpectu divinæ & ſupereminentis Majeſtatis ita ſe habet, ut non audeat ad illam accedere, & omninò caveat in aliquo divinam illam ejus excellentiam uſurpare, & formidat ac fugit inveſtigare ejus mirabilia.

Hic autem modus vocatur à S. Patribus *timor reverentiæ* ſeu *admirationis*, ut videre eſt apud S. Gregorium lib. 17. Moral. cap. 19. & Dionyſium cap. 13. de cœleſti Hierarchia, ubi exponens viſionem Iſaiæ, qui viderat Seraphim velantes pedes & terga, dicit per eam ſignificari, *ſacram illam ac plenam horroris venerationem, quâ ſancti celſiorem myſteriorum indaginem perhorreſcunt.* Hinc Apocalipſis 15. dicitur Sanctos cantare ; *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine : quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?*

Non pugnabat cum ſtatu beatifico Chriſti.

Hic autem actus reverentiæ non tantùm includit voluntatem alicujus boni, ſed etiam fugam alicujus mali : non quidem quòd formidetur imminens aut futurum, ſed quia ſecundùm ſe malum eſt, & repugnans divinæ excellentiæ; de quo timore dicit ſanctus Auguſtinus lib. 14. de Trinitate cap. 6. *Timoris caſti nomine, ea voluntas ſignificata eſt, quâ nos neceſſe erit nolle peccare, non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis*: Beatus itaque quatenus habet fugam omnis peccati, ut à Deo ſeparantis, dici poteſt habere timorem caſtum: quem etiam habere potuit Chriſtus; licèt enim ipſe peccare non potuerit; tamen cum natura humana quam aſſumpſit, ſecundùm ſe eſſet capax peccati, potuit ſuâ voluntate fugere hoc malum, tanquam poſſibile ſimpliciter ſuæ naturæ.

Ex his apparet timorem illum filialem ſeu reverentialem nullam habere indecentiam aut repugnantiam cum ſtatu vel hypoſtatico, vel beatifico Chriſti: ſecus autem videtur dicendum de timore ſervili & initiali; nam timor ſervilis maximè ſpectat peccatum cavendum propter pœnam luendam : Chriſtus autem cùm eſſet expers omnis peccati, nec ullatenus peccare poſſet, nollam habuit quam timeret pœnam infligendam propter peccatum. Idem videtur dicendum de timore initiali, tum quia hic eſt imperfectus & nondum completus : Tum quia quatenus initialis, includit metum pœnæ infligendæ in vindictam peccati : At ex mox dictis, ille timor pœnæ in Chriſto locum habere non potuit : ergo nec ille timor initialis.

SECTIO III.

De Scientia ac Sapientia Chriſti Domini.

DECLARATIS & elucidatis utcumque divinis illis præcellentiis & chariſmatibus, quæ Chriſti Domini voluntatem exornant, jam auſpicamur eas dotes delineare, quæ illius mentem illuſtrant : hæ autem ad cognitionem & ſcientiam, quibus maximè divina ac creata mens exornantur, omnes referuntur. Illa autem multiplex in Chriſto ſpectatur: at prima & maximè generalis illius diviſio eſt, quâ pro naturarum numero duplex ſcientia ipſi tribuitur : alia quidem *divina* increataque; altera *creata* & hominis propria. Atque hæc deinde varias in ſpecies diffunditur : quædam enim humanô labore & induſtriâ parta, dicitur *acquiſita* : alia divinitùs eſt *infuſa* : tertia verò *beatifica* vulgò nuncupatur, qualis eſt in beatis : Unde de hoc quadruplici ſcientiarum genere pauca ſunt in præſenti delibanda ſequentibus in quæſtionibus.

I. Quadruplex in Chriſto D. ſcientia eſſe dicitur.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm in Chriſto ſit duplex ſcientia, creata ſimul & increata?

NOtandum primò, præſentem quæſtionem ſupponere duas in Chriſto naturas, divinam & humanam, duoſque pariter intellectus, increatum videlicet & creatum; cùm enim intellectiva facultas ſit indiviſa proprietas naturæ ſpiritalis, neceſſum eſt quòd omni eam naturam habenti illa virtus intellectiva conveniat ; unde in VI. Synodo Actione 11. definitur, *Verbum aſſumpſiſſe animam rationalem animabus noſtris contribulem, & mentem menti noſtræ comparem*; mens autem ſignificat animam ſecundùm illam facultatem quâ eſt intellectiva: & in Concilio Lateranenſi ſub Martino, *Collatione* 5. definitur in Chriſto omnia fuiſſe duplicia; duas omnium eſſe naturas, duos intellectus, duas voluntates & operationes : quanquam enim ibi duntaxat damnentur Monothelitæ qui ſolam duplicem in Chriſto voluntatem reſpuebant; quia tamen vis intellectiva inſeparabilis eſt à virtute appetitiva, non potuit hæreſis iſta damnari, quin pariter determinaretur duos in Chriſto intellectus, creatum videlicet & increatum. Unde hic meritò quæritur an ſicut in Chriſto duo ſunt intellectus, duplex etiam ſit admittenda ſcientia, creata videlicet & increata.

II. In Chriſto D. ut duo ſunt intellectus, ita & duplex ſcientia; creata & increata.

Notandum ſecundò, quòd omiſſis illis hæreticis, qui Chriſto mentem humanam, & ſubinde creatam cognitionem & ſcientiam denegabant, contra quos jam ſæpius diſputatum eſt in præcedentibus, nonnullos Catholicos Doctores aſſeruiſſe Chriſti Domini creatum intellectum non aliâ cognitione omnia noviſſe, quàm divinâ & increatâ; quam utique ſententiam ſuô tempore quibuſdam placuiſſe refert S. Bonaventura in 3. diſt. 14. quæſt. 1. Illam præ cæteris docuit quidam *Ioannes à Ripa*, ut refert Capreolus in 3. d. 14. q. 1 art. 1. imò pro ipſa aſſerendæ diu pugnavit Hugo Victorinus Tractatu de Sapientia Chriſti Domini c. 16. ubi quamvis initiò duntaxat quærere videatur, an ſcientia Chriſti divinam æquet,

Us paucis exceptis docent omnes Theologi.

tamen eò progreditur, ut scientiã creatam in Christo denegare malit; nam cùm id sibi objecisset: Si Christi anima cognoscit omnia, falsum esse, Deum in omni bono majorem habere sufficientiam, quàm creaturam ejus; hoc ita dissolvit; Verum esse Deum in omni bono creaturis suis antecellere, ubi aliud creaturæ bonum à bono Creatoris invenitur: sed cum sapientia illius animæ, non sit alia quàm divina sapientia, quomodo potest fieri comparatio? Cui respondens ait, Indubitanter dicendum est, quòd alia sapientia quàm divina non fuit in Christo; si enim sapientia animæ Christi alia esset à divina sapientia, minòr esset...... ideò ut illam veritatem firmiter teneamus, quòd illa anima nihil ignoravit, sed omnia scivit; dicendum est quòd non aliâ sapientiâ erat illa anima sapiens; sed in Deo per naturam, in illa anima per gratiam. Verùm reclamant cæteri Theologi affirmantes tanquam dogma de fide, quod sicut duplex est in Christo intellectus, creatus & divinus: ita etiam duplex in Christo scientia, increata & humana.

Dubitatur an Christus D potuerit fieri sapiens sapientiâ increatâ.

Notandum tertiò, quòd etsi in hac astruenda assertione, unanimi calculô Theologi conveniant quantùm ad rei veritatem, & ut de facto res in Christo se habuit secundùm præsentem Dei ordinationem; nihilominus contendunt aliqui, de potentia saltem extraordinaria & absoluta, Christi Domini intellectum humanum posse fieri cognoscentem omnia per increatam Dei cognitionem & scientiam, nec ulla ratione convincenti demonstrari posse sententiam Hugonis Victorini contradictionem implicare; quam quidem assertionem præ cæteris propugnat Ægidius à Præsentatione libro 4. de beatitudine; quæst. 1. art. 2. at contrarium docent omnes Theologiæ Principes, nec-non eorum sequaces ac discipuli, quibus ut subscribamus, sit

CONCLUSIO PRIMA.

III.

Christus de facto habuit scientiam creatam. Ut probatur 1. ex Conciliis.

Christus reverà de facto habuit scientiam creatam. Hæc est de fide, determinata in Conciliis definientibus omnia esse duplicia in Christo; nempe duas naturas, duas voluntates, duos intellectus duasque operationes. Licèt autem in particulari non loquantur de intellectu; tamen generali definitione illum comprehendunt; dicit enim Agatho Papa in Epistola Synodi Romanæ (quæ in VI. Synodo *Actione* 4. refertur, & in 8. suscipitur) *Confitemur in Christo omnia duplicia quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietatates naturales habere confitemur; divinam, omnia quæ divina; humanam omnia quæ humana sunt, absque ullo peccato.*

Confirmatur ex eodem Concilio ubi allegat S. Leonem dicentem, *De duabus naturis Christi Domini agit utraque forma, cum alterius unione, quod est proprium, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est*; quæ postrema verba eatenus nostram sententiam probant, quatenus asserunt unamquamque naturam in Christo Domino exercuisse proprias suas functiones, & proinde cum una ex propriis operationibus naturæ humanæ sit actualis intellectio, Christum Dominum intellectô suô creatô necessum est per solam actualem intellectionem creatam intellexisse. Hinc subditur, *Neque enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum est in divinam educamus essentiam, neque quod eximium est divinæ naturæ ad competentem creaturis locum dejiciamus.* Id etiam maximè constat ex Concilio Lateranensi sub Martino I. Collat. 5. in professione fidei; ubi pariter definitur, *omnia in Christo esse duplicia*; nempe non tantùm duas voluntates, sed etiam duas operationes, divinam nempe & humanam. Nam *primò*, cùm unicuique voluntati sua correspondeat cognitio, si duæ sint in Christo voluntates, etiam & duas cognitiones esse necesse est. *Secundò*, dicendo duas operationes & non determinando ad unius tantùm vel alterius potentiæ operationes, non potest ab hac definitione excludi ea actio, quæ est prima inter humanas, scilicet cognitio creata. *Tertiò*, definiendo esse in Christo omnia quæ ad naturam humanam pertinent, pariter definitum est in Christo esse intellectionem creatam, quandoquidem nemo negat ipsam ad naturam humanam maximè pertinere.

2. Ex Sacra Scriptura.

Probari etiam potest conclusio ex Scriptura sacra, maximè ex illo Joannis 8. ubi Christus Dominus ait; *Scio eum* (scilicet Patrem, *& sermonem ejus servo*: ubi hæc particula *scio*, supponit pro cognitione creata correspondente observationi præceptorum sui Patris. *Insuper* apud eundem Evangelistam cap. 13. *Sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos*, ex quibus infero quòd quemadmodum Christus observabat mandatum Dei ut homo, & per naturam assumptam patiebatur: ita etiam ut homo aliquô actu creato sciebat hæc & cognoscebat.

3. Ratione.

His adde quòd Christus Dominus plerosque actus humanæ intellectionis elicuit, qui in divinam cognitionem non possunt cadere; nam Lucæ 2. dicitur crevisse in sapientiâ: Hîc autem profectus quomodocumque explicetur, non potest intelligi de sapientia divina, quæ cujusvis augmenti sicut & detrimenti est incapax, Matth. 8. dicitur ipsum fuisse miratum: admiratio autem quandam nescientiam supponit, quæ utique in divinam scientiam cadere non possunt. Et ad Hebr. 5. *Didicit ex his quæ passus est*: addiscere autem aliquid Christo repugnat ratione divinitatis: oportet igitur quòd Christus intellectum creatum habuerit, ac subinde creatam cognitionem.

Probatur etiam ratione, quia si Christus non haberet scientiam & cognitionem creatam, sequeretur quòd intellectus creatus in illo esset frustraneus; intellectus enim per se ordinatur ad propriam actionem: propria autem intellectûs actio est intellectio ab ipso elicita: igitur Christus debuit illam habere.

Deinde, Christus est verus & perfectus homo: sed humanitas sine intellectione creata, non est perfecta: ergo Christus debuit habere intellectionem creatam. Major constat. Probatur minor, quia omne quod caret suô fine, imperfectum est: sed natura humana, quatenus intellectiva, est propter intellectionem creatam: omnis enim potentia est propter suam operationem: ergo sine illâ erit imperfecta.

IV.

Ad quid scientia creata in Christo deserviebat, cùm per increatam omnia novisset.

Dices: Frustrà fiunt per plura quæ per pauciora possunt absolvi: sed Christus omnia cognovit intellectione increatâ: ergo intellectio creata fuit ipsi frustranea.

Distinguo majorem: Frustrà fiunt per eandem facultatem & virtutem, transeat: per diversas, nego: Christus autem per intellectum divinum, & ut Deus, intelligebat quidem omnia cognitione increatâ; per intellectum verò creatum, &

ut homo res cognofcebat cognitione creatâ : idcirco tarione diverfæ facultatis, diverfas habebat cognitiones, nec fruftrà per unam facultatem fiebat, qood per alteram facultatem intellectivam oon poterat præftari.

Inftabis : Idcircò Chriftus non habuit fubfiftentiam creatam, quia per increatam fufficienter fubfiftebat : fed etiam fufficienter cognofcebat omnia per fcientiam increatam : igitur, &c.

Refpondeo negando paritatem : & ratio difparitatis eft, quòd fubfiftentiæ multiplicatio multiplicet fuppofita, & duo omninò feparata & divifa conftituat, ac fubinde fi fuiffent in Chrifto duo fuppofita, nulla fuiffet in Chrifto unio Divinitatis cum humanitate: fimile autem non accidit ex duplici natura, facultate & operatione ; quia per illas non conftituuntur in Chrifto duo intelligentes invicem feparati & fejuncti, fed unicus duntaxat, ratione fcilicet unitatis fuppofiti.

Dices fecundo : Si dedeceat Chriftum cognoviffe duntaxat per fcientiam creatam, maximè quia, ut diximus, inde fequeretur qoòd facultas intellectiva creata in ipfo fuiffet fruftranea : fed hæc ratio oulla eft. Probatur, oullum enim inconveniens eft quòd aliqua potentia in Chrifto non habeat fibi debitam operationem, nec obtineat finem ad quem ordinatur, etenim Chriftus habuit potentiam generativam, quæ nufquam fuit ad actum reducta.

Nego minorem, & ad ejus antecedens dico in Chrifto fuiffe omnes facultates, & earum actus qui conducebant ad finem redemptionis, actuale autem exercitium intellectûs creati animæ Chrifti ad illum finem maximè conducebat ; fecus verò de potentia generativa : igitur non mirum fi hujus facultatis actus Chrifto defuerit.

Conclusio Secunoa.

V. Chrifti intellectus humanus non poterat fieri fapiens fapientiâ increatâ.

I*Ntellectus humanus Chrifti, etiam de potentia Dei abfoluta, non potuit fieri intelligens per fcientiam divinam & increatam.* Hæc eft communis inter Theologos. Probatur primò ex Epiftola Agathonis Papæ fuprà citata, in ea namque probat in Chrifto oon poffe unam effe operationẽ utriufque naturæ ; quia impoffibile eft propriam operationem unius naturæ fieri operationem alterius. Quod etiam probari poteft authoritate S. Ambrofii l. 2. de Fide c. 4. ubi apertè dicit operationem unius poteftatis oon poffe effe alterius ; nam ait, *Vbi eft fubftantia diverfa, nequit effe operatio una.* Ad eundem modum argumentatur fanctus Damafcenus lib. 3. cap. 15. & Leo Papa Epiftola 10. ad Flavianum.

Probatur etiam ratione : Si intellectus humanus Chrifti fieri poffet intelligens per fcientiam increatam, maximè *vel* habitualiter, *vel* actualiter: at neutrum dici poteft. *Non primum* ; quia fcientia increata non eft habitus, fed fubftantia. *Non etiam fecundum* ; quia oportet illam cognitionem increatam produci ab intellectu vel creato vel divino ; At produci non poffet ab intellectu creato; quidquid enim eft à principio creato & finito, creatum eft & finitum : igitur intellectus creatus non poteft producere intellectionem increatam & infinitam. Non etiam ab increato, quia intellectio actualis, eft proprius effectus intelligentis; nemo enim intelligit per intellectionem alterius, nec confequenter per intellectionem ab altero productam: ergo intellectus creatus animæ Chrifti non poffet fieri formaliter intelligens per intellectionem ab intellectu divino productam.

Deinde, Si intellectus creatus animæ Chrifti intelligere poffet per intellectionem increatam Verbi, hoc fieret *vel* per propriam communicationem intellectioois increatæ, *vel* per unionem ipfius intellectionis cum intellectu creato. *Primum* dici non poteft ; quia quâ ratione diceretur intellectio increata verè communicari intellectui creato animæ Chrifti, eâdem ratione omnes aliæ divinæ operationes communicari poffeot humanitati affumptæ, & fic illa humanitas per communicationem virtutis fpirativæ & fpirationis poffet fpirare, & per communicationem creationis creare, quæ manifestè abfurda funt & impoffibilia. Non etiam fecundum ; fi enim per unionem cognitionis intellectûs divini poffet intellectus creatus Chrifti fieri intelligens, etiam & voluntas Chrifti fieri poffet volens & libera per volitionem & libertatem increatam fibi intimè unitam : fed hoc eft falfum : igitur, &c. Sequela majoris patet : nam quâ ratione uniri poffet intellectio increata intellectui creato, eâdem ratione volitio & libertas increata uniri poffent voluntati creatæ, cùm utrobique eadem ratio appareat. Minor videtur certa: etenim volitio libera debet effe in poteftate & dominio voluntatis : volitio autem divina nequit poteftati aut dominio creatæ voluntatis fubeffe.

Dices primò : Ad veram & perfectam cognitionem non aliud requiritur quàm ut anima habeat fcientiam & fapientiam actualiter intimè fibi unitam: fed anima Chrifti habet intimè fibi unitum Verbum divinum, quod eft ipfa Dei fcientia & fapientia increata : igitur per illam reverà anima poterat omnia cogoofcere.

Diftinguo majorem : Sibi unitam per modum formæ ipfam afficientis & perficientis, in ratione facultatis intellectivæ, concedo : per modum termini ipfius dependentiam hypoftativè terminantis: nego : Verbum autem divinum non unitur ipfi animæ Chrifti per modum formæ, fed per modum termini hypoftatici : fubfiftentia enim Verbi eft terminus in fuo formali conceptu, non autem actus: intellectio autem eft formaliter actus intelligentis, & ideò neceffum eft quod fe habeat per modum formæ. Quæ refponfio confirmatur ex eo quod inquit Seraphicus Doctor d. 14. art. 1. q. 1. VI. Quippe non poteft uniri per modum formæ.

« Quamvis Verbum increatum fit unitum oculo « Chrifti & omnibus partibus corporis Chrifti, noo « tamen cognofcitur ab oculo:& hoc quia non eft in « eo difpofitio ad cognofcendã rem fpiritualem: ergo « pari ratione quantumcumque Verbum increatum « uniatur animæ Chrifti, nifi anima fit difpofita ad « videndum Deum per lumen, quod ipfam facit « Deiformem, nunquam ipfam intuebitur.

Dices fecundo, Non minùs divinitas uniri poteft intellectui creato in ratione actualis intellectionis quâ intellectus creatus intelligat, quam eidem intellectui uniri in ratiooe fpeciei intelligibilis aut in ratione fubfiftentiæ : atqui tam effentia Divina quàm fubfiftentia Verbi uniuntur iftis duobus modis intellectui humano : ergo etiam effentia divina poteft uniri intellectui creato in ratione actualis intellectionis quâ iotelligat. Minor conftat ex dictis tum in præfenti tractatu, tum in tractatu de vifione beatificâ : Major verò probatur quoad primam partem: ex eo enim quòd effentia divina uniatur intellectui creato per modum intellectionis actualis, oon fequeretur ipfum

intellectum non fieri formaliter intelligentem, A sicut non sequitur ipsum non esse formaliter intelligentem ex eo quod essentia divina ipsi uniretur per modum speciei intelligibilis. Patet etiam quoad secundam partem: sicut enim personalitas Verbi longè oobilioti modo facit subsistere bumanitatem Christi, & sufficientissimè satiat appetitum humanitatis: ita actualis intellectio increata longè meliùs satiat intellectum animæ Christi, cùm actualis intellectio creata non possit ei deservire, vel ad cognoscendum aliqua objecta quæ non intelligat, per actualem illam increatam Dei cognitionem; vel ad cognoscendum illa nobiliori modo: ergo intellectus animæ Christi non tantùm cognoscit per actualem Dei cogoitionem increatam, sed etiam præter illam nullam babet aliam actualem creatam intellectionem: atque consequenter nullum habet scientificum habitum ordinatum ad talem intellectionem creatam.

VII. Quanquam essentia ei possit uniri per modum speciei impressæ.

Nego majorem, quoad otramque partem, & *ad primam* dico non esse parem rationem unionis essentiæ divinæ in ratione actualis intellectionis, atque unionis ejosdem in ratione speciei intelligibilis, nam species intelligibilis est extrinseca iotellectui: intellectio autem est intrinsecus & ptoprius effectus formalis ipsius intellectûs.

Ad secundam tationem dico, non esse similiter patitatem inter unionem subsistentiæ increatæ cum humanitate, & unionem intellectionis increatæ cum intellectu creato, quia natura humana C non ordinatur primò & per se ad subsistendum tanquam ad proprium effectum formalem sibi connaturaliter debitum: intellectus verò ordinatur ad propriam intellectionem, ita quòd si ista auferatur, non possit amplius concipi qoomodo intelligat: quia ot intelligeret per intellectionem aliunde productam, oporteret quòd illa in ipso reciperetor per modum verbi mentis: intellectio autem increata non potest recipi in intellectu creato, alioqui se haberet per modum formæ accidentalis, quod repugnat. Adde quòd positâ Verbi subsistentiâ in humanitate, implicat propriam D subsistentiam in humanitate resultare: at quantumvis poneretur intellectio increata in intellectu creato Christi, non implicaret intellectum hunc intelligere etiam per actum creatum à se elicitum; quia licèt in istâ hypothesi cognosceret omnia objecta quæ potest cognoscere per intellectiooem creatam, & quidem modo nobilissimo; attamen remaneret alius modus quo posset adhuc illa objecta cognoscere, scilicet naturali & proportionatâ sibi cognitione: sicut de facto Christus, licèt cognoscat objecta cognitione beatificâ & infusâ, non minùs propterea illa etiam cognoscit cognitione acquisitâ & experimentali.

VIII. Quare persona Verbi potius uniri possit humano intellectoi quâ divina scientia.

Dices tertiò: Habitus scientificus tantùm datur E ut sciatur: at nulla fuit necessitas qoòd Christus sciret per scientiam creatam, quippe cùm jam nosset omnia per scientiam increatam: ergo nulla est necessitas admittendi in Christo scientiam creatam.

Distinguo minorem, nulla fuit necessitas simpliciter, concedo: secundùm quid & propter perfectionem intellectûs creati, nego.

QUÆSTIO II.

Vtrum, & qualiter scientia beatifica fuerit in Christo.

Status quæstionis.

TRia potissimum hac in quæstione sunt statuenda. *Primum*, an reverà anima Christi habuerit scientiam beatificam seu claram & intuitivam Dei visionem, idque ab instanti suæ conceptionis. *Secundum*, an illa scientia & cognitio ita fuerit perfecta, ut etiam dici possit comprehensiva. *Tertium*, an per eam anima Christi cognoscat id omne quod Deus oovit.

I. Duplex in Christo D. fuit status.

B *Notandum primò*, duplicem posse distingui Christi statum: unum quidem ante mortem & resurrectionem suam: alterum verò post ipsius resurrectionem. De posteriori non est ambigendi locus quin Christus habuerit visionem beatificam & intuitivam divinæ essentiæ cognitionem; id enim expressè docere videtur Apostolus ad Heb. 1. ubi sermonem faciens de Christo ait: *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tantò melior Angelis effectus quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, qui textus maximè, ut notat Theodoretus, spectat ad Christum post tesurrectionem, sed sancti Angeli divinam essentiam intoitivè contemplantor juxta illud Matthæi 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, &c.* At C non ita compertum est ex Scriptura, an Christus adhuc ex parte viator & mortalis jucundâ Dei visione potitus fuerit, idque ab initio suæ conceptionis, quapropter hoc erit in præsenti quæstione determinandum.

II. Quid sit cognitio comprehensiva.

Notandum secundò, ex Doctore subtili *in 3. dist. 14. quæst. 2. num. 7.* visionem comprehensivam eam duotaxat appellari quâ ita perfectè cognoscitur, ut tanta sit perfectio in cognitione, quanta est perfectio in objecto cognoscibili, videtur enim, inquit Doctor, solos ille intellectus comprehendere aliquod iotelligibile, cu- D jus tanta est perfectio in intellectualitate, quanta est perfectio vel intelligibilitas intelligibilis: & ideò ibi est commensuratio & adæquatio, & propter hoc neutrum est respectu alterius excedens, & ita utrumque quasi finitum est alteri, quia simpliciter adæquatum: sicut proper æqualitatem personarum divinarum posset dici una persona finita alteri, quia non excedens eam, & tamen simpliciter oon est finita. *Vnde colligit*, quia ergo nullus intellectus creatus potest habere tantam intellectualitatem neque in actu primo, oeque in actu secundo, quanta est intelligibilitas Dei ut objecti, imò in infinitum excedit; ideo nullus talis intellectus creatus, etsi videat quodcunque visibile ex parte Dei, potest ipsum com- E prehendere, quia oon est commensuratio hinc inde. Ita Doctor.

III. Qualiter objectum creatum videatur in Verbo.

Notandum tertiò, ex eodem Doctore *quæst. 15. quodlibetica*, objectum aliquod videri in Verbo seu in essentia divinâ, nihil esse aliud quàm repræsentari in ipsa divina essentia velut in speculo, itaut eadem visione quâ videtur objectum illud secundarium, putà homo, videatur etiam Verbum seu illa divina essentia ut repræsentativa hominis. Porrò objecta quæ repræsentantur in essentia divina, sunt maximè duplicis generis: alia enim purè sunt possibilia, nec ullam unquam habitura sunt existentiam: alia verò existentiam vel habitura sunt, vel habent, vel habuerunt, dicunturque,

vel futura, vel actualia, vel præterita: Priora Deus dicitur cognoscere per scientiam simplicis intelligentiæ, posteriora verò per scientiam visionis: quarum scientiarum diversitas abundè declarata est in primo nostro volumine disputatione de scientia. Quæritur autem impræsentiarum, an intellectus animæ Christi per scientiam beatificam possit cognoscere hoc utrumque objectum a Deo cognitum per scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, idque vel actualiter, vel duntaxat habitualiter. Actualiter inquam, si actu simul omnia videat; & hoc item, vel unicâ visione, vel pluribus. Unicâ quidem visione, si nimirum videndo Verbum divinum videat etiam omnia possibilia relucentia in ipso: plucibus verò, si singulis objectis visibilibus singulæ correspondeant intellectiones in intellectu Christi. Habitualiter autem, si habeat aliquid per modum habitûs, vel actûs primi quô illa omnia objecta posset percipere. Quod iterum fieri potest dupliciter: nimirum vel habendo habitum, seu lumen aliquod quod sit repræsentativum omnium planè visibilium in Verbo; vel potius eliciendo unum actum visionis qui sit ostensivus omnium; qualis est actus visionis actualis Dei qui dici potest habitualis, vel se habens ad modum actûs primi, respectu eorum quæ relucent in Verbo quatenus nimirum illa potest repræsentari.

Conclusio Prima.

IV. Christus D. adhuc mortalis videbat Deum intuitivè.

A*Nima Christi adhuc viatoris & mortalis habuit intuitivam Dei visionem: idque ab instanti suæ conceptionis.* Hæc est communis quoad utramque partem apud Theologos. Prima autem probatur plurimis Scripturæ textibus, maximè verò ex 3. cap. Joan. ubi Christus sic loquitur, *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* Quibus verbis Christus adhuc viator & mortalis, & adhuc in terris agens asserit se esse in cœlo, sed non erat in cœlo præsentiâ locali & corporeâ: ergo mentali & spirituali: at esse in cœlo ratione animæ & spiritûs nihil aliud est quàm Deum intuitivè videre: igitur Christus mortalis intuitivâ Dei visione fruebatur. Confirmatur ex eo quòd Christus hæc verba proferebat ut probaret Nicodemo sibi esse credendum, ut pote testi oculato, simul in terris & in cœlo existenti, quod nulli unquam Prophetæ contigerat, unde ibidem dicebat, *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, qui de cœlo venit super omnes est, quod vidit & audivit hoc testatur.*

Probari etiam potest ex illo Joannis 12. ubi idem Christus ait: *Si quis mihi ministrat me, sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Non dicit ubi *ero*, sed ubi *ego sum*; significans se jam frui clara Dei visione, quam assequentur ij qui divinis ejus vestigiis insistunt, maximè verò in ærumnis & cruciatibus perferendis. Quòd autem ibi loquatur ut homo, inde constat quòd instituat sermonem de se ut pro nobis morituro, & sequendo per mortem, tum quòd in sequentibus Patrem æternum ut homo alloquatur.

Probant etiam aliqui eandem veritatem ex SS. Patribus; Verùm perpauca sunt expressa & nominatim de supremâ ante mortem & resurrectionem Christi felicitate concepta testimonia; & quæ proferri solent à quibusdam, uno forsitan exceptô, liquido rem minimè demonstrant. Unus hic, quem dico, locus est Augustini è quæstione 63. de octoginta tribus, ubi suscitati à Domino Lazari allegoricam significationem explicans, sudarium, quô tecta erat ejus facies, figuram esse dicit præsentis in nobis visionis, quâ per speculum videmus in ænigmate: quod cùm auferri jubet Christus, hoc est, quòd post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantùm autem intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, & cæteros homines, hinc intelligitur quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur: id est, etiam renata anima, nisi resolutione corporis liberà ab omni peccato & ignorantiâ esse non potest, quandiù per speculum & in ænigmate videt Dominum. Illius autem linteamina, & sudarium, qui peccatum non fecit, & nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus in carne, non tantùm in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur; sed ne linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.

Suffragatur etiam ratio: *Primò*, quia natura humana per incarnationem sublimata est ad supremum esse: ergo pariter debuit elevari ad perfectissimam operationem, qualis est visio beatifica. *Deinde*, Qui est aliis causa ut sint comprehensores, ipse in gradu præstantiori debet beatitudinem habere: atqui Christus etiam adhuc mortalis, fuit in causa cur primi homines fierent comprehensores, quod maximè constat ex illâ celebri promissione quam fecit latroni pœnitenti, dicendo: *Hodiè mecum eris in paradiso*; nam ut observat S. Augustinus epist. 57. quamvis illô ipsô die mortis latro iste pœnitens futurus esset in Limbo; tamen quia ibi visurus erat Deum, dicitur futurus in paradiso: igitur ipsemet Christus cùm hæc etiam proferret dira crucis sustinens supplicia, reverà Dei visione fruebatur. *Denique* non erat congruum ut filius naturalis tandiù suâ hæreditate fraudaretur, maximè cùm illa beatitudinis suspensio quantùm ad animam nihil quidquam conferret ad negotium salutis & reparationis nostræ.

V. Idque ab instanti suæ conceptionis.

Probatur etiam secunda pars. Primò quidem ex illo Joan. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. Quibus verbis expressit Evangelista gloriam animæ Christi ex personali unione Verbi esse derivatam. *Secundo*, ex sequentibus istis plenum gratiæ & veritatis, unde sic argumentor: Plenitudo gratiæ est ipsa gloria: at gratia respectu gloriæ habet se tanquam imperfectum ad perfectum: Plenitudo autem veritatis consistit in cognitione Dei intuitivâ. *Tertiò*, ibidem Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit. Joan. 3. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Joan. 8. Etsi ergo testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni & quò vado; *& postea*: si dixero quia nescio eum ero similis vobis mendax: sed scio eum & sermonem ejus servo. Ex quibus sic argumentor: Ibi proponitur Christus tanquam perfectissimus testis veritatis à Patre missus non tantùm ut Deus, sed etiam ut homo: perfecta autem testificatio, ex visu est, unde auritis credimus, quia audierunt à fide dignis qui oculis suis res se vidisse testantur: ergo vidit ea de quibus testimonium perhibuit: ergo Deum ipsum intuitivè conspexit. Hæc autem cùm probent Christum ante passionem suam vidisse Deum intuitivè, & non sit ratio cur uno tempore potius quam alio: sequitur quòd vidit

à primo suæ Conceptionis instanti.

Probatur item rationibus. *Primò*, Gloria corporis quam exhibuit Apostolis in monte Thabor, signum est evidentissimum gloriæ animæ ipsius: nec est assignabilis ratio quare potius habuit eam hoc quàm illo tempore. *Secundo*, Filio naturali Dei debetur hæreditas statim ac nihil obstat quominus illam consequatur: sed Christus ut homo, est Filius Dei naturalis: Hæreditas est visio Dei intuitiva seu scientia beata: neque est assignabilis ratio propter quam à primo suæ Conceptionis instanti non sit illam consecutus.

Nec Scriptura S. repugnat.

Objicies primò, nonnullos Scripturæ locos, ut Joan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Joan. 17. *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te*. Lucæ 24. *Non hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*.

Respondeo, primum locum intelligi de glorificatione Christi in ipsa die Ascensionis, quando videntibus Apostolis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum; non verò de ipsa gloria animæ. Ita Augustinus tract. 32. in Joan. Ad secundum & tertium, dico intelligendos esse de gloria corporis & nominis exaltatione, de qua Apostolus ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Ita Augustinus tract. 104. in Joann. Quod utique confirmatur, quia Christus Dominus ibi postulat à Patre illam claritatem quâ ipse illum divinum Patrem suum clarificavit, quæ certè alia non fuit quàm manifestatio nominis & majestatis Patris, ait enim ibidem: Pater manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.

Objicies secundò: Christus sibi meruit scientiam seu visionem beatificam: ergo illam tempore suæ vitæ mortalis & ab initio suæ Conceptionis non habuit. Consequentia patet; Necessum enim est quòd præmium meritum subsequatur, quia meritum est via ad præmium. Probatur antecedens: Christo debet attribui id quod perfectius est: sed perfectius est habere aliquid ex merito quàm sine merito, nam habere aliquid ex merito, est id obtinere independenter ab alio, & ex motivo justitiæ: habere autem sine merito est habere duntaxat dependenter à liberalitate donatoris: igitur, &c.

VII.
Nec etiam obest quòd Christus sui corporis gloriam meruerit.

Nego antecedens: Quanquam enim Christus meruerit gloriam sui corporis, non tamen meruit gloriam animæ quam habuit ab initio suæ Conceptionis titulô mercedis, sed per modum naturæ & jure filiationis naturalis. Unde *ad probationem* dico; perfectiùs quidem esse generatim loqoendo rem habere ex merito quàm sine merito; tamen per accidens melius est interdum aliquid habere sine merito, quàm per meritum, quando scilicet illius assecutio per meritum derogaret dignitati naturali & perfectioni naturaliter debitæ: beatitudo autem illaratione unionis hypostaticæ & filiationis naturalis quasi nativô jure Christo debebatur; unde fuisset quoddam illius dignitati præjudicium si illam per studium & laborem debuisset promereri. Cætera quæ adversus hanc assertionem solent objici, faciliori & congruentiori ordine proponentur, ac solventur in sequentibus.

Conclusio Secunda.

VIII.
Christi D. cognitio est perfecta.

Christi Domini cognitio beatifica, fuit quidem perfecta, non tamen comprehensiva. Ita Doctor *locô laudatô*, eamque probat iisdem rationibus, quibus probavit animam Christi de facto habuisse perfectam & summam gratiam, cùm enim quæsivisset q. 2. n. 2. an intellectus Christi possit perfici visione perfectissimâ Verbi? Responder, *Dico quod sic, propter eandem rationem, propter quam D. præcedenti q. 1. dixi voluntatem ejus posse habere summam charitatem:* Sic autem formari potest probatio. Summam gratiam sequitur summa fruitio: igitur perfectissimo gradui gratiæ correspondere debet perfectissimus gradus fruitionis: sed Christus habuit summam gratiam: ergo etiam summam fruitionem: At ad summam fruitionem, quæ fit maximè per amorem beatificum, requiritur perfectissima Dei visio: ergo ex summa gratia sequitur Christum habuisse summam visionem.

Confirmat authoritate S. Isidori dicentis cap. 42. in Exodum. *Trinitas sibi soli nota est & homini assumpto*: quod utique eatenus verum esse potest, quatenus sola Trinitas & homo assumptus cognoscunt ipsam Trinitatem eâ cognitione, quâ perfectior concedi non potest alicui creaturæ.

Dices: Quò præstantior est intellectus cum æquali lumine gloriæ: eò nobilior & præstantior potest esse visio beatifica: sed intellectus Angeli est perfectior in naturalibus quàm intellectus animæ Christi: ergo ex hypothesi quòd Angelus haberet lumen gloriæ æquale illi quod concessum est animæ Christi, perfectiorem eliciet visionem beatificam: & consequenter visio beatifica animæ Christi non est omnium perfectissima & summa. Major constat ex dictis in primo volumine de inæqualitate luminis gloriæ; probatum enim est vegetiorem intellectum cum æquali lumine gloriæ præstantiorem elicere visionem. Minor etiam est certa: Siquidem ex Apostolo ad Hebr. *Christus paulominus ab Angelis minoratus est*.

Distinguo majorem: Nobilior & præstantior esse potest ratione facultatis intellectivæ confortatæ & elevatæ per lumen gloriæ, concedo: ratione ipsius luminis gloriæ, nego: & concessâ minore, similiter distinguo conseqoentiam, præstantior esset visio beatifica Angeli quàm Christi, ratione facultatis intellectivæ, concedo: ratione luminis gloriæ, nego: quia non tantùm conferretur lumen gloriæ Angelo, quantùm Christo; cùm enim Christus longè præstantius habeat esse, ratione unionis hypostaticæ, quàm quælibet creatura, etiam nobilius debet habere principium operandi, si non naturale, saltem supernaturale.

Adde quod Christi beatitudo sit summa duntaxat de facto, non verò de possibili, ut à simili diximus de gratia ipsius.

XI.
Non tamen comprehensiva.

Probatur secunda pars: Nempe quòd illa cognitio Christi non sit comprehensiva divinitatis, nam inquit S. Augustinus lib. 83. quæstionum q. 14. *Quod se comprehendit finitum est sibi*: sed essentia divina non est finita in comparatione ad animam Christi, cùm in infinitum eam excedat: ergo non comprehendit anima Christi essentiam divinam. *Secundo*, infinitum non comprehenditur à finito: anima Christi est finita tam entitativè, quàm quoad potentiam intellectivam & lumen gloriæ quô corroboratur: essentia autem divina ut comprehensibilis est infinita: ergo, &c.

Dices: Intellectus animæ Christi ex Doctore locô

locô suprà laudatô n. 6. videt essentiam divinam ut infinitam: at videre essentiam divinam ut infinitam, est illam comprehendere: igitur cognitio beatifica Christi est comprehensiva. Probat majorem Doctor: » Quia, inquit, nihil nisi sub ratione infiniti formaliter potest quietare intellectum; ita quòd si non in quantùm infinitum formaliter apprehenderetur, sed infinitas tantùm concomitaretur, non plus quietaret potentiam apprehensivam, quàm aliud intelligibile (accidit enim sibi infinitas, ut comparatur ad potentiam illam:) sicut non plùs quietaret visum triangulus ut albus, quàm ut niger, si triangulus solùm, in quantùm triangulus, comparetur ad potentiam illam, & non apprehendatur per se illud concomitans. Similiter essentia non quietat, nisi ut est essentia visa existens in tribus suppositis: hoc autem non convenit sibi, nisi ratione infinitatis: ergo, &c.

Quia licèt videat essentiam ut infinitã, non videt infinitè.

Distinguo minorem: Qui videt essentiam divinam ut infinitam modô infinitô; ita quòd tanta sit perfectio in vidente quanta est in objecto visibili, illam comprehendit, concedo: qui videt duntaxat illam infinitatem modô finitô, illam comprehendit, nego: intellectus autem animæ Christi videt quidem essentiam divinam ut infinitam: at illam videt modô finitô, sicut cæteri Beati, unde quâ ratione cæteri Beati Deum non comprehendunt: igitur nec intellectus animæ Christi illam comprehendit.

Dices secundò: Sanctus Isidorus suprà laudatus, dicit quòd Trinitas sibi soli nota est & homini assumpto: igitur censet eôdem modô hominem assumptum pari ratione Trinitatem cognoscere: at divina Trinitas seipsam cognoscit comprehensivè: igitur & Christus.

Respondeo, sanctum Isidorum hæc proferre ut significet quòd homo assumptus comparari possit divinæ Trinitati in cognitione Dei, non ratione comprehensionis, sed ratione cujusdam excellentissimæ notitiæ quâ præ cæteris creaturis anima Christi perspicaciùs & sublimiùs divinitatem intuetur. *Vel* aliter dico, Isidorum nil aliud significare quàm quòd Incarnationis mysterium sit incomprehensibile, sicut & mysterium Trinitatis, ut ipsemet docet pene similibus verbis lib. 1. sententiarum cap. 3. dicens, *Sola Trinitas sibi integrè nota est & humanitas à Christo suscepta*; quibus verbis dicit Trinitatem tantùm sibi esse notam, sicut & humanitatem assumptam, ut significet hoc utrumque mysterium soli Deo esse perfectè notum, quapropter Apostolus incarnationem appellat, investigabiles Dei divitias.

Conclusio Tertia.

X. Anima Christi D. fortè non videt omnia possibilia.

Probabilius est quòd anima Christi non videat omnia quæ Deus videt scientiâ simplicis intelligentiæ, puta omnia possibilia. Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia *num.* 20. ut colligit ibidem ejus Scholiastes, quanquam reverà totus videatur dubius hac in resolvenda difficultate. Probatur itaque *primò*. Si anima Christi videret omnia objecta possibilia, maximè vel per plures visiones, vel per unicam: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia cùm objecta illa supponantur numerô infinita, oporteret etiam illum habere actu infinitas cognitiones: sed finita facultas, qualis est anima Christi, non potest habere actu infinitas cognitiones; quia repugnat quod potentia finita tantùm præstare possit quantùm infinita: maximè in eo quod dicit perfectionem simpliciter simplicem: sed si intellectus creatus posset intelligere per infinitas intellectiones objecta infinita, id præstaret, siquidem id omne perciperet quod infinita virtus: hæc autem infinitorum objectorum cognitio dicit perfectiones sine imperfectione.

Non etiam secundum, quia illa unica cognitio *vel* ex natura sua intrinseca necessariò repræsentaret illa omnia objecta possibilia formaliter: *vel* duntaxat istud præstaret mediantibus quibusdam respectibus superadditis per modum accidentium: & quos non exigeret ex natura sua intrinseca. *Primum* autem dici nequit, quia reverà tum illa visio esset infinitæ perfectionis & vocari posset sapientia actualis infinita entitativè, qualis soli Deo competit; siquidem illa visio non solùm esset extensivè infinita, quatenus tenderet in omnia objecta intelligibilia, sed etiam intensivè: quia non videtur esse majoris perfectionis intensissimè videre unum objectum, quàm perfectè videre omnia intelligibilia simul; nullus enim est qui non præferat visionem perfectam ut unam decem objectorum, quàm visionem ut octo unius tantùm objecti.

XI. Alioqui haberet infinitam virtutem intelligendi.

Insuper: Si intellectio una posset repræsentare infinita objecta, sequeretur quòd etiam intellectus esset infinitæ virtutis intellectivæ; siquidem non magis repugnat quòd intellectus creatus habeat virtutem infinitam indivisibiliter ad producendam intellectionẽ infinitæ perfectionis, quàm quòd intellectio creata habeat virtutem infinitam ad repræsentanda objecta infinita: sed repugnat quòd intellectus Christi habeat virtutem infinitam, alioqui illâ virtute de facto donaretur; siquidem id omne perfectionis tribui debet animæ Christi, quod ei potest competere citra repugnantiam & indecentiam: igitur pariter repugnat quòd detur intellectio quæ habeat vim infinitam repræsentandi infinita objecta ex ratione sua intrinseca.

Confirmatur à simili; quia repugnat quòd unus homo possit æquivalere infinitis hominibus quantùm ad tollendum aliquod pondus infinitum, quod portari posset ab infinitis hominibus; quia oporteret illum hominem habere infinitam virtutem portandi: ergo pariter repugnat quòd una visio æquivaleat infinitis visionibus, quantùm ad repræsentanda infinita objecta.

Secundum etiam non potest dici, nempe quòd illa visio repræsentaret omnia objecta possibilia mediantibus respectibus superadditis. *Primò*, quia, inquit Poncius ad præsentem quæstionem *num.* 108. necessum esset quòd isti visioni adderentur infiniti respectus ad illa infinita objecta possibilia, & sic daretur infinitum actu, quod repugnare demonstravimus in Physicis. *Secundò*, sequeretur, quod illi respectus essent visiones formaliter, & sic darentur plures visiones illorum objectorum, quod est contra hypothesim. Probatur sequela: quia per illos respectus viderentur objecta illa secundaria, non autem per ipsam visionem, nam positâ tali visione, non perciperentur objecta, additis autem respectibus perciperentur: sed id quô videtur objectum, est visio: ergo sequeretur quòd isti respectus essent visiones formaliter, & consequenter quòd infinitorum objectorum essent actu infinitæ visiones.

Confirmatur. Nihil enim aliud requiritur ut aliquid dicatur visio, quàm quòd faciat percipere objectum visibile, & insit in ipso intellectu vidente: at reverà oporteret respectus illos esse in intellectu, quippe afficerent actum intellectûs &

illis mediantibus respectibus intellectus diceretur percipere objecta visibilia, quæ illis respectibus seclusis non videret: igitur illi respectus re verà essent visiones.

Deinde sequeretur etiam quòd visio non esset forma absoluta, sed respectiva, quia si per superadditum aliquem respectum possit repræsentari formaliter aliquod abjectum visibile aut cognoscibile, nulla est ratio quin pariter omnia alia objecta per similem respectum possent repræsentari, & consequenter inde sequeretur quòd nulla visio probari posset esse forma absoluta.

His adde quòd omnis potentia creata limitata & determinata sit ad determinatum numerum objectorum, ultra quem simul non potest plura intelligere. Quod utique colligitur ex distractione & minori attentione intellectûs ad plura objecta, quæ sanè minor attentio aut distractio non provenit ex productione visionis, quia aliàs sequeretur quòd ignis per simultaneam productionem plurium ignium pateretur etiam distractionem & diminutionem suæ virtutis; nec etiam oritur ex impotentia organorum; quia aliàs illa minor attentio circa plura objecta quàm circa pauciora, non esset in Angelis: sed oritur ex limitatione virtutis suæ ad percipienda simul plura objecta per distinctas visiones.

XII. Non tamen inde sequitur perfectius esse unicum objectum cognoscere quàm plura.

Dices primò; Si fieret distractio cognitionis, & minor attentio in cognitione plurium, quàm in cognitione unius duntaxat objecti, sequeretur quòd Christus minùs perfectè cognosceret divinam essentiam, si cum ea etiam alia objecta secundaria simul intelligeret, quàm si illam duntaxat videret; & sic non haberet summam visionem divinæ essentiæ: sed hæ consequentiæ videntur absurdæ: ergo falsum est quòd per cognitionem plurium objectorum distrahatur attentio & fiat minor cognitio.

Distinguo majorem; Id sequeretur si illa cognitio fieret per plures visiones, concedo: si per unicam, nego. Fateor equidem quòd si cognitio fiat per plures visiones, tunc distrahetur intellectus & singulæ cognitiones erunt minùs perfectæ: secus verò est quando unicâ cognitione intellectus plura percipit, tunc enim illa cognitio sese extendens ad plura objecta, maximè quando sunt invicem subordinata, non dicitur minùs perfecta imò præstantior.

Instabis; Si per cognitionem plurium objectorum quæ unicâ visione percipiuntur, non fiat distractio: ergo per unicum actum visionis Christus poterit percipere omnia prorsus objecta possibilia.

Quia per cognitionem plurium objectorum non fit distractio cognitionis.

Nego istam sequelam, quia nempe aliunde ipsi repugnat illa cognitio omnium objectorum possibilium, cùm enim cognitio illa sit actualis, si actu perciperet omnia illa objecta, cùm supponantur infinita, sequeretur eum habere cognitionem non solùm extensivè, sed etiam intensivè infinitam, ut dictum est.

Urgebis. Si distrahatur intellectus & fiat minor illius cognitio, dum diversas habet cognitiones; consequens erit quòd Christus non habebit ita perfectam cognitionem essentiæ divinæ intelligendo simul omnia alia objecta per scientiam infusam seu acquisitam, ac haberet si illa per has scientias nòn intelligeret: sed falsum consequens: ergo & antecedens.

Distinguo majorem; Si cognosceret per plures cognitiones, quæ tenderent in diversa objecta; ita quòd objectum terminativum unius cognitio-

A nis non esset terminativum alterius, concedo; secùs, nego. Fateor equidem quòd intellectus distrahatur per plures cognitiones, quando tendunt in objecta diversa: at non ita contingit, quando illæ diversæ cognitiones circa eadem objecta versantur: cognitiones autem quas Christus habet per scientiam infusam aut acquisitam, non tendunt circa diversa objecta, sed circa eadem diversimodè cognita, unde non debet fieri illius intellectûs distractio. *Adde* cùm Poncio num. 114. quòd equidem Christi cognitio beatifica distrahi deberet per cognitionem infusam aut acquisitam aliorum objectorum, nisi Deus ex speciali beneficio vellet ipsum habere cognitionem beatificam in summo gradu: & ideò per abundan-

B tius lumen gloriæ ac singularem concursum ita confortaret illius virtutem intellectivam, ut per cognitionem aliorum objectorum non fieret minor nec minùs attenta cognitio beatifica.

Dices secundò; Si Christus non posset videre per intellectum creatum objecta possibilia, maximè quia ex infinitate illorum objectorum, sequeretur illius cognitionem esse infinitam intensivè: sed hoc est falsum; siquidem tantùm inde liceret inferre quòd illa cognitio esset extensivè infinita, quia nempe tenderet in objecta numerò infinita: at ex cognitione infinitè extensiva non colligitur cognitio infinitè intensiva; sicut licèt in quanto sint infinitæ partes in potentia divisibiles ab ali-

C quo dividente, non sequitur quòd aliquod dividens creatum habeat actu virtutem infinitam ad dividendas illas partes. *Deinde*, licèt visio beatifica terminetur & se se extendat ad infinitatem Dei; tamen illa non est infinita intensivè, quia ut diximus non videt infinitatem infinitò modò.

Denique, Doctor refellit rationes quibus S. Bonaventura probabat Christum non videre actu infinita: *Primò*, quia inde sequeretur quòd intellectus animæ Christi tantùm intelligeret, quantùm intellectus divinus, & ut sic haberet virtutem infinitam: *Secundò*, quia virtus infinita distinctiùs & perfectiùs videt duo quàm tria, & tria quàm quatuor, & ita ascendendo in infini-

D tum, semper minùs distinctè & perfectè videre poterit plura quàm pauciora: ergo si videret infinita infinities, minùs clarè & distinctè ea videret quàm si videret duntaxat infinita: sed quod infinities minùs perfectè & distinctè videtur, perinde est ac si nullo modo videretur. *Tertiò*, quia infinita extensivè virtus præsupponit infinitam intensivè virtutem: sed anima Christi non potest se se extendere ad objecta numerò infinita. Doctor, inquam, *num.* 21. has rationes solvit ac refellit: sed illæ eædem sunt rationes, quibus præfatam nostram conclusionem firmavimus: ergo nostra assertio subtilis Doctoris sententiæ & doctrinæ adversatur.

XIII. Cognitio quæ actu versatur circa infinita objecta debet esse infinita: secus verò si versetur duntaxat potestate.

E *Nego has omnes consequentias*, & ad primam rationem dico, equidem ex cognitione extensiva non rectè colligi cognitionem intensivam, quando cognitio extensiva non versatur circa objecta quæ actu, sed duntaxat potestate intelligantur, concedo: quando illa cognitio extensiva supponitur de facto versari circa infinita objecta actu cognita, nego: cùm enim, ut diximus, per cognitionem plurium objectorum non subordinatorum quæ necessariò diversis cognitionibus debent attingi, fiat distractio intellectûs, & singulæ cognitiones sint minùs perfectæ; consequens est quod si aliquis actu perfectè & distinctè cognosceret objecta numerò infinita,

necessariò deberet habere virtutem intelligendi infinitam, sicut siquis de facto divideret infinitas partes continui, deberet habere vim divisivam infinitam.

Ad secundum dico, disparitatem esse inter cognitionem Dei ut infiniti, & infinitorum objectorum: quòd cognitio Dei sub ratione infiniti possit fieri modò finitô, non enim requiritur ut tanta sit perfectio in cognoscente, quanta est in objecto cognoscibili; quippe Deus visus ut infinitus, non percipitur necessariò secundùm omnem omninò gradum suæ perfectionis & infinitatis: sicut v. g. ut sol videatur quatenus lucidus, non est necesse quòd percipiatur secundùm omnem gradum & perfectionem sui luminis, alioqui non posset perfectiùs videri ab uno oculo quam ab altero: at ut omnia objecta possibilia actu viderentur, necessum esset quòd intellectus videns haberet virtutem infinitam, quia vel illa videret per unicam visionem, vel per plures: si per unicam, oporteret quòd illa intellectio esset actu infinita in repræsentando, quia actu repræsentaret infinita objecta quæ in ipsa relucerent, & per illam fierent manifesta intellectui: virtus autem productiva actionis infinitæ debet esse infinita, & consequenter intellectus Christi productivus illius infinitæ intellectionis deberet habere virtutem infinitam. Idem dicendum si illa objecta cognosceret per infinitas numerô intellectiones, quia sicut virtus ut duo requiritur ad producendas intellectiones duorum objectorum; sic requiritur virtus ut quatuor ad producendas intellectiones totidem objectorum: ergo pari ratione virtus infinita desideraretur, ut producerentur infinitæ cognitiones infinitorum objectorum.

XIV. Quâ ratione Doctor subtilis vult intellectum creatum posse recipere infinitas numerô cognitiones, non verò producere.

Ad tertium, dico Doctorem eatenus refellere rationes S. Bonaventuræ, quatenus Seraphicus Doctor volebat non solùm quòd intellectus aliquis creatus nedum numerô infinitas intellectiones posset producere, sed nec aliunde productas recipere: quod utique non approbat Doctor, unde ibidem ait: *Potest dici quòd videre indistinctiùs respectu plurium, non necessariò est ex parte intellectus, ut receptivus est, sed solùm ut elicitivus, posset enim recipere visiones æquè distinctas plurium ac paucorum: & ita, si ratio valeret, concluderet solùm quòd intellectus non possit esse elicitivus respectu infinitarum visionum.* Et infrà, *Infinitas extensiva ad aliqua, vel ad formas recipiendas, non concludit infinitam entitatem receptivi, sicut patet de materiâ, si esset receptiva infinitarum formarum: imò magis concludit imperfectionem: sed infinitas aliqua extensiva ut ad effectus simul causabiles concludit infinitatem intensivam. eò quòd talis pluralitas concludit majorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit, non ita de receptiva.* Quibus verbis Doctor apertè significat quòd etsi fortè intellectus sit receptivus infinitarum numerô intellectionum divinitùs productarum, sicut & infinitarum numerô specierum intelligibilium, quales aliqui Theologi volunt concessas fuisse Angelis ab instanti suæ formationis; non tamen sequitur quòd posset idem intellectus infinitas numerô intellectiones producere, quæ est ipsamet ratio quâ nostram conclusionem firmavimus: ergo Doctor nobis non adversatur.

Nec refert quòd ibidem subjiciat: *Si tamen & intellectus ponitur elicitivus infinitorum; dico quòd nec illa infinitas extensiva concludit infinitatem extensivam intellectûs, sed objecti: quia objectum est causa principalis activa respectu illarum visionum, & non intellectus.* Id inquam non obstat, quia his verbis nihil aliud significare intendit, quàm quòd licèt intellectus diceretur elicere cognitionem infinitorum objectorum, non propterea dici deberet infinitus, quia non esset causa principalis cognitionis illorum objectorum: sed Deus ipse qui extraordinariô modô concurrens cum istis produceret eorum visionem in ipso intellectu Christi, sicque intellectus magis diceretur receptivus, quàm productivus talis cognitionis.

Conclusio Quarta.

XV. Intellectus Christi non videt omnia quæ Deus cognoscit scientiâ visionis.

Probabilius est intellectum Christi non videre omnia quæ Deus videt scientiâ visionis, sed duntaxat aliquâ: idque non actualiter, sed habitualiter: non quidem per lumen gloriæ aut aliquam qualitatem; sed ex eo quod habeat actum visionis beatificæ circa objectum repræsentativum eorum omnium quæ Christus vult cognoscere. Hæc videtur conformior menti Doctoris, quantùm ad tres partes quibus constat: quarum *Prima*, est contra Thomistas affirmantes animam Christi per scientiam beatam cognoscere in divina essentia omnia prorsus præsentia, præterita & futura. Probatur autem, quia objecta futura possunt esse numerô infinita, putà infinitæ hominum & Angelorum cognitiones & affectus per totam æternitatem: sed ut dictum est, Christus non potest intelligere objecta infinita: eadem enim currit ratio de istis objectis futuris ac de possibilibus: ergo, &c.

Secunda pars similiter constat, nempe quòd Christus non videat illa objecta habitualiter, tanquam per lumen gloriæ aut alterius qualitatis quæ per modum habitûs repræsentaret intellectui omnia objecta futura: quia non magis intellectus Christi posset determinari per seipsum ad videnda illa objecta, quàm per lumen gloriæ aut per aliquam similem qualitatem, quæ se haberet per modum habitûs: sed non potest determinari per ipsum ad illa omnia objecta videnda: ergo nec à lumine gloriæ. Major constat, quia non aliunde lumen gloriæ posset determinare intellectum ad illa objecta percipienda, quàm quia ex se posset concurrere ad cognitionem istarum cognitionum, quibus illa objecta perciperentur: atqui pari ratione intellectus posset concurrere ad illas cognitiones: ergo id magis fieri non potest per lumen quàm per intellectum, maximè cùm intellectus sine ullo lumine gloriæ & cum solo uberiori actuali concursu possit determinari ad cognitionem objectorum: lumen autem gloriæ non posset concurrere ad illam visionem nisi dependenter ab intellectu. Hæc pars confirmabitur paulò infrà.

Tertia pars etiam constat, nempe quòd Christus eatenus videat objecta futura, quatenus nempe videt essentiam divinam instar speculi voluntarii, & ut est repræsentativa eorum omnium vel ex possibilibus, vel ex futuris, quæ Christus vult cognoscere: hàc enim ratione Christi cognitio dici potest perfectissima, quia licèt non actu percipiat omnia prorsus objecta, tamen semper ejus intellectus est paratus in actu primo ad illa detegenda, quoties vel ad sui felicitatem accidentalem, vel ut ad aliorum quæsitum respondeat, illa objecta cognoscere cupiet.

XVI. Qualiter intelligendus sit Doctor cùm

Ex his collige, quòd hôc postremô modô sit intelligendus Doctor subtilis, dum dicit Christum videre omnia habitualiter in Verbo. Intelligendus autem est juxta secundam partem præsentis

nit Christū omnia videre habitualiter in Verbo.

conclusionis, dum negat secundùm sententiam S. Bonaventuræ Christum videre omnia habitualiter, eô scilicet modô, quô Seraphicus Doctor affirmabat in intellectu Christi aliquam esse qualitatem per modum habitûs, quô fieret ut Christus posset habitualiter cognoscere omnia objecta tam possibilia quàm futura; quod utique Doctor expugnat ostendendo quòd habitus ille omnium objectorum repræsentativus sit impossibilis: tum quia vel habitus ille esset ratio cognoscendi infinita objecta per se præcisè, & sic haberet virtutem infinitam in repræsentando, quod repugnat ex dictis: *vel* id præstaret mediantibus respectibus fundatis in ipso habitu, per ordinem ad ipsa objecta intelligibilia, quod pariter dici nequit: quia quâ ratione ponuntur infiniti respectus in tali habitu, ne concedatur habitum illum esse infinitum, eâdem ratione possunt fundari infiniti respectus in aliquo actu, qui tamen propterea ex illa sententia non esset infinitus: at in eadem sententia non admittitur actus aliquis fundans infinitos respectus ad infinita objecta: ergo neque admitti debet habitus.

Præterea, Impossibile est infinitos respectus fundari in habitibus ad objecta, quin ponatur iste habitus infinitus actu, nam habitus non habet alium respectum ad objectum suum; quàm *vel* respectum causati ad causatum; *vel* mensurati ad propriam mensuram: ergo si habeat infinitos respectus mensurati ad mensuram, iste habitus erit infinitè mensuratus; esse autem infinitè mensuratum, est esse infinitè perfectum; quia mensurari est perfici, vel saltem perfectum cognosci: ergo habitus erit non modò infinitus extensivè, verùm etiam intensivè. Hinc meritò Poncius carpit Suarium quòd dixerit *disp. 26. circa principium*, Doctorem subtilem à sententia S. Bonaventuræ, quam impugnavit, parùm recessisse, eam explicando aliô modô minùs probabili: in quibus verbis, inquit Poncius licèt paucis, ter crassè erravit Suares. *Primò*, Dum dixit parum abfuisse Scotum à sententia S. Bonaventuræ quam impugnavit; tantùm enim abest ab illa sententia, quantùm ultima pars hujus conclusionis, quæ est affirmativa, distat à prima quæ est negativa, & quarum una nihil prorsus habet connexionis cum altera, ut manifestum est. *Secundò*, Dum dixit Scotum sententiam S. Bonaventuræ à se impugnatam postea explicasse aliter; nam licèt aliter explicaverit, ly *habitualiter*, quàm S. Bonaventura, tamen non aliter explicavit sententiam S. Bonaventuræ, sed statuit aliam sententiam totô cælô distinctam. *Tertiò*, Dum dixit explicationem Scoti esse minùs probabilem; nam ex dictis constat oppositum. Fallitur etiam ulteriùs, dum ibidem putat Scotum dixisse, quòd visio actualis aliquando se haberet per modum actûs primi, aliquando per modum actûs secundi: non enim somniavit hoc Scotus, sed solùm dixit quòd mediante visione, quâ tanquam actu secundô videt objectum beatificum potens & paratum omnia intelligibilia repræsentare, habet applicatum actum primum sufficientem ad causandum cum intellectu cognitionem cujusque intelligibilis; non quidem conjunctim, sed divisim, quod sine dubio verum est. Hæc Poncius.

Ejus mentē non intellexit Suares.

Quæstio III.

Utrùm præter scientiam beatificam Christus habuerit scientiam infusam, quâ res ipsas in propria earum natura cognosceret?

I. Christus triplici scientia novit creaturas.

Notandum primò: triplicem distinctam creaturarum cognitionem & scientiam attribui Christo, nimirum Beatificam, Acquisitam & Infusam. *Beatifica* est quâ res creatas cognoscit in essentia divina: *Acquisita* dicitur quam propriô studiô & experientiâ suâ comparavit: *Infusa* verò ea est quam ipsi Deus indidit imprimendo ejus intellectui species repræsentativas rerum creatarum. *Insuper*, Scientia divinitùs indita, alia est infusa per se, & alia per accidens. Dicitur infusa *per accidens*, quæ quantùm est ex se, de facto comparari posset per studium & exercitationem intellectûs, nihilominus infunditur à Deo, ut is qui illam obtinet, non solùm promptiùs & faciliùs, sed etiam perspicaciùs res cognoscat. Talis fuit scientia illa quam Adamus & Salomon sibi divinitùs inditam habuerunt de rebus naturalibus, quas temporis successu propriô studiô potuissent sibi comparare, sed necessariò debet à Deo infundi, qualis est scientia seu cognitio evidens de rebus supernaturalibus. Quæritur autem impræsentiarum, an Christus habuerit scientiam infusam, non solùm per se, sed etiam per accidens, quâ nedum res supernaturales, sed etiam naturales in propria earum natura noverit.

II. Qualiter scientia beatifica differat ab infusa & acquisita.

Notandum secundò, discrimen statui inter scientiam beatam, & scientiam in proprio genere; non quidem penes objecta cognita; nam eadem objecta quæ cognoscuntur in Verbo seu in essentia divina, etiam cognosci possunt in proprio genere: sed invicem distinguuntur penes media diversa; nam medium cognitionis *scientiæ beatificæ*, est ipsa divina essentia, quatenus repræsentativa rerum quas eminenter & virtualiter continet, & habet vim infinitam eas repræsentandi; scientiæ verò infusæ medium, sunt species intelligibiles divinitùs inditæ, quæ res cognoscendas repræsentant non secus ac si illæ species essent propriô labore comparatæ. Hinc cognitio beatifica habet pro objecto immediato *quod* ipsam essentiam divinam, & pro secundario, ipsas creaturas quæ videntur in essentia divina. Cognitio verò *Acquisita* vel *Infusa* terminatur ad ipsas creaturas tanquam ad objectum primarium quod per se & non in alio videtur aut intuitivè aut abstractivè, & ideo hac ratione res dicuntur videri in genere proprio. Cùm autem priùs medium longè sit clarius & præstantius, etiam longè clariori ac præstantiori modô res videntur in essentia divina, quàm in proprio genere. Unde cognitio beatifica dicitur *Matutina*, infusa verò vel comparata *Vespertina*, appellatur. *Advertendum* insuper, scientiæ infusæ objecta esse vel divina, ut ea quæ spectant Deum unum & trinum, nec-non & Incarnationem Verbi: vel supernaturalia ut gratia, &c. vel purè naturalia.

III. Quare una species non possit varia objecta repræsentare.

Notandum tertiò, unam & eandem speciem intelligibilem non posse simul plura objecta distinctè repræsentare, ut ex professo docet Doctor in 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. Quod utique variis rationibus probat; maximè verò quia una & eadem res non potest esse repræsentatio naturalis rerum dissimilium, sed naturæ & quidditates rerum, sunt inter

se valde dissimiles, igitur species non potest esse earum perfectè repræsentativa. A

Deinde, Quidquid est ratio cognoscendi distinctè plurà, necessariò debet habere unum objectum in quo perfectè illa plura continentur & velut adunantur; quod utique patet exempló essentiæ divinæ, quæ est repræsentativa omnium creaturarum, idque distinctè & perfectissimè, quia omnia perfectissimè continet & suô sinu claudit: sed una species non habet aliquod objectum primum includens virtualiter omnes alias quidditates secundùm totam suam cognoscibilitatem; nulla enim est creatura, quæ virtualiter contineat alias creaturas secundùm omnimodam earum cognoscibilitatem: igitur una species non B potest esse repræsentativa omnium omninò aliarum quidditatum.

Denique, colligitur infinitas divinæ essentiæ ex infinitate eorum, quæ per ipsam repræsentantur: ergo pari ratione, si daretur aliqua species quæ haberet vim repræsentandi omnia prorsus objecta, etiam infinitatem sibi vendicaret; hoc autem est falsum.

Conclusio Prima.

IV. Christus D. habuit scientiam infusam cum beata.

P*Rater scientiam beatam, est etiam admittenda in intellectu animæ Christi scientia quædam infusa.* Probari potest conclusio illis omnibus Scripturæ textibus quibus suprà probatum est in C Christo fuisse omnia dona Spiritûs sancti, inter hæc enim sunt dona sapientiæ & scientiæ. Item ex illis ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*: scientia autem infusa est nobilissima portio Scientiæ supernaturalis quæ maximè designatur ab Apostolo nomine scientiæ Dei; unde Joan. 7. mirantibus Judæis ac dicentibus, Quomodo hic litteras scit cùm non didicerit? respondit Iesus, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*: quasi diceret, Non illam meâ industriâ comparavi, nec ab homine docente didici, sed à Patre meo mihi fuit indita.

Probatur etiam ab omnibus Theologis; maximè verò à nostro Alensi 3. *part. quæst.* 13. *membrô* 2. ubi distinguit sex modos scientiæ in Christo. D

V. Sex modos scientiæ distinguit Alensis in Christo D.

» Quorum *primus* est, inquit, quô Christus omnia novit, quia Deus, & hæc scientia non est accidens, sed substantia, & Deus ipse. *Secundus* modus, est quô omnia novit ratione gratiæ unionis, & hic modus dicit tantùm excellentiam quandam scientiæ animæ Christi illi necessariò debitam ratione gratiæ unionis hypostaticæ. *Tertius* modus, est quô cognovit omnia notitiâ comprehensorum & Beatorum, & de illo modo quæstione præcedenti disputavimus. *Quartus* modus, est quô cognovit omnia secundùm perfectionem naturæ integræ, quomodò Adam cognovit omnia, & hic E modus est scientia infusa. *Quintus* modus, est quô cognovit aliqua per experientiam in parte appetitiva, de quo modo loquitur Apostolus ad Hebræos 9. *Didicit ex illis quæ passus est, obedientiam.* *Sextus* tandem modus, est quô cognovit aliqua per experientiam in parte sensitiva, & hic sextus modus differt à quinto, quòd quintus modus dicat tantùm experientiam dolorum & pœnalitatum, quas Christus tulit; unde dicitur modus sciendi secundùm naturam pœnalem assumptam; sextus modus verò dicat præcisè cognitionem intellectivam comparatam beneficiô sensuum, quam Christum habuisse inferiùs probabimus.

A *Probatur* insuper hac ratione. Sicut se habet gratia ad voluntatem, sic scientia ad intellectum: sed in Christo fuit plenitudo gratiæ infusæ: ergo & scientiæ plenitudo: Non esset autem plenitudo scientiæ, nisi esset aliqua infusa: ergo in Christi anima fuit aliqua scientia infusa. Præterea, si non esset admittenda ejusmodi scientia infusa in Christo, maximè quia pugnat cum scientia beata quam intellectus animæ Christi habet in Verbo; vel saltem quia datâ scientiâ beatâ, frustrà daretur scientia infusa: sed neutrum dici debet. Non quidem *primum*, quia ex S. Augustino quæst. 26. ad Orosium, *Cognitio creaturæ in semetipsa est vespera, in Deo est mane*: sed ex eodem S. Augustino 4. super B Genesi ad litteram, *in cœlesti patria simul est mane & vespera*: ergo in Christo utpote beato, simul est mane & vespere. Non etiam *secundum*, quia datâ scientiâ beatâ, iterùm datur infusa, non ad cognoscendum simpliciter, sed ad cognoscendum distinctis mediis: At verò datâ cognitione alicujus per unum medium, non est frustrà cognitio ejusdem per aliud medium; sicut patet de terra, cujus rotunditas semel probata per medium physicum, non propterea frustrà probatur per medium mathematicum: ergo datâ scientiâ beatâ quâ intellectus animæ Christi videt res in Verbo, per Verbum, tanquam per unum medium, non datur frustrà scientia infusa, quâ res easdem cognoscat per species infusas, tanquam per aliud C medium.

Objicies primò: Non possunt simul subsistere scientia & opinio: igitur multò minùs scientia beata & infusa. Antecedens patet ex Aristotele 1. posteriorum, & abundè probatum est in tertia parte nostræ Logicæ. Consequentia probatur: quia plus invicem distant ratio increata & creata, quàm duæ rationes creatæ: sed scientia beata habetur per medium increatum: scientia verò infusa per medium creatum, nempe per species inditas: scientia verò & opinio habentur per rationes creatas: igitur, &c.

Nego consequentiam; & ad probationem dico, scientiam creatam & increatam magis quidem distare quàm scientiam & opinionem in ratione D entis non verò scientiæ; nam utraque scientia facit assensum firmissimum, licèt per distinctas rationes, & ideò non repugnat simul existere in eodem intellectu scientiam beatam & infusam: at verò opinio & scientia, licèt conveniant in ratione entis creati, maximè tamen disconveniunt in ratione assensûs; quippe opinio facit assensum dubium; scientia verò assensum omninò certum.

Dices secundo: Præsente cognitione perfectâ, excluditur omnis cognitio imperfecta: sed scientia infusa comparata ad scientiam beatificam, est imperfecta: ergo hæc per illam excluditur. IV. Quanquam scientia & opinio non possint simul subsistere, tamē subsistere possunt scientia beata & infusa.

E *Insuper*, Minus lumen excluditur per majus: sed lumen scientiæ infusæ minus est quàm scientiæ beatificæ: ergo hæc illud excludit.

Denique, Una & eadem facultas non potest elicere simul duas actiones: ergo nec intellectus potest habere duas cognitiones, quarum una sit beatifica, alia infusa.

Respondeo ad primum, distinguendo majorem, cognitio absolutè imperfecta excluditur per perfectam, concedo: quæ solùm est imperfecta comparatè, nec ex se opponitur perfectioni, nego: Scientia autem infusa non est absolutè imperfecta, sed tantùm comparatè, nec per se opponitur scientiæ beatificæ, ideoque per illam non excluditur.

Ad secundum dico majorem esse veram, si utrumque lumen majus & minus, sint ejusdem ordinis, qoâ ratione lumen Solis offuscat lumen stellarum; falsum autem quando ista lumina sunt diversi ordinis: At scientia beata & infusa sunt diversi ordinis & statûs; siquidem beata spectat ad ordinem gloriæ, infusa verò ad ordinem gratiæ: similiter beata pertinet ad statum comprehensoris; infusa verò ad statum viatoris.

Ad Tertium denique distinguo majorem: Una & eadem facultas non potest habere duas operationes adæquatas, concedo: inadæquatas, nego: Cognitio autem beatifica seu quæ habetur per medium beatificum, scilicet per essentiam divinam, & illa quæ habetur per medium infusum, scilicet per species divinitus inditas, non sunt adæquatæ, sed inadæquatæ, quippecùm haberi possint circa idem objectum per diversum lumen, & una subordinetur alteri, tanquam minùs perfecta præstantiori.

Conclusio Secunda.

VIII.

Christus D. novit etiam per scientiam infusam omnia mysteria fidei.

P*Robabilius est Christum Dominum per scientiam infusam cognovisse mysteria divina, putà Deum ut unum & trinum; non solùm quantùm ad quæstionem* AN SIT, *sed etiam quoad quæstionem* QOID SIT. Probatur. Christo concedenda est per scientiam infusam notitia eorum omnium objectorum quæ nullam secum important repugnantiam, aut indecentiam: At nihil obstat quominus per illam scientiam mysteria divina noverit Christus: igitur fatendum est illa novisse. Major patet ex pluries dictis; quòd nempe in tantùm dignificanda & celebranda sit Christi humanitas ac perfectio, quantùm fieri potest absque ulla repugnantia. Minor verò probatur, Si quid obesset quominus anima Christi per scientiam infusam novisset ista divina mysteria; maximè quia, ut volunt moderni Theologi, non potest cognosci quidditativè mysterium Trinitatis, v. g. nisi etiam cognoscatur intuitivè: sed hæc ratio nulla est.

Probatur. Notitia quidditativa in genere non debet esse necessariò intuitiva, alioqui rerum essentias nusquam quidditativè cognosceremus; siquidem vix unqoam accidit, ut eas noverimus intuitivè: ergo neque cognitio qoidditativa objecti divini necessariò debet esse intuitiva. Antecedens constat. Consequentia probatur à Doctore subtili in 2. dist. 3. quæst. 9. & 10. illudque fusè cum ipso probavimus in Tractatu de Angelis; ubi agendo de cognitione Angelorum, docuimus Angelos adhuc viatores babuisse speciem impressam, per quam Deum unum & trinum reverà quidditativè, non tamen intuitivè, sed abstractivè cognoverunt.

Tam quoad existentiam.

Probatur insuper. Si quæ sit ratio ob quam notitia Dei debeat necessariò esse intuitiva, maximè ut volunt Recentiores, quia existentia Dei est de intrinseca ratione ejus, ac proinde visô Deô quidditativè, videri quoqoe debet quatenus est actualiter existens: at hæc ratio nulla est: *Primò*, quia certum non est existentiam divinam esse gradum formaliter constitutivum essentiæ divinæ; siquidem plurimi Theologi docent illam esse dootaxat modum intrinsecum primariò circunstantem & afficientem ipsam divinam essentiam. *Deinde*, Etiamsi revera existentia divina sit de essentia Dei, inde non est consequens quòd visô Deô quidditativè & essentialiter existente, necessariò videri debeat intuitivè; siquidem ad cognitionem quidditativam singularium, sufficit qoòd cognoscantur abstractivè, maximè cùm non sunt per se præsentia facultati cognoscenti, licèt cognoscantur ut actualiter existentia: At verò Deus potest cognosci ab intellectu creato, oon ut præsens facultati cognoscenti, & tamen ut existens actu, sicut quidditativè cognitus est ab Angelis adhuc viatoribus per speciem impressam, quæ divinam essentiam ipsis clarè & distinctè exhibebat: igitur licèt existentia divina sit prædicatum essentiale Dei; inde non sequitur quod si Deus cognoscatur quidditativè, necessariò debeat cognosci intuitivè: & subinde potuit intellectus Christi per scientiam infusam divina mysteria quidditativè cognoscere.

Confirmatur ex doctrina Doctoris subtilis in 4. *quæst.* 3. ubi docet posse Beatum habere in memoria actum recordationis suæ visionis beatificæ, si videlicet illa non continuaretur: at per illum actum cognoscere posset abstractivè objecta divina qoæ per scientiam beatificam intuitivè novit. Hinc ipsemet Doctor in 2. dist. 3. quæst: 9. docet S. Paulum recordantem visionis Dei præteritæ, quam habuit io extasi, potuisse divinam Trinitatem per illas species præteritæ visionis in memoria conservatas distinctè cognoscere: igitur pari ratione per scientiam infusam, & species sibi divinitùs inditas potuit intellectus Christi clarè & distinctè cognoscere mysterium Trinitatis, & alia mysteria divina.

Confirmatur insuper. Intellectus animæ Christi præcisè spectatus secundùm statum viatoris, ea debuit nosse, quæ maximè conducebant ad illius animæ perfectionem & delicias, salvâ unione hypostaticâ & debitis ejus circunstantiis: sed illa cognitio divinorum mysteriorum maximè conducebat ad animæ Christi perfectionem & delicias, nec ullatenus pognabat cum ejus uoione hypostatica, aut illius circunstantiis: igitur, &c. Minor constat quantùm ad primam partem; si enim perfectio sit & quædam animi voluptas novisse veritatem aliquam naturalem, longè major & amplior erit nosse summam veritatem, putà Deum ac divina ejus mysteria.

Quàm quoad eorum essentiam.

Probatur autem quoad secundam partem: Ideò enim scientiam infusam de divinis mysteriis denegant animæ Christi recentiores Theologi, *vel* qoia illam superfluam judicant: *vel* quia censent illam esse incompossibilem cum visione beatifica: sed neutra ex illis rationibus est valida. *Non quidem prima*: siquidem, ut jam diximus, una & eadem res non cognoscitur frustrà, quando diversô lumine & per diversa media ac diversas notitias ab eodem intellectu percipitur. Non etiam *secunda*, nulla enim apparet ratio bujusmodi incompossibilitatis. Cùm enim Christus D. fuerit simul comprehensor & viator, inde fit quòd licèt ut comprehensor, debuerit habere notitiam mysterii Trinitatis ut præsentis; tamen ut viator potuit ejus mysterii habere notitiam abstractivam, & illud nosse, non sub ratione præsentis & moventis ad sui cognitionem per suam præsentiam: sed id potuit obtinere *vel* per speciem luminis gloriæ; nam cognoscendo perfectè & adæquatè lumen gloriæ, potuit illius habere speciem impressam & cognoscere omnes illius habitudines; cùm autem lumen gloriæ babeat intrinsecam habitudinem ad Deum ut Trinum & Unum, quatenos in se & per se visum; idcircò potuit intellectus animæ Christi videndo istud lumen gloriæ, etiam videre istam habitudinem; & consequenter ter-

minum ejusdem habitudinis, qui est Deus ut Trinus & Unus: *Vel* potuit illud mysterium cognoscere per speciem impressam possibilem repræsentantem ipsum, non quidem ut absens, aut ut præsens; sed tantùm secundùm se præcisè, abstrahendo ab absentia, aut præsentia ejus: igitur nihil obstat tam ex parte visionis beatificæ, quam ex parte illius circunstantiæ, quominus Christus nosse potuerit divina mysteria per scientiam infusam.

Dices primò: Illa cognitio divinorum mysteriorum, aut esset clara, aut obscura: at non potuit esse obscura; tum quia notitia obscura & inevidens objecti non potest subsistere cum illius cognitione beatifica, & idcircò diximus fidem non habere locum in intellectu Christi: non etiam clara, quia clara cognitio abstractiva Dei, *aut* haberetur per cognitionem alicujus creaturæ, *aut* per speciem impressam Trinitatis, & divinorum mysteriorum; *aut* per inevidentiam in attestante & revelante, non quidem obscurè, sed evidenter, in aliquo scilicet lumine: sed nullum horum trium potest asseri; *Non quidem primum,* quia nulla est creatura, quæ habeat connexionem in ratione effectûs cum divina Trinitate & aliis divinis mysteriis: ita quòd ex sui cognitione possit intellectum creatum deducere in cognitionem causæ cujus est, & cum qua necessariam habet connexionem. *Non etiam secundum,* quia non est possibilis aliqua species impressa, quæ divinam Trinitatem repræsentet, siquidem Deus ut Trinus, semper & ubique est præsens realiter per præsentiam & potentiam, & subinde non requiritur species impressa ad eum repræsentandum; siquidem hæc duntaxat est vicaria objecti ad ipsum repræsentandum, quando non est præsens; repræsentari enim est rem præsentem efficere. *Non denique tertium,* quia ex evidentia in attestante non habetur evidentia rei testificatæ: igitur ex nullo capite illa cognitio potuit esse clara & evidens; nec proinde scientifica.

IX. Idque cognitione clarâ licèt abstractivâ.

Respondeo hanc cognitionem fuisse quidem claram, ratione scilicet speciei impressæ, cujus possibilitatem abundè satis & perspicuè probavimus agendo de visione beatifica in priori volumine, nec-non & in Tractatu de Angelis, solvimusque omnes instantias, quas adversus illam solitò formant adversarii, quas hîc referre & retricare tædiosum esset & otiosum.

Quâ etiam novit suam Incarnationem.

Ex his collige Christum per illam scientiam infusam Christum D. etiam cognovisse suam Incarnationem; hæc namque cognitio maximè conferebat ad animæ Christi perfectionem, nec ullatenus ejus statum dedecebat; Adde quod per scientiam infusam potuit cognoscere extrema unita in Incarnatione, nempe Verbum & humanitatem: potuit pariter cognoscere ipsam unionem actualem; quippe hæc minus videntur cognitu difficilia quàm mysterium Trinitatis; siquidem sunt ordinis aliquô modô inferioris, si ordinem hypostaticum aliquô modô distinguas ab ordine Divinitatis.

Conclusio Tertia.

X. Novit etiam omnia entia per se supernaturalia.

I*Ntellectus animæ Christi per scientiam infusam novit omnia entia quæ per se sunt supernaturalia, ut sunt virtutes Theologicæ, gratia, lumen gloriæ, visio beatifica, &c.* Hæc est communis apud Theologos, & probatur. Illorum omnium per scientiam infusam Christus cognitionem ha-

A buit, quorum haberi potest species per se infusa: at illorum entium supernaturalium haberi potest species infusa: igitur, &c. Major constat; quippe Christus donari debuit cognitione eorum, quæ maximè conferebant ad illius animæ decus: rerum autem supernaturalium notitia maximè conferebat ad illustrandam Christi animam: igitur, &c. Minor verò probatur; quia entia supernaturalia creata, sunt finitæ & limitatæ entitatis, & consequenter finitam repræsentabilitatem habent, & subindo per speciem creatam possunt clarè & distinctè repræsentari.

Deinde, per cognitionem finitam clarè percipipitur eorum objectorum quidditas; siquidem hæc B cognoscitur per visionem beatificam, quæ est cognitio creata & finita; quidnî ergo per speciem divinitùs inditam pari ratione repræsentari posset & attingi? *Denique,* si illa objecta non possent quidditativè repræsentari; maximè (ut volunt quidam Recentiores etiam ex nostris,) quia illa scientia terminatur ad Deum ut est in se: sed hæc ratio nulla est: Tum quia, ut mox diximus, Deus ipse ut Unus & Trinus, potest etiam per illam scientiam infusam quidditativè repræsentari & cognosci: tum quia etiamsi taliter non cognosceretur ille ordo, quem entia supernaturalia dicunt ad Deum, non impediret quominus hæc possent cognosci; siquidem, ut taliter cognoscerentur, non esset necessarium quòd Deus etiam cognosceretur C quidditativè, ordo enim dependentiæ creaturarum à Deo cognoscitur quidditativè, absque eo quòd Deus taliter cognoscatur.

Dices primò: Gratia sanctificans & lumen gloriæ sunt entia supernaturalia: at illa non possunt cognosci per scientiam infusam; gratia quidem, quia illa est participatio quædam divinæ essentiæ, juxta illud 2. Petri 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ:* igitur non potest cognosci quidditativè gratia sanctificans, nisi pariter cognoscatur divina essentia, cujus est participatio: sed hæc cognosci non potest per scientiam infusam: ergo nec illa. *Idem* constat de lumine gloriæ, cùm enim D lumen gloriæ excedat quodlibet aliud lumen creatum, & sit ordinis superioris ad illud; quippe cùm spectet ad ordinem beatificum, qui est supremus inter entia creata, non potest per aliud lumen sibi inferius, qualis est scientia infusa, cognosci: igitur omnia entia supernaturalia non potuerunt quidditativè per scientiam infusam ab intellectu Christi cognosci.

Nego minorem, & ad primum dico, quòd cùm gratia non sit participatio substantialis & entitativa divinæ essentiæ, quia hæc est indivisibilis, sed tantùm per quandam imitationem, idcirco non est necesse quòd, ut gratia cognoscatur quidditativè, etiam divina essentia cognosci debeat E quidditativè, & quoad quæstionem, *quid sit*; sed sufficit, quòd cognoscatur quoad quæstionem, *an sit. Deinde,* creaturæ omnes secundùm entitatem naturalem sunt quædam participationes divinæ entitatis: at hæ possunt cognosci absque eo quòd Deus quidditativè cognoscatur: ergo ut res participans quidditativè sit nota, non est necesse quòd pari ratione participabile cognoscatur. XI. Maximè gratiam sanctificantem & lumen gloriæ.

Ad secundum dico, quòd licèt lumen gloriæ excedat quodlibet lumen creatum; nihilominus potest per inferius lumen cognosci; siquidem per ipsum lumen Deus cognoscitur intuitivè, qui tamen longè altioris est ordinis, quàm istud lu-

men: ergo per lumen inferius potest videri res superioris ordinis.

XII. Nec-non & visionem beatificam, quanquam non videtit per eam objectum beatificum.

Instabis; Si Christus per scientiam infusam potuisset cognoscere lumen gloriæ, pari ratione etiam cognovisset visionem beatificam elicitam tam à se quam ab aliis Beatis: sed falsum est quòd Christi anima potuerit per scientiam infusam cognoscere visionem beatificam: ergo, &c. Major constat à paritate rationis: Minor veró probatur: Qui cognoscit visionem quâ objectum videtur intuitivè, etiam intuitivè illud objectum cognoscit: sed per scientiam infusam Christus non potuit intuitivè cognoscere Deum: ergo nec visionem quâ videtur Deus.

Nego minorem, nec-non & minorem illius probationis; falsum enim est quòd qui videt medium quô percipitur objectum, etiam illud objectū percipiat; nam medium illud quô percipitur objectum, non est ratio cognoscendi illud objectum cuilibet intellectui: sed tantùm illi in quo est formaliter secundùm entitatem propriam: quare, quemadmodum Raphaël, v. g. videns speciem aliquam repræsentativam essentiæ divinæ existentem in intellectu Gabriëlis, non propterea videt essentiam divinam; quia ejusmodi species non est ratio repræsentativa essentiæ divinæ in intellectu Raphaëlis; quippe in eo non est nisi objectivè & non formaliter: ita intellectus animæ Christi videns visiones beatificas in aliis intellectibus existentes, & naturâ suâ ad Deum terminatas; non sequitur tamen Deum vidisse saltem intuitivè, sed ad summum abstractivè; quia visio beatifica non terminatur immediatè ad Deum clarè visum, nisi prout est in intellectu formaliter, vidente per ipsam: intellectus autem animæ Christi non videt formaliter per visiones aliorum: ergo quantumcumque cognoscat illas per species, non sequitur tamen cognoscere Deum per ipsam, saltem intuitivè.

Conclusio Quarta.

XIII. Novit etiā cogitationes cordiū.

Anima Christi per scientiam infusam cognovit cogitationes cordium; nec-non & futura, etiam contingentia. Hæc conclusio communior est pariter apud Theologos: maximè veró quantùm ad *primam*, quæ probatur authoritatibus Scripturæ sacræ, quibus constat Christum Dominum novisse interiores hominum affectus, & cordium cogitationes.

Probatur Scripturâ.

Sic Matth. 9. *Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et cap. 12. *Iesus autem sciens cogitationes eorum, &c.* nihilque frequentius apud sactos Evangelistas, quàm quòd adorandus ille Salvator noverit omnia humani cordis arcana. Hinc S. Joannes cap. 2. ubi dixit quòd cùm *Christus esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus videntes signa quæ faciebat:* statim subdit; *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*

Favet etiam ratio; siquidem illa arcanorum cordis notitia maximè decebat Christi Domini ministerium. *Primò* namque erat Judex non solùm hominis exterioris, sed maximè interioris: at Judex æquissimus nosse debet ea omnia de quibus est dicturus sententiam. *Similiter* erat Doctor & magister hominibus destinatus; subinde nosse debuit tum ea quæ spectant ad actus interiores in ordine ad vitam æternā, sicut & ea quæ spectant ad actus exteriores, ut provideret de mediis & remediis ad illum finem conducentibus. *Denique*, Supremum habebat dominium in omnes hominis actiones; influere enim debebat in animas hominum tanquam caput in membra: Dominus autem nosse debet ea omnia & singula, quæ subsunt ejus dominio: igitur Christus quatenus Judex, Doctor, & Dominus, debuit nosse cordium cogitationes.

XIV. Nec non & futura.

Secunda pars etiam constat: Siquidem Christus Dominus plura novit futura, ut constat ex omnibus illius vaticiniis. Sic Matth. 26. in nocte passionis dixit Petro; *Antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Et Lucæ 19. *Videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallô, & circundabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Ad hæc, est eadem ratio ac nunc insinuata, quia videlicet est futurus Judex omnium.

Adde quòd ista pertinebant ad perfectionem prudentiæ ejus; nam Vir prudens non debet tantùm præsentia intueri, sed & præteritorum reminisci, & futura prævidere, & quantò eminet prudentiâ, tantò perfectiùs, & eò plura præterita futura debet cognoscere.

XV. Etiam contingentia.

Tertia pars etiam apparet, nempe quòd cùm Christus cognoverit futura contingentia ut contingentia sunt, seu quatenus pendent à libera omnium voluntate, non solùm quæ reverà erant extitura, sed etiam quæ conditionatè essent ventura, si talis conditio poneretur. Patet, inquam, de futuris contingentibus reverà exituris in aliqua temporis differentia: nam Matthæi cap. 26. Petro pronunciavit, *Antequam Gallus cantet, ter me negabis:* illa autem trina negatio erat futurum contingens omninò liberè pendens à libertate Petri; quod tamen evenit: ergo ejusmodi futura contingentia novit Christus.

Quòd autem etiam noverit futura conditionatè contingentia, similiter patet ex illo celebri vaticinio quô habitatorum Bethsaïdæ & Corosaïm cor impœnitens & obduratum animum increpans ait Lucæ 10. *Væ tibi Corosaïm, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.* Quibus verbis conditionatè futuram Tyriorum ac Sydoniorum pœnitentiam exprimit: igitur illam noverat.

Confirmatur: nam anima Christi per scientiam infusam cognoscit ea quæ maximè spectant ad suum statum & ministerium: sed aliqua ex futuris conditionatè liberè contingentibus, possunt spectare ad statum & ministerium Christi Domini; nam prædicta Tyriorum & Sydoniorum conversio spectabat ad confirmationem prædicationis sui Evangelii, & ad convincendam singularem duritiem & obstinationem eorum quibus annuntiabat Evangelium: igitur valde conveniens fuit, quòd anima Christi Domini haberet cognitionem horum futurorum conditionatorum.

Objicies primò: Cognitio cogitationum & affectuum cordis est soli Deo propria, ipsique ut divinitatis indicium tribuitur: Sic 1. Reg. cap. 16. *Homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Et Jeremiæ 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Unde SS. Patres Christi Domini Divinitatem maximè probârunt ex eo quòd secre-

tissimas

tissimas omnium cogitationes cognoverit & revelaverit. Sic sanctus Ambrosius, lib. 5. in Lucam ad illa verba Evangelii, *Vt autem vidit cogitationes eorum.* Sic pariter S. Hieronymus exponens caput 9. S. Matth. Idem dicendum de futuris; eorum enim cognitio & revelatio solùm Deum spectat, juxta illud Isa. 41. *Annunciate ea quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos*: unde Tertullianus in Apologetico cap. 20. præclarè ait: *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis:* At scientia infusa non convenit Christo ut Deo, sed ut homini: ergo nec cogitationes cordium nec futura contingentia cognovit per illam scientiam infusam; sed vel per scientiam increatam quatenus Deus & Verbum; vel ad summum per scientiam beatam quâ videbat quasdam creaturas relucentes & sibi repræsentatas in essentia divina: igitur per scientiam infusam ista non cognovit.

XVI. Ratione scilicet unionis hypostaticæ.

Respondeo distinguendo majorem: Est soli Deo propria, quatenus ei soli naturaliter convenit habere cognitionem liberarum cogitationum, & rerum futurarum, concedo: quatenus ex singulari ipsius beneficio non posset etiam alteri intellectui creato communicari, prout exigit illius dignitas & conditio, ad quam per ipsum sublimatur, nego. Fateor itaque quòd illa quidem cognitio sit soli Deo propria per modum cognitionis naturaliter debitæ; nihilominus ex privilegio potuit Christo conferri propter dignitatem, & ministerium ad quod destinabatur: maximè verò ratione unionis hypostaticæ, propter quam longè præstantiori modô ista cognitio ei tribuebatur, quàm cuilibet fuerit unquam concessa aut concedenda: Unde SS. Patres ex illa cognitione meritò inferebant ipsius Christi Domini divinitatem, quia nullus unquam homo purus tantâ perspicaciâ tantâque certitudine penetravit, & reseravit humani cordis abscondita, futurosque rerum eventus, ac ipsemet Christus Dominus; non tamen negârunt SS. Patres aliquam earum cogitationum, aut rerum futurarum cognitionem minùs perfectam posse tribui alicui puræ creaturæ: hoc enim testatur S. Ambrosius lib. 2. in Lucam ex testimonio S. Pauli 1. ad Cor. 14. quô demonstrat aliquos homines ex speciali virtute sibi à Deo communicata cognoscere secretas cogitationes cordium: Quod etiam firmatur multis Sanctorum exemplis qui ipsa cognitione & revelatione donati sunt.

Objicies secundò: Christus cognoscit cogitationes cordium & futura contingentia per scientiam beatificam: ergo superfluum est admittere etiam in eo scientiam per quam ista detegat.

Nego consequentiam: Juvat enim rem pluribus mediis & modis nosse, quando illa cognitionis multiplicitas non officit præstantiori cognitioni: at scientia infusa non officit scientiæ beatificæ nec statui hypostatico Christi, imò maximè conducit ad illustrandam ipsius animam: igitur licèt Christus secreta cordium & futura contingentia noverit per scientiam beatificam, non otiosè, nec inutiliter etiam ipsa novit per scientiam infusam.

Instabis: Christo non est attribuenda perfectio, nisi illa intellectui creato censeatur debita secundùm ordinem naturæ vel gratiæ: sed cognitio secretorum cordis ac futurorum contingentium, non est debita intellectui creato secundùm alterutrum ordinem: ergo non est asserenda in anima Christi

Respondeo primò, negari posse majorem, cùm enim Christus ratione unionis hypostaticæ sublimatus fuerit ad ordinem longè præstantiorem, quàm sit ordo naturæ & gratiæ: idcircò etiam præcellentiori dignitate ac notitiâ fuit donandus.

Respondeo secundò distinguendo minorem. Cognitio secretorum cordis & futurorum non est debita communi ordini gratiæ, concedo: extraordinario ac præcellentissimo gratiæ ordini ac statui, nego: sicut enim Christus ratione plenitudinis gratiæ quam obtinet longè est Deo acceptabilior, quam cæteri quique justi, inde mirum videri non debet, si etiam longè præstantiori Dei beneficiô cumuletur, & perspicaciori rerum notitia donetur.

XVII. Quibus modis futura contingentia cognoscuntur

Objicies tertiò: Futura contingentia non possunt cognosci ab intellectu Christi, nisi *vel* in sua causa, *vel* in testimonio Dei dicentis & revelantis ea, sicut revelavit Prophetis, *vel* in decreto divinæ voluntatis determinantis eorum futuritionem, quô pactô Beati & ipse Deus futura contingentia cognoscunt: *vel* denique in seipsis immediatè; nempe si cognitio animæ Christi terminaretur immediatè ad ipsa futura secundùm se, & non mediante aliquô objectô priùs cognitô: sed neutrô ex his quatuor modis potuit illa futura contingentia nosse. *Non quidem in sua causa*, quia causa productiva illorum effectuum contingentium, est omninò indifferens ex se ad illos producendos, vel non producendos: ex principio autem indifferenti non potest aliquid certò & determinatè cognosci: tum quia futura contingentia, ut sunt in causis, non habent veritatem determinatam, sicut nec entitatem, quia causæ contingentes non sunt magis determinatæ ad illos effectus, quàm ad oppositos: igitur non possunt esse magis rationes cognoscendi effectum aliquem, quam illius oppositum. *Non etiam secundum*, quia quod cognoscitur per testimonium Dei dicentis aut revelantis, tantùm cognoscitur per medium extrinsecum; cognitio autem per medium extrinsecum non est scientifica: siquidem cognitio scientifica infertur per medium intrinsecum & evidenter notum cognoscenti. Hinc omnis cognitio quæ habetur per revelationem, vel ad fidem vel ad Prophetiam pertinet, non autem ad scientiam. *Non etiam tertium*, quia objecta debent aliter cognosci per scientiam infusam, quàm per beatam: sed per beatam cognoscuntur in decreto Dei, vel saltem in divina essentia, quatenus habet vim infinitam quælibet objecta repræsentandi. *Non denique quartum*, quia futura contingentia non sunt repræsentabilia in seipsis per aliquam speciem creatam; quod enim non habet esse determinatum, non est repræsentabile per propriam aliquam speciem: siquidem repræsentatio speciei, cùm sit naturalis, non potest certò determinare illud quod est indifferens ad essendum, vel non essendum: sed futurum contingens v. g. trina negatio Petri, non habebat determinatum esse, sed erat omninò indifferens ad essendum, vel non essendum: igitur per aliquam speciem non poterat certò repræsentari.

Nego minorem: nam reverà futura contingentia cognita sunt in seipsis per speciem repræsentativam illorum, ut docere videtur Doctor in 3. dist. 14. quæst. 3. num. 5. ubi de Christo loquens ait; *Potest dici quòd hæc anima novit habitualiter & abstractivè, aliqua singularia per proprias species infusas, & aliqua non novit habitualiter.* Quibus

concedit Christi intellectum habuisse cognitio- A nem quorundam singularium contingentium; ibi namque non loquitur de singularibus necessariis, sed contingentibus; siquidem subdit: *Potest tamen cognoscere illa habitualiter, si illa fiant in existentia reali:* Ergo non loquitur de singularibus possibilibus aut existentibus necessariis, sed etiam de contingentibus. Quod utique confirmatur; quia per scientiam infusam, anima Christi cognoscit per proprias species ea omnia quæ per proprias species sunt in seipsis repræsentabilia: sed futura contingentia sunt repræsentabilia per suas proprias species: igitur, &c. Major constat. Minor probatur. Quodlibet ens sub ratione quô ens est, B est intelligibile: sed futuritio & contingentia sunt reverà aliquid & consequenter ens, ac subinde sunt intelligibilia. *Deinde*, Ens ut futurum, & ut præteritum, est intelligibile: ergo etiam ut futurum contingens. Antecedens per se patet. Consequentia probatur: sicut enim futuritio est relatio temporis futuri ad præsens, & sicut præteritio est relatio temporis præteriti ad præsens: ita contingentia est relatio effectûs ad causam, prout in actu primo indifferentem: igitur tam futuritio quàm contingentia sunt entia cognoscibilia.

VIII. Novit Christus D futura contingentia per speciem illorum repræsentativam.

Nec refert, quòd illa non habeant esse determinatum, quatenus considerantur secundùm se, & ut spectantur in sua causa, quæ prout conside- C ratur in actu primo, indifferens est ad effectum contingenter ponendum vel non ponendum; sufficit enim quòd illa habeant aliquod esse determinatum in decreto Dei, non pro tempore, quô dicitur futurum contingenter, sed pro tempore quô Deus liberè decrevit, ut illud futurum contingens existat: ex hac enim determinatione supposita divinæ voluntatis, futurum illud dicitur habere aliquod determinatum esse, quod ut sic per speciem creatam supernaturaliter à Deo infusam repræsentari potest, & certæ cognitioni subesse, & consequenter per aliquam scientiam supernaturalem possunt cognosci.

Quô sensu Doctor subtilis dicit futurum contingens non posse cognosci.

Dices, Doctor subtilis ibidem *num.* 6. absolutè D negat quòd futurum contingens possit cognosci, *Si dicatur*, inquit, *quòd potuit hanc habere per species infusas, hoc falsum est:* igitur nostra sententia ipsi adversatur.

Nego consequentiam; ibi enim non loquitur de cognitione abstractiva, de qua agimus, sed de intuitiva, quam affirmat non posse haberi per speciem: *Tum quia*, inquit, *species infusa repræsentat objectum, ut abstrahit ab actu & existentia: quia eodem modô repræsentat, sive objectum existat, sive non existat, & per consequens non est ratio cognoscendi ut existens: tum quia veritates cognoscibiles cognitione intuitivâ de existentibus ut existentia sunt, scilicet veritates contingentes, non possunt cognosci* E *per species quascunque innatas: quia ex cognitione terminorum, non potest cognosci veritas complexorum contingentium de illis terminis, &c.* Ex quibus sic ratiocinari licet: Censet Doctor, quòd species infusæ eodem modô repræsentant objectum, sive existat, sive non existat ex ejus mente: ergo ex illa habemus quòd etiamsi futurum contingens non existat, potest per species per se infusas cognosci; non solùm ipsa substantia futuri, sed etiam futuritio & contingentia ipsius, & consequenter non solùm specificativè, sed etiam reduplicativè.

Adverte tamen, Doctorem subtilem in 2. dist. 3. quæst. 11. meritò contra S. Thomam docere quòd Angelus non possit cognoscere futurum contingens per species universales, imò nec per species simpliciter, & solitariè, quia species deserviunt duntaxat ad simplicem extremorum apprehensionem; non verò ad judicium ferendum. Quapropter ad hoc ut intellectus animæ Christi ferre potuerit judicium de hac propositione, quâ Petrum alloquens dixit, *Ter me negabis*, præter species repræsentantes Petrum & negationem, necessarium fuit aliquod medium conjungens hæc extrema: illud autem fuit revelatio quædam & manifestatio per lumen aliquod.

Petes primò, an illa scientia infusa Christi fuerit actualis, vel habitualis.

XIX. Illa scientia per quâ novit futura contingentia, erat habitualis.

B *Respondeo* communem esse Theologorum sententiam illam esse habitualem, ac jugiter in ejus intellectu perseverantem per modum qualitatis concurrentis cum eodem intellectu ad cognitionem actualem. Cujus ratio est: Illa scientia est habitualis per quam sciens est tantùm in actu primo & utitur tali scientia pro libito ad actum eliciendum: sed anima Christi per scientiam infusam quandoque tantùm erat in actu primo, & eâ pro libito utebatur: igitur erat habitualis. Major admittitur ab omnibus. Probatur minor. In hoc præter cæteras differentias discrepat scientia infusa à scientia beata, quod hæc semper sit actu; non enim intellectus beati C potest suspendere vel interrumpere suum actum visionis beatificæ, sicut nec voluntas suspendere actum amoris: potest verò intellectus Christi suspendere & cessare ab actu cognitionis per scientiam infusam; cùm enim status animæ Christi & modus ejus intelligendi extra visionem beatificam, sit ut operetur modo humano, id est voluntario & libero, oportuit ut intellectus animæ Christi per scientiam infusam interdum esset in actu secundo, interdum verò duntaxat in actu primo; nam cùm hæc scientia per se infusa sit solummodò ordinata ad perficiendum intellectum Christi, quatenus erat viator, oportuit quòd ejus usum liberum haberet, sicut & nos habemus D usum scientiarum, quas nostrô labore comparamus, nec enim habuit intellectus Christi principium aliquod quô necessitaretur ad semper exercendum actum alicujus scientiæ.

Dices. Præstantius est semper esse in actu secundo, quàm in actu primo: ergo cùm scientia infusa Christi fuerit in statu perfectissimo, debuit semper esse in actu secundo. Probatur antecedens. Primus actus ordinatur ad secundum tanquam minùs perfectus ad perfectiorem; siquidem facultas completur & perficitur per actum secundum.

Quia viatori magis consona.

Distinguo antecedens. Id perfectius est secundùm omnem statum, nego: secundùm statum E comprehensoris, concedo: perfectio enim debet esse proportionata statui cujus est: status autem viatoris non exigit semper esse in actu secundo, sicut status comprehensoris, quia viator pro libito debet uti suis facultatibus & habitibus; unde non modica est in eo perfectio quòd sit liberrimus in suis actionibus eliciendis, & consequenter quòd pro libito utatur suis habitibus.

Petes secundò: An unicô vel pluribus repetitis actibus anima Christi cognoverit omnia objecta per scientiam infusam.

Respondeo actus fuisse multiplices secundùm diversitatem objectorum; tum quia ubi sunt multæ species intelligibiles repræsentantes objecta specie distincta, intellectus non potest unicô actu mediantibus illis speciebus diversis illa objecta spe-

cie distincta percipere; actus enim non solùm à [A] potentia, sed etiam ab objecto pendet: at diversorum specie objectorum erant diversæ species; siquidem per speciem alicujus objecti non potest repræsentari aliud objectum specie distinctum, nec enim per speciem albedinis repræsentari potest nigredo: ergo non per unicum, sed per plures actus anima Christi debuit illa objecta cognoscere.

XX. Multiplices erant illius scientiæ secundùm diversitatem objectorum.

Deinde, Actus hujus scientiæ debet esse minùs perfectus etiam secundùm intensionem, quàm sit actus visionis beatificæ; quippe cùm sit ordinis inferioris: atqui actus visionis beatificæ id habet proprium, ut unicus sit commensuratus & adæquatus omnibus subjectis, quæ videntur à Beato: igitur actus scientiæ infusæ non debuit esse [B] unicus.

Denique, Unitas aut multiplicitas actûs petitur, vel ab unitate objecti, vel medii in quibus objecta alia continentur & relucent. Hinc actus beatificus est unicus; quia omnia objecta quæ percipiuntur à Beatis, adunantur & relucent in essentia divina illa repræsentante: sed nullum est medium in quo omnia objecta percipienda per scientiam infusam, adunentur & reluceant; si enim aliquod esset tale medium, maximè aliqua species intelligibilis, quæ tantæ esset perfectionis & virtutis, ut omnia prorsus objecta simul repræsentaret, & intellectum Christi promptum & expeditum redderet ad illa cognoscenda: sed ita non [C] est, species enim sunt similitudines objectorum; unde cùm objecta sint specie distincta, imò & genere, unica species non potest simul omnia objecta illa referre, & earum similitudinem exprimere: hinc, ut probatum est agendo de notitia Angelorum, non dantur species universales & genericæ, quæ referant objecta inferiorum specie distinctorum: ergo multò minus dari potest unica species quæ tot ac tam varia, etiam genere diversa objecta distinctè & clarè repræsentet.

Petes tertiò, utrum illa scientia fuerit discursiva?

XXI. Illa verò scientia erat discursiva.

Respondeo affirmativè, quippe secundùm doctrinam Doctoris, ad præcisam rationem formalem discursûs tantùm requiritur, ut duæ sint propositiones, quarum una inferatur per aliam; nec [D] enim necesse est ut ignotum inferatur ex notiori, ut aliàs probavimus: atqui anima Christi utendo hâc scientiâ potuit habere duas cognitiones actuales, quarum prior esset causa posterioris; nam cùm species concurrentes ad illam scientiam subjicerentur ejus libertati & repræsentarent res ad ejus nutum, potuit efficere ut species naturæ alicujus primò repræsentaret ipsam naturam, quatenus eam naturam actu cognosceret; deinde ut species proprietatis illius naturæ ipsam naturam repræsentaret actu cognoscendam, & sic ex cognita essentia potuit colligere existentiam actualem proprietatis. Insuper, anima Christi erat rationalis, & subinde ratiocinativa, sicut & nostra: ergo reverà uti potuit habitu scientifico [E] sibi infuso ad ratiocinandum & discurrendum, sicut & nos iisdem uti possumus. Consequentia patet: anima enim potest uti pro libito cognitione sibi inexistente, maximè quando illa ordinatur ad perficiendam & complendam illius activitatem: at scientia infusa datur animæ Christi ad complendam activam ejus potentialitatem: igitur eâ uti potuit modô sibi connaturali: sed connaturalis modus intelligendi animæ rationalis, est per discursum: igitur anima Christi per scientiam infusam potuit ratiocinari.

Petes quartò, utrum scientia infusa animæ Christi fuerit præstantior & perfectior scientiâ Angelorum. XXII. Præstantior Angelicâ.

Videtur affirmare Doctor d. 14. q. 4. ubi supponens intellectum Angelicum distingui specie ab intellectu humano, & intellectum Angeli esse præstantioris activitatis quàm sit humanus; concedit equidem intellectum Christi non potuisse præstantiorem cognitionem elicere, quam posset Angelicus cum æquali scientia infusa; quia cùm intellectus Angelicus sit majoris activitatis, quàm humanus, etiam cum æquali lumine poterit perfectiùs res percipere, nisi aliunde Deus suppleat minorem activitatem intellectûs humani per abundantius lumen, & per plures species infusas: Cùm autem Christus sit caput Angelorum, & per unionem hypostaticam habuerit modum essendi longè præstantiorem, quàm Angeli, etiam debuit habere longè præstantiorem modum operandi, subindeque conveniens fuit, ut Deus suppleret minorem activitatem illius intellectûs per species abundantiores & magis perfectas.

QUÆSTIO IV.

Utrum præter scientiam beatam & infusam Christus habuerit etiam scientiam acquisitam?

[C] *NOtandum primò* nomine *scientiæ acquisitæ*, nos hîc illam intelligere quæ suapte naturâ acquisibilis est propriô scientis studiô de rebus naturalibus: quæ tametsi de facto aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales Adamo fuisse infusas ab instanti suæ formationis communiter docent Theologi;) per se tamen naturæ viribus comparari potest, unde cùm infunditur, dicitur duntaxat infusa *per accidens*, quia videlicet ex natura sua postulat, ut propriis actibus acquiratur. In quo maximè differt à scientia de rebus supernaturalibus, quarum cognitio naturæ vires transcendit, nec ullatenus haberi posset, nisi Deus gratuitô beneficiô illam infunderet. Quamvis autem certum sit apud omnes Theologos, scientiam illam acquisitam reverà in Christo [D] extitisse, ut apertè significat Apostolus ad Heb. 5. dum de Christo ait: *Didicit ex his quæ passus est obedientiam*, non tamen conveniunt omnes de modo, quô illam obtinuerit, an videlicet per divinam infusionem, ut Adamus: an per humanum studium & laborem, ut cæteri homines in rebus naturalibus periti: an per utrumque simul. *Quidam* enim cum Seraphico Doctore in 3. dist. 14. art. 3. quæst. 2. docent Christum ab initio habuisse sibi infusam divinitùs scientiam illam acquisibilem, ne unquam careret notitiâ naturali plurimorum objectorum naturalium, quæ per talem scientiam percepit; ita quòd præter scientiam illam habitualem non fuerit alia habitualis scientia in ejus [E] intellectu, sed duntaxat experimentalis, & intuitiva: cui sententiæ adstipulatur etiam subtilis Doctor, ut infrà demonstrabimus. *Nonnulli* verò cum S. Thoma quæst. 12. art. 2. communiter docent quòd etsi Christus Dominus per scientiam infusam ab initio suæ formationis omnia noverit, nihilominus de novo sibi comparavit scientiam acquisitam propriis actibus, eô ferè modô quô cæteri homines illam acquirunt: non quidem per disciplinam ab Angelis vel hominibus exceptam, sed præstantissimô quô pollebat ad res percipiendas & penetrandas mentis acu-

I. Quid nomine scientiæ acquisitæ intelligatur.

mine, ne videlicet intellectus agens in eo maneret otiosus & frustraneus. Ita docent omnes Thomistæ, & plurimi Recentiores. Sunt etiam qui velint cum Hurtado dist. 8. diff. 22. scientiam illam naturæ viribus acquisibilem, in intellectu Christi fuisse partim propriô labore acquisitam, partim per accidens divinitùs infusam.

Scientia acquisita & infusa per se non distinguuntur.

Notandum secundò, cognitionem infusam & acquisitam ex se præcisè non distingui specie, ut docet Doctor dist. 14. q. 3. num. 2. Quia, inquit, „ acquisita & infusa cognitio idem habere possunt „ objectum, & solùm differunt penes causas effi„ cientes, sicut homo creatus & genitus naturali„ ter: sed talis distinctio causarum non distinguit „ cognitionem formaliter secundùm S. Augusti„ num epistolâ ad Deo-gratias, & Ambrosium lib. „ de Incarnatione dicentes quòd *disparitas ortûs* „ *non facit distinctionem naturæ*, ut patet de Adamo & nobis. Unde colligit Doctor quòd scientia infusa per accidens & acquisibilis in Christo non distinguantur specie. Item quòd si Christus, ut vult S. Thomas, habuerit scientiam infusam de omnibus rebus in proprio genere, non potuerit de novo per proprios actus sibi scientiam de iisdem rebus comparare, quia S. Thomas docet duo accidentia solô numerô distincta non posse simul in eodem subjecto subsistere, alterutrum enim foret inutile & otiosum ad subjectum informandum & afficiendum: sic, v. g. duæ quantitates bipedales forent frustraneæ in eadem parte ligni: & subinde cùm scientia acquisita & infusa de rebus naturalibus ex se duntaxat numericè differant, quia non specificantur à principio per quod obtinentur, sed ab objectis, idcirco vel falsum est, quod communiter docent Thomistæ, duo accidentia ejusdem speciei non posse in eodem subjecto subsistere: vel Christus non habuit scientificam notitiam de rebus naturalibus: vel non potuit aliam propriis viribus scientificam notitiam de rebus ipsis comparare.

Scientia experimentalis à scientifica differt.

Notandum tertiò, cognitionem experimentalem in plurimis à scientifica distingui. *Primò* namque scientifica cognitio cùm sit certa & jugiter perseverans, maximè occupatur circa res universales & in abstracto consideratas, experientia verò duntaxat versatur circa res individuales præsentes & moventes per suam præsentiam ad experimentalem illam sui cognitionem; unde cognitio experimentalis semper est intuitiva. *Secundò*, cognitio scientifica ex se potest divinitùs infundi independenter ab omni prorsus experientia; licèt enim experientia ex natura rei conferat ad acquirendam scientiam naturalem; tamen ab illa non omninò ac per se pendet; quia non in illa nititur tanquam in proprio principio, sed solùm est veluti quædam via, quâ naturaliter proceditur ab imperfecto ad perfectum: sic Adamus in statu innocentiæ multarum rerum scientiam habuit quas pro illo statu experiri non potuit. Experimentalis verò notitia non videtur posse infundi, sed solùm per ipsam experientiam acquiri: tum quia species ad experientiam deservientes pertinent vel ad cognitionem intuitivam præsentium, vel memoriam præteritorum, vel conjecturam futurorum, ut docet Doctor locô laudatô, *num.* 4. Unde ut formetur vera & certa notitia experimentalis, oportet quòd noverit intellectus rem fuisse jam taliter qualiter illam experitur de facto; quod utique præstare non potest per speciem infusam, quia, ut diximus cum Doctore, species infusa indifferens est ad repræsentandam rem ut existentem, vel non existentem; unde fit quòd si infunderetur species experimentalis, ducere posset in falsam cognitionem repræsentando aliquid ut perceptum per sensus, quod ita cognitum non fuisset. *Denique*, species quibus scientia utitur in sua repræsentatione & cognitione, abstrahunt à tempore & a præcedente aliqua cognitione: at verò species quæ experimento deserviunt, repræsentant rem præsentem quæ sub experientiam cadit cum ordine ad tempus præteritum, & ad intuitivam, seu sensibilem cognitionem præteritam; experientia enim est diuturna & exacta observatio singularium, ex qua certa & constans cognitio colligitur.

His ita præmissis tria supersunt statuenda. *Primum*, quòd reverà Christus habuerit scientiam acquisitam. *Secundum*, quòd illam habuerit sibi à suæ formationis exordio divinitùs infusam. *Tertium*, quòd illa non fuerit de omnibus omninò rebus in individuo.

CONCLUSIO PRIMA.

II.

Christus habuit scientiam acquisitam.

PRæter scientiam beatificam & infusam, Christus etiam habuit scientiam acquisitam.* Hæc est communis inter Theologos. Probatur primò authoritate Scripturæ sacræ, Isaiæ 7. ubi Propheta faciens sermonem de Christo ait: *Antequam sciat vocare Patrem, aut Matrem, accipiet virtutem Damasci & spolia Samariæ*; quæ verba sic expendit S. Ambrosius in libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, ubi cùm dixisset. *Sensus hominis profecit* (nempe Christus) *sicut scriptum est, & Iesus proficiebat ætate & sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines. Quomodo proficiebat Sapientia Dei? Doceat te ordo verborum, profectus est ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est: ideo & ætatem ante præmisit ut secundùm hominem crederes dictum; ætas enim non divinitatis sed corporis est.* Ergo *si proficiebat, ætate hominis proficiebat, sapientiâ hominis; sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia.* Quibus apertè docet Christum aliquam sapientiam & scientiam per sensus sibi comparasse, quod paulò post probat mox laudatô oraculô Isaiæ, subditque: *Sapientem enim futura & occulta non fallunt: expers autem cognitionis infantia per humanam utique prudentiam, quod adhuc non didicit ignorat.* Quibus verbis S. Ambrosius non tribuit Christo simpliciter ignorantiam, cùm lib. 5. de fide cap. 7. id apertè neget: sed solùm tribuit Christo nescientiam oppositam scientiæ, quæ oritur ab experientiâ & sensu: concedit igitur Prophetam hîc significare aliquam in Christo scientiam sensuum beneficiô paulatim acquisitam.

Probatur ex scriptura.

Id insuper idem Propheta luculentiùs exprimit cùm ait ibidem: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*: quæ verba sic expendit S. Hieronymus ibidem: *Adhuc pannis involutus & butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona: non quòd hoc fecerit aut reprobaverit vel elegerit, sed quòd scierit reprobare & eligere; ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divina non præjudicasse sapientia.*

Probatur etiam per istud Lucæ 2. *Iesus proficiebat ætate & sapientiâ coram Deo & hominibus*; qui utique profectus non fiebat secundùm scientiam infusam, cujus omnimodam plenitudinem ab initio receperat: igitur attendendus est duntaxat penes scientiam experimentalem; non enim, ut qui-

dam volunt, profectus ille duntaxat est attendendus secundùm apparentiam; quia ut docet S. Augustinus lib. 83. q. 8. verba Evangelistarum narrantium historias, accipienda sunt ut exprimuntur, & subinde verus hic significatur profectus.

Item ex Seraphico Doctore.

Probat conclusionem Seraphicus Doctor suprà *laudatus q.* 1. ex eo quòd anima Christi, inquit, debuit esse perfecta, non solùm secundùm superiorem portionem, verùm etiam secundùm inferiorem, & secundùm partem sensibilem, non tantùm quantùm ad statum patriæ, verùm etiam quantùm ad statum viæ, qui duplex est: videlicet innocentiæ & naturæ lapsæ. Et secundùm hoc Christus habuit triplicem cognitionem isti triplici statui convenientem, videlicet cognitionem gloriæ, cognitionem naturæ integræ, & cognitionem pœnalis experientiæ, ut de quolibet statu aliquid in se haberet. Rursus quia perfecta fuit anima Christi quantùm ad cognitionem non solùm respectu cognoscibilium, sed etiam respectu modorum cognoscendi: ideò cùm res tripliciter sint cognoscibiles, secundùm quod tripliciter habent esse, habent enim esse in Verbo, habent esse in intellectu creato, habent nihilominus esse in proprio genere: ideò ad hoc quòd intellectus animæ Christi plenam de rebus cognitionem haberet, res cognovit istâ triplici cognitione. Et sic patet, quòd anima Christi non tantùm habuit cognitionem rerum in Verbo, sed etiam rerum à Verbo; cognitionem, inquam, non tantùm simplicis notitiæ, verùm etiam experientiæ. Patet etiam harum trium cognitionum sufficientia, necessitas & distinctio, quæ potest sumi vel ex parte virium, scilicet superioris rationis, inferioris & sensualitatis: vel ex parte statuum, videlicet gloriæ, innocentiæ & naturæ lapsæ: vel ex parte modorum cognoscendi, scilicet in Verbo, in se, & in genere proprio; & sic patet quòd anima Christi præter cognitionem quam habuit in Verbo, habuit cognitionem rerum in se, & in genere proprio, & sic ulteriùs patet quòd anima Christi præter cognitionem quam habuit in Verbo, habuit aliam cognitionem à Verbo.

Objiciuntur SS. Patres.

Objicies primò SS. Patres apertè docentes Christum nullatenus reverà profecisse aut habuisse incrementum scientiæ & notitiæ interioris, sed ipsius profectum in scientia, attendendum esse duntaxat penes externam manifestationem scientiæ vel divinitatis. Sic Athanasius in Oratione 4. contra Arianos, ubi etsi primùm veram videatur agnoscere scientiæ progressionem in Christo, subinde tamen id desertè negat; ait enim: *Corporis igitur proprius ille profectus, etenim proficiente ipsò, proficiebat in eo divinitatis apud illos qui intuebantur ostensio; quantò autem magis divinitas aperiebatur, tantò copiosius augebatur apud omnes homines.* Quibus significat profectum istiusmodi in eo consistere quòd evidentiora dabat signa divinæ sapientiæ ac virtutis; unde subdit: *Quis est ille qui dicitur profectus, nempe ut dixi Deificatio illa est & gratia hominibus à sapientia communicata, cùm in ipsis peccatum & insita corruptela deleretur ad similitudinem & cognitionem Verbi: sic enim augescente secundùm ætatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio, palamque monstrabatur omnibus templum ipsum esse Dei ac Deum in corpore.* Ad idem scribit S. Gregorius Orat. 25. *Ille*, inquit, *Christus proficiebat ut ætate, ita sapientiâ & gratiâ; non quòd incrementum ista caperent, quid enim eò quòd ab initio perfectum extitit, posset esse perfectius? sed quod paulatim aperirentur ac se* A *se proderent.* Hoc etiam uberrimè declarat S. Bernardus Homiliâ 2. super *Missus est*, ubi demonstrat nullum perfectionis incrementum in anima Christum habuisse, ait enim: Neque minùs habuit sapientiæ: vel potiùs non minor fuit sapientia Jesus conceptus quam natus, parvus, quam magnus: sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam profectæ ætatis docens in populo, æquè perfectè plenus fuit Spiritu sanctô; nec fuit hora in quacumque ætate sua, quâ de plenitudine illa, quam in sui Conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, B vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectûs, spiritu consilii & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini, *Mox illud Evangelistæ de profectu Christi declarans*: Nam quod de sapientia & gratia hîc dictum est, *inquit*, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est; non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quòd ante non haberet, sed quòd accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu homo cùm proficis, non quando, nec quantumvis proficis; sed te nesciente tuus moderatur profe- C ctus, tua vita disponitur. At verò puer Jesus qui disponit tuam, ipse disponebat & suam; & quando volebat & quibus volebat sapientior; quando & quibus volebat sapientissimus; quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus: similiter & cùm semper plenus omni gratiâ fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minùs ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Hæc S. Bernardus.

Respondeo SS. Patres nihil aliud velle, quàm quòd Christus Dominus nullum habuerit sapien- D tiæ & scientiæ incrementum penes divinitatem, sed duntaxat penes humanitatem: ut disertè explicat Rupertus lib. 1. in Genesim cap. 21. ubi locum Isaiæ 11. tractans in quo dicitur super Christum requievisse spiritus sapientiæ & intellectûs, sic scribit: *Quia ille in quem hæc dicuntur, cùm non tantùm homo, sed & Deus sit, licèt secundùm humanitatem sapientiâ, ætate & gratiâ profecerit: attamen secundùm id quod est & erat Deus, nullum profectum habuit.* Unde etiam sanctus Athanasius locô laudatô in objectione, dicit quod si quis pertinaciùs obluctetur, ut profectum illum in sapientia & ætate verum esse contendat, id eatenus E concedendum esse dicit, ut non de divinitate ipsius, sed de humanâ naturâ istud dici existimetur. *Veruntamen*, inquit, *si contentiosiùs in eo perseverant, quod Christus interrogaverit, audiant à nobis, nullam in divinitate ignorantiam esse; carnis verò esse proprium ignorare.* Vel dico SS. Patres eô modô esse intelligendos quô dicemus in sequenti conclusione, nempe Christum Dominum omnia novisse per scientiam infusam, etiam naturalia, nihilominùs eorum aliqua adhuc cognoscere potuisse per scientiam experimentalem, non quidem habitualiter, sed actualiter.

Sed explicantur.

Objicies secundò. Superfluum est facere per plura, quod sufficienter fieri potest per pauciora: sed Christus per solam scientiam infusam, non solùm sufficienter, sed longè perfectiùs cognoscebat id omne quod per scientiam acquisitam nosse posset: igitur hæc in ipso fuit frustranea.

Nego minorem: ad perfectionem enim intel-

lectûs Christi spectat noo solùm omnia objecta cognoscere, sed etiam secundùm omnem modum, quô cognoscibilia sunt ; unde cùm aliter, res maximè sensibiles, possint cognosci per phantasmata ab ipsis abstracta, quàm per species à Deo infusas ; hinc est quòd, sicut in anima Christi præter scientiam beatam, quâ res in Verbo contemplatur, admittitur scientia infusa per quam illas extra Verbum cognoscat, eò quod utrôque hôc modô sint cognoscibiles ; ita quia res naturales non solùm per species à Deo infusas, sed etiam per eas quæ a phantasmatibus abstrahuntur, cognosci possunt, idcirco hic cognoscendi modus in Christo est asserendus, utpotè cùm sit maximè connaturalis animæ Christi quatenus conjunctæ humano corpori.

Objicies tertiò. Scientia acquisita incompossibilis est cum visione beatifica, ut colligitur ex illo 1. ad Cor. 13. *Sive Prophetia evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*; quod maximè intelligitur de scientia acquisita, & comparata per phantasmata : sed Christus habebat scientiam beatificam : ergo non potuit habere scientiam acquisitam.

Respondeo primò, ut jam aliàs diximus, Apostolum intelligendum esse de destructione scientiæ non penes habitum, sed penes actum & exercitium spectans ad aliorum instructionem. *Secundò*, dico, quòd etsi intelligendus esset Apostolus de scientia acquisita, significaret duntaxat quòd in statu beatitudinis ut anima separata à corpore cognoscat per scientiam acquisitam, non habebit opus se se convertendi ad phantasmata.

Conclusio Secunda.

III. Novit & essentias rerum naturalium ab instanti cõceptionis suæ per habitum sibi infusum.

Probabilius est Christum novisse quidditates rerum naturalium ab instanti sua Conceptionis per habitum sibi infusum, quem potuisset propriis actibus comparare, nisi illum per infusionem obtinuisset : nihilominus aliqua de novo potuit cognoscere cognitione intuitivâ & experimentali. Hæc, ut mihi videtur, genuina est subtilis Doctoris doctrina, quantùm ad utramque partem, ut constabit infra.

Probatur ex SS. Patribus.

Prima autem pars probatur primò authoritate SS. Patrum qui Christo omnimodam scientiæ plenitudinem etiam infanti tribuunt, negantque ipsum, etiam puerulum aliquid nescivisse. Sic S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 29. ubi docet nullam in eo infante quidem ignorantiam extitisse, uti nec alios inquietos motus originalem redolentes culpæ maculam: *Quam plane ignorantiam*, inquit, *nullô modô crediderim fuisse in Infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis.* Hanc veritatem luculenter tradit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in lib. adversus Agnoïtas, ubi copiosè eruditéque hanc quæstionem tractans ait : *Neque secundùm divinitatem, neque secundùm humanitatem affirmare in illo ignorantiam extitisse, periculosa temeritatis est expers :* Cujus librum laudat & approbat S. Gregorius lib. 8. epistolarum, epistolâ 42. quam ad ipsum scripsit : *Quia*, inquit, *in doctrina vestra impugnans hæreticos qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur, quòd autem displiceret non fuit.* Eadem veritas constat ex SS. Patribus in prima objectione superioris conclusionis laudatis ; illi namque constanter affirmant nullam in

A Christo etiam, ut homine aliquando ignorantiam extitisse : sed necessum fuisset illum plura ignorare, si rerum naturalium, quæ per studium & laborem addisci possunt & cognosci, non habuisset sibi infusam scientiam : igitur illam reverà habere dicendus est.

Probatur etiam ratione. *Primò*, quidem eâ quâ usus est S. Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. ubi probat Christum reverà nequidem secundùm humanitatem potuisse habere ullum incrementum scientiæ propter intimam illius conjunctionem cum Verbo. *Nam si verè caro est conjuncta Deo Verbo, ab ipso extandi primordio, vel potius in ipso extitit, & hypostaticam cum illo identitatem habuit ; qui fieri potuit, ut non perfectè omni sapien-*
B *tiâ, & gratiâ locupletata sit? Non ut ipsa gratiam participaret, neque ut ex gratiâ in communionem admitteretur eorum, quæ ad Verbum pertinent : sed eâ potius ratione, quòd, propter unionem hypostaticam, humanis ac divinis omnibus unius Christi propriis factis (quandoquidem Deus idem & homo simul erat) illa ipsa caro gratiam & sapientiam, plenamque bonorum omnium copiam in mundum fontis instar exundaverit :* Ex quibus sic ratiocinari licet : Christus ratione suæ unionis ad Verbum debuit habere plenam bonorum omnium copiam, & subinde sapientiam ab eo instanti quô ipsius humanitas fuit unita Verbo : at si non habuisset per infusionem scientias omnes naturales quæ studiô & laborê comparari possunt, non
C habuisset plenam bonorum omnium copiam : igitur ex tunc illas habere debuit.

Confirmatur. Unio hypostatica ex sua dignitate postulat, ut natura assumpta sit in primo instanti perfecta omni perfectione naturali non repugnante suo statui : atqui scientiæ naturales sunt quædam perfectiones intellectûs humani, nec repugnant statui Christi : quia si repugnarent, maximè vel ex defectu usûs rationis, vel quia intellectus dependet à phantasmatibus & speciebus possibilibus, ut utatur scientiâ naturali, quæ per acquisitionem comparari potest : sed ex neutro
D capite repugnant scientiæ naturales Christo ab instanti suæ formationis. Non quidem ex primo capite : quia ut constat ex laudatis Sanctis Patribus, Christus etiam in utero matris perfectum habuit rationis usum ; idcirò Jeremias cap. 31. ipsum adhuc in utero matris existentem virum appellat : *Mulier*, inquit, *circumdabit virum* ; quæ verba sic exponit S. Hieronymus : *Iuxta incrementa ætatis*, inquit, *per vagitus & infantiam proficere videtur sapientiâ & ætate : sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebatur.* Vel ut suprà dicebat S. Bernardus ; *Non minor fuit sapientia Iesu, conceptus quàm natus, parvus, quàm magnus, &c.*

Reponunt aliqui Thomistæ cum Caïetano quòd
E quamvis Christus non habuerit sibi infusas omnes scientias naturales ab initio suæ formationis ; tamen facili negotiô potuit eas comparare, ratione acuminis ingenii quô præ cæteris hominibus excellebat, & quô poterat comprehendere naturas rerum, itaut cognitô cœlô, v. g. cognosceret omnes effectus illius, & cognitô unô individuô cognosceret alia.

Contrà. Quantumvis aliquis excellat ingeniô, non potest rerum naturalium brevi tempore notitiam sibi comparare. Tum quia excedit naturales ingenii vires, ut visô unô aut alterô individuô, possit aliquis colligere quid sit sentiendum de aliis ; cùm multa individua reperiantur sibi similia,

IV. Indigei hominis sensibus & phantasmatibus ad scientiam comparandam.

ut experientiâ constat circa medicinam pro morbis curandis; quippe pro diversâ hominum complexione, ad eundem morbum curandum diversa sunt adhibenda remedia.

Adde quod scientia humana non possit comparari nisi dependenter a sensibus & phantasmatibus: quare cùm omnes res & effectus non occurrerint sensibus Christi, imo nec plures potuerint occurrere, nisi diuturnô temporis successu, non videtur quomodò Christus potuisset propriis actibus earum notitiam sibi comparare.

Reponunt iterùm, rerum naturalium phantasmata ad hanc scientiam necessaria, maximè earum quæ communiter non occurrunt fuisse ab Angelis repræsentata sensibus & phantasiæ Christi.

Contrà. Non apparet quomodò tam diversa B sensibilia, & tam multa potuerint ab Angelis applicari sensibus Christi: phantasmata autem non possunt Angeli infundere, quia ut communiter docent Theologi, solùm possunt producere motum localem, & movere phantasmata anteà producta; & applicare activa passivis.

Addit Isambertus quòd longe facilius sit recurrere ad simplicem infusionem pro acquisitione ejusmodi scientiarum, quàm ad tantam congregationem objectorum factam ministeriô Angeli: tum etiam quia hæ scientiæ debent admitti in Christo Domino longè perfectiores, quam in quovis puro homine: at ex nuda subministratione aliquorum objectorum singularium, facta per Angelum C ex singulis speciebus, hæc scientia non potest, ex vi etiam acutissimi ingenii, comparari brevi aliquô tempore in statu tam perfectissimo, in quanto fuit acquisita ab aliquo singulari homine, v. g. Aristotele, per disciplinam fundatam in longa experientia, & magnô studiô eruditissimorum hominum, præsertim cùm singula individua non semper ita repræsentent proprias differentias, ut sine errore possint cognosci: ergo cùm Christus omninus debuerit habere has scientias perfectas in tota latitudine objectorum, nec sit deterioris conditionis, quam primus noster parens, nec potuerit illas habere aliter, quàm per infusionem, habuit omnes illas de facto per infusionem.

Probatur secundò. Christus non debuit esse minùs divinis charismatibus & donis illustratus quàm Adamus, utpotè qui venerat prioris Adami damna resarcire: sed Adamus ab initio suæ formationis habuit sibi infusam cognitionem omnium rerum naturalium: igitur etiam Christus habere debuit.

V. Triplici modo Christus D. differt ab Adamo.

Reponunt Thomistæ negando paritatem, & rationem disparitatis triplicem cum cæteris profert Gonetus: *Primò* quidem, quòd cùm Adamus fuerit conditus à Deo in ætate perfecta, ut caput & Doctor generis humani, atque omnium rerum Dominus, conveniens fuit ut statim haberet illas scientias, quæ in homine illius ætatis essent necessariæ ad illa munia exercenda: Christus autem licèt sit caput ac Doctor totius Ecclesiæ, atque omnium Dominus, quia tamen genitus fuit in ætate infantili, itaut non statim ut vir perfectus in hoc mundo conversaretur; non opus fuit ut scientiam suapte natura acquisibilem, per infusionem ab initio reciperet: sed paulatim, ut cæteri homines, per sensus eam sibi comparare debuit. *Secundò*, Adamus datus est Doctor toti generi humano in naturalibus, & ideò oportuit quòd à principio suæ productionis haberet omnes scientias naturales: sicut & quòd statim esset perfectus homo, quantùm ad corporis

A quantitatem & dispositionem: at Christus datus fuit Doctor mysteriorum gratiæ, non rerum naturalium. Dicit enim Apostolus 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Et ipsa veritas ait Joan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est, & quod vidit & audivit, hoc testatur.* Et ideo oportuit ut Christus statim haberet scientiam infusam mysteriorum gratiæ, non verò scientiam per se acquisibilem rerum naturalium; sicut neque perfectam corporis quantitatem. *Tertiò*, Adamus visione beatificâ carebat, & mox a creatione privandus erat scientiâ per se infusâ; unde conveniens fuit, ut statim ab initio naturalem scientiam infusam per accidens reciperet, non B modò juxta mensuram proportionatam ætati in qua à Deo conditus est, sed etiam quantùm serebat necessitas, quâ & ipse & omnes ejus posteri laborassent, nisi eô Dei beneficiô liberaliter fuisset præventus: at in Christo nulla talis necessitas extitit, & affulgens ei scientia beata atque infusa abundè supplere potuit omnem usum scientiæ infusæ per accidens.

Verùm, hæ tres responsiones non solvunt vim argumenti nec sufficientem disparitatem adstruunt. Non quidem *prima*, nam licèt Christus à primo suæ formationis exordio non habuerit ætatem perfectam, tamen reverà virilem habebat animum, & erat *Vir*, juxta præfatum Jeremiæ vaticinium, hoc est, virile & ut hominem decet, habebat perfectum rationis judicium, ut docet S. Hieronymus: ergo cùm naturales scientiæ maximè deceant hominem pro eo statu vel tempore, quô perfectum habet judicium rationis, maximè conveniens fuit, ut etiam pro illo tempore anima Christi scientiis naturalibus illustraretur; unde cùm tunc non posset illas acquirere propriis actibus necessum fuit ut illas haberet per infusionem.

Secunda pariter ratio disparitatis est nulla, quanquam enim Christus destinatus fuerit ut esset Doctor gratiæ & justitiæ, non verò scientiarum naturalium; inde non sequitur quòd ipse non de- D buerit habere perfectam notitiam de rebus naturalibus: tum quia res naturales maximè deserviunt ad notitiam rerum spiritualium: siquidem, ait S. Paulus ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c.* unde earum notitiâ Christus opus habebat, ut mysteria regni Dei nota faceret per similitudines & parabolas, quibus frequentissimè utitur in Evangelio à rebus, & scientiis naturalibus desumendas: tum quia, ut diximus, illæ scientiæ naturales maximè deserviebant ad illustrandum Christi animum.

Ad tertiam dico, perinde esse ad cognitionem rerum naturalium, quòd Christus habuerit scien- E tiam beatificam & infusam; sicut enim præter scientiam beatificam necessaria fuit in eo infusa per se, quâ res in entitate supernaturales & quæ humanô studiô cognosci non possunt, ipse cognosceret in proprio genere, ita præter illam infusam per se, necessum fuit ut haberet etiam scientiam infusam per accidens, quâ res naturales, quarum cognitio potest acquiri, apprimè & peritissimè nosset.

Probatur tertiò Christus habuit per infusionem virtutes morales, quæ conducebant ad illustrandam & perficiendam ipsius voluntatem: ergo pari ratione debuit habere virtutes intellectuales, seu naturales scientias; sibi divinitùs infusas. Ante-

cedens constat ex dictis, consequentia probatur à paritate rationis, quia carentia scientiarum naturalium non minùs derogat perfectioni animæ Christi, quàm carentia virtutum moralium.

Negant paritatem Thomistæ, & rationem disparitatis duplicem profert Gonetus, quarum *prima* est: quòd scientiæ naturales non reddunt subjectum bonum simpliciter, sed tantùm secundùm quid; ac proinde ex illarum carentia non constituitur non bonum simpliciter in aliquo ordine, ex quo ulterius fit non plus derogari perfectioni Christi per carentiam scientiarum naturalium ad tempus, quàm ei accrescat ex connaturali illarum acquisitione, cujus oppositum in virtutibus acquisitis contingit, ut ex suprà dictis constat.

Secunda ratio discriminis quam proferunt, est quia si scientiæ per se acquisibiles, fuissent humanitati Christi per accidens infusæ à primo instanti suæ Conceptionis, intellectus agens animæ Christi perpetuò mansisset privatus suô propriô munere & officiô, quod est abstrahere species intelligibiles à sensibus, illustrando phantasmata, ut docent Philosophi in libris de animâ: erat autem magnum inconveniens, quòd aliqua potentia maneret in anima Christi perpetuò privata actu propriô & sibi connaturali. Ex hoc verò quòd Christus receperit per infusionem omnes virtutes morales à primo instanti suæ conceptionis, non sequitur synderesim, vel aliam potentiam animæ Christi fuisse in eo otiosam, & perpetuò privatam suô propriô munere: quia potentiæ animæ Christi virtutibus illis semel informatæ, actus ejusdem speciei circa materias virtutum moralium produxerunt, quos per virtutes morales à se comparatas elicuissent. Hæc Gonetus.

VI. *Sicut virtutes morales conferunt ad perfectionem voluntatis, ita & intellectuales ad perfectionem intellectûs.*

Contra primò. Eô modô quô virtutes morales conferunt ad perfectionem voluntatis, ita & intellectuales ad perfectionem intellectûs: ergo sicut Christus diceretur imperfectus in genere moris, si non haberet omnes virtutes morales: ita diceretur imperfectus in ratione intelligentis, si non haberet omnes virtutes intellectuales. *Adde quòd* Prudentia est una ex virtutibus moralibus: sed Prudentia perfecta, cùm consistat in practica cognitione, supponit perfectam cognitionem speculativam, non tantùm primorum principiorum, sed etiam universalium conclusionum, à quibus judicium in singulis eventibus pendet: ergo habuit moralem scientiam eorum omnium, & consequenter habuit cæteras scientias; non enim ad alias erat magis impeditus, neque una scientia potest sine consortio aliarum esse omni ex parte perfecta, sunt enim quôdam modô connexæ, sicut virtutes.

Nego pariter secundam rationem disparitatis; nam, ut observat Doctor d. 14. q. 3. n. 3. intellectus agens fuit in Adamo, & in beatis remanet, nec tamen dicitur in eis frustraneus, licèt non abstrahat species à phantasmatibus; sicut nec nutritiva, augmentativa & generativa in beatis corporibus facultates dicuntur frustraneæ, quanquam illæ facultates nullum actum nullamque operationem exerceant: quippe non solùm ordinantur ad operationem sibi congruam, sed etiam ad naturæ humanæ integritatem: igitur pari ratione Christus Dominus potuit habere intellectum agentem & passibilem, quatenus conducebat ad naturæ humanæ integritatem, & vim habebat cudendi species intelligibiles deservientes ad rerum naturalium notitiam, si aliunde istam notitiam non habuisset. *Adde quòd* intellectus

A agens deservire poterat ad excipiendas & formandas species deservientes ad experimentalem cognitionem, in qua Christus poterat proficere.

Nec valet reponere cum Gonero, quidem non semper ex carentia propriæ operationis alicujus potentiæ rectè deduci eam esse in suo subjecto frustraneam, sed duntaxat ex carentia operationis pro statu & tempore quô debetur. Unde non debebatur intellectus agens Adamo pro statu primæ creationis, quia cùm formatus fuisset perfectus, tam secundùm animam, quam secundùm corpus, non habuit opus ipsô intellectu agente, quô crescit & perficitur intellectus in scientia, B abstrahendo species à phantasmatibus; unde licèt tali operatione caruerit; tamen intellectus agens non fuit in eo frustraneus. Idem dicit de beatis; quia, inquit, non sunt in statu acquirendi scientiam, unde licèt non careant intellectu agente, tamen in ipsis intellectus non dicitur frustraneus.

Hæc, inquam, responsio nulla est: tum quia supponit pro certo, quod in controversiam movetur, nempe quòd Christus non fuerit productus undecunque perfectus secundùm intellectum, sicut Adamus; hoc enim contendimus quòd ipse cum cæteris Thomistis negat absque fundamento: tum quia nulla facultas censetur C frustranea pro quocunque statu, licèt non producat suum actum, quia jam aliunde productus est; nam, ut inquit Doctor mox laudatus, potentiæ pro quocunque statu non dicuntur inutiles & frustraneæ, quæ ex se habent vim producendi suum actum & effectum, nisi illum ab alia causa jam productum haberent. Sic v. g. augmentativa facultas non potest se se exercere in accretione corporis beati, sicut nec potuit in Adamo; quia corpus Adami & Beatorum divinitùs habuit productum perfectum statum accretionis, cui nihil fuit quòd justò adjiceretur: sufficit igitur, ut Christus dicatur habuisse intellectum agentem, D quòd intellectus ille ex se fuerit capax ad producendam notitiam scientificam de rebus naturalibus, si Deus ipsi illam non indidisset.

Objicies primò omnes illas Scripturæ & SS. Patrum authoritates, maximè verò authoritatem S. Ambrosii docentis, quòd Christus profecerit secundùm scientiam à sensibus acceptam: ergo reverà Christus acquirere potuit scientiam à rebus naturalibus propriô studiô & labore.

Respondeo illas authoritates explicari de profectu notitiæ experimentalis acquisitæ, quæ utique dependebat à sensibus, & in dies ad occursum objectorum fiebat major in ratione experimentalis notitiæ; non verò secundùm rationem veræ scientiæ: Christus enim jam aliunde perfe- E ctam habebat illam sibi infusam scientiam de rebus naturalibus. Dicitur autem in ista notitia profecisse, quemadmodum medicus v. g. qui jam perfectè cognoscens remedii à se confecti virtutem; per suam scientiam Theoreticam dicitur ejusmodi virtutem meliùs cognoscere, dum illam in se ipso experitur, & verum esse comprobat. *Addo quòd* si profectus ille Christi accipiatur secundùm veram & perfectam scientiam, poterit intelligi eô modô, quô explicant cæteri SS. Patres, nempe de profectu secundùm manifestationem exteriorem, & sensibilem illius scientiæ, cujus plenitudinem Christus habebat.

VII. *Christus profecit in experientia, non in scientia.*

VIII. *Aut saltem tantùm in scientia secundùm manifestationem.*

Objicies secundò, Christus ut viator debuit habere scientiam eô modô quô viatorem decebat: sed

ſed ſtatum viatoris decet, ut acquirat ſcientiam multis actibus & experientiis: igitur pari modô illam Chriſtus obtinere debuit.

Reſpondeo primò, negari poſſe majorem; quamquam enim reverà Chriſtus fuerit viator, attamen cùm ſimul eſſet comprehenſor, & hypoſtaticè ejus humanitas unita Verbo; hinc multò ampliores & nobiliores prærogativas quàm cæteri viatores habere debuit. Unde ſicut habuit ſcientiam infuſam de rebus naturalibus & intellectum ac voluntatem expeditam ad operationem ab inſtanti ſuæ formationis, quod cæteris viatoribus non competit; hinc etiam potuit habere ſcientiam acquiſitam aliô modô, quàm cæteri viatores.

Reſpondeo ſecundò cum Doctore ſuprà laudato *num.* 8. diſtinguendo minorem. Cognitio intuitiva & experimentalis competens Viatori, eſt ex multis actibus & experientiis, tranſeat: cognitio abſtractiva comparatur per multos actus & experientias, nego: hæc enim poteſt haberi per ſcientias infuſas & abſtractivas. Chriſtus priorem ſibi comparavit per proprios actus, non verò poſteriorem.

Inſtabis. Chriſtus non ſolùm debuit habere ſcientiam; ſed debuit illam habere ſecundùm proprium & connaturalem modum, quô haberi poteſt: ſic enim non ſolùm eſt perfectus per diverſas ſcientias, atque perfectiones, verùm etiam & diverſis modis: igitur ſicut habuit ſcientiam beatam ſecundùm modum proprium illius, ſcilicet permanenter; & non tantùm tranſeunter, ut fortè aliqui viatores habuerunt, & ſicut habuit ſcientiam per ſe infuſam ſecundùm modum proprium illius, ſcilicet per infuſionem: ita ſcientiam humanam, ſeu naturâ ſuâ acquiſibilem habere debuit modô humanô, ſcilicet per acquiſitionem.

Diſtinguo antecedens. Habere debuit modô connaturali, ſi perfectiori modô eam aliter habere non potuerit, concedo: ſecus, nego: at perfectius eſt habere ſcientias ab inſtanti conceptionis per infuſionem, quàm illas diuturnô labore comparare: igitur longè præſtantiùs fuit Chriſto habere ſcientias per infuſionem, quàm illas paulatim acquirere.

Vrgebis. Præſtantius eſt habere ſcientiam per acquiſitionem, quàm per infuſionem, tam ex parte ſcientiæ, quàm ex parte ſcientis: ergo præfata ſolutio nulla. Patet antecedens: ex parte quidem ſcientiæ; quoniam ſcientiæ acquiſitio eſt talis ſcientiæ generatio per ſe; infuſio autem eſt ſcientiæ generatio per accidens: ſimiliter ex parte ſcientis, nam ut docet Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 5. ex Heſiodo: *Optimus ille quidem eſt ex ſe ſe qui omnia novit*: Igitur, &c.

IX. Perfectius eſt habere ſcientias per infuſionem quam, per acquiſitionem.

Nego ſubſumptum: nam ſimpliciter & abſolutè loquendo, perfectius eſt nunquam caruiſſe aliquâ ſcientiâ ſibi convenienti, etiamſi à ſolo Deo recipienda ſit, quàm aliquandiu illam non habere ut per proprios actus obtineatur, maximè cùm hic modus obtinendi ſcientiam, nihil perfectionis addat. *Adde quòd* ex Suare d. 30. ſect. 2. quâcunque ratione Chriſtus hanc ſcientiam infuſam habuerit, à ſe illam habere dicendus eſt; non tanquam adventitiam, ſed tanquam proprietatem connaturalem ratione unionis, ſicut de gratia & aliis donis in ſuperioribus dictum eſt. Quod ſecundò ita declaratur & confirmatur. Quia ſi Chriſtus aſſumpſiſſet humanam naturam in ſtatu per ſe debito unioni ſine defectibus, quos propter noſtram redemptionem in corpore aſſumpſit, ſine dubio aſſumpſiſſet illam perfectam hâc ſcientiâ,

A ſicut reliquis perfectionibus: ergo & nunc de facto ita illam aſſumpſit cum hac perfectione ex illo principio, quô carentia hujus ſcientiæ neque eſt neceſſariò conjuncta cum corpore paſſibili, nec per ſe confert ad finem redemptionis.

Objicies tertiò. Chriſtus erat diſcurſivus: ergo mediante diſcurſu poterat de novo aliquas concluſiones ſcientificas cognoſcere, & ſibi ſcientiam comparare.

Reſpondet Doctor mox laudatus, diſcurſum non ſemper efficere, ut aliquis cognoſcat concluſionem, quam ante non ſcivit; ſed ut cognoſcat actu quod ante habitualiter novit. Unde ſi Chriſtus non cognoſceret omnes res naturales in proprio genere, poſſet ſibi per diſcurſum comparare notiB tiam rerum ignotarum; ſecus verò cùm illam notitiam ſibi habet infuſam. Deinde poſſet Chriſtus cognoſcere concluſionem ſcientificam, licèt præhabuerit notitiam quidditativam terminorum, quam notitiam Ariſt. ſcientiam appellat, licèt inquit Doctor, propriè non ſit habitus concluſionis.

Objicies quartò. Doctor ſubtilis locô laudatô *num.* 6. apertè docet quòd Chriſtus profecit in cognitione rerum naturalium: ait enim; Illa cognitio intuitiva in genere proprio actualis vel habitualis, non poteſt dari illi animæ de omnibus: & C quoad hoc neceſſe eſt dicere, quòd profecit ſicut & alia anima, quia alia & alia objecta aliô & aliô modô cognovit, &c.

Explicatur Doctor ſubt.

Reſpondeo Doctorem nihil aliud velle, quàm quòd Chriſtus non cognoverit omnia per ſcientiam intuitivam mediantibus ſpeciebus infuſis, imò quòd nec etiam noverit contingentia, quia ſpecies infuſæ cùm æquè repræſentent rem abſentem ac præſentem, & illam ſemper eôdem modô exhibeant, non poſſunt deſervire ad cognitionem certam & intuitivam rerum contingentium & præſentium, unde neceſſum fuit quod Chriſtus res contingentes vel noverit in Verbo, vel earum ſcientiam acquiſierit. Unde colligit Doctor quòd ut Chriſtus haberet ſcientiam inD tuitivam & experimentalem de rebus, neceſſum fuit ut illam ſibi compararet per proprios actus, & per phantaſmata ac ſpecies deſumptas ex ſenſibus: Quia, inquit *ibidem*, de re præſente non tantùm relinquitur ſpecies ſenſibilis in phantaſia, ſed aliqua in potentia memorativa, & illæ potentiæ cognoſcunt objectum ſub alia & alia ratione; nam una cognoſcit objectum ſecundùm ſe abſolutè, apprehendendo quidditatem ejus; alia apprehendit objectum ut in præterito apprehenſum; ita quòd apprehenſio præterita, eſt immediatum objectum, & objectum immediatū illius apprehenſionis præteritæ eſt objectum mediatum recordationis. Ita etiam præſente aliquô ſenſibiE li ſenſui poteſt virtute illius cauſari in intellectu duplex cognitio: una abſtractiva quâ intellectus agens abſtrahit ſpeciem quidditatis, ut quidditas eſt, à ſpecie in phantaſmate, quæ repræſentat objectum abſolutè, non ut exiſtit hîc & nunc, vel tunc; & alia poteſt eſſe in intellectu cognitio intuitiva, quæ cooperatur intellectui, & ab hac poteſt derelinqui habitualis cognitio intuitiva importata in memoriam intellectivam, quæ ſit, non quidditatis abſolutæ, ſicut fuit alia, ſed cogniti ut exiſtens; quando in præterito apprehendebatur ut præterit. Hôc modô Chriſtus per experientiam didiciſſe dicitur multa, hoc eſt per cognitiones intuitivas, id eſt illorum cognitorum, quantùm ad exiſtentiam & per memorias dereli-

„ ctas ab eis. Ita Doctor. Quibus apertè docet quòd equidem Christus profecerit in scientia experimentali & intuitiva, non verò habituali & abstractiva.

Corollaria.

X.
Novit & omnia individua per scientiam sibi infusam.

EX *his collige primò*, per scientiam acquisitam Christum novisse quidditates omnium rerum existentium; nam species & quidditates sunt numerô finitæ, & consequenter facili negotiô poterant omnes ab intellectu Christi percipi; imò novit etiam nobilissima totius rerum universitatis individua; cætera autem, quorum notitia non maximè conducebat ad illius scientiæ dignitatem, non est inconveniens asserere ipsum per illam scientiam acquisibilem sibi infusam non novisse, sed duntaxat per scientiam experimentalem vel intuitivam.

XI.
Duo accidentia ejusdem speciei & solo numero distincta, non possunt esse in eodem subjecto.

Collige secundò, ipsum non habuisse notitiam illam de rerum quidditatibus per species universales, quas sibi successu temporis acquisierit; ita quòd simul & semel duplicem de rebus habuerit cognitionem acquisibilem: unam quidem per accidens infusam, alteram verò propriô studiô, & labore comparatam, ut vult S. Thomas, quia ut subtiliter arguit Doctor, Argomentô ad hominē, duo accidentia ejusdem speciei & solô oumerô distincta non possunt esse in eodem subjecto secundùm doctrinā S. Thomæ: sed notitia infusa per accidens & acquisita per se, de uno & eodem objecto C specie, sunt duo accidentia ejusdem speciei, & solô numerô distincta, quia vel sunt species, vel similitudines illius objecti, quarum una est habita per infusionem, & alia comparata per acquisitionem; vel habitus qui non plus distinguuntur, quàm species: ergo non possunt in doctrina S. Thomæ dari scientia infusa, & acquisita de uno objecto in eodem intellectu: at secundùm S. Thomam, erat jam in intellectu animæ Christi scientia infusa quidditatum non solùm omnium supernaturalium, verùm etiam naturalium: ergo in ipso intellectu non est admittenda earundem quidditatum scientia acquisita.

Dicent fortè Thomistæ: distingui scientiam in- D fusam & notitiam acquisitam de eodem objecto, sicut distinguuntur scientia matutina & vespertina, seu scientia in Verbo & in genere proprio: possunt autem dari de eodem objecto specie scientiæ matutina & vespertina: ergo & scientia infusa & acquisita. Verùm

Respondet Doctor, disparem longè esse rationem, quia scieotia matutina & scientia vespertina comparantur per diversa media, seu per diversas rationes; matutina nimirum per Verbum quod est objectum cognitum & ratio cognoscendi: Vespertina verò per propriam similitudinem creatam infusam vel acquisitam, quæ E non est objectum cognitum, sed solùm ratio cognoscendi: at scientia infusa & acquisita, quas admittit S. Thomas de uno & eodem objecto specie, nec penes objectum, nec penes rationem quæ, nec penes rationem sub qua, nec penes rationem per quam distinguuntur, sed penes varias causas efficientes duntaxat, quæ non sufficiunt ad constituendam distinctionem specificam inter aliquos effectus: ideo quantumvis de uno specie objecto dari possint notitia matutina & vespertina; tamen dari non possunt scientia infusa & acquisita.

Confirmantur hæc omnia: nam si duæ cognitiones ejusdem planè speciei essent in Christo, vel utraque esset imperfecta, vel utraque perfecta, vel A saltem alterutra; dicere autem ambas imperfectas, est ponere imperfectionem in cognitionibus Christi sine necessitate; ponere verò utramque perfectam, est dicere alteram quoties objectum aliquod perfectè cognoscitur, esse superfluam, quia quando cognoscitur quantùm est cognoscibile per aliquam cognitionem, superfluit alia cognitio, quæ postmodum datur de eodem objecto. Dicere tandem aliquam illarum esse perfectam, aliam imperfectam, hoc videtur gratis dici, quia utraque probari potest esse perfecta in genere suo.

Collige tandem, Christum nihil didicisse nec ab hominibus, nec ab Angelis: *Primò*, quia non fuit conveniens eum doceri ab illis, quorum est Do- B ctor & non discipulus: atqui Christus erat hominum & Angelorum Doctor & non discipulus. *Secundò*, ille propriè discit, qui cùm aliquid ignoraret, ejus notitiam accepit a scienti, & cùm non habeat ex se principium sufficiens, acquirit species dependenter a conceptu magistri per eum sibi explicato, qui velut quoddam lumen illum illuminat & determinat: Christus autem non illuminabatur ab Angelis neque ab hominibus: sed cùm ab eis aliquid audiebat, habebat se instar præceptoris cui discipulus ex libro legit ea quæ sciebat.

XII.
Nihil unquam Christus D. didicit ab Angelis aut hominibus.

Dices: Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius, quàm acquirere illam à rebus sensibilibus; quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu; in rebus au- C tem sensibilibus sunt species intelligibiles solùm in potentia: sed Christus accepit scientiam acquisitam à rebus sensibilibus.

XIII.
Major est perfectio discere à sensibilibus quàm ab hominibus.

Respondeo. Dignius esse accipere scientiam à rebus sensibilibus, quàm ab homine: *Primò*, quia creaturæ sensibiles sunt veluti Dei voces, ideoque ab eis abstrahere species est doceri per Deum: *Secundò*, quia scientia quæ habetur ex rebus sensibilibus, acquiritur per modum inventionis absque alterius adjumento & ex propriis viribus; quæ autem ab hominibus, acquiritur ex adjumento docentium.

Dices secundò. Quilibet audiens sermonem significativum alicujus, potest cognoscere quod nescit: D ergo Christus potuit addiscere ab hominibus quæ secundùm hanc scientiam nesciebat.

Respondeo antecedens verum esse, nisi eô ipsô tempore quô audit, aliô modô cognoscat illud de quo audit vel tempore antecedenti cognoverit: ita verò se habet Christus, qui cùm per scientiam acquisitam cognoverit omnia, quæ secundùm locum & tempus conveniebat illum non ignorare, ex consequenti ab hominibus non novit, sed per experientiam atque ministeriô sensuum, statim ac cognosci ab eo conveniens fuit.

Dices tertiò. Lucæ 22. habetur, quòd Christo in horto *apparuit Angelus confortans eum*: sed E confortatio fit per verba confortatoria docentis juxta illud Job 4. *Ecce docuisti plurimos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui*: ergo Christus ab Angelis edoctus est.

Respondeo, dubitatum aliquando fuisse de veritate hujus historiæ à Catholicis nonnullis, ut patet ex S. Hilario lib. 10. de Trinit. & Hieronymo lib. 2. contra Pelagianos, qui scribunt quòd suis temporibus in Græcis & Latinis codicibus non inveniebatur. Et Epiphanius ipse in Anchorato, testis est ex orthodoxis & piis nonnullos simplici zelô, sed non secundùm scientiam, illam historiam è suis codicibus erasisse, quia timebant ne faveret Arianis. Assenserunt illis Anabaptistæ. Veruntamen certa esse debet; maximè à tempore Con-

XIV.
Dubitabatur olim an Christo apparuerit Angelus.

cilii Tridentini, cujus hæc est definitio, Sess. 4. *Si quis autem libros istos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris Canonicis non susceperit, anathema sit.* Et certè Epiphanius locô citatô, & Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 4. hunc locum Lucæ ut Evangelium agnoverunt, & alii. Non negavit ipse Hilarius, non Hieronymus, quare suppositâ ejusdem loci veritate,

Respondeo duobus modis. *Primò*, Angelum dici confortasse Christum, non quia robur illi addidit, sed quia virtutem ac robur animi ipsius laudavit. Ita S. Chrysostomus Hom. de Trinit. Quô pactô ab Angelo robur accipiebat? Non robur accepit, sed glorificationem Angeli dicentis: *Tuum est regnum & imperium, Domine.* In eodem sensu est Epiphanius suprà. *Secundò*, confortari dicitur ab Angelo, sicut amicus solet levare amici tristitiam verbis & colloquiô familiari; etiamsi nihil prorsus doceat amicum: confortari autem se ab Angelo permisit Christus, inquiunt SS. Patres, tum ut doceret veritatem humanæ naturæ quæ inferior est Angelicâ, sicque in nobis fides Incarnationis ipsius confirmaretur: tum etiam ut doceret homines hâc ratione utilitatem orationis.

ARTICULUS TERTIUS.

De defectibus & passionibus corporis & animi à Christo Domino assumptis.

I.
Tres præcipuè hominis defectus: nempè ignorantia in intellectu, pravitas in voluntate, morbi morsque in corpore.

HOMO post læthale peccati vulnus tot ac tantis defectibus ac morbis, tum in corpore, tum in anima laboravit, ut reverà omnium prorsus infirmitatum ac dolorum videatur esse receptaculum. Præ cæteris autem defectibus, quibus maximè vexatur & inquinatur, tres veluti aliorum omnium scaturigines apparent; duos quidem in anima, nempe ignorantiam in intellectu, & pronitatem ad peccatum ex ejus affectu vitiato: alterum verò in corpore, nempe passibilitatem & ad morbos ac mortem procliviem conspicere licèt: Quoniam autem Christus, inquit Apostolus ad Heb. 2. *debuit per omnia fratribus similari ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi*: Idcircò meritò quærunt Theologi, an reverà Christus assumpserit omnes tam humani corporis, quàm animi defectus; quas utique difficultates tribus in sequentibus quæstionibus absolvemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum in Christo fuerint defectus & passiones humani corporis?

Duplicis generis hominum defectus, privati, & communes.

NOtandum primò, defectus humani corporis duplicis esse generis: quidam enim purè naturales sunt & vitii expertes, ut sunt fames, sitis, lassitudo, &c. alii maculâ quâdam turpitudinis infecti, ut est concupiscentia, morbi, & quæ propriè *passionum* vocabulô censentur. Insuper naturales illi defectus alii sunt generales, ac universo hominum generi convenientes, quales sunt, mors, fames, sitis, &c. alii verò speciales in aliquibus duntaxat hominibus reperiuntur, habentque particulares causas, ex quibus oriuntur, cujusmodi sunt lepra, morbi, deformitas, &c. Hi autem defectus speciales à variis causis oriuntur; sunt enim vel à natura contracti, ratione scilicet deficiẽtis virtutis formatricis, quales sunt illi morbi quos appellant hæreditarios, puta corporis imbecillitas, alicujus partis carentia, deformitas, &c. vel ex cœli & aeris intemperie, vel denique ex inordinatis affectibus & actionibus hominum, ex quibus ingentes quotidie ac varii morbi suboriuntur. Quæritur itaque, an omnes ejusmodi defectus tam generales quam speciales Christus habuerit.

Notandum secundò, seu potius ex dictis repetendum, veram in Christo carnem fuisse ac nostræ similem in omnibus, quantùm ad naturalia, exceptô peccatô ejusque contagione; nam ex fœmina concepta genitaque est, neque è cœlo lapsa, nec omninò impassibilis, ut volebant quidam *Acephali*, qui hâc occasione duas in sectas divisi sunt, cùm alii, authore *Severo*, Christi corpus, dum in terris viveret passione, tentatum ac corruptelæ & patibilitati obnoxiũ fuisse dicerent: Alii ex adverso pugnantes, negarent hæc illum reverà pertulisse, quorum dux fuit *Iulianus Halicarnassensis*, ac posteà *Gaianus*. Vixit autem Gaianus sub Zenone Imperatore circa annum 476. Julianus verò sub Phoca Imperatore circa annum 604. *Insuper*, nonnulli eò vecordiæ progressi sunt, ut Christum putarent corporalem magnitudinem non habuisse secundùm carnem; sed absque mole & incorporaliter cum super mare deambulasse, quam etiam fuisse Theodoreti Pharanitæ Monothelitæ sententiam in Lateranensi Synodo, *Consultatione secunda*, Martinus primus testatus est. Quinimo refert Leontius Bisantinus in lib. 2. de tribus quos contra Eutichianos & Nestorianos edidit, quod quidam Catholicè sentientes de duabus Christi naturis; tamen cum Eutichianis sentiebant, in eo quòd Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile fuisse jactarent. *Porrò* hi hæretici dicti sunt *Aphthartodocitæ*, à præpositione græcâ, *ἀ*, quæ significat *fine*, aut *nòn*, & à voce *φθαρτὸς* quæ denotat corruptioni & morti obnoxium, & à verbo *δοκεῖν* quod Latinè idem est ac opinor, eò quòd opinarentur corpus Christi nec morti obnoxium nec passibile esse.

Vari hæretici circa veram Christi humanitatem erraverunt.

Cæterum ut scribit Nicephorus lib. 18. historiæ cap. 45. Catholici qui his hæreticis adversabantur, eos *Phantasiastas* & Manichæos nuncupabant, eô quòd viderentur asserere corpus Christi solùm esse apparens & phantasticum; è contrà verò hæretici insultabant Catholicis, eosque *Phthartolatras*; quasi adorantes corpus corruptioni obnoxium appellabant, eos etiam dicebant, *Scenolatras* quasi tabernaculi adoratores: imò, quod longè pejus est, hic error hæreticorum usque adeo aliquando placuit Justiniano Imperatori, aliàs pio & Catholico, ut publico edicto jusserit in Ecclesia Dei doceri corpus Christi incorruptibile semper fuisse, nec unquam irreprehensibiles passiones habuisse, sicut scribit Nicephorus lib. 17. cap. 29.

II.
Non debuit Christus pœnas damnatorum pati, ut impiè profert Calvinus.

Notandum tertiò, omnes Catholicos convenire, non fuisse necesse quòd ut Christus Dominus sufficienter Deo Patri pro peccatis satisfaceret, pœnas damnatorum pateretur, ut impiè blasphemat Calvinus lib. 2. suarum institutionum cap. 16. §. 10. Enimverò si Christus assumere debuisset & pati pœnas damnatorum, maximè ut nos ab ipsis liberaret; at potuit nos ab ipsis pœnis eripere

etiam illas non patiendo, sed alias æquivalentes; non quidem secundùm proportionem doloris, sed secundùm dignitatem personæ patientis & satisfacientis; subindeque nulla est ratio, nullaque authoritas quæ tantillùm Calvini blasphemiæ patrocinetur. Nulla, inquam authoritas. Nam quod ex Isaiæ cap. 53. profert, nempe quòd Christus attritus est propter scelera nostra, & verè langores nostros portavit, non sic intelligendum venit quasi eosdem pati debuerit cruciatus quos eramus passuri in inferno, sed duntaxat quòd pro nostris expiandis peccatis, reverà adorandus ille Salvator doloribus ac morti fuerit addictus. Nec etiam ei quidquam favet id quod profert ex Apostolo ad Heb. 4. ubi Christus dicitur *tentatus per omnia pro similitudine carnis absque peccato*; nam particula, *omnia*, non intelligitur de omnibus pœnis, quas homines peccatores luere debent in vindictam sui criminis: sed tantùm de ærumnis & calamitatibus hujus vitæ. *His ita præmissis*, tria supersunt determinanda. *Primum*, an Christi corpus reverà fuerit passibile & obnoxium defectibus communibus, quibus subjiciuntur cæteri homines. *Secundum*, an habuerit morbos privatos. *Tertium*, an habuerit defectum deformitatis.

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

III. Corpus Christi erat passibile.

Christi Domini corpus reverà fuit passibile & obnoxium dolori sensitivo, ac communibus hominum defectibus. Hæc est de fide, cujus contrarius error damnatus est in Concilio Ephesino Anathematismô 12. Colligitur autem ex variis Scripturæ sacræ textibus: *Primò*, quidem Isaiæ 53. ubi Propheta de Christo pronuntiat: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, &c. Hinc Matthæi 4. legimus quòd *postquam jejunasset quadraginta diebus & noctibus, postea esuriit*. Et Joan. 4. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*, &c.

Probatur 1. ex Scripturâ S.

Idem egregiè docent veteres Theologi, ac SS. Patres, dicentes quòd sicut reverà Christus mortuus creditur, ut nemo Christianorum dubitat, multò magis passus est affectiones cæteras, quæ mortem antecedunt & afferunt, ut rectè argumentatur Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 27. *Iam nunc*, inquit, *ut & cætera compendiò absolvam, quæcunque adhuc, ut pusilla, & infirma, & indigna colligitis ad destructionem creatoris, simplici, & certâ ratione proponam: Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim Majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; & ita jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis. Si enim Deus & quidem sublimior tantâ humilitate fastigium Majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret, & morti crucis; cur non puteris nostrò quoque Deo aliquas pusillitates congruisse, tolerabiliores tamen judaicis contumeliis, & patibulis, & sepulchris?* Sic S. Athanasius in lib. de Incarnatione: *Corpus, ait, Christi communem habens cum cæteris substantiam; quippe corpus erat humanum, tametsi novò, & inusitatò miraculò ex solâ Virgine conflatum, nihilominus mortale cùm esset, itidem ut alia similia, mortem obiit.* Ut enim scribit Ambrosius, *qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt; ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur.* Et S. Leo: *Salvâ igitur proprietate utriusque substantiæ & in unam coeunte personam, suscipitur à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili.* Tum S. Fulgentius, *Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit; animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit.* Et idem aliô locô, animæ tristitiam & perturbationem, quam voluntariam in anima Dei Filius habuit, sic habuisse dicit, ut etiam ipsas humanæ animæ passiones ex voluntate veras, & in veritate voluntarias non neget. Et quia Divinitas verum hominem suscepit, ideò cunctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed voluntarias in eadem veritate naturæ duntaxat humanæ sustinuit.

2 Ex Patribus.

Tertulliano.

Athanasio.

Ambrosio.

Leone.

Fulgentio.

Eandem veritatem, inquit Vasques, hoc sequenti argumentô probabant veteres Catholici Theologi, ut refert Nicephorus lib. 17. cap. 29. Si Christus non habuit corpus passibile, nec sensum passionis; sequitur Christum non esse nobis ὁμόιον, hoc est *consubstantialem*: ita arguit Damascenus lib. 3. de fide, cap. 28. Verùm hæretici, ut narrat idem Nicephorus, respondebant hôc modô: *Quomodo vos corpus Christi incorruptibile esse dicitis post resurrectionem, nobis tamen consubstantiale; sic etiam & nos ante resurrectionem dicimus fuisse incorruptibile, consubstantiale tamen nobiscum.* Objiciebant verò rursus Catholici, corpus Christi post resurrectionem esse incorruptibile, nobis tamen consubstantiale, illud verò incorruptibilitatem habere ex Dei gratia, non naturâ suâ. Verùm respondebant iterum hæretici: *Nos etiam non naturâ, sed Dei gratiâ dicimus ante resurrectionem fuisse incorruptibile, & tamen nobiscum consubstantiale.* Hoc tamen refellebant Catholici ex iis quæ in Scriptura de Christo dicuntur; nam cùm dicatur ante resurrectionem esuriisse, non possumus non sensum famis in Christo concedere; quamvis enim post resurrectionem dicatur comedisse, non tamen dicitur esuriisse, quod longè diversum est; fames enim est dolor quidam in ore stomachi ex melancholia proveniens; dolor autem sensûs exterioris, est adhæsio cujusdam qualitatis disconvenientis naturæ. *Adde* etiam pro ratione Catholicorum, quòd si corpus Christi ante resurrectionem & post illam per gratiam Dei esset incorruptibile & impassibile, otiosa videretur illius susceptio, quod nunquam in suo statu naturali relictum fuisset, præsertim si ea quæ facta narrat Evangelium in corpore Christi, non verè, sed solùm secundùm phantasiam gesta sunt. Ita Vasques ex Nicephoro.

SS. Patrum ac hæreticorum hac aëre controversia.

Quod autem Christus Dominus congruè assumpserit defectus & passiones humani corporis, luculenter probat Seraphicus Doctor in 3. dist. 15. art. 1. quæst. 1. triplici ratione petitâ ex triplici fine, propter quem Christus humanam carnem induit, videlicet propter pretium nostræ salutis, propter exemplum virtutis, & propter fulcimentum nostræ fragilitatis. *Propter pretium nostræ salutis*, quia proposuerat nos redimere non corruptibilibus aurô & argentô, sed pretiosissimô sanguine suô, & animam suam ponere pro animabus nostris. *Ad hoc* autem non esset idoneus, nisi naturam deficientem & passibilem assumpsisset, & proptereà defectus nostros, & pœnalitates debuit in seipso habere. Alia etiam ex causa congruum fuit hoc ipsum; videlicet *propter exemplum virtutis*, specialiter autem humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad cæ-

Probatur 3. ratione à Seraph. Doctore desumpta.

lum, & in quibus Christus voluit nos imitari ipsum secundùm illud, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, &c. Tertia ratio est *propter fulcimentum nostræ fragilitatis*, ob quam inquit, natura rationalis habet in se difficultatem ad credendum vera, & irascibilis ad sperandum ardua, & concupiscibilis ad amandum bona. Et ideo voluit Christus non tantùm nobis similari in natura, sed etiam in defectibus & pœnalitatibus, ut manifestando in se veritatem humanæ naturæ, præberet fulcimentum nostræ rationali ad credendum: ostendendo nihilominus immensitatem suæ misericordiæ, per susceptionem nostræ miseriæ, præberet irascibili fulcimentum ad sperandum, ostendendo magnitudinem suæ benevolentiæ, præberet concupiscibili incitamentum ad se amandum. Et ideo licèt incongruum videatur ejusmodi defectus reperiri in Christo, si per se considerentur; tamen si ad finem referantur, magna reperitur congruitatis condecentia.

Objiciet primò. Sicut summæ justitiæ repugnat effectus culpæ, sic summæ potentiæ repugnat defectus fragilitatis & impotentiæ: sed Deum summè justum non decuit habere defectum culpæ nec in se, nec in natura assumpta: ergo pari ratione non decuit eum habere defectum pœnalitatis & impotentiæ.

IV. Repugnat infirmitas naturæ Divinæ non naturæ humanæ assumptæ.

Distinguit majorem Seraphicus Doctor *ibidem*. Utrumque ex æquo repugnat, si tam infirmitas quàm culpa comparetur ad naturam divinam, concedit; in natura enim divinâ sicut nulla potest esse injustitia, sic nulla potest esse impotentia: si utrumque comparetur ad naturam assumptum, negat: siquidem in natura assumpta, infirmitas potest esse materia exercendæ virtutis, virtus enim fortitudinis exercetur potissimè in perpessione terribilium, eorum maximè quæ mortem inducunt; unde respectu naturæ assumptæ non eôdem modô se habet fragilitas respectu potentiæ ac vitium respectu justitiæ; vitium enim quòvis modô accipiatur, reddit semper subjectum vituperabile, infirmitas verò & impotentia reddit subjectum magis laudabile, quando conjuncta est inferiori virtuti animi ad meritum conferenti.

Objicies secundò. Sicut culpa quæ non habet pœnam subsequentem, non censetur ordinata ex justitia; ita & pœna, quæ non habet culpam præcedentem: at defectus & pœnalitates in Christo nullam habent culpam præcedentem: ergo ordinatè ipsi non possunt inesse: sed Christus nihil in se potuit habere inordinatum: ergo nec potuit habere defectus & pœnalitates.

Distinguit majorem idem Seraphicus Doctor. Pœna quæ non habet culpam præcedentem, est inordinata, si coactè & involuntariè infligatur, concedit: si voluntariè & ex charitate suscipiatur, negat: Christus autem non ex necessitate, sed ex infinita charitate pœnalitates assumpsit assumendo corpus mortale; siquidem ipsi liberum erat assumere corpus gloriosum & impassibile, sed ut suum immensum erga homines amorem testaretur, voluit per omnia fratribus assimilari pro similitudine carnis absque peccato; unde Apostolus ad Heb. 12. hortatur *ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui propositò sibi gaudiò sustinuit crucem confusione contemptâ.*

V. Christus D. assumpsit defectus humanos ex amore non ex necessitate.

Objicies tertiò S. Hilarium, qui in *lib. 10. de Trinit.* apertè docet Christum qua hominem, doloris, famis, ac sitis cæterarumque pœnalitatum, quibus corpora nostra conflictantur, reverà nullum sensum habuisse: sed ad speciem duntaxat & secundùm apparentiam. Disputans enim contra quosdam Arianos, qui ut Filium Patri inferiorem, & non ei consubstantialem probarent, dicebant, qualemcunque illius Divinitatem patiendi capacem ac reverà passam esse; & sic dolorem, tristitiam, metum, & similia non ad susceptam à Verbo naturam hominis, sed ad ipsam illius Divinitatem accommodabant. Contra hos, inquam, disputans S. Hilarius ait: *Volunt plerique eorum ex Passionis metu & ex infirmitate patiendi, non in natura eum impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit & doluit, non fuerit vel in ea potestate securitas quæ non timuerit: vel in ea Spiritus incorruptione, qua non dolet, sed inferioris à Deo Patro natura & humana passionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœna congemuerit atrocitatem.* Deinde proferens Scripturæ textus, quibus tristitia vel metu Christum Dominum laborasse perhibetur; ostendit eum non habuisse causam metuendæ mortis aut pœnalitatis, utpote cùm sciret suum corpus non esse pœnalitati obnoxium, nec corruptione dissolvendum, quod ut demonstret, subdit; *Homo itaque Iesus Christus*, inquit, *Unigenitus Deus per carnem, & Verbum, ut hominis filius, ita & Dei Filius, hominem verum, secundum similitudinem nostri hominis deficiens à se Deo, sumpsit: in quem, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret; afferrent quidem hæc impetum Passionis, non tamen dolorem Passionis inferrent: ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, sed naturam suam in hac passio illata non retinet, dum in natura non est, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari; quamvis natura teli sit vulnerare & compungere & forare. Passus quidem Dominus Iesus Christus dum cæditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens Passio, nec non fuit Passio, nec tamen naturam Passionis exercuit; cùm & pœnali ministerio illa desævit, & virtus corporis sine sensu pœna, vim pœna in se desævientis excepit.*

Objicitur gravis authoritas S. Hilarii pro asserenda impassibilitate corporis Christi.

Profert autem rationem cur censuerit corpus Christi non esse vulnerabile, sicut nostra corpora, nempe quòd longè excellentioris fuerit perfectionis & formationis, quàm nostra corpora. *Habuerit sanè illud*, inquit, *Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id natura habet ut calcet undas & super fluctus eat, & non degravetur ingressu neque aqua insistentis vestigiis cedant; penetret etiam solida, nec clausa domus obstaculis arceatur: at vero si Dominici corporis ista natura sit, ut suâ virtute, suâ animâ feratur in humidis, & insistat in liquidis, & extructa transcurrat, quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritusancto caro judicatur, &c.* Quibus apertè significat illam indolentiam corporis Christi ex naturæ suæ statu & conditione procedere; quapropter neque vim suam ferrum in illud exercere potuit, nec alia incutiendi doloris instrumenta quidquam nocumenti potuerunt conferre.

Quòd autem ea fuerit S. Hilarii sententia, apertè fatetur Claudianus Mamertus in lib. 2. de statu animæ, ubi loquens de S. Hilario ait: *Inter complura præcelsarum disputationum suarum quidam latius sentientem duo hæc veris adversa differuisse: unum quod nihil incorporeum creatum dixit: aliud nihil doloris Christum in Passione sensisse, cujus si Passio vera non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quando Beatus Hilarius*

opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stylum quod non patitur detrimenta meritorum.

Ejus mens verè Catholica demonstratur, à magistro sent.

Verùm eximii Theologiæ proceres hujus Ecclesiæ luminis ac fidei defensoris & columinis doctrinam sanam & integram servare eò laborant attentiùs, quòd audierint S. Hieronymum epistolâ VII. quæ est ad Lætam suadere, ut *Hilarii libros inoffensò decurrat pede.* Igitur *Magister sententiarum* dist. 15. & *S. Thomas* 3. part. quæst. 13. art. 3. ad 1. sic explicant præfatam S. Hilarii sententiam, ut censeant illius mentem esse quòd Christus non senserit dolorem infligendum, propter peccatum; unde cùm doloris causam & meritum in se non habuerit, nec etiam excepit vim pœnæ cum sensu pœnæ: Hoc autem illius verbis expressum fuisse docent, cùm ait: *Non habent naturam ad dolendum*: non enim natura illius æstimanda est ex conditione nostræ naturæ; cùm ista inusitatò modò procreata sit.

S. Thomas.

Alensis.

Alensis verò qu. 17. Memb. 1. art. 2. ita explicat; ut velit sanctum Hilarium nihil aliud docuisse quàm quòd Christus non senserit dolorem, nisi ad arbitrium voluntatis; ita quòd nec dolendi, nec timendi necessitas in illo fuerit, qualis in nobis. Hinc dolorem sensit non invitè, sed voluntate susceptum.

S. Bonaventura.

Seraphicus Doctor d. 16. art. 1. quæst. 1. ad 1. profert tres responsiones. *Primam* quidem, eam quam tradit Magister sententiarum, nempe quòd Hilarius non vult ostendere Christum non habuisse verum dolorem, sed non habuisse causam doloris; *alteram* quòd Hilarius non excludat sensum doloris à Christo secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam: unde verba illa referenda sunt ad Christi personam, intelligentia enim dictorum, inquit, ex causis est assumenda dicendi. Hilarius enim in verbis præmissis excludere voluit errorem Arii, qui dicebat Christum secundùm se totum passum fuisse.

Verùm illæ salvationes non videntur congruere textus & mentis ejusdem.

Verùm: siquis attentè considerare velit Hilarii verba, non omninò illa quadrare in has interpretationes sentiet. Non quidem *primam*: Etenim si hoc tantùm demonstrare voluisset Hilarius, naturam Christi corporis ejusmodi fuisse, ut ex se dolorem nullum caperet, etsi confossum perforatumque esset; cur non etiam negaret idem corpus fauciatum ac trajectum fuisse; siquidem corpora gloriosa & impassibilia non minus sunt vulneris expertia quàm doloris.

Deinde, Si Christi corpus idcircò sentiendi doloris fuit expers, quia doloris causam, nempe peccatum non habuit, cur igitur mortem pariter non effugit? Illa enim cruciatu quovis & sensu acerbior, primarium peccati stipendium est: non denegat autem Hilarius, nec Catholicus quivis Christum severà mortuum fuisse, etsi peccatum mortis causam non habuerit: igitur nec sentire potuit ipsum fuisse doloris expertem, quòd peccatò caruerit. Nec etiam *secunda* exceptio Hilarii menti quadrare potest; quanquam enim reverà ibidem pugnet adversus Arianos qui dolorem Christi in ejus Divinitatem refundebant; nihilominus non Divinitatem ipsam, sed corpus vacuum doloris apertè pronuntiat Hilarius.

Unde satentur plurimi eum hac in parte fuisse lapsum.

Malim igitur ingenuè manus dare cum *Bellarmino* lib. 4. de Christi anima cap. 8. & plurimis aliis quos refert *Vasquez* dist. 59. cap. 1. teverà præclarum istud Ecclesiæ lumen hac in parte eclipsim passum esse, sed multiplicatò deinum luminis fœnore radiantiorem per suam retractationem apparuisse; nam Seraph. Doctor *ibidem*

A refert, *Audivi Parisiensem Episcopum Guillelmum referre se librum retractationis Hilarii vidisse & perlegisse.* Hoc ipsom de libello in quo errorem retractaverit Hilarius docent S. Thomas in 3. d. 15. & Albertus ibidem, & Claud. Mammertus supra.

Hinc eum sententiam retractasse perhibetur & demonstratur.

Licèt autem hic retractationis liber modò non appareat & temporum injuriâ perierit: nihilominus S. Hilarium contrariam priori assertioni ac verè Catholicam sententiam tenuisse, colligere licet ex ipsius commentariis in Psalmos, nam explicans Psalmum 68. ad hæc verba, *Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, ita scribit: *Introcumbunt enim aquis*
B *usque ad animam, subjectus morti crucis fiebat, cùm passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet*: Et paulò post; *Verùm ineuntium harum passionum non aliundè quàm ex assumptione carnis, & virtus est & potestas; non enim incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exercere se, nisi carne corporis nostri, tanquam subjacente materiâ, poterant passiones*: Et iterum: *Percussus ergo est Dominus peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens, ut in eo usque ad infirmitatem crucis mortisque percusso sanitas nobis per resurrectionem ex mortuis redderetur.* Item: *Omnis in eum terror*, inquit, *desævientis in nos tempestatis in-*
C *cubuit, &c. Tunc & pati cœpit, & mori posse, per occasum mortis in ima descendens.* Et infra: *Non fuit ergo in Unigenito Dei naturalis infirmitas, sed assumpta, quia propter Deum hæc improperia susceperit passionum.* Quibus verbis severa dolorem ac timorem suscepisse Deum, non naturâ suâ, sed in assumpta carne testatur S. Hilarius. Et rursus asserit carnem ejusdem naturæ cum Adami carne post peccatum infirmâ Deum assumpsisse ac verè doluisse. *Non pepercerat autem*, inquit, *primo illi de terra limo Adæ, quem de Paradiso post culpam, ne ligno vitæ attingens in æternitatem pœnè maneret, ejecit; ut naturam corporis ejus Adam è cœlis secun-*
D *dus assumens, parique morte percussus, eam rursus in vitam æternam, sine pœna æternitate revocaret. Hunc igitur ita à Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum, dolorem persecutionis hujus addentes; pro nobis enim secundùm Prophetam dolet, & ideo est in doloribus æstimatus.* Vides uti manifestè non vulnera solùm, id est perforationes: sed & vulnerum dolores pertulisse dicatur: quod ei planè contrarium est, quod in decimi libri de Trinit. loco scripsit.

Nec refert quòd nullus Veterum hunc errorem in Hilario notaverit, nec quòd Lætam monuerit S. Hieronymus, ut ejus filia, *Athanasii Epistolas,*
E *& Hilarii libros inoffensò decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet*: non enim omnes errores in quos lapsi sunt aliqui ex Patribus ab aliis notati sunt. Unde fieri potuit ut illum etiam prætererit nec observaverit S. Hieronymus. Vel dico frustrà hunc errorem ab illis debuisse notari, quem ipse S. Hilarius propriâ retractatione & contrariis documentis expunxerat; hic enim ratione à sequentibus SS. Patribus & Ecclesiasticis Scriptoribus non sunt notati, nec damnati omnes lapsus S. Augustini quos ipse in libris Retractationum emendavit.

CONCLUSIO SECUNDA.

Christus non assumpsit privatos hominum defectus, ut sunt infirmitates, lepra, &c.

Probatur, Christus eos duntaxat defectus assum- VI.

Non assumpsit Christus D. privatos hominum defectus.

psit, qui conducebant ad opus redemptionis: sed privatæ infirmitates & languores ad opus redemptionis non conducebant, imò plurimùm officiebant; quippe fuissent in causa cur Christus non potuisset vacare hominum conversioni & prædicationi Evangelii: igitur non debuit illos defectus assumere.

Deinde, speciales illi defectus oriuntur vel ex imbecillitate virtutis formativæ; vel ex inordinatis actionibus, vel ex peccati vindicta: sed nullô ex iis capitibus potuerunt illi defectus in Christo reperiri.

Ut infirmitates.

Et deformitates.

Objicies primè illud vaticinium Isaïæ 53. ubi de Christo ita loquitur, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*

Respondeo Prophetam non esse intelligendum de languoribus morbidis, aut peculiaribus infirmitatibus, quæ ex humani corporis intemperie suboriuntur, sed de istis languoribus ac doloribus, quos Judæorum sævitiâ cruentè inflictos excepit tempore passionis: tot enim plagis torque vulneribus sacrum ipsius corpus laniatum est, ut reverà hominibus appareret quasi leprosus, nec erat in eo species neque decor.

Conclusio Tertia.

VII.

Siquidem eximiâ pulchritudine donatus fuit.

Christus non habuit defectum deformitatis, sed eximiâ pulchritudine ac venustate fuit illustris.

Probatur primò illis Scripturæ sacræ oraculis, quibus Christus prænuntiatur singulari pulchritudine donandus. Sic Genes. 49. *Pulchriores sunt oculi ejus vinô, & dentes ejus lacte candidiores.* Sic Psalm. 44. dicitur, *Speciosus formâ præ filiis hominum*; quem textum sacri Interpretes de Christi Domini corporeâ venustate explicant. Quod utique confirmat Nicephorus *lib. 1. Historiæ cap. 40.* ubi narrat Christum fuisse speciosum & pulchræ figuræ, qualis virum decebat; itaut ejus pulchritudo esset cum gravitate & honestate conjuncta: quocirca S. Hieronymus ad caput 53. Isaïæ formam Christi elegantissimam & pulcherrimam extitisse testatur, adeo ut solô aspectu omnes ad se potenti illecebrâ traheret, *Fulgor ipse*, inquit, *& majestas divinitatis occulta, quæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Probari potest pariter hæc veritas, ex eo quòd ad pulchritudinem hæc tria solùm desiderentur, temperamentum optimum, membrorum proportio, & debitus color; quæ tria fuisse in Christo satis indicat divina ejus virtus formativa. Etenim quod in Virgine natum est, de Spiritu sancto est.

Objiciuntur SS. Patres qui videntur negare Christum fuisse corporeâ pulchritudine donatum.

Objici possunt adversus hanc conclusionem aliqui SS. Patres & veteres Theologi: imprimis verò Clemens Alexandrinus, qui in *Pædagogico*, post multa de vera pulchritudine disputata, demũ exemplô Christi probat eam in animo & virtute, non in corporis elegantia collocari debere; *Quippe Dominum ipsum*, ait, *aspectu deformem fuisse, per Esaïam testatur Spiritus, Et vidimus eum, & non habebat speciem nec pulchritudinem: sed forma ejus indecora præter homines. Et quis est Domino præstantior? Verùm non ille carnis pulchritudinem, quæ specie quâdam illudit, sed veram animæ, corporisque pulchritudinem attendit: animæ quidem beneficientiam, carnis verò immortalitatem.*

Et in tertio Stromatewn; *caput ipsum Ecclesiæ Christum in carne*, ait, *specie carentem, & deformem transiisse, ut nos doceret ad divini principii expertem speciei & corporis statum respicere.* Et in 6 libro: *Dominus*, inquit, *non frustrà voluit uti formâ corporis, ne quis elegantiam, & pulchritudinem admirans, ab iis quæ dicuntur absistat.* Sic apud Origenem Celsus Epicureus objicit Christi corpus dici fuisse *pusillum, & deforme ac minimè generosum.* Cui respondet Origenes, extra controversiam scriptum esse, Jesu corpus deforme fuisse; non tamen minimè generosum, ut exponit ille.

Tertullianus quoque in libro de carne Christi c. 9. carni Christi pulchritudinem detrahit, atque hoc ipsum magis admirabilem illum fecisse: *Sed carnis*, inquit, *terrena non mira conditio. Ipsa erat quæ cætera ejus miranda faciebat; cum dicerent, Unde hæc doctrina, & signa ista? Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adeò nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem humanam carnem; contumeliæ verò inhonestam probavêre. An ausus esset aliquis ungue summô perstringere corpus novum, illam sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem?* Idem & capite 4. libri 14. contra Judæos significat.

Verùm solvuntur.

Verùm respondeo præfatos Patres & veteres Theologos, leviori argumentô inductos esse ut hæc de Christo assererent; nam Isaïæ locus, quô maximè in sua assertione nituntur, de Christo patiente ac vulneribus sauciato & laniato, non verò de naturali ejus corporis forma intelligendus est, ut explicat sanctus Chrysostomus suprà laudatus, cùm ait, *Non enim miraculo duntaxat faciens admirabilis erat: sed etiam cùm simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratiâ: atque hoc Propheta significans canebat, Speciosus formâ præ filiis hominum. Quod autem Esaïas dicit, Non habebat speciem neque pulchritudinem, vel ad divinitatis gloriam arcanam illam & inexplicabilem respiciens ita loquitur; vel ea narrans, quæ passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam quam in cruce pendens sustinuit, & abjectionem quam per omnia totô vitæ suæ tempore præ se tulit.*

Quæstio II.

Utrùm in Christo fuerit aliqua ignorantia aut aliquis error.

Cum error & ignorantia sint humanæ mentis per peccatum vitiatæ, generales & communes defectus, inde meritò quæritur an quemadmodum Christus communes singulis hominibus corporis pœnalitates cum ipso corpore induit, si pariter illum humani intellectûs defectum assumpserit. Quòd ut evidentiùs appareat;

I.

Diversæ ignorantiæ species.

Notandum primò, ignorantiam generatim distingui duplicem, nimirum *puræ negationis* & *pravæ dispositionis*. Ignorantia *puræ negationis*, est simplex quædam nescientia, seu carentia cognitionis alicujus rei, quâ ratione dicimur etiam ignorare ea quæ scire non tenemur: ignorantia autem *pravæ dispositionis*, est carentia cognitionis alicujus objecti, de quo rectum judicium ferre tenemur. Hæc iterum duplex, secundùm carentiam duplicis scientiæ, speculativæ & practicæ. *Ignorantia speculativa* dicitur, quâ

intellectus errat circa res merè speculativas, quâ ratione plerumque contingit nos errare circa veritatem scientiarum speculativarum: *Practica* verò est quâ intellectus perversè judicat de agẽdis, prosequendis & fugiendis. Et hæc rursus est duplex, nempe invincibilis & vincibilis. *Invincibilis* dicitur, quâ quis aliquid ignorat, quod non est in potestate ejus scire: sic invincibiliter aliquis ignorat quô mortis genere debeat interire, nisi Deus ipsi revelaverit: *Vincibilis* ea est quâ quis aliquid nescit quod scire posset si omnem moralem diligentiam adhiberet. Hæc iterum est duplex, nempe *affectata* & *crassa*. Prima est quâ aliquis sponte vult aliquid ignorare ne scilicet teneatur illud implere, de quo loquitur David, cùm ait; *Noluit intelligere ut bene ageret*. Crassa est quâ quis non vult adhibere studium & laborem, ut aliquid sciat quod scire debet. Quæritur autem an Christus aliquâ ex his ignorantiâ laboraverit.

II. Duplex distinguitur error.

Notandum secundò, errorem posse distingui duplicem: nimirum unum in intellectu, alterum in sensu: quod utique contingere potest dupliciter: videlicet, *aut* ex aliqua indispositione intrinseca sensûs externi vel interni, ad cujus phantasmatum præsentiam & similitudinem intellectus agens cudit species intelligibiles; *vel* ex aliquo extrinseco: sic plerumque contingit quòd cùm ex vitiato medio, vel nimia objecti distantia res aliter objiciatur sensibus, quàm reverà in se existat. Resolvendum est itaque, an Christus utrôque modô ab omni prorsus errore liber fuerit.

Quinam hæretici errârunt circa Christi D. cognitionem.

Notandum tertiò, plurimos hæreticos stultissimè errasse circa Christi Domini cognitionem; nam, ut refert S. Irenæus lib. 1. adversus hæreses c. 17. Gnostici, qui Valentiniani dicti sunt, asserebant Christum didicisse alphabetum sub ferula præceptoris, eumque plurima ignorasse, & quæ noverat ab hominibus didicisse. Hos subsecuti sunt Agnoitæ, quorum dux & pater fuit Themistius, à quo etiam dicti sunt *Themistiani*; qui, ut refert Sophronius in epistola ad Sergium, fuit ignorantiæ pater, qui Christum verum Deum nostrum diem judicii nescisse delirabat. Porrò Agnoïtas non asseruisse Christum secundùm propriam naturam Verbi & divinitatem ignorasse diem judicii, sed solùm secundùm humanitatem, constat ex Nicephoro lib. 18. historiæ c. 30. de illis enim ait: *Hi dicunt, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem verò secundùm substantiam ei unitam, permulta ignorare: nescire sanè horam & diem mundi totius consummationis, utpote Patre minorem. Propterea quòd in Evangelio secundùm Matthæum & Marcum dicatur, de die autem illo nemo scit, neque filius hominis*. His hæreticis accesserunt Lutherani & Calvinistæ, qui, ut notat Canisius 3. *lib. de Maria Deipara cap.* 22. non solùm docent Jesum ignorare diem judicii, sed etiam in pueritia communem cum aliis pueris ignorantiam habuisse, ut ita more cæterorum, sicut corpore, sic etiam scientiâ & notitiâ rerum & animi dotibus creverit. Imò eò progressa est eorum effrænata dicendi licentia, ut etiam ipsi jam adulto errorem & ignorantiam tribuant; asserentes ipsum deceptum fuisse cùm accedens ad ficulneam & in ea quærens fructum, folia tantùm invenit: & cùm in horto oravit Patrem, & suam orationem posteà correxit. Verùm hos omnes errores hac unicâ conclusione perstringo.

Gnostici.

Agnoïtæ.

Lutherani.

Conclusio Unica.

III. Nullâ omnino ignorantiâ Christus laboravit, etiam quatenus homo.

Christus nullô prorsus ignorantiæ genere laboravit, etiam quatenus homo. Hujus conclusionis veritas sufficienter probata manet ex his quæ diximus de plenitudine Christi Domini scientiæ, qui enim omnium rerum existentiam & futurarum ac præteritarum perfectissimam habebat notitiam, vel in Verbo per scientiam beatificam, vel in genere proprio per infusam, nulla rerum notitiæ vacuitate laborabat.

Confirmatur insuper ex Clemente Alexandrino in lib. Pædagogi c. 6. ubi de baptismo Christi sic loquitur: *Sapienter ergo rogemus, Christus hodie regeneratus jam ut est perfectus, an, quod est absurdissimum, ei aliquid deest? sed si ita est, ut aliquid disceret opus fuit? sed eum cùm Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum*. Absurdum igitur existimat, Christo defuisse aliquid, ut discere ei opus fuerit; loqui autem Clementem de Christo secundùm humanitatem, manifestum est: nam subdit: *Neque enim quis Verbô major fuerit, sed neque Magister, ac Doctor est ejus, qui solus est Magister? An non ergo vel inviti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum, ex œconomicâ præordinatione esse perfectè regeneratum? Et si erat perfectus, cur qui erat perfectus, tingebatur? Oportebat, (inquiunt) implere humanam professionem pulcherrimè, ita enim dico, simul ergo à Ioanne tingitur, fit perfectus scilicet: nihil ergo ab eo didicit? Nequaquam; solô autem lavacrô perficitur, & Spiritûs adventu sanctificatur*.

Egregia Doctoris seraphici probatio.

Eandem veritatem ac rationem probat Seraphicus Doctor dist. 15. art. 2. quæst. 1. Christus, inquit, non habuit defectum ignorantiæ, quia nec ipsum decebat: quia anima ejus debuit esse deiformis, ac per hoc repleta luce sapientiæ, & rectitudine justitiæ: ignorantia autem privatio est scientiæ, & potest esse via in errorem & obliquationem a rectitudine justitiæ, ac per hoc Christo non competebat. Nobis etiam non expediebat, quos venerat redimere & dirigere. Si enim defectum ignorantiæ habuisset, nos redimere nescivisset, quia si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Et ideo nec ipsum decebat, nec nobis expediebat, quòd talem defectum assumeret. Concedendum est ergo Christum defectum ignorantiæ nequaquam in se habuisse. Ita S. Bonventura.

III. Christus infans habuit defectum eloquentiæ, non sapientiæ.

Objicies primò, Christus infans, quamvis esset Verbum Patris, habuit defectum eloquentiæ & divinæ potentiæ: ergo pari ratione quamvis esset Dei sapientia & virtus, habuit defectum sapientiæ & scientiæ.

Negat paritatem Seraphicus Doctor, & rationem disparitatis profert, quòd defectus eloquentiæ & virium cùm esset exterior, deserviebat sicut & cæteræ infantiles infirmitates ad manifestandam veritatem naturæ assumptæ, defectus autem Sapientiæ, cùm sit interior ad nihil omninò deservisset. *Addit* quòd priores defectus sint materia exercendæ virtutis, patientiæ & fortitudinis; defectus autem cognitionis ad nullam omninò virtutem deservire potest, imò à virtutis exercitio revocat: igitur non est inter utrumque defectum paritas.

Objicies secundò. Inquisitio veritatis supponit illius ignorantiam: sed Christus Dominus pluries plura inquisivit; nam Joan. 11. à sororibus Lazari requisivit, ubi nam esset ejus sepulchrum, dicendo,

IV. Interrogat non quasi aliquid ignoret, sed ut communi hominum loquendi modo se conformet.

do, *Vbi posuistis eum?* Et Lucæ 24. à duobus Discipulis ambulantibus in via quæsivit, *Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?* Et Joan. 21. quasi dubitans Petrum interrogat, an eum plus diligat quam cæteri discipuli? dicens: *Simon Joannis amas me plus his?* Et Matth. 21. *Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in eâ nisi folia tantùm; & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea:* Priùs ergo quàm accederet ad arborem, nesciebat in eâ non esse fructum.

Respondet Origenes in commentario ad cap. 13. Matthæi; *Qui novit quæ sunt in cordibus hominum Christus Iesus, sicuti de hoc docuit in Evangelio Ioan. non ignarus interrogat: sed quoniam semel assumpserat hominem, mitur omnibus quæ sunt hominis, quorum unum illud est interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, cùm ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis boni morem gerat filio suo, percunctetur, velut in hoc: Adam ubi es: Et ad Cain, Vbi est Abel frater tuus?* Idem docet S. Chrysostomus homil. 41 ubi agens contra Judæos, qui Christi divinitatem negabant, quòd de multis ignorantium more sciscitatus esset, velut de Lazaro, *Vbi posuistis eum?* contra eos præscribens vicissim objicit varia loca veteris Testamenti, in quibus Deus ignorantium more interrogat; ex quibus concludit, non rectè ignorantiam in Filio ex ejus percunctatione Judæos colligere, nisi eandem & in Patre fuisse concedant. Verùm de Christo quà Deus est, videtur duntaxat locutus S. Chrysostomus. At de eodem, ut homo est, omnem ignorantiæ speciem sic removet S. Cyrillus lib. 3. contra Nestorium: *Credimus*, inquit, *ex ipso ventre, uteroque Virginis Emmanuelem ipsum, qui Deus erat, hominem prodiisse plenum omni sapientiâ & gratiâ, quæ illi naturaliter inerat: quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui cælestis gratiæ unà cum Deo Patre largitor est?*

Objicies tertiò. Admiratio supponit ignorantiam. Nam, inquit Arist. 1. Metaph. cap. 2. *Propter admirationem & nunc & primo cœperunt homines philosophari, inquirendo videlicet causas rerum quas ignorabant:* sed Christus Dominus pluries habuit admirationem, nam Matth. 8. miratus fidem Centurionis, & Matth. 15. fidem Chananeæ mulieris intuitus, admirandus exclamat: *O mulier! magna est fides tua:* igitur Christus habuit ignorantiam.

Respondent communiter Theologi, Christum miratum fuisse admiratione procedente ex scientia experimentali secundùm quam plura particularia potuit discere, ut diximus suprà. *Verùm* satiùs dicendum arbitror cum S. Augustino epistolâ 101. duplicem esse admirationem, unam quæ provenit ex admiratione causæ cujus videtur effectus, & hæc excitat in nobis desiderium vehemens inquirendi causam; aliam verò ex insolentia & raritate alicujus rei, quam cùm videmus, miramur cum delectatione, & delectamur cum admiratione: quæ quidem admiratio nihil aliud est; quàm affectus delectationis ex rei magnitudine proveniens, & in laudem inclinans. Sic Christus, inquit S. August. *miratus fuit Centurionis fidem, neque enim eum ullius rei ratio potuit latere: sed admiratio pro laude posita est: cujus par in populo Hebræorum non apparuerat. Neque ideo reprehendenda est sententia quâ dictum est, Si ratio quæritur non*

V. Duplex ex S. Augustino distinguitur admiratio.

A *erit mirabile: quoniam est aliud genus admirationis, etiam cùm ratio est manifesta admiranti.*

Objiciet quartò præcipuum fundamentum quô maximè nituntur hæretici, ut adstruant in Christo aliquam ignorantiam: nempe quosdam Scripturæ textus ab eis pravè intellectos; illi autem potissimum sunt quibus asseritur Christum nescire diem judicii. Sic Matthæi 24. *De die autem illâ & hora*, ait ipsemet Christus, *nemo scit, neque Angeli cælorum nisi solus Pater*; apud Marcum verò: *De die autem illa vel hora, nemo scit neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater:* igitur Christum aliquid latet, subindeque in eo fuit ignorantia. B

Respondeo primò: Christum reverà scire diem judicii, & quatenus Deus, quia ille dies cognitus est Patri, & quatenus homo; siquidem ad statum judicis necesse est nosse quando judicium debeat ferre: Pater autem æternus, ut legimus Joan. 5. *potestatem ei dedit judicium facere, quia filius hominis est. Adde quod*, ut argumentatur S. Chrysostomus hom. 71. in Matth. si Christo homini datum est, ut sciat qualiter oporteat judicare, quod majus est: multò magis datum est ei scire quod minus est, scilicet judicii tempus. *Insuper* qui prænuntiavit cæteras futuri judicii circunstantias, non C potest dici circunstantiam temporis ignorasse: at ex eisdem Evangelii locis constat ipsum designasse ac prænuntiasse alias futuri judicii circunstantias: igitur etiam noverat tempus quô peragendum esset. *Rursus:* Christus Dominus quatenus homo præscivit facta aliorum: ergo moltò magis sua præscire debuit: ignorasset verò sua facta, si diem quô Judex Vivorum & Mortuorum futurus est non cognovisset. *Denique* ut argumentatur S. Gregorius lib. 8. epistolarum epistolâ 42. exponens illud Joan. c. 31. Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus: Si *omnia*, inquit Gregorius, *profectò diem judicii & horam. quis ergo ita stultus est, ut dicat quia accepit filius in manibus quod nescit? Igitur reverà* Christus etiam quà homo, novit diem judicii.

VI. Novit Christus omnes judicii circunstantias.

D *Respondeo secundò*, quod quantùm ad sensum verborum, quibus Evangelistæ referunt etiam filium hominis nescire diem judicii, variæ sunt SS. Patrum explicationes ac solutiones. *Primò*, namque S. Ambrosius lib. 5. de fide c. 7. & Hieronymus in cap. 24. Matthæi, asserunt particulam hanc, *neque filius*, additam fuisse in textu ab Arianis, posteà verò à Catholicis expunctam; unde, ut notat Hieronymus in codicibus Græcis Adamantii, & in plerisque Latinis, illa particula *neque filius*, apud Matthæum nunquam fuit. Unde etiam nunc nec in vulgata reperitur. *Verùm* ista solutio placere non potest, quippe E cùm illa particula apud Marcum semper fuerit, & etiam nunc legatur in vulgata editione, quæ authoritate Concilii Tridentini sess. 4. probata est ut authentica.

Variæ sanctorum Patrum explanationes de illo Matthei 24. ubi videtur dicere Christum ignorasse extremi judicii diem.

Hinc placet nonnullis è SS. Patribus, asserere Christum nescire diem judicii, quia videlicet nescit per scientiam connaturalem, quæ humanô studiô ac sensuum beneficiô & hominum magisteriô comparatur: Sic S. Basilius epistolâ ad Amphilochium qui de ea quæstione sciscitatus erat, respondet ignorasse Christum, ut hominem, judicii tempus: *Si quis*, ait, *ignorantiam illam ad Deum referat, qui dispensatione quâdam omnia in se susceperit, & sapientiâ atque gratiâ apud Deum & homines profecerit, non aberraturum à pio Scripturæ sensu.* Cui subscribit Gregorius Nazianzenus,

1. Quia nescit per scientiam naturalem & acquisitam.

Orat. 46. *Nosse quidem, ait, tanquam Deum, ignorare verò ut hominem, si quis quod apparet in Christo ab eo secernat quod mente percipitur.* Cyrillus item in refutatione Theodoreti ad anathematismum 4. ait: *Igitur novit quidem ipse divinitus, utpote sapientia Patris: sed quoniam ignorantis humanitatis mensuram subiit per dispensationem; istud etiam cum aliis sibi tanquam proprium ascivit:* Unde lib. 2. de fide ad Imperatrices planissimè dici illius ignorantiam ascribit humanitati Christi: *Non enim*, inquit, *indecorum est creatura, nec inusitatum, divina ignorare mysteria.* Et infrà. *Quid mirum est, si cùm Angelus divinum hoc mysterium ignorare dicatur, quamvis sapientia sit & virtus Dei?* Verùm hæc solutio eatenus placere duntaxat potest, quatenus significaret Christum diem B judicii ignorasse quà homo, quia notitiam illam propriô studiô non comparavit, sed habuit sibi divinitùs infusam, qualiter etiam interpretatur S. Basilius mox laudatus dicens ideo dictum esse Marci 13. *Neque filius nisi Pater, quia neque filius sciret, nisi à Patre data esset cognitio, omnia enim ipse à Patre accepit.*

2. Quia non judicat tẽpus esse illud manifestandi.

Censent aliqui Christum dici nescire diem & horam judicii, quia non faciebat scire, judicando nondum esse tempus illud revelandi, sicut Dominus etiam Gen. 18. dixit de Sodomitis; *Descendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita, ut sciam:* Quibus C Dominus se ignorare profitetur, non quia reverà ignorabat & scire cupiebat, sed quia tunc scire dicitur quando jam est plenitudo temporis ad agendum & puniendum peccata, sicut etiam Genes. 22. *Dixit Dominus ad Abraham, nunc cognovi quod timeas Dominum*, non quia Deus tunc cœpisset illud scire, sed quia tunc erat tempus ut Abraham acciperet testimonium. Sic explicant S. Hilarius lib. 9. de Trinit. Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 7. præ cæteris autem S. Augustinus lib. 83. quæstionum q. 60. ubi hæc habet: *Sicut scire Deus dicitur, etiam cùm scientem facit, sicut scriptum est: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum, non enim sic dictum est hoc quasi nesciret Deus, sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint, quod nisi tentationibus quæ accedunt, non planè ab hominibus agnoscitur, &* D *ipsum* TENTAT *pro eo positum est, quod tentari sinit: Sic & cum dicitur* SCIRE, *aut pro eo dicitur, quod non approbat, id est, in disciplina & doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est. Nescio vos, aut pro eò quod utiliter nescientes facit, id quod scire inutiliter est: ideo bene accipitur id quod dictum est solum scire Patrem, sic dictum esse quia facit filium scire; & quod dictum est nescire filium; sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est non prodit eis quod inutiliter scirent.*

Præclara sancti Ambrosii ejusdem textûs explicatio.

Confirmat hæc omnia præclarissimè S. Ambrosius locô mox laudatô, ubi cùm demonstrasset revera Christum novisse tempus futuri judicii quà Deus, probat etiam id habuisse compertum E quà homo: quippe qui horam & locum & signa & causas futuri judicii expressit. *Horam* quidem, quippe Lucæ 17. ait: In illa hora qui fuerit in tecto, non descendat tollere vasa de domo sua; *diem* verò quia ipse se dixit *Dominum sabbati*. An poterat, inquit Ambrosius, Dominus *diem* ignorare, qui ipse dixit, quòd filius hominis Dominus est sabbati? *Locum*, quando nimirum sibi templi structuram ostendentibus Discipulis dicebat: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis supra lapidem.* Matth. 24.

Quâ probat Christum reverà scivisse judicii diem.

A *Signa*, Lucæ 21. *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus.* Et infrà: *Terræ motus erunt magni per loca, &c.* Hoc verò suppositô, *sic concludit:* Scivit ergo omnia; sed quærimus quâ ratione designare momenta noluerit: si quæramus, non ignorantiæ inveniemus esse, sed sapientiæ, nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. *Et posteà.* Ideo dixi quod scire non proderat, imò proderat ignorare: ut ignorantes timeremus, ut observantes emendaremur. *Et infrà.* Ab Apostolis qui Fi- B lium Dei futura scire credebant, nam nisi hoc credidissent, nunquam interrogassent: interrogatus ergo quando restitueret regnum Israel? non se nescire dixit: sed ait, *Non est vestrum nosse tempora & annos, quæ Pater posuit in sua potestate.* Attende quid dixerit, *non est vestrum scire*, lege iterum *non est vestrum*, dixit, non meum. *Et infra*, Solemnem ejus erga Discipulos charitatem etiam in hoc loco & gratiam recognosco: mavult enim Dominus nimiô in discipulos amore propensus petentibus his quæ cognita inutilia judicaret, videri ignorare quod noverat, quàm negare: plusque amat nostram utilitatem instituere, quàm suam potentiam demonstrare.

Sed noluisse indicare quia id scire erat inutile.

C Igitur, quod quidam Patres asserunt Christum ut hominem, dixisse se ignorare judicii diem, sic exponendum existimo, non quasi negaverint Filium in ipsa humanitate novisse judicii diem, sed quia non ex ipsa cognovit, id est, non ex vi aut virtute humanitatis, quandoquidem gratuitò fuit illi divinitùs infusa scientia.

QUÆSTIO III.

An Christus assumpserit defectus appetitûs rationalis?

I. Quid sit appetitus rationalis.

APPETITUM rationem appello voluntatem humanam, quâ homo, quæ rationi sunt D consona vel dissona pro libito insequitur & desiderat. Ut autem illius voluntatis propensio in bonum, virtus est: sic & in objectum prohibitum motus & inclinatio vitium ac peccatum reputatur. Hinc peccatum ipsum, nec-non & peccaminosa propensio, sunt reverà defectus illius appetitûs exorbitantis à recto rationis & virtutis tramite. Quocirca meritò hîc quærunt Theologi an Christus aut peccare potuerit, aut aliquam ad peccandum proclivem, quam vulgò peccati fomitem appellant, habuerit.

II. Christus nullo unquam originali peccato fuit inquinatus.

Notandum primò, fide certum esse Christum nullô unquam originali peccatô fuisse inquinatum: ab ipso namque suæ formationis exordio donatus E fuit omni gratiarum plenitudine, ut supra fusè probatum est. Hinc Angelus illius nativitatis prænuntius ad Virginem, ait Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum*, quô significabat illum veluti nativam sanctitatem habere, ut præclarè docet S. Basilius in Psalm. 44. explicans hunc versum, *Dilexisti justitiam, &c. Pro eo*, inquit, *quod est, cæteri quidem homines labore, exercitatione, & attentione animi hoc assequuntur, ut ad honestatem benè sint affecti, & à malo aversi: tibi vero naturalis est quadam cognatio cum bono, & alienatio à malo.* Subscribit Cyrillus lib. 11. in Joan. *Sanctum*, inquit,

est illud omne, quod à mundi sordibus est immune: quidem naturaliter est in Christo; ad Patris similitudinem: adscititium verò & adventitium inest SS. discipulis per sanctificationem qua est ex gratiâ. Suffragatur etiam ratio; siquidem peccatum originale in eis duntaxat viget, qui viâ seminali ab Adamo originem ducunt: Christus verò non fuit ab Adamo propagatus viâ seminali, quia non est conceptus ex virili semine, sed tantùm ex Spiritu sancto, nec accepit ab Adamo activè humanam naturam, sed solùm materialiter, quatenus videlicet visibilem carnis substantiam sumpsit ex carne Virginis, quæ viâ seminali ab Adamo propagata, ut cæteri homines, fuisset originali fœdata peccatô, nisi divinô interveniente beneficiô extitisset præservata.

Impia hæreticorum blasphemia de Christi Domini impeccabilitate.

Difficultas igitur duntaxat est de peccato actuali, an videlicet assumpta à Verbo humanitas in aliquod peccatum lapsa fuerit aut saltem labi potuerit, de potentia extraordinaria Dei. Licèt autem ex antiquioribus hæreticis nullus fuerit in Christum ita blasphemus & procax, ut ei peccatum aliquod adscriberet; ex Recentioribus tamen, utpote impudentioribus fuit quidam Apostata Præmonstratensis Ordinis, qui ausus fuit asserere Christum crucifixum in desperationem esse lapsum, cùm dixit, *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* ideoque hanc ob rem cruciatibus inferni addictum, ut referunt Lindanus dialogo 2. & Hosius l. 2. de hæresibus nostri temporis. Calvinus etiam, ut narrat Suares disp. 33. sect. 1. asseruisse fertur Christum in horto ita fuisse turbatum & tentationibus agitatum, ut sine spiritu oraverit dicens, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, & propterea quasi ad se rediens, inordinatam petitionem statim correxisse, suamque voluntatem Patris voluntati subjecisse. Quocirca operæ prætium est hîc probare Christum nunquam ullô peccatô actuali fuisse fœdatum.

Quatuor modis potest considerari Christi D. impeccabilitas.

Notandum secundò, impeccabilitatem Christi Domini, ut hominis, posse considerari *vel* per comparationem ad ejus libertatem præcisè, *vel* per comparationem ad beatitudinem animæ, quam semper habuit à primo instanti creationis suæ; *vel* per comparationem ad summam ejus gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia illam concomitantia; *vel* denique per comparationem ad unionem hypostaticam simpliciter & præcisè sumptam. Movetur autem præsens difficultas tantùm secundùm ultimam considerationem: an scilicet ita impeccabilitas Christo, quatenus est homo, conveniat, ut remanente solâ unione hypostaticâ Verbi divini cum humanitate ejus, & seclusis omnibus aliis donis supernaturalibus, adhuc esset impeccabilis, eique repugnaret committere aliquod peccatum, etiam levissimum.

III. Discrimen est inter habere potentiam peccandi & habere potentiam quâ peccatur.

Notandum tertiò, hæc duo distingui inter se, *habere potentiam, quâ peccatur*, & *habere potentiam peccandi*. Primum enim importat habere voluntatem creatam, quæ eô ipsò quò est creata, est defectibilis si spectetur secundùm se, & est id quô peccatum committitur: secundum verò, huic primo superaddit aptitudinem ad committendum peccatum, & quasi propensionem in peccatum, quatenus voluntas creata est (ut ita loquar.) labilis in peccatum. Hîc non est sermo de potentia, quâ peccatur, an illa sit in Christo Domino; cùm enim hæc nihil sit aliud, quam voluntas creata, habuit locum in Christo Domino ut homine; sed tantùm agitur de potentia peccandi, non quidem quatenus dicit propensionem in peccatum, sed prout dicit non repugnantiam; ita quòd absque ulla contradictione Christus, non obstante unione hypostatica, absolutè, & si Deus per extraordinariam dispositionem id permitteret, peccare posset.

Status quæstionis.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Christus ne levissimè quidem peccavit.

DE fide est Christum ne levissimè quidem unquam de facto peccasse.

Probatur ex Scripturâ.

Probatur primò ex Scriptura sacra, quæ toties eximiam Christi sanctitatem & innocentiam constantissimè testatur. Sic ipsemet Christus Joan. 8. Judæis suis obtrectatoribus & calumniatoribus ait; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hoc ipsum pronunciaverat Isaias cap. 53. dicens, quòd *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus*; Ad quem locum allusit S. Petrus Epistolæ 1. cap. 2. cùm ait: *Qui* (scilicet Christus) *peccatum non fecit neque inventus est dolus in ore ejus.* Hinc S. Paulus ad Hebr. 4. *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, &c.* Quasi diceret; tentatum per omnia instar nostri vel ad similitudinem nostri; ita tamen ut nunquam peccaverit. Et cap. 7. Talis decebat, ut nobis esset " Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segre- " gatus à peccatoribus. "

Conciliis. Patribus. Ratione triplici.

Probatur secundò ex Conciliis, ut Ephesino Can. 10. definiente Christum non indiguisse oblatione pro seipso, quia peccatum omninò nescivit. Lateranensi sub Martino *primo Can.* 5. definiente *nostram substantiam fuisse in Christo perfectè absque peccato.* Hoc ipsum constantissimè testantur omnes SS. Patres, & veteres Theologi, qui Christi innocentiam & immunitatem ad omni peccato tuentur. Sic S. Basilius Epist. 65. Gregorius Nyssenus Orat. 14. August. lib. 5. contra Julianum cap. 5. &c.

Suffragatur etiam ratio. Prima quidem peti potest ex plenitudine gratiæ. Qui habet gratiæ sanctificantis plenitudinem, non potest ullum habere peccatum; siquidem gratia sanctificans, de via saltem ordinaria, cum peccato non subsistit, subindeque plenitudo gratiæ habitualis eliminat omne prorsus peccatum. *Secunda* peti potest à Christi beatitudine; siquidem nihil inquinatum intrabit in regnum cœlorum: Christus autem ab instanti suæ Conceptionis fuit Beatus: igitur nullô fuit fœdatus peccatô. *Tertia* tandem ratio petitur ex fine Incarnationis, in hoc enim apparuit Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli, nempe peccatum; idcirco enim Christus venit in mundum, ut peccatum omne elueret, essetque Agnus Dei tollens peccata mundi: hoc autem ministerium implere non potuisset, si reverà ipse peccato fuisset inquinatus. *Si enim* (inquit, S. Athanasius lib. de Incarnat. Christi parum à principio) *Filius hominis venit ut dissolveret opera diaboli, quâ ratione in se habere posset peccatum, siquidem ipse venit ut deleret in nobis peccata?* Unde præclarè S. Paulinus Panegyr. de obitu Celsi.

Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,
Nec laxare reos posset & ipse reus.
Nec peccatori mors cederet, utpote vinctum
Peccati, vinclis legitimè retinens.

Eandem rationem eleganter prosequitur S. Bernardus serm. 4. de Vigilia Nativitatis, his verbis; *Ecce agnus sine macula, agnus qui tollit peccata mundi; quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare*

me poteſt, quem conſtat inquinatum non eſſe. Hac manus opertum luto detergat oculum meum, qua ſola ſine pulvere eſt. Iſte mihi feſtucam educat de oculo, qui non habet trabem in ſuo. Imo iſte trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in ſuo.

Objiciunt hæretici quoſdam S. Scripturæ textus.

Objiciunt hæretici quoſdam Scripturæ textus, quibus peccatum Chriſto tribui videtur: Sic Pſal. 21. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, quæ verba Pſalmiſtam in perſona Chriſti pronuntiaſſe extra controverſiam eſt. Unde S. Auguſtinus hunc Pſalmum, non tam Prophetiam quàm Evangelicam hiſtoriam cenſet appellandum. Cùm ergo Chriſtus in his verbis aliqua delicta, *ſua* appellet, non videtur eſſe expers peccati. Simile eſt illud Pſal. 38. *A facie peccatorum meorum*, quod item dictum eſſe de Chriſto admittit S. Auguſtinus. Addi poteſt teſtimonium Apoſtoli 2. ad Cor. 5. & ad Gala. 3. dicentis Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum & maledictum.

At ſexplicantur.

Reſpondeo negando exinde concludi poſſe aliquod in Chriſto fuiſſe peccatum. Non quidem ex teſtimoniis Pſalmiſtæ: nam hæc particula *delictorum meorum*, non ſignificat in Chriſto aliquod fuiſſe peccatum, ſed cùm Chriſtus ut fidejuſſor ſpopondiſſet ſe pro nobis ſatisfacturum Deo Patri; Pſal. 39. *Holocauſtum pro peccato non poſtulaſti; tunc dixi: Ecce venio, &c.* & Iſaiæ 53. & ſic ſuſcepiſſet in ſeipſo obligationem ſatisfaciendi pro omnibus hominibus, æternus Pater ab ipſo exigebat ſatisfactionem pro univerſis hominum delictis, quâ ratione delicta illa tanquam ipſi propria longè eum faciebant à ſalute corporis & liberatione quam ex naturæ inclinatione petebat. Unde S. Auguſtinus expoſitione 2. in hunc Pſal. ait: *Quorum delictorum, de quo dictum eſt, qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus? quomodo ergo dicis delictorum meorum, niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta ſua noſtra delicta fecit, ut juſtitiam ſuam noſtram juſtitiam faceret.*

Quomodo Chriſtus D. hominum delicta, appellet ſua.

Igitur delicta hominum vocat *ſua* per appropriationem perſonalem, quia quod membris convenit, perſonæ capiti attribuitur, juxta regulam Tyconii receptam à S. Auguſtino lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 32. *Ea quæ ſunt membrorum tribuuntur capiti ob conjunctionem quam habent cum illo; conſiderando caput & membra per modum unius perſonæ*: quæ tamen regula ſic eſt intelligenda, modò ea quæ ſunt membrorum non officiant eorum conjunctioni cum capite; alioqui ſequeretur peccata fidelium quæ in dies fiunt, etiam poſſe tribui Chriſto, & quod Fidelibus peccantibus ipſe Chriſtus peccaret. Unde in Concilio Baſilienſi Seſſ. 2. inter alias propoſitiones Auguſtini de Roma Archiepiſcopi Nazareni ſequens propoſitio damnatur ut ſcandaloſa & erronea, *Chriſtus quotidie peccat*, & hæc ſimiliter: *ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccavit*: Addit autem Concilium hæc verba: *Quamvis de capite Eccleſiæ Chriſto Ieſu Salvatore noſtro dicat ſe non intelligere, ſed ad membra ſua, quæ cum Chriſto capite unum eſſe Chriſtum eſſe aſſerit.* Ad Apoſtolum dico, catenus dici Chriſtum factum eſſe peccatum, quia hoſtia pro peccatis eſt factus: nam in antiqua lege ſacrificia pro peccatis dicebantur peccata, juxta illud Oſeæ 4. *Peccata populi mei comedent.* Ita explicat S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 49. *Vel dicitur factus peccatum, quia factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, propter corpus mortale & paſ-*

A *ſibile, nec-non & propter pœnalitates peccato debitas quas aſſumpſit.*

IV. Chriſtus D. non habuit liberum arbitrium flexibile ad malum & bonum in actu ſecundo & extrinſecè, ſed ad ſummum intrinſecè & in actu primo.

Objicies primo. Ille de via ordinaria peccare poteſt, in quo eſt liberum arbitrium flexibile ad bonum & malum: ſed Chriſtus Dominus habuit liberum arbitrium ad bonum & malum flexibile: igitur de via ordinaria peccare potuit.

Diſtinguo majorem. In quo eſt liberum arbitrium flexibile ad bonum & malum tam in actu ſecundo, quàm in actu primo, tam extrinſecè, quàm intrinſecè, concedo: ſolùm in actu primo & intrinſecè, nego. Minorem ſimiliter diſtinguo. In Chriſto fuit liberum arbitrium flexibile ad
B bonum & malum in actu primo & intrinſecè tranſeat, in actu ſecundo & extrinſecè, nego: Natura quidem humana Chriſti cùm fuerit ejuſdem rationis cum noſtra, demptis ignorantiâ & peccato, habuit etiam facultatem liberam noſtri ſimilem in actu primo; non verò in actu ſecundo; quia libertas ejus ratione plenitudinis gratiæ & unionis beatificæ ita determinabatur ad bonum, ut nullatenus propendere poſſet in malum: Unde Chriſtus habuit quidem potentiam, ſcilicet voluntatem liberam quâ peccatur, non verò potentiam peccandi, ſeu propenſionem in peccatum.

C *Objicies ſecundò.* Chriſtus potuit mereri: ergo & demereri: nam meritum & demeritum verſantur circa idem.

Nego conſequentiam: Siquidem, ut dicemus diſp. 3. agendo de merito Chriſti, ad rationem meriti non opus eſt quòd quis poſſit demereri & peccare: ſed duntaxat quòd habeat liberam voluntatem gratiâ ſanctificante inſtructam cum aliis conditionibus ad meritum neceſſariis.

Conclusio Secunda.

V. Nec ullatenus peccare potuit: Diſſentiunt tamen omnes ſancti Patres & Theologi in aſſignando illius impeccabilitatis ratione.

D *Chriſtus fuit omninò impeccabilis, nec ullatenus peccare potuit.* Ita conveniunt omnes SS. Patres & Theologi, licèt invicem diſſentiant in aſſignanda hujuſce impeccabilitatis ratione; quidam enim cum SS. Thomâ & Bonaventura in 3. diſt. 12. volunt eam eſſe repetendam præciſè ex vi unionis hypoſtaticæ. Cæteri verò cum ſubtili Doctore ibidem, illam præciſè repetunt ex plenitudine gratiæ conſummatæ ſeu gloriæ quam habuit Chriſtus ut beatus. Ait enim Doctor *num.* 2. "Dico quòd cùm Chriſtus in primo inſtanti unionis ejus cum Deo fuit beatus: & beatitudo abſtulit ſibi omnem peccabilitatem vel poſſibilitatem peccandi, quæ poteſt auferri per beatitudinem:
E licèt cum hoc diſpenſativè ſtaret poteſtas merendi, plenitudo enim gloriæ, quâ ipſe fuit conjunctus, non minùs quàm alius Beatus, licèt potuerit mereri, æquè excludit omnem poteſtatem in eo avertendi à fine ſicut in aliis, &c."

Quòd autem Chriſtus non fuerit præciſè impeccabilis, ratione unionis hypoſtaticæ, probat Doctor; quia unio hypoſtatica non poteſt Chriſto tribuere impeccabilitatem, niſi *vel* quatenus neceſſariò ipſum efficeret beatum: *vel* quatenus illa habet abſolutam incompoſſibilitatem cum peccato: ſed neutrum abſolutè verum eſt. Non quidem primum, quia talis unio non habet neceſſariò ſibi adjunctam beatitudinem: ergo non efficit neceſſariò Chriſtum beatum: Probat antecedens Doctor diſt. 2. quæſt. 1. num. 3. *Primò*, quia prius poteſt eſſe ſine poſteriori: ſed unio hypoſtatica eſt prior fruitione & beatitudine; ſicut enim priùs eſt naturam eſſe perſonatam in ſe

quàm eam operari, & personalitas propria est prior quàm operatio, nec habet ita necessariam connexionem cum operatione, quin optimè possit esse natura personata personalitate propriâ absque ulla operatione; ita prius est naturam personari personalitate alienâ, quando propriam non habet, quàm operari; nec est ulla prorsus necessaria connexio inter personalitatem alienam & operationem, ratione cujus non posset esse personata alienâ personalitate, quin operetur: igitur unio hypostatica potest esse absque visione & amore beatifico, in quibus consistit beatitudo.

Quid sentiat Doctor subtilis.

Christus nō fuit præcisè impeccabilis ratione unionis hypostaticæ.

Probatur triplici ratione.

1. Quia non est necessaria connexio inter personalitatem alienam & operationem.

Deinde: Non potest natura aliqua necessario fieri beatâ, nisi necessariò conjungatur objecto beatifico: sed per unionem hypostaticam natura humana non necessariò conjungitur cum Deo, quatenus est objectum beatificum; quia inquit Doctor, nulla natura necessariò fruitur istô objectô, nisi quæ necessariò immutatur ab eo ut præsente: sed natura humana non immutatur ab objecto beatifico, tam in ratione intelligibilis quam in ratione fruibilis per unionem hypostaticam; tum quia objectum beatificum tantùm necessariò immutat intellectum sibi proportionatum, nempe divinum in ratione intelligibilis, & divinam voluntatem in ratione fruibilis; tum quia per illam unionem Verbum est præsens naturæ tantùm personaliter & in ratione suppositi terminantis ipsius naturæ dependentiam & communicabilitatem; non verò in ratione objecti moventis ad sui notitiam & amorem: igitur, &c.

2. Quia per unionem hypostaticam natura humana necessariò nō est beata.

Denique operatio beatifica produci nequit absque concursu effectivo Dei: ergo nisi ille adsit concursus necessariò quantumvis adsit unio hypostatica nulla poterit esse humanæ naturæ operatio beatifica: sed concursus ille ad operationem beatificam non ita necessariò præstatur naturæ assumptæ, quin Deus possit illum denegare & suspendere: igitur potest esse unio hypostatica absque illa beatifica operatione. Antecedens patet: consequentia pariter. Probatur verò subsumptum. Si concursus ille requisitus ad operationem beatificam necessariò præstaretur naturæ humanæ assumptæ, maximè quia esset identificatus realiter actioni unitivæ ipsius naturæ humanæ cum Verbo, vel quia esset illius proprietas aut accidens necessariò ad ipsam consequens: sed nullum horum rectè potest affirmari; siquidem concursus ille ad operationem beatificam potest esse sine unione hypostatica, ut constat in Beatis qui habent ejusmodi concursum, etsi non sint uniti hypostaticè Verbo: similiter Deus potest concurrere ad unionem hypostaticam, absque eo quòd necessariò concurrat cum natura humana ad operationem beatificam: tum quia unio distinguitur realiter ab operatione: tum quia nulla ratione probari potest contrarium, nempe quòd Deus non possit concurrere ad unionem hypostaticam absque eo, quòd concurrat ad ipsam beatificam operationem.

3. Quia operatio beatifica produci nequit absque concursu effectivo Dei qui necessariò nō debetur naturæ assumptæ.

Probatur secunda pars: nempe quòd illa unio non habeat absolutam incompossibilitatem cum peccato, itaut implicet contradictionem quod humanitas peccet quandiu remanet unita Verbo. Probatur, inquam. Voluntas humana Christi ex se tam est indifferens & libera ad bonum ac malum, quàm nostra: ergo æquè poterit peccare ac nostra nisi per aliquid aliud determinetur ad non peccandum: sed non potest ita determinari ad non peccandum per unionem hypostaticam, quin

A si Deus vellet, positâ tali unione adhuc peccare posset. Probatur. Si unio illa ita determinaret voluntatem ad non peccandum, quin si Deus absolutè vellet adhuc peccare posset, maximè quia illam sic determinaret vel physicè, vel moraliter: sed neutrô mòdô id fieri potest. Non quidem physicè, quia eatenus physicè determinaret voluntatem ad non peccandum, quatenus physicè concurreret ad actum incompatibilem cum peccato, sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ formalis, eô modô quô habitus, vel unus actus determinat facultatem ad alium actum: sed unio hypostatica, aut personalitas Verbi ita non concurrit cum voluntate humanæ naturæ assumB ptæ. *Non quidem unio*, tum quia illa est respectus extrinsecùs adveniens; quæ ex se non est effectiva nec operativa; tum quia non subjectatur in voluntate præcisè, sed in tota humanitate: tum denique quia non proponitur ipsi voluntati objectivè, ut illam determinet ad operandum vel non operandum. Nec etiam *personalitas Verbi*, quippe illa non habet rationem principii efficientis, sed duntaxat suppositi terminantis humanitatem Verbi, nec ex se activa est ad extra. Adde quòd etiamsi aut unio, aut personalitas possent determinare voluntatem ad non peccandum, quatenus concurrerent cum humana voluntate ad actum oppositum peccato, id non præstarent nisi C Deô cum illis concurrente: sed Deus non ita necessariò deberet cum illis concurrere, quin posset talem concursum ipsis denegare & eum suspendere: igitur, &c.

VII. Non implicat enim contradictionem quòd humanitas peccet quādiu remanet unita Verbo.

Nec etiam unio hypostica, aut Verbi personalitas possunt moraliter determinare voluntatem naturæ assumptæ ad non peccandum necessariò & infallibiliter, quia non potest assignari ulla ratio cur eam ita determinarent moraliter, nisi vel quatenus proponerentur objectivè voluntati; & ita illam allicerent circa bonum ut ab eo non posset averti; vel quatenus ipsæmet essent determinationes voluntatis, quæ ipsam afficerent & ita determinarent: Vel denique, quatenus ex ordinatione divina haberent aliquam incompatibilitatem cum peccato: sed neutrum illorum rectè potest affirD mari. Non quidem primum, nec enim unio, nec Verbi personalitas ita proponuntur objectivè voluntati naturæ assumptæ. Non etiam secundum, quia unio & personalitas Verbi non possunt se habere per modum formæ sic afficientes & determinantes humanam voluntatem. Non denique tertium, quia talis ordinatio divina absque fundamento assereretur: igitur nec Verbi personalitas neque hypostatica unio possunt ex se præcisè ita determinare voluntatem naturæ assumptæ ad non peccandum, quin de potentia Dei absoluta, ipsa ita remaneat libera ad peccandum ut reverà peccare posset, nisi aliunde quàm ab ipsa præcisè E unione hypostatica redderetur impeccabilis.

Quia illam sic determinaret, vel physicè, vel moraliter, quod fieri non potest.

Reponunt adversarii unionem illam impedire ne Christi voluntas peccet, quatenus est incompatibilis formaliter cum peccato, sicut albedo cum nigredine, aut amor cum odio.

Replica adversariorum.

Contrà. Aliqua formaliter non se expellunt, nisi quatenus possunt subjectari in eodem subjecto, vel occupari circa idem objectum: at unio & personalitas non subjectantur in eodem subjecto, in quo potest inesse peccatum, nec versantur circa idem objectum, vel eundem terminum; alius est enim terminus actionis peccaminosæ, quæ posset fieri, & alius terminus unionis hypostaticæ. *Adde quòd* peccatum, quà tale est, sit entitas

moralis: absurdum est autem quòd aliqua forma physica habeat ex natura suâ incompatibilitatem cum forma morali, quà moralis est.

Repenunt secundò, unionem hypostaticam opponi peccato, quatenus necessariò exigit quod Deus non concurrat ad peccatum, imò quòd concurrat ad actum incompossibilem cum peccato.

Solvitur: quia unio hypostatica & peccatum non opponuntur contrariè. *Contrà*. Si istud exigeret, maximè vel physicè, vel moraliter. Non physicè, quia nulla entitas physica potest exigere necessariò concursum divinum, nisi quatenus ille esset necessarius ad illam entitatem conservandam pro eo tempore, vel instanti quò illa existere debet: sed concursùs ad actum oppositum peccato nequit esse necessarius ad conservationem unionis hypostaticæ, quæ permanere potest etiam absque ullo actu & operatione: neque etiam negatio concursus ad peccatum videri potest necessaria, nisi quatenus ipsa haberet incompatibilitatem formalem cum peccato: hanc autem non habet, ut constat ex dictis: ergo id non exigit physicè. Nec etiam id exigit moraliter, quia hoc solom exigeret, quatenus si Deus id non efficeret, faceret aliquid quod maximè ipsi censeretur indignum: at quamvis Christus ut homo ex hypothesi de facto peccaret, peccatum illud non redundaret, nec in Deum, nec in personam Verbi, ut patebit in solutione objectionum: igitur, &c.

VIII. Aliqui SS. Patres videntur asserere Christum D. esse impeccabilem præcisè ab unione hypostatica. 1. Dionysius Alexandrinus. *Objiciunt primò* adversarii varias SS. Patrum authoritates, quibus probare nituntur impeccabilitatem Christi ex unione hypostatica præcisè esse repetendam, eò quòd SS. Patres doceant Christum esse impeccabilem propter commercium & unionem humanitatis cum Verbo. Imprimis verò proferunt Dionysium Alexandrinum in Epistola contra Paulum Samosatenum, ubi circa finem ait: *Nisi fuisset* (scilicet Christus) *idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi; nemo enim est, quin peccare possit, nisi unus Christus, sicut Pater Christi, & Spiritus*, &c.

Respondeo primò, hanc authoritatem nullius esse momenti: nam imprimis indiget expositione in omni sententia: videtur enim significare, quòd B. Virgo indiguerit exercitatione & certamine, ut liberaretur à peccato; & etiam quòd de facto habuerit aliquem defectum peccaminosum; quod tamen est falsum. *Nec valet* reponere cum Vasque B. Virginem non habuisse peccatum de facto; sed tamen id non provenire ex sanctitate ipsius, sed ex Dei providentia & cura; nam imprimis hoc non facit ad rem; nam sanctus Dionysius videtur dicere nullum esse præter Christum, qui non habeat peccatum, sive id proveniat ex justitia, & sanctitate, sive aliunde.

Deinde, Sicut B. Virgo poterat esse aliena à peccato, & potestate peccandi, per providentiam Dei, quamvis non esset Deus: ita Christus poterat esse, à peccato immunis, & sic sola Deitas, & unio ipsius non esset causa, ob quam esset alienus à potestate peccandi: quod videtur esse contra hunc locum.

Responderi etiam posset cum Poncio, sensum hujus loci esse quòd ideo Christus D. de facto esset immunis à peccandi potestate, quia ejus humanitas esset unita personæ divinæ, & delibuta divinitate: quod equidē verum est, quamvis aliunde potuerit etiam esse immunis à peccato ex aliis capitibus, nimirum vel ex providentia & protectione Dei speciali, aut ex eo quòd ipsi tribuatur beatitudo animæ; etiamsi posset peccare de potentia absoluta: quemadmodum enim posset dici quòd ignis comburat stupam applicatam ex natura sua, & quòd nulla alia sit ratio, ob quam comburat, nisi quia est talis naturæ & virtutis: tamen inde non sequitur quin etiamsi non haberet talem naturam, posset comburere, si nempe Deus daret ipsi calorem, sicut dare potest aquæ, quamvis eum non exigeret ex natura sua; nec etiam sequitur quod ita necessariò debeat comburere, quin de potentia Dei absoluta fieri posset, ut non combureret. Idem à simili potest dici de Christo.

Objiciunt secundò Origenem *lib. 2. Periarchon. cap. 6.* ubi ait: *Ferrum naturâ suâ capax est caloris & frigoris, si tamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici poterit incapax frigoris: hôc modò etiam illa anima*, nempe Christi, *quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; & ideo nec convertibilis nec peccabilis dici potest, quia inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit*. Ex quibus inferunt adversarii inconvertibilitatem animæ Christi ad peccatum, quam vocamus impeccabilitatem, ex ipsa Deificatione, quæ fit per unionem, procedere. 2. Origenes.

Verùm respondeo, hôc exemplô potius nostram propugnari quàm impugnari sententiam: sicut enim quamvis connaturaliter ferrum in igne positum non possit frigefieri, posset tamen supernaturaliter suû frigus conservare, si Deus res ita disponeret, quatenus nempe non concurreret cum igne, ut introduceret suum calorem in illud ferrum; vel si calorem simul cum frigore in ferro conservaret: sic à simili, quamvis connaturaliter impeccabilitas sequatur ex unione hypostatica, quia hæc habet annexam gratiæ sanctificantis plenitudinem; tamen, sicut de potentia absoluta Deus potest conservare simul gratiam cum peccato; ita per eandem potentiam posset Deus permittere, ut Christi humanitas in peccatum aliquod laberetur, perseverante tamen in eo unione hypostaticâ.

Objiciunt tertiò authoritatem sancti Gregorii Nazianzeni Orat. 36. quæ est quarta de Theologia, ubi de Christi voluntate loquitur; *Illius voluntas cum tota deificata sit, Deo procul dubiò non adversatur*: igitur in deificationem voluntatis, quæ est ipsa unio hypostatica, refertur Christi impeccabilitas. Ipsi subscribit sanctus Epiphanius in Anchorato, ubi ait: *Si diximus Christum perfectum hominem ex Maria natum, nunquid suspicamur ipsum peccatis subjectum fuisse? Absit: peccatum enim non fecit, neque inventus est dolus in ore ipsius; si enim virtutem suam Sanctis insufflavit, & iis quibus inspiravit, testantur, quod erant sancti, justi, progressi in diebus suis citra reprehensionem; quantò magis ipse, in quo omnis Deitatis plenitudo habitare complacuit corporaliter, etiamsi carnem veram accepit ex Maria semper Virgine, & animam verè humanam & mentem, & si quid aliud est in homine, ipse in seipsô habens universa continuit Deus existens non divisa ad malitiam, non fracta à maligno illo, non capta voluntate, non cadentia sub peccatum Adæ*. 3. S. Gregorius Nazianz.

Respondeo, his aut similibus authoritatibus nihil aliud significari, quàm quod hypostatica unio ex natura & dignitate sua exigebat, ut conferretur & conservaretur in Christo aliqua forma, nempe vel gratia sanctificans, vel beatitudo, quâ Christus

determinaretur ad non peccandum ; non verò quòd illa unio præcisè esset per se ratio illius impeccabilitatis.

4. S. Hilarius.

Objiciunt pariter S. Hilarium lib. 10. de Trinit. ubi explicans illud Apostoli ad Rom. 9. de Christo Domino, qui dicitur *factus in similitudinem carnis peccati*, asserit tam repugnare Christo peccare posse, quàm ei repugnet non esse Christum: *Ita homo Christus Iesus*, inquit, *& in veritate Nativitatis est dum homo est, & non est in proprietate peccati, dum Christus est ; quia & qui homo est, non potuit non homo esse, quod natus est, & qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est: atque ita dum homo Christus Iesus est, habet nativitatem hominis quia homo est, nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est.* Ex quibus inferunt adversarii, quòd quemadmodum vi unionis hypostaticæ habet, quòd sit aliquid constitutum ex personalitate Verbi & humanitate : ita juxta mentem S. Hilarii, idem Christus Dominus habet vi ejusdem unionis hypostaticæ, ut non possit peccare. Similiter S. Augustinus lib. de Correptione & Gratia cap. 11. ita loquitur : *Neque metuendum erat, ne istò ineffabili modo in unitate personæ à Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ista susceptio talis esset, ut natura humana à Deo ita suscepta nullum in se motum voluntatis admitteret.* Quibus sanctus Augustinus impeccabilitatem humanitatis Christi in ejusdem assumptionem à Verbo refundere videtur.

5. S. Augustinus.

Anastasius Synaita.

Clarissimè autem istud docere videtur Anastasius Synaita cap. 2. ὁδηγοῦ *Sola* (inquit) *Christi mens & sanctissima ejus anima, incapax, omnisque malitiæ nescia fuit ; forma enim servi erat, quæ regebatur & gubernabatur à divino Verbo in eadem hypostasi sibi conjuncta.* Rupertus etiam lib. de voluntate Dei cap. 11. ait : *Quod humanitas Christi, non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura, talis quæ peccare non solùm nollet, verùm etiam non posset.* Idque probat ex verbis Christi Joan. 5. *Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Subdens : *Quid enim est quemquam à semetipso quidquam facere, nisi malum facere?*

Et Rupertus.

Verùm explicantur.

Respondeo, his omnibus authoritatibus nihil aliud significari, quàm quòd reverà Christus non possit de facto de via ordinaria in aliquod peccatum dilabi, ratione suæ unionis hypostaticæ, quæ secum habet annexam gratiæ sanctificantis plenitudinem, & beatitudinem animæ ; quibus fit ut illius humanitatis voluntas non possit ullatenus de via ordinaria à Deo per peccatum amoveri ; quod tamen non officit quin secundùm absolutam Dei potentiam subsistere posset hypostatica unio, etiamsi Christi humanitas in aliquod peccatum rueret.

IX.
Si Christus posset peccare connaturaliter, sicut cæteri homines, Christus non esset, quia non haberet per quod determinaretur ad non peccandum.

Vrgebis : S. Hilarius docet quòd tam impossibile sit Christum peccare, quàm non esse Christum : sed de potentia absoluta non potest non esse Christus, suppositâ unione humanitatis cum Verbo : ergo pariter, illâ suppositâ, impossibile est ipsum peccare.

Respondeo, S. Hilarium solùm velle quòd si Christus posset peccare connaturaliter, sicut cæteri homines ; inde reverà sequeretur, quòd non haberet unionem hypostaticam exigentem connaturaliter rationem impeccabilitatis ac beatitudinis : attamen non sequeretur quòd non esset Christus, si de potentia Dei absoluta non conferretur ipsi illa impeccabilitas, cujus negatione peccaret aut saltem peccare posset.

Instabis : Nullum absurdum sequi potest ex eo quòd Christus de facto peccaret, quod pariter non sequeretur si de potentia Dei absoluta peccare posset : ergo quemadmodum ad illa absurda vitanda, rectè asseritur quòd de facto non peccaverit ; pari ratione dici debet quòd etiam de potentia absoluta non potuerit peccare.

Nego antecedens ; quia si de facto ac secundùm ordinariam Dei potentiam peccare posset, sequeretur quòd etiam de facto non haberet beatitudinem animæ, nec aliquam Dei protectionem externam, illam scilicet quâ Virgo Deipara, necnon & beati facti sunt impeccabiles ; sequeretur pariter quòd unio hypostatica non exigeret connaturaliter illam impeccabilitatem: nullum autem ex his absurdis sequeretur, si esset duntaxat impeccabilis de potentia Dei absoluta : ergo nulla est utrobique paritas.

X.
Quod fit solùm per absolutum Dei concursum extraordinarium, soli Deo tribuitur non verò quod fit tantùm per indifferentem.

Objiciunt tertiò : Si Christus per absolutam Dei potentiam peccare posset, sequeretur peccatum illud Deo esse tribuendum : sed implicat contradictionem, quòd Deus peccare possit : ergo, &c. Sequela majoris patet ; quòd enim duntaxat fit per extraordinariam Dei potentiam, nec ullatenus fieret nisi de potentia absoluta & extraordinaria Deus ad illius effectionem concurreret, soli Deo attribuitur.

Nego sequelam majoris, & illius probationem distinguo. Quod fit per potentiam Dei absolutam soli Deo tribuitur, quando fit solùm per concursum extraordinarium ipsius; putà cùm operatur prodigia & miraculosa facta, concedo: quod fit per extraordinariam Dei potentiam præbentem concursum extraordinarium quidem, sed indifferentem; ita quòd concursus non determinet causam cum qua agit ad actum, sed ab ea determinetur ; tunc actus ille soli Dei tribuendus est, nego: si autem Deus de potentia absoluta talem Christo præberet concursum indifferentem ad actus bonos & malos, qualem per potentiam ordinariam præstat hominibus, si eô mediante extraordinariô concursu humanitas Christi peccaret, non plus esset tribuendum peccatum istud Deo, ratione illius extraordinarii concursûs, quàm ipsi tribuatur peccatum aliorum hominum ratione concursûs ordinarii. Sicut enim idcirco peccatum hominum Deo non tribuitur, licèt actus peccaminosi fieri non possint nisi dependenter ab illius concursu, quia concursus ille ex se est indifferens ad actus bonos & malos ; & tantùm determinatur ad actus malos per voluntatem humanam : ita nec opera humanitatis, Christi si ex hypothesi essent peccaminosa, non forent tribuenda Deo ratione illius concursûs extraordinarii; quia hic ex se esset indifferens ad actus bonos vel malos, & solùm determinaretur per voluntatem humanam Christi ad illos actus peccaminosos.

Objiciunt quartò, Verbo divino ex vi unionis hypostaticæ incumbit obligatio gubernandi & regendi humanitatem, eamque in officio continendi ; ac proinde si humanitas assumpta peccaret, peccatum illud Verbo divino attribueretur : sed quâ ratione implicat Deum peccare, eâdem etiam repugnat Verbum divinum peccatô inficit igitur, &c. Minor constat. Major probatur quantùm ad primam partem ; nempe quod Verbo incumbat regere humanitatem: Nam S. Epiphanius in Anchorato cap. 3. *Verbum*, inquit, *virtute suâ frænabat inferiorem naturam ab omni inutili carnali turba . . . . . animam verò humanam &*

mentem, & si quid est aliud, ipse in sese habens universa continuis Deus existens non divisa ad malitiam. Et Anastasius Synaita c. 21. ὁδηγοῦ idem confirmat: *Confitemur etiam animam & corpus qua Verbo hypostaticè unita sunt, Verbo subjici, simulque cum omnibus proprietatibus suis à Verbo magis regi ac duci, quam ulla alia creatura eidem subjiciatur & ab eodem regatur, cùm longè arctiùs cum Verbo conjuncta sint, quàm ulla alia res creata.*

Probatur verò quantùm ad secundam partem, nempe quòd peccatum illud Verbo tribueretur, qoia quoties duo uniuntur in aliqua natura vel persona, inferius oaturaliter subordinatur sopeciori, & consequenter superior tenetur inferiorem regere & gubernare: sed ex vi onionis humanitatis ad Verbum, natura humana & divina conveniunt in una Christi persona: ergo ratione hujus onionis tenetur divina oatura gubernare & regere bumanam, & consequenter peccatum humanitatis unitæ tribueretur Verbo, oedum ut subsistenti in humanitate, sed etiam secundùm se, & prout in divinitate subsistit.

Confirmatur primò, quia corpus est inferius animâ & per unionem conveniunt in una & eadem natura, ex tali unione induit anima obligationem corpus regendi: sed humanitas est inferior divinitate, & ex vi unionis hypostaticæ convenit cum Deitate in eadem Christi persona: ergo ex vi hujus unionis incumbit divinitati specialis obligatio gubernandi humanitatem. Unde in 6. Synodo generali actione 8. sic dicitur: *Quemadmodum corpus nostrum regitur & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima nostra: ita in homine Christo tota hominis ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.*

Confirmatur secundò. Cùm in una & eadem natura conveniuot superior & inferior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam superiorem; ut constat in natura humana, quæ naturali obligatione teoetur per voluntatem regere & gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter cùm duæ naturæ conveniant in una & eadem persooa, consurgit in illa obligatio regendi inferiorem per superiorem naturam, & coosequenter Verbo, in quo ex vi unionis humanitatis ad ipsium conveniunt natura divina & bumana, incumbit specialis obligatio regendi & gubernandi naturam bumanam per divinam; subindeque peccatum humanitatis unitæ attribueretur Verbo, oon solùm ratione voluntatis humanæ, sed etiam ratione voluntatis divinæ.

XII. Verbum divinũ quatenus superius regebat humanitatem inferiorem, non modõ aliquõ singulari, sed communi, eõ scilicet modõ quõ creaturæ gubernantur à prima causa: unde si peccaret humanitas, Verbum peccati causa minimè esset.

Nego majorem, & illius probationem & confirmationes distinguo. Superior quisque tenetur inferiorem regere & gubernare; ita qoòd ratione defectûs illius directionis & gubernii peccata inferiorum soperiori tribuantur, quando id ei incumbit ex officio & jostitiâ speciali, concedo: quando duntaxat id ei incumbit ex coocursu generali & communi, nego: animæ quidem tribuuntur motus inordinati appetitûs inferioris, oon præcisè, quia istæ potentiæ rationalis & sensitiva conveniunt in una & eadem natura; & quia earum una est superior, alia verò inferior: sed præcisè, quia taliter invicem sunt unitæ, ot inferior non possit ad bonum honestum flecti, nisi per cognitionem & directionem superioris; siquidem voluntate & scientiâ hominis omnes ejusdem facultates & potentiæ regi debent & gubernari. Secus autem est de humanitate Christi respectu Verbi, nam humanitas Christi oon gubernatur peculiariter voluntate & scientiâ Dei increata, sed duntaxat communi, eõ scilicet modõ, quõ cæteræ creaturæ gubernantur à prima causa; soppositum enim Verbi noo aliud præstat circa humanitatem per se præcisè quam quod præstaret propria personalitas terminando ejusdem naturæ communicationem & dependentiam; onde licèt illa humanitas ex hypothesi peccaret, peccatum istud non deberet attribui Verbo:

Ad authoritates SS. Patrum asserentium Verbum regere humanitatem, sicut anima regit corpus, dico eos duntaxat velle quod, quemadmodum anima propter conjunctionem sui cum corpore influit in illud vitam, motum, & directionem naturalem; ita Verbum ex congruo in humanitatem soam influit vitam & motum supernaturalem ratione abuodantis gratiæ & beatitudinis, quibus ipsam illustrat & ejus affectus moderatur. Unde quemadmodum non obstante plenitudine gratiæ, & statu beatitudinis Sancti & Beati possent absque contradictione peccatum admittere: sic etiam absque repugnantia per absolutam Dei potentiam non obstante gratiæ plenitudine & beatitudine, bumanitas Christi posset peccare.

Vrgent. Actiones sunt suppositorum vel subsistentium, ut commune axioma docet: sed suppositum humanitatis assumptæ est suppositum Verbi, quatenus in illa subsistens: ergo si posset humanitas assumpta peccare perseveraote unione hypostaticâ, reverà peccatum istud tribueretur Verbo.

Confirmatur. Humanitas Christi est instrumentum Verbi: sed actiones instrumentorum tribuuntur supposito cujus sunt instrumenta: ergo peccatum humanitatis Christi esset tribuendum ipsimet Christo.

XIII. Explicatur illud axioma *actiones sunt suppositorum.*

Distingue majorem. Actiones sunt suppositorum elicitivè, nego: denominativè, concedo. Cùm enim communi axiomate asseritur actiones esse suppositorum, hoc non ideò dicitur, quia suppositum *ut quò*, vel *ut quod* influit in operationes naturæ; sed quia sustentat natutam proximè operaotem, *ut quò* & *ut quod.* Unde actiones dicuntur suppositorum, noo effectivè, sed tantùm denominativè. Ad minorem dico, quòd si humanitas peccaret, duntaxat peccatum in ipsam refuoderetur, tanquam in principium elicitivum illius actionis peccaminosæ, non verò in ipsum Verbum, nisi fortè duntaxat denominativè; in quo certè nulla major apparet repugnantia quàm quòd idem Verbum divinum dicatur mortuum & crucifixum; non enim secundùm rei veritatem magis pugnat denominatio peccantis Verbo divino cum sua sanctitate attributali aot essentiali, quàm repugnet de oominatio mortui, cum vita essentiali: tam enim mors repugnat vitæ quàm peccatum sanctitati; imò magis; quia mors opponitur physicè vitæ, peccatum verò solùm moraliter sanctitati.

Thomistarum replica.

Reponunt Thomistæ, disparitatem esse, quòd mors, sicut & quodlibet aliud malum pœnæ à Dei justitia infligitur & ordinatur ad gloriam Dei; malum verò culpæ, seu peccatum, committitur per recessum ab actu divinæ sapientiæ & ab ordine divinæ bonitatis; & ideò licèt nulla sit indecentia qoòd Verbum in natura assumpta, seu ut subsistens in humanitate per communicationem idiomatum, passum, crucifixum, & mortuum denominetur: est tamen moralis indecentia, quòd Verbum etiam ut in humana natura subsistens,

seu

seu per communicationem idiomatum peccare dicatur; hoc enim pias aures offendit, & a majori Theologorum parte non admittitur.

Contrà. Tam permissio peccati potest cedere in gloriam Dei, quàm quodlibet malum pœnæ. Deus enim ordinare potest peccatum tum ad commendationem suæ justitiæ illud vindicando & puniendo, quàm ad manifestationem suæ misericordiæ illud relaxando & gratis remittendo: ergo quâ ratione mala pœnæ cedere possunt in gloriam Dei, itidem cedere possunt peccata: neque unum magis offendit pias aures sapientum quàm aliud, quippe noverunt utrumque solùm denominativè Deo tribui.

Nec refert quòd sit quædam moralis indecentia, quòd Verbum dicatur peccare: hæc enim indecentia moralis non officit, quominus illa denominatio extrinseca ei convenire possit, sicut & denominatio mortui & crucifixi, quæ cùm sit physica, magis repugnat Deo, qui est per essentiam vita, quàm quævis denominatio moralis.

Nec etiam refert quòd peccatum sit aversio à Deo; repugnat autem Deum averti à se. Id, inquam, non obstat: nam hæc aversio est duntaxat quid morale; mors autem est quid physicum, & physicè oppositum vitæ quam perimit: igitur si non obstante oppositione sui recessûs mortis à vita, Deus qui est vita essentialiter, dici potest mortuus per denominationem extrinsecam ratione mortuæ humanitatis cui hypostaticè unitur, quidni simili ratione dici posset peccans, & à se moraliter recedens ratione humanitatis assumptæ, si illa supponeretur peccare?

Ad confirmationem dico, quidquid sit de majore, distinguendam esse minorem. Actiones instrumentorum tribuuntur supposito cujus sunt, quando habent dependentiam particularem ab illo, concedo: quando non habent, nego minorem. Necnon & consequentiam, quia actiones peccaminosæ voluntatis non majorem haberent dependentiam à supposito divino in illa hypothesi, quòd essent peccaminosæ, quàm reverà haberent, si natura illa non esset unita ipsi. Ad quam responsionem, inquit Poncius, aptissimum est exemplum de securi, quatenus est instrumentum artificis, quæ ex se scindere potest simul & calefacere; nam scindendo lignum etiam calefacit; illa autem calefactio non attribuitur artifici, sed securi; scissio autem adscribitur artifici, quia ad eam per virtutem suam loco motivam cogit & ab ipso principaliter dependet.

Instabis. Actiones non solùm sunt suppositorum denominativè, sed etiam elicitivè; siquidem Joannes Theologus in Concilio Florentino *Sess.* 18. ex hoc communi Philosophorum effato, *actiones sunt suppositorum*, probavit Spiritum sanctum à Filio procedere, & essentiam in divinis non generare, sed Patrem ratione essentiæ: at Pater divinus non denominativè tantùm, sed etiam elicitivè *ut quod* generat, mediâ essentiâ ut principio *quo* generandi, & nullus ex Patribus Latinis, pro quibus disputabat, vel Græcis contra quos agebat, in contrarium reclamavit; imò Græci, argumentô Joannis Theologi convicti, Spiritum sanctum à Filio procedere confessi sunt: ergo illud principium ab universali Ecclesia tam Græca quàm Latina tacitè fuit approbatum.

XIII. Rationes quæ in Conciliis reperiuntur

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico quòd, (ut pluries diximus agendo de principiis constitutivis divinarum personarum, & de distinctione reali Spiritûs sancti à Filio, quamvis ab ipso non procederet,) omnes rationes philosophicæ, quas ipsemet Joannes Theologus assumit ad probandum, quod Spiritus sanctus procedat à Filio, non sunt reverà probatæ à Concilio, siquidem plurimæ etiam ex illis rationibus in bona Philosophia deficiunt, ut ibidem observavimus; & insuper conveniunt omnes Theologi, quòd rationes quæ in Conciliis proferuntur ab actoribus ad adstruenda dogmata fidei, non semper sunt de fide; imò aliquando principiis fidei dogmatibus contrariis nituntur, ut constat ex 7. Synodo, ubi ut probetur Angelos posse depingi, falsum assumitur principium, nempe quod sint corporei: Concilium enim approbat tanquam dogma de fide, quòd Angeli possint depingi, non verò quòd sint corporei, hoc enim contrarium est fidei dogmatibus in sequentibus Conciliis traditis, in quibus probatum est Angelos esse substantias spirituales, ut probavimus, in tractatu de Angelis.

ad astruenda fidei dogmata, non semper sunt de fide.

Confirmantur hæ omnes nostræ responsiones & rationes. *Primò*, quia natura humana secundùm se esset sufficiens causa adæquata suæ actionis peccaminosæ, etiamsi Verbum in illam actionem physicè non influat in ratione suppositi, non minus quàm calor est causa efficiens suæ calefactionis, & anima separata causa suæ intellectionis & volitionis: ergo gratis asseritur quòd necessariò requiratur aliquis concursus suppositi divini ad eliciendam illam actionem. *Deinde*, quamvis divinum suppositum concurreret partialiter effectivè ad actionem peccaminosam, non inde sequeretur quòd supposito imputari deberet illa actio tanquam causæ, quæ culpabiliter operaretur, quia quamvis suppositum Verbi concurreret physicè ad illam actionem; tamen determinatio proveniret a voluntate, penes quam est agere vel non agere: actio autem peccaminosa ut peccaminosa est, non attribuitur omni causæ concurrenti physicè ad entitatem actûs, alioqui peccatum attribueretur Deo qui physicè concurrit ad omnes actus sive bonos, sive malos: ergo licèt suppositum Verbi concurreret physicè ad actiones humanitatis, quæ essent peccaminosæ, non propterea peccatum deberet illi attribui, quia non esset causa determinativa ad illos actus. *Denique*, non potiori ratione Verbum influeret in illos actus humanitatis physicè quàm Pater & Spiritus sanctus, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: sed actus peccaminosi, qui nunc eliciuntur ab hominibus, non tribuuntur Patri, nec Spiritui sancto: ergo pari ratione illi actus peccaminosi, qui elicerentur ab humanitate Christi, non essent attribuendi Verbo.

XIV. Natura humana secundùm se est causa sufficiens suæ actionis peccaminosæ, sicut calor suæ calefactionis.

XV. Etiamsi suppositum concurreret partialiter effectivè ad actionem peccaminosam non esset tamen causa actionis peccaminosæ.

XVI. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

Objiciunt denique. Humanitas Christi sanctificatur & redditur Deo grata per unionem hypostaticam, etiam secluso omni donô gratiæ sanctificantis habitualis: ergo non potest habere ullum peccatum saltem mortale tam actuale quàm habituale. Probatur consequentia, quia peccatum quodcunque habet incompossibilitatem cum gratia sanctificante: ergo si unio hypostatica majorem habeat vim sanctificandi quàm gratia ex se, nullum potetit peccatum secum pati.

Confirmatur. Humanitas Christi substantialiter per Deitatem & personalitatem Verbi sanctificatur substantialiter per sanctitatem infinitam, non quidem infinitô modô, quia ejusmodi infinitæ sanctitatis creatura non est capax; sed in tantùm in quantùm sanctificari potest aliqua creatura, ut omninò fiat incapax peccati etiam per absolutam

Dei potentiam si id non repugnet; sed non repugnat quòd aliqua creatura tantæ sit sanctitatis, ut etiam per absolutam Dei potentiam non possit ullum admittere peccatum: ergo hujusmodi est humanitas Christi.

XVII. *Nulla datur gratia tantæ perfectionis, cum quâ non possit de potentia Dei absoluta stare peccatum.*

Nego consequentiam; quia, ut mox dictum est, nulla est gratia tantæ perfectionis, quæ physicè ita sit incompatibilis cum peccato, quin de potentia Dei absoluta possit cum illo subsistere; idem autem dicendum est de unione hypostatica, quatenus haberet vim sanctificandi.

Ad confirmationem, distinguit majorem Poncius. Natura divina, & personalitas tribuunt naturæ tantam sanctitatem, quantam recipere potest ab ipsis mediante illâ conjunctione, concedit majorem: tantam tribuit sanctitatem quantam potest recipere, tam ab ipsa natura divina & personalitate, quàm ab illis donis, negat majorem: quis enim dicat naturam esse quidem unitam, non tamen beatam, esse tanta sanctitate præditam quantam haberet natura unita simul & beata?

XVIII. *Minùs prudenter hanc sententiam erroris arguunt quidam moderni.*

Ex his apparet, inquit idem Poncius in comment. *nu.* 11. quàm insulsa sit & imprudens quorundam Theologorum censura; maximè autem *Capreoli*, dum ait, contra nostræ sententiæ Assertores famosissimos, (quales sunt Durandus, subtilis Doctor, & omnes tam veteres quàm recentiores ejus Discipuli) non tam rationibus, quàm flammis agendum esse, sed certè flammis quibus ipse potiùs comburi deberet. *Addit quod* Suares paulò modestiùs; sed satis immodestè tamen eam temerariam asserit. Vasques noluit ipse determinare censuram, sed ne non censuraret, aliquâ eam dignam censurâ pronuntiat: Hæ autem censuræ quàm vanæ sint, & sine fundamento, ac indignæ his Authoribus, facilè patet ex dictis, & ex eo quòd ipsi moderni sua invicem de impeccabilitate Christi D. fundamenta expugnent, nec tamen ipsi impugnatores meliora ac efficaciora statuant.

XIX. *Cautè tamen hæc sententia est evulganda.*

Cæterùm quanquam omnia hæc quæ duntaxat Theologicæ exercitationis gratiâ diximus, probabilitate non careant; nihilominus moneo abstinendum esse ab his & similibus propositionibus: *Christus fuit absolutè peccabilis*, vel, *Christus secundùm humanitatem per absolutam Dei potentiam peccare potuit*; maximè verò coram rudioribus & imperitis, quibus non sunt perviæ hujusmodi Theologicæ controversiæ; ne fortè inde habeant ansam cogitandi & dicendi Christum eô modô fuisse peccabilem quô cæteri homines justi; quod sanè erroneum esset & hæreticum; nullus enim fortè justus, ita fuit innocentiæ tenax, si beatam Virginem excipias, qui in peccata saltem venialia non fuerit lapsus.

XX. *Rectè infertur Christi impeccabilitas ex unione hypostaticâ, non per locum intrinsecum, sed extrinsecum.*

Ex his collige, his non obstantibus rectè inferri Christi impeccabilitatem ex unione hypostaticâ; non quidem per locum intrinsecum, ut volunt Thomistæ; sed per extrinsecum, quia scilicet expedit & congruentissimum est, ut natura unita Verbo sit peccati incapax, tum propter illius sanctitatem personalem; tum propter visionem beatificam, quæ cùm animam Verbo unitam primæ rectæ operationis regulæ conjungat, illam etiam reddit impeccabilem; & insuper vim & efficacitatem habet reprimendi omnem inordinatum affectum appetitûs sensitivi: Tum denique propter perfectionem & plenitudinem gratiæ habitualis existentis in anima Christi, necnon & virtutum quæ ab ea dimanant, cùm enim gratia opponatur moraliter peccato; inde consequens est, quòd gratiæ plenitudo abundantissima, qualis fuit animæ Christi, nullum peccato locum relinquat. Unde radix illius impeccabilitatis maximè est ipsa Dei manutenentia, quâ Christi humanitas, utpote Verbo unita personaliter & Deo conjuncta per unionem beatificam, necnon & per gratiæ plenitudinem, ita in hoc triplici statu constantissimè servatur, ut nec per aliquid extrinsecum possit separari, nec aliquid admittere, quod illam unionem hypostaticam aut beatificam, aut gratuitam, seu sanctificativam dedeceat, sicut reverà peccatum hunc triplicem statum moraliter summè dedecet. Unde de facto quidem utraque sententia tam Angelici, quàm subtilis Doctoris convenit, Christi impeccabilitatem ab illa triplici unione ipsius animæ cum Deo esse repetendam, quod sufficit, tum ad fidem, tum ad doctrinam Sanctorum Patrum; an verò secùs fieri posset de possibili, controversia est, purè ad philosophiam spectans.

XXI. *Cujus impeccabilitatis radix est manutenentia Dei.*

Quæres an Christus habuerit fomitem peccati seu inclinationem appetitûs sensitivi ad objecta sensibilia, contra dictamen rationis, quæ inclinatio vocatur fomes peccati, quia illius incentivum est, illudque fovet?

XXII. *Nullatenus in Christo fuit peccati fomes. Probatur ex Concil.*

Respondeo primò, nullatenus in Christo fuisse de facto illum fomitem peccati. Probaturque ex sextâ Synodo generali, actione 11. & ex quinta, collat. 8. Can. 112. ubi definitur *in Christo fuisse tantùm Passiones irreprehensibiles, & innoxias*; fomes autem peccati est passio noxia, reprehensibilis, inordinata, cùm interdum vocetur à sacris litteris peccatum, non quòd propriè sit peccatum, sed quòd sit ex peccato, & ad peccatum inclinet, ut explicat Trident. Synodus sess. 5. in decreto de peccato originali.

Patribus.

Confirmatur ex Patribus, S. Leone, epistolâ 11. ita scribente; *Corporei sensus vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis, nec tandem tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.* Similiter ex S. Damasceno 3. de fide cap. 20. dicente: Christum aliter fuisse tentatum à dæmone, quàm primos parentes, quia primus parens tentatus est extrinsecè & intrinsecè, Christus verò tantùm extrinsecè. *Nec obstat* quòd Heb. 4. dicatur, *Christus tentatus per omnia*, nam particula illa, *per omnia*, debet intelligi accommodatè ad naturam & conditionem. Huic conclusioni favet ratio; quia ex Concilio Trid. fomes peccati remanet in nobis tantùm ad agonem; non erat autem decens ejusmodi turpem agonem reperiri in Christo: ergo neque fomitem peccati.

XXIII. *Hic autem peccati fomes sublata est per virtutes quas habuit Christus in perfectissimo gradu.*

Respondeo secundò, fomitem peccati sublatum esse a Christo per virtutes, quas habuit in perfectissimo statu, & per excellens illud dominium, quod habuit in omnes suas potentias, nec-non & per perpetuam attentionem rationis quæ præveniebat omnia objecta quæ poterant ipsum appetitum movere ad peccatum. Probatur. Si justitia, v. g. in statu innocentiæ ad id sufficiebat: ergo & hæc, cùm superent vires illius, ad id sufficient.

XXIV. *Quia moraliter repugnabat Christum assumere naturam humanam*

Respondeo tertiò, quòd etiam de potentia Dei absoluta Verbum divinum assumere non potuit naturam humanam cum fomite peccati, non quòd ad hoc fuerit repugnantia physica, sed quia sit repugnantia moralis propter dignitatem & majestatem suppositi divini. Quod utique probatur: nam si Verbum potuisset assumere naturam

cum illo peccati fomite.

naturam cum fomite peccati; maximè vel quia potuit assumere naturam bruti, in qua potuerunt esse motus appetitûs sensitivi ad objecta supra mensuram delectabilia; vel quia etsi potuerint esse tales motus in Christo; tamen potuit etiam illis non consentire, sicque illis uti ad agonem & meritum: sed prima ratio nulla est, quia etsi in natura irrationali bruti non dicat fomes indecentiam, cùm hæc natura non sit nata regi dictamine rationis; quia tamen in nostra natura, prout subest directioni partis superioris, est aliqua indecentia experiri imperfectionem talem; & cum status naturæ humanæ etiam in Verbo existenti debitus, suo modo sit rectus ad rationem, & sit indecorum turpes motus in se sentire, etsi consensus voluntatis in illis non sequatur, tamen propter ejusmodi indecentiam non debuit nec potuit Verbum divinum assumere naturam cum fomite peccati. Secunda item ratio nulla est, nam quæ sunt in natura assumpta ad agonem, debent esse talia, ut nullam includant indecentiam ad statum & conditionem Christi.

Quæstio IV.

An Christus Dominus assumpserit passiones animæ seu appetitûs rationalis tam secundùm portionem superiorem quàm inferiorem?

I. *Duplex animæ portio: superior scilicet & inferior.*

NOtandum primò, ex Doctore in 2. *dist.* 24. *quæst. unicâ* duplicem esse animæ portionem, superiorem videlicet & inferiorem. *Portio superior*, sunt ipsæmet facultates animæ, nimirum intellectus, voluntas & memoria, quatenus occupantur circa æterna & spiritualia; *Portio* verò *inferior* sunt eædem facultates, quatenus versantur circa temporalia. Ex quibus infert Doctor portionem non distingui penes id quod una sit contemplativa, & alia practica, ut volunt aliqui, quia tam speculativa, quàm practica pertinent ad portionem superiorem: speculativa quidem quatenus intellectus solitariè speculatur æterna: practica verò quatenus ille idem intellectus speculatur æterna prout à nobis amabilia. Practica iterùm quatenus voluntas, ut portio superior quæ naturâ suâ est facultas practica, vult amplecti & prosequitur æterna.

Qualiter invicem distinguantur.

Infert insuper portionem superiorem & inferiorem intellectûs, item superiorem & inferiorem voluntatis non esse duas potentias. *Primò*, quia eadem potentia cognoscit principia & conclusiones, aliter nulla potentia eadem cognosceret; cùm non cognoscatur per se, nisi ex collatione ad principium; sed portio inferior intellectûs, v. g. cognoscit conclusionem, & portio superior principium: nam S. Augustinus dicit portionem superiorem intendere regulis æternis & superioribus contemplandis; inferiorem verò intendere temporalibus agendis secundùm æternas regulas: at ista circa quæ occupatur portio inferior, sunt conclusiones regularum æternarum: ergo portio inferior intellectûs cognoscit conclusiones principiorum quorum est portio superior ejusdem intellectûs.

Non sunt autem duæ potentiæ portio superior & inferior intellectûs & voluntatis.

Confirmatur, quia idem habitus simpliciter non perficit duas potentias: sed eadem Charitas, v. g. perficit voluntatem superioris portionis; siquidem eadem charitas est in voluntate portionis superioris quâ Deus diligitur, nec-non & in voluntate portionis inferioris quâ diligitur proxi-

A mus qui est objectum temporale, una enim & eadem charitas se extendit ad omnia diligibilia: igitur cùm unus & idem habitus charitatis resideat in portione superiori & inferiori ejusdem animæ; consequens est quod illæ portiones non sint distinctæ facultates & potentiæ.

II. *Undecim passiones appetitûs sensitivi solitò numerantur à Philosophis, quarũ quinque in appetitu irascibili, sex verò in appetitu concupiscibili residẽt.*

Notandum secundò undecim solitò passiones appetitûs sensitivi seu portionis inferioris animæ solitò numerari à Philosophis, quarum quinque residen[t] in appetitu irascibili, videlicet spes, desperatio, timor, audacia, & ira: sex verò in appetitu concupiscibli, nimirùm amor, odium, desiderium, gaudium, fuga & tristitia. Certum est autem *spem* potuisse esse in Christo, utpote qui

B sperare potuit gloriam sui corporis & liberationẽ ab illis omnibus pœnalitatibus & cruciatibus, quibus illius humanitas agitata fuit tum tempore vitæ, tum tẽpore passionis: fuit similiter in eo *desperatio*, non quidem ea quàm impiùs sustinet Calvinus, qualem scilicet habent reprobi circa objectum beatitudinis: sed duntaxat illa quæ versatur circa malum sensibile inevitabile, cùm enim nobis sese offert malum aliquod non apprehensum ut inevitabile, fluctuamus inter spem & desperationem, cùm verò jam inevitabile proponitur omni spe evadendi ademptâ, desperamus: fuit pariter in eo *audacia*, quia habuit fortitudinem animi, & constantiam respectu mortis subeundæ, nec duntaxat patienter sustinuit inflictos cruciatus & adversa-

Quas passiones habuit Christus D.

C tiorum insultus, sed etiam eis animosè ivit obviam, ut sacri Evangelistæ referunt. Similiter quantùm ad portionem appetitûs concupiscibilis, certum est habuisse *amorem & odium*; quippe amore & odiô sensitivô aliqua prosequebatur, putà conservationem propriæ vitæ, & aversionem mortis; habuit similiter *desiderium*, nam dicebat Discipulis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: habuit pariter *fugam* mortis & doloris cum exoravit Patrem: *Pater, si possibile est transeat à me calix iste.* Quamvis antẽ fuerit vir dolorum & in laboribus à juventute sua, nihilominus delectationem habuit, maximè de bonis spiritualibus; unde io ejus nomine canit Psaltes Re-

D gius Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultaverant in Deum vivum.* Unde maximè controvertitur inter Theologos an Christus habuerit passiones tristitiæ, timoris, & iræ, quocirca

III. *Qualiter Christus D. habuerit tristitiam & gaudiũ.*

Notandum tertiò, ex Doctore in 3. *d.* 13. *num.* 12. eôdem modô philosophandum esse de tristitia & gaudio, sicut proportione servatâ de delectatione & dolore respectu appetitûs sensitivi; quemadmodum enim dolor in corpore causatur ab objecto disconvenienti approximato & applicato parti sensitivæ, ita pariter tristitia causatur ab objecto ingrato voluntati; undè S. Augustinus lib. 14. de Civit. cap 15. *Dolor carnis tantummodo est offensio animæ ex carne, & quadam ab ejus passione dissen-*

E *sio: sicut animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, est ejus dissensio ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt:* Accidit autem, inquit Doctor, ut multis modis voluntas se habeat circa objecta à quibus potest tristitiam accipere: *Primò* namque contingit aliquid esse contrarium, non quidem actui elicitivo ipsius, & appetitui libero, sed duntaxat appetitui naturali; licèt enim voluntas sit una simplex facultas, consideratur tamen aliquando, ut appetitus naturalis; aliquando verò ut appetitus liber: ut appetitus naturalis convenit cùm omnibus aliis rebus naturalibus, quibus commune est habere aliqua objecta convenientia; & aliqua disconvenientia seu contraria; quemadmodum aqua

v. g. cui calor est contrarius, sicut frigiditas est conveniens. Voluntas itaque spectata ut appetitus naturalis, naturaliter fertur in felicitatem, item naturaliter refugit miseriam; itaut etiam nullô datô actu elicitô ab ipsa, censeatur naturaliter ferri in beatitudinem, & averti à miseria; quando igitur sese offert objectum ejusmodi disconveniens appetitui naturali voluntatis, inde sequitur tristitia. *Secundò* causatur tristitia, quando aliquid accidit nolente voluntate nolitione elicitâ, quidquid sit illud quod non vult; exempli gratiâ, siquis nolit visitari & visitetur; inde tristatur voluntas. *Tertiò* causatur tristitia ex conjunctione voluntatis cum affectu sensitivo; impossibile est enim facultatem sensitivam dolorem recipere, & ex eo non consurgere tristitiam in voluntate. *Quartò* denique causatur tristitia ex quodam objecto, non quidem absolutè, sed conditionatè nolitô; itaut propter istam nolleitatem possit etiam tristari voluntas, quomodo v. g. fumens aliquis potionem amaram, nollet sumere si posset, & propter istam nolleitatem consurgit tristitia in voluntate ejus.

IV. Tristitia formaliter residet in voluntate quamvis non sit actio voluntatis.

Ex quibus colligit Doctor subtilis tristitiam residere formaliter in voluntate, sicut dolor sensibilis residet in appetitu sensitivo; & tristitiam non esse actionem aliquam voluntatis, sicut nec dolor sensibilis est actio appetitûs sensitivi, quia omnis actio voluntatis est in potestate voluntatis, tristitia verò non est in potestate voluntaris saltem consequenter: ergo non est actio voluntatis: dico saltem consequenter, quia clarum est antecedenter esse in potestate voluntatis, quatenus scilicet volitio & nolitio, ex quibus oritur tristitia, sunt in potestate voluntatis, tamen positâ semel nolitione alicujus objecti, & accedente objectô illô actualiter nolitô, non est in potestate voluntatis non tristari.

Adde quòd experientia docet tristitiam non esse actionem aliquam, cùm enim tristamur experimur nos pati validè, ex qua passione sequitur aliquando angor, id est passio mœrens, & melancholia, id est tristitia diuturnitate obfirmata; quæ quidem omnia passionem potiùs, quàm actionem indicant.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Fuerunt in Christo passiones, non tamen cum eâ imperfectione quâ sunt in hominibus.

IN Christo Domino reverà fuerunt humanæ passiones, non tamen cum ea imperfectione, quâ in cæteris hominibus. Hæc est de fide determinata in 6. *Synodo Act.* 4. Et probatur variis Scripturæ textibus, quibus illi humani affectus & motus asseruntur fuisse in Christo. Sic Joan. 2. de eo dicitur: *Zelus domûs tuæ comedit me.* Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira, tristatus est super cæcitate cordis eorum.* Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Id ipsum unanimi sententiâ testantur SS. Patres, Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 3. Aug. lib. 14. de Civitate Dei c. 7. & S. Leo Epistolâ 11. quæ est ad Julianum circa finem, ubi ita scribit: *Sensus corporei lugebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis.* Idem docuit S. Damascenus 3. de fide cap. 20. de omnibus defectibus animæ nostræ qui sunt à reprehensione alieni, inter quos enumerat metum, angorem, mortis recusationem. Favet etiam ratio, quia illi affectus appetitûs sensitivi spectant ad vitæ humanæ conservationem, dignitatem, & exercitium; conferunt etiam ad satisfactionem A pro hominum peccatis, ut constat de dolore & tristitia.

VI. Differunt enim tum quoad objectum, tum quoad principium, tum quoad effectum.

Patet etiam secunda pars, nempe quòd passiones illæ aliter fuerint in Christo quàm in nobis, tum quoad objectum, tum quoad principium, tum quoad effectum. *Primò* quidem, *quoad objectum*, quia motus illi animi plerumque in nobis feruntur ad illicita: at in Christo Domino semper in bonum honestum tendebant, quia reverà fuit impeccabilis, & caruit ipsô fomite peccati inclinante ad malum. *Secundò*, quantùm *ad principium*, quia ejusmodi passiones in nobis sæpè præveniunt judicium & usum rationis: Sed in Christo semper oriebantur secundùm dispositionem rationis vel positivè moventis, vel provi-B dentis & permittentis; unde nunquam prævenerunt ejus rationem; sed tantùm in eo fuerunt ex deliberata voluntate, quando voluit, quandiu voluit, & quomodo voluit: quod utique significavit Joannes quando cap. 11. ita ait de Christo Domino, *Infremuit spiritu & turbavit semetipsum:* nam modus iste loquendi significat Christum Dominum liberè excitasse in seipso motum illum miserationis & indignationis, ex quo ipse est turbatus, ut docet S. Augustinus, in tract. 49. in Joan. *In illius*, inquit, *potestate erat, sic vel non sic affici; Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in persona unitate naturam.* Et paulò post: *Ubi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est,* C *turbavit semetipsum.* Id pariter probat S. Athanasios Orat. contra Apollinarem ex eo quòd Christus Dominus Joan. 12. signanter dixit: *Nunc anima mea turbata est:* ait enim: *Ob eam causam dicebat Dominus, Nunc anima mea turbata est, hac antem particula* NUNC, *idem est quod quando voluit.* Tertio denique passiones illæ aliter fuerunt in Christo, quàm in nobis *quantùm ad effectum*; nam in nobis quandoque trahunt rationem ad illicita, ut illis deordinatis motibus consentiat, nec consistunt duntaxat in appetitu sensitivo, sed etiam appetitum rationalem ad se pelliciunt: secùs D autem fuit in Christo, cùm enim ejus anima plenum haberet dominium in omnes suas facultates & actus, non tantùm ex simplici permissione, sed ex positivo consensu admittebat in se ipsô tales passiones; & cùm haberet omnes thesauros sapientiæ in se reconditos, ac futura prævideret, facilè poterat cognoscere illud omne quod appetitus ejus excitare poterat & facere, ut has passiones nullomodò possent ad illicita pertrahere.

Has passiones, propassiones vocat S. Hieronymus.

Unde plerique Scholastici post S. Hieronymum in cap. 25. S. Matthæi dicunt in Christo quidem non fuisse *passiones*, sed *propassiones*, quia, inquiunt, propassionis nomine significatur affectio, quæ aliquam corporis motionem excitat, & mo-E vet quidem hominem, sed non dimovet ejus rationem à recto, & libero suo exercitio, ut fit per passiones. Verùm hoc discrimen tantùm fuit penes Stoicos Philosophos, ac eorum Sectatores; nam apud Peripatheticos, & SS. Patres nomen passionis & propassionis idem planè significat, estque commune tam ordinatis quàm inordinatis affectibus.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Fuit in ipso tristitia.

CHristus reverà habuit effectum tristitiæ: non quidem in portione superiori animæ præcisè & seorsim sumpta, sed quatenus est colligata cum ap-

petitu sensitivo. Hæc conclusio duas habet partes: quarum *prima* constat ex illis Scripturæ textibus suprà laudatis, quibus asseritur Christum reverà fuisse tristatum. Sic Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Luc 22. *Factus in agonia prolixiùs orabat*; unde S. Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 2. *Vt homo tristitiam habuit, suscepit enim tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem prædico.*

Non quidẽ in portione superiori animæ præcisè.

Eandem veritatem probat Seraphicus Doctor dist. 15. art. 2 quæst. 2. *Primò* quidem, quia ut legimus Lucæ 19. *Christus videns civitatem Ierusalem flevit super illam*: sed fletus est signum doloris & mœroris: ergo Christus flendo animi angorem & tristitiam testatus est. *Secundò*, Christus amabat & desiderabat nostram salutem: sed qui amat aliquid tristatur de ejus amissione: ergo cùm Christus multos videret suam salutem negligere, apparet quòd in se senserit verum affectum tristitiæ. 3. Quantò sunt in aliquo majora viscera pietatis, tanto magis afficitur mœrore: sed Christus habuit abundantissima pietatis viscera: ergo de aliorum necessitatibus & infirmitatibus maximam habuit tristitiam.

Secunda pars etiam constat, nempe quòd tristitia illa non fuerit in portione superiori voluntatis Christi, quia illa portio superior voluntatis non potest tristari, nisi ex eo quòd aliquis nollet Deum esse, vel nollet eum habere aliquam perfectionem intrinsecam, voluntas enim ut portio superior, intendit rebus æternis: sed neutrum ex his motibus potuit habere anima Christi: Tum quia res æternæ non possunt ullam molestiam afferre; siquidem appetuntur appetitu naturali, quia naturaliter voluntas fertur in res æternas tanquam in summum bonum & supremum commodum; appetuntur pariter appetitu elicitô, quia voluntas non potest ordinatè refugere, quod recta ratio dictat: at dictat consequendas esse res æternas; & subinde voluntas non potest illas refugere appetitu elicitô: Tum etiam quia Christi voluntas quamvis liberrima, propter eximium suum erga Patrem amorem, summô affectu ferebatur in id omne, quod ab eo decretum fuerat circa suam humanitatem. Hinc dicebat Joan. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus*; unde instante mortis tempore, cùm ejus anima secundùm portionem inferiorem infligendos cruciatus perhorresceret, & ideirco rogasset Patrem; *Si possibile est transeat à me Calix iste*: statim subdidit; *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.*

Sed quatenus est colligata appetitui sensitivo.

Patet denique tertia pars, nempe quòd tristitia fuerit in Christi anima, ut colligata appetitui sensitivo: tanta est enim animæ rationalis cum corpore connexio & confœderatio, ut sibi invicem proprias affectiones & passiones communicent; hinc cùm anima tristitiâ laborat, corpus languore deficit & interdum omninò extinguitur. Unde præclarè monet Ecrlesiasticus 30. *Tristitiam longè repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Similiter cùm corpus dolore premitur anima tristitia laborat, unde non potest sentiri vehemens dolor in parte sensitivâ, quin rationalis pars maximâ tristitiâ afficiatur: est autem maximus dolor impressus corpori Christi tempore passionis; unde reverà tunc temporis animi angorem & tristitiam passus est.

VIII. Non tamen eodem modo quo est in nobis.

Tristitia autem illa quantumvis verissimè in Christo fuerit, non tamen eôdem modô fuit in illo, quô fuit in nobis; nam (inquit S. Bonaventura

A locô initiô hujus conclusionis laudatô) Est quædam tristitia quæ est præter rationis imperium: & est tristitia quæ est contra rationis judicium rectum: & est tristitia quæ est subjecta rationis imperio, & judicio. Et illa tristitia præter rationis imperium, est quæ consurgit ex quadam necessitate & surreptione, sicut motus primi: & hæc quidem communis est sapientibus & insipientibus, bonis & malis. Illa verò tristitia est contra rationis judicium rectum, in qua ratio subjicitur sensualitati, nec tantùm turbatur, sed etiam perturbatur. Illa autem est secundùm rationis imperium & judicium, quando quis tristatur ratione dictante, & suadente ipsum tantùm & taliter super

B aliquô debere tristari. Dico ergo, quod in Christo fuit tristitia tantùm istô tertiô modô: quia de nullo tristatus fuit, nisi secundùm quòd dictabat ei ratio. Et hoc idem innuit Joannes, ubi dicitur, Jesus autem infremuit spiritu, & turbavit semetipsum: in quo ostenditur quòd turbatio & tristitia rationi non præsidebat, sed subjacebat: primis autem duobus modis non fuit in Christo tristitia.

XI. Duplicem possumus habere nolitionem rei quam refugimus; unã conditionatam aliam absolutam. Quã Christus habuerit incertum videtur.

Petes primò. Cùm tristitia sit motus animi refugientis ea quæ nobis nolentibus accidunt; cúmque duplicem habere possimus nolitionem rei quam refugimus, unam quidem conditionatam & ex hypothesi; aliam verò absolutam & simpliciter: Petes, inquam, an tristitia quam habuit

C Christus D. de morte futura, secuta fuerit ad nolitionem absolutam illius mortis.

Utramque esse probabilem demonstrat subtilis Doctor.

Respondet Doctor *dist.* 15. *num.* 27. utramque partem affirmantem & negantem esse probabilem: Etenim quòd Christus non habuerit tristitiam sequentem nolitionem absolutam, sed tantùm conditionatam mortis; probat quinque rationibus quas sic expendit Poncius in commentario. *Primò*, quia eadem potentia, qualis est voluntas, quoad portionem superiorem & inferiorem, non potest habere actus oppositos in summo: sed judicare passionem esse simpliciter volendam, est actus intellectûs oppositus actui quô judicaret, quod non esset simpliciter volenda: & velle sim-

D pliciter, est actus oppositus nolle simpliciter: ergo quandoquidem Christus, quoad intellectum, judicavit passionem simpliciter esse volendam, & quoad voluntatem simpliciter eam voluit; non poterat nec quoad intellectum judicare quòd esset simpliciter nolenda, nec quoad voluntatem eam simpliciter nolle.

Probat secundo, quia ex principio & conclusione non sequuntur opposita: sed sequerentur si non esset vera hæc assertio: ergo, &c. Probatur minor: quia conclusio discursus practici, quô intellectus probat mortem esse volendam simpliciter, est hæc; *Mors est volenda simpliciter*: & hæc conclusio sequitur ex his principiis: *Quod est necessariũ*

E *ad finem ultimum, est simpliciter volendum*: sed *mors est ad id necessaria*: ergo *est simpliciter volenda*: sed hæc ipsa conclusio deberet esse principium ex quo posset concludi per portionem inferiorem, quod mors esset nolenda: ergo ex principio & conclusione sequerentur opposita, imò sequeretur quòd aliqua propositio posset esse principium ad demonstrandum oppositum sui ipsius, quod implicat. Probatur hæc ultima sequela: quia conclusiones principiorum practicorum desumptorum à fine ultimo, sunt principia ad concludendum aliquid de finibus particularibus, qoi ordinantur ad finem ultimum: ergo illa conclusio, *mors est volenda*, esset principium ad concluden-

1. Quidem quod Christus non potuerit absolutè nol e mortem.

dum, quòd esset oolenda in ordine ad aliquem finem particularem.

Probat tertiò, independenter à doctrina supposita in ratione præcedenti; quia impossibile est quòd simpliciter concludantur opposita de eadem conclusione, sicut impossibile est quòd sit simpliciter ambulandum hîc & nunc, & quòd non sit simpliciter ambulandum: ergo si ratio superior ex illis principiis ostendit mortem esse simpliciter volendam, ratio inferior non potest rectè concludere ex eisdem principiis quòd non sit simpliciter volenda.

Probat quartò, quòd ratio inferior oon possit dictare mortem esse nolendam: Ratio inferior dictat mortem esse sustinendam pro bono communi; quandoquidem bonum commune hominum dependebat à morte Christi: ergo ratio inferior dictare poterat quòd mors sustinenda esset pro illo bono: & consequenter non poterat judicare quòd esset nolenda.

Dices: Aliud est quòd mors esset sustinenda, & quòd esset volenda: ergo quamvis ratio inferior potuerit dictare mortem esse sustinendam, inde non sequitur quòd poterat dictare eam esse volendam.

Contrà; Quia si mors est sustinenda: ergo aut voluntas non vult id positivè, & sic non est conformis rationi; aut vult, & sic non potest absolutè nolle mortem, quia si absolutè nollet mortem, noo vellet sustinere mortem; sed fugeret ab ea quantùm potest.

Addit duas alias rationes ex autboritate S. Augustini satis claras: hanc autem asserrionem non absolutè proponit tanquam suam, sed in eam mihi videtur magis propendere. Ita Poncius rationes Doctoris proponit & expendit.

X. 1. Quòd portio inferior istud potuerit nolle.

Alteram etiam partem, nempe quòd *portio inferior potuit absolutè nolle Passionem*, & coosequenter de ea Christus tanquam de objecto absolutè nolito tristatus fuerit, Probat *num.* 31. ex eo quòd portio inferior noo debeat considerare Passionem cum ordine ad fioem ultimum, quia ea non occupatur circa æterna, sed duntaxat circa temporalia: ergo cùm Passio oon sit volenda simpliciter & absolutè, nisi ut conducens ad finem ultimum, qui duntaxat apprehenditur per portionem superiorem, potuit Christus secundùm portionem inferiorem absolutè oolle Passiooem. *Deinde*, solvit argumenta proposita pro confirmatione partis negantis. Verùm quooiam hæc duntaxat animi causâ proponit Doctor in aliorum sententia, qui hanc partem vellent amplecti, idcircò rectiùs dicendum arbitror, cum Gabriele, Cavello, & Poncio, Doctorem magis in priorem, quàm in posteriorem partem propendere, nempe quòd Christus tristatus fuerit, ex eo quòd illius Passio fuerit conditionatè nolita. Ut ut sit, certissimum est reverà Passionem tristitiæ in Christo fuisse.

Dices primò: Cootraria nequeunt esse simul in summo in eodem subjecto; sed anima Christi habebat gaudium in summo propter beatitudinem: ergo non potuit habere tristitiam.

XI. Gaudium & tristitia erant in Christo de diversis objectis: non de uno; contraria enim nequeunt esse simul in eodem subjecto.

Respondet Doctor num. 33. distinguendo minorem. Gaudium & tristitia sunt contraria, quando sunt de eodem objecto, concedit: quando sunt de diversis, negat: gaudium autem & tristitia in Christo erant de diversis objectis, gaudium quidem de objecto beatifico, tristitia vero de morte & cruciatibus subeundis. Quòd autem tristitia & gaudium de diversis objectis possint esse simul; A probat à simili de scientia & nescientia, quæ possunt esse in eodem intellectu penes diversa objecta.

Instabis. Summum gaudium sive circa idem, sive circa diversum objectum, excludit quamlibet tristitiam; quia impedit ex se considerationem aliorum objectorum, quæ possent tristitiam inferre; sed Christus habuit summum gaudium: igitur nullatenus potuit habere tristitiam.

XII. Summum gaudiū excludit omnem tristitiam directè, non autem indirectè.

Respondet Doctor distinguendo majorem, Summum gaudium excludit omnem tristitiam, directè & formaliter negat: indirectè, concedit: hoc est, quamvis in anima Christi fuerit summa delectaB tio de facto, quæ naturaliter posset ex se impedire considerationem aliorum objectorum tristantium; tamen Deo ita disponente non impedivit, nec maximum gaudium in portione superiori voluntatis Christi excludebat dolorem in appetitu sensitivo, nec etiam tristitiam in portione inferiori; quia illa delectatio oon redundabat in portionem inferiorem. Unde boc fuit factum per novum miraculum, quòd gloria in portione superiori voluntatis non reduodavit in corpus, sed permisit ipsum esse passibile, oec etiam redundabat in eandem potentiam, ut comparatur ad aliud objectum. Unde sicut per miraculum C fuit, quòd simul erat viator & comprehensor: ita fuit miraculosum, quòd ista gloria non reduodabat in corpus, oec in vires inferiores, sicut in Beatis redundat.

XIII. Discrimen inter corpus gloriosum & beatum Christi.

Dices secundò; Impassibilitas corporis gloriosi non admittit, nec ferre potest in eodem corpore glorioso ullam Passionem à quacunque causa extrinseca, vel intrinseca: igitur nec beatitudo animæ potest admittere tristitiam, sibi repugnantem.

Nego consequentiam; & ratio disparitatis est, quòd corpus gloriosum non habeat duas portiones; ita quòd penes unam possit esse impassibiD le, & passibile secundùm alteram: anima verò Christi cùm esset uoita Deo & corpori mortali & patibili, duas habebat portiones duosque affectus, quorum uous in Deum tendens ipsam summâ voluptate & beatitudine afficiebat: alter verò occupatus circa corpus passibile, mœrore angustiabatur propter cruciatus ipsi corpori inferendos.

Dices tertiò: Quia anima Christi conjungitur ultimo fini per cognitionem & amorem beatificum, ideo peccare non potest etiam circa proximum: ergo etiam quia ipsa anima Deo ut summo bono & totius voluptatis & gaudii oceano conE jungitur, nullô modô tristari potest etiam ratione pœnalitarum & cruciatuum corporis.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est quòd amor beatificus, quô anima unitur ultimo fini, eam determinat ad nihil faciendum, quod isti fini adversetur ipsamque offendat: offenderetur autem si illa anima peccaret in proximum, quia peccatum istud redundaret in Deum præcipientem proximi amorem, & probibentem omnem offensam ipsi erogandam: gaudium autem de objecto beatifico noo impedit, quominus anima tristitiâ possit affici propter aliud objectum, maximè quando vivificat corpus adhuc passibile: quia tristitia illa nullô modô spectat, nec refunditur in Deum, quatenus est objectum beatitudinis.

Dices quartò: Tristitia est de iis quæ nobis nolentibus accidunt: sed nihil passus est Christus renitente voluntate. Nam ut legimus Isaïæ 53. *Obla-*

tus est quia ipse voluit : igitur non habuit tristitiam.

XIV. Quid sit tristitia.

Distinguo majorem : Tristitia est de iis quæ accidunt nobis nolentibus vel absolutè, vel conditionatè, concedo : absolutè tantùm, nego : Christus autem, ut diximus, quanquam absolutè voluerit Passionem maximè secundùm portionem superiorem animæ, potuit illam nolle ; imò etiam penes ipsam inferiorem portionem potuit istam Passionem nolle.

Objicies denique aliquos Scripturæ textus, quibus tristitia videtur à Christo arceri ; maximè verò illud Isaiæ 42. ubi de Christo dicitur : *Non erit tristis, nec turbulentus* ; Item illud Proverb. 12. *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Cujus rationem hanc assignant Stoïci, quia nullus tristatur, nisi de jactura & amissione suorum bonorum : justus autem nulla sua bona reputat, nisi justitiam & virtutem, quas non potest amittere : sed Christus fuit maximè justus ; unde Jeremiæ 23. *Hoc est nomen quò vocabunt eum, Dominus justus noster* : ergo, &c.

Isaias excludit tantùm à Christo tristitiam perturbantem.

Respondet seraphicus Doctor ; Isaïam à Christo non excludere quamlibet tristitiam, sed duntaxat tristitiam perturbantem ; unde dicitur Matth. 26. *Cœpit contristari & mœstus esse*, quibus significatur Christum Dominum quamvis summâ tristitiâ affectum, non fuisse tamen dejectum animô nec ratione perturbatum, ut contingere solet in aliis hominibus, qui cùm ingenti tristitiâ premuntur, omnem rationis usum & animæ constantiam abjiciunt. *Ad secundum* similiter respondet, Sapientem intelligendum esse de illa tristitia, quæ statum mentis evertit ; non verò de illa quâ quis contristatur compatiendo aliis, vel etiam refugiendo aliquod malum sibi illatum.

Conclusio Tertia.

XV. Christus habuit timorem.

PAssio TIMORIS *reverà fuit in Christo.* Probatur ex Scriptura sacra, nam Marci 14. *Cœpit Iesus pavere & tadere & mœstus esse.* Unde S. Cyrillus lib. 4. in Joan. cùm dixisset Verbum nihil timere secundùm se, subdit : *Caro autem factum, permittit carni sua ut propria patiatur : & ideo tanquam verus homo mortem in januis existentem pertimescit.* Idem docent cæteri Patres, *Chrysostomus* hom. 14. in Matth. *S. Leo*, serm. 7. de Passione Domini. Ratio etiam suffragatur ; quia timor est affectus naturalis homini passibili, cui imminet aliquod malum, & cùm pœnalis sit, deservire potest ad satisfactionem : Christus autem assumpsit id omne innoxium quod maximè deserviebat ad demonstrandam assumptæ naturæ veritatem, necnon & ad satisfaciendum pro delictis nostris : igitur, &c.

Quomodo intelligendi sunt SS. Patres qui contrarium videntur asserere.

Dices : S. Hilarius lib. 10. de Trinit. *Augustinus* Enarratione in Psalm. 21. & *Hieronymus* in cap. 27. Matth. negant in Christo fuisse timorem, quod confirmatur ex illo Prov. 28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit* : ergo timor in Christo non extitit.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico S. Hilarium eô modô à Christo excludere timorem quomodo tristitiam, non quidem turbantem, sed perturbantem : qualiter etiam intelligendus est S. Hieronymus. *Ad S. Augustinum* dico, ipsum excludere timorem qui impediret efficacem voluntatem moriendi ; non verò eum qui voluntatem ipsam non adimeret.

Dices secundo : Timor non potuit stare cum animi fortitudine in gradu heroïco : ergo cùm in Christo virtus fortitudinis, sicut & aliæ virtutes morales, fuerit in gradu heroico ; in eo non potuit esse timor.

Respondeo, actum inefficacem & non absolutum unius passionis posse simul stare cum aliquo actu efficaci & absoluto virtutis, ei aliquo modo oppositæ, ut patet in Martyribus, qui potuerunt habere actus inefficaces mortis evitandæ, quam tamen fortiter passi sunt. *Adde quòd* timor non oriebatur ex absoluto desiderio diutiùs vivendi ; quin potius summopere mortem optabat pro nobis ; sed proveniebat tantùm ex affectu inefficaci, & quatenus se se offerebat mors tanquam malum aliquod naturæ, tamen affectu justitiæ longè anteponebat bonum redemptionis nostræ.

Dices tertiò, ex Aristotele 2. Rhetoricorum c. 3. *Timor includit incertitudinem mali apprehensi ut venturi, nec-non & spem aliquam illius evadendi* : atqui anima Christi ita mortem timuit, ut tamen certò sciret eam hoc & illô modô sibi eventuram ; unde etiam illam prædixit multis in locis. *Adde quòd* noverat illam esse priùs decretam decretô quôdam efficaci : ergo propriè loquendo non habuit timorem mortis.

XVI. Quomodo timor includat incertitudinem objecti.

Huic objectioni Varii variè respondent. *Primò* enim *S. Thomas*, concessô antecedente, dicit ad consequentiam timorem quidem non fuisse in Christo secundùm perfectam & exactam rationem timoris, quia reverà, inquit, ut habet Aristoteles, timor includit incertitudinem eventûs. *Richardus* noster respondet non esse necessariam incertitudinem ad timorem, quando res quæ timetur est in potestate timentis, ut cùm v. g. aliquis eligit scindi sibi brachium, quia ejusmodi scissio est in potestate ejus, non requiritur incertitudo ad hoc ut ille timeat futuram scissionem ; quapropter potuit Christus propriè timere, etiamsi mors non esset incerta ; quia erat in potestate ejus. Ad Aristotelem verò dicit : Timorem includere incertitudinem, quando eventus non est in potestate timentis. *Vasques* approbat hanc solutionem, imò ulteriùs probat incertitudinem nullâ ratione desiderari ad timorem ; quia, inquit, multi Patres, inter quos est S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 13. definivit timorem absque ulla eventûs incertitudine.

Ad authoritatem Arist. respondet ipsum non agere de omni affectu timoris, sed de eo ad quem Rhetores movere debent Auditores : hic autem, inquit, non contingit nisi quando incertus est eventus : quod confirmat ex eo quòd Arist. eò loci loquatur de timore qui locum relinquit consultationi, cujusmodi potest esse solus timor includens incertitudinem eventûs ; quando enim id quod futurum est, omninò certum est & inevitabile, non relinquitur locus consultationi.

Communior verò & melior responsio est, quòd sit duplex timor mali : unus efficax, qui concomitatur desiderium efficax fugiendi malum, & conducit ad applicanda media, quibus vitetur : alius inefficax, qui concomitatur desiderium inefficax fugiendi malum, & non sufficit ad applicationem mediorum efficacium ad ipsum vitandum : ad illum priorem requiritur spes evadendi, & propterea talis timor non fuit in Christo ; ad posteriorem non item, qui propterea Christo tribuitur : *Ex his* colligit ibidem Vasques, Thomistas asserentes in Christi voluntate non fuisse timorem

mortis secundùm veram, propriam & integram rationem timoris, sed tantùm in appetitu illius, gravissimam notam mereri. Est enim, inquit, non solùm contra communem Scholasticorum sententiam, qui docent Christum habuisse voluntatem non moriendi; ac proinde timuisse mortem; sed etiam contra graves Ecclesiæ Patres, qui adversus Apollinarem probant in Christo veram fuisse naturam humanam, mente propriâ & voluntate præditam, & contra Monothelitas in eo reverà fuisse voluntatem humanam, ex eo quòd Christus mortem timuit. Sic Athanasius in lib. de Incarnatione arguens contra Apollinarem, qui negabat in Christo fuisse mentem humanam, ait; *Si id verum esset, quomodo potuit dolere, vel anxius esse, vel orare? scriptum est enim, & conturbatus est spiritu Iesus, &c.* Ex quibus verbis S. Damascenus 3. de Fide cap. 23. probat in Christo verum fuisse timorem: *Quòd autem verè pertimuerit*, inquit, *testis est Athanasius.*

Verè fuit in Christi voluntate timor mortis ut optimè docent SS. Patres.

B

Similiter Gregorius Nyssenus lib. contra Apollinarem sic urget: *Hujusmodi autem sermonis hæsitationi una erit consolatio, vera mysterii confessio: quoniam formidare quidem in passione humanæ fragilitatis est, juxta quod Dominus ait; spiritum promptum esse, carnem autem infirmam: quoniam igitur altera humana voluntas & divina altera est, loquitur quidem ut homo, quod infirmitati carnis congruit.* Item Agatho Papa in Epistola ad Imperatores colligit ex illo Matth. 26. *Tristis est anima mea, &c.* verè humanam in Christo fuisse voluntatem, unde in VI. Synodo *Actione* 18. in Edicto Constantini Pogonati Imperatoris quod approbavit Leo secundus Pontifex, dicitur, *Cùm enim Salvator ad crucis passionem propria voluntate veniret, cœpit tristari & anxiari; hæc enim animæ rationalis & voluntatis proprietates existunt, ut persuadet nobis præclarus Pater Epiphanius in serm. adversus Ariomanitas, ita profectus: à carne enim, inquit, divinitati unita absque animo & mente non fiet agonia.*

C

Tandem S. Damascenus mox laudatus cap. 18. de Humana Christi voluntate sic loquitur; *Permittente siquidem divinâ voluntate, naturaliter ea quæ ipsi propria erant, patiebatur: etenim cùm mortem aversaretur ac detrectaret eam, divinâ ipsius voluntate ita ferente ac sinente naturaliter detrectabat, ac in mortis pavore & trepidatione, versabatur:* Subdit: *Præterea ex infirmitate & pavore Christi firmitatem & fortitudinem nostram dimanasse.* Hinc apparet minùs rectè Caietanum in *art.* 7. *quæstionis* 15. cùm nonnullis recentioribus Thomistis asseruisse tristitiam & timorem duntaxat fuisse in appetitu sensitivo Christi; hoc enim constantissimè petnegant SS. Patres dum ex tristitia & amore, veram in Christo fuisse mentem & voluntatem humanam colligunt.

D

E

Porro S. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 15. sex enumerat species timoris quas omnes affirmat in Christo fuisse: Prima est *Segnities*, quæ est fuga impendentis actionis quam ut molestam apprehendimus: hanc autem fuisse in Christo, constat, nam non solùm ab aliis voluit pati tormenta; sed etiam coactus agere aliquid molestum & laboriosum, ut portare crucem; potuit enim non solùm timere tormenta ab aliis inferenda; verùm etiam tædiô affici de illa molesta actione facienda. Secunda species est *Pudor* qui est timor impressus ob expectationem vituperationis, quem pudorem Christus habere potuit, non quòd admiserit aliquas actiones vituperatione dignas; sed quia opprobriis & vituperiis hominum erat cumulandus. Tertia species, est *Verecundia*, quæ est timor fubdia, ortus ob dedecus: hunc autem timorem in Christo fuisse, constat ex eo quòd sæpè ab hominibus dedecus passus est; siquidem pro nobis factus est maledictus. Quarta est *Stupor*, qui nascitur ex ingenti imaginatione rei nocivæ & disconvenientis: qui fuit in Christo, maximè tempore passionis, *cæpit tædere & mœstus esse*. Quinta est *Terror* ex insueta aliqua specie rei, quem quidem terrorem in Christo fuisse colligitur ratione scientiæ experimentalis; quâ ratione potuit secundùm illam scientiam res acerbas brevi sustinendas & patiendas non solùm mirari, sed etiam stupere. Sexta denique est *Agonia*, quæ est timor de improviso malo quod prævideri non potest; Hæc autem non potuit esse in Christo secundùm rei veritatê, sed duntaxat secundùm signa apparentia; nisi fortè agoniam definias cum quibusdam linguæ latinæ peritis, dicendo quòd illa sit timor cum trepidatione membrorum: qualem in Christo reverà fuisse non diffentirem, utpote cùm S. Lucas dixerit cap. 22. *Factus in agonia prolixiùs orabat.*

Sex species timoris ex S. Damasceno.

1. Segnities.

2. Pudor.

3. Verecundia.

4. Stupor.

5. Terror.

6. Agonia.

Conclusio Quarta.

Ira fuit in Christo D. Quod utique colligitur ex illo Joan. 2. ubi narratur eum fecisse flagellum de funiculis & ejecisse vendentes & ementes de templo. Addit autem Joan. *Recordati sunt verò Discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domûs tuæ comedit me*: nam ut etiam refert S. Marcus cap. 3. cùm Pharisæi Christum observarent, si curaret sabbatis, ut damnarent illum, & accusarent quasi transgressorem, tunc ait homini habenti manum aridam: *Surge in medium; & dicit eis, Licet sabbatis bene facere, an malè? animam salvam facere, an perdere? at illi tacebant, & sic conspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam, &c.* igitur verà Christus habuit motum iræ.

ChristusD. habuit motum iræ.

Observat autem Seraphicus Doctor *quæst.* 3. *art.* 2. *dist.* 5. quòd ira unô modô dicit purè affectionem: & sic dicitùr ira affectus detestationis alicujus mali; vel apparentis mali; aliô modô ira dicit affectum cum pœna: & sic ira habet perturbationem, & inquietationem annexam; hoc autem potest esse in triplici differentia, quia aut perturbatio illa solùm tangit potentias inferiores, & nullo modo tangit oculum mentis ad tempus turbando, sed non excedendo: aut oculum mentis attingit ipsum perturbando, & obnubilando, & secundùm hæc, motus iræ in quadruplici differentia reperitur, secundùm quòd colligitur ex dictis Sanctorû. *Unô modô* purè dicit effectum detestationis, & hôc modô potuisset esse in Adam in statu innocentiæ. *Aliô modô* dicit modum detestationis cum inquietatione & perturbatione partis sensualis, sine aliqua perturbatione mentis; & hôc modô fuit in Christo affectio iræ: sicut enim dicit Evangelium: infremendo conturbavit seipsum. *Tertiô modô*, dicit affectum detestationis cum commotione & perturbatione; non solùm partis sensualis, sed etiam rationis ad tempus: & hôc modô reperitur in viris justis, qui irascuntur irâ per zelum, de quibus dicit Gregorius, quòd inde mens perturbata proficit, ut clarescat: sicut oculus per collyrium immissum ad tempus turbatur, ut postmodùm clarior efficiatur. *Quartô modô*, ira dicit affectum detestationis cum commotione sensualitatis, & etiam mentis; ita quòd commotio illa

Duplex ira ex Seraphico Doctore.

„ illa habet secum perturbationem mentis annexam, vel ad illam est ordinata: & sic est ira per virium, & reperitur in peccatoribus, & prohibetur à Domino. „

DISPUTATIO TERTIA.

De dignitate, ministerio, & cultu Christi Domini.

EXAMINATIS, & quantùm pro modulo nostro licuit, abundè declaratis iis omnibus, quæ spectant ad incarnati Verbi mysterium & excellentias, jam supersunt declarandæ ac discutiendæ illius dignitates, functiooes & debita veneratio. Quanquam autem omnes illæ Christi Domini dotes plurimæ sint, variaque ipsius ministeria, & multiplex ei cultus exbibendus; nihilominus quoniam hæc omnia non ita difficilem investigationem ac resolutionem præ se ferunt, idcirco supersedentes ab ampliori & longiori discussione, hæc omnia præsenti hâc postremâ disputatione tribus in seqoentibus Articulis proponemus & expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De dignitatibus Christi.

I. Pluribus titulis Christus insignitus est, sed præcipuè Capitis, Judicis & Regis.

CHRISTUM innumeris gloriæ titulis fulgere, utpote Deum & hominem omnibus præcellentius illustrem, nemo est qui deneget; attamen ut eas omnes certum in ordinem perstringamus, triplici potissimùm titulô *Capitis, Regis* & *Iudicis* illas comprehendemus & explicabimus in totidem Sectionibus subjiciendis.

SECTIO PRIMA.

De dignitate Capitis.

CHRISTUM Ecclesiæ caput esse non uno in loco prodidit Apostolus Paulus, ut in Epistola ad Ephes. cap. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam quæ est corpus ipsius.* Et cap. 15. *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et in priore ad Cor. cap. 11. *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput verò Christi Deus.* Et in Epistola ad Coloss. cap. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.* Quæ omnia quanquā certissima sint & apertissima, nihilominùs non ita liquidò constat qualiter Christus sit caput totius Ecclesiæ, an videlicet hanc dignitatem sibi vendicet quà homo, non solùm in homines justos, ac prædestinatos, sed etiam in infideles, peccatores & reprobos, imò & in Angelos tam bonos quàm malos; quas utique difficultates tribus in sequentibus Quæstionibus explanabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

An & per quid Christus ut homo, constituatur caput omnis Ecclesiæ?

II. Christus quatenus Deus, est caput Ecclesiæ.

NOtandum primò: extra controversiam esse quòd Christus sit Ecclesiæ caput ratione Divinitatis, sicut & duæ aliæ divinæ personæ; sed dubium est an præcisè quatenus homo hanc dignitatem sibi vendicet, non quidem usurpando particulam illam *quatenus* reduplicativè, sed duntaxat specificativè. Enimverò si reduplicativè sumeretur, sensus esset quòd Christus diceretur Ecclesiæ caput propter suam humanitatem, quasi humanitas esset ratio formalis cur Ecclesiæ caput appellaretur, quod apertè falsum est; alioqui hâc ipsâ ratione quilibet homo veram habens humanitatem, censendus esset Ecclesiæ caput: sumendo autem illam particulam *quatenus homo*, specificativè, sensus est quòd ratio illa capitis Ecclesiæ, ita Christo conveniat, ut per humanitatem capitis munus impleat, & officium exequatur in universam Ecclesiam, non solùm in terris militantem & triumphantem in cœlis, sed etiam in purgatorio lugentem & patientem.

III. Quatuor conditiones ad rationē capitis mystici desideratæ.

Notandum secundò; ad rationem capitis moralis & mystici quatuor maximè conditiones desiderari, juxta proportionem & analogiam ad caput naturale, cui in ordine ad sua membra quatuor hæc potissimum competunt. *Primum* est, illius cum membris ac toto corpore summa conjunctio, quæ ex ambobus unum efficit. *Secundum* est, principatus ejusdem & eminentia, quâ cunctis antecellens, ipsis velut ex arce quadam prospiciens consulit ac moderatur. *Tertium* est, vivifica virtus propter sensus internos & spiritus ac nervorum originem, quibus mediantibus cæteris membris vitam & motum tribuit. *Quartum* denique, est conformitas naturalis quam habet cum cæteris membris, quibuscum tantô tamque arcto fœdere jungitur & sociatur, ut eorum omnium vel voluptatem, vel dolorem quasi proprium excipiat. Quæritur autem, an quatuor hæc per metaphoram & analogiam, ita Christo competant, ut reverà censeatur Ecclesiæ caput.

Notandum tertiò: quòd etsi Theologi omnes conveniant Christum reverà esse Ecclesiæ caput, non consentiunt tamen de ratione formali, per quam hæc dignitas ipsi competit, an videlicet per gratiam duntaxat aut unionis, aut habitualem, aut actualem; an verò ad constituendum illum formaliter in ratione capitis sit opus aliquô aliô,

scilicet dignitate aliqua & potestate, quæ sit ratio formalis constituendi eum in ratione talis capitis, sicut v. g. ultra cognitionem legum & constitutionum notitiam, item bonos mores, opus est judici authoritate & potestate commissâ, ut constituatur formaliter in ratione judicis.

Status quæstionis.

Duo itaque in præsenti quæstione sunt determinanda. *Primum*, an reverà Christus propriè dicatur Ecclesiæ caput. *Secundum*, per quid formaliter hæc dignitas ei competat, an duntaxat per gratiam unionis, an per gratiam sanctificantem, an vero per aliquam authoritatem ab hac utraque gratia distinctam?

Conclusio Prima.

IV. Christus etiam ut homo, est caput Ecclesiæ.

Christus verè & propriè est Ecclesiæ caput quatenus homo. Constat hæc veritas ex præfatis Scripturæ textibus, quibus Apostolus constantissimè Christum Ecclesiæ caput appellat; quod utique non faceret, si revera Christum verè ac propriè caput Ecclesiæ appellandum non existimaret. Probatur insuper ex eodem docente ad Rom. cap. 12. & 1. ad Cor. 12. Ecclesiam esse corpus Christi mysticum; *Sicut enim*, inquit, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi sumus unum corpus in Christo:* sed omne corpus non solùm aliis membris, verùm etiam capite constare debet; alioqui monstruosum foret & inane: igitur Ecclesia necessariò debet habere aliquod caput: at nullum aliud habere potest præter Christum: igitur Christus est propriè caput Ecclesiæ.

Habet enim conditiones ad caput mysticum desideratas.

Quod autem Apostolus loquatur de Christo ut homine in his omnibus textibus, quibus eum Ecclesiæ caput prædicat, colligitur ex antecedentibus & consequentibus verbis; in eis enim textibus semper aliquid præcedit vel sequitur, quod Christum ut hominem sapiat. Sic in primo cap. ad Ephes. priùs dicit Apostolus *suscitans illum à mortuis, &c.* Quibus, ut videre est, cùm addit Christum à Patre constitutum esse caput Ecclesiæ, loquitur de Christo ut homine.

Favet etiam ratio: Ille enim reverà caput est morale ac mysticum Ecclesiæ, cui competunt quatuor conditiones ad caput mysticum desiderandæ: at illæ mirum in modum Christo ut homini conveniunt.

1. Cum membris unum efficit.

Primò namque tam arcta est Christi capitis cum suis membris conjunctio, ut unum cum eis efficiat, ut docet Apostolus ad Rom. cap. 12. dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Quibus verbis tantam esse conjunctionem Christi cum Ecclesia significat, *ut ipsum corpus Christi non dubitet Christum veraciter appellare*, inquit S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap. 9. Quod etiam S. Augustinus passim testimoniô suô confirmat; velut ad Psalmum 127. &c. *Multi homines sunt*, inquit, *& unus homo est. Multi enim Christiani & unus Christus. Non ille unus, & nos multi; sed & nos multi in illo uno unum. Vnus ergo homo Christus caput & corpus: quod est corpus ejus? Ecclesia ejus, dicente Apostolô, quoniam membra sumus corporis ejus: &, Vos autem estis corpus Christi, & membra: intelligamus ergo vocem hujus hominis, in cujus corpore unus sumus homo.*

2. Tanquã princeps in eminente loco positus corpus suum regit.

Secundo, Christus tanquam caput in eminenti loco, & quadam arce collocatus, peculiari providentiâ regit corpus suum, & Ecclesiam gubernat, ac per prospera & adversa mirabili sapientiâ, fideles ad destinatum finem æternæ felicitatis adducit: *Est enim Salvator omnium hominum, maximè fidelium*, ut scribit Apostolus: qui & hoc insuper solatii plenum addit ac fiduciæ: *Siquis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quid est autem domesticum magis ac proprium capiti, quàm corpus suum; imòquia est ipsum sibi? Est autem, ut proximè antè ex Augustino demonstratum est, unus homo Christus caput & corpus. Hoc est fideles, & in Ecclesia censiti, qui sunt domistici Dei. Sed in hoc argumento diutiùs hærere non est præsentis instituti.

3. Corpus Ecclesiæ vivificat & protegit.

Tertium capitis insigne est, ut in corpus universum membraque sua vim quandam vivificam, & ad sui conservationem necessaria subsidia diffundat: quam quidem ob causam in capite tanquam in fonte, ac thesauro, larga debet inesse copia, & opulentia quædam omnium, quæ ad corpus tuendum, vegetandum, & animandum necessaria sunt. Sic in spiritali Ecclesiæ capite Christo, plenitudo omnis inhabitat: in eòque sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Inde totum in corpus, ac singula membra vitalis gratiæ succus, ac cœlestium donorum, & auxiliorum inexhausta vis, & ubertas profunditur. Nam nulla nisi per Christum, & ab Christo, velut unicô, ac generali principiô, gratia quantumlibet tenuis, & exilis, aspergitur: quod alio in loco ex Augustini præsertim authoritate pleniùs approbavimus. Hinc secundus Adam appellari solet Christus Dominus: quod ut ille caput, id est, auctor, & sator humanæ secundùm carnem propaginis fuit: sic alterius ac multò præstantioris ortûs, hoc est, spiritalis vitæ largitor ac parens iste successit.

4. Conformitatem habet cum suis membris.

Tandem in Christo est conformitas naturæ cum ipsis membris Ecclesiæ: habet enim naturam humanam ejusdem speciei cum nostra, & per omnia Patribus voluit assimilari, in iis quæ naturalia sunt, ut arctius cum hominibus commercium haberet; quo fit ut ratione hujus conditionis maximè dicatur caput Ecclesiæ, quatenus est homo, non verò quatenus est Deus, licèt quatenus Deus sit caput primarium, vitam gratiæ & gloriæ Ecclesiæ membris influens.

Trinitas est communiter caput Ecclesiæ,

Hinc apprimè notat Alens. noster quæst. 12. art. 1. quòd caput Ecclesiæ dicitur communiter & propriè; *communiter* quidem, tota Trinitas censetur Ecclesiæ caput; tota enim Trinitas, inquit, movet & regit Ecclesiam, & infundit ei gratiam quâ sentiat per fidem & moveatur per charitatem, unde in ratione regentis & influentis se habet ad ipsam: secundùm verò humanitatem Christus *propriè* dicitur caput, quia hôc modô se habet ad Ecclesiam secundùm rationem conformitatis ad ipsam per gratiam & naturam: unde glossa in illud, Ipsum dedit caput, &c. ait, Propterea dicitur caput secundùm humanitatem: secundùm quam ei conjungitur Ecclesia, natura, & gratia.

V. Unde licèt Spiritus sanctus nobis dicatur conferre omnem vitam spiritalem

Observat secundo, quòd licèt Spiritus sanctus dicatur principium & fons influens, ac in nos derivans omnem gratiæ plenitudinem, & per eum omnis motus & sensus vitæ spiritualis habeatur; attamen dici non potest propriè caput Ecclesiæ; quia, inquit, potest aliquis dici caput Ecclesiæ *vel* per rationem influentiæ tantùm, *vel* per rationem influentiæ & per conformitatem naturæ: *Primô modô* Trinitas dicitur caput Ecclesiæ;

non tamen est propriè caput: non enim habet conformitatem in natura, sed tantùm propriè dicitur cor Ecclesiæ.

» scilicet secundùm rationem influentiæ sensûs fidei & motûs charitatis: *Secundô modô* dicitur Christus Ecclesiæ caput secundùm humanitatem, quia ei conjungitur per naturam & gratiam. Primô modô, quatenus Deus, dicitur caput minùs propriè. Secundô modô, nempe penes humanitatem, dicitur caput magis propriè: soli ergo Christo competit propriè esse caput Ecclesiæ, hoc est, secundùm rationem influentiæ & conformitatem naturæ, & hoc secundùm humanitatem: Trinitati verò & Christo secundùm Divinitatem convenire esse Ecclesiæ caput minùs propriè: hoc est secundùm rationem influentiæ tantùm: Patri verò & Spiritui sancto communiter, & etiam minùs propriè. Hæc Alensis. Unde influentia Spiritûs sancti potiùs assimilatur influentiæ *cordis*, quàm *capitis*: quia influentia cordis est invisibilis & occulta; influentia verò capitis visibilis & apparens ratione sensuum exteriorum in capite existentium, & in eo præcipua sua munia obeuntium, ideoque Christus influens in membra sensibiliter & apparenter per mortem & sacramenta, dici debet Ecclesiæ caput: Spiritus sanctus autem, quia influit invisibiliter & occultè, scilicet per internas inspirationes, rectiùs cordi quàm capiti comparatur.

Conclusio Secunda.

IV.

Christus non est Ecclesiæ caput per gratiam personalem aut sanctificantem nec divisim, nec conjunctim sumptam.

Christus non constituitur formaliter Ecclesiæ caput per gratiam unionis seu personalem; nec per gratiam habitualem & sanctificantem divisim aut conjunctim: sed per dignitatem, aut potestatem quam Deus illi contulit in omnes Angelos & homines. Hæc conclusio duabus partibus constat, quarum *prima probatur*; nempe quòd non sit Ecclesiæ caput formaliter per gratiam personalem, aut sanctificantem. Per id constituitur formaliter Ecclesiæ caput, per quod præfecturam & dominium obtinet in universa Ecclesiæ membra: at per neutram gratiam id obtinet: igitur, &c. Major constat, quia esse formaliter caput, est habere potestatem in alios, tam quoad influxum gratiæ & donorum supernaturalium, quàm quoad directionem, imperium, & gubernationem.

Nullum enim in alios conferunt dominium.

Minor verò probatur: Primò de gratia habituali, quia gratia habitualis Christi est ejusdem speciei cum nostra: igitur sicut nostra sanctificans non alium in nobis habet effectum, quàm ut efficiat nos justos & Deo gratos, ac ab eo acceptos ad hæreditatem æternam; nullum verò nobis in alios dominium & præfecturam confert: ita nec hâc ratione Christus potuit habere præfecturam in cætera Ecclesiæ membra.

Idem etiam patet de gratia unionis, quia hæc secundùm se duo tantùm confert humanitati assumptæ; nempe terminationem illius communicabilitatis, & sanctitatem substantialem: at nec illa sanctitas, nec terminatio conferunt per se ullum dominium in Ecclesiæ membra: igitur, &c.

V.

Sed per potestatem sibi à Deo in homines & Angelos collatam.

Quòd etiam conjunctim illæ duæ gratiæ id non conferant constat; quia etiamsi separaretur ab humanitate Christi Verbum divinum, & solveretur unio hypostatica, nihilominus Christus remanere posset Ecclesiæ caput, si cum perseverante in se gratia habituali, haberet sibi à Deo concessam authoritatem in cætera Ecclesiæ membra.

Probatur etiam altera pars, nempe quòd Christus sit Ecclesiæ caput per potestatem sibi divinitùs concessam tam in homines, quàm in Angelos: Probatur, inquam, ex illo ad Ephes. 1. ubi Apostolus postquam de Christo dixit, quod Deus *omnia subjecit sub pedibus ejus*, statim addit: *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, &c.* nec-non ex illo ad Heb. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: Sic Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, &c.* Ex quibus locis colligere licet Apostolum significare, quòd Christus dignitatem & potestatem capitis ac Pontificis sibi peculiarem habuit ab æterno Patri concessam; tanquam quid distinctum à gratia personali & sanctificante.

VI.

Superiùs tamen dictæ gratiæ requiruntur in Christo ad suum capitis munus ritè obeundum.

Nihilominus hæc utraque gratia requiritur ad munus capitis implendum, non secus ac perfecta juris & consuetudinum notitia, morum probitas & summa eruditio desideratur in judice; nam sicut illæ omnes conditiones & perfectiones hominem reddunt idoneum, ut à Rege instituatur Judex, & ut debitè judicis munus impleat: sic gratia sanctificans & personalis Christum efficiebant dignum, qui à Deo hominum & Angelorum caput institueretur. Et quemadmodum illæ judicis præcellentiæ nullam per se authoritatem Judici conferunt: ita nec gratia personalis & sanctificans conferebant Christo dignitatem capitis. Sed sicut necessum est, ut judici præter eximiam notitiam & morum probitatem conferatur à Rege authoritas judicandi: ita necessum est, ut etiam Christo præter gratiam personalem & sanctificantem accedat sibi ab æterno Patre concessa capitis authoritas, per quam tam homines quàm Angeli ipsi subjiciantur & à Deo bonorum omnium Oceano omnis vitæ spiritualis sensus & motus in ipsos homines & Angelos per Christum deriventur.

VII.

Sicuti judicialis dignitas nihil importat physicum, sed duntaxat aliquid morale: ita & capitalis dignitas.

Denique, quemadmodum judicis dignitas nihil physicum importat, sed duntaxat aliquid morale, nempe meram Regis deputationem ad istud munus obeundum: ita nec dignitas capitis aliquid physicum imprimit Christo, sed significat solam deputationem Christi à Deo quam potest actu & formaliter exercere in Angelos & homines in quos de facto influit, aut influere potest vitam & motum gratiæ.

Petes: An Christus æquè propriè dici possit cor Ecclesiæ ac dicitur caput.

VIII.

» Triplex animæ vis in corpus, naturalis, vitalis, animalis.

Respondet Alensis locô suprà laudatô ex authore libri de anima & spiritu apud S. Augustinum, quòd triplex est vis animæ ad corpus, scilicet vis naturalis, quæ operatur in hepate: & vis vitalis quæ operatur in corde: & vis animalis quæ operatur in cerebro. *Vis naturalis* dicitur illa, quæ est nutritiva: sicut digestiva, retentiva, expulsiva, & augmentativa. *Vis vitalis*, quæ operatur in corde, est illa, unde est motus cordis continuè. *Vis animalis* est illa quæ operatur in cerebro, unde est motus & sensus in membris: & secundùm hoc dividuntur motus & spiritus, qui sunt vehicula virtutum, scilicet in spiritum vitalem, naturalem, & animalem: sed operationes virtutis naturalis omninò sunt involuntariæ: nec subjectæ sunt rationi: operationes animales omninò subjectæ sunt rationi: & ideo recipiunt imperium ab ipsa: Operationes vitales partim sunt subjectæ rationi, partim non: & ideo partim sunt voluntariæ, partim naturales. Secundùm hoc ergo dicendum; quòd ille motus, qui est à Christo capite in corpus Ecclesiæ, est omninò secundùm motum voluntarium, qui simpliciter non est na-

IX.

» Non dicitur autem Christus cor Ecclesiæ, sed tantum caput.

scilicet dignitate aliqua & potestate, quæ sit ratio formalis constituendi eum in ratione talis capitis, sicut v. g. ultra cognitionem legum & constitutionum notitiam, item bonos mores, opus est judici authoritate & potestate commissâ, ut constituatur formaliter in ratione judicis.

Status quæstionis.

Duo itaque in præsenti quæstione sunt determinanda. *Primum*, an reverà Christus propriè dicatur Ecclesiæ caput. *Secundum*, per quid formaliter hæc dignitas ei competat, an duntaxat per gratiam unionis, an per gratiam sanctificantem, an verò per aliquam authoritatem ab hac utraque gratia distinctam?

Conclusio Prima.

IV. Christus etiam ut homo, est caput Ecclesiæ.

Christus verè & propriè est Ecclesiæ caput quatenus homo. Constat hæc veritas ex præfatis Scripturæ textibus, quibus Apostolus constantissimè Christum Ecclesiæ caput appellat; quod utique non faceret, si revera Christum verè ac propriè caput Ecclesiæ appellandum non existimaret. Probatur insuper ex eodem docente ad Rom cap. 12. & 1. ad Cor. 12. Ecclesiam esse corpus Christi mysticum; *Sicut enim*, inquit, *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi sumus unum corpus in Christo:* sed omne corpus non solùm aliis membris, verùm etiam capite constare debet; alioqui monstruosum foret & inane: igitur Ecclesia necessariò debet habere aliquod caput: at nullum aliud habere potest præter Christum: igitur Christus est propriè caput Ecclesiæ.

Habet eo in conditiones ad caput mysticum desideratas.

Quod autem Apostolus loquatur de Christo ut homine in his omnibus textibus, quibus eum Ecclesiæ caput prædicat, colligitur ex antecedentibus & consequentibus verbis; in eis enim textibus semper aliquid præcedit vel sequitur, quod Christum ut hominem sapiat. Sic in primo cap. ad Ephes. priùs dicit Apostolus *suscitans illum à mortuis, &c.* Quibus, ut videre est, cùm addit Christum à Patre constitutum esse caput Ecclesiæ, loquitur de Christo ut homine.

Favet etiam ratio: Ille enim reverà caput est morale ac mysticum Ecclesiæ, cui competunt quatuor conditiones ad caput mysticum desiderandæ: at illæ mirum in modum Christo ut homini conveniunt.

1. Cum membris unum efficit.

Primò namque tam arcta est Christi capitis cum suis membris conjunctio, ut unum cum eis efficiat, ut docet Apostolus ad Rom. cap. 12. dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Quibus verbis tantam esse conjunctionem Christi cum Ecclesia significat, *ut ipsum corpus Christi non dubite: Christum veraciter appellare*, inquit S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap. 9. Quod etiam S. Augustinus passim testimoniô suô confirmat; velut ad Psalmum 127. &c. *Multi homines sunt*, inquit, *& unus homo est. Multi enim Christiani & unus Christus. Non ille unus, & nos multi; sed & nos multi in illo uno unum. Vnus ergo homo Christus caput & corpus: quod est corpus ejus? Ecclesia ejus, dicente Apostolô, quoniam membra sumus corporis ejus: &, Vos autem estis corpus Christi, & membra: intelligamus ergo vocem hujus hominis, in cujus corpore unus sumus homo.*

2. Tanquã princeps in eminente loco positus corpus suum regit.

Secundo, Christus tanquam caput in eminenti loco, & quadam arce collocatus, peculiari providentiâ regit corpus suum, & Ecclesiam gubernat, ac per prospera & adversa mirabili sapientiâ, fideles ad destinatum finem æternæ felicitatis adducit: *Est enim Salvator omnium hominum, maximè fidelium*, ut scribit Apostolus: qui & hoc insuper solatii plenum addit ac fiduciæ: *Siquis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quid est autem domesticum magis ac proprium capiti, quàm corpus suum; imòquia est ipsum sibi? Est autem, ut proximè antè ex Augustino demonstratum est, unus homo Christus caput & corpus. Hoc est fideles, & in Ecclesia censiti, qui sunt domistici Dei. Sed in hoc argumento diutiùs hærere non est præsentis instituti.

3. Corpus Ecclesiæ vivificat & protegit.

Tertium capitis insigne est, ut in corpus universum membraque sua vim quandam vivificam, & ad sui conservationem necessaria subsidia diffundat: quam quidem ob causam in capite tanquam in fonte, ac thesauro, larga debet inesse copia, & opulentia quædam omnium, quæ ad corpus tuendum, vegetandum, & animandum necessaria sunt. Sic in spiritali Ecclesiæ capite Christo, plenitudo omnis inhabitat: in eôque sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Inde totum in corpus, ac singula membra vitalis gratiæ succus, ac cœlestium donorum, & auxiliorum inexhausta vis, & ubertas profunditur. Nam nulla nisi per Christum, & ab Christo, velut unicô, ac generali principiô, gratia quantumlibet tenuis, & exilis, aspergitur: quod alio in loco ex Augustini præsertim authoritate pleniùs approbavimus. Hinc secundus Adam appellari solet Christus Dominus: quod ut ille caput, id est, auctor, & sator humanæ secundùm carnem propaginis fuit: sic alterius ac multò præstantioris ortûs, hoc est, spiritalis vitæ largitor ac patens iste successit.

4 Conformitatem habet cum suis membris.

Tandem in Christo est conformitas naturæ cum ipsis membris Ecclesiæ: habet enim naturam humanam ejusdem speciei cum nostra, & per omnia Patribus voluit assimilari, in iis quæ naturalia sunt, ut arctius cum hominibus commercium haberet; quo fit ut ratione hujus conditionis maximè dicatur caput Ecclesiæ, quatenus est homo, non verò quatenus est Deus, licèt quatenus Deus sit caput primarium, vitam gratiæ & gloriæ Ecclesiæ membris influens.

Trinitas est communiter caput Ecclesiæ.

Hinc apprimè notat Alens. noster quæst. 12. art. 1. quòd caput Ecclesiæ dicitur communiter & propriè; *communiter* quidem, tota Trinitas censetur Ecclesiæ caput; tota enim Trinitas, inquit, movet & regit Ecclesiam, & infundit ei gratiam quâ sentiat per fidem & moveatur per charitatem, unde in ratione regentis & influentis se habet ad ipsam: secundùm verò humanitatem Christus *propriè* dicitur caput, quia hôc modô se habet ad Ecclesiam secundùm rationem conformitatis ad ipsam per gratiam & naturam: unde glossa in illud, Ipsum dedit caput, &c. ait, Propterea dicitur caput secundùm humanitatem: secundùm quam ei conjungitur Ecclesia, natura, & gratia.

V. Unde licèt Spiritus sanctus nobis dicatur conferre omnem vitam spiritalem

Observat secundò, quòd licèt Spiritus sanctus dicatur principium & fons influens, ac in nos derivans omnem gratiæ plenitudinem, & per eum omnis motus & sensus vitæ spiritualis habeatur; attamen dici non potest propriè caput Ecclesiæ; quia, inquit, potest aliquis dici caput Ecclesiæ *vel* per rationem influentiæ tantùm, *vel* per rationem influentiæ & per conformitatem naturæ: *Primô modô* Trinitas dicitur caput Ecclesiæ;

non tamen est propriè caput: non enim habet conformitatem in natura, sed tantùm propriè dicitur cor Ecclesiæ.

ſcilicet ſecundùm rationem influentiæ ſenſûs fidei & motûs charitatis: *Secundò modò* dicitur Christus Eccleſiæ caput ſecundùm humanitatem, quia ei conjungitur per naturam & gratiam. Primô modô, quatenus Deus, dicitur caput minùs propriè. Secundô modô, nempe penes humanitatem, dicitur caput magis propriè: ſoli ergo Chriſto competit propriè eſſe caput Eccleſiæ; hoc eſt, ſecundùm rationem influentiæ & conformitatem naturæ, & hoc ſecundùm humanitatem: Trinitati verò & Chriſto ſecundùm Divinitatem convenit eſſe Eccleſiæ caput minùs propriè: hoc eſt ſecundùm rationem influentiæ tantùm: Patri verò & Spiritui ſancto communiter, & etiam minùs propriè. Hæc Alenſis. Unde influentia Spiritûs ſancti potiùs aſſimilatur influentiæ *cordis*, quàm *capitis*; quia influentia cordis eſt inviſibilis & occulta; influentia verò capitis viſibilis & apparens ratione ſenſuum exteriorum in capite exiſtentium, & in eo præcipua ſua munia obeuntium, ideoque Chriſtus influens in membra ſenſibiliter & apparenter per mortem & ſacramenta, dici debet Eccleſiæ caput: Spiritus ſanctus autem, quia influit inviſibiliter & occultè, ſcilicet per internas inſpirationes, rectiùs cordi quàm capiti comparatur.

Conclusio Secunda.

IV. Christus non eſt Eccleſiæ caput per gratiam perſonalem aut ſanctificantem nec diviſim, nec conjunctim ſumptam.

Chriſtus non conſtituitur formaliter Eccleſiæ caput per gratiam unionis ſeu perſonalem: nec per gratiam habitualem & ſanctificantem diviſim aut conjunctim: ſed per dignitatem, aut poteſtatem quam Deus illi contulit in omnes Angelos & homines. Hæc concluſio duabus partibus conſtat, quarum *prima probatur*: nempe quòd non ſit Eccleſiæ caput formaliter per gratiam perſonalem, aut ſanctificantem. Per id conſtituitur formaliter Eccleſiæ caput, per quod præfecturam & dominium obtinet in univerſa Eccleſiæ membra: at per neutram gratiam id obtinet: igitur, &c. Major conſtat, quia eſſe formaliter caput, eſt habere poteſtatem in alios, tam quoad influxum gratiæ & donorum ſupernaturalium, quàm quoad directionem, imperium, & gubernationem. D Minor verò probatur: Primò de gratia habituali, quia gratia habitualis Chriſti eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtra: igitur ſicut noſtra ſanctificans non alium in nobis habet effectum, quàm ut efficiat nos juſtos & Deo gratos, ac ab eo acceptos ad hæreditatem æternam; nullum verò nobis in alios dominium & præfecturam confert: ita nec hâc ratione Chriſtus potuit habere præfecturam in cætera Eccleſiæ membra.

Nullum enim in alios conferunt dominium.

Idem etiam patet de gratia unionis, quia hæc ſecundùm ſe duo tantùm confert humanitati aſſumptæ; nempe terminationem illius commu- E nicabilitatis, & ſanctitatem ſubſtantialem: at nec illa ſanctitas, nec terminatio conferunt per ſe ullum dominium in Eccleſiæ membra: igitur, &c.

V. Sed per poteſtatem ſibi à Deo in homines & Angelos collatam.

Quòd etiam conjunctim illæ duæ gratiæ id non conferant conſtat; quia etiamſi ſepararetur ab humanitate Chriſti Verbum divinum, & ſolveretur unio hypoſtatica, nihilominus Chriſtus remanere poſſet Eccleſiæ caput, ſi cum perſeverante in ſe gratia habituali, haberet ſibi à Deo conceſſam authoritatem in cætera Eccleſiæ membra.

Probatur etiam altera pars, nempe quòd Chriſtus ſit Eccleſiæ caput per poteſtatem ſibi divini- A tùs conceſſam tam in homines, quàm in Angelos: Probatur, inquam, ex illo ad Epheſ. 1. ubi Apoſtolus poſtquam de Chriſto dixit, quod Deus *omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*, ſtatim addit: *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, &c.* nec-non ex illo ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: Sic Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, &c.* Ex quibus locis colligere licet Apoſtolum ſignificare, quòd Chriſtus dignitatem & poteſtatem capitis ac Pontificis ſibi peculiarem habuit ab æterno Patri conceſſam; tanquam quid diſtinctum à gratia perſonali & ſan- B ctificante.

VI. Superiùs tamen dictæ gratiæ requiruntur in Chriſto ad ſuum capitis munus ritè obeundum.

Nihilominus hæc utraque gratia requiritur ad munus capitis implendum, non ſecus ac perfecta juris & conſuetudinum notitia, morum probitas & ſumma eruditio deſideratur in judice; nam ſicut illæ omnes conditiones & perfectiones hominem reddunt idoneum, ut à Rege inſtituatur Judex, & ut debitè judicis munus impleat: ſic gratia ſanctificans & perſonalis Chriſtum efficiebant dignum, qui à Deo hominum & Angelorum caput inſtitueretur. Et quemadmodum illæ judicis præcellentiæ nullam per ſe authoritatem Judici conferunt: ita nec gratia perſonalis & ſanctificans conferebant Chriſto dignitatem capitis. Sed ſicut neceſſum eſt, ut judici præter eximiam notitiam & morum probitatem conferatur à Rege authoritas judicandi: ita neceſſum eſt, ut etiam Chriſto præter gratiam perſonalem & ſanctificantem accedat ſibi ab æterno Patre conceſſa capitis authoritas, per quam tam homines quàm Angeli ipſi ſubjiciantur & à Deo bonorum omnium Oceano omnis vitæ ſpiritualis ſenſus & motus in ipſos homines & Angelos per Chriſtum deriventur. Denique, quemadmodum judicis dignitas nihil phyſicum importat, ſed duntaxat aliquid morale, nempe meram Regis deputationem ad iſtud munus obeundum: ita nec dignitas capitis aliquid phyſicum imprimit Chriſto, ſed ſignificat ſolam deputationem Chriſti à Deo quam poteſt actu & formaliter exercere in Angelos & homines in quos de facto influit, aut influere poteſt vitam & motum gratiæ.

VII. Sicuti judicialis dignitas nihil importat phyſicum, ſed duntaxat aliquid morale: ita & capitalis dignitas.

Petes: An Chriſtus æquè propriè dici poſſit cor Eccleſiæ ac dicitur caput.

VIII. Triplex animæ vis in corpus, naturalis, vitalis, animalis.

Reſpondet Alenſis locô ſuprà laudatô ex authore libri de anima & ſpiritu apud S. Auguſtinum, quòd triplex eſt vis animæ ad corpus, ſcilicet vis naturalis, quæ operatur in hepate: & vis vitalis quæ operatur in corde: & vis animalis quæ operatur in cerebro. *Vis naturalis* dicitur illa, quæ eſt nutritiva: ſicut digeſtiva, retentiva, expulſiva, & augmentativa. *Vis vitalis*, quæ operatur in corde, eſt illa, unde eſt motus cordis continuè. *Vis animalis* eſt illa quæ operatur in cerebro, unde eſt motus & ſenſus in membris: & ſecundùm hoc dividuntur motus & ſpiritus, qui ſunt vehicula virtutum, ſcilicet in ſpiritum vitalem, naturalem, & animalem: ſed operationes virtutis naturalis omninò ſunt involuntariæ: nec ſubjectæ ſunt rationi: operationes animales omninò ſubjectæ ſunt rationi: & ideo recipiunt imperium ab ipſa: Operationes vitales partim ſunt ſubjectæ rationi, partim non: & ideo partim ſunt voluntariæ, partim naturales. Secundùm hoc ergo dicendum; quòd ille motus, qui eſt à Chriſto capite in corpus Eccleſiæ, eſt omninò ſecundùm motum voluntarium, qui ſimpliciter non eſt na-

IX. Non dicitur autem Chriſtus cor Eccleſiæ, ſed tantum caput.

» turalis, vel vitalis: ideo potius debet dici Christus caput Ecclesiæ metaphoricè secundùm illum motum, quàm cor vel hepar.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo Christus sit caput omnium prorsus hominum?

I. *Homines possunt considerari quadruplici in statu: nempe beatitudinis, damnationis, peregrinationis & purgationis.*

NOtandum primò homines universim spectari posse in quadruplici statu, scilicet beatitudinis, damnationis, peregrinationis, & purgationis. *Primus status* comprehendit omnes Beatos, qui intuitivâ Dei visione & amore præstantissimo potiuntur, eiusque æternâ voluptate ac fœlicitate fruuntur. *Secundus status* involvit eos omnes qui cruciatibus æternis addicti sunt, nec ullam spem habent beatitudinis assequendæ. *Tertius* complectitur omnes homines viatores sive justos, sive peccatores; sive fideles actu aut potestate, seu qui de facto fidem habent, aut qui illam aliquando accepturi sunt; sive infideles actu qui aliquando fide sunt illustrandi, sive infideles potestate, seu eos omnes qui in infidelitate degentes nusquam veritatis luce sunt illuminandi. *Quartus* denique status significat omnes animas degentes in Purgatorio, habentes quidem fidem, spem, & charitatem; quæ nondum tamen omne debitum divinæ justitiæ pro admissis culpis exolverunt. Quæritur autem, an respectu omnium universim hominum hoc in quadruplici statu spectatorum Christus dicatur propriè caput.

II. *Quamvis Christus multis de causis possit dici caput Ecclesiæ,*

Notandum secundò ex Alensi locô laudatô, quòd etsi Christus Dominus dici possit hominum caput, vel quia habet principatum, quâ ratione Rex dicitur caput Regni; *vel* quia omnibus creaturis dignitate ac nobilitate præstat, quâ ratione censeri posset hominum & Angelorum caput, sicut leo dicitur caput animalium, quia est nobilissimum. *Vel* quia singulis hominibus providet; quemadmodum Pater familias suæ familiæ caput appellatur, quia singulis quæ necessariò sunt providet & administrat. *Vel* quia ipse recipit à Spiritu sancto omnem gratiæ plenitudinem, sicut caput ab anima recipit vitæ plenitudinem: Tamen, inquit,
» propriâ ratione dicitur caput rei per rationem influentiæ, ut sicut ab ipso capite est influentia sensûs & motûs secundùm diversas partes ejus; quia ab anteriori parte capitis fluunt nervi, per quos fluit sensus ad membra; à posteriori verò parte fluunt nervi, per quos fluunt motus ab anima ad singula membra. Similiter Christus in Ecclesiam influit sensum & motum spiritualiter: *sensum* quidem influit per fidem; *motum* verò per amorem (influit enim sensum fidei & motum amoris) & illâ ratione propriè dicitur caput Ecclesiæ. Unde secundùm quod videmus, quòd caput quôdam modô gerit vicem animæ in movendo corpus, & consulendo ei per sensum; ita est de Christo respectu Ecclesiæ: quia se habet ad ipsam in ratione moventis & consulentis per sensum gratiæ, quem ei influit. Unde ipse est caput corporis Ecclesiæ. Gloss. *Capiti omnia subjecta sunt ad operandum: id autem, scilicet caput supra locatum est ad consulendum; quia ipsius anima quôdam modò vicem gerit caput.* In hoc quod dicit *ad operandum*, ostendit quomodo motus fiat, a capite in membris. In hoc quod dicit, *ad consulendum*, ostendit quòd sensus est ab ipso in membris.

Sic tamen propriè nominatur quia sicut caput corporis in membra, sic & Christus in Ecclesiam influit.

III. *Influxus Christi in homines vel Angelos dupliciter considerantur.*

Notandum tertiò, actus quos Christus exercuit, vel etiam nunc exercet in ratione capitis hominum & Angelorum, posse considerari in duplici differentia; *vel* enim ii sunt quibus promeruit Angelis & hominibus gratiam sanctificantem, & cætera dona supernaturalia: *vel* ii sunt quibus de facto & realiter gratia sanctificans, & illa dona dantur Angelis & hominibus ex merito Christi, & per ejus influxum; inter quos, ut doctè advertit Isambertus disp. 2. art. 5. hæc est differentia, quòd priores actus postulent actualem existentiam suæ causæ, dum de facto eliciuntur, quódque gratia habitualis concurrat physicè & efficienter ad illorum elicitionem; eô scilicet modô, quô supernaturales habitus concurrunt ad actus sibi proportionatos: posteriores verò minimè postulent actualem existentiam suæ causæ; sed sufficit sola futuritionis eorum prævisio, & moralis motio excitans ipsum agens principale, quâ ratione Christi merita prævisa Deum moverunt, ut gratiam largiretur non solùm Angelis, sed etiam primis parentibus, ac patribus veteris Testamenti. His ita prænotatis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *Christus D. est actu caput beatorum.*

CHristus Dominus reverà est actu caput Beatorum: non verò damnatorum, tam actu quàm potentiâ. *Prima pars* est evidens; siquidem Beati non sunt adepti suam beatitudinem ac felicem sortem, nisi mediante gratiâ ipsis intuitu meritorum Christi concessâ, ut aliàs probabimus, maximè in Tractatu de gratia, ubi demonstrabimus gratiam omnibus & singulis hominibus fuisse concessam intuitu meritorum Christi.

V. *Minimè damnatorum quippe qui gratiæ influxûs sunt incapaces.*

Secunda pars etiam clara est; nam damnati sunt incapaces gratiæ & gloriæ: ergo respectu illorum Christus nec actu, nec potentiâ est caput. Consequentia patet; siquidem Christus non habet rationem capitis, nisi propter actualem, vel potentialem influxum gratiæ & gloriæ ac donorum supernaturalium. Antecedens etiam certum est; damnati namque sunt in termino omnino invariabili, & extra statum & spem obtinendæ gratiæ ac consequendæ beatitudinis: igitur omninò incapaces sunt recipiendi influxum gratiæ aut gloriæ.

VI. *Infantes sine baptismo ex hac vita migrantes non plectuntur pœnâ sensûs.*

Dices primò: Probabile est aliquos damnatos habere aliquid solatii; nam probabilius esse judicavimus pueros sine baptismate ante usum rationis & libertatis ex hac vita migrantes, non cruciari pœnâ sensûs. Similiter plurimi Theologi probabile existimant cum Doctore, quòd damnati non sint in æternum cruciandi pro levioribus & venialibus culpis, quæ duntaxat temporaneam satisfactionem & pœnam exigunt: sed illud solatii non obtinent, nisi ex meritis Christi: ergo Christus habet aliquem influxum in eos; & subinde est eorum caput, quia caput non influit, nisi in membra sibi conjuncta.

VII. *Quod eis non conceditur intuitu meritorum Christi, sed ex communi Dei providentiâ hoc provenit.*

Respondeo, permissâ majore, negando minorem, illud enim solatii non eis conceditur intuitu meritorum Christi, sed duntaxat ex Dei generali providentia, & justitia, quæ reddit unicuique secundùm opera ejus, nec aliquem punit ultra demeritum.

Dices secundò: In damnatis baptisatis & sacris ordinibus initiatis remanent characteres baptismi & ordinis; sed illi characteres per hæc sacramenta impressi sunt duntaxat ex meritis Christi; quia sunt effectus sacramentorum, quæ nullum ha-

bent effectum, nisi per Christum: ergo non tantùm in potentia, sed etiam in actu, Christus est caput ejusmodi damnatorum.

VIII. In damnatis remanent characteres Baptismi & Ordinis ad tormentum & ignominiam.

Respondeo, characteres illos fuisse quidem primùm impressos per influxum à Christo capite: ergo ex natura sua, & propria institutione ordinantur ad bonum supernaturale gratiæ & gloriæ; & ideo quandiù ad hoc bonum ordinantur, vel possunt ordinari; dici debent effectus illius influxûs, qui est à Christo capite: in damnatis autem nec amplius ordinantur, nec possunt ordinari ad tale bonum supernaturale, sed potius in eis remanent ad tormentum & ignominiam; unde propter ejusmodi characteres non censetur Christus de facto caput damnatorum, qui illis sunt insigniti.

Conclusio Secunda.

IX. Christus D. est actu caput omnium viatorum fidelium.

Christus Dominus est actu caput omnium viatorum fidelium tam justorum, quàm peccatorum; potentiâ verò est duntaxat caput infidelium. Hæc conclusio quoad utramque partem est communis inter Theologos; quarum *prima* constat quantùm ad justos Fideles; eorum enim Christus censetur caput, in quos habet influxum vitæ spiritualis: sed in peccatores fideles talem habet influxum; siquidem illi quantumvis Deo per peccatum infensi, & ab ipso odiô habiti, nihilominus Christo uniuntur vinculo fidei, quæ est principium & seminarium vitæ spiritualis: quippe in fide tanquam in radice & fundamento firmatur tota spiritualis structura: igitur eorum Christus censetur caput. *Deinde*, Christus est eorum omnium caput, qui sunt reverà de corpore Ecclesiæ: sed omnes fideles, etsi in mortali peccatô existant, sunt vera Ecclesiæ membra, saltem secundùm quid; quia licèt non habeant perfectam & completam unionem cum Christo per charitatem & gratiam sanctificantem; tamen ipsi uniuntur per fidem ac spem, nec-non & per alia dona supernaturalia, quæ non nisi intuitu meritorum Christi à Deo recipiunt: igitur eorum Christus est caput. Major constat; cùm enim Christus sit caput Ecclesiæ, est etiam caput omnium ad Ecclesiam pertinentium. Minor verò patet ex tractatu de Ecclesia, ubi declaratur quòd peccatores, qui fidem non ejurârunt, nec extinxerunt, sunt Ecclesiæ membra.

X. Licèt enim Christo ut capiti non uniātur per charitatem uniuntur per fidem.

XI. Est autem duntaxat potentiâ caput infidelium.

Secunda pars etiam admittitur ab omnibus; omnes enim infideles quandiu vivunt, possunt recipere influxum vitæ spiritualis à Christo; siquidem illis prædicari potest Evangelium, & baptismi gratiam possunt assequi; subindeque fideles fieri & Ecclesiæ membra. *Insuper* Christus pro iis sanguinem suum fudit, & æterno Patri pro singulis hominibus merita sua obtulit. Unde sanguis ille pretiosissimus de se sufficientissimus est ad obtinendam gratiam conversionis, quâ singuli homines, pro quibus fusus est, ad fidem sese recipiant, & efficiantur actu Ecclesiæ membra. *Denique*, infideles habent liberum arbitrium quod à Deo flecti potest è malo in bonum. Unde quanquam illi non sint actu de Ecclesia, sunt tamen de ea potentiâ; quæ quidem potentia incorporationis eorum inter membra Ecclesiæ, hoc triplici fundamentô nititur; scilicet Prædicatione Evangelii, quod ipsis annuntiari potest: Sanguine Christi pro iis effuso: Tertiò denique arbitrii libertate. Addi potest etiam auxilium actuale gratiæ singulis hominibus à Deo concessæ, quô fi-

XII. Quippe pro ipsis sanguinem suum fudit.

A deles actu fieri possent de Ecclesia, si rectè eô subsidiô uterentur.

Dices: Christus non est actu caput eorum, qui non sunt actu partes & membra Ecclesiæ; sed peccatores, etsi fideles sint, non pertinent ad Ecclesiam, nec sunt partes aut membrum illius: ergo nec Christus est eorum caput actu. Major constat ex dictis. Minor verò probatur: Primò quidem ex Apostolo dicente ad Ephesios 5. quòd *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi: sed ut sit sancta & immaculata.* Secundò ex SS. Patribus, *Cypriano*, epistolâ ad
B Magnum, *Hieronymo* in expositione præfati textûs Apostoli, *Augustino* pluribi, maximè lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 21. Ex eorum ratio est, quia peccatores sunt membra civitatis Babylonicæ, cujus caput est diabolus: igitur non possunt esse membra civitatis Jerusalem, id est Ecclesiæ. Antecedens probat S. Augustinus lib. 14. de civit. Dei, cap. 28. ubi docet quòd sicut amor Dei usque ad contemptum sui ædificat civitatem Jerusalem, ita amor sui usque ad contemptum Dei ædificat civitatem Babylonis: sed Fideles in mortali existentes non diligunt Deum usque ad contemptum sui, imò seipsos diligunt usque ad contemptum Dei. *Tertiò*, Concilium Trid. sess. 6.
C cap. 7. dicit Charitatem esse id per quod homo vivum Christi membrum efficitur. *Denique* ex Symbolo Apostolorum Ecclesia dicitur *sancta*: si autem mali essent de Ecclesia, cùm eorum numerus longè justos excedat, potius esset dicenda peccatrix quam sancta: igitur peccatores non sunt dicendi de Ecclesiâ, nec consequenter Christus est eorum caput.

XIII. Apostolus & aliqui Patres Ecclesiæ videntur significare quòd peccatores non sint Ecclesiæ membra.

Respondeo, concessâ majore, negando minorem, & ad textum Apostoli dico, eum non esse intelligendum de Ecclesia, qualis nunc est in terris militans, sed qualis erit in futuro, ut exponit S. Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 14. *Vbicunque*, inquit, *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, non sic accipiendum, quasi jam sit, sed quia præparatur, ut sit quan-*
D *do apparebit etiam gloriosa*: unde appellatur tota pulchra sine macula & ruga, non pro statu vitæ præsentis, sed beatitudinis: *Nam*, inquit S. Thomas quæst. 8. art. 3. ad 2. *esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis ad quem perducimur per Passionem Christi: unde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ, in quo si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, ut dicitur* 1. Joan. 2.

Sed explicantur; non enim loquitur Apostolus de Ecclesia militante, sed de triumphante.

Si autem contendas Apostolum loqui de Ecclesia secundùm statum præsentem, quæ etiam ut nunc est *sancta* dicitur: Respondeo eam dici *sine macula & ruga*, non penes omnia membra quibus constat; sed ob puritatem fidei seu immu-
E nitatem ab omni errore in doctrina quam profitetur, nec-non ob æquitatem præceptorum, quæ mandat observanda; *vel* quia sanguine agni tincta & respersa divino cultui mancipatur: *vel* denique ita dicitur, non quòd omni prorsus maculâ careat: sed quia in præstantioribus suis membris nullam habet maculam à quibus simpliciter quis valeat appellari maculosus. Ita explicat S. Augustinus lib. de perf. justitiæ cap. 9. *Ingredi sine maculâ*, inquit, *non absurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est; sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus*

damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.

XIV. Quâ ratione Ecclesia dicatur sancta.

S. Thomas autem ait, hunc Apostoli locum intelligi posse de exhibitione, quæ erit in futuro per gloriam: si autem de exhibitione per fidem: tunc diceretur ut exhiberet sibi scilicet per fidem, Ecclesiam gloriosam: quia *gloria magna est sequi Dominum*, ut dicitur Ecclesiastici 23. *Non habentem maculam*, scilicet criminis mortalis; *Maculata es in iniquitate tua*, Jeremiæ 2. *Neque rugam*, id est duplicitatem intentionis quam non habeot qui rectè conjuncti sint Christo & Ecclesiæ. Job. 23. *Ruga mea testimonium dicunt contra me*, sed magis *sanctam* per intentionem, & immaculatam per omnimodam puritatem.

Ad Concilium Tridentinum, etsi dicat quòd mali non sunt viva membra Ecclesiæ, quia fides sine charitate mortua est; hoc tamen non impedit quin sint Ecclesiæ vera membra; quia actu uniuntur & Christo & cæteris membris per fidem, quæ supponitur esse in eis.

Ad SS. Patres dico, eos censuisse non esse malos membra Ecclesiæ quoad esse finale, licèt sint ejus membra qooad esse formale, hoc est quantùm ad finem & fructus, propter quos instituta est Ecclesia, quia ad hoc est instituta Ecclesia, ut homines aliquando beatitudine æternâ donentur. Unde Augustinus passim ait; *Esse in Ecclesiâ est adhærere justis, quemadmodum palea est in area & adhæret tritico*, donec vel judicio Ecclesiæ separentur per excommunicationem, vel ipsi suâ sponte prosiliant foras extra Ecclesiam persequentes aut contemnentes eandem, vel denique à Deo exterminentur per mortem in æternam damnationem, & ut palea igni deputentur.

Ad id quòd dicitur malos esse membra diaboli: Respondeo meritô esse membra diaboli & fide membra Christi. Ad id quod subjungitur nos profiteri in Symbolo, Ecclesiam esse sanctam: Respondeo dici sanctam: *Primò*, quia totum à parte præcipua denominatur: sunt autem justi pars Ecclesiæ præcipua. *Secundò*, quia continet in se omnia instrumenta, omniaque media sanctificationis hominum instituta à Christo, scilicet verbum Dei, sacramenta, ordinem justitiæ servandæ, totumque thesaurum Christi Domini meritorum. *Tertiò*, quia sanctificat ministerialiter per ea quæ accepit à Christo, quomodo dicitur medicina sana quia sanat. *Quartò*, sancta dicitur, quia extra illam non est vera sanctitas. *Quintò*, quia sanguine Christi est consecrata. Eô modô templa dicuntur sancta post consecrationem. *Sextò* denique, sancta nuncupatur, quia stabilis, firma, inviolabilis semper perseverat.

Dices secundò: Membra alicujus corporis non possunt esse sibi invicem contraria: sed justi & peccatores inter se contrariantur; siquidem Ecclesiastici 33. *Contra malum bonum est, & contra virum justum peccator*: ergo membrum Ecclesiæ peccatot esse nequit.

XV. Membra corporis naturalis non possunt esse contraria: benè membra corporis mystici; in aliquibus enim conveniunt, in aliquibus dissident.

Distinguo majorem: Membra corporis naturalis nequeunt esse sibi invicem contraria, concedo: membra corporis mystici, nego: sufficit enim quòd hæc in aliquibus invicem conveniant, licèt dissideant in aliis: unde ut fideles peccatores censeantur membra Ecclesiæ, sufficit ut cùm justis in fide & spe conveniant, nec-non in donis sopernaturalibus, & in characteribus Baptismi, Confirmationis aut Ordinis.

Petes, an Christus censeatur etiam caput hominum, non solùm quantùm ad animam, sed etiam quantùm ad corpus.

XVI. Christus fuit caput hominum quantùm ad animã & corpus.

Affirmat Alensis noster *locô laudatô* §. 4. probatque primò ex illo Apostoli 1. ad Cor. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* igitur ipse est caput corporum nostrorum, sicut & animarum. *Probat secundò*, quia corpora nostra duplicem habent conjunctionem cum corpore Christi; quia sunt ejusdem speciei: conjunctio verò, quæ est propter perfectionem unam potest esse dupliciter: quia est perfectio naturæ, & sic anima est perfectio: & est perfectio sanctificationis nostræ, & hîc est Spiritus sanctus. Dicendum ergo quòd attendendo perfectionem naturæ quæ est anima; sic corpora nostra & corpus Christi habent perfectionem unam: quia alia est anima Christi, quæ perficit corpus secundùm numerum: & quæ corpora nostra: sed corpora nostra habent perfectionem unam, accipiendo perfectionem sanctificationis, quæ est Spiritus sanctus: perfectio enim corporis non solùm est anima; sed etiam Spiritus sanctus, cujus corpora nostra templum sunt, sicut habetur: Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti? sed anima perficit quantùm ad esse naturæ: Spiritus sanctus quantùm ad esse sanctificationis.

Idem autem Spiritus sanctus, qui sanctificat corpus Christi, sanctificat & corpora nostra; cùm sumus in fide & charitate: ex hac speciali sanctificatione imprimitur dispositio, & pertinent ad gloriam resurrectionis. Unde Apostolus probat per hoc corporum resurrectionem gloriosam dicens: *Si Spiritus ejus qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in nobis: vivificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum sanctum in nobis.*

QUÆSTIO III.

Utrùm Christus dici possit caput Angelorum?

I. Christus dicitur caput aliquorum membrorum quatuor modis.

NOtandum primò, ex nostro Alensi *ibidem* 2. §. 1. Christum quatuor modis dici posse caput aliquorum membrorum, scilicet *vel* secundùm dignitatem & externam gubernationem, & dominationem, *vel* secundùm influxum cujusdam gratiæ illuminantis & gloriæ acidentalis, *vel* secundùm influxum gratiæ justificantis & gloriæ essentialis; *vel* denique secundùm conformitatem corporis cum capite. Certum est autem, inquit, *art.* 2. §. 1. quòd Christus in qoantùm homo, non est caput Angelorum simpliciter ratione conformitatis; sed tantùm secundùm quid; quia non est conformis Angelis in natura simpliciter, sed secundùm quod anima rationalis, quantùm ad partem superiorem intellectivam habet conformitatem cum Angelis; licèt enim natura Angelica & anima Christi sicut & nostra, non sint ejusdem speciei; sunt tamen ejusdem rationis; saltem genericè, quia conveniunt in natura substantiali spiritali. Certum est pariter quòd Christus sit inferior Angelis secundùm humanitatem; siquidem humanitas secundùm se sumpta, longè inferioris est dignitatis, quàm natura Angelica. Unde Apostolus ad Heb. 2. Christo adaptat illud Psal. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Et subdit: *Eum autem qui modicô quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter Passionem mortis gloriâ & honore coronatum*; unde superest dif.

ficultas, an Christus sit Angelorum caput ratione dominationis & influentiæ.

II. Tribus modis influit gratiam corpori & membris: per modum meriti, per modum exemplaris, per modum capitis.

Notandum secundò, ex eodem Alensi *art.* 3. §. 4. quod Christus influit gratiam corpori Ecclesiæ & membris ejus tribus modis. Unô modô per modum meriti: aliô modô per modum exemplaris: tertiô modô per modum capitis. *Per modum meriti*, est in nobis gratia ab ipso Christo homine: quia ipse est, qui meruit nobis gratiam, per quam remitterentur peccata nostra: & gratiam, quâ cognosceremus & diligeremus ipsum: & omnibus credentibus in ipsum & diligentibus hoc meruit; secundùm quod habetur: *Sicut per unius hominis inobedientiam constituti sunt multi peccatores: ita per unius hominis* Christi *obedientiam justi constituuntur multi*: Secundô modô influit nobis gratiam *per modum exemplaris*: sicut enim videmus quòd se habet exemplar ad exemplum, & quodammodò exemplum educitur ab exemplari: ita in ipso Christo homine est exemplar propositum gratiæ cui debemus nos coaptare & conformare. Unde ipse est *liber vitæ*, juxta quem debent scribi nostri, id est scientiæ, quæ sunt libri, ut habetur in Apocal. 20. Et ista eductio signatur: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: sicut ergo portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis. *Tertius modus* influentiæ ab ipso, est *per modum capitis*: est autem quidam amor & appetitus naturalis capitis ad membra: ipsum enim caput quôdam naturali amore diligit membra: unde & spiritus animales, qui sunt in capite, ex hoc amore decurrunt à capite in membris; unde si aliquod membrum doleat, concurrunt spiritus à capite ad partem illam dolentem, & ibi colliguntur. Influentia ergo capitis ad membra, ut sensificentur & moveantur, est per naturalem amorem, & hunc appetitum implet spiritus animalis fluens à capite in membra, vel in membris. Secundùm hoc dicendum, quòd spiritus increatus, per quem est nobis communio totius Trinitatis, scilicet, Spiritus sanctus, abundat in nostro capite, scilicet Christo, & ipsius Christi, & suæ beatæ animæ est desiderium, ut participemus suum Spiritum. Ipse verò Spiritus explet desiderium, quod habet Christus ad nos; propter amorem, quem habet erga nos. Et hôc modô est influentia gratiæ à Christo capite in corpus Ecclesiæ; unde Hugo: Sicut spiritus hominis mediante capite ad membra descendit vivificanda; sic Spiritus sanctus per Christum venit ad Christianos: cujus plenitudo quidem est in capite: participatio verò in membris.

III. Christus D. meruit gratiam & gloriam Angelis & hominibus.

Notandum tertiò, Christum Dominum reverà meruisse gratiam & gloriam Angelis: Tum quia est causa finalis & exemplaris eorum beatitudinis: Tum quia est causa efficiens meritoria prædestinationis eorundem per merita futura & prævisa: Tum quia Christus fuit illis propositus ab instanti suæ creationis tanquam objectum in quod tendere & credere debebant: fuerunt enim & ipsi viatores, & habuerunt dona illa supernaturalia, quibus pervenitur communiter ad beatitudinem per Christi merita prævisa, ut infrà patebit agendo de meritò Christi.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Unde in quantùm homo, est

Christus Dominus in quantùm homo, est caput Angelorum secundùm dignitatem & influxum. Probatur ex ipso Christi Domini oraculo; ipse enim à mortuis excitatus ait, Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrâ.* Et Apostolus Petrus 3. *Profectus*, ait, *in cœlum subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.* Et Paulus in Epistolâ ad Ephes. principatum illum Christi Domini insigni ac luculentò præconiô honestat: divinæ operationem potentiæ ac virtutis prædicans, quàm operatus est in Christo: *Suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem; & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subjecit sub pedibus ejus.* Omnium igitur non solùm hominum, sed etiam Angelorum tam bonorum, quàm malorum Dominus est Christus, & subjectos habet omnes, habebitque maximè post judicium: quandò sub pedibus ejus jacebunt omnes inimici ejus.

caput Angelorum secundùm dignitatem & influxum.

Probatur ex Scriptura.

Colligitur etiam hæc veritas ex 2. ad Coloss. ubi Apostolus Christum appellat caput omnis principatûs: *In Christo*, inquit, *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti qui est caput omnis principatûs & potestatis.* Manifestum autem est quòd plenitudo Divinitatis non habitat in Christo secundùm divinam naturam, sed secundùm humanam. Unde subdit Apostolus: *In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei qui suscitavit illum à mortuis*: resurrectio enim solùm convenit Christo quà homo est. Similiter enim Apostolus ad Heb. cap 2. Christo ut diximus, adaptat illud Psal. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis: Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et statim subdit: *In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit ei non subjectum.*

Probatur secundò ex SS. Patribus. Nam Hieronymus exponens suprà dicta verba Epistolæ ad Ephes. ait: *Non solùm hominum, sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum & rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest.* Similiter S. Ambrosius Epist. 37. affirmat Christum Angelorum perinde ut hominum esse caput & vim illam influentem in corpus à capite ad eos quoque permanare: *In quo* (Christo) *non solùm sanctorum hominum*, inquit, *sed omnium credentium, omnium etiam rationabilium, virtutum ac potestatum connexionem fidei, spiritusque accipiendum arbitror: ut per harmoniam quandam virtutum ac ministeriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturæ spiritibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexâ, ut ne tactu quidem junctura singulorum adhærentium discrepare videatur.* Subscribit S. Cyrillus lib. 5. in Isaiam explicans hæc verba capitis 54. *Lætare sterilis*, ubi ait: *Per ipsum Christum omnis fructificatio spiritualis tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est*; unde lib. 9. de adoratione in spiritu, hanc Angelorum hominumque consociationem, in idem corpus Ecclesiæ per Christum factam, mysticè putat adumbratam fuisse in tabernaculi descriptione, in qua aulæa fuisse dicuntur, quibus intextæ erant Cherubinorum effigies: *Quæ res*, inquit, *significabat supremis ima esse conjuncta, & cœlestibus Ecclesiam quæ in terris degit esse connexam.* Idem docet sanctus Augustinus in Psal. 36. Concione 3. ubi ait: *Christus caput est, cujus membra sunt omnes, qui ab initio fuerunt justi, conjuncti etiam legionibus Angelorum & exercitibus.*

Ex sanctis Patribus Hieronymo.

Ambrosio;

Cyrillo.

Augustino;

Ratione etiam hæc veritas firmatur: Christus est caput eorum omnium, qui ad ejusdem mystici

corporis Ecclesiæ integritatem concurrunt: sed Ecclesia tam ex Angelis quàm ex hominibus integratur velut unum corpus mysticum, unaque spiritalis civitas: igitur eorum omnium Christus est caput. Major constat ex dictis. Minor verò probatur ex parabola de pastore & ovibus, Lucæ 13. in qua asseritur unum esse ovile ad quod pertinent 99. oves relictæ in deserto, quibus significatur Angelorum multitudo; & illa ovis perdita ac palabunda, quam zelantissimus Pastor quærit, videlicet humanum genus.

Confirmatur ex illo Heb. 12. *Non accessistis ad tractabilem montem & accessibilem ignem, sed accessistis ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam: & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis.* Quibus verbis S. Apostolus effert Ecclesiam super Synagogam, ex eo quòd Synagoga accesserit ad montem tractabilem: Ecclesia verò ad montem cœlestem Sion, seu ad unionem & frequentiam cum Angelis.

Confirmatur insuper, ex eo quòd conditiones capitis conveniant Christo ut homini respectu Angelorum. Nam *primò*, præeminet illis ordine dignitatis, ut probat Apostolus Heb. 1. *Tantùm,* inquit, *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Secundò*, est illis præstantior & perfectior in bonis spiritualibus, & Deo propinquior: *Ad quem enim Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis?* ait Apostolus.

Ibidem.

Tertiò, influit in eos gratiam & gloriam, ut patebit conclusione sequenti.

V. Convenit Christus genericè cum Angelis ratione scilicet animæ.

Dices primò: Debet esse quædam conformitas naturæ inter caput & membra: sed nulla est inter Christum & Angelos: ergo, &c.

Distinguo minorem: Debet esse conformitas omnimoda & simplex, nego: secundùm quid, concedo: siquidem Christus ut homo cum Angelis saltem genericè convenit ratione animæ, quæ cùm sit substantia spiritualis cum Angelis purè spiritualibus saltem genericè convenit. *Adde quod* Christus ut homo, & Angeli videntur esse ejusdem speciei, saltem moralis, in quantùm scilicet habent eandem specie charitatem, gratiam sanctificantem, & beatitudinem.

VI. Quamvis Christus sit caput Angelorum non est necesse ut sit eorū sponsus. Potest tamen dici impropriè saltem.

Dices secundò, Eorum Christus est caput, quorum est sponsus: sed Christus ut homo, non est sponsus Angelorum: ergo nec eorum caput.

Respondeo primò, negari posse majorem; quia strictior desideratur convenientia inter sponsum & sponsam, quàm inter caput mysticum & membra. *Respondeo secundò*, quòd licèt Christus ut homo, non ita propriè dicatur caput Angelorum ac hominum; nihilominus aliquatenus est etiam Angelorum sponsus, ut docet S. Bernardus serm. 27. in Cantica his verbis: *Cùm haberet sponsam inhærentem sibi à principio, multitudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus continuare Ecclesiam, atque uniri illi quæ de cælo est, ut sit sponsa una, & sponsus unus.*

Conclusio Secunda.

VII. Influit Christus in Angelos illuminationem & beatitudinem accidentalē, nec non gratiā sanctificantem & gloriam essentialem.

Christus Dominus influit in Angelos non solùm illuminationes & beatitudinem accidentalem, sed & gratiā sanctificantem & gloriam essentialem. Hæc colligitur, & probatur iisdem authoritatibus SS. Patrum, quibus firmata fuit prima conclusio: *Primam partem* luculenter explicat S. Dionysius lib. de cælesti hierarchia cap. 7. ubi docet Angelos a Jesu tanquam supremo Antistite institui, A & arcana mysteria perdoceri: *Inferiores,* inquit, *substantiarum cœlestium ordines ab sublimioribus, ut consentanea ratio postulat, deificarum operationum scientias perdoceri: quæ autem supra omnes eminent, ab ipsa principe divinitate, quantùm fas est illustrationibus initiari. Etenim nonnullas illarum referunt à prioribus discentes, Dominum illum esse cœlestium virtutum & Regem gloriæ, qui, ut hominem, decebat in cœlum assumptus est; alias verò Iesum ipsum percontantes, & divina pro nobis operationis scientiam discere cupientes; quas ipsemet Iesus per se, nullò interpositò, sacris notionibus imbuit, & primariâ communicatione benigna sua in homines efficientia notitiam impertit:* Christus itaque B primos Angelos per se docet, iisque sanctiorum mysteriorum arcana patefacit, non solùm quà Deus est, sed etiam ut est homo: igitur reverà in Angelos habet influxum.

VIII. Habent enim à Christo cognitionem veritatis.

Eandem veritatem probat Alensis noster §. 4. *suprà laudatò*, dicens Angelos recipere à Christo cognitionem veritatis, & honorem, & dulcedinem, & jucunditatem. *Cognitionem veritatis*, quia erudiuntur ab ipso; imò per Ecclesiam etiam, quæ est corpus ejus, innotuit eis mysterium Incarnationis, nec erubescunt eruditi per ipsam: Unde Apostolus: *Vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Item sicut dicit C ibi gloss. Innotescat per Ecclesiam, quæ dona Dei recipit; id est, per Apostolos in Ecclesiâ prædicantes principibus & potestatibus, id est, diversis ordinibus Angelorum, qui sunt in cœlestibus, id est, in cœlo: ubi & nos erimus. Dicit namque beatus Hieronymus, Angelicas dignitates supramemoratum mysterium ad plenum non intellexisse, donec completa est passio Christi: & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata.

Et honorem.

Item accipiunt *honorem*: qui attenditur quantùm ad reparationem, seu restaurationem ruinæ Angelicæ: non enim parùm erat eis detractum honoris ex ruina Apostatarum Angelorum: sed per Incarnationem & Passionem fit reparatio seu restauratio ruinæ Angelicæ per homines, implen- D tes numerum ipsorum Angelorum, secundùm quod habetur: *Iudicabit in nationibus, implebis ruinas, &c.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, &c. *Qui proposuit in eo dispensationem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cœlo & quæ in terra sunt in ipso, &c.* Glossa dicit, proposuit instaurare, id est, ad primum statum reducere omnia per peccatum destructa; Angelos, & homines: quia per hominis restitutionem ruina Angelorum reparatur, instaurantur quæ in cœlis sunt, scilicet quod cecidit in Angelis, restauratur in hominibus.

Et beatitudinem saltem accidentalem.

Item recipiunt *dulcedinem & jucunditatem* E ab ipsa humanitate Christi: habent enim magnam jucunditatem & dulcedinem in contemplatione divinitatis, sed cùm vident Divinitatem in humanitate; eis alius modus est dulcedinis. Propter quod dicit Petrus: in quem desiderant Angeli conspicere. Et hâc ratione dicitur, *colles fluent lacte & melle.* Colles Angeli sunt, qui ante incarnationem fluebant mel in dulcedine contemplationis divinitatis in se: sed ex ejus incarnatione fluunt dulcedine contemplationis divinitatis in humanitate, quæ signatur per lac.

Eadem veritas constat *de beatitudine accidentali*; nam omnes Angeli ex Apostolo ad Heb. 1. sunt administratorii spiritûs in ministerium missi pro-

omnis

pter eos qui hæreditatem capiunt salutis; nam omnis hominum salus est à Christo Domino, atque hinc gaudia habent Angeli de salute hominum, juxta illud Lucæ 15. *Gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente:* quæ gaudia cùm pertineant ad accidentalem gloriam eorum, sequitur quòd Christus influit in illos gloriam accidentalem.

Eandem veritatem probat Seraphicus Doctor art. 2. quæst. 3. ubi ut ostendat Christum reverà habere influxum capitis tam in Angelos, quàm in homines, sive in eos qui præcesserunt suam incarnationem, sive in eos qui illam secuti sunt, idque secundùm magis & minùs; priùs notat quòd sensus in spiritualibus attenditur quantùm
» ad cognitionem; motus verò quantùm ad affe-
» ctionem, & dilectionem, quæ est pondus incli-
» nans unumquemque spiritum, & trahens ad lo-
» cum sibi debitum: influere ergo motum & sen-
» sum est causare in nobis fidem & dilectionem,
» sive fidem operantem per dilectionem, sive co-
» gnitionem, & amorem.
» Attendendum autem quòd cognitio & dilectio
» est in triplici differentia; *quædam* quæ respicit
» statum meriti, & hæc dicitur gratuita: *quædam*
IX. » verò in qua consistit substantia præmii, & hæc
» dicitur gloriosa: *quædam* quæ est utrique anne-
» xa quæ nec est differentia meriti nec præmii, sed
» bene esse. Secundùm hanc triplicem differen-
» tiam cognitionis & dilectionis, est dicere quòd
» gratia capitis influat in membra, gratia increata
» effectivè; sed gratia creata meritoriè, & dis-
» positivè: nam propter meritum Passionis Christi
» promissum Patribus præcedentibus dedit Deus
» gratiam reconciliationis: & propter exhibitum
» dat nobis gratiam reconciliationis abundantiùs;
» in qua quidem gratia est sensus cognitionis &
» motûs affectionis: & rursùs propter illam Pas-
» sionem aperta est janua, ut omnibus membris
» Christi detur dilectio & cognitio gloriosa, in qui-
» bus consistit perfectio motûs & sensûs. Ex eo-
» dem Angelis mysteria multa revelantur, ut gaudia
» multa referant de restauratione sua, quæ in-
» venitur facta per Christum; & ideò etiam ipsi
» accipiant motum & sensum.

Cognitio & dilectio est in triplici differentia attendenda.

Probatur etiam tertia pars, nempe quòd Christus influat in Angelos gratiam sanctificantem, & gloriam essentialem; quia membrum ut membrum, debet constitui per formam intrinsecam & essentialem corporis, cujus est membrum, & quæ corpori & singulis ejus membris det esse, & non tantùm per accidentalem & extrinsecam: sed essentialis forma Ecclesiæ triumphantis, non est sola illuminatio, vel gloria accidentalis, sed gratia sanctificans, & gloria essentialis, quia Deus posset alicui extra Ecclesiam triumphantem, imò etiam militantem conferre ejusmodi illuminationes: ergo Angeli non solùm constituuntur membra Ecclesiæ triumphantis per illuminationes accidentales, sed per influxum gratiæ sanctificantis.

Angeli habent à Christo gratiam sanctificantem.

Quæres, cùm priùs sit Angelos & homines uniri Christo capiti, quàm ab illo accipere influxum: sicut priùs est surculum inseri arbori, quàm ab illâ accipere influxum vegetationis; per quid tam Angeli quàm homines uniantur Christo capiti, ut gratiam & gloriam ab illo accipiant?

X. *Respondeo*, Angelos fuisse Christo tanquam capiti priùs unitos per actus illos fidei & amoris, quibus sese ad justificantem gratiam disposuerunt, & per ipsosmet habitus fidei & gratiæ; homines verò per sacramenta in re; vel in voto sumpta. Nec obstat quòd bonum istud supernaturale, quô Angeli & homines antecedenter uniuntur Christo ad recipiendum ejus influxum, sit etiam ex Christi merito: Potest enim distingui in Christo duplex officium circa Ecclesiam: *Primum*, scilicet particulare, secundùm quod facit membra spiritualia, eaque sibi conjungit; unde Isaiæ 11. vocatur *Pater futuri sæculi: alterum* officium est capitis, quô in membra jam sibi inserta & unita influit motum spiritualem per gratiam, & alia ejusmodi dona. Ratione prioris influxûs est generans & Pater, ratione posterioris est caput.

Uniuntur enim Christo tanquã capiti per actus fidei & amoris quibus ad gratiam justificantem sese disposuerunt.

Homines verò per Sacramenta in re vel in voto.

Ex his sequitur Christum esse quoque caput eorum qui extiterunt in statu Innocentiæ; ratione scilicet fidei quam habuerunt; & si diutius in illo perseverassent, continuò habuissent in Christum venturum; cognovit enim per revelationem primus parens mysterium Incarnationis, ut notant Patres in illud Genes. 2. *Erunt duo in carne una:* quod etiam de Christi matrimonio explicat Apostolus Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo & in Ecclesia.* XI.

XI. Unde est caput eorũ qui extiterunt in statu innocentiæ.

Quærunt ad hæc insuper Theologi, an Christus sit caput omnis creaturæ. XII.

Respondent, quòd sit ita, præcipuè Galatinus lib. 7. de arcanis Cathol. veritatis cap. 2. & Apostolus ad Coloss. 1. illud idem confirmat vocans Christum *Primogenitum omnis creaturæ*; non quòd in omnes creaturas influat gratiam & gloriam; quippe quorum donorum non omnis creatura est capax, sed vel ratione imperii & dominationis, juxta illud Psalmistæ: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c.* Quô sensu S. Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. docet Christum etiam esse *caput Dæmonum*, quia est illorum Victor & Dominus; vel quia omnis creatura per Incarnationem Christi recepit quandam dignitatem; vel quia creaturis omnibus Christus utitur ad bonorum salutem; vel quia post judicium omnis creatura renovabitur, juxta illud Rom. 8. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.* Quare Theodoretus in illud ad Heb. 2. *Ut pro nobis gustaret mortem*, dicit Christi mortem *omnibus creaturis emolumentum attulisse.*

XII. Adam cognovit mysterium incarnationis.

XIII. Christus est caput omnis creaturæ etiam & dæmonum.

SECTIO SECUNDA.

De Regia Christi dignitate & potestate.

CHRISTUM Dominum regiâ dignitate ac potestate pollere nemo ibit inficias, qui divinas Scripturas tantillùm calluerit; in eis namque tam celebre est tamque frequens illud assertum, ut quoties venturus ille repromissus Messias prænuntiatur, toties appelletur Rex: Sic Daniel. 2. & 7. & Jeremiæ 23. de Christo venturo dicitur: *Regnabit Rex & sapiens erit*, & Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus:* Sic Angelus incarnationis prænuntius Mariam alloquens Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum & regni ejus non erit finis:* Sic plerumque in novo Testamento Christus Rex appellatur, ac Joan. 18. se Regem esse sciscitanti Pilato confessus est ipse. Unde Clemens Alex. 1. Stromatum: *Rex*, inquit, *& à pueris imperitis, & ab Iudæis pronuntiatus incredulis & ignaris, & ab ipsis Prophetis prædicatus ostenditur.* I.

I. Christus Dñs in Scriptura sacra passim Rex proclamatur.

Sed cujusmodi regnum illud sit; spiritale, an

terrenum, ac temporale, non mediocris est inter Theologos altercatio: quibusdam enim placuit Christum Dominum regiam habuisse dignitatem hæreditariâ successione transmissam, quòd de stirpe Davidis oriundus esset. Ita præ cæteris sensisse videtur Epiphanius in hæresi Nazareorum, ubi ait: *Regiam dignitatem à Domino Iesu Christo duobus modis esse profectam, quòd & ipse ex Davidis Regis extitit semine secundùm carnem, & reverà major quidam augustiorque Rex sit ab æterno, secundùm Divinitatem*: Plerique Doctores Catholici docent eum reverà habuisse regium dominium temporale, non quidem jure hæreditariô, ut vult S. Epiphanius, sed maximè ratione unionis ipsius humanitatis ad Verbum: cæteri verò Theologi reclamant contendentes Christi regnum duntaxat esse spirituale: quoniam autem hæc disceptatio facilè potest componi; idcirco unicâ duntaxat Quæstione præsentem Sectionem absolvemus.

Quæstio Unica.

Vtrùm Christus fuerit Rex spiritalis an temporalis?

II. Quid sit Regia dignitas. Duplex distinguitur: temporalis & spiritualis.

NOtandum primo, dignitatem regiam eam dici, quâ unus supremus Princeps & Monarcha jus summum habet in rempublicam & potestatem imperandi & leges ferendi in iis quæ ad ejus gubernationem, administrationem, pacem, & tranquillitatem spectant. Hæc autem duplex distingui potest: *temporalis* & *spiritualis*: quarum prior spectat ad ipsius Reipublicæ regimen, in iis maximè quæ temporalia sunt: Posterior verò ea præcipit & statuit, quæ vel Dei cultum, vel religionis decus vel animarum salutem concernunt. De hac autem duplici regia potestate, & dignitate sermo est in præsenti, utrum Christus Dominus reverà fuerit Rex spiritualis vel temporalis. Porrò regia dignitas spiritualis quatenus in Christo Domino spectatur, est potestas quædam & jurisdictio quam habet in universam Ecclesiam sive militantem in terris, sive triumphantem in cælis; maximè verò in militantem, secundùm quam potestatem & dignitatem Christus Dominus novam quandam rempub. potuit constituere, nempe Ecclesiam; in ea superiores ordinare, nec-non & præscribere media, quibus animæ salus & æterna vita facili negotiô posset comparari. Hanc autem potestatem & dignitatem in Christo fuisse nullus Catholicorum dubitat, ut abundè probavimus in *Tractatu de legibus*, ostendendo Christum varias leges Evangelicas statuisse, nec-non & diversos in Ecclesia ordinum instituisse gradus, ac plurima media ad hominum salutem operandum efficacissima: nihilominus quoniam hanc adversus manifestam veritatem plurimi hujus temporis hæretici reclamant, maximè verò *Sociniani*, idcirco non erit inutile hanc veritatem in præsenti quæstione demonstrare.

III. Christus fuit Rex temporalis secundùm divinitatê. Non fuit de facto secundùm humanitatem.

Notandum secundò, duobus modis intelligi posse Christum fuisse Regem temporalem, scilicet *vel* ratione Divinitatis, *vel* ratione humanitatis. Quòd de facto fuerit priori titulô, nemo dubitat; Deus enim est Rex & Dominus omnium, controvertitur itaque an fuerit Rex spiritalis ratione humanitatis. *Insuper* eum fuisse Regem hôc posteriori titulô intelligi potest adhuc dupliciter, videlicet vel *de facto*, vel *de jure*. Quòd non fuerit de facto constat, quia temporibus vitæ ejus alii Reges fuerunt in Jerusalem, licèt fortè non jure. *Adde quòd* cùm vellent illum constituere Regem turbæ, fugit in solitudinem. Restat itaque difficultas an jure fuerit Rex temporalis ratione humanitatis. *Denique*, fuisse Regem temporalem *jure*, intelligi posset tripliciter, nimirum *vel* jure successionis, *vel* jure electionis, *vel* jure unionis cum Verbo Domino. Et *primò* quidem, quòd non fuerit Rex temporalis jure electionis patet, quia sic nunquam electus est, imò repudiatus à Judæis dicentibus Pilato, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*: Restat igitur dubitatio, an fuerit Rex temporalis *vel* jure successionis, *vel* ratione unionis cum Verbo.

Fuisse autē de jure potest tripliciter intelligi: nimirū jure successionis, electionis, unionis.

Notandum tertiò, quòd attinet ad regnum temporale & regimen omnino politicum Christi, maximam esse ut diximus, apud aliquos Catholicos Doctores controversiam; aliqui enim, ut *Marsilius* Patavinus, & *Ioannes de Ianduno* dixerunt, Christum non solùm non habuisse jus Regis super alios Reges & principes hujus mundi, sed etiam illis jure subditum fuisse, & tributa jure debita persolvisse, non sponte, sed necessitate, & obligatione legis constrictum: Hanc tamen sententiam meritò, ut hæreticam damnavit Joannes 22. in quadam extravagante, ut refert Cardinalis Turrecrementa in lib. quarto Summæ 2. p. cap. 37. Est enim apertè contra illud Matth. 17. cùm à Christo exigeretur tributum, ipse rogavit Petrum, & dixit: *Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum? à Filiis suis, an ab alienis?* Respondit autem Petrus: *Ab alienis; dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle; & apertô ore ejus, invenies staterem illum, &c.* Hoc autem Christus Dominus præstitit ut ostenderet se liberum esse à tributorum exactione; propter scandalum autem voluisse persolvere.

Varia Theologorum opinio de Regia Christi dignitate.

Sunt etiam qui cum *Armacano* lib. 4. quæstionum Armenorum cap. 16. & *Abulensi* in cap. 21. Matth. q. 30. explicantes illud *Ecce Rex tuus, &c.* concedunt Christo peculiare jus regni in Judæam ratione successionis & hæreditatis; non tamen habuisse idem jus in alios Reges & cætera regna. *Tertiò*, sunt qui doceant cum *S. Antonino* 3. part. titulô 3. cap. 2. *Almaino* in Tractatu de potestate Ecclesiæ, & plurimis aliis non inferioris nominis Theologis, Christum verè habuisse jus Regis & Imperatoris temporalis super alios omnes Reges; quamvis eô noluerit uti temporaliter; sed solùm spiritualiter. *Quarta* denique sententia est, Christum non solùm non regnasse in regno temporali; sed etiam non habuisse ullum jus regni temporalis; nec in Judæam, nec in regna Universi; aut in aliquod eorum: sed regnum ipsius & jus regnandi solùm fuisse spirituale; quô jure in toto Universo poterat & jura & leges statuere, prout expedire judicabat ad finem spiritualem in salutem animarum; quam sententiam, utpote probabiliorem cum cæteris amplectemur.

Conclusio Prima.

IV. Christus verè fuit Rex spiritualis.

C*Hristus Dominus quà homo, reverà fuit Rex spiritualis, & ut sic habuit potestatem excellentiæ in Vniversam Ecclesiam, quâ potuit condere leges.* Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum *prima* & *secunda* probantur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus adorandus ille Salvator Rex pronunciatur & affirmatur; maximè ve-

rò Psal. 2. in quo Psalmista in Christi persona dicit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Et ut constet tale regnum esse spirituale, subdit: *Prædicans præceptum ejus.* Et infrà: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ, Reges eos in virga ferrea.* Et statim explicat hoc regimen spirituale esse dicens: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Et Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & in justitia.* Quibus ultimis verbis regnum hoc spirituale fore declaratur, ut sacri expositores adnotaverunt. Et Ezech. 21. est optimum de eodem regno testimonium ab illis verbis: *Aufer cidarim, tolle coronam, &c.* usque ad illud, *donec veniret cujus est judicium & tradam ei.* Et cap. 34. *Suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascet eas servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem: ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus David princeps in medio eorum.* Quibus verbis significat Christum idcirco Regem esse, quia Sacerdos, & animarum Pastor est: Quod utique luculenter docet S. Augustinus in Psal. 149. *Filius Dei, qui fecit nos, ait: factus est inter nos; & Rex noster regit nos, quia Creator noster fecit nos. Ipse est tamen per quem facti sumus, qui est per quem nos regimur: & ideò Christiani, quia ille Christus. Christus à chrismate dictus est, id est, ab unctione: Reges autem ungebantur & Sacerdotes. Ille verò unctus est & Rex, & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis.* Facundus idem Hermianensis lib. 12. cap. 3. Christi solius esse dicit regnum cum sacerdotio simul habere: *Quoniam etsi quidam Reges in ejus venturi figuram sacerdotiô functi sunt, tamen cùm manifesta lux veniret in mundo: umbras removens futurorum, nulli alteri dedit quod sibi singulare servavit, sed in diversos dona sua distribuens, sic quæ propria sacerdotii Regibus interdixit.*

Ut probatur à Davide.
Isaia.
Ezechiele.
Et præclarè expendit S. Augustinus.
Et Facundus.

Hoc tandem regnum spirituale agnovit latro, quando in cruce pendens dixit Lucæ 23. *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum:* non enim temporale commodum, sed regnum spiritale exoptabat: & ideò dixit Christus Joan. 18. Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quem locum S. Augustinus tractatu 115. in Joan. sic expendit: *Audite ergo Iudæi, & Gentes: audi circuncisio, audi præputium: audite omnia regna terrena: Non impedio dominationem vestram in hoc mundo: Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimò, quô Herodes ille major cùm Christus natus nuntiaretur, expavit; & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit: timendo magis quàm irascendo crudelior. Regnum,* inquit, *meum non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite servire metuendo.* Et subinde locum illum secundi Psalmi, in quo post resurrectionem constitutum se Regem ait Christus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* enarrat sic: *Sed Sion ille & mons ille non est de hoc mundo, quod est enim ejus regnum nisi credentes in eum?*

Et significavit latro pœnitens, ut optimè declarat S. Augustinus.

V. Cæterùm hæc spiritalis regia dignitas in multis præcellit temporali. *Primò* quidem in fine, qui supernaturalis & cœlestis est. *Secundò*, in amplitudine, quia, est in cœlum & terram. *Tertiò*, in duratione, quia est æterna: Tandem, quia non tantùm ad corpora, sed & ad animas directè extenditur: dico directè, quia temporalis Regum potestas ad animas indirectè extenditur; possunt enim condere leges obligantes sub pœna peccati, ut docuimus in tractatu de legibus.

Spiritualis regia dignitas præcellit temporali in fine, in amplitudine, in duratione, in objecto.

VI. *Probatur tertia pars*, nempe quòd illa potestate potuerit Christus condere leges, imò de facto condiderit. Probatur, inquam, ex illo Isaiæ 33. *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster.* Item ex illo Hieremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum*, quæ lex Matth. 11. dicitur *jugum suave*, ut exponit S. Cyrillus lib. 2. ad Reginas & Joan. 13. constat Christum condidisse legem, cùm dixit: *Mandatum novum do vobis*: Ratio autem est, quia cùm habuerit potestatem instituendi Rempub. aliquam novam, rectè debuit habere potestatem condendi leges, quibus illa gubernaretur.

Christus ut Rex spiritualis potuit leges condere, & de facto condidit.

VII. *Dices* ex Joan. 1. *Lex per Moïsen data est; gratia autem & veritas per Christum facta est*: ergo quemadmodum Moises, ita dedit legem ut gratiam & veritatem non contulerit; similiter ita Christus dedit gratiam & veritatem, ut legem non condiderit.

Moïsis erat dare legem, Christi conferre gratiam.

Respondeo, hunc non esse sensum verborum illorum, sed ibi unumquodque denominari ab eo quòd est præcipuum: præcipuum autem in Moïse fuit condere legem; præcipuum autem in Christo dare gratiam & veritatem. Ex quo tamen non sequitur, quin etiam leges aliquas condiderit.

VIII. *Adde quod*, inquit S. Augustinus lib. de spiritu & littera, lex Moïsis jubebat, & non juvabat; lex autem Christi jubet & juvat; imò plus juvat quam jubeat, quia si quæ præcepta nobis imposuit, non ad onerandum, sed ad sublevandum præscripsit, ut constat ex præcepto de recipiendis sacramentis: omnia enim sacramenta nobis conferunt gratiam, & magis sunt in subsidium, quàm in gravamen aliquod, ut doctè & eleganter prosequitur sanctus Augustinus totô librô *de Spiritu & litterâ*.

Lex Christi jubet & juvat: imò plus juvat quam jubeat.

Conclusio Secunda.

IX. *Christus quà homo non fuit Rex temporalis Iudæorum jure successionis.*

Christus non fuit Rex temporalis Judæorum jure successionis.

Probatur *primò*; Si aliquod jus hæreditarium Christus habuisset ad regnum, maximè quia erat oriundus ex semine David: at hæc ratio nulla est; tum quia non omnes ex Davide oriundi habebant jus ad regnum, sed tantùm majores natu; idque in linea recta per Salomonem; non constat autem Christum esse filium David per lineam Salomonis, *nec ex parte matris*, quia incertum est an beata Virgo fuerit oriunda ex Davide per lineam Salomonis, aut per Natham: *nec ex parte patris putativi nempe S. Josephi*, quippe ejus genealogiam diversimodè texuerunt, S. Lucas procedendo ad Davidem per Natham; S. verô Matthæus descendendo à Davide per Salomonem. *Adde quòd* incertum fuerit an S. Joseph tunc fuerit primogenitus & caput totius familiæ Davidis. *Insuper*: Christus duntaxat erat filius putativus, aut saltem adoptivus S. Josephi, ad quem propterea non poterat devolvi jus regium in præjudicium eorum qui erant primogeniti.

X. *Dubium enim est an fuerit ex linea Salomonis ratione matris.*

Secundò: Iam pridem ex familia Davidis translata fuerat Regia dignitas & potestas. Enimverò post captivitatem Babylonicam, Judaïco populo

præfuerunt Sacerdotes, ex Machabæorum genere ad Christum usque, ergo quantumvis Christus ex parte matris esset reverà de familia Davidis, non propterea censeretur habere jus ad regiam dignitatem, quæ jam ad aliam familiam fuerat deportata.

Objicies varios Scripturæ textus, quibus significari videtur Christum Dominum fuisse reverà Regem jure successionis, seu quoniam erat filius Davidis. Sic Isaiæ 9. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit:* Et Jer. 13. *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex.* Et Lucæ 1. *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus, &c.* Unde Joan. 12. populus Hebræorum obviam procedentes Christo clamabant *Ozanna, Benedictus qui venis in nomine Domini Rex Israël:* igitur Christus reverà ab Israëlitis agnitus & salutatus fuit ut Rex; sed non fuit Rex nec per electionem, nec per usurpationem: ergo salutatus fuit Rex ab Israëlitis jure successionis.

XI.
Hinc textus Scripturæ de regno spirituali non temporali sunt intelligendi.

Respondeo, omnes illas authoritates intelligi de regoo spiritali, noo verò de temporali, ut explicant SS. Patres, maximè verò Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. 10. ubi ait: *Christus Pilato respondens Regem se esse non negat; mentiri enim non poterat: sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cæli & terræ, cæterarumque rerum omnium,* quibus ultimis verbis ostendit Cyrillus majestatem regni spiritualis Christi, cui omnia subjecta sunt.

Objicies secundò alios Scripturæ textus, quibus significatur Christum esse Regem totius universitatis. Sic Apoc. 1. Christus dicitur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 19. habere dicitur *in fœmore suo scriptum: Rex Regum & Dominus dominantium.* Similiter ad Heb. 2. S. Paulus Christo Domino attribuit illud Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus:* Et Matth. ultimò ipsemet Christus testatur: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra:* igitur habet etiam potestatem temporalem in omnia regna.

XII.
Christus in nullo unquam regno terrestri regnavit.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico Christum non vocari Principem & Regem Regum ratione potestatis temporalis, sed spiritualis; nec omnia ipsi esse subjecta secundùm illud dominium temporale; quia Christus neque regnavit unquam in aliquo regoo terrestri, oeque regnaturus est hôc modô. *Adde quòd*, plurimæ nationes nihil unquam de Christo audierunt: ergo ista omnia rectè non possunt intelligi oisi de regno spiritali; quod maximè constat ex eo quòd Apostolus utatur pulchrâ antithesi inter Christum & purum hominem: nam homini in sui creatiooe Deus subjecit hunc orbem terrestrem, & omnia animalia quæ in eo erant; nunc autem post peccatum hanc plenam in omnia potestatem amisit, nec illi omnia manserunt subjecta propter peccatum: Christus autem ita præfectus fuit toti Ecclesiæ, quæ est sæculum futurum, & spirituale, ut pro omnibus nullô exceptô, mortuus fuerit, & ita meritô mortis suæ sibi subjecerit omnes, quotquot sunt in futuro sæculo.

Objicies tertiò quosdam SS. Patres, qoorum aliqui docent Christum fuisse Regem jure hæreditariô successionis: Sic S. Athanasios sermone de Deiparâ, explicans illud Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo,* ait: *Accepit autem his verbis Thronum David corporaliter ex ratione prosapiæ, quâ David illi Pater fuit.* Cui etiam consentit S. Epiphanius, ut diximus in sectionis præludio: alii verò absolutè pronuntiant Christum esse Regem hujus mundi: sic S. Augustinus in tractatu 115. in Joan. Gregorius in homilia 8. in Evangelia, & Hilarius in Psal. 2. exponens illa verba; *Ego autem constitutus sum Rex,* ubi plurimis Scripturæ textibus confirmat reverà Christum regem fuisse.

XIII.
Natô Christô extinctum fuit regnum temporale Davidis.

Respondeo ad primi generis authoritates, SS. Patres nibil aliud velle, qoàm quòd perseveravit regnum David usque ad Christum, ooo quidem per Reges, sed per Sacerdotes & judices populi; natô autem Christô translatam fuisse omnem illam regiam & judiciariam authoritatem in ipsum; non quòd jus temporalis regni in eo fuerit devolutum, sed quia extinctum fuit regnum temporale Davidis, & in spirituale quod Christus habuit translatum. Cùm verò S. Athanasius ait, *ratione prosapiæ Christum regnum accepisse;* non intelligit illud accepisse jure sanguinis & propinquitatis, sed cùm esset Christus verè ex stirpe David, dicit accepisse sedem David Patris sui, quia solus fuit qui ex posteris Davidis regnaverit à tempore suæ nativitatis; noo quidem dominatione temporali, sed spirituali.

Explicantur SS. Patres qui videntur asserere Christum fuisse Regem temporalem.

Ad aliud autem authoritatis caput, dico omnes illos SS. Patres, ita suam sententiam explicare, ut apertè colligere liceat eos duntaxat loqui de Christi regoo spirituali, ut constat ex prima conclusione. Hinc S. Hilarius cùm plurimis Scripturæ textibus probasset Christum esse Regem; tandem concludit: *Hic ergo Rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est, præceptum Domini annuntians, non super illum utique terrenæ civitatis montem, complorata scilicet, & homicida & parricida Ierusalem; sed Ierusalem ejus, quæ in cælis est:* quæ planè de regiâ potestate spiritali sunt intelligenda. Unde S. Augustinus tractatu 51. in Joan. expendens illud: *Ozanna Benedictus qui venit,* ait: *Quid fuit Domino Regem esse Israël? quid magnum fuit Regi sæculorum Regem fieri hominum? Non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferrô armandum, hostes visibiliter debellandum: sed Rex Israël, quòd mentes regat, quod in æternum consulat, quòd in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat.*

Objicies quartò: Melchisedech id præ aliis Sacerdotibus peculiare habuit, quòd cùm simul esset Rex & Sacerdos, figuram gessit Salvatoris nostri, ut docet Apostolus ad Heb. 3. & 7. sed dignitas Sacerdotalis, quæ purè spiritalis erat in Melchisedech, erat distincta à dignitate regia, quæ erat temporalis: ergo pariter hæc utraque dignitas & authoritas in Christo debuit esse distincta; & subinde Christus non solùm habet regiam dignitatem spiritualem, sed etiam temporalem.

XIV.
In quibusnam Melchisedech Christi regnum præsignabat.

Respondeo ad majorem, Melchisedech per suum Sacerdotium & regnum in eo adumbrasse aothoritatem Christi sacerdotalem & regiam, quòd Melchisedech prætet sacerdotium erat adhuc Rex *Salem*, hoc est Rex pacis, seu justitiæ; unde eatenus per suum regnum figurabat regnum Christi, quòd Christus etiam quatenus Rex spiritalis, erat futurus Rex pacis & justitiæ. Unde licèt solùm Christus fuerit Rex spiritalis regni, nihilominus illius regiam authoritatem & dignitatem perfectè Melchisedech adumbrabat.

Inde tamen non est inferendum quod regia & sacerdotalis dignitas in Christo eadem fuerit secundùm omnimodam convenientiam. Utramque enim S. Augustinus lib. 83. quæstionum q. 61. distinguit; non quidem re, sed solâ ratione ex diversis generibus & officiis; nam ait: *Rex noster*

est Iesus Christus, qui nobis & pugnandi & vincendi præbuit exemplum, in carne nostra mortali, peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici, neque illis tenebrosis, neque terribilibus cedens, postremò exuens se carne principatus & potestates expolians fiducialiter, & triumphans eas in semetipso. Et paulò inferiùs, *eodem ipsò duce in Hierusalem cælestem, tanquam in terram promissionis introduci nos posse præsumimus, & in æternum ibi regnante ipsò, & custodiente servari.* Quibus verbis ostendit regiam Christi dignitatem in eo à Melchisedech adumbratam, quòd Christus fuerit pariter Rex Salem, Rex pacis & justitiæ: paulò verò pòst, sacerdotalem dignitatem ita explicat: *Ipse est etiam*, inquit, *sacerdos noster in æternum secundùm ordinem Melchisedech qui seipsum obtulit in holocaustum, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ Passionis memoriam commendavit.*

XV. Dignitas regia differt à Sacerdotali, quòd hæc offerat sacrificium pro nobis; illa verò salvare nos possit.

Rectè igitur Christi dignitas regia distinguitur à sacerdotali in eo quod ipsius ut sacerdotis munus fuerit, ut Deo offerret sacrificium pro nobis; dignitas verò Regis spiritualis, ut salvare nos possit & efficere, ut cum ipso in cælis regnemus. *Adde quòd* Christus, quatenus Rex spiritualis, habuerit jus leges ferendi, sacramenta instituendi; quòd pariter judicaturus orbem terræ in æquitate, & bonis præmia, ac malis supplicia sit assignaturus.

Ex his collige Christum Dominum, quatenus hominem, non habuisse jus regium ratione unionis hypostaticæ, ut contendit Vasques, exinde enim sequeretur quòd illud duntaxat habuisset jus ratione Divinitatis cui humanitas erat conjuncta, & sic reverà non censetur Rex qua homo, sed duntaxat quà Deus; quod certè negatur ab omnibus Theologis, utpote ipsi Scripturæ sacræ apertè repugnans. Et subinde consequens est quòd sortitus fuerit regiam illam dignitatem jure donationis, & institutionis, quà Pater æternus ipsum constituit Regem super universum orbem, ut jus haberet rempublicam spiritualem instituendi, regendi, & dirigendi in iis quæ spectant ad Dei cultum & animarum salutem, juxta illud Psalmi 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Et infrà: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, reges eos, &c.*

XVI. Christus non est rex ratione unionis hypostaticæ, sed ratione potestatis sibi ab æterno Patre in universum orbem collatæ.

Sectio Secunda.

De judiciaria Christi dignitate & potestate.

I. Melchisedech erat figura Christi venturi ut Regis & judicis.

EGREGIA est judiciariæ cum regia dignitate consensio: Nam regium quoddam ac principale munus obit humanæ sortis Arbiter & judex, cùm cuique jus suum tribuit, hoc est justitiam exercet. Quapropter Melchisedech in figuram Christi meritò interpretatur *Rex justitiæ*, quò præsignabatur Rex venturus, non solùm ut Rex ad imperandum, sed etiam ut judex ad jus cuique decernendum. Hinc Psal. 44. adorandus ille Dei Filius è summo cælorum vertice ad hæc ima terræ per incarnationem descendens, tanquam præpotens aliquis ad judicium accinctus & armatus describitur his verbis. *Accingere gladiò tuò super fæmur tuum, potentissime. Specie tuà & pulchritudine tuà intende: prosperè, procede, & regna. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.* Quapropter idem regius Psaltes Psal. 71. judiciariam potestatem Christo à Patre tribui, quasi A exorans, ait: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis.* Quæ verba licèt ad literam dicta sint de Salomone, ut constat ex eo quòd illi Psalmo præfigitur hic titulus, *in Salomonem*; tamen dicta sunt mysticè propter Christum, cujus Salomon figuram gerebat; unde Chaldæus ad Messiam retulit, nam ad vocabulum *Regi* addidit *Messiæ*. Rectò igitur ordine procedimus, judiciariam Christi dignitatem cum regiâ subnectentes. Quoniam autem non est hujus loci investigare qualiter Christus judicaturus sit, & cuique suum jus æternùm dicturus in extremo generali hominum judicio, in quo maximè judi-B ciariam illam potestatem exercebit, solùm hic resolvendum auspicamur, qualiter illa judiciaria dignitas Christo conveniat; quod unicâ quæstione proponimus explicandum.

Sicut & Rex Salomon.

Quæstio Unica.

Vtrum & quomodo judiciaria dignitas Christo tribuatur.

NOtandum primò, ad probum rectumque judicem instituendum, varias, sed maximè C quatuor conditiones desiderari: *Primò* quidem summa pietas & religio, ne fortè illud Apostoli ipsi in opprobrium vertatur; *Inexcusabilis es ò homo omnis qui judicas: in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas:* unde sacrum quoddam ac veluti sacerdotale munus exercet incorruptus judex, ut præclarè observat Theodoricus apud Cassiodorum, lib. 1. variarum cap. 12. *Esto innocentiæ templum*, ait judicem alloquens: *temperantiæ sacrarium, ara justitiæ. Absit à judiciariis mentibus aliquid prophanum: Pio principi sub quodam sacerdotio serviatur*; undè meritò Probus præfectus cùm Ambrosium ad re-D gendam Liguriam Æmiliamque Provincias delegaret, ei dixit: *Vade, age, non ut judex, sed ut Episcopus.*

II. Quatuor maximè conditiones in judice requiruntur.

1. Morum pietas.

Secunda conditio ad perfectum probumque judicem instituendum, est quòd sit expers ab omni animi perturbatione; nam, ut egregiè disputat Philo lib. de judice: *Quemadmodum vis ignis quæcumque attigeris calefaciens, calida primùm ipsa per sese ac suâpte naturâ constituta est: & contrà, vis nivis eò ipsò quòd frigida est, alium perfrigerat: sic oportet judicem plenum esse justitiâ, ut adeuntes ad se, iis quæ sunt justa respergat; ac velut ex fonte dulcis aqua potabilis rivus affluat iis qui sitientes E sunt æquitatis*: Unde judex non debet habere animum Passionum ac cupiditatum cœnô deturpatum ac turbatum; sed instar aquæ vividæ ac jugiter & suaviter scatutientis limpidum, quietum, & tranquillum.

2. Mentis integritas.

Tertia conditio est, quòd accuratam perspectamque habeat notitiam illius rei, de qua sententiam dicturus est. Unde Albinus Flaccus lib. de Virtutibus & Vitiis cap. 20. præclarè monuit: *Nemo Principum stultos, vel improbos judices ponere debet, nam stultus per ignaviam ignorat justitiam: improbus autem per cupiditatem subvertit ipsam, quam didicit, veritatem.* Quocirca divinè monebat Christus Salvator Joan. 7. *Nolite judicare secundùm faciem: sed justum judicium judicate.*

3. Judicandæ rei perfecta notitia.

Quarta denique conditio, est eximia animi fortitudo, & ab omni formidinis ac cupiditatis vitio mens libera. Hinc hominem judiciariam digni-

4. Animi fortitudo.

tatem ambientem monebat Ecclesiasticus cap. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Unde mox laudatus Albinus cap. 21. *Quatuor modis*, inquit, *Justitia in judiciis subvertitur; timore, cupiditate, odiô, amore:* TIMORE, *dum metu potestatis alicujus veritatem judicare quislibet pavescit:* CUPIDITATE, *dum premiô muneris alicujus corrumpitur judex:* ODIÔ, *dum cujuslibet inimicitia contrà nocere ulteri desiderat:* AMORE, *dum amicos, vel propinquos contra justitiam defendit potentior.* His ita præmissis, duo sunt hîc determinanda: *Primum*, an hæ omnes quatuor æquissimi & absolutissimi judicii conditiones Christo competant. *Secundum*, an judiciaria potestas ipsi conveniat, quà Deus, vel quà homo.

CONCLUSIO PRIMA.

III. Christus erat judex. Probatur 1. ex Scriptura.

CHristo convenit judiciaria dignitas. Hæc est de fide apertè determinata in Scriptura sacra plurimis testimoniis tam veteris quàm novi Testamenti. Veteris quidem, nam venturus Messias prædicitur non solùm Rex, sed etiam judex futurus, ut dictum est in præludio sectionis; & insuper constat ex illo celebri Jeremiæ vaticinio cap. 23. *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex & sapiens erit; & faciet judicium & justitiam in terra*; onde Psal. 71. prædicitur Christi Domini accurata in jure dicendo justitia, his verbis: *Iudicare populum in justitia & pauperes tuos in judicio.* Et Psal. 97. *Iudicabit orbem terrarum in justitia & populos in æquitate.* At longè perspicaciùs hæc judicaria Christi dignitas apparet ex novo Testamento, maximè Matth. 25. & Lucæ 13. ubi Christus ipse apertè declarat pompam, apparatum, ac formam ultimi & generalis judicii, cui præesse debet. Hinc Joan. 5. aiebat ipsemet adorandus Salvator: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et in Actis cap. 10. S. Petrus pronontiat, qoòd Christus *constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum.*

2. Quia habet conditiones, ad perfectum judicem requisitas.

Probatur insuper hæc veritas eò quòd omnia quæ in judice sont optanda, Christus Dominus excellentissimè continet: hic est enim qui *peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*; & subinde probitate summâ, & eximiâ sanctitate fulget; unde meritò Clemens Alexandrinus 1. Pedagog. cap. 2. *Solus Dei Filius judex est; quod neque peccare potest, & ab humanis animi perturbationibus penitus est liber.* Hic est quem nihil latet, Deus enim est cujus oculi lucidiores sunt super solem. Unde S. Ambrosius lib. de Interpellatione cap. 2. *Qui se existimat ab eo qui omnia videt non videri, & tenebris credit commissa sua posse celare, umbram prætendit: sed frustrà latere se credit cùm oculus Domini lucidior sole, occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, & intimi cordis penetret conscientiam; atque in alta & profunda descendat.* Hic est tandem de quo Isaias vaticinatur cap. 11. *Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Quapropter Pater æternus per eundem Isai. cap. 42. de Incarnato Filio pronuntians, ait: *Dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret; & lignum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium.* Qoibus omnibus constantissimum est judiciariam dignitatem Christo Domino convenire; an autem hæc ei attribuatur, ut homo est, an ut est Deus, jam est determinandum.

CONCLUSIO SECUNDA.

IV. Principaliter quia Deus est.

CHristo Domino judiciaria dignitas & potestas convenit principaliter quà Deus est: minùs verò principaliter quà homo. Ita Doctor in 4. d. 48. q. 1. n. 7. Quòd judicare debeat principaliter *quatenus Deus*, probat Doctor ex eo quod judicium principale est perfecta & prima determinatio ejus, quod est reddendum alicui secundùm merita: quæ perfecta determinatio includit completum dictamen intellectûs, quòd hoc sit reddendum, & completam determinationem voluntatis per velle efficax, sufficiens ex se ad executionem illius determinati: sed Christus secundùm naturam humanam, non potest habere tale velle respectu primi objecti ipsi judicato; quia non potest habere imperium principale efficax conjungendi aliquam animam objecto beatifico, quia secundùm S. Augustinum lib. de videndo Deo: *In ejus potestate est videri: si vult videtur, &c.*

Confirmat. Si Christus quà homo judicare posset principaliter, maximè quia ut Redemptor habet dominium super homines, & etiam quia illos ut Redemptor admittit ad regnum: sed hæc duplex ratio non convincit. *Non quidem prima*, quia, inquit, per actum redemptionis non meruit principale dominium respectu hominis. Probatur; nam in quantùm Redemptor habuit rationem causæ meritoriæ pro nobis: causa autem, quæ tantùm est meritoria, non potest esse principalis; non enim causat, nisi ab aliqua causa principaliori acceptetur, quæ propter istud acceptum principaliter causat: ergo esto quòd Trinitati propter redemptionem teneremur, tanquam Domino supremo novô quôdam jore ultra jus dominii, quod habet ex creatione (quod verum esset si tantùm bonum esset nobis redemptio ut accepta à Trinitate, quantùm creatio) adhuc non sequitur quòd Christo secundùm naturam humanam ratione Redemptoris obligamur, ut supremo Domino. *Non etiam secunda*, qnia, inquit Doctor, Christus beatus in regnum cœlorum non inducet ut principalis inducens, sed tantùm ut causa meritoria. Unde veterum Theologorum aliqui judicem fore dixeruut Christum, non quà homo est, sed quà Deus, ut Cyrillus in Epistola ad Valerianum: *Deus*, inquit, *Verbum homo factus, & inter viros numeratus, nempe ita nobiscum appellatus; nihilominus judex erit quatenus Deus & Dominus, & unus Filius in quo inest etiam tum Deus & Pater.* Hinc lib. 2. in Joan. cap. 7. probat Christum esse Deum ex eo quòd nulli alteri cum Deo conveniat orbem terrarum judicare: ac postea Deum Patrem dicit judicandi functionem exercere per Filium; *Vt enim*, inquit, *cum in se ipso habeat hoc, ut omnia possit creare, per filium creat, tanquam per virtutem vimque suam: sic habens ut judicare possit efficiet hoc per filium, tanquam per justitiam propriam: quemadmodum si dicatur ignis efficientia, quæ ex ipso secundùm naturam est, concedere uti comburat.* Quod utique verum est, si principalem ac authoritativam judicandi potestatem spectes.

Secunda pars etiam constat: nempe quòd Chri-

stus quà homo, habeat potestatem sibi divinitus
» commissam judicandi: Nam voluntas Christi, in-
» quit Doctor *num.* 9. determinat subautenticè si-
» ve commissariè tali commissione, quòd licèt illa
» voluntas non imperet principaliter, sicut nec prin-
» cipaliter dominatur: tamen bene imperat sicut
» habens imperium respectu imperati: sed com-
» missariè imperat, quia imperat ut habens impe-
» rium subordinatum supremo Dei dominio, &
» adhuc sic imperat quòd imperium ejus efficaciam
» completam habet ab eadem persona; *unde con-*
» *cludit*, quòd si aliam authoritatem judicandi tri-
» buat aliquis animæ Christi, videtur blasphemia,
» attribuendo naturæ creatæ, quod est proprium
» Creatori.

Minus principaliter quatenus homo.

Hinc omnes authoritates Scripturæ sacræ, quibus probare videtur Christum ut hominem habere authoritatem supremam judicandi vivos & mortuos: Ut Joan. 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et infrà: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Et ad Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Et Actorum 10. *Ipse est*, inquit Petrus Apostolus, *qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum.* Et cap. 13. S. Paulus apud Areopagitas verba faciens: *Eo quòd statuit diem*, inquit, *in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Hos (inquam) & similes Scripturæ textus dicit Doctor intelligendos esse de authoritate, vel potestate judiciaria, non quidem principali, sed subordinata; tamen eminentissima, quæ potest esse sub principali.

Eandem veritatem simili penè ratione probat Seraphicus Doctor in 4. d. 48. art. 5. quæst. 1. ubi cùm dixisset ad completam judiciariam potestatem duo requiri, nempe *authoritatem in sententiando, & potestatem in retribuendo præmium secundùm merita*, dixissetque hoc utrumque principaliter inesse Deo, subdit: Hæc duo communicavit Deus Trinitas homini Christo, authoritatem dando & dominium sicut dicitur: Dominum fecit
» hunc Jesum: potestatem etiam dedit sibi cætera
» subjiciendo: *Data est mihi omnis potestas.* Et ideo
» ipse est qui *constitutus est à Deo judex vivorum, &*
» *mortuorum*, sicut dicitur. Quoniam ergo potestas
» judiciaria respicit illa duo jam dicta, & illa sunt
» in Deo per naturam: & in Christo homine per
» gratiam: Ideo judiciaria potestas est Christi se-
» cundùm Divinitatem per naturam, secundùm
» humanitatem collata per gratiam. Unde secun-
» dùm utramque naturam habet authoritatem, sed
» secundùm Divinitatem principalem & natura-
» lem, secundùm humanitatem commissam, unde
» constitutus est.
» Cùm igitur sit potestas primaria in Deo, sed
» commissa in homine Christo, latio sententiæ de-
» bet fieri à Christo homine secundùm humanita-
» tem, quia si fieret secundùm potestatem prima-
» riam, cùm secunda nihil det primæ, non esset
» verè judex secundùm humanitatem: sed quando
» secunda operatur, cùm recipiat à prima, ratio ju-
» dicandi residet penes utramque; secunda enim
» recipit à primâ. Ideò latio sententiæ fiet à Christo
» secundùm humanitatem: sed quia Christus est
» Deus & homo, sententia ejus non erit tanquam
» judicis delegati, sed tanquam principalis, & ideo
» ab eo propter utramque potestatem nullus poterit
» appellare. Hæc Seraphicus Doctor

Duo requiruntur ad completam judiciariam potestatem.

VI. *Dices*: Christus ipsemet à se ablegat judiciariam dignitatem & potestatem: ergo non est ipsi peculiariter attribuenda. Patet antecedens ex illo Joan. 12. ubi Christus ait: *Siquis audierit verba mea & non custodierit, ego non judico eum; non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum: qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum.*

Christus non venit ut judicet mundum in primo adventu, sed in secundo ad id est venturus.

Nego consequentiam; & ad antecedens dico Christum esse intelligendū, quòd in primo suo in mundum adventu, venerit quidem non judicaturus, sed judicandus. Unde quandiu inter mortales vixit, noluit judicis dignitatem sibi arrogare, ut constat ex Lucæ c. 12. ubi cùm quidam de turba dixisset ei: *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*, Christus respondit; *Homo quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Non autem loquitur de secundo suo adventu ad homines judicandos in extremo omnium die: de hoc adventu loquitur Matth. 25. & Lucæ 13. *Vel* intelligendus est quòd non judicabit quà Filius Dei tanquam judex aspectabilis, & in forma sensibili, quam duxtaxat habebit quatenus homo. Sic interpretatur sanctus Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 13. ubi egregiè componit omnes Scripturæ textus de futuro hominum judicio, qui videntur invicem pugnare: *Dicimus*, inquit, *quia secundùm id quòd Deus est, judicat: hoc est, ex potestate divina, non humana: & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est, &c. Quapropter Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, quâ Filius Dei est.* Et rursus: *Filius Dei judicaturus est, nec tamen in eâ formâ apparens, in qua Deus est æqualis Patri. Itaque utrumque dici potest, & Filius hominis judicabit, & non filius hominis judicabit: quia filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Matth. 25. Cùm venerit Filius hominis, tunc congregabuntur ante eum omnes Gentes. Et non Filius hominis judicabit, ut verum sit quod ait Ioan. 12. Ego non judicabo, & Ioan. 8. Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet. Nam secundùm id quod in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit; nec ipse Pater judicabit: secundùm hoc enim dictum est Ioan. 5. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio suo.* Sic pariter in Tractatu 21. in Joan. hunc locum exponit sic: ut Pater neminem judicaturus esse dicatur, tanquam judex aspectabilis; & cum judiciario apparatu jurisdictionem exercens: ut sunt sessio in tribunali, cognitio causæ, reorum citatio, & alia ejusmodi: ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum & mortuorum: sed omnes Filium: quia & filius hominis est, ut possit ab impiis videri; cùm Zach. 12. *Et illi videbunt in quem pupugerunt.*

VII. Christus judicaturus est non in forma deitatis, sed humanitatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Christi functionibus & ministeriis.

AD illas deinceps Christi Domini dotes præcellentiasque nostra disputatio labitur, quæ maximè spectant illius opus & ministerium, ad quod à Deo Patre destinatus est, nimirùm ut esset hominum ad Deum Mediator, Salvator & Pontifex. *Mediator*, inquam, ut qui sanguine suô solveret peccata nostra, quibus separamur à Deo, & interpositus redderet nos ei, & reconciliaret à quo aversi in peccatis nostris & delictis tenebamur, inquit sanctus Augustinus in Psalm. 90.

I. Christus D. est Mediator, Salvator & Pontifex.

Salvator autem & Redemptor, qui suorum meritorum propriique fusi sanguinis pretiô nostrum debitum exolveret, & divinæ justitiæ pro nostris delictis faciens satis, nobis divinam indulgentiam, gratiam & gloriam mereretur. *Pontifex* tandem, qui proprii corporis sacrificiô in cruce cruentè, in altari verò novæ legis Sacerdotum manibus incruentè oblatô, æterno Patri in hominum gratiam & salutem litaret, nec-non & suis precibus & interpellationibus ad dexteram Dei sedens Deum nobis propitium efficeret. Hanc igitur triplicem Christi Domini functionem in totidem sequentibus sectionibus suscipimus explanandam.

SECTIO PRIMA.

De Christo Domino Mediatore.

CHristum Dominum hominum Mediatorem esse nemo absque errore manifestè detrectare potest. Hoc enim apertissimè testatur Apostolus 1. ad Timoth. 5. *Vnus enim Deus*, inquit, *unus & Mediator Dei & hominum Christus Iesus*, Mediator, inquam, est tum naturâ, tum ministeriô. *Naturâ* quidem, utpote qui divinam & humanam naturam in sese complexus verus homo sit & Deus; *ministeriô* verò utpote, inquit Apostolus 2. ad Cor. 5. *Qui dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum & posuit in nobis Verbum reconciliationis.* Vel ut loquitur ad Ephes. 2. *In Christo Iesu vos qui eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in uno novum hominem, faciens pacem, & reconciliat ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso, & veniens evangelizavit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem iis qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.* Quibus apertè constat Christum esse reverà mediatorem inter Deum & homines. Difficultas autem est quâ ratione Christus Dominus Mediatoris partes sustineat: nimirum vel ratione Divinitatis duntaxat, vel ratione solius humanitatis assumptæ, vel utriusque naturæ simul, ut revera dicatur Mediator, non solùm ministeriô sed naturâ: Similiter in controversiam venit quidnam nobis præstiterit divinus ille Mediator, seu quam pacem & reconciliationem nobis conciliaverit; quæ omnia patebunt in sequentibus quæstionibus.

Christus D. in Scriptura S. Mediator appellatur.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum & quâ ratione Christus censeatur Dei & hominum Mediator.

Quinam hæretici erraverint circa Christum ut mediatorem.

NOtandum primò, variam extitisse & etiam nunc vigere Catholicos inter & hæreticos de Christo Mediatore controversiam, imprimis enim Ariani, qui veram Dei Filio, & eandem cum Patre divinitatem ausi sunt detrahere; ideo illum Mediatorem nominari dixerunt, quòd mediæ cujusdam inter Deum verum hominesque substantiæ esset, quæ ut hos antecelleret, sic illo esset inferior, ut testatur S. Cyrillus Alexandrinus dialogô 1. de Trinit. quò etiam spectat eorumdem Arianorum vecors illa impuraque sententia, qui Deum Patrem asserebant creatas res omnes moliri cupientem, priùs Verbum suum tanquam instrumentum edidisse, & eo administro universum creasse. *Addebant* autem ad incrementum blasphemæ doctrinæ suæ insanam hanc rationem; nempe quòd idcircò Deus talem sibi ministrum comparaverit, quòd creata nulla res meram summi artificis efficientiam ac virtutem sustinere queat, ac propterea opus fuisse primùm creari mediam quandam substantiam & virtutem, quæ ratione suæ excellentiæ propiùs ad Deum accedat, ratione verò suæ creationis aliquod cum cæteris creaturis commercium & temperamentum haberet. Quam utique insanam & detestandam doctrinam tradidit Eusebius Cæsariensis lib. 1. contra Sabellium, ibi enim cùm unigenitum Dei Filium ad mundi procreationem & conservationem necessarium esse dixisset; hoc sibi objicit & respondet, *Sed fortasse dicis: non sufficit enim Pater? Non quia non sufficiens Pater, ideo genuit Filium: sed quia non sufficiebant ea quæ facta sunt sufferre potestatem, ideò per Mediatorem loquitur.* Necessum est igitur ad hanc perfidiam revincendam hîc apertis Scripturæ textibus & continuâ SS. Patrum quôvis sæculo doctrinâ demonstrare Dei & hominum Mediatorem Jesum Christum, ambas utriusque naturas in eadem persona sua conjungere, & sic reverà esse Mediatorem inter Deum & homines secundùm naturæ statum.

Ariani.

Notandum secundò, duplicem alteram de Christo Mediatore opinionem hæreticam, utramque & ab hæreticis authoribus profectam, à quibus in medio posita fides Catholica dissentit; nam alii Christum tantummodò quà homo est, Mediatorem esse contendunt; non verò quatenus est Deus: alii quà homo quidem est ac Deus; ita tamen ut Divinitas illius Mediatricis functiones interdum usurpet. Prioris erroneæ opinionis istius assertor perhibetur *Franciscus Stancarus Mantuanus*, in Academia Regio-Montana in Borussia Theologiæ; vel ut alii volunt Hebraïcæ linguæ Professor qui acriter militans in errorem Osiandri ibidem Professoris partes agentis qui ut novum quid moliretur, asserebat justitiam quâ homines justi coram Deo censentur, ipsam esse Dei justitiam illis inexistentem, non verò eam Christi meritis adeptam justitiam quæ credentibus in Christum gratiæ imputetur, ut Lutherani & Calvinistæ prædicabant. Unde asserebat Christum esse justitiam nostram ratione solius Divinitatis suæ, non humanitatis. Eò contentionis æstu processit Stancarus, ut oppositum ex adverso errorem propugnaverit, docens non divinæ sed humanæ tantummodò naturæ ratione, Christum esse justitiam nostram & salutis artificem. Quod confirmare nitebatur non solùm Scripturæ sacræ & SS. Patrum oraculis, sed etiam Theologorum placitis, quos tanti faciebat, ut dixisse eum referat Conradus Schulsset-Burgius Lutheranus lib. *de Stancaristis: Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanctones, trecenti Bullingeri quadringenti Petri Martyres, & quingenti Calvini; qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ:* Rectè quidem dictum, ut inde appareat interdum ex erroris parente veritatem erumpere. Stancarus autem ubi vexillum

Quæ fuerit controversia inter Stancarum & Osiandrum hæreticos.

novæ

novæ suæ opinionis sustulit, in ipsum pugnare cœperunt non solùm Catholici Doctores, sed etiam sectæ multiplicis & professionis hæretici, præcipuè verò Philippus Melancthon & Calvinus, qui contra Stancari dogma de Mediatore epistolas duas, unam ad Fratres Polonos, alteram quæ responsio est Genevensis Ecclesiæ nomine ab illo edita, in quibus demonstrat Christum secundùm utramque naturam, divinam & humanam, munus & officium Mediatoris usurpasse. Neque hoc reverà Catholicô dogmate contentus, eò progressus est, ut assereret etiam Verbum divinum ante susceptum hominem obiisse partes: nam in priori epistola ait: Mediatoris nomen Christo quadrare non solùm ex quo carnem induit; vel ex quo munus suscepit reconciliandi eum Deo humani generis, sed ab initio creationis jam verè fuisse mediatorem.

II. *Notandum tertiò*, Christum varias habere tum ad Patrem, tum ad Deum, tum ad nos habitudines & relationes, quas pulcherrimè refert & expendit Leontius Byzantinus, qui Justiniani primi Imperatoris tempore floruit lib. 1. contra Eutichen; ubi inter cætera hæc habet: Cùm igitur sex habitudines contemplemur (nimirum in Incarnationis mysterio) duas, Patris ad Verbum, & Verbi ad Patrem: duas deinde Verbi ad carnem, & carnis ad Verbum: duas præterea Christi ad nos, & nostras ad ipsum. Tres fiunt generales conjugationes. Ac prima quidem habitudo conjugationum sic habet, ut tertia quidem à prima, secunda verò à media. Illa enim, quibus media inter se conveniunt, contrariô modô se habent, atque in media, sicut contrà, media. Quibus enim contrariè habet ad seipsam, convenienter habet ad extrema; & quibus rursus convenienter habet ad seipsam, convenienter habet ad extrema. His breviter dictis conabor explanare exempló. Sint positæ tres res, anima simpliciter, corpus simpliciter, homo ex anima & corpore compositus, & horum inter se habitudines, ut animæ ad animam; animæ ad corpus suum; hominis ad corpus simpliciter, & ad animam simpliciter: anima quidem ad animam sic se habet, ut eâdem ratione substantiæ sit unita; differente verò hypostasi discretâ. Hæc est prima, & extrema habitudo conjugationum. Anima verò ad suum corpus sic se habet, ut diversitate naturæ discreta sit; unita verò ratione hypostasis, quam vita mutuò accepta, & reddita perfecit; hæc secunda, eademque habitudo media servat. Homo verò ad corpus simpliciter, & ad animam simpliciter relatus, tanquam totus omninò ab istis discretus, propter habitudinem ad partes suas, secundùm communionem cum ipsis facit. Quare Christus ad nos, & ad Patrem relatus, tanquam totus ex partibus, propter partes suas medius est inter extrema, ex toto hypostasis, relatus ad Patrem, propter Divinitatem cum humanitate: & ex toto hypostasis relatus ad nos, propter humanitatem cum divinitate permutatis habitudinibus, secundùm distinctionem, & unionem, quas secum propter suas partes habet; & quas cum Patre, & nobiscum habet, propter convenientiam partium cum extremis. Hæc Leontius.

Christus tum ad Patrem, tum ad Deum, tum ad nos habet relationes.

CONCLUSIO PRIMA.

III. *Christus Dominus reverà est Mediator inter Deum hominesque, non solùm ministeriô sed etiam statu, quod naturam divinam & humanam in unitate ejusdem personæ complectatur.* Probatur primò ex Apostolo ad Heb. 20. qui ut ostendat Dei Filium esse Mediatorem Dei & hominum, necesse, ait, ut naturæ hominum fieret particeps in eaque pateretur: *Decebat enim*, inquit, *eum propter quem omnia, & per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per Passionem consummare.* Et paulò post. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Et infra: *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi:* quò etiam spectant omnia ista divina Scripturarum oracula, quæ asserunt Dei Filium, idcirco hominem factum, & in mundum advenisse, ut peccatores salvos faceret, & humanum genus è dira diaboli captivitate eriperet & liberaret.

Christus reverà est mediator inter Deum & homines.

Eamdem veritatem quôvis sæculô constantissimè docuerunt omnes SS. Patres utriusque Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ, quos in longum refert Petavius libro 12. at quia operosum esset & fortasse superfluum hîc recensere, eos solùm commemorabo, qui præclariùs & apertiùs hanc veritatem constantissimè docuerunt.

Quinam præcipui Patres de Christo ut mediatore locuti sunt.

Greg. Nyss. Prodit imprimis Greg. Nyssenus in lib. 1. contra Eunomium ubi mediatoris officia sic explicat, ut etiam denotet eum propter utriusque naturæ divinæ & humanæ complexionem reverà medium inter Deum & homines fuisse: *Defectionem fecit aliquando genus hominum adversarii improbitate deceptum*, inquit, *& in peccati servitutem redactum ab vera vita est alienatum. Instaurat posteà fictum à se opus operis Dominus, & homo fit cum eo quod jam erat Deus; adeo ut & totum jam illud esset, & totum illud factum fuerit, atque hôc modò cum Deo mista & temperata est humana natura, mediatore ac sequestre homine illô, qui est in Christo cum quo totâ virtute per assumptas nobis primitias massa temperata coaluit. Quoniam igitur Mediator unius non est, Deus autem unus est; isque nullo modò in illis quas fides nobis tradit personis dividitur; siquidem una in Patre, & Filio, & Spiritu sancto divinitùs inest: idcirco Mediator semel Dei & hominum fit Dominus, hominem per sese cum Divinitate conjungens.*

Irenæus. Irenæus lib. 3. cap. 20. *Oportebat*, inquit, *Mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam & concordiam adducere; ac Deo quidem repræsentare hominem, hominibus verò Dei communicare notitiam.* Athanas. Athanasius in lib. de natura humana suscepta: *Verus* inquit, *Deus est Filius, & antequam homo fieret, & postquam factus est mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, unitus Patri secundùm Spiritum sanctum, nobis verè secundùm carnem, atque ita mediatoris partibus functus inter Deum & homines, qui non solùm homo est, sed etiam Deus.*

Tertul. Græcis Patribus & Theologis consentiunt Latini: imprimis verò Tertullianus, qui lib. de Resurrectione carnis de Christo mediatore sic loquitur: *Hic sequester Dei, atque hominum appellatus ex utriusque Patris deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summa totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritûs reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius summa illuc quandoque redigenda:* aptissimâ voce

usus est Tertullianus *sequestrem* vocans, qui mediator dicitur ejosque vim rectè declarans utriusque depositum ab illo servari dixit, hunc enim propriè nominari sequestrem docent jurisperiti, apud quem plures rem, de qua controversia est, deponunt.

Hilari. Hilarius lib. 9. *Mediator ipse*, inquit *ad salutem Ecclesiæ constituens, & illô ipsô inter Deum & hominem, mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse unitis in idipsum naturis, natura utriusque res eadem est: ita tamen ut neutrô careret in utroque, ne fortè Deus esse homo nascendo desineret, & homo rursum Deus manendo non esset.*

August. Augustinus imprimis eruditè & copiosè hanc veritatem pluribi explicat, sed maximè lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. ultimô. *Quia*, inquit, *omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur: ab æterna justitia, temporalis nos iniquitas alienabat. Opus ergo erat mediâ justitiâ temporali, qua medietas temporalis esset, de imis mixta, & summis: atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem, & hominem mortalem, Deus & homo reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat.*

Rursus in tractatu in Tob. 8. & Psal. 6. mediatorem inter Deum & homines Christum Jesum ad hoc esse dicit, ut eos, qui recesserunt per se reconciliet: medius enim non est nisi inter duos; recesseramus à Majestate Dei, & peccatô nostrô offenderamus eum. Missus est Filius mediator, qui sanguine suô solveret peccata nostra, quibus separamur à Deo, & interpositus redderet nos ei, & reconciliaret, à quo aversi in peccatis nostris & debitis tenebamur. Tum in sermone 120. de diversis. *Vt autem mediator esset*, inquit, *inter Deum & homines, inter justum & injustos, inter immortalem, & mortales, assumpsit aliquid ab injustis, & mortalibus, servans aliquid cum justo, & immortali. Cum justo enim & immortali servans justitiam, ab injustis & mortalibus assumens mortalitatem, factus est in medio reconciliator, dejiciens, murum peccatorum nostrorum.*

Fulg. Præclarè etiam accuratéque Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum, & cap. 15. Mediatoris naturam descripsit. *Cunctos*, inquit, *prætereà qui salutis esse cupiunt æternæ participes, oportet agnoscere pariter, & tenere, nec incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei, & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, & idem homo totam in se habet substantiam Deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus à Deo, inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: & ad reconciliandum hominem Deo, totumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque, in utroque unus Christus esset, ut plenitudo Deitatis susceptum non consumeret, sed proveheret hominem, & plenitudo humanitatis, nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem, ac si hominis natura quæ mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se mediator Dei & hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare.*

Denique, Rupertus in lib. 10. de divinis officiis, cap. 6. sic scribit: *Anteà inter Creatorem, & creaturam nullum fuisse medium. Nam*

A *quid erat, aut Creator erat, aut creatura. Vt ergò medium inveniretur perfectæ societatis vinculum, hic introductus est, qui ex eo Creatorem, & creaturam firmius annecteret; quia unus idemque Christus utrumque est, Creator videlicet, atque creatura: Creator, quia Deus: creatura, quia homo.*

His omnibus authoritatum momentis constat contra Arianos & alias ejusmodi pestes, Christum Dominum reverà habere rationem mediatoris, qui utramque naturam divinam & humanam in se sociat & ratione utriusque perfectum ac omnibus numeris absolutum mediatoris munus sustinet & implet.

Conclusio Secunda.

IV. Non solùm statu, sed officio; ratione naturæ subsistẽtis in supposito divino.

B *Christus Dominus fuit Dei & hominum mediator officiô, ratione quidem naturæ humanæ, non simpliciter & absolutè spectata, sed ut subsistentis in supposito divino.* Probatur, quia oportet mediatorem distingui aliquâ ratione saltem ab eo ad quem fit ista mediatio, tanquam ad principalem partem: atqui Christus Dominus non distinguitur à Patre divino, ad quem tendebat ista mediatio, nisi ratione humanæ naturæ: ergo Christus est mediator ratione humanæ naturæ. Quia tamen oportebat naturam illam mutuari dignitatem aliquam aliunde, quàm à seipsa, ut perfectior esset mediator, idcirco dicitur mediator non simpliciter ratione naturæ humanæ: hæc sufficienter C probata manet ex præcedenti.

V. Filius non est unus cum Patre sed unum.

Objiciebat Stancarus; Nemo potest esse mediator sui ipsius: atqui si Christus esset mediator secundùm naturam divinam, esset mediator suiipsius, quia est unus cum Patre & Spiritu sancto: igitur non potest esse mediator secundùm naturam divinam, sed duntaxat secundùm humanam.

Respondeo primò, falsam esse minorem, prout eam proponit Stancarus: non enim verum est quòd Filius sit unus cum Patre, sed unum, id est, non est una Persona, sed una natura vel substantia. *Respondeo secundò* ad majorem, quòd si Chri- D stus non ut Deus tantùm, sed ut Deus & homo simul consideretur, tam à Deo distat quàm ab homine, & cum utroque pariter convenit, in quo medii, sive mediatoris ratio consistit. Unde cùm Filius neque penitus ipse sit qui Pater, aut Spiritus sanctus, cùm ab utroque propriâ relatione & hypostasi sit distinctus: inde fit quòd hâc ratione non sit mediator suipsius, etiam quà Deus est, quia hoc munus mediatoris convenit illius personæ non solùm quatenus terminat naturam divinam, sed etiam quatenus humanam terminat & afficit.

VI.

Instabat: Christus ratione illius naturæ fuit mediator, per quam nos reconciliavit Deo: at nos reconciliavit Deo tantùm ratione humanæ natu- E ræ; *reconciliati enim sumus Deo per mortem Christi*, ut ait Apostolus ad Rom. 5. unde Magister sententiarum d. 19. docet Christum esse mediatorem ratione naturæ humanæ, quod utique probat authoritatibus S. Augustini dicentis in expositione tertii capitis ad Galatas; *Mediatorem, Iesum Christum secundùm hominem dici, ex illa ejusdem Apostoli sententia, fit plenius, cum ait, Vnus est Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, &c. Restat ergo ut qui mediatore superbô diabolô, superbiam persuadente dejectus est, mediatore humili Christô humilitatem persuadente erigatur.* Et lib. 10. Confessionum cap. 43. *In quantum enim homo, in tantum mediator: in quantum autem*

Verbum, non medius, qui æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritusancto unus Deus; Et ad Psal. 103. Christus mediator inter hominem & Deum; non quia Deus, sed quia homo: non quia Deus æqualis Patri: sed si æqualis Patri non mediator. Ad hæc tractatu 62. in Joan. *Mediator*, inquit, *Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantùm est homo Iesus Christus.* Has etiam authoritates objiciebat Stancarus.

Reconciliati sumus Patri per mortem Filii.

Verùm ex illis authoritatibus tam Apostoli quàm S. Augustini nihil quod Stancari erroneæ sententiæ non adversetur colligi potest; reconciliati quidem sumus Deo per mortem Christi, quia mors illius summi & moraliter infiniti erat valoris & pretii, non propter naturam humanam duntaxat, sed propter illius unionem & societatem personalem cum divinâ, ut diximus aliàs.

Ad S. Augustinum autem dico eum nihil aliud significare quam quod Filius Dei qua Deus est, ante incarnationem non fuerit mediator: sed tum demum subierit statum & munus mediatoris cùm homo factus est, siquidem per incarnationem mediator extitit, tum ratione statûs, quia medius fuit inter naturam humanam & divinam, non ratione humanæ naturæ tantùm, nec ratione divinæ tantùm, sed ratione utriusque, in eadem personâ subsistentis, tum ratione officii & ministerii, siquidem mediatoris opus & officium per humanitatem administravit.

Discrimẽ inter medium & mediatorem à Seraph. Doctor.

Unde Seraph. Doctor d. 19. a. 2. q. 2. docet distinguendam esse rationem Christi ut *medii*, & *mediatoris*. Differt enim, inquit, medium à mediatore: medium namque dicit convenientiam cum extremis, mediator autem dicit non tantùm convenientiam, sed etiam officium reconciliationis. *Subinde docent* quod medium inter duas naturas potest tripliciter accipi, aut ita quod in eo concurrant duæ naturæ, sicut in una naturâ tertiâ: aut ita quod in eo concurrant duæ naturæ sicut in unâ personâ: aut ita quòd in eo concurrant proprietates duabus naturis conformes. *Primò modò* accipiendo medium, nihil potest esse medium inter humanam naturam, nec Christus, nec aliud; quia non potest ex humanâ naturâ constitui aliquod tertium. *Secundò modò* accipiendo medium, sic Christus est medium inter humanam naturam & divinam, in quantùm est una persona in duabus naturis, non ratione humanæ naturæ tantùm, nec ratione divinæ tantùm, sed ratione utriusque. *Tertiò modò* accipiendo medium, Christus est medium inter Deum, & homines secundùm humanitatem, in quantùm habet mortalitatem simul & beatitudinem. Mortalitatem, inquam, in quâ communicat cum hominibus: beatitudinem in quâ maximè communicat cùm Deo. Si verò quæratur, qualiter & secundùm quam naturam Christus sit mediator, cùm mediator dicat officium reconciliationis, & mediator debeat differre ab illis quos reconciliat, & Christus secundùm divinam naturam sit ille cui fit reconciliatio, dicendum quod non potest esse mediator secundùm divinam naturam, sed secundùm humanam naturam, in qua potest reconciliare secundùm diversas proprietates, in quibus communicat cum Deo & cum homine. Habebat enim justitiam & innocentiam, in quâ communicat cum Deo, & mortalitatem in quâ communicat cum homine: & dum mors conjungitur justitiæ, in eodem confœderatur homo peccator, & mortalis Deo justo & immortali, reconciliati enim sumus Deo per mortem hominis innocentis.

Urgebat. Medium debet esse inter extrema: ergo mediator Dei & hominum debet esse infra Deum & supra homines: sed Christus secundùm divinam naturam non est inferior Deo: igitur secundùm divinam naturam non potest esse mediator, & consequenter est duntaxat mediator secundùm naturam humanam.

VII. Christus est medius inter Deum & homines ratione personæ non naturæ.

Distinguo antecedens: Medium debet esse inter extrema ratione statûs aut personæ, concedo: ratione naturæ, nego: igitur Christus est quidem medius inter Deum & homines ratione sui statûs, aut personæ, quia simul est Deus & homo, non autem ratione alterutrius naturæ, quia secundùm naturam divinam est idem essentialiter cum Patre & Spiritu sancto, secundùm verò naturam humanam est ejusdem sortis & naturæ cum hominibus.

VIII. Christus sibi ipsi satisfacere potuit & pro aliis persolvere.

Instabat: Christus eâ ratione est mediator quâ pro nostris debitis satisfactionem Deo dedit: at non satisfecit pro peccatis nostris secundùm naturam divinam, quia secundùm illam idem erat cum Patre, & consequenter si secundùm illam naturam satisfecisset, consequens esset, quòd satisfactionem sibi exhibuisset: at nullus potest sibi ipsi satisfacere: ergo necessum est quòd fuerit duntaxat mediator secundùm naturam humanam.

Nego minorem: nihil enim obstat, ut diximus agendo de satisfactione Christi Domini, quominùs unus & idem homo diversis titulis debitor sit & creditor; & subinde quòd sibi ipsi satisfacere possit, ut constat de tutore & actore, qui potest quatenus homo particularis, aliquid pupillo suo debere, & ut tutor illud sibi persolvere.

QUÆSTIO II.

Quam reconciliationem & pacem nobis conciliaverit & obtinuerit divinus ille Mediator?

I. Primum mediatoris munus, est inter se dissidentes pacificare.

NOtandum primò, ex Petavio lib. 12. cap. 6. omnium officiorum quæ mediatori propria sunt, ejusque muneri consentanea, est pacificatio dissidentium inter se, & ad mutuam concordiam animorum conciliatio. Conciliationis autem inter Deum & homines obtinendæ & exequendæ gratiâ missum esse à Patre Filium apertissimè testantur Scripturæ sacræ: maximè verò S. Apostolus pluribi, ut cōnstabit infrà. Ut autem susceptũ hoc à præclarissimo illo humani generis pacificatore munus conciliandæ pacis faciliùs intelligi, & quanti sit æstimari possit; observandum est ex S. Augustino lib. 19. de Civitate cap. 13. *Pacem esse tranquillitatem ordinis.* Quam definitionem sic ipsemet elucidat; *Pax corporis*, inquit, *est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita, & salus animantis. Pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide sub æternâ lege obedientia. Pax hominum ordinata concordia. Pax domûs, ordinata imperandi atque obeundi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis.*

II. Pax est tranquillitas ordinis ex S. August.

Notandum secundò, ex eodem sancto Augustino

Unde duo ad pacẽ req.

cessaria sūt ordo & trā-quillitas.

ibidem ad perfectam & absolutam pacem duo esse necessaria, ordinem videlicet & tranquillitatem: *Ordo*, inquit, *est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Hinc lib. 5. cap. 12. pacem per solam convenientiam explicat, scribens Deum aptè universum temperasse, & congruenter ordinasse. *Qui non solùm cœlum & terram*, inquit, *nec solùm Angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulas, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientiâ, & quadam veluti pace dereliquit.* Verùm præter congruentiam partium, tranquillitatem insuper in illo altero loco ejusdem operis requirit. *Siquidem miseri*, ait, *quia in quantum miseri sunt, utique in pace non sunt: tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est: Veruntamen quia meritò, justèque miseri sunt, in eâ quoque ipsâ suâ miseriâ præter ordinem esse non possunt, non quidem conjuncti Beatis, sed ab eis tamen ordinis lege sejuncti.* Quos etiam ait certis rebus nonnullam ordinis tranquillitatem habere, quoniam ipsis coaptantur, & eatenus nonnullam ipsis inesse pacem. *Verùm ideo miseri sunt*, inquit, *quia etsi in aliquâ securitate non dolent, non tamen ibi sunt, ubi securi esse ac dolere non debeant; cùm autem dolent, ex quâ parte dolent pacis perturbatio facta est. In illâ verò adhuc pax est, in quâ nec dolor urit, nec compago ipsa dissolvitur.* Denique uti natura est aliqua, in quâ nullum malum est: nec esse potest, velut Deus; *Esse autem natura in qua nullum bonum sit, non potest*, nec diaboli quidem: *Sic est pax quadam sine ullo bello: bellum verò sine aliquâ pace non potest.* Quamobrem necessaria est ad pacem aliqua tranquillitas, & quies, quæ perturbationi ac bello est opposita. Hinc Augustinus in Psal. 84. *Pax quid est?* inquit, *ubi nullum bellum est. Quid est ubi nullum bellum est? ubi nulla est contradictio: ubi nihil resistis; nihil adversum est.* Ita vel nihil, vel parum admodum *pax à concordiâ* differt, si universè sumatur. Ita ex Petavio.

III. Peccatum triplex in mundum bellum intulit.

Notandum tertiò, peccatum triplicis generis in mundum bellum intulisse, nempe adversus Deum, proximum, & ipsum hominem peccatorem. Adversus quidem Deum, siquidem, ut Isaïas testatur cap. 59. iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiret. Pariter adversus proximum; nam, inquit S. Jacobus cap. 4. unde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Denique adversus seipsum, quia caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Unde necessum fuit ut Dei mediator & hominum triplicem pacem conciliaret, nempe hominis cum Deo, cum proximo, cum seipso, ut summi ac præstantissimi pacificatoris munus & partes sustineret, quod utique præstitit, ut patebit in sequentibus.

Conclusio Prima.

IV. Christus D. verus inter Deum & hominē pacificator.

CHristus Dominus hominis cum Deo bellum sustulit; & pacem inter utrumque conciliavit, ac firmavit.* Ita præclarè docet S. Apostolus 2. ad Cor. 5. *Omnia*, inquit, *ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Et ad Ephesios 2. idem Apostolus scribens, *In Christo Iesu vos, qui eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipsò in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.*

Ut egregiè explicat S. Paulus.

Hanc pacificandi, reconciliandique functionem ex iisdem & aliis Scripturæ locis illustrat Augustinus in tractatu ad Psalmum 61. qui Psalmus in Salomonem inscribitur. Porrò Salomon, inquit, interpretatur *pacificus*: ac per hoc tale vocabulum illi verissimè atque optimè congruit, per quem mediatorem ex inimicis, acceptâ remissione peccatorum, reconciliamur Deo. Etenim *cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, &c.* Ipse in Evangelio dicit, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et multis aliis testimoniis Dominus Christus pacificus esse monstratur, non secundùm pacem, quam novit, & quærit hic mundus, sed illam pacem, de qua dicitur apud Prophetam; *Dabo eis solatium verum, pacem super pacem*, cui scilicet paci reconciliationis, additur pax immortalis. Nam post omnia reddita quæ promisit Deus, novissimam pacem nos expectare debere, quâ cum Deo vivamus in æternum. Idem Propheta ostendit, ubi ait: *Domine Deus noster pacem da nobis, omnia enim dedisti nobis.* Pax erit planè illa perfecta, quando novissima inimica destruetur mors. Et in quo hoc erit, nisi in pacifico illo reconciliatore nostro? sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur.

Et ex eo S. Augustinus

Præclarè item S. Leo Papa in sermone sexto de Natali Domini, tum istud Mediatoris munus impensè ab Christo præstitum humano generi; tum ejus præstantiam commoditatemque describit his verbis. Quid enim in thesauro dominicæ largitatis, inquit, ad honorem præsentis festi tam congruum possumus invenire, quàm pacem, quæ in nativitate Domini prima est angelico prædicata concentu? Ipsa enim est quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix unitatis: requies Beatorum, & æternitatis habitaculum, cujus hoc opus proprium & speciale beneficium est, ut jungat Deo quod secernit de mundo. Unde Apostolus ad hoc bonum nos incitat dicens; *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Cujus sententiæ brevitate, omnium fere mandatorum continetur effectus: quia ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi potest deesse virtutis. Quid est autem, dilectissimi, pacem habere ad Deum, nisi velle quod jubet, & nolle quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animas, & similes expetunt voluntates, nec unquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam, quomodo divinæ erit particeps pacis, cui ea placent quæ Deo displicent, & iis appetit delectari, quibus illum novit offendi? Non est ille animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiva nobilitas. Genus electum, & regium regenerationis suæ respondeat dignitati. Diligat quod

Et S. Leo.

Nota.

» diligit Pater, & in nullo ab authore suo dissen-
» tiat.

Conclusio Secunda.

N. Dedit etiã nobis pacẽ internam.

Pacem etiam internam hominibus cum seipsis conciliavit. Probant SS. Patres hanc veritatem, imprimis verò S. Augustinus Tractatu 104. in Joan. ubi docens quibus modis & mediis per Christum instituatur & firmetur interior pax nostra. *Pax*, inquit, *Christi finem temporis non habet, & ipsa est omnis piæ intentionis actionisque perfectio. Propter hanc sacramentis ejus imbuimur; propter hanc mirabilibus ejus operibus, & sermonibus erudimur: propter hanc Spiritus sancti pignus accipimus: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus.*

Nondum quidem est perfecta & absoluta pax illa, nec suis omnibus numeris absolvetur, nisi in æternâ beatitudine. Hinc duplicem pacem nobis a Christo promissam, aliam in præsenti, aliam in futuro sæculo sic distinguit & sic expedit S. Augustinus tractatu 77. in Joan. expendens hæc verba Christi: *Pacem relinquo vobis*; ait autem, *Pacem nobis reliquit iturus: pacem suam nobis dabit in fine venturus: pacem nobis relinquit in hoc sæculo, pacem suam nobis dabit in futuro sæculo: pacem nobis relinquit in qua manentes hostes vincimus: pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus.* Ibidem etiam præclarè observat sanctissimus Doctor hanc utramque pacem significasse Christum ibidem, cùm primò dicit: *Pacem relinquo vobis*, nec addidit, *meam*, deinde subjecit, *Pacem meam do vobis.* Prior enim pax, inquit S. Augustinus, *nostra dicitur potius quàm ipsius; illi quippe nihil repugnat in seipso qui nullum habet omninò peccatum: nos autem talem pacem habemus, in qua adhuc dicamus, dimitte nobis debita nostra. Est ergo pax aliqua, quoniam delectamur legi Dei secundùm interiorem hominem: sed non est* D *plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ.*

1. Per suam doctrinam.

Porro hanc internam pacem triplici ratione nobis potissimùm conciliavit adorandus ille Mediator; nempe doctrinâ, exemplô, & auxiliô, quæ omnia ad extinguendas in nobis animi perturbationes, & inducendam pacis ac tranquillitatis jucunditatem maximè conferunt. *Primò* quidem *doctrina* illius ad hoc maximè spectat, siquidem idcirco crucem quotidie tollendo, frænandas ac domandas cupiditates, voluptatum aspernandas illecebras, laboriosum per virtutes & arduum iter capessendum in cœlum, omnia denique fomenta vitiorum & blandimenta, divinis suis præceptis & institutis nos informat, ut veram, internam pacem sedatis omnium passionum tumultibus conciliaret. Quod utique præclarè docet S. Ambrosius in Psal. 36. ubi exponens illa verba *os justi meditabitur sapientiam*, ostendit conciliationem hominis utriusque interioris & exterioris Christi beneficiô & doctrinâ factam. *Quod est justi os*, inquit, *quod meditabitur sapientiam, nisi interior homo? Duo enim sunt homines in singulis, unus interior, alter exterior; interior cogitat quæ mentis sunt, quæ mentis sunt loquitur; exterior, quæ sunt corporis, tamen adveniens Dominus utrumque conjunxit, & duos in uno homine condidit, ne diversis se se impugnent motibus, sed invicem sibi voluntatum suarum unitate socientur. Ideo os justi meditabitur sapientiam; jam enim & ipse exterior homo justus in interioris hominis trans-* A *fusus est disciplinam, & in ejus conformatus naturam, ipsius exercet officia, ut caro meditetur quod mentis interna est. Sed ne hoc incredibile tibi videatur, audi Apostolum dicentem: quia Iesus transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fieret corpori gloriæ suæ.*

2. Exemplis.

Non præcepta duntaxat Christianæ vitæ in Evangelicis & Apostolicis comprehensa litteris, sed multò magis Christi Domini præclara sanctimoniæ exempla hanc internam pacem in nobis instaurant. Quid enim aliud egit in omni vitâ, aut quò illius facta cogitataque pertinebant, nisi ut perfectum absolutissimæ sanctitatis exemplar B in se conderet ac proponeret omnibus imitandum? Quoniam autem hæc perfecta nostræ vitæ sanctimonia & interna pax maximè in consentione & concordiâ posita est; hanc mirandam consentionem sic expressit, & docuit divinus ille Salvator cùm omnes suas appetitiones ex unius nutu divinæ voluntatis arbitrioque suspendit, neque aliud præ se tulit, quàm ut voluntati ejus obtemperaret à quo in mundum missus venerat. Sic Joan. 5. *Non quæro*, inquit, *voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Item 4. *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Et ibidem: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam,* C *sed voluntatem ejus qui misit me.*

3. Gratiæ largitate.

Postremò hanc ipsam privatam in unoquoque homine pacem adversus non solùm omnes titillantes libidinum illecebras ac blandimenta voluptatum, sed etiam contra tentationes quasque suô præpotenti auxiliô ac abundantis gratiæ efficacitate ac copiâ in suis fidelibus firmavit & stabilivit, quò fit ut his divinis præsidiis firmata ac sublevata hominum imbecillitas facilè ad æternæ pacis ac tranquillitatis portum & statum enitatur. Hinc longè potentiorem Christi gratiam in fidelibus quàm in Adamo præclarè demonstrat sanctus Augustinus lib. de Correptione & Gratia cap. 12. *Quoniam*, inquit, *terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero hujus arbitrio, non stetit in tantâ non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæviente, ne starent, steterunt in fide: cùm videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus, isti futura, quæ accepturi fuerant, non videre. Vnde hoc? nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt ut fideles essent, à quo acceperunt spiritum non timoris, quò persequentibus cederent, sed virtutis & charitatis & continentiæ, quò cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent.*

Conclusio Tertia.

VI. Dedit pariẽter pacem cum proximo.

E *Christus etiam tertium genus pacis conciliavit, nempe inter homines ipsos.*

Probatur ex celebrioribus Prophetarum oraculis, quibus significatur tantam futuram Messiæ tempore pacem & concordiam, ut sedatis ubique bellis omnes gentes summâ tranquillitate ac pace fruantur. Sic Isaias cap. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas; & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur ultra*

ad prælium. Addit ad iſta Michæas, 4. *Et ſedebit ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat.* Quibus verbis præclariſſimi Chriſti Prophetæ ſignificant pacis & quietis affluentiam importandam per Chriſtum.

Nam in ejus nativitate totus mundus erat in pace compoſitus.

De quâ autem pace an civili & politicâ, an verò ſpirituali & divinâ intelligenda ſint iſta vaticinia, non conſentiunt ſacri Interpretes. Quidam enim exiſtimant iſta vaticinia referenda eſſe ad illam pacem quæ imperante Auguſto ſub ortum Chriſti Domini contigiſſe dicitur. Ita S. Chryſoſtomus & Cyrillus in Iſaiam; & Hieronymus in commentariis ad utrumque Prophetam. Verùm cùm Auguſto ſuperſtite multa & atrocia bella ac Romani Imperii clades plurimæ interceſſerint, non videtur illa Prophetica promiſſio hôc ſenſu omnimodè impleta: quocirca rectiùs dicendum arbitror cum aliis ſacris Interpretibus, vaticinia iſta Prophetica referenda eſſe, non ad temporariam & externam pacem, ſed ad ſpiritualem concordiam & tranquillitatem, quæ eſt etiam poſterior SS. Hieronymi & Cyrilli ſententia. Sic imprimis illa vaticinia interpretatur Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo: ſic Tertullianus in Scorpiaco cap. 13. ſic maximè Rupertus lib. 2. in Michæam: *Nonne*, inquit, *iſtud coruſcante Evangelio Chriſti paſſim per populos & gentes factum eſſe legimus & fieri videmus; dum viri prius inquieti & bellicoſi depoſitis armis bellicis & ipſo ſchemate, vel habitu immutato inſignia fuerunt Evangelicæ pacis? Alii ad cœnobialem, alii ad eremiticam vitam converſi.* Idem habet lib. 1. in cap. 9. Iſaiæ.

Et inſuper ad animorum concordiam ſtimulavit.

Hanc interpretationem egregiè probat & illuſtrat S. Athanaſius lib. de incarnatione Verbi Dei, ubi Chriſti divinitatem hôc inter cætera argumentô comprobat, quòd pacis amorem & ſtudium cultoribus ſuis ingeneraverit. Siquidem olim, inquit idololatriæ dediti Græci pariter & barbari contra ſe invicem bella gerebant, & in cognatos crudeles erant. Non enim quiſquam poterat omnino terrâ, marive iter facere, niſi gladium manu præferens, propter implacabilia bella, quibus in ſe mutuò graſſabantur. Quippe vita omnis ipſorum per arma tranſigebatur, & pro baculo enſis illis erat, in eoque fiduciam ſuam omnem ac præſidium collocabant. Atqui ut jam dixi, ſimulacra venerabantur, & dæmonibus ſacra faciebant; ac nihil interim ex iſta ſuperſtitione idolorum, qui ſic animo erant affecti, dedoceri potuerunt. Poſtquam autem ad Chriſti diſciplinam tranſierunt, tunc præter opinionem reverà compunctis eorum animis, immanitatem illam cædium exuerunt, ut non amplius bellicum & hoſtile neſcio quid ſpirent: ſed omnia ſint eis pacifica: & quæ ad pacem, ac concordiam pertinent mirificè illas afficiant, &c. Hæc Athanaſius. Addit Petavius hac etiam ætate hujus vaticinii veritatem impleri in efferis & ab omni derelictis humanitatis cultu nationibus, velut Indis, Braſilienſibus, Canadenſibus, & Americanis cæteris, qui quamdiù patriis irretiti ſuperſtitionibus dæmones adorant, aſſidua inter ſe bella gerunt, ac leonum & luporum more, ex hoſtium carnibus dapes, & viſcerationes inſtruunt. At ubi Chriſtiani facti ſunt, repente poſitâ feritate ſic manſueſcunt, ut pati, quàm inferre malint hoſtibus malum: eoſque benefactis, & omnibus charitatis officiis demulceant.

Ut egregiè probat S. Baſilius.

SECTIO SECUNDA.

De Chriſto Domino Redemptore & Salvatore.

I.

Chriſtum eſſet hominum Redemptorem negaverunt Judæi.

QUanquam Chriſtum Dominum humani generis ſub dirâ dæmonis captivitate lugentis redemptorem potentiſſimum ac beneficum eſſe teſtentur innumera Scripturarum oracula, nihilominus non defuerunt olim, nec etiam nunc deſunt tam apertæ veritatis impugnatores hæretici. Enimverò ipſis etiam Apoſtolorum temporibus plurimi ex Judæis ad Eccleſiam recepti negabant ſperandam eſſe ſalutem à Chriſto, ut colligitur ex epiſtolis S. Pauli maximè ad Rom. & ad Gal. quarum potiſſimum argumentum uſurpat Apoſtolus, ut ſuadeat & demonſtret non ab alio expectandam redemptionem & ſalutem, quam ab ipſo Domino Jeſu Chriſto, qui venit in mundum quærere & ſalvum facere quod perierat. Quem errorem aliquantò pòſt innovavit *Baſſus* quidam circa annum 150. ut teſtatur Prateolus; quanquam nonnulli alii ſcriptores hunc Apoſtolis coævum faciant.

2. Baſſus.

3. Abailardus.

Verùm pridem extinctum hoc peſtilens dogma ab inferis excitavit *Abailardus*, ut ſcribit S. Bernardus epiſt. 190. Hic enim inter cæteros errores quos aſſerebat, etiam fatebatur nec diabolum jus aliquod in hominem propter ipſius peccatum habuiſſe, ſed Deo permittente ſolum fuiſſe veluti commentarienſem & cuſtodem illius, qui ipſum quaſi in carcere peccati concluſum teneret: neque Verbum Dei carnem aſſumpſiſſe, ut hominem à peccato liberaret, ſed ut charitatem ſuam erga illum manifeſtam faceret, ipſumque, tanquam cœleſtis ac divinus Doctor inſtrueret, & viam veritatis ac virtutis edoceret. Cùm autem hiſce poſtremis noſtris temporibus hæreſis væſana lues omnes turpiſſimas & execrandas quaſque priorum temporum fæces collegerit, ut univerſam Eccleſiam inficeret & Catholicam veritatem labefactaret ac peſſundaret, hoc etiam præ cæteris hæreſiarchis attentavit impiiſſimus *Socinus* ut Chriſto Domino verum redemptoris nomen & munus adimeret, docens in lib. 2. *de Chriſto ſalvatore*, redemptionem per Chriſtum factam duntaxat fuiſſe metaphoricam, nec pro nobis liberandis aliquam ſatisfactionem aliquodve pretium æterno Patri ſolviſſe. Igitur neceſſum eſt adverſus ejuſmodi errores Catholicum ſtatuere dogma, nempe Chriſtum Dominum reverà eſſe humani generis redemptorem, quippe qui homines ſub dæmonis captivitate lugentes propriô vitæ ſuæ ac mortis pretiô redemerit & liberaverit; & eis æternam ac omnia auxilia ad eam obtinendam conducentia, fuerit promeritus.

Socinus.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum Chriſtus Dominus verus fuerit hominum Redemptor.

I.

Homines per peccatum eſſe diaboli

NOtandum primò homines poſt peccatum primi parentis ſub poteſtate diaboli reverà detineri, ut egregiè probat S. Bernardus adverſus Abailardum epiſt. 190. cap. 5. ubi inter cætera refert eum aſſerere quòd omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conveniunt, quòd diabo-

captivos, optimè probat S. Bernardus.

lus dominium & potestatem habebat super hominem, & jure eum possidebat, ideo scilicet quod homo ex libertate arbitrii quam habebat, sponte diabolo consensit. Aiunt namque, quòd si quis aliquem vicerit, victus jure victoris servus constituitur. Ideo inquit, sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei: ut homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo diaboli. Sed ut nobis videtur, ait, nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, fortè Deo permittente, ut carcerarius: nec filius Dei ut hominem liberaret carnē assumpsit. *Quibus subdit S. Bernardus:* Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiā, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem an impietatem? An non justius os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes, inquit, sic: sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius invenis? quid securius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtivas & panes absconditos puto apponet nobis iste. Hæc Bernardus qui post plura probat Catholicum dogma ex illo 2. ad Timoth. 2. *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Cui testimonio egregium commentarium addidit Bernardus hoc modo. *Audis ad ipsius voluntatem, & negas potestatem?* Ac si diceret: Qui ab aliquo detinentur in carcere pro ipsius voluntate, etiam sub illius potestate verè esse dicuntur; nam malefactores non detinentur in carcere pro voluntate custodis, sed pro voluntate judicis & magistratûs. Dominus etiam Joan. 14. diabolum appellat principem mundi hujus. *Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam.* Et Lucæ 22. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Potestatem diaboli vocat *potestatem tenebrarum.* Prætereà ad Coloss. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Qualis verò sit potestas diaboli in homines post peccatum, non explicat Bernardus.

II.
In quo autem consistat hæc dæmonis captivitas non cōsentiunt Authores.

Notandum secundo, Doctores Catholicos hanc diaboli in homines peccatores potestatem variè explicare. Aliqui enim eam sic intelligunt, ut homines eatenus tradiri dicantur dæmoni propter peccatum quatenus ipsos pro voluntate suâ punit in inferno: eâ vero ratione per Christum fuisse liberatos quia ipse in se pertulit pœnas peccatis hominum debitas: Itaut homines jam remissô peccatô per gratiam Christi, æternis pœnis non subjaceant. *Verùm* hæc sententia non videtur recedere ab errore Abailardi; sic enim diabolus solùm esset veluti commentariensis & custos carceris, nec pro voluntate sua potestatem in homines captivos haberet; nam quod attinet ad pœnam quam damnati in inferno subeunt, non pro ipsius voluntate eam ita patiuntur, ut ab eâ liberare ipsos possit; neque etiam pro voluntate suâ ita eos in carcere detinet, ut inde eripere valeat si velit. Veriùs igitur dicendum arbitror non solùm hac ratione homines peccatores sub ejus potestate redigi, quod eos velut in carcere inclusos detineat, eisque pœnas infligat, sed etiam cùm per peccatum primi parentis amiserint non solùm gratiam habitualem, quâ ut formâ justi nascerentur, sed etiam gratiam sanctæ cogitationis, quâ vincerent peccatum hôc modô auxiliis destituti dæmonum tentationibus & infestationibus subjacent; quibus procul dubio succumberent, nisi Christi gratiâ ad resistendum firmarentur, & robur haberent. Quam utique sententiam probat S. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. illo 12. his verbis: *Apostolus autem apertius hoc prædicat ad Ephes. 2. Et vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aëris hujus spiritûs, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis, & affectionem, & eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Et paucis interpositis colligit in hunc modum. *Quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aëris, qui operatur in filiis diffidentiæ.* Ubi planè docet S. Augustinus in eo homines traditos fuisse potestati principis aëris, & tenebrarum, quod ille operatur in eis desideria carnis, & affectiones pravas. Idipsum non obscurè indicat Nazianzenus oratione illâ 24. non longè à fine, ubi ita scribit: *Nos enim à diabolo detinebamur, utpote qui venundati essemus sub peccato, ac vitium cum voluptate commutassemus.*

Verior sententia explicatur.

III.
Duplex est liberatio; propriè & impropriè dicta.

Notandum tertiò, duplicem distingui posse liberationem, aliam quidem propriam & strictè sumptam: aliam verò impropriam & metaphoricam. Prior est, quâ quis eripitur & liberatur à captivitate per solutionem pretii de quo convenit inter redimentem & eum qui captivum detinet, quâ ratione ordinariè solvuntur omnes captivi: alia verò est quâ quis è captivitatis jugo educitur nullo soluto pretio. Sic *Exodi* 15. Deus dicitur redemisse populum Israeliticum de captivitate Ægypti; & *Deuteronomii* 13. Moyses eâdem loquendi formulâ utitur ad significandam illam libertatem quâ donati sunt Israelitæ cùm educti fuerunt in manu potenti & brachiô extentô de terrâ Ægypti. Concedit quidem Socinus Christum nos redemisse hoc postremo redemptionis genere, non vero priori: contra cujus hæreticum dogma sit

CONCLUSIO PRIMA.

IV.
Christus D verus est hominum Redemptor.

Christus reverà nos redemit è captivitate diaboli per suam mortem. Hæc est determinata in Concilio Trident. *sess. 6.* nam postquam ostendit Concilium in primo capite, infirmitatem naturæ nostræ ex peccato Adæ contractam, & docuit nos factos fuisse servos peccati & diaboli, *cap. 2.* definit adventum Christi fuisse in redemptionem generis humani. *Confirmatur* ex epistola Innocentii 2. ad Archiepiscopos Senonensem & Rhemensem qui in Concilio Senonensi cum suis suffraganeis Abailardi errores damnaverant quam damnationem ipse Pontifex approbat & confirmat his verbis, *Nos qui in Beati Petri cathedrâ, cui à Domino est dictum, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium Concilio destinata nobis à vestrâ discretione capitula, & universa ipsius Petri perversa dogmata SS. Canonum authoritate cum suo authore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores & defensores à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani 17. Kalendas, Augusti.*

Ut probatur. 1. Ex Concilio Trid.

2. Ex Innocētio II, Summo Pontif.

Hanc veritatem probat S. Bernardus adversus

3. Ex S. Bernardo qui id probat ex Scripturâ S.

Abailardum 1. ex Scripturâ sacrâ. Nam sanctus Apostolus 1. ad Timoth. 2. sic air: *Vnus est enim Deus, unus mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et ad Cor. 11. *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ad Ephes. 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.* Quibus subdit Bernardus Abailardum alloquens: *Cur*, inquit, *per sanguinem quod potuit facere per sermonem?* Cui respondet S. Bernardus: *Ipsum interroga: mihi scire licèt quòd ita; cur ita non licèt: numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me finxisti sic?*

His addi possunt illud ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ne nos redimeret ab omni iniquitate.* Et ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum ..... per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventâ.*

Et ratione Theologicâ.

Probat secundò cap. 9. ex eo quòd Christi adventus non solùm adultis, sed etiam parvulis profuerit: igitur Christus oon solùm venit solius instructionis, sed etiam liberationis causâ. Nihilne, inquit, proderit eis adventus Christi, nihil quod complantati sunt similitudini mortis ejus per baptismum; quoniam nondum possunt prohibente ætate Christum sapere aut amare? Redemprio itaque, air, nostra est illa summa in nobis per Christi passionem dilectio: ergo parvuli non habent redemptionem, quia non habent summam illam dilectionem? An sicut non habent unde diligant, ita nec unde pereant, ut non sit eis in Christo necessaria regeneratio, utpote quibus regeneratio ex Adam nihil nocuerit? Si hoc sapit cum Pelagio, desipit. Quidquid horum sentiat paret quantùm humanæ sacramento salutis invideat; quantùm quod in ipso est, evacuet alti dispensationem mysterii, quia totum de salute tribuit devotioni, regenerationi nihil: qui nostræ gloriam redemptionis, & summam salutis non in virtute crucis, non in pretio sanguinis, sed in nostræ constituit conversationis profectibus. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere nostræ salutis intueor. *Formam humilitatis*, in qua Deus semetipsum exinanivit: *Charitatis mensuram*, quam usque ad mortem, & mortem crucis extendit: *Redemptionis sacramentum*, quô ipsam mortem quam pertulit, sustulit. Horum duorum priora sine ultimo sic sunt, ac si super inane pingas. Magnum profectò & valde necessarium humilitatis, magnum & omni acceptione dignum Charitatis exemplum, sed non habent fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio.

Nota.

V. Proponuntur objectiones Abailardi.

Plura objiciebat Abailardus in confirmationem sui erroris, ut refert & refellit *S. Bernardus c. 8.* dicebat enim: Quomodo justificari nos vel reconciliari Deo per mortem filii ejus, dicit Apostolus, qui tantò ampliùs adversus hominem irasci debui, quantò ampliùs in crucifigendo filium suum deliquerunt, quàm in transgrediendo primum ejus præceptum, unius pomi gustu?

Respondet S. Bernardus, potuisse in uno eodemque facto, & displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis.

Instabat Abailardus: Quòd si tantùm fuerat illud Adæ peccatum ut expiari non posset nisi morte Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium quod in Christo commissum est?

Respondet S. Bernardus, id fieri per ipsum sanguinem quem fuderunt, interpellationem illius quem occiderunt.

Vrgebat Abailardus: Nunquid mors innocentis filii in tantùm Deo Patri placuit, ut per ipsum reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus: nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multò leviùs potuit ignoscere.

Et à S. Bernardo solvuntur.

Respondet S. Bernardus: Non mors, sed voluntas placuit sponte morientis, & illâ morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus & potestates, spoliantis inferos, ditantis superos, pacificantis quæ in cœlo sunt, & quæ in terrâ, omnia instaurantis. Et quoniam hæc tam preciosa mors voluntariè suspicienda adversus peccatum, non tamen poterat fieri nisi per peccatum, non delectatus quidem, sed tamen bene usus malitiâ sceleratorum, & mortem de morte, & de peccato damnavit peccatum. Et quantò illorum major iniquitas, tantò hujus voluntas sanctior, & eò potentior ad salvandum, quatenus tanta mediante potentiâ antiquum illud grande peccatum, necessariò tamen huic, qood in Christum commissum est, cederet tanquam minus majori. Nec peccato sive peccantibus adscribitur hæc victoria, sed bene utenti peccato & peccantes fortiter perferenti & convertenti in usum pietatis quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum.

Fuit verò sanguis qui effusus est, tam potens ad ignoscendum, ut ipsum qooque peccatum maximum, quô factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omninò dubietatem relinqueret.

Instabat: Cui verò, non crudele, & iniquum videtur, ut sanguinem innocentis in pretium aliquod quis requisierit, aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo? *Resp. S. Bern.* non requisivit Deus Pater sanguinem filii, sed tamen acceptavit oblatum, non sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in sanguine. Salus planè, & non sicut iste sapit & scribit sola charitatis extensio. Sic enim concludit tot calumnias & invectiones suas quas in Deum tam impiè quàm imperitè evomuit, ut dicat totum esse quòd Deus in carne apparuit, nostram de verbo & exemplo ipsius institutionem; sive ut postmodum dicit, instructionem, totum quòd passus & mortuus est, suæ erga nos charitatis ostensionem, vel commendationem. *Hæc S. Bernardus*

CONCLUSIO SECUNDA.

VI. Christus ex duplici captivitate nos redemit.

Christus nos redemit de captivitate diaboli & Dei vindictâ, redemptione propriè dictâ. Hæc pariter est de fide contra impium & blasphemum Socinianorum dogma; & probatur. Redimere aliquem propriè, est captivum è manibus illius, qui eum detinet, pretiô eisolutô liberare: at Christus nos captivos, hoc est reos iræ Dei propter peccatata & Satanæ mancipatos, ab irâ Dei atque potestate Satanæ nos liberavit morte suâ, tanquam verô pretiô pro nobis solutô: nam (ipso Socino fatente) pretium vocatur, non pecunia tantùm, sed quidquid ut ei satis fiat, qoi captivos detinet, penditur: igitur Christus nos propriè

propriè redemit. Majorem admittit Socinus. Minorem tradit & confirmat Scriptura sacra illis omnibus Scripturæ textibus in primâ conclusione laudatis, quibus addere licet illud Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

Objicit Socinus *primò*. Plerumque in Scripturâ sacrâ verbum *redimere*, duntaxat metaphoricè usurpatur, nempe pro eodem ac *liberare*, aut sibi asserere, quamvis veri pretii solutio aliqua non interveniat, ut constat ex illis omnibus Scripturæ textibus, *Exodi* 15. v. 13. *Deuteronomii* 7. & 9. v. 26. 2. *Regum* 7. v. 23. *Psalm.* 77. v. 16. quibus asseritur Deum redemisse populum ex servitute Ægyptiacâ: ibi enim redemptio metaphoricè duntaxat accipitur, videlicet pro liberatione nullo soluto pretio: igitur eodem modo intelligendi sunt omnes illi Scripturæ textus, quibus significatur Christi mortem nos redemisse.

Idque verâ & propriè dicta redemptione.

Negat consequentiam, Anti-Socini Author, & meritò quidem. Non enim à particularibus ad omne particulare seu universale argumentari licet. *Adde quòd* inter corporalem liberationem Judaici populi ex Ægypto, & spiritalem illam quæ facta est per Christi mortem, magna sit dissimilitudo; illa enim liberatio Israelitarum fieri potuit per solam Dei potentiam absque ullo soluto pretio, quia injusta erat illa captivitas: hæc fieri non potuit nisi pretio soluto propter immutabilem justitiam & veritatem Dei. Propter *veritatem*, inquam, quia homini dixerat Deus: Si peccaveris morte morieris: igitur ut impleretur hujus divini oraculi veritas, oportuit ut interveniret mors aut ipsius rei, aut alterius qui eum ab hac sententia liberaret. Propter *Justitiam* pariter: Tum quia jus Dei hoc esse testatur Scriptura, ut qui peccant, morte sint digni, juxta illud ad Rom. 1. *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*; Tum quia, inquit sanctus Bernardus supra laudatus *cap.* 5. diabolus non solùm potestatem, sed & justam habuit in homines, quam sic explicat: Cæterùm, inquit, etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & » voluntatem. Unde non diabolus qui invasit; non » homo qui meruit, sed justus Dominus qui exposuit: non enim à potestate, sed à voluntate justus » injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, » sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. » Sic itaque homo justus tenebatur, ut tamen nec » in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed » in Deo. *Unde concludit cap. sequenti*; Justè igitur » homo addictus, sed & misericorditer liberatus. » Sic tamen misericorditer, ut non defuerit justitia » quædam in ipsa liberatione; quoniam hoc quoque fuit de misericordiâ liberantis, quod congruebat remediis liberandi, justitiâ magis contra » invasorem quàm potentiâ uteretur. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus » diaboli?

Nota.

» Assignata est ei proinde aliena, qui caruit suâ; » & ipsa sic est: Venit princeps hujus mundi, & » in Salvatore non invenit quicquam, & cùm nihilominus innocenti manus injecit, justissimè » quos tenebat amisit, quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ, jure illum qui » noxius erat, & mortis debito, & diaboli solvit » dominio. Qua enim justitiâ id secundò homo » exigeretur? homo siquidem qui debuit; homo » qui solvit. Nam, *si unus*, inquit Apostolus, *pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*: ut « videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit: nec alter « jam inveniatur qui fœdè fecit: alter qui satisfecit: quia caput & corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro « visceribus suis, & quando juxta Evangelium Pauli « quo convincitur mendacium Petri (Abailardi) « mortuus pro nobis convivificabit nos sibi, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum « nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipsum tulit de medio, affigens « illud cruci, expolians principatus & potestates. « Hæc S. Bernardus.

VII. Quippe Christi D. redemptio tres ad veram redemptionem characteres habet.

His adde quòd spiritalis redemptio per Christum facta ita describitur, ut omnia ad propriam redemptionem requisita in ea concurrant. Siquidem (ipso etiam fatente Socino) in vera redemptione: *Primùm* requiritur captivus qui est genus humanum.

Deinde, Captivum detinens, qui est tum ira & justitia Dei tum diabolus. Requiritur *præterea* Redemptor qui est Christus. *Postremò* desideratur pretium quod est mors & sanguis Christi. Igitur quantumvis verbum *redimo* in cæteris Scripturæ textibus impropriè & metaphoricè accipiatur de simplici liberatione, necesse est illud propriè intelligere cùm explicat Christi redemptionem.

Objicit secundò. S. Stephanus Actor. 7. vocat Moïsem redemptorem: at is redimit nullô pretiô datô: ergo sic etiam Christus.

Confirmat. Antitypus debet esse conformis suo typo: At Moïses & liberatio per eum facta fuit typus Christi & salutis per eum partæ: ergo quemadmodum Moïses redemit Israëlitas nullo soluto pretio, sic & Christus nos redemisse dicendus est.

Maximè verò quia pretium solvit.

Insuper: Zacharias in Cantico Lucæ 1. redemptionem per Christum factam comparat cum eâ quæ facta fuit per Moïsem: ait enim: *Fecit redemptionem plebis suæ*, quæ verba exactè respondent illis Psalmi 111. *Redemptionem misit Dominus populo suo*: ubi sermo est de liberatione Ægyptiaca: ergo redemptio per Christum facta, tantùm est liberatio sine pretio, sicut liberatio facta per Moïsem.

Respondeo ad argumentum, negando consequentiam, siquidem à particulari non est consequentia. *Adde quòd* est dissimilitudo inter utramque redemptionem Moïsis & Christi. Nam Moïses fuit redemptor tantùm à tyrannide Pharaonicâ: ad quod exequendum duntaxat opus erat authoritate & potestate divinâ: at Christus nos redemit ab irâ Dei: *Rom.* 5. 9. & à potestate tenebrarum, diaboli & mortis, *Coloss.* 1. v. 13. *Heb.* 2. v. 14. 15. idque per sanguinem suum: testante ibidem Apostolo: *in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.*

VIII. Unde ejus redemptio longè præstantior est redemptione per Moïsem.

Ad primam confirmationem dico, quòd non debeat esse par ratio inter typum & antitypum, etsi enim analogicè conveniant in multis, tamen necesse est in plurimis discrepare. Conveniunt quidem Christus & Moïses quòd uterque fuit Mediator, uterque Redemptor, sed discrepant ratione personæ & officii & effectorum, siquidem Moïses tantùm homo & servus Dei: Christus homo & Filius Dei: Moïses mediator typicus & temporalis veteris Testamenti: Christus mediator significatus, & æternus, tam veteris quàm novi Testamenti, præcipuè autem novi propter apparitionem & consummationem redemptionis in

novo. Moïses liberator ex Ægypto: Christus redemptor ab irâ Dei, maledictione, peccato, morte: Moïses redemptor absque morte & sanguine proprio; Christus redemptor per mortem & sanguinem proprium; Moïses largitor terræ promissæ, Christus hæreditatis & vitæ æternæ. Longè igitur diversa est Moïsis & Christi redemptio.

Ad secundam confirmationem nego antecedens: sive enim Zacharias respexerit ad locum Psal. & ad typum liberationis Ægyptiacæ, sive non, prædicat ipsam redemptionem factam per Christum non aliam quàm quæ à SS. Apostolis declaratur peracta esse per sanguinem & mortem ipsius, qualis minimè fuit liberatio per Moïsem.

Objicit tertiò. Redemptio propriè dicta fieri debet ab eo qui captivum detinet: at Christus nos non redemit à captivante, seu captivos detinente: igitur illius redemptio non est propriè dicta. Probat minorem primò, quia ad Titum 2. v. 14. dicimur redimi ab iniquitatibus nostris per Christum, *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*, & 1. Petri 1. v. 18. dicuntur fideles redimi *de vanâ conversatione paternæ traditionis*, & ad Thess. 1. dicimur *liberati ab irâ*, id est, à supplicio impiis debito: sed illæ redemptiones non sunt propriè liberationes à captivitate: igitur non propriè, sed impropriè tantùm dicimur redimi per Christum.

IX.
A quibusnam Christus nos liberaverit.

Respondeo primò negari posse majorem. Redemptio enim propriè dicitur fieri non tantùm ab eo qui principaliter detinet captivos, sed etiam ab eo qui minùs principaliter: *Item* à captivitate ipsa omnibusque ejus adjunctis, putà à carcere, à sordibus, & squalore carceris, à servitute & tyrannide hostili, à vinculis, à torturâ, à metu mortis, à morte denique, quæ sæpè manet captivos nisi fiat redemptio: Ab his autem omnibus testatur Scriptura nos redemptos per Christum. Quid enim erat nostra captivitas, nisi alienatio & abjectio à Deo propter peccatum, & mancipatio sub potestate dæmonis? Ab hac nos redemit Christus per mortem, nobis promerendo reconciliationem cum Deo: *Si enim cùm inimici essemus*, inquit Apostolus ad Rom. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. multò magis reconciliati salvi erimus in vitâ ipsius.* Sordes carceris & laquei, quibus captivos tenebat diabolus, quid erant nisi peccata, iniquitates, & vana conversatio nostra, à quibus Christus nos liberavit? A servitute denique, tyrannide, & metu inimicorum nostrorum, diaboli, inferni, & mortis liberati dicimur per Christi mortem, Heb. 2.

Respondeo secundò negando minorem. Falsum enim est quòd non fuerimus detenti captivi ab iniquitatibus, à vanâ conversatione nostrâ, & ab irâ Dei seu indignatione propter peccata; siquidem *ira Dei* non tantùm significat supplicium & pœnam, sed etiam ipsam Dei indignationem: ab his autem omnibus reverà captivi tenebamur; nam captivi detinentur, non solùm à judice, aut à lictore, vel tortore; sed etiam à carcere, à vinculis, à judicis indignatione & sententiâ. His autem omnibus, ut mox dictum est, eramus subditi: Hinc Heb. 2. v. 15. dicimur liberari per Christum *à metu mortis:* & Oseæ 13. v. 14. *à morte ipsâ.* Et Rom. 5. *ab irâ Dei:* hoc est à justitiâ vindicatrice: non tamen dicimur redempti *à Deo*, quia per redemptionem non debuimus abstrahi à Deo quasi à malo, sed eidem reconciliari tanquam summo Bono à quo per

A peccatum fueramus abalienati: sed dicimur liberari ab ejus justitiâ vindicatrice quæ Rom. 1. v. 32. secundùm editionem Græcam dicitur *ira Dei:* Quod utique confirmatur quia ad Gal. 3. v. 13. dicitur quod *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum:* ergo etiam nos redemit à justitiâ Dei vindicatrice; quid enim aliud est execratio legis, quàm damnationis sententia à Deo in lege adversus peccatores justè pronuntiata?

Vrget Socinus. Execratio legis, non significat justitiam Dei cui satisfaciendum esset, sed execrationis pœnam à lege statutam; à quâ pœnâ redempti sumus: sed non sumus redempti ab illâ
B pœnâ per veram redemptionem, quia ridiculum esset dicere, quòd isti pœnæ pretium solutum fuerit, sed duntaxat dicimur ab eâ redempti, quia ab illâ sumus exempti: igitur, &c.

X.
Execratio legis duplex est: activa & passiva.

Respondeo execrationem legis dupliciter accipi, nempe activè & passivè. Et quidem *passivè* significat execrationis pœnam à lege statutam, ut vult Socinus: sed *activè* est vox vel sententia legis execratione damnantis, seu ipsa lex execrans peccantes. Quid autem est vox legis, nisi vox Dei? & lex execrans, nisi Deus execrans, id est, nisi Deus iratus? & ira Dei nisi justitia? Igitur execratio legis activè significat justitiam Dei. Quanquam autem Apostolus asserat nos redemptos ab utraque execratione, tam activâ, quàm passivâ,
C per Christum; tamen *primò* loquitur de execratione legis, ut est sententia legis, seu vox Dei execrantis: secundariò verò ut est execrationis pœna. Nam ibidem v. 10. ait, *Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Scriptum est enim: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea:* igitur falsò & imperitè contendit Socinus Apostolum per execrationem legis, non significare justitiam Dei à qua dicimur redempti, sed tantùm pœnam peccati.

Objicit quartò. In vera redemptione concurrunt omnes hæ conditiones: 1. est aliquis captivus: 2. est aliquis captivum detinens: 3. est redimens ca-
D ptivum à detinente: denique est pretium quod persolvitur detinenti. In Christi redemptione non concurrunt omnes hæ conditiones: Est quidem captivus, nempe genus humanum: est detinens, nempe peccatum, diabolus, mundus, & qui peccatum sequitur mortis æternæ reatus: Est redimens, Deus sive Christus perquem Deus liberationem nostram confecit: Est & pretium, ipse Christus, seu vita Christi: sed deest extrema conditio, quod pretium non est persolutum detinenti, nempe peccato, diabolo, &c. Non igitur est vera redemptio. Vel compendiosius, in verâ redemptione pretium accipit is qui captivum
E detinet: in Christi redemptione pretium non accepit diabolus: non igitur omninò veræ redemptioni responder.

Respondet Antisocinus quòd etiamsi daretur conclusio, redemptionem spiritualem & æternam non exactè respondere omnibus conditionibus redemptionis externæ corporali: non tamen imperiti staret hæretici blasphemia: quandoquidem spiritualis & corporalis captivitatis, & sic etiam redemptionis in plurimis disparem rationem esse necesse est, ut diximus supra: Major igitur licèt de redemptione externâ vera esse possit, de spirituali tamen potest negari: sed quidquid sit de majore, minorem ut multis modis falsam negamus.

XI. Diabolus non detinet peccatores in captivitate, nisi ex ordinatione divina.

Primò, falsum, quòd is qui nos captivos detinet, vel solus, vel præcipuus sit diabolus, peccatum, mundus, mors; nam qui primò peccatores detrusit, ac suo jure detinet in carcere damnationis, est ipse Deus. Ista verò quæ nominat hæreticus nos non primò, sed secundariò, nec suo jure sed alieno, hoc est, Dei: diabolus quidem ut lictor & apparitor judicis Dei, peccatum ut laquei, mundus ut mors, ut carceres tormenta. Dei autem primò & jure nos esse captivos probatur argumentis, & testimoniis Scripturæ. Argumentis quidem.

Primò, quia Deus Monarcha & judex omnium, solus habet potestatem abjiciendi corpus & animam in gehennam: *Secundò*, sumus rei læsæ divinæ majestatis per peccatum: *Tibi soli peccavi:* Ergo à divinâ majestate sumus abjecti. *Tertiò*, sumus naturâ filii iræ Dei: Ira Dei revelatur de cælo: super infideles manet ira Dei: ergo iram Dei ut judicis luimus. *Quartò*, non à satanâ, sed à Deo petimus dimitti nobis peccata, hoc est laxari vincula æternæ damnationis: non igitur à satanâ tantùm, sed à Deo judice tenemur constricti primò. Hoc ipsum etiam confirmant Scripturæ testimonia; nam ad Rom. 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Item 2. Petri 2. Deus est *qui Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quantò magis homines peccantes, satanæ tanquam tortoris potestati tradidit? Idem confirmat parabola Regis irati tradentis tortori servum nequam. Matth. 18. 3. 4. Nam rex iste Deus est: & Christus Matth. 25. præcipiens ignoscentiam fraternam, dum sumus in viâ, ne judex nos tradat apparitori & conjiciamur in carcerem. Ex quibus palam est nos per peccatum captivos esse ex ordinatione Dei, tanquam Regis & judicis offensi, primò & jure summæ potestatis: Satanæ verò & peccati secundariò, tanquam tortoris, aut vinculorum, quibus nos tradidit Deus justo judicio. Quæ verò loca Scripturæ potestatem satanæ in nos tribuunt, 2. Timoth. 2. 36. Coloss. 1. 13. &c. de secundariâ tantùm potestate loquuntur, quam à Deo judice dæmones in homines peccatores acceperunt: sicut tyranni: de qua Christus, Non haberes in me potestatem ullam, nisi data tibi esset desuper. Nam Deus est qui solus habet potestatem super omnes plagas. Apocal. 16. 9. absque cujus nutu satan nec porcum potest invadere. Matth. 8. 31. blasphemè igitur errat hæreticus summum jus Dei in diabolum transferens.

QUÆSTIO II.

Utrum necesse fuerit humanum genus per mortem Christi redimi.

I. Duplex necessitas consequentis & consequentiæ.

NOtandum primò, duplicem distingui posse necessitatem quantùm ad præsens institutum: unam consequentis alteram consequentiæ. *Necessitas consequentis*, est necessitas alicujus non ratione illius duntaxat ex aliquo antecedente, sed ratione sui: quando v. g. secluso antecedente manet consequens in se necessarium. Hôc modô hominem risibilem esse necessarium est, unde cùm dicitur, *homo est: ergo risibilis est*; illud consequens censetur necessarium ratione sui, licet non possit esse risibile nisi sit homo tanquam subjectum talis proprietatis. *Necessitas consequentiæ* est necessitas alicujus solâ ratione positionis antecedentis, quomodo hominem moveri, si currat, necessarium est, quia dato cursu, non potest non moveri, licèt utrumque illud, v. g. tam moveri quàm currere sit simpliciter contingens respectu hominis. Cùm quæritur itaque an necessarium fuerit genus humanum redimi per passionem Christi, dubitatur meritò an de necessitate consequentis & absolutâ; an verò potiùs de necessitate consequentiæ, seu conditionatâ, instituatur quæstio.

II. Quæ fuerit S. Anselmi sententia de necessitate redemptionis humanæ.

Notandum secundò, seu potius revocandum ex primâ disp. art. 3. sect. 1. quæst. 1. S. Anselmum varia circa præsentem difficultatem proferre, quæ omnia ad quatuor propositiones revocat Doctor subtilis in 3. dist. 20. quæst. 1. *Prima est*, necessarium fuit hominem redimi. *Secunda*, homo non potuit redimi sine satisfactione. *Tertia*, non potuit illa satisfactio ab alio exhiberi, quàm à Deo homine: *Quarta* est, quòd illa satisfactio fieri debuerit per mortem Christi.

Primam propositionem probat S. Anselmus l. 2. *cur Deus homo* c. 1. Quia, inquit, Deus nihil agit frustrà: at hominem frustrà condidisset si illum reliquisset in suo peccato: ergo debuit Deus ex necessitate sui modi operandi redimere hominem. *Secundam* probat lib. 1. cap. 24. & 25. Quia, inquit, injustus est homo qui non Deo reddit quod debet, injustus est etiam si non reddat homini quod debet: Sed nullus injustus admittitur ad beatitudinem æternam: ergo qui non solvit Deo quod debet, non salvabitur: sed omnis peccator abstulit à Deo honorem sibi debitum: igitur quousque satisfecerit, est debitor & injustus. Nec dici potest, inquit, hominem potuisse excusari propter impotentiam, aut potuisse illi condonari per misericordiam. Non primum, quia impotentia quidem excusaret, si in culpam homo non se sponte dejecisset: non etiam secundum, quia dicere quòd Deus remittit aliquid per misericordiam, quia non potest aliter, illud ridiculum est: ergo simpliciter debuit homo redimi per satisfactionem: *Tertiam* probat; quia, inquit, requiritur ex parte satisfacientis quòd magis offerat Deo quàm valeat tota creatura. *Quartam* denique probat, quia homo peccaverat per suavitatem: ergo redimi debebat per asperitatem: nihil autem asperius, aut difficilius, aut majus sub Deo potest homo ad honorem Dei sponte, & non ex debito pati, quàm mortem: igitur Christus homo qui major erat omnibus, debuit satisfacere per mortem.

III. Potuit Deus aliis mediis, quàm per redemptionem homines salvare.

Notandum tertiò, non defuisse Deo innumeros alios modos salvandi homines quàm per mortem proprii filii, ut aliàs probavimus, & egregiè declarat S. Bernardus epistola 190. cap. 8. his verbis. Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verùm hoc non præjudicat hujus quem è multis elegit efficaciæ. Et fortassè is præstat per quem in terrâ oblivionis, gravedinis, lapsûs nostri, tot & tantis gravaminibus Reparatoris fortius & vivacius admoneremur. Aliàs autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii, inscrutabilis altitudo, quam Propheta considerans expavit, non penetravit; præcursor Domini indignum se judicavit qui penetraret. His præmissis

duo sunt hîc determinanda. Primum quòd non oportuit absolutè, sed tantùm conditionatè Christum nos redimere per suam mortem: secundùm quod tamen reverà per suam mortẽ & passionem nos redemerit solutô pretiô sui sacri sanguinis.

Conclusio Prima.

IV. Necesse fuit nos redimi solùm necessitate consequentiæ.

Non fuit necessarium simpliciter hominem redimi per mortem Christi, sed tantùm necessarium necessitate consequentiæ. Patet conclusio quoad utramque partem ex iis omnibus quæ diximus de satisfactione Christi: ubi demonstratum est non defuisse Deo alios modos reparandi hominem quam per mortem Filii sui. Quod egregiè SS. Patres explicant, maximè S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 10. *Contra eos qui dicunt, defuisse Deo alium modum quò homines à peccato liberaret*, sic ait: *Parum est sic refellere, ut istum modum, quô nos per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum Deus liberare dignatur, asseramus bonum & divinæ congruum dignitati; verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent.* Toto autem illo capite, & seqq. solùm ostendit convenientiam hujusmodi.

Ut egregiè probat S. August.

Deinde, Alium fuisse possibilem ostendit cap. 13. in principio his verbis: *Non autem diabolus potentiâ Dei, sed justitiâ superandus fuit; nam quid omnipotente potentius? aut cujus potestas creatura potestati creatoris comparari potest?* Sentit ergo Deum potuisse nos aliô modô liberare, si potentiâ suâ uti voluisset. Idem docent cæteri Patres. S. Leo sermone de Nativitate cap. 3. ubi ait, *Misericordia Dei cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, sed ratione justitiæ.* Et sermone 12. de Passione Domini idem habet. Quibus concinit S. Gregorius l. 17. Moral. c. 18. nec-non & alii SS. Patres à nobis commemorati agendo de satisfactione Christi Domini.

E Doctore Subtilis.

Colligendum est ergo cum Doctore, non fuisse necessarium quòd Christus homo redimeret hominem per mortem nisi necessitate consequentiæ, scilicet posito quòd ordinaverit sic illum redimere; sicut si curro, moveor: hæc est necessitas consequentiæ: sed antecedens est simpliciter contingens, & similiter consequens, scilicet me currere, & me moveri: similiter Christum pati mortem fuit contingens; sicut contingens fuit ipsum prævideri passurum: nulla ergo est necessitas nisi consequentiæ: scilicet si prævisus fuit pati, patietur: sed tam antecedens quàm consequens fuit contingens: Ita subtilis Doctor.

Ex quibus infert *num.* 10. quòd Christus passus est propter justitiam; vidit enim mala Judæorum quæ fecerant, & quomodo inordinatâ affectione & distortâ afficiebantur ad legem suam, nec permittebant hominem curari in sabbato, & tamen extrahebant ovem, vel bovem de puteo in sabbato, & multa alia: Christus igitur volens eos ab errore illo revocare per opera & sermones, maluit mori, quàm non facere, quia tunc erat veritas dicenda Judæis, & ideo pro justitia mortuus est. Tamen de facto suâ gratiâ passionem suam ordinavit, & obtulit Patri pro nobis, & ideo multùm tenemur ei: ex quo enim aliter potuisset homo redimi, & tamen ex sua liberâ voluntate sic redemit, multùm ei tenemur, & ampliùs quàm si sic necessariò, & non aliter potuissemus fuisse redempti; ideo ad alliciendum nos ad amorem suum, ut credo, hoc præcipuè fecit, quia voluit hominem amplius teneri Deo: sicut si aliquis genuisset primò hominem, & postea instruxisset eum in disciplinâ & sanctitate, amplius obligaretur ei, quàm si tantùm genuisset eum, & alius instruxisset; sed hæc est utilitas non necessitas.

Objicies primò: Si Christi passio non fuisset absolutè necessaria, non debuisset à Deo ordinari: sed ordinata est: ergo fuit absolutè necessaria ad hominum salutem. Probatur major. Deus ordinare non debuit privationem & jacturam tanti boni, qualis est vita Christi, nisi hoc judicaverit esse absolutè necessarium ad finem ordinatum consequendum; nemo namque sapiens rem aliquam summi pretii impendit pro eo obtinendo quod re minoris utilitatis & pretii posset assequi.

V. Unde passionẽ Christi Deus ordinavit non ex necessitate, sed ex amore.

Nego majorem: Hoc nempe ordinavit Deus, non ex necessitate, sed ex infinito erga homines amore, & nimia charitate quâ flagrabat erga humanum genus, ut aliàs declaravimus, & mox declarabat Doctor.

Objicies secundò: Quilibet actus bonus Christi erat satisfactio sufficiens: ergo non erat necessaria, etiam necessitate consequentiæ, satisfactio & redemptio per mortem Christi. Probatur antecedens: quia quilibet actus, ut actus est, est quid melius quàm passio.

Deinde, Quilibet actus Christi, cùm ab ejus solâ personâ pendeat; majorem habet dignitatem quàm passio quæ ab aliis infertur.

Denique, Istud est magis acceptum Deo quod nullũ prorsus habet annexum crimen, quàm quod aliquo crimine consequenti inficitur: actus autem quilibet Christi nihil habebat, nec ex se, nec ex consequenti, quod crimen redoleret: passio verò Christi annexa habebat crimina ipsum crucifigentium: igitur minoris videtur fuisse dignitatis & utilitatis ad redemptionem hominum, quàm quilibet ejus actus.

VI. Quare Deus voluerit nos redimi potius per Christi passionem quã per ejus actionem.

Nego consequentiam: Quamvis enim actus sit præstantior passione, quia tamen Deus ordinaverat ut homines redimerentur potius per passionem quàm per actus; hinc est quòd necessitate consequentiæ convenientius fuerit humanum genus redimi per Christi passionem quàm per ejus actus. Addit Doctor *num.* 11. Quamvis actus quilibet bonus sit melior quàm passio, quæ non oritur ex imperio actûs boni: tamen actus quô imperatur aliqua passio est laudabilior, quàm actus virtutis qui versaretur circa objectum delectabile; unde, inquit, actus virtutis circa tristabile est magis meritorius, quàm actus virtutis circa delectabile, & passiones voluntariæ concomitantes actum virtutis simul acceptæ sunt magis meritoriæ quàm actus tantùm. Unde Salvator de Paulo dixit Actor. 9. Ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati: non dixit quanta eum oportet agere. Quòd ergo Christus voluit sic pati, processit ex amore intenso finis & nostri quo dilexit nos propter Deum.

Objicies tertiò: Christus per mortem suam non potuit redimere eos qui ipsi mortem intulerunt: ergo nec totum genus humanum. Probatur antecedens: quia tantum malum erat actio privans vitâ Christum, quantum bonum erat vita Christi.

Insuper: Odium occidentium Christum erat tantæ malitiæ, quantæ erat bonitatis amicitia Christi: ergo quandoquidem pœna debet esse major culpâ, Christus non potuit satisfacere pro suis crucifixoribus.

Negat antecedens Doctot & ad probationem dicit : *Primò* secundùm doctrinam S. Anselmi, quòd fortè peccatum crucifigentium Christum non fuerit gravius quàm alia peccata, quia fortè non cognoverunt Christum esse Deum. Nam, ut loquitur Apostolus 1. ad Cor. cap. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.*

VII. Qeomodo Christus suâ morte eluerit peccata crucifigentium.

Verùm quoniam existimat Doctor Apostolum non loqui de Judæis, sed de dæmonibus, qui si cognovissent Christum fuisse Deum, nunquam sollicitassent homines ad ipsi mortem inferendam, ne per illam redimeretur genus humanum, & ne evacuaretur eorũ potestas: Ideo *respondet secundò,* nullum esse peccatum etiam crucifigentium Christum quod non fuerit expiabile etiam per ipsius passionem, quia nullum potuit esse tam abominabile aut odiosum Deo, qoin magis esset ipsi grata voluntaria Christi oblatio pro hominum peccatis expiandis: quia illa actio habebat perfectionem ex charitate supernaturali ex qua procedebat, & præterea ex circunstantiâ personæ Christi, ratione cujus potius deberet magis placere, quàm displicebat peccatum quodcumque. Quòd si etiam non haberet tantam ex se bonitatem, poterat tamen à Deo acceptari tanquam satisfactio; sicut actus meritorius vitæ æternæ, qui non accedit ad dignitatem ejus, adhuc acceptaretur à Deo tanquam meritum condignum ejus.

Conclusio Secunda.

VIII. Christus D. nos per suã mortem redemit.

Ut egregiè declarat S. Paulus.

Christus reverà per suam mortem & passionem nos redemit, nostramque libertatem spiritualem & cœlestem asseruit. Hanc veritatem præ cæteris tradit & commendat S. Apostolus, maximè verò ad Rom. 5. ubi ait, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis reconciliati salvi erimus in vitâ ipsius.* Et ad Ephes. 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Et ad Coloss. 1. *Placuit ...... per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Et vos cùm essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis : nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Hanc autem infiniti pretii quô redempti sumus dignitatem, sic explicat S. Petrus Epistola 1. cap. 4. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.*

Et ex eo S. Chrysost.

Eandem veritatem mirum in modum illustrant SS. Patres. Imprimis verò S. Chrysostomos qui expendens illud Apostoli ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum:* postquam observasset non dixisse Paulum *gratiam* simpliciter; *sed abundantiam gratiæ*; Non enim, inquit, quantùm opus erat nobis ad extinguendum peccatum, tantùm ex gratiâ duntaxat accepimus : sed multò amplius. Tum ista subjicit: *Quemadmodum ergo, siquis decem obolos debentem aliquem in carcerem conjiciat : nec ipsum solum, sed cum eo pariter conjugem ipsius, & filios ac servos illius causâ : tum alius veniens non decem obolos tantùm numeret, sed innumera talenta auri largiatur; ac vinctum istum in Palatium introducat &*

A *in supremi Magistratûs solium, participemque summi honoris, & reliqui splendoris faciat, non jam fœnerator mentionem facere amplius possit decem illorum obolorum: Ita & in nobis factum est. Nam multò plura, quàm debebamus, persolvit Christus, ac tantò plura, quantò stillam exiguam immensum pelagus excedit.*

Et Gregor. Nazianz.

De eodem sanguinis Christi pretio loquens Gregorius Nazianzenus : *Sed nullum tamen cum salutis mea miraculo comparandum est:* (ait) *Paucæ sanguinis guttæ totum mundum reformantes, factaque sunt tanquam coagulum lactis omnibus hominibus nos in unum colligantes & congregantes.* Et Basilius in Homilia ad Psal. 48. multa de Re-
B demptoris hujus dignatione luculenter & magnificè prædicat in hæc Psalmi verba; *Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ,* ubi ait. *Quid enim tantum reperire homo potest, ut det pro redemptione animæ suæ? Sed inventum est unum par omnibus simul liberandis hominibus, quod in redemptionis animarum nostrarum pretium est impensum: Sanctus videlicet, ac pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Vnde & pretio redempti sumus. Si igitur frater non redimit: redimet homo. Quare cum homo redimere nos nequeat, qui nos redemit homo non est.*

Augustinus

Eandem etiam veritatem luculenter prædicat
C S. Augustinus serm. 122. de Tempore : *Fudisti,* ait, *pro me pretium redemptionis. O pretiosum pretium perditorum! &c. dicat ei terra redempta, terra irrigata, redempta sanguine, irrigata baptismate; Magna iniquitas mea : sed major est redemptio tua. Audiat ergo vocem Domini mei humani generis adversarius, & nihil jam sibi applaudat elatus; quia pro totius mundi facinore in cruce pependit Dominus noster Iesus Christus.* Et in eo sermone qui 114. de Tempore numerabatur, & in rejiculorum appendicem ablegatus est : *Hodie Dominus noster in staterâ crucis pretium nostræ salutis appendit, & unâ morte universum mundum sicut omnium conditor, ita & omnium reparator absolvit. Indubitanter enim cre-*
D *damus, quòd totum mundum redemit, qui plus dedit, quàm totus mundus valeret. Meritum enim redempta mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum & redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit.*

Basilius.

Leo.

Leo quoque primus serm. 12. de Passione Domini : *Effuso sanguine Christi; validius,* ait *factum esse donum libertatis, quàm debitum servitutis.* Et in serm. 1. de Ascensione : *Ampliora nos adeptos* ait *per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus invidiam.*

Petrus Cluniacensis.

Sic Petrus Cluniacensis in eo libello, qui *Nullius,* inscribitur, *Pro æterno supplicio hominis, temporale* ait *oblatum esse supplicium Dei & hominis, pro*
E *æterna morte hominis, temporalem mortem Dei & hominis, quæ tanti ponderis in ipsâ ipsius justitiæ lance esse cognoscitur, ut ad justè ordinanda mundi peccata, longè magis præponderet mors transitoria Filii Dei, quàm æterna filiorum hominum. Plus planè redditum est justitiæ quando Christus mortuus est, quàm sit recompensatum quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est.*

Anselmus item in libro 2. *Cur Deus homo* cap. 19. ait Christum tale quid spontè dedisse Deo ad honorem illius, cui quidquid Deus non est, comparari non potest, & quod pro omnibus hominibus omnium debitis recompensari potest. Et capite sequenti: Quid justius, quàm ut ille, cui datur

pretium majus omni debito; si debito datur affectu, dimittat omne debitum.

QUÆSTIO III.

Quæ est de merito Christi redemptoris.

An & quando Christus meruerit.

I. Quid significent hæc vocabula meritum, satisfactio, redemptio & mediatio, & qualiter ab invicem discrepent.

NOtandum primò, Mediatoris ac Redemptoris Christi primariam functionem esse, non solùm reconciliationem ac pacem stabilire Deum inter & homines, sed etiam eis gratiam ac vitam æternam promereri, proque illorum offensis irato Patri merendo satisfacere. Sciendum autem est vocabula, meritum, satisfactio, redemptio, & mediatio, diversas esse appellationes, quæ prout variè spectantur uni & eidem actioni Christi conveniunt; oblatio enim volontaria Christi ad mortem simul fuit meritoria, satisfactoria, redemptoria, & mediatoria. *Meritoria* quidem, quatenus fuit actio libera facta in gratia, & in statu viæ in obsequium & gloriam Dei: *satisfactoria*, prout fuit oblata Deo in compensationem injuriæ irrogatæ per peccata nostra: *redemptoria*, quatenus per illam Christus nos eripuit à captivitate dæmonis & peccati: tandem *mediatoria*, quoniam, inquit Apostolus 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Nihilominus ista omnia aliquatenus inter se videntur discrepare, nam meritum jus aliquod ad mercedem pretiumque significat, quæ in satisfactione propriè ac per se non debent esse. *Insuper*, meritum ad plura objecta se extendit quàm satisfactio, quia satisfactio Christi tantùm respicit nostra peccata: meritum verò respicit Angelos & ipsummet Christum; siquidem plura sibi meruit. Similiter satisfactio in hoc distinguitur à redemptione, quòd illa principaliùs respiciat personam offensam, & minùs principaliter personam pro qua fit satis: hæc verò principaliùs specter ad personam quæ liberatur, & quasi secundariò, vel personam per cujus obsequium liberatur, vel ea ex quibus fit illi liberatio: mediatio denique distinguitur ab iis omnibus, quatenus æqualiter respicit duo extrema, seu duas personas, quas invicem conciliat.

II. Duplex meritum unum de condigno alterum de congruo. Ad meritũ de condigno sex desiderantur conditiones.

Notandum secundò, duplex generatim à Theologis meritum assignari: alterum de condigno, alterum de congruo. *Meritum de condigno* dicitur, cui ex condignitate, seu ex justitia debetur merces vel præmium: meritum verò *de congruo* appellatur illud cui ex justitia quidem non debetur compensatio: tamen ex quadam congruentia, & honestate redditur. Porrò ad meritum de condigno sex desiderantur conditiones. *Prima*, ut opus sit moraliter bonum, ex objecto videlicet & omnibus circunstantiis; nam inquit, S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 6. *Mala opera non coronat Dominus:* Siquidem sicut mala opera non merentur laudem sed vituperium; sic nec merentur præmium, sed pœnam.

1. Vt opus sit moraliter bonum ex objecto.

Secunda conditio est, quòd actio meritoria sit voluntaria & libera, quia naturalibus nec meremur, nec demeremur. Unde Apostolus 1. ad Cor. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est, quæ est ergo merces mea?* Et S. Augustinus lib. 2. cap. 1. de libero arbitrio: *Illud bonum quò commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret liberò voluntatis arbitriò?*

2. Actio voluntaria & libera.

Tertiò, meritum debet esse actus hominis viatoris, nam Beati & damnati, quia sunt in termino, mereri vel demereri non possunt. Unde Apostolus ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Cujus rationem profert subtilis Doctor in 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. quia scilicet meritum procedit ex affectu justitiæ, idque dupliciter: scilicet vel amando Deum amore amicitiæ in se, vel moderando appetitum propter ipsum: at quando solùm viatores sumus, sese offert occasio moderandi affectiones proprii commodi; quia duntaxat in hoc statu possumus inordinatè velle proprium commodum; unde consequens est quòd ad rationem meriti oporteat merentem existere in statu viæ.

3. Actus hominis viatoris.

Quartò, quòd actus meritorius procedat ab homine existente in statu gratiæ & amicitiæ cum Deo; si enim subjectum non sit Deo gratum, omnia ejus opera non possunt ipsi esse grata. Unde Apostolus 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

4. Quòd procedat ab homine existente in statu gratiæ.

Quintò, actus meritorius referri debet in Deum, tanquam in suum proprium finem & objectum. Sicut enim, inquit Doctor in 1. dist. 2. quæst. 6. amor concupiscentiæ propriè est radix totius demeriti: ita amor amicitiæ divinæ est radix totius meriti: amor autem amicitiæ est actus elicitus conformiter regulæ superiori, quæ est dictamen supernaturale rationis, seu quædam cognitio deducta aut revelata de necessariis ad salutem, secundùm quam quoties operamur, toties ferimur amore amicitiæ in Deum; & consequenter affectu justitiæ, in quo amore & affectu non potest occurrere deordinatio, objectum enim illius est summum rectum, & summè rectificans actiones; & subinde ad rationem actûs meritorii, necessum est quòd in Deum referatur affectu justitiæ, seu amore amicitiæ.

5. Quòd referatur ad Deum tanquam ad suum finem proprium.

Sextò denique, necessum est quòd adsit pactum, & promissio ex parte Dei, & ex parte operantis, seu merentis, ordinatio operis ad consequendum præmium: quia sine tali promissione & ordinatione, Deus nemini obligari potest ad reddendum præmium. Quam utique conditionem designat Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. cùm ait: Bene operantibus usque in finem, & in Deo operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa; & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.

6. Quòd sit pactum & promissio ex parte Dei & ex parte merentis ad consequendum meritum.

Notandum tertiò, quatuor distingui posse tempora, vel instantia, de quibus moveri potest controversia, an in eo Christus meruerit: nempe *vel* instans conceptionis & formationis; *vel* tempus intercurrens ab ipsius conceptione usque ad extremum instans mortis: *vel* ipsum mortis instans; denique tempus quod post mortem successit usque ad resurrectionem, & statum immortalem & beatificum sui corporis. Hinc quadruplex est Theologorum sententia: *Prima* negat Christum meruisse in primo instanti conceptionis. Ita Alensis 3. part. quæst. 17. membro 2. art. 1. Cui subscribit S. Bonaventura in 3. d. 18. art. 10. quæst. 2. *Secunda* asserit Christum meruisse non solùm in hac vita mortali, sed etiam post mortem, maximè quando effusus est ejus sanguis ex latere trans-

Quæstio moveri potest de triplici te pore.

Quadruplex Theologorum hac de re sententia.

fixo. *Tertia* Christi meritum protendit usque ad instans inceptivum mortis & terminativum vitæ. Ita Caïetanus 2. 2. quæst. 124. art. 4. *Quarta denique* communior & verior, docet Christum meruisse quidem à primo instanti conceptionis usque ad ultimum instans immediatè præcedens mortem.

Conclusio Prima.

III. ChristusD. verè & propriè meruit nobis gratiam redemptionis & reconciliationis cum Deo.

Christus verè & propriè meruit nobis gratiam redemptionis & reconciliationis cum Deo. Hæc est de fide, & colligitur ex illo Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Item *pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur. In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, &c.* Quemadmodum & Apostolus declarat in ea, quæ est ad Philipp. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod Deus exaltavit illum, &c.* Quibus in locis velut stipulatio quædam, pactumque Dei cum homine Christo continetur: & quidem hujusmodi; ut si redimendis hominibus mortem suam vellet impendere, tum in gratiam & spem recuperandæ salutis admitterentur illi; tum ipse sibi gloriam, ac Deus, immortalem compararet.

Probatur ex Scriptura.

Accedit ratio, quia omnes conditiones ad meritum desideratas habuit.

Suffragatur etiam ratio, quia omnes conditiones ad meritum desiderandæ verè & perfectè fuerunt in Christo: *Primò* siquidem actus ejus erant libertini, & liberè impositum sibi onus redemptionis à Patre suscepit. *Oblatus est enim quia voluit*, Isaiæ 53. Hinc Joan. 10. aiebat ipse: *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso: & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam.*

Secundò, actiones ejus fuerunt bonæ moraliter & honestæ, tum ex objecto, tum ex circunstantiis, ut ipse testatur Joan. 8. dicens, *quæ placita sunt ei facio semper.*

Tertiò, Ejus humanitas erat Deo summè grata & accepta propter gratiam unionis & sanctificationis habitualis & actualis.

Quartò, omnes suos actus in Dei gloriam ordinabat, ut pluribi restatur maximè Joan. 8. his verbis, *Non quæro gloriam meam, sed gloriam ejus qui misit me.*

Quintò, status ejus erat viatoris. Quanquam enim Christus secundùm mentem, seu partem superiorem esset comprehensor ab instanti suæ conceptionis, tamen secundùm partem inferiorem, & quatenus tribuebat corpori vitam vegetativam & sensitivam, & ut erat principium passionum seu affectuum animalium appetitûs sensitivi erat viator etiam secundùm animam: unde simul in eâdem animâ Christi reperiebatur gaudium comprehensoris & tristitia viatoris, ut diximus agendo de Passionibus Christi. Quapropter Jeremias vaticinatur de eo cap. 14. *Expectatio Israel Salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum.*

Denique intercessisse pactum, constat ex supra laudatis verbis Isaiæ, de quo pacto præclarè agit Rupertus in primo commentariorum in Genesim cap. 34. ubi pactum illud, quod cum Noëmo,
A ejusque posteris post diluvium iniit Deus, quando dixit; *Statuam pactum vobiscum*, ad Christum accommodat. *Dicimus*, inquit, *quia pactum non multoties quidem promissum, sed unum, & semel initum: Pactum, inquam, unum, quo sola inimicitiæ solvantur, quæ erant inter Deum, & homines, Incarnatio, vel Passio Christi filii Dei est; illic absque ullâ contradictione certa est constitutio pacis cum ratione dati & accepti, dum accepiâ Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum filium suum, ut salventur per ipsum. Hanc verò fidem ab hominibus Deus accepit per Mediatorem ac Sequestrem, & quasi facialem Christum Dominum,*
B *qui pro humano genere stipulatus est.* Capite porrò 36. Rupertus idem vim istius pacti apertiùs ita declarat: *In eo*, inquit, *Deus pactum cum hominibus pepigit per Christum filium suum, quòd de illo in cruce moriente, nos sibi reconcilians, lavit nos à peccatis nostris, & in sanguine ejus, dedit nobis per illum sanctum charitatis suæ spiritum.*

IV. Christus fuit conjunctus fini ultimo quantùm ad affectũ justitiæ nõ commodi.

Objicies primò: Christus non potuit peccare: ergo neque mereri. Probatur consequentia. Si non potuit peccare, debuit esse perfectè conjunctus fini ultimo: sed qui est perfectè conjunctus fini ultimo non potest mereri, alioqoin Beati ita
C Deo conjuncti mereri possent: igitur si Christus non potuit peccare, nec etiam mereri.

Nego consequentiam, & ejus probationis distinguo majorem. Debuit esse perfectè conjunctus fini ultimo quoad utrumque affectum justitiæ & commodi, nego: quoad affectum justitiæ tantùm concedo: & similiter distinctâ minore nego consequentiam: Christus enim fuit quidem perfectè conjunctus Deo quantum ad affectum justitiæ, *Portio enim superior in Christo*, inquit Doctor, num. 16. *conjungitur Deo per gloriam quietantem illam portionem & per affectionem justitiæ totus homo, itaut peccare non posset: potuit tamen pati quia aliquid accidere potuit contra affectionem commodi, & illud potuit Christus ordinatè velle & acceptare & ita mereri.* Ita Doctor, quibus signi-
D ficat quòd quamvis Christus esset ita perfectè conjunctus Deo per affectum justitiæ ut ab ipso non posset averti per peccatum, & sic ratione illius conjunctionis non posset peccare, tamen quia illa conjunctio non officiebat quominus aliqua pati posset liberè, quia non erat perfectè conjunctus per affectum commodi & boni delectabilis quantum ad portionem inferiorem; hinc est quòd licet peccare non potuerit, tamen potuerit mereri.

Objicies secundò: Christus semper fruebatur Deo: ergo nunquam meruit. Probatur consequentia: quia si mereri posset, maximè vel eô-
E dem actu fruitionis, vel diverso: non eodem, quia de ratione actûs meritorii est, quòd ita contingenter eliciatur, ut voluntas prout est prior prioritate naturæ illo actu possit contingenter ipsum elicere, vel non elicere: sed actus beatificus fruitionis cùm sit necessarius, non potest contingenter elici: igitur nec esse meritorius. Non etiam diverso actu, quia actus fruitionis est adæquatus potentiæ, potentia enim fruitur Deo quantùm potest, & omnem conatum impendit in illius amore eliciendo: igitur non potest habere alium actum circa Deum.

Nego consequentiam, & ad ejus probationem dico Christum potuisse mereri per actum portionis inferioris animæ, qui distinctus erat ab actu fruitionis, spectantis ad portionem superiorem; li-

cèt enim illa fruitio esset actus adæquatus superioris portionis animæ, id non impediebat quominus secundùm portionem inferiorem posset habere alium actum, qui aliquomodo derivatur in Deum: quamvis enim actus meritorius debeat præsopponere amorem amicitiæ Dei, non est tamen necesse quòd sit amor amicitiæ Dei, quia potest esse immediatè amor tanquam objecti quod amatur propter Deum.

Instabis: Christus mereri debuit secundùm actus animæ ut est facultas intelligens & libera: sed ut sic non est portio inferior, sed superior hominis: ergo si Christus non potuit mereri secundùm portionem superiorem, nullatenus mereri potuit.

Distinguo minorem. Anima ut intelligens & libera, est portio superior hominis quatenus occupatur circa divina & æterna immediatè, concedo: quatenus occupatur circa temporalia & creata, nego: anima autem Christi ut intelligens & volens, mereri potuit eâ ratione qua vivificabat corpus, illudque movebat ad actus, & voluntariè acceptabat omnes acerbitates doloris, tristitiæ, quas in passione tam corpus quàm ipsa tolerare debebat, ut morem gereret æterno Patri qui ejusmodi actus aut passiones decreverat & præceperat.

Conclusio Secunda.

V. Christus meruit in instanti suæ conceptionis.

Christus meruit in primo instanti sua Conceptionis. Hæc est communis in utraque schola Angelica & Subtili, & colligitur ex illo ad Hebr. 10. ubi Apostolus de Christo ait, *Ingrediens mundum dixit, Hostiam & oblationem noluisti... tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Ubi signanter dicit Apostolos, *ingrediens mundum*, non verò postquam ingressus est, ut significaret in ipso primo suæ unionis & formationis instanti seipsum devovisse Patri tanquam victimam. Ex quibus sic argomentari licet: Illa oblatio voluntaria, quâ Christus ingrediens in mundum se tanquam victimam passioni & morti devovit, in sui divini Patris gloriam, fuit meritoria: sed talis oblatio facta fuit in primo instanti suæ formationis: igitur in eo instanti Christus meruit. Major constat: siquidem talis oblatio & acceptio mortis fuit libera & ex charitate, & habuit alias conditiones ad meritum requisitàs.

Hinc Apostolus de illâ ibidem subdit, *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*: voluntas autem seu operatio quâ Christus sanctificavit nos, satisfactoria fuit & meritoria. Minor etiam patet ex verbis Apostoli, siquidem, ut observavimus, notanter dixit ingrediens mundum, quod significat primum instans suæ formationis.

Insuper id etiam colligitur ex eo quòd Christus dixerit, *tunc dixi, &c.* nam ly *tunc* refertur ad illud, *corpus autem aptasti mihi*, hoc est ad illud instans quo Deus ipsi aptabat corpus ad immolationem & sacrificium. Hæc autem adaptatio facta est in primo instanti formationis ipsius corporis: igitur, &c.

VI. Tribuendũ enim Christo quidquid ad ejus spectat gloriã.

Probat conclusionem Doctor *dist.* 18. *num.* 11. hac ratione, Christus in primò instanti suæ conceptionis habuit id omne quod requirebatur ad actum meritorium: igitur in eo instanti mereri potuit. Consequentia patet: Siquidem Christo salvatori tribuendum est id omne quod maximè conducit ad Dei gloriam & hominum salutem pro eo instanti quo illud potest operari, quippe cùm id maximè cedat in ejus gloriam & ministerii complementum. Antecedens verò probatur: Siquidem in illo primo instanti natura humana Christo pro illo instanti quo unita fuit Verbo, habuit actum voluntaris liberum, supernaturalem, Deo gratum, acceptum, & aliis conditionibus ad meritum requisitis affectum, quippe in illo instanti habuit visionem & amorem beatificum, & plurimas creaturas in Verbo cognovit, ac proinde hominum sortem & statum quos salvare posset si vellet, intuebatur. Cùm autem propter amorem beatificum & gratiam sanctificantem summâ charitate flagraret, dubium non est quin in illo ipso instanti se se Patri obtulerit tanquam victimam pro hominum salute: igitur pro illo instanti meruit.

VII. Ad actionẽ meritoriam non est necessaria prioritas temporis, sed sufficit prioritas naturæ.

Confirmatur. Si quid obesset quominus Christus mereri potuisset in primo instanti, maximè quia meritum consistit in operatione libera, quæ non potuit esse in primo instanti formationis Christi, tum quia operari sequitur esse, tum quia actus liber requirit consultationem: consultatio cùm in discursu & collatione consistat, non potest in instanti exerceri: sed hæc ratio nulla est, siquidem ad actionem meritoriam & liberam non requiritur quòd causa seu principium præcedat tempore suam operationem, seu actum elicitum: sed sufficit quòd præcedat prioritate naturæ, ac proinde potest simul esse cum illa. Unde quemadmodum in eodem instanti in quo sol incepit esse, etiam in eodem incepit illuminare: ita Christus cùm in primo instanti suæ conceptionis habuerit plenitudinem scientiæ speculativæ & practicæ, & intellectum perfectissimè illustratum, ac voluntatem paratam, & omnibus numeris absolutam, ut actum meritorium & voluntarium exerceret, ideo ad actum liberè eliciendum nec consultatione, nec deliberatione consilii indigebat, subindeque non opus erat ei tempore ut illum actum meritorium exerceret.

Objicies primò: Actus meritorius debet contingenter fieri, quia procedit à voluntate liberè se determinante ad operandum: sed Christus in primo instanti suæ formationis non potuit habere actum contingentem; quia quidquid est quando est necesse est esse: igitur nec meritorium. Probatur minor: Actus non potest esse contingens nisi quatenus causa præcedit suum actum tempore, & potest illum elicere: sed voluntas habens actum pro primo instanti sui esse, non præcedit tempore illum actum: ergo si Christi voluntas habuit actum pro primo instanti suæ formationis, non potuit ille actus esse contingens & liber, nec sobinde meritorius.

VIII. Omne quod est quando est necesse est esse in sensu quidem composito, non in sensu diviso.

Distinguo majorem. Debet contingenter fieri, hoc est, procedere debet à voluntate seipsam liberè determinante ad eliciendum illum actum, concedo: hoc est, debet procedere à voluntate priùs tempore existente, & se determinante ad eliciendum illum actum, nego. Unde nego minorem, & ad illius probationem dico: Omne quod est quando est necesse est esse; in sensu composito ex suppositione quòd sit, concedo: in sensu diviso, itaut illud quod est pro hoc instanti non potuerit absolutè non esse pro eodem instanti, si voluntas noluisset se ad id determinare, nego: *Vel* aliter dico cum Doctore *num.* 17. Omne quod est quando est necesse est esse, eô modô quô est, concedo: aliter, nego: hinc quando ens contingens est, verum est quòd necessariò sit contingens; non autem

autem inde sequitur quòd sit ens necessarium, sicque est necessariò, non verò necessarium.

Objicies secundò: Duæ mutationes quarum terminus unius præcedit terminum alterius non possunt esse simul & eodem instanti durationis: sed voluntas quæ est terminus mutationis creativæ, quâ ipsa producitur, debet necessariò præsupponi volitioni, quæ est terminus mutationis quâ voluntas movet se ut de non volente fit volens: ergo mutatio illa quâ voluntas producitur, non potest esse simul cum eâ quâ voluntas operatur.

IX. Voluntas non debet præsupponi tempore, sed naturâ ad meritū.

Distinguit majorem Doctor. Non possunt illæ mutationes esse simul simultate opposita illi prioritati, quam unus ex terminis debet habere respectu alterius, concedit majorem: aliâ simultate non ipsi oppositâ, negat majorem. Similiter est distinguenda minor. Debet præsupponi tempore, nego: naturâ, concedo. Igitur cùm inter istas mutationes non servetur ordo temporis, sed naturæ duntaxat, ideo etiam inter terminos illarum non necessariò servari debet ordo temporis & naturæ: proindeque cùm simul tempore potuerint esse, voluntas animæ Christi & actus ejus, eodem instanti temporis quô fuit voluntas, mereri potuit per illum actum simultaneum.

Conclusio Tertia.

X. Christus meruit toto tempore vitæ suæ.

Christus meruit totô tempore vitæ suæ. Hæc est pariter communis, & probatur *primò.* Christus toto tēpore suæ vitæ redemptoris & mediatoris munus implevit: at Salvatoris & Redemptoris, munus præcipuum est, ut nobis quæ necessaria sunt ad salutem promereretur, & pro nostris delictis debitam æterno Patri satisfactionem penderet: igitur toto suæ vitæ tempore meruit. Major constat: quippe præ cæteris gloriæ titulis quibus Christus celebratur, specialiter Jesus & Salvator appellatur. Hinc Lucæ 1. Angelus incarnationis nuntius Virginem alloquens ait: *Vocabis nomen ejus Iesum.* Et cap. 2. Angeli nativitatem Christi anountiantes Pastoribus dixerunt, *Natus est vobis hodie Salvator;* & subinde ad hoc potissimùm advenerat ut Salvatoris & Redemptoris munus impleret. Minor etiam constat: quippe non potuit perfectissimi Salvatoris & Redemptoris vices implere, quin perfectissimè pro nostris debitis æterno Patri faceret satis, & suam gratiam ac gloriam nobis promereretur, nosque in pristinam dignitatem & libertatem per peccatum deperditam restitueret. Hæc autem omnia efficere non potuit nisi suis meritis & operibus bonis: igitur, &c.

XI. Etiam tempore infantiæ suæ.

Confirmatur. Si quod esset tempus in quo Christus cogitari posset aliquid nobis non fuisse promeritus, maximè tempus illius infantiæ: at eo maximè tempore Christus suis meritis nostram salutem promeruit: igitur, &c. Major constat: siquidem eo maximè tempore videtur Christus fuisse minùs aptus & dispositus ad aliquid nobis promerendum, quippe cùm nullos actus externos eliceret nec aliquid voluntariè pati videretur, quibus maximè cogitari posset aliquid mereri. Minorem verò probat S. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. de nativitate Salvatoris, ubi inter cætera ait: *Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir esses perfectus: ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus: ille in præsepibus ut tu in altaribus; ille in terris, ut tu in cœlis; ille alium locum in eo diversorio non habet, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones..... Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus: maluit sibi egere, ut omnibus abundarem.... Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, meæ lachrymæ illa delicta lavârunt: plus igitur, Domine Iesu, injuriis tuis debeo quòd redemptus sum, quàm operibus quòd creatus sum.* (Nota.) At nullo alio modo potuit hæc Christus nobis conciliare nisi per modum meriti: agnoscit igitur S. Ambrosius in Christi infantiæ lachrymis, pannis & humilitate, meritum quod contendimus. Ei subscribit S. Augustinus sermone 11. de tempore, ubi de Christo sic loquitur, *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Et S. Bernardus serm. 1. de Circumcisione, *Meritò sanè,* inquit, *dum circumciditur puer qui datus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Quibus apertè significant illi SS. Patres Christum nobis etiam suâ infantiâ salutem fuisse promeritum.

Dices. In tantùm Christi actus fuerunt meritorii, in quantùm fuerunt Patri divino grati & ab eo acceptati in ordine ad hominum salutem: sed ad id duntaxat videtur acceptata esse illius passio, siquidem de eâ solùm divinum intercessisse pactum constat ex præfato Isaiæ vaticinio, Si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longævum: igitur Christus Dominus non est dicendus per omnes vitæ suæ actus nostram salutem fuisse meditatus & operatus.

XII. Quamvis nullum appareat pactum divinum acceptationis ejus operationum.

Nego minorem: quamvis enim acceptatio & pactum divinum maximè appareat circa passionem & mortem Christi, non desinunt tamen aliæ operationes Christi esse meritoriæ, quia pactum illud exprimitur solùm ex hypothesi quòd Filius Dei voluerit acceptare & ordinare passionem suam in utilitatem redemptionis nostræ: maximè cùm omnes Christi actus & pœnalitates ordinarentur ad passionem tanquam ad perfectum complementum nostræ satisfactionis & redemptionis. Unde dicendum est, inquit Alensis memb. 5. art. 2. quòd quodlibet opus Christi ante passionem fuit nobis meritorium; sed passio fuit nobis meritoria & satisfactoria: meritoria vitæ æternæ; & satisfactoria quoad remissionem pœnæ.

Petes, an omnes Christi actiones fuerint meritoriæ, ita quòd nullæ fuerint indifferentes, quales sunt v. g. actiones quas solemus elicere vel propter proprium commodum, vel absque perfecta deliberatione & libertate voluntatis.

XIII. Omnes ejus operationes fuerunt meritoriæ ita quòd nullæ indifferentes.

Respondeo probabilius videri omnes Christi actiones fuisse meritorias, quia Christus Dominus nihil omninò egit propter proprium commodum, & quidquid operatus est, semper cum plenaria deliberatione & summâ voluntatis libertate est operatus.

Conclusio Quarta.

XIV. Christus meruit usque ad instans mortis non verò in instanti mortis, & post mortem.

Christus nobis meruit usque ad instans mortis, non verò mortis instanti; nec post mortem. Prima pars constat, quia usque ad extremum instans mortis Christus habuit omnes conditiones ad meritum requisitas, ut sufficienter constat ex dictis: igitur usque ad illud instans censeri debet nostram salutem fuisse operatus.

Secunda verò pars Conclusionis insinuatur: quia status viæ requisitus ad meritum, significat conjunctionem & unionem animæ cum corpore passibili & mortali: sed in instanti physico mortis, non fuit anima Christi corpori mortali unita, quia ex communi Philosophorum sententiâ, vi-

ventia desinunt esse per primum sui non esse, & A subinde in instanti mortis Christi verum fuit dicere: Nunc primò non est Christus ut homo & vivens vita mortali, & consequenter in illo instanti anima Christi non erat unita corpori mortali.

XV. Requiritur enim ad hoc status viatoris.

Tertia denique pars satis apertè constat ex dictis, siquidem una ex præcipuis conditionibus requisitis ad meritum, est status viatoris: sed post mortem Christus non amplius fuit viator, unde dicebat Joan. 9. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari, id est mereri: per noctem verò S. Chrysostomus homil. 53. in Joan. & Augustinus tractatu 44. intelligunt tempus post hanc vitam: igitur, Christus Dominus non potuit mereri post B instans suæ mortis.

Dices. Mors Christi & vulnus ejus lateri inflictum & sanguis ac aqua ex eo fluens habuerunt rationem meriti: ergo reverà Christus meruit in instanti mortis & post mortem. Probatur antecedens: tum quia dicimur redempti per mortem Christi ut pluribi significat Apostolus: tum quia SS. Patres docent sanguinem, & aquam ex Christi latere fluentes maximam virtutem habuisse, & inde etiam sacramenta manasse: Sic S. Leo epistola 4. cap. 6. *Tunc*, inquit, *regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismi*. Idem docent plurimi è SS. Patribus; maximè Ambrosius lib. 12. in Joan. cap. 29. ubi sanguinem & aquam ex latere Christi appellat benedictionis mysticæ, & sancti Baptismatis originem quandam atque primitias.

XVI. Quantùm ad vulnus lateri ejus post mortem inflictum, meritorium erat ratione præviæ acceptationis à Christo adhuc vivente factæ.

Respondeo in tantum Christi mortem & vulnus illud inflictum censeri meritorium in quantum adhuc Christus vivens & prævidens quæ passurus erat, non solùm in morte, sed etiam post mortem illa omnia voluntariè acceptavit, & Deo Patri obtulit anticipato & prævio affectu in expiationem nostrorum delictorum & assertionem nostræ salutis. *Nec refert* quòd SS. Patres dicunt fluxum illius sanguinis & aquæ ex Christi latere promanantis significare duo sacramenta; inde namque non sequitur quòd Christus per illius sanguinis & aquæ profluvium promeritus fuerit divinam illam virtutem quam habent sacramenta Baptismatis & Eucharistiæ ad promerendam hominum salutem: sed tantùm quòd illa duo sacramenta in isto aquæ & sanguinis profluvio maximè adumbrata & expressa fuerint.

Petes, an Christus habuerit unicum meritum continuatum ab instanti conceptionis ad extremum vitæ, an verò multiplex?

XVII. Multiplex fuit Christi meritum secundùm multiplicitatem actuum diversarum virtutum quos elicuit.

Respondeo probabilius videri ipsum habuisse multiplex meritum, ratione actuum diversorum quos elicuit, quemadmodum enim qui unâ continuatâ voluntate placendi Deo jejunat & dat E eleemosynam, habet duplex meritum: ita Christus per illam voluntatem quâ æterno Patri continuò placebat juxta illud Joan 8. Ego quæ placita sunt ei facio semper, cùm diversas virtutes exerceret etiam verisimile est ipsum habuisse diversa merita.

Nec refert quòd habuerit unam voluntatem, satisfaciendi pro nobis; à qua voluntate procedebant omnes ejus actus, nam ut mox diximus, continuatio ejusdem effectûs & voluntatis placendi Deo, non officit quominus exercuerit plures virtutes & subinde potuit habere diversa merita.

QUÆSTIO IV.

Per quos actus Christus meruerit.

I. Christus fuit viator secundùm partem inferiorem, comprehensor secundùm superiorem.

NOtandum primò, vel potiùs ex dictis revocandum, Christum fuisse simul viatorem & comprehensorem. *Viatorem*, inquam secundùm portionem inferiorem quatenus videlicet ipsius anima informabat corpus passibile & mortale, tribuendo illi gradum viventem, vegetativum, & sensitivum, & ut erat principium passionum, seu affectuum animalium appetitûs sensitivi; erat verò comprehensor secundùm mentem, seu partem superiorem, penes quam ejus anima habebat esse & operari independenter à corpore, & eliciebat proprias operationes intellectûs & voluntatis, quibus clarè Deum videbat & ejus divinitate fruebatur. Unde ut optimè observat Doctor *d.* 18. *num.* 8. dispar erat status Christi Beati à statu aliorum Beatorum, quippe cæteri Beati conjunguntur Deo perfectissimè secundùm utrumque affectum justitiæ & commodi penes portionem superiorem, & inde nullum relinquitur eis incommodum circa portionem inferiorem: Christus verò erat quidem ita conjunctus Deo beatificè per affectum justitiæ quo ipsi adhærebat per visionem & amorem, non verò per affectum C commodi & voluptatis, quin adhoc subjaceret plurimis incommodis & pœnalitatibus secundùm portionem inferiorem, & subinde perfectissimè & completè Deo non adhærebat beatificè.

II. Christus meruit per actus portionis inferioris.

Notandum secundò, quanquam eadem sit anima, quæ portionem inferiorem & superiorem instituit, tamen alii sunt ejus actus secundùm partem superiorem, alii verò secundùm inferiorem, ut per se constat. Conveniunt invicem Theologi Christum haud dubiè meruisse per actus portionis inferioris quippe secundùm illam erat perfectè viator: at invicem disceptant de actibus portionis superioris; maximè verò per actus charitatis tam erga Deum, quàm erga proximum. D S. Thomas 3. p. quæst. 19. art. 3. ad 1. & cum eo omnes ejus discipuli, docent quidem Christum meruisse per charitatem erga Deum: verùm quoniam actus ille charitatis videtur necessarius, Christus enim utpote clarè & intuitivè videns divinam essentiam necessariò diligebat Deum, cùm Deus clarè visus ad sui amorem voluntatem rapiat & quasi necessitet, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 4. his verbis *Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat sub ordine ad Deum*.

Varia Theologorum sententia circa Christi meritum secundùm portionem superiorem.

Ut hanc difficultatem solvant ejus discipuli *aliqui* cum Soto lib. 3. de naturâ cap. 7. Suare dist. 39. sect. 2. distinguunt in Christo duas dilectiones erga Deum: unam regulatam scientiâ beatâ, aliam E verò regulatam scientiâ supernaturali & infusâ, & asserunt primam esse necessariam, alteram autem liberam & meritoriam. *Alii* duos alios actus charitatis in Christo distinguunt, & utrumque regulatum scientiâ beatâ, unum quô Christus dilexit bona Deo intrinseca nempe illius divinam essentiam, perfectiones, personas, &c. alterum quo bona ipsi extrinseca voluit; nimirum gloriam, laudem, honorem & obedientiam quæ illi à creaturis exhibentur; unde asserunt ipsum non meruisse per primum actum charitatis sed per secundum. Ita docet Lorca d. 71. cap. 2. *Nonnulli* asserunt dilectionem Christi fuisse terminatam ad bonitatem divinam, & ut est ratio diligendi &

bona illi intrinseca liberam non fuisse, nec proinde meritoriam: ut autem terminabatur ad bonitatem divinam, quatenus illa est ratio diligendi creaturas & volendi Deo bona extrinseca, non erat, inquiunt, necessaria, sed libera & per consequens meritoria. Ita Capreolus in 3. d. 18. *Cæteri* verò argumenti difficultate oppressi declinant ad partes subtilis Doctoris affirmantis Christum Dominum meruisse non modò per actioner portionis inferioris, verùm etiam per actioner superioris portionis; præsertim per actus charitatis erga proximum quem conspiciebat in Verbo, nec non & per actum charitatis beatificæ circa Deum clarè visum.

III. Duplicis generis ChristusD. actus exercuit, quorum alii præcepti videntur.

Notandum tertiò. Christum duplicis generis actus exercuisse, quorum aliqui præcepti erant, ut passio, & mors quæ ipsi præscriptæ & ordinatæ fuerant. Unde mortem appellat Calicem quem dedit Pater. Alii verò non erant à Deo præcepti & præscripti, nec eos eliciebat Christus ex motivo obedientiæ, sed ex motivo aliarum virtutum; putà vel misericordiæ dum curabat infirmos, vel eleemosynæ dum esurienter pascebat, vel mortificationis dum vigilabat & jejunabat, vel devotionis dum pernoctabat in oratione Dei, vel religionis dum ascendebat in templum adoraturus & oraturus. Conveniunt omnes Theologi ipsum meruisse per actus qui non erant præcepti, sed cùm esset impeccabilis, nec videretur liber circa actus præceptos, quia libertas in obedientiâ præcepti consistit in potentiâ acquisitâ ad obediendum vel non obediendum. Hinc *aliqui* Theologi probabilius existimant ipsum meruisse per actus præceptos: quippe cùm non appareat qua ratione sufficientem habuerit libertatem ut meritoriè illos actus exerceret. *Alii* verò affirmanter illum etiam per illos actus meruisse, varias in partes scinduntur: nam aliqui ut concilient libertatem Christi cum ejus impeccabilitate, docent Christo impositum non esse præceptum strictum obligans ad culpam moriendi & patiendi, sed solùm insinuatam fuisse voluntatem Dei quæ decreverat hominer non posse redimi nisi per ejus mortem. Ita Lorca d. 73. *Alii* concedunt quidem positô illô præceptô moriendi, Christum non potuisse non mori: hæc tamen, inquiunt, necessitas non fuit antecedens, sed consequens libertatem Christi, quia liberè postulaverat à Patre hoc præceptum sibi imponi, & liberè illud acceptavit: necessitas autem consequens non officit libertati. Ita Cabrera. *Nonnulli* cum Lugo asserunt quidem Christum habuisse præceptum moriendi quod non potuit non acceptare; nihilominus liberè mortuum fuisse, quia præceptum illud non obligabat ad moriendum pro illo instanti, quô ponebatur. Unde poterat Christus, antequam instaret tempus illud implendi, petere & impetrare à Patre illius dispensationem, vel commutationem & consequenter ipsum liberè fuisse mortuum. *Plurimi* recentiores cum Lessio, Vasquesio, Valentiâ, dicunt, Christum non obstante suâ impeccabilitate liberè præceptum de morte subeundâ implevisse, quia licèt non fuerit liber circa substantiam mortis, ita quòd non potuerit non mori; tamen liber fuit circa motivum, quia mori potuit ex motivo fortitudinis, vel patientiæ, vel misericordiæ. *Sunt etiam*, quibus subscribit Gonetus, qui affirmant Christum idcircò liberè fuisse mortuum, quia licèt non potuerit velle non mori in sensu composito, hoc est, conjungere negationem mortis cum præcepto obligante ad mortem, benè tamen id potuit in sensu diviso, volendo negationem mortis quatenus illa præscindit à præcepto. Verùm quàm inutiles sint isti modi ad conciliandam Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, infrà demonstrabimus.

Varia actûs non præcepti motiva.

Status quæstionis.

Tria sunt igitur in hac quæstione determinanda: *Primum*, quòd Christus meruerit per actus portionis inferioris, nec non & aliarum virtutum distinctarum à charitate. *Secundum*, quòd etiam meruerit per actus charitatis non solùm viatoris, correspondenter scientiæ Dei infusæ, sed etiam per actus charitatis beatificæ, tam erga proximos relucentes & ut visos in Verbo, quam erga Deum, seu per ipsam fruitionem Dei. *Tertium*, quòd reverà meruerit per actus præceptos, quia ad id sufficientem libertatem habebat.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Christus meruit etiã per actus portionis inferioris.

CHristus meruit per actus portionis inferioris & aliarum virtutum à charitate distinctarum. Ita Doctor d. 18. num. 5. *Prima pars* constat: per eos enim actus meruit Christus quos liberè eliciebat ut viator: atqui Christus liberè eliciebat actus portionis inferioris, quippe illas exercebat ad nutum & imperium voluntatis prævio intellectûs dictamine: igitur, &c. Hanc veritatem sic

V.

explicat Doctor *num.* 5. Christus, inquit, secundùm aliquid fuit viator, & passibilis secundùm partem sensitivam & portionem inferiorem voluntatis: ideò multa habuit objecta præsentia sensibus, & portioni inferiori, circa quæ potuit liberè velle contra affectionem commodi quæ semper est ad conveniens illi, cujus est; ideo jejunando, vigilando, orando, & multis aliis talibus potuit mereri, vel exercendo talia exteriùs, vel volendo interiùs talia propter Deum. Quibus quidem verbis satis probatur conclusio. Ulterius tamen inquirit quomodò id potuerit fieri præsertim à voluntate, & respondet quòd etsi portio inferior fuerit Deo perfectè conjuncta secundùm actum beatificum, fuit tamen eadem voluntas passibilis secundùm portionem inferiorem, & ut sic fuit viatrix, atque consequenter mereri potuit.

Quippe qui eos liberè exercebat.

VI.

Objicit Doctor. Quod est in termino simpliciter, non potest mereri: sed portio inferior voluntatis Christi fuit simpliciter in termino: ergo mereri non potuit. Major est certa: Minor probatur. Illud est simpliciter in termino quod non potest habere actum inordinatum circa aliquid tendens ad finem: sed voluntas Christi inferior non potuit habere actum inordinatum circa aliquid tendens ad finem; ergo fuit simpliciter in termino.

Voluntas Christi erat in termino secundùm affectionem justitiæ, nõ secundùm affectionẽ commodi.

Respondeo ex Doctore concessâ majore negando minorem: & ad probationem dicendo, quòd equidem non potuit habere ejusmodi voluntas actum inordinatum circa aliquid ad finem, nec tamen propterea fuit simpliciter in termino, quia ex eo quòd portio inferior conjungeretur Deo solummodo ratione conjunctionis portionis superioris, non sequitur portionem inferiorem conjunctam fuisse cum Deo secundùm affectionem commodi, quod tamen requiritur ad hoc ut dicatur esse simpliciter in termino, & quia ex defectu talis conjunctionis multa Christo Domino acciderunt contra affectionem commodi, ideo illa acceptando propter Deum mereri potuit.

VII.

Secunda pars etiam constat: nempe quòd me-

reri potuerit per actus aliarum virtutum distinctarum à charitate : siquidem meruit per virtutem obedientiæ, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quòd Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, &c. ut ait Apostolus ad Philipp. 2. sed obedientia est distincta a charitate : igitur, &c.

Conclusio Secunda.

VIII. Meruit & per actus charitatis.

Christus reverà meruit per actus charitatis non solùm erga proximum : sed etiam erga Deum, idque etiam per actum charitatis beatifica. Hæc tribus partibus constat : quarum *prima* communis est utrique scholæ, Subtili & Angelicæ ; eamque expressè tradit Subtilis Doctor num. 8. ubi ait : *Portio inferior meruit eliciendo operationem circa creata, ut diligendo matrem & alios bonos in Deum & malos propter Deum* ; & probatur. Actus charitatis erga proximum, sive correspondeat scientiæ acquisitæ sive infusæ, spectat ad portionem inferiorem : at secundùm actus portionis inferioris mereri potuit, ut mox dictum est : igitur & per actus charitatis erga proximum.

Deinde, Christus absolutè mereri potuit & reverà meruit, ut probatum est ; ergo etiam mereri potuit per actum charitatis. Antecedens constat ex priori quæstione. Consequentia est evidens, quia Christo concedendum est meritum secundùm omnimodam perfectionem possibilem : sed meritum actus charitatis est specificè perfectius merito aliarum virtutum : igitur fatendum est Christum per actum charitatis meruisse.

Denique. Siquid obstaret quominus meruisset Christus per actum à charitate elicitum, maximè quia hic actus in Christo non fuisset liber, quippe omnes aliæ conditiones ad meritum requisitæ isti actui charitatis non desunt : sed nec ipsi deest libertas necessaria, quippe cùm liberrimè Christus se se determinaret ad id omne exequendum & præstandum quod maximè cedebat in Dei gloriam & in proximi utilitatem : igitur Christus Dominus reverà mereri potuit per actus charitatis immediatè tendentes in proximum & mediatè in Deum.

Non solùm erga proximum.

Secunda pars etiam est evidens, nempe quòd Christus meruerit per actus charitatis etiam in Deum immediatè terminatos, siquidem Christus ut viator Deum cognoscere potuit & reverà cognovit per scientiam infusam, & consequenter potuit ipsum amare amore correspondente isti scientiæ : sed amor isti scientiæ correspondens reverà erat meritorius: igitur potuit Christus mereri per actum charitatis immediatè. Major constat ex dictis agendo de scientia Dei. Sequela etiam illus patet. Voluntas enim ferri potest amore in id omne quod sibi ab intellectu repræsentatur amabile : ergo cùm Deus per scientiam infusam repræsentatus fuerit animæ Christi ut objectum summè bonum & amabile, haud dubium est quòd anima Christi in ipsum tendere potuit actu amoris correspondentis isti scientiæ infusæ. Minor etiam apparet vera : siquidem actus ille meritorius est qui habet omnes conditiones ad meritum desiderandas : at actus amoris Dei elicitus ab animâ Christi, quatenus illa per scientiam infusam cognoscit Deum summè amabilem, habet omnes conditiones ad meritum, est siquidem actus viatoris, liber, honestus, & Deo gratus : igitur est reverà meritorius.

Sed & et- *Tertia denique pars* probatur à Doctore n. 9. nempe quòd Christus etiam meruerit per amorem beatificum. Quia, inquit, omnis actus acceptatus à Deo, tanquam actus bonus, & laudabilis, pro quo Deus velit aliquid retribuere illi, cujus actum acceptat, vel alteri pro quo fit, est meritorius: hujusmodi est omnis actus Christi secundùm naturam humanam : etiam actus beatificus, quo secundùm portionem superiorem fruitur Deo: quia persona illa non secundùm omnem conditionem sui fuit simpliciter in termino: ideo potuit Deus omnem actum creatum illius personæ acceptare tanquam dignum aliquo bono pro eo retribuendo illi personæ, si indiguisset, vel alteri, scilicet nobis, pro quibus meruit. Et hoc tenendo, oportet dicere quòd si actus beatificus secundùm portionem superiorem Christi fuit meritorius, quod non includit contradictionem, actum beatificum Michaelis, vel alterius Beati, posse acceptari tanquam aliquid dignum retributione, quod retributum daretur propter meritum, putà Michaëli daretur aliquid propter actum meritorium custodiæ, quam exercet circa me: Contradictio, dico, non esset, tamen de facto Deus non sic acceptat actum illum, quia persona illa est totaliter extra statum merendi secundùm totum subjectum ; non sic Christus; sed secundùm aliquid fuit in statu viatoris, & propter hoc omnis actus ejus creatus acceptus erat, & meritorius illis, pro quibus offerebatur Deo.

ga Deum per amorem beatificum.

Dices. Secundùm illam portionem Christus non potuit mereri, secundùm quam erat extra statum viæ : at erat extra statum viæ penes portionem superiorem, & per actus beatificos : igitur sic mereri non potuit.

XI. Meritum non solùm respicit actum elicitũ; sed & personam elicientem.

Respondet Doctor quòd sicut meritum non consistit tantùm in ipso actu elicito, sed aliquo modo in conditionibus personæ elicientis ; sic acceptio divina non solùm respicit actum, sed conditiones accidentales personæ merentis, unde licèt portio superior, & actus ille fruitionis fuerit extra statum viæ, nihilominus ratione totius Christi elicientis actum meritorium, fuit aliqua congruitas acceptandi actum, fruitionis illius tanquam meritorium, qualis congruitas non est in aliis Beatis qui sunt omninò extra statum viæ. Licèt tamen absolutè loquendo nulla videatur repugnantia quin actus beatitudinis alterius Beati acceptari etiam possit tanquam meritorius & dignus aliquâ retributione, quomodo v. g. potest Deus acceptare actum custodiæ quam Angelus custos exercet circa me tanquam meritorium & dignum retributionis.

Dices secundò : Actus meritorius debet esse liber ; sed actus amoris beatifici non est liber: igitur, &c.

X. Tripliciter Christus potuit mereri nempe per actus potentiæ sensitivæ imperatos à voluntate, per actum amoris ut tendit in Deum, & per eundem actum ut tendit in creaturas.

Negat minorem Doctor in 1. *dist*. 1. *quæst*. 4. cujus contrarium probat. Quia diversa approximatio, ait, alicujus passi ad agens, vel potentiæ ad objectum, non facit necessitatem, aut non necessitatem, sed duntaxat reddit actum intensiorem, vel minùs intensum : at diligere Deum in viâ, & in patriâ differunt solummodò penes diversam approximationem unius ejusdem potentiæ ad idem objectum : ergo ista approximatio non causabit necessitatem, si priùs nulla fuerit necessitas, sed tantùm intensiorem aut minùs intensum actum, proindeque dilectio Dei in patriâ in eo tantùm distinguitur à dilectione Dei in viâ, quòd illa est intensior istâ, non autem magis aut minùs necessaria. Concludendum igitur cum Doctore n. 10. quòd amor beatificus Christi fuerit liber &

meritorius in quantùm tendit in ipsum Deum immediatè, & in quantùm terminatur ad creaturas relucentes & intuitivè cognitas in Verbo. Unde concludit ibidem, quòd Christus simpliciter potuit mereri. Primò per actus potentiæ sensitivæ imperatos à voluntate: Secundò per actûm amoris beatifici, ot tendit in ipsum Deum: Tertiò per eundem actum, ut tendit in creaturas propter Deum.

Dices tertiò: Actus ille non est liber cujus dari nequit actus oppositus; sed actui beatifico amoris Dei non potest dari actus oppositus, nempe actus odii circa Deum intuitivè cognitum: ergo actus amoris Dei intuitivè cogniti non est liber. Major videtur vera, siquidem ut actus sit liber B potentia debet esse indifferens ut possit actum contrarium & oppositum exercere circa idem objectum. Minor verò probatur: In Deo intuitivè cognito nulla apparet ratio mali: ergo nec ullum esse potest motivum odii.

Distinguo majorem. Ut voluntas sit libera libertate contrarietatis, debet posse elicere actum oppositum isti quem elicit, concedo: ut sit libera libertate contradictionis, nego: nam ad hanc libertatem non est necesse quòd voluntas possit elicere actum contrarium, sed satis est quod possit suspendere actum suum circa objectum propositum: voluntas autem Christi secundùm se physicè spectata suspendere potest actum suum circa objectum beatificum, licèt ratione manutenentiæ C & objecti extrinsecè allicientis & determinantis ad sui amorem non possit moraliter istum amoris actum suspendere. Unde distinctâ minore, neganda est consequentia.

CONCLUSIO TERTIA.

XI. Meruit etiam per actus quibus observavit præcepta sibi imposita.

CHristus meruit per actus quibus observavit præcepta sibi imposita, maximè quia pro illo instanti quo servabat præceptum, simpliciter quantùm ad potentiam physicam, poterat illud non observare, licet id moraliter non posset.

Probatur primò, quia meruit per obedientiam: sed obedientia supponit præceptum: igitur, &c. Minor patet. Major probatur ex Apostolo D ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Et Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem, &c.*

Probatur secundò. Si Christus non meruisset per observantiam præceptorum, maximè quia in illis non fuisset liber: sed habebat sufficientem libertatem ad meritum: igitur, &c. Major patet: siquidem conveniunt omnes, observantiam præcepti habere alias conditiones ad meritum requisitas, quippe cùm sit actus moraliter bonus, Deo gratus, in eum ordinatus, & à Christo ut viatore elicitus. Minor verò, in qua est difficultas, E probatur. Ratio præcepti secundùm se præcisè spectata non aufert libertatem actum exercendi: igitur Christus liberè potuit præceptum implere. Consequentia patet. Antecedens probatur. Libertas duntaxat tollitur per necessitatem ipsi actui impositam, seu eo ipso tantùm, quo actus exercetur necessariò, quia libertas voluntatis opponitur propriè necessitati; quippe voluntas non solùm libera est à coactione, sed etiam à necessitate: atqui ratio præcepti ut sic non efficit ut actus exerceatur necessariò voluntate: igitur nec à tali actu aufert rationem liberi. Minor constat: quia nos ipsi liberè observamus A præcepta, & consequenter ratio præcepti non efficit quominus actus præceptus liberè exerceatur.

Nec est quòd dicas disparem esse conditionem Christi à nostrâ, quòd idcirco liberè dicamur observare præcepta, quia possumus ea omittere peccando: Christus autem cùm esset impeccabilis non potuit præcepta sibi præscripta non observare. Hæc inquam responsio non solvit vim argumenti, nam confirmati in gratiâ non possunt peccare, & nihilominus liberè observant præcepta, & per illam observantiam merentur, ut constat tum de beatissimâ Virgine, cum de Apostolis, qui dum erant viatores post acceptam Spiritûs B sancti plenitudinem non poterant peccare; tamen reverà merebantur: ergo licèt anima Christi sit impeccabilis, non desiit tamen eùm esset adhuc in statu mortali, mereri per liberam observantiam præceptorum. XII. Confirmati in gratia possunt mereri.

Deinde, Hæc duo, *non posse liberè admittere omissionem præcepti*, & *non posse committere aliquid contra præceptum*, valdè distinguuntur ab hac tertiâ propositione. *Habere necessariò actum volitionis exequendi præceptum*; neque ex duabus prioribus propositionibus tertia potest inferri, duo quippe priora compatiuntur secum libertatem; tertium verò non ita: Atqui voluntas animæ Christi ratione suæ impeccabilitatis habuit tantùm duo priora, ratione verò præcepti sibi imC positi non habuit tertium: ergò liberè & non necessariò potuit implere id quod præceptum erat. Major constat: quia posse velle malum non spectat ad libertatem: duæ autem illæ priores propositiones tantùm denotant summam rectitudinē voluntatis in operante quæ apprimè concordat cùm libertate in operando: Tertia verò propositio tollit omnino libertatem; siquidem non potest intelligi libertas cum actu necessariò volendi. Minor verò quoad priorem partem satis constat ex se. Probatur verò quoad posteriorem. Præceptum impositum voluntati Christi eo modo se habuit ex parte sui ad illam voluntatem, quomodo præcepta Dei sese habent ad nostras voluntates, quia non potest explicari quid præceptum Christo D præscriptum peculiare habuerit quatenus præceptum erat, quòd præscripta nobis præcepta non habeant: sed præcepta nobis præscripta ita se habent ad nostras voluntates, ut illæ nihilominus habeant actum liberum ac non necessarium volendi executionem illius quod præceptum est, nec ex vi præcepti accipiunt aliquid quo determinentur ad necessariò exercendum actum præcepti: igitur & Christi voluntas etiam posito præcepto habuit actum liberum, nec virtute illius determinabatur ad illud necessariò observandum. XIII. Liberè enim possunt implere quod præceptum est.

Confirmatur. Siquid necessariò determinasset Christum ad observanda præcepta sibi divinitùs E præscripta, maximè visio & amor beatificus: sed illa non sic eum determinabant quin physicè loquendo posses illa præcepta non observare si voluisset: ergo eis nonobstantibus liber erat in observantiâ præceptorum. Minor probatur: Visio beatifica non determinat ad actum nisi mediante amore: amor autem non determinat nisi quatenus ipse existit: sed actus amoris non ita debet necessariò esse quin voluntas eum possit non elicere, alias actus ille amoris non esset liber, nec consequenter actus amoris beatifici in Christo fuisset meritorius, cujus contrarium suprà probatum est: ergo si ille actus amoris beatifici non sit ita necessarius quin voluntas possit ab eo cessare, saltem physicè, nec XIV. Uti Christus qui non poterat cogi ad implendum præceptum neque per amorem neque per rationem.

etiam ita necessario determinabit voluntatem ad observanda præcepta, quin illa physicè ab illa observatione possit averti. *Adde* quod non possit assignari ulla ratio ob quam voluntas, quæ est potentia essentialiter libera, ita determinari possit ab aliquo objecto quomodocunque intentionaliter proposito ad amorem producendum, quin physicè possit actum illum amoris non elicere, licèt ita determinetur & alliciatur ab objecto ut ab ejus amore cessare non possit: Ergo physicè non determinatur necessariò ad illum amorem; igitur physicè potest ab eo cessare, & consequenter per eum non necessitatur voluntas ad servanda præcepta.

Dices. Libertas physica non sufficit ut alicui præceptum debitè præscribatur, nec ut ille censeatur laude & præmio dignus cùm illud implet: ergo si Christus tantùm habuit libertatem physicam respectu præcepti implendi, non potuit mereri per observantiam illius. Probatur antecedens: quia quando aliquis est moraliter determinatus ad actum, licèt physicè posset ipsum non habere, superfluè præciperetur ipsi talis actus, nec in eliciendo illum actum sibi compararet quidpiam laudis; nam ineptè quis prohiberet alicui ne interficeret integrum exercitum hominum sibi adversantium: nec multùm foret ipsi laudabile tali præcepto obtemperare, quia licèt ad id habeat potentiam physicam, non tamen habet potentiam moralem: ergo si observantia præcepti non sit etiam in potestate morali observantis, nil laudis & meriti exinde poterit consciscere. Patet consequentia. Probatur antecedens, nam licet esset bonum non interficere omnes homines: licet etiam sit in potentia physicâ unius hominis illos interficere; tamen is non dicitur liberè non interficere illos omnes, nec ipsi vertitur in laudem quòd eos non interficiat, quia id moraliter est ipsi impossibile: ergo si sit moraliter impossibile, ut Christus Deum amando amore beatifico non observet ejus præcepta, illa observatio non potest ipsi esse meritoria.

XV. Sed præcepta sibi imposita servavit ex motivo & virtute obedientiæ.

Nego antecedens, potest enim aliquid præcipi ad quod quis moraliter determinatur, quia quamvis præceptum non deserviat ad determinandam, nec etiam ad ponendam substantiam actûs, tamen posset imponi ut actus laudabilis, qui aliàs imponeretur, haberet etiam bonitatem & meritum obedientiæ, sic v. g. præcipi potest ut qui ex devotione jejunat diebus Veneris, etiam iis diebus jejunet ex præcepto: quia quamvis præceptum istud non determinet hominem cui imponitur ad substantiam jejunii quod jam aliunde implere erat paratus, attamen ipsum determinat ut illud observet ex motivo & virtute obedientiæ.

Ad probationem antecedentis, nego paritatem illam de interfectione: quia illa interfectio non est in potentiâ etiam physicâ voluntatis, dependet enim à viribus corporis, quæ ex se non sufficiunt ad interfectionem exercitûs, quamvis voluntas ad illam interfectionem sese determinaret; unde illa non interfectio non vertitur in laudem ipsius voluntatis, non quòd ad id voluntas non habeat potentiam moralem: sed quia non sola voluntas concurrere debet ad illam interfectionem, siquidem ad id etiam debent conferre aliæ facultates quæ ad id præstandum voluntati non subordinantur: igitur illud exemplum non quadrat. Quamvis igitur Christus per amorem beatificum sit determinatus moraliter ad implendum id omne quòd sibi præcipitur à Deo; non minùs tamen hæc utiliter ei præcipiuntur, quia si non præciperentur, amor beatificus ad id non determinaret; ideo enim determinat, quia omissio illorum actuum esset peccaminosa: Peccatum autem est incompatibile cum amore Dei super omnia: sed illa omissio non esset peccaminosa nisi actus præciperentur: ergo quamvis Christus à Deo sit determinatus moraliter, nihilominus rectè & utiliter illi actus fuerunt à Deo præcepti.

XVI. Etsi per amorē beatificum ad ea implenda moraliter determinetur.

Instabis. Si Christus duntaxat habuit libertatem physicam ad non observanda præcepta, sequitur quod non majorem habuerit libertatem ad non observantiam præceptorum, quàm ad cessandum ab amore beatifico: & consequenter quòd non plus meruerit subeundo mortem sibi præscriptam quam meruerit amando Deum amore beatifico: at non videtur esse valdè laudabile, nec meritorium, quòd Christus videns Deum clarè & intuitivè, ipsum diligat, quamvis physicè posset non diligere: ergo si ad observationem præceptorum Christus non habuit aliam libertatem quam physicam ad observanda præcepta, non videtur in illâ observatione multum meruisse.

XVII. Plus gloriæ contulit Christo mors & Passio, quā amor beatificus utpote quæ subeunda difficilis nimium erat.

Respondeo rationem majoris laudis & meriti fuisse in morte Christi & in observatione aliorum præceptorum, quàm in amore beatifico, quia licèt determinatus fuerit ad ipsam acceptandam moraliter ex suppositione amoris beatifici & præcepti, tamen reverà mors erat illi valde difficilis & acerba, nec eam de facto subire potuit nisi cum maximo dolore & summâ tristitiâ; unde propter difficultatem maximam quam annexam habebat mors subeunda, valdè fuit ipsi laudabile & magnum præmium meritus est illam subeundo.

Dices secundò, Christus non poterat eligere actus à Patre præceptos neque non acceptare mortem: ergo in illis non erat liber libertate electionis. Probatur antecedens, quia non poterat peccare, peccasset autem non acceptando id quod Pater æternus præceperat.

XVIII. Christus ita erat liber ut illo eodē tempore quo actus faciebat poterat ipsos non facere. Si humana ejus voluntas secundùm se spectetur.

Respondeo negando antecedens, quamvis enim Christus peccare non posset, ideoque nec transgredi mandatum Patris; sic tamen ipsi mandato obtemperabat ut illo eodem tempore quò actus præceptos faciebat posset ipsos non facere, si humana ejus voluntas secundùm se & secundùm modum operandi quem in illo statu habebat, consideretur. Et quemadmodum Angeli beati liberi libertate electionis mandata divina exequuntur, neque tamen possunt ea transgredi & peccare: Ita Christus liberè libertate electionis mandata Patris sui servabat, etiamsi peccare non posset.

Instabis. Supposito præcepto Christus non erat indifferens ad eligendos actus præceptos, & ad acceptandam mortem.

Respondeo. Non erat indifferens supposito præcepto indifferentiâ ex parte actûs, concedo: indifferentiâ ex parte potentiæ, nego. Sic suppositâ determinatione ultimi judicii rationis non est indifferens voluntas ad eligendum hoc vel illud medium indifferentiâ ex parte actûs, quia necessariè actus voluntatis sequitur judicium ultimum rationis: est tamen indifferens ex parte potentiæ, quia voluntas secundùm se est indifferens ad hoc vel illud medium: sic suppositâ præmotione gratiæ efficacis, non est voluntas indifferens ad agendum, vel non agendum indifferentiâ ex parte actûs, sed est indifferens indifferentiâ ex parte potentiæ.

XIX. Idque in

Instabis. Supposito præcepto non potest non servare illud.

sensu diviso, non in sensu composito.

Respondeo. Non potest non servare illud in sensu composito, concedo: in sensu diviso, nego: hoc est, duo hæc componi simul non possunt, præceptum v. g. de morte subeundâ & nolle mori in Christo: simpliciter tamen si & mors & Christi voluntas secundùm se spectentur, eodem præcepto stante retinebat liberam facultatem non moriendi & poterat non mori: nam præceptum Patris nihil operabatur in Christi voluntate quod ejus libertatem impediret, sed eam æquè liberam quoad actus electionis relinquebat, atque si non fuisset datum.

Corollarium.

XX. *Verum mandatum Christo fuit impositum.*

Ex dictis sequitur non esse probandos illos omnes in tertio notabili modos conciliandi impeccabilitatem Christi cum ejus libertate in servandis sibi præscriptis mandatis, nec verisimiles apparere præfatas sententias.

Non quidem *prima* quæ contendit nullum præceptum strictè & propriè dictum fuisse impositum Christo ut homini, sed duntaxat insinuatam fuisse ipsi divinam voluntatem quæ non inducit obligationem rem exequendi, ita quòd ejus omissio sit peccatum. Non inquam probatur, quia reverâ ex Scripturâ sacrâ constat Christo à Patre fuisse impositum præceptum moriendi, nam Joan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo, scilicet ponendi animam meam: & c: sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio*, & 15. *Sicut & ego Patris mei præcepta servavi*, quæ omnia apertè significant Christo imposita fuisse præcepta propriè dicta, siquidem Scripturæ sacræ verba debent accipi secundùm propriam eorum significationem, quando nulla inde sequitur repugnantia nec indecentia: nulla autem apparet ex eo quòd Christo fuerit impositum præceptum propriè dictum, quia ut constat ex dictis, non minùs fuit liber in observandis illis præceptis quam si essent præcepta in latiori significatione usurpata. *Deinde*, certum est Christum Dominum ut hominem fuisse subditum præceptis legis naturæ; nam legis naturæ nomine nihil aliud intelligitur quàm dictamen rationis naturalis, quam Deus conditor unà cum naturâ inseruit mentibus hominum quâ ordinantur ad aliquid faciendum, vel non faciendum; quare quicunque est verus homo, ille naturali lege tenetur: ergo Christus tenebatur ad servanda illa præcepta: igitur vel meruit per observantiam illorum præceptorum, & sic etiam mereri potuit per observata præcepta positiva: vel non meruit, quod videtur absurdum, quippe cum observantia præceptorum juris naturalis in Christo habet id omne quod requiritur ad rationem meriti. *Denique* proprium objectum obedientiæ est præceptum: at Christus reverâ meruit per obedientiam, ut constat ex illo ad Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi*, quibus verbis S. Apostolus comparat obedientiam Christi cum inobedientiâ Adami, ut significet quòd quemadmodum Adamus fuit inobediens præcepto Dei propriè dicto: ita obedientia Christi innotuit in subjectione suâ ad præceptum strictè & propriè dictum.

XXI. *Mandatum de morte subeunda Christo fuit impositum antecedenter ad ejus voluntatem & acceptationem.*

Secunda etiam sententia asserens Christum idcirco liberè observasse præcepta sibi præscripta, quia licèt præsupposito præcepto de morte subeundâ non potuit non mori, eò quòd hæc moriendi necessitas non fuerit antecedens, sed consequens libertatem Christi, quippe præceptum illud impositum fuit dependenter ab ejus acceptatione. Hic inquam, modus non probatur *primò*, quia nullum habet fundamentum in Scripturâ quæ tantùm abest ut significet præceptum istud non fuisse impositum Christo Domino nisi dependenter à liberâ ejus acceptatione, quin potius docet præcessisse præceptum & subsecutam fuisse acceptationem Christi, ut legimus Psal. 39. ubi Propheta in personâ Christi dicit, *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Nec isti sententiæ favent illi textus Isaiæ 53. *Oblatus est quia ipse voluit.* Et Joan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso:* significant enim tantùm quòd Christus non invitus, sed lubens ac volens mortem passus fuerit. *Deinde* obedientia Christi debuit esse perfectissima: at eo perfectior est obedientia quò præceptum minùs dependet à subditi voluntate: ergo obedientia Christi magis pendere debuit à voluntate Dei ordinantis & præcipientis mortem, quam à voluntate Christi illud præceptum sibi imponi exoptantis. *Denique* hæc sententia non habet locum in præceptis legis naturæ quibus independenter à liberâ ejus acceptatione Christus tenebatur; sed tam concilianda est Christi libertas cum summâ ejus impeccabilitate circa observantiam præceptorum juris naturæ, quàm circa observantiam aliorum præceptorum legis positivæ: igitur hic modus conciliandi minùs est conveniens.

XXII. *Christus non ideo dicitur liberè mortuus quia poterat petere dispensationem mortis à Patre.*

Non probatur etiam tertius modus affirmans Christum liberè implesse mandatum moriendi, eo quòd antequam instaret tempus illud præceptum implendi poterat Christus petere & impetrare à Patre ejus dispensationem: Non probatur, inquam, *tum quia* non videtur facilè dispensari potuisse cum Christo circa præcepta legis naturæ, quibus tenebatur: ergo neque potuit de iis petere à Patre dispensationem. *Tum quia* posset Deus in aliquo instanti præcipere ut aliquid faceret, sed in eo instanti non posset tolli præceptum, quia aliàs sequeretur quòd præceptum esset & non esset in eodem instanti: ergo necessum est quòd observantia præcepti alio modo concilietur cum impeccabilitate quàm per hoc quòd possit petere dispensationem. *Tum quia* quamvis Christus non habuerit præceptum de non petendâ efficaciter dispensatione præcepti moriendi pro salute generis humani; habebat tamen de illâ non petendâ consilium, quippe cùm mors illa cedere debebat in Dei gloriam & hominum salutem: sed Christus non habebat potentiam ad transgredienda præcepta, sed etiam illi repugnabat non amplecti Dei consilia, quia ipsi repugnabat non solùm peccatum ratione summæ sanctitatis, sed etiam qualibet moralis imperfectio quæ contrahitur per omissionem consilii: igitur hic conciliandi modus non videtur etiam idoneus.

XXIII. *Mors Christi fuit imperata quâ ad substantiam & circumstantias.*

Quarta sententia etiam improbatur *primò*, quia Scriptura sacra insinuat mortem Christi fuisse præceptam non solum quantùm ad substantiam, sed etiam quantùm ad circumstantias temporis & motivi. *Temporis* inquam ut colligitur ex Lucæ 12. ubi Christus ait, *Baptismo habeo baptizari & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* quibus verbis Christus Dominus significat tempus suæ mortis fuisse determinatum à Patre, & se angi ex mora & dilatatione istius temporis: & capite 22. *Filius*

hominis secundùm quod definitum est vadit : & Joannis 13. *Sciens Iesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Similiter significat alias circunstantias sibi præceptas fuisse, maximè circunstantiam loci Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem* : Circunstantiam mortis ignominiosæ, Joannis 3. *Sicut Moises exaltavit serpentem in deserto ; ita exaltari oportet filium hominis, &c.* Similiter præceptum fuit illi motivum obedientiæ, ut patet ex illo ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Præceptum etiam fuit motivum charitatis. Hinc Joannis 24. *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio : surgite, eamus.*

Colligitur ex scriptura.

Secundò, ex illa sententia sequeretur Christum non meruisse nostram redemptionem per sententiam mortis & ex eo præcisè quod mortuus est, sed solùm ex eo quod tali affectu, vel motivo mortem sustinuerit : sed hoc repugnat Scripturæ; dicitur enim Is..i. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, quibus verbis præmium tedemptionis hominum tribuitur non circunstantiis, sed morti ipsi : Igitur, &c. Sequela patet, nam eâ ratione actus est meritorius quâ est liber : ergo si tantùm sit liber penes motivum & circunstantias, non autem quantum ad substantiam ; consequens est quod mors Christi secundùm se non sit libera.

Denique, cùm Christus beatifica sua visione æternam Dei voluntatem in ejus æterna unitate cognoverit, vidit non tantùm in ipsa quæ ad genus & substantiam mortis spectabant, sed etiam vidit motiva secundùm quæ lex æterna postulabat ut illam mortem pateretur, & omnes circunstantias mortis istius : nam quod scribit sanctus Augustinus libro 13. cap. 15. de Angelis beatis, illud ipsum habere potest locum in hominibus maximè verò in Christo comprehensore : *Vident* inquit, *faciem tuam semper & ibi legunt sine sillabis temporum quid velit æterna voluntas tua ; legunt, eligunt & diligunt, semper legunt & nunquam præterit quod legunt : eligendo enim & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui* : Igitur Christus ut comprehensor, non solùm novit substantiam suæ mortis, sed etiam circunstantias æternâ Dei lege definitas & ordinatas : Lex autem æterna nihil aliud est ut docet sanctus Augustinus libro 1. de lib. arbit. cap 6. *nisi summa ratio in Deo existens cui semper est obtemperandum.* Igitur si Christus non fuit liber quantùm ad substantiam mortis quia illa erat præcepta, etiam non fuisset liber quantùm ad circunstantias & motiva quæ à Deo erant desioita.

Denique ultima sententia etiam est improbanda; nempe quod Christus potuerit recusare mortem in sensu diviso, licet ipsam recusare non potuerit in sensu composito & ut præcepta erat. Improbatur inquam, tum quia non movetur præsens controversia de morte ut mors est, sed de morte ut præcepta est : igitur si Christus non fuit liber circa mortem ut præceptam, dici non potest liberè & meritoriè mortuus ; tum quia Christum posse recusare mortem in sensu diviso, est ipsum potuisse velle non mori, cùm tamen sciret mortem esse subeundam : at Christus non potuit habere istud velle subsistente illius impeccabilitate. Probatur. Posse nolle mortem præceptam in sensu diviso, est velle illam sejungere à præcepto, sed Christus non potuit habere volitionem sejungendi suam mortem à præcepto Dei, alias habuisset volitionem oppositam volitioni divinæ : igitur Christus non potuit nolle mortem præceptam in sensu diviso.

XXIV. Non potuit ergo recusare mortẽ in sensu diviso, nec composito.

Nec valet reponere cum Goneto, divisibilitatem seu volitionem separationis mortis à præcepto non esse positivam, sed præcisivam, quia divisio positiva negationis mortis à præcepto, petit ablationem præcepti ; præcisiva autem non ita. Hæc, inquam, responsio potius effugium est quàm legitima difficultatis explanatio : Enimverò Christus positivè meruit cùm implevit præcepta : ergo positivè habuit libertatem ea implendi : at libertas positiva implendi præcepta supponit aut importat potentiam positivam ea implendi, vel non implendi ; ad libertatem enim indifferentiæ requiritur potentia ad agendum vel non agendum : igitur si Christus potuit habere nolitionem mortis præceptæ, oportuit quod eam habuerit, non solùm præcisivè, sed etiam positivè ; ita quòd illius voluntas positivè potuerit nolle conjungere mortem cum præcepto : hoc est velle eam positivè à præcepto dividere, igitur, &c.

QUÆSTIO V.

Quid Christus sibi, Angelis & hominibus meruerit?

NOtandum primò, certum esse Christum ab instanti suæ conceptionis habuisse gratiam habitualem quâ sanctificabatur formaliter, necnon & gloriam essentialem animæ, nempe Dei fruitionem per visionem illius intuitivam & amorem beatificum. *Certum* pariter quod si assumpsisset naturam humanam tali gratiâ habituali & gloriâ essentiali destitutam, utramque mereri potuisset, per bonos actus supernaturales & cum auxilio supernaturali elicitos ; siquidem nulla ex conditionibus ad meritum requisitis, istis actibus deficeret. Unde solùm superest hîc examinandum an Christus per opera subsequentia gratiam habitualem & gloriam essentialem meruerit, aut saltem de potentia absoluta mereri potuerit : siquidem meritum non debet necessariò præcedere præmiũ, præcessione saltem temporis, quia aut meritũ comparatur ad præmium, aut comparatur ad Deum conferentem præmium : sed ex neutro capite desideratur præcessio temporis respectu præmii. Et quidem quòd non ex primo capite, patet, quia in illis qui quotidie merentur augmentum gratiæ, est simul meritum & præmium. Eodem enim instanti, quo merentur, Deus infundit augmentum gratiæ. Non etiam ex secundo capite, quia nulla videtur repugnantia, quin eodem instanti in quo est meritum, Deus acceptet illud in præmium aliquod, cùm sit omnipotens, si aliundè non repugnet. Prætereà quotiescunque via aliqua ad terminum est momentanea, potest simul esse terminus & via, nec est nulla repugnantia, ut patet in generatione : at verò meritum est instans, & est quasi via ad præmium tanquam ad proprium terminum : ergo non repugnat talem terminum poni tempore cum tali viâ ; nec ex parte termini & viæ, nec ex parte Dei conferentis talem terminum. Prætereà non videtur aliunde esse ; putà ex aliquo extrinseco ; nam si quæ esset repugnantia, maximè quia ille qui elicit præmium est in statu repugnante statui possessionis termini, sicut v. g. Petrus viator, ut sic non statim consequitur præmium atque meretur, quia meretur per fidem,

I. Christus de facto habuit ab instanti suæ conceptionis gratiam sanctificantem & gloriam essentialem animæ.

II. Quam si non habuisset mereri potuisset.

dem, vel per alias virtutes spectantes ad statum viatoris repugnantis statui præmii beatifici. In proposito nostro verò non poterant adesse hæc repugnantia, quia Christus mereri poterat per virtutes quæ non habent repugnantiam cum statu beatifico.

III. Non sibi solummodo meruit, sed etiam aliis, & tanquam caput membris profecit.

Notandum secundò, certum esse Christum non sibi tantùm, sed etiam aliis meruisse; quippe gerebat munus & officium mystici capitis Ecclesiæ cujus erat vitam spiritualem membris influere: sicut enim in corpore naturali caput sentit sibi & omnibus membris; ita in corpore mystico Ecclesiæ Christus non solùm sibi, sed etiam suis membris vitam, motum, & sensum spiritualem procurare debuit. Hinc oritur difficultas an Christus aliquid meruerit non solùm hominibus, sed etiam Angelis; cùm verò homines alii sint fideles, alii infideles, & inter fideles alii Christum præcesserint, alii subsecuti sint, quæritur quid istis omnibus Christus meruerit, an videlicet eis suis meritis obtinuerit, non solùm primam gratiam sanctificantem, liberationem à culpâ, & januæ cœlestis reserationem, sed etiam prædestinationem ipsam sumptam tam pro electione æternâ ad gloriam, quàm pro debitâ ordinatione mediorum ad illam consequendam.

Præcipuus error Calvini de Christi merito.

Notandum tertiò, inter varios Calvini errores hoc unum præ cæteris fuisse quòd ut docet *lib.* 2. *instit. cap* 17. §. 6. Christus Dominus nil sibi meruerit nec gloriam corporis nec nominis exaltationem, sed omnia sua merita ad nos ordinaverit omneque præmium illis correspondens nobis contulerit. Quocirca acriter insectatur scholasticos Doctores, & eos inanis curiositatis & damnandæ temeritatis arguit, quòd doceant Christum non solùm nobis, sed etiam sibi aliquid meruisse. Verùm quàm impium, quamque divinis Scripturis adversum sit hoc hæreticum dogma infra patebit.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. De facto Christus non meruit sibi gratiam sanctificantem & gloriam, nec potuisset mereri de potentiâ ordinariâ.

Christus de facto sibi non meruit, imò nec de potentiâ ordinariâ mereri potuit gratiam sanctificantem & gloriam animæ suæ: quamvis de potentiâ extraordinaria utramque mereri potuerit. Hæc conclusio tribus partibus constat: quarum *prima* est non solùm *Alensis* 3. p. q. 17. memb. 3. a. 1. *S. Thomæ* ibidem q. 19. art. 3. *S. Bonaventuræ* in 3. d. 18. a. 2. sed etiam Subtilis Doctoris *ibidem n.* 12. ubi ait: » Dico quòd non meruit sibi fruitionẽ: » quia si sic, aut operatione elicitâ circa ea, quæ » sunt ad finem, aut circa ipsum finem. Non primò » modô, quia primum actum habuit circa finem, » fruendo priùs scilicet, quàm aliquem actum ha» beret circa aliquid quod est ad finem. Et si meri» tum fuit circa aliquid, vel aliqua objecta visa in » Verbo, ut dictum est secundùm viam præceden» tem, vel circa Matrem, vel circa electos multos » volendo eis beatitudinem: naturaliter tamen » præcessit operatio circa ipsum finem, scilicet Tri» nitatem, vel essentiam in tribus: Nec actu frui» tionis, quâ fruebatur Trinitate, meruit eandem » fruitionem, quia hoc non esset aliud dicere quàm » meruit fruitionem, quia habuit fruitionem; vel » meruit, quia Deus dedit actum; quòd nihil est » dicere: quia nullus actus est meritorius sui ipsius, » licèt possit esse alterius: igitur Deus liberaliter, » sine aliquo merito præcedente conjunxit volun» tatem istam per fruitionem ultimo fini, & ita non » meruit sibi fruitionem. Unde Augustinus 13. de » Trinit. cap. 19. dicit quòd summa gratia est, quòd » homo in unitate personæ est Deo conjunctus: » & quamvis loquatur de gratiâ unionis, id est, » gratuitâ Dei voluntate uniente, tamen ad unio» nem istam concomitanter sequitur gratia fruitio» nis de facto, ideo fuit summa gratia sine meritis » præcedentibus. Ita Doctor.

Quibus significat Christum non potuisse mereri illam fruitionem nisi per aliquem actum meritorium qui versaretur *vel* circa Deum, *vel* circa aliquam creaturam, *vel* per ipsammet fruitionem: sed neutrum ex iis potest affirmari. *Non primum*, quia nullum actum habuit, quô mereri posset, priorem ipsâ fruitione. *Non etiam secundum*, quia ipsius anima non potuit occupari circa creaturam per aliquem actum antecedentem ipsam fruitionem, siquidem creaturas nosse non potuit in illo primo instanti nisi in Verbo, & consequenter priùs fruebatur Verbo saltem prioritate naturæ quàm videret ullam creaturam in Verbo repræsentatam. *Non denique tertium*, aliàs diceretur meruisse ipsam fruitionem, quia habuit fruitionem, quod certè ridiculum esset, nullus enim actus est meritorius sui ipsius, licèt possit esse meritorius alterius.

Potuisset tamen de potentiâ extraordinariâ.

Idem dicendum de gratiâ habituali sanctificante, nam non potuit illam mereri per actus ab ipsâ procedentes: sed omnis actus meritorius Christi est à gratiâ habituali; igitur non potuit ipsam mereri. Major constat: nam principium meriti de lege ordinariâ, non potest esse præmium operum procedentiũ ab ipsâ. Minor etiam est evidens, quia Christus mereri debuit per actus connaturaliter meritorios. Siquidem cogitare debemus actus Christi fuisse elicitos conformiter ad eorum naturam, nisi aliunde sit revelatum: nullâ autem revelatione constat Christum actus supernaturales elicuisse modo connaturali, & subinde id non debemus asserere: sed modus connaturalis actûs meritorii est quòd procedat à gratiâ habituali, non verò quòd illam præcedat: igitur asserendum est Christum de potentiâ ordinariâ non meruisse suam gratiam sanctificantem.

V. Per conjunctionem scilicet animæ Christi cum Deo.

Objicit Doctor. Gloriosius est & laudabilius habere præmium per merita quàm sine meritis: sed Christus habuit gratiam & gloriam modô omnium nobilissimô: igitur conveniens fuit ut illam haberet per merita.

Respondet ibidem distinguendo majorem. Id laudabilius est, quando præmium potest haberi ex meritis, concedit: secus, negat. Et similiter distinctâ minore negat consequentiam. « Quia, inquit, conjunctio animæ Christi cum Deo per « actum fruitionis, fuit tanta & tam excellens ut « ad ipsam non potuerit concurrere meritum; & « nobilius est habere actum ad quem non potest « præcedere meritum ex liberalitate dantis, quàm « habere actum minus nobilem ex meritis præce« dentibus: & videtur hoc rationabile, quia sicut « Deus creavit in esse naturæ aliquam substantiam, « putà naturam Angeli, ad quam creandam non « potuit cooperari causalitas causæ secundæ pro« pter perfectionem talis naturæ; ita in genere mo« ris, creavit Deus aliquem actum beatificum ad « quem non potest esse actus aliquis meritorius « prior, & ejusmodi fuit actus beatificus animæ « Christi, & hoc propter nobilitatem & excellen« tiam actûs & modi habendi actum, quia imme« diatè antequam haberet aliquem actum circa ea « quæ sunt ad finem, habuit actum illum beatificum. Aliam quandam solutionem satis piam &

probabilem, affert dicendo quòd propter bonum patriæ & pulchritudinem ejus quæ consistit in quadam decenti diversitate, debuit aliquis habere beatitudinem sine omni merito, quia dantur illi alii babentes beatitudinem variis modis per merita.

VII. Gloriosius est habere gloriam infusione quã acquisitione.

Ad illam verò objectionem respondet Seraph. Doctor quòd gloriosius est habere præmium per merita quàm sine meritis, in iis quæ uniuntur per conformitatatem affectûs: quia in istis gratia & gloria est quasi accidentalis per modum acquisitionis, quia isti naturâ suâ nati sunt indifferenter esse boni & mali: secùs autem est de homine assumpto a Verbo, qui non tantùm unitus est Deo per conformitatem affectûs, sed etiam unione personali: unde non dicitur homo divinus, sed Deus, etsi gratia ipsi est quodammodo naturalis, quia connaturaliter exigitur ab unione hypostaticâ, unde multò gloriosius est ei babere gloriam à primâ suâ creatione, quàm habere eam per acquisitionem.

Objicit secundò. Voluntas Christi fuit prior naturâ quàm fruitio: sed illa prioritas sufficit ad meritum: igitur Christus mereri potuit fruitionem. *Deinde*, Idem actus ut prior naturâ seipso potest mereri seipsum: igitur Christus poterat convenienter mereri fruitionem per ipsam fruitionem.

VI. Ad merendum præmium, decet meritũ saltem naturâ præcedere præmium.

Negat minorem Doctor; quia ad merendum præmium non sufficit quòd voluntas concipiatur ut prior præmio, quia ipsa non est meritum, sed oportet quòd meritum ipsum saltem naturâ præcedat præmium. *Ad secundum* negat actum posse considerari ut priùs naturâ seipso, nisi consideratione rationis sine fundamento sufficiente in re; qualis consideratio non sufficit ut sit meritum respectu sui ipsius, & dicit prætereà, quòd si actus esset meritum sui ipsius, idem esset dicere: Deus ideo addit actum pro præmio, quia dedit actum. Adde ex terminis evidens esse, quòd licèt idem actus posset esse præmium Christo, hoc est datum ipsi ratione connaturalis exigentiæ unionis hypostaticæ, & meritum respectu aliorum præmiorum; non tamen posset esse meritum respectu sui ipsius.

Objicies tertiò. Sicut se habet gratia ad gloriam, sic se habet meritum ad præmium: sed Christus habuit gratiam ordinatam ad gloriam: ergo pariter habere debuit meritum ordinatum ad præmium, nempe ad beatitudinem & fruitionem Dei.

Distinguit majorem Seraph. Doctor. Sic se habent quantùm ad conditionem disponendi, concedit: quantùm ad suam originem, negat; quia gloria à Deo solo conceditur, meritum verò est usus procedens à libero arbitrio gratiâ informato. In Christo potuit esse ordo gratiæ ad gloriam salvo ordine utriusque ad unionem: sic autem non est de ordine meriti ad præmium, nam meritum dicit ordinationem ad præmium sicut dispositio & complementum, & sicut via ad terminum, & ideo necesse est meritum præcedere præmium, vel prioritate temporis vel naturæ, neutro autem modo debuit in Christo præcedere.

Objicies quartò, Angeli sancti habuerunt præmium per merita: sed non minoris fuit efficacitatis gratia in Angelis quàm in Christo: ergo Christus etiam debuit habere præmium per merita.

VIII. Christus habuit unionem personalem cum Deo ab instanti conceptionis: Angelus solùm accidentalem.

Nego paritatem, quia Angeli in primo instanti suæ formationis non habuerunt unionem cum Deo nisi duntaxat accidentalem nempe per gratiam sanctificantem: Christus verò habuit unionem personalem cum Deo à suæ formationis instanti, quæ personalis unio exigebat non solùm gratiam sanctificantem, sed etiam unionem beatificam animæ Christi cum Deo per visionem & amorem.

Probatur secunda pars: nempe quòd Christus Dominus, de potentiâ absolutâ, potuit mereri gratiam habitualem & beatitudinem animæ, quam habuit ab initio suæ formationis, quia ad rationem meriti sufficit quædam prioritas naturæ inter ipsum meritum & præmium: at quamvis anima Christi ab initio suæ formationis & unionis cum Verbo fuerit donata beatitudine & gratiâ sanctificante, potuit etiam esse prioritas naturæ inter actum meritorium, putà inter actum quemdam charitatis correspondentem scientiæ infusæ, & ipsam beatitudinem; licèt enim de facto primus actus quem voluntas creata Christi elicuit, fuerit beatificus; nihilominus de potentiâ absolutâ potuit esse alius quàm beatificus, & prior actu beatifico prioritate quâdam naturæ, quæ non impedivisset quominus anima illa fuisset beata simultate temporis, non verò naturæ. Et huic sententiæ favent maximè illi omnes qui tenent Christum meruisse de facto, vel saltem mereri potuisse etiam de potentiâ ordinatiâ suam beatitudinem, ut sunt *Albertus Magnus*, *de Bassolis*, &c. quam quidem sententiam malè Recentiores temeritatis arguunt, cùm tot graves habeat patronos.

Dices; Repugnat aliquod subjectum esse simul in termino & moveri ad terminum: sed anima Christi per fruitionem & beatitudinem est in termino, per meritum verò movetur ad illam beatitudinem tanquam ad suum terminum: igitur repugnat eam esse in primo instanti beatam & simul illam beatitudinem mereri. *Deinde*, Nullus mereri potest nisi mediante actu spei de præmio obtinendo: sed spes beatitudinis non potest esse in eodem instanti cum ejus fruitione & possessione: igitur implicat Christum esse in eodem instanti beatum, simul & suam beatitudinem mereri. *Denique*, Nullus potest mereri sine dilectione Dei quæ per actum intellectûs regulctur: sed in illo primo instanti non potuit anima Christi regulari aliquâ notitiâ quæ sufficeret ad meritum; Tres enim possunt dari cognitiones Dei ut authoris supernaturalis; nimirum cognitio obscura fidei, notitia scientiæ infusæ, & visio beatifica: dilectio autem simul existens cum visione beatâ regulari nequit cognitione obscura fidei, quia cognitio obscura non potest esse simul cum cognitione intuitivâ: igitur illa dilectio necessario regulari deberet per notitiam scientiæ infusæ vel beatificæ. Non potest autem regulari per notitiam infusam quæ est posterior scientiâ beatifica: igitur necessum est Christi dilectionem regulari per scientiam beatam: at dilectio regulata per scientiam non potest esse meritoria: igitur per illam Christus mereri non potuit.

IX. Meritum non consistit in motu successivo, sed in actione & mutatione instantanea.

Respondeo ad primum distinguendo majorem. Subjectum non potest esse simul in termino & in motu successivo ad terminum, concedo: instantaneo, nego: meritum autem non consistit in motu successivo, sed in actione & mutatione instantaneâ: ideo simul potest esse & in eodem instanti temporis cum præmio, ut constat de augmento gratiæ sanctificantis quod simul & in eodem instanti est cum merito illius gratiæ. Ad

X. Nemo potest beatitudinem mereri sine spe eam consequendi de potentia absolutâ.

secundum dico, majorem esse veram de lege ordinariâ; nempe quòd quis mereri non possit beatitudinem absque spe illam consequendi: nihil autem officit, nec ulla potest ostendi repugnantia quòd de potentiâ Dei absolutâ quis mereri possit absque certâ & indubitatâ fiduciâ consequendi præmium ad quod aspirat. *Ad tertium* dico dilectionem illam Christi eo in casu fore regulandam per scientiam infusam; quæ licèt de facto supponat notitiam beatificam & visionem intuitivam, tamen in illâ hypothesi priùs gloria supponeretur infundi quàm lumen gloriæ, & subinde in eo casu præexisteret ad visionem Dei intuitivam, & regularet dilectionem animæ Christi per quam illam Dei visionem & fruitionem mereretur.

Conclusio Secunda.

XI. Christus de facto meruit & gloriâ corporis sui & exaltationē nominis.

CHristus reverà meruit gloriam sui corporis, necnon & sui nominis exaltationem. Hæc colligitur ex Scripturâ sacrâ quæ illam veritatem apertè significat. Sic Lucæ 24. *Nonne oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam?* Corporis scilicet, nam gloriam animæ à primo conceptionis momento possidebat. Ad Heb. 2. *Vidimus Iesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia descendit in inferiores partes terræ?* Ubi ascensus in cœlum, descensui per humilitatem tribuitur. Item idem Apostolus ad Philip. 2. de Christo loquens sic ait: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* Quibus verbis Apostolus (ut ibidem observat S. Thomas) commendat præmium humilitatis Christi per quam meruit sibi exaltationem, quantùm ad tria: nimirum quantùm ad gloriam resurrectionis, ut denotatur per illa verba, *propter quod & Deus exaltavit illum.* Quoad manifestationem suæ divinitatis, ut designant verba sequentia, *& donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Et quoad reverentiam totius creaturæ quæ debet ipsi honorem rependere, ut significant sequentia verba, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.*

Nota.

Illa autem nominis exaltatio maximè consistit in illis variis testimoniis, quibus attestata est illius divinitas & sanctitas dum nasceretur, baptizaretur, transfiguraretur, & moreretur: gloria verò corporis consistit in dotibus gloriosis quibus illustratum est illius divinum corpus in instanti resurrectionis, nec-non & in ipsâ resurrectione, quam ipsum promeruisse docet S. Augustinus: *quia humiliatus est, propterea Deus exaltavit eum à mortuis.* Hinc idem tract. 104. in Joan. *Humilitas claritatis est meritum*, inquit, *claritas est humilitatis præmium:* quam utique claritatem Christus a Patre petebat Joan. 17. his verbis: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me, tu Pater.*

XII. Præmium est excellentius merito substātiali quidem, non accidentali.

Dices. Præmium est excellentius merito, quia Deus remunerat supra condignum: sed charitas Christi superexcedebat glorificationem corporis: ergo opus ex charitate illâ procedens dignum erat majori remuneratione: non ergo ordinabatur ad glorificationem corporis sicut meritum ad præmium.

A *Respondet* Seraph. Doctor, quæst. 2. majorem esse quidem veram de præmio substantiali quô Deus remunerat hominem supra condignum, non verò de præmio accidentali seu inferioris boni quàm sit substantiale, majori enim bono potest mereri homo minus bonum: & ideo illa major propositio non est universaliter vera. Respondet secundò ad minorem, posse dici quòd præmium corporis Christi fuit excellentius merito, si fiat comparatio ad statum & ad opus per quod meruit: nam status corporis fuit nobilior post glorificationem quàm ante: gloria etiam corporis excedebat labores corporis quos Christus susti- B nuit.

Dices secundo: Anima Christi fuit donata beatitudine propter unionem ipsius ad Verbum, non autem propter ulla merita: sed illius corpus etiam fuit unitum Verbo: ergo pari ratione donari debuit gloriâ & beatitudine absque ullis meritis.

XIII. Quænam sit disparitas ex Seraph. Doctore inter beatitudinem animæ & corporis in Christo.

Respondet Seraph. Doctor *ibidem*, non esse paritatem, inter beatitudinem corporis & animæ in Christo, quia cùm Christus venisset ut pro nostris delictis satisfaceret, ad id conveniens fuit ut aliqua ejus portio subjaceret pœnalitatibus, ut divinæ justitiæ satisfacere posset & nobis gloriam promereri; ad id autem convenientior fuit portio C inferior quàm superior: ideo congruum fuit ut superior portio donaretur beatitudine, inferior verò illam tam sibi quàm nobis promereretur.

Dices tertiò. Nullus mereri potest quod sibi jure debetur; sed gloria corporis jure debebatur Christo, hæc enim naturaliter sequitur ex beatitudine animæ: igitur illam Christus non potuit promereri.

XIV. Indirectè tantùm Christus meruit gloriam sui corporis.

Respondet Doctor, nu. 15. Christum quidem non meruisse simpliciter & directè gloriam sui corporis, sed tantùm indirectè, nempe per amotionem impedimenti quô gloria animæ suspendebatur & prohibebatur ne redundaret in corpus. Potest dici, inquit, piè sentiendo cum Magistro, " & piè glossando, quòd quamvis non meruerit di- " rectè impassibilitatem utriusque, meruit tamen " D amotionem impedimenti, propter quòd non in- " fuerunt statim, scilicet desitionem miraculi pro- " hibentis redundantiam gloriæ in portionem inferiorem, & in corpus. Quibus Doctor significat Christum meruisse & obtinuisse à Deo ne amplius continuaret istud miraculum quô suspendebatur animæ gloria, & prohibebatur ne redundaret in corpus.

Nec valet dicere cum Goneto & aliis Recentioribus, doctrinam Scoti hac in parte videri minùs consentaneam, quia sequeretur inde quòd Christus non meruerit propriè sui corporis gloriam. Istud enim nego ex Doctoris doctrinâ colligi, non E enim negat Doctor Christum non meruisse sui corporis gloriam, sed solùm quòd indirectè hæc gloria sub meritum ceciderit.

Dices denique. Sola causa adventûs Christi in mundum, est hominum salus: igitur omne suum meritum in nostram utilitatem impendit, non in sui gloriam. Probat antecedens Calvinus ex illo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* Joan. 17. *Pro illis sanctifico me ipsum.* Ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

XV. Suis meritis Christus venit in mundum propter no-

Respondeo his omnibus Scripturæ textibus significari quòd Christus primò & principaliter intenderit nostram salutem, hoc tamen non obstat quin minùs principaliter & secundariò potuerit intendere gloriam sui corporis, sinque nominis

stram salutem.

exaltationem, quod equidem significauit S. Cyrillus lib. 3. thes. cap. 2. qui arguens contra Arianos docentes Christum non esse verum Deum, nec ante incarnationem habuisse nomen supra omne nomen, sed illud suis meritis obtinuisse, illum errorem demonstrat ex eo quòd inde sequeretur Christum magis incarnatum fuisse in sui utilitatem quàm in nostram: *Si verò*, inquit, *ut ipsi dicunt, exaltatus post incarnationem est Filius Dei, & factus sublimis, quod antea non habebat, pro se magis incarnatus esset, quàm pro hominibus, sibi enim magis secundùm vos profuit, quàm hominibus: ita non pro nostrâ salute magis, quàm ut ipse exaltaretur, nomenque maximum assequeretur, homo factus esset.*

Conclusio Tertia.

XVI. Non meruit autem solùm gratias omnes, sed etiam liberationem à culpa & fruitioné gloriæ cœlestis.

Christus nobis meruit non solùm gratiam primam & secundam quibus iustificamur: sed etiam liberationem à culpâ & à pœnâ, nec-non & apertionem ianua cœlestis, & introductionem in paradisum. Hæc conclusio maximè tribus partibus constat, quarum primam significat Apostolus ad Ephes. 1. cùm ait, *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* In quem locum Ambrosius: *Omne donum*, inquit, *gratia in Christo est, & siquis spreto Christo, benedici se putat, errare se sciat.* Item 2. Tim. 1. *Vocauit nos vocatione suâ sanctâ, quæ data est nobis in Christo Iesu.* Item Philip. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini.*

Confirmatur authoritate Concilij Trid. sess. 6. cap. 5. *Declaratur praterea ipsius iustificationis exordium in adultis, à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Eadem veritas colligitur ex illo Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.* Quo in loco, ut obseruat Chrysostomus ibidem homil. 13. & Augustinus tract. 3. in Ioan. denotatur omnia bona supernaturalia esse in nobis per Christum. Et sanè id colligitur ex illis verbis: *Gratiam pro gratiâ*, nam secundùm phrasim Hebraicam significant omnem gratiam, ut patet ex illo Iob. 2. *Pellem pro pelle dabit homo pro animâ suâ*, id est, omnem pellem: ac si diceretur, à primo bono usque ad ultimum, & à minimo usque ad maximum & pretiosissimum, permittet homo se spoliari, ut vitam tueri possit. Unde præclarè Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ deputa Christo.* Et ante initio sermonis dixerat: *Origo fontium & fluminum mare est, virtutum & scientiarum Dominus Iesus Christus.* Hæc veritas patebit euidentiùs in tractatu de gratiâ, ubi omnem omnino gratiam à Christo in homines deriuari demonstrabitur.

Secunda pars etiam apparet ex eodem Apostolo ibidem, ubi ait: *Gratificauit nos in dilecto filio suo in quo habemus redemptionem.* Quasi diceret, Deum per Christi meritum non solùm nos repleſſe omni gratiâ, sed etiam nos redemisse ab omni culpâ & pœnâ. Hinc toties Scriptura sacra indicat Christum venisse ut redemptorem & ut nos redimeret ab omni iniquitate. Hinc 1. ad Timoth. 2. Christus dicitur dedisse semetipsum redemptionem pro multis.

Tertia denique pars etiam constat. Nam, inquit

A Doctor, quanquam plurimi Patriarchæ virique sanctissimi, ante Christi ascensionem discesserint è viuis, attamen nullus eorum æternâ gloriâ potiebatur quâ modo donantur paruuli recenter baptizati: quod signum est neminem fuisse potitum cœlesti gloriâ ante Christi ascensionem in cœlum.

Conclusio Ultima.

XVII. Meruit & Angelis gratiam & gloriam.

Christus Dominus meruit etiam gratiam & gloriam SS. Angelis. Probatur primò ex Apostolo ad Ephes. 1. ubi proposuisse Deus dicitur *instaurare omnia in Christo quæ in cœlis & quæ in terrâ sunt in ipso.* Item ex epist. ad Coloss. 1. *In* B *quo reconciliata omnia per Christum* asseruntur, *& pacificata per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in calis sunt.* Cætera quæ à nonnullis afferuntur sacrorum testimonia librorum, non satis diserta videntur.

Probatur ex SS. Patribus. Augustino.

Suffragantur etiam SS. Patres. In primis sanctus Augustinus qui in libro de consensu Euangelistarum, cap. 35. sic scribit: *Quapropter cùm sit ipse Christus sapientia Dei per quem creata sunt omnia, cùmque nullæ mentes rationabiles siue Angelorum, siue hominum nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas unus Deus est: consultum est diuinâ* C *Prouidentiâ mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viueret, moreretur, resurgeret: congrua saluti nostræ dicendo, faciendo, patiendo & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exemplo redeundi; & eis, qui sursum sunt Angelis exemplum manendi.*

Fulgentio.

Suscribit Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum, cap. 2. *Non alia*, inquit, cap. 3. *stantem Angelum à ruinâ potuit custodire nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in utroque gratiâ operata: in hoc, ut surgeret: in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur; in isto ut sanaretur: Ab hoc* D *infirmitatem repulit, illum infirmari non siuit. Illius esca, istius medicina.*

Gregorio Magno.

Adstipulatur Gregorius in lib. 2. Reg. cap. 2. *Qui absque dono Vnigeniti sanctificationis spiritum habere neminem potuisse dicit, non solùm de hominibus, sed etiam de Angelis: quia scriptum est* Psal. 18. *Verbô Domini cali firmati sunt. Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multò magis de hominibus creditur, qui extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt.*

Cyrillo.

Ex Græcis Patribus unus afferri potest Cyrillus ex lib. 9. de adoratione: qui verba illa 1. Ioan. *De plenitudine eius nos omnes accepimus* de Christo sic interpretatur, *Christi enim particeps est omnis* E *tam aspectabilis quàm aspectui non subiecta creatura. Siquidem & Angeli & Archangeli, & quidquid ultra istos est: ac vel ipsi Cherubini, non aliter sancti sunt, quàm per ipsum Christum in Spiritu sancto. Sed de Christo ipso, quia Deus est, & de eo quod ante incarnationem factum est, apertè ibi loquitur.*

Hyppolito.

Similiter Hyppolitus Portuensis in fragm. 2. quod est in Anastasij Collectaneis, ubi de Incarnatione Verbi sic scribit, *Nam propterea homo factus est universorum Deus, ut patibili carne patiens, totum nostrum peccatô venditum redimeret genus: atque ut impatibili diuinitati per carnem miracula faciens, ad incorruptam suam, & beatam vitam reduceret, Nec non uti sanctos illos Ordines, qui in*

cælo sunt, intelligibilium substantiarum ad immutabilitatem firmaret Incarnationis suæ mysterio: cujus opus est omnium in eum recapitulatio. A Suffragatur etiam ratio: nam Angeli tanquam extranei fuerunt adoptati ad gloriam: at non est congruum ut quis adoptetur ad hæreditatem filii naturalis, nisi mediante filio naturali qui est Christus.

Dices, Angeli sunt adepti beatitudinem ante Christum incarnatum: igitur independenter ab eo.

Nego consequentiam: hoc enim beneficium eis contigit eò quòd essent immunes ab omni peccato, unde differenda non erat earum beatitudo: Inde tamen non est consequens quòd illam non obtinuerint intuitu meritorum Christi, siquidem Patres B veteris Testamenti qui Christi incarnationem præcesserunt plurimis donati sunt gratiis & beneficiis intuitu tantùm Christi meritorum: ergo pari ratione Angeli potuerunt obtinere suam beatitudinem dependenter à meritis Christi, quanquam illam ante ipsius incarnationem fuerint adepti.

QUÆSTIO ULTIMA.

Utrum & qualiter Christi meritum fuerit infinitum.

I. Christi D. meritū fuit infinitum: non intrinsecè, sed extrinsecè.

Notandum primò, omnes quidem Theologos convenire, Christi meritum esse infinitum, C dissentire verò in assignanda ratione hujus infinitatis. Thomistæ siquidem & plurimi Recentiores docent meritum Christi fuisse infinitum formaliter intrinsecè; Doctor verò subtilis cum suis omnibus Discipulis contendit fuisse duntaxat infinitum extrinsecè seu denominativè, qualiter, v.g. visio beatifica aliquâ ratione dici potest infinita. Hæc autem infinitas accidentalis & extrinseca ex multiplici capite oriri potest. *Primò* quidem, ex parte objecti circa quod versatur; quemadmodum enim peccatum mortale per quandam denominationem extrinsecam ab objecto infinito quod offendit, denominatur grave in infinitum; ita etiam meritum Christi ratione objecti extrinsecè denominari potest infinitum. D *Secundò*, ex parte personæ operantis: sic actiones humanitatis Christi dici possunt infinitæ, quia nimirum ex unione ipsius cum Verbo consurgit quædam dignitas in humanitate & consequenter in ejus actionibus, ratione cujus dignitatis actiones illæ extrinsecè & accidentaliter dici possunt infinitæ. *Tertiò*, ex parte acceptationis divinæ, quia videlicet Deus illa Christi merita acceptat pro salvandis infinitis hominibus, si tot occurrerent salvandi. An autem hàc duntaxat infinitate extrinsecâ Christi merita fuerint infinita, hîc erit determinandum.

II. Verbum divinum nullam sibi specialem habet causalitatem erga humanitatem.

Notandum secundò, seu potiùs revocandum ex dictis, E Verbum divinum nullam habere physicam specialem causalitatem circa humanitatem assumptam, quàm non habeat Pater & Spiritus sanctus; siquidem opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indivisa; ita quòd nihil quidquam una persona operetur, quin pariter cæteræ personæ censeantur idipsum producere; siquidem earum operatio ad extra, est per potentiam & voluntatem quæ in tribus divinis personis est indivisibilis & simplicissima. Unde non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens. *Adde quòd* Verbum divinum terminat tantùm dependentiam naturæ assumptæ, eôdem quasi genere terminationis quô punctum terminat lineam, quod certè fieri potest absque speciali influxu.

III. Principium *quod* commensuratur principio *quò*.

Notandum tertiò, principium *quod* nunquam operari nisi secundùm mensuram & perfectionem principii *quò*. Aqua calida v. g. ut quatuor, nunquam calefacit ut quinque; quia calor qui est principium *quò* calefactionis habet tantùm perfectionem quatuor graduum. Hinc sequitur quòd etsi persona Verbi divini physicè concurreret speciali influxu ad elicitionem actionum humanitatis assumptæ; tamen essent mensurandæ semper hujusmodi actiones secundùm perfectionem principii *quò*, putà intellectûs vel voluntatis creatæ, quæ principia cùm sint physicè & naturaliter finita, non poterunt ab illis procedere actiones physicè & naturaliter infinitæ. Unde fit

CONCLUSIO UNICA.

IV. Subtiliter probat Doctor meritū Christi non fuisse intrinsecè infinitum.

Meritum Christi non est infinitum ex se formaliter & intrinsecè, sed duntaxat extrinsecè. Ita Doctor *dist. 19. num. 4.* eamque conclusionem probat plurimis rationibus, quarum *prima* sic proponi potest: Si aliqua actio humana Christi esset infiniti valoris & acceptabilitatis, sequeretur quòd esset tanti valoris, quanti est volitio increata & essentialiter infinita ipsius Dei: sed omninò absurdum est quòd volitio creata & contingens, quæ ex natura sua intrinseca posset esse & non esse, & quæ dependet à principio finito & limitato, esset tanti valoris, ac esset volitio increata: ergo actio meritoria Christi non est infiniti valoris. Patet sequela majoris; quia volitio increata non potest habere majorem valorem, quàm infinitum: ergo si volitio creata haberet valorem infinitum, haberet tantùm valorem quantùm habet volitio increata.

Confirmatur: Si volitio creata Christi habet ex se infinitum valorem, & acceptabilitatem: ergo exigitur ex se ut sit tam grata Deo, & accepta, quàm ipsa Verbi persona est Deo grata & accepta: sed omninò hoc videtur absurdum: ergo non est tanti valoris aut acceptabilitatis. Probatur minor: quia inde sequeretur, quòd quemadmodum Verbum & volitio ipsius sunt simpliciter infinita, ita etiam volitio illa creata esset simpliciter infinita, quod certè nec ipsimet adversarii, admittent, nec potest ullâ ratione esse verisimile.

Nec in genere entis.

Probat secundò Doctor: Si volitio creata Christi esset ex se infiniti valoris, sequeretur quòd Christus per ipsam tam perfectè frueretur Deô, quàm per volitionem infinitam, & increatam: sed hoc est absurdum secundùm omnes.

Confirmatur; quia major perfectio in ratione fruitionis provenit ex majori dignitate actûs: ergo si volitio creata non habet tantam perfectionem in ratione fruitionis, non habebit tantam dignitatem, nec tantum consequenter valorem: aut si habet tantum valorem, debet habere tantam perfectionem in ratione fruitionis.

Reponunt Thomistæ, veram fore rationem Doctoris, si meritum Christi esset infinitum in ratione entis: at cùm sit infinitum duntaxat in ratione meriti, non verò in ratione entis, argumentum illud nihil concludit.

Nec in genere moris.

Contrà. Meritum Christi non est infinitum in ratione entis: ergo neque infinitum est ex se formaliter & intrinsecè. Antecedens admittunt Adversarii. Probatur consequentia. Non potest intelligi quomodò formaliter & intrinsecè meritum Christi sit infinitum, nisi quia in entitate sua

formali, & quatenus depender ab operante infinito, & infinitè operante, est infinitum: sed hoc est esse infinitum in ratione entis: ergo si meritum Christi sit infinitum formaliter & intrinsecè, ut volunt Adversarii, erit infinitum in ratione entis.

Confirmatur ratione Doctoris quæ est tertia illius probatio. Actio meritoria Christi fuit bonum finitum ex sua ratione intrinseca, non solùm in genere entis, sed etiam in genere moris: ergo non fuit infinitè meritoria ex sua ratione formali. Consequentia pater: quia non plus fuit acceptata, quàm esser bona ex sententia eorum qui eam volunt esse infinitam: ergo si ex ratione sua formali non fuit infinitè bona in geoere moris: ergo nec infinitè acceptata: ergo nec infinitè meritoria. Antecedens sic ostenditur. Principium per se actionis meritoriæ Christi sumptum cum omnibus respectibus etiam ad Verbum, est finitum intrinsecè: igitur & actio ejos fuit formaliter finita & limitata. Antecedens patet, quia principium illius actionis est voluntas Christi creata informata gratiâ infinità, quæ ex respectu ad Verbum nullam induit infinitatem intrinsecam, quia respectus ille finitus est. Consequens probatur: quia a principio essentialiter intrinsecè fioito non potest esse actio intrinsecè & formaliter infinita: actio enim non excedit virtutem suæ causæ.

V.
Actio enim Christi D. procedebat à principio *quò* finito.

Reponunt Thomistæ, Principium *quò* formale esse quidem finitum in genere entis & moris, principium verò *quod* esse infioitum; quod sat est, ut actio meritoria dicatur infinita in genere moris.

Contrà: Hoc principium *quod* oon agit nisi in virtute principii *quò* ut dictum est in tertio notabili: ergo quamvis principium *quod* sit infinitum, non potest tamen elici actio nisi præcisè juxta mensuram perfectionis principii *quo*; quod quia finitum est, actio quoque Christi meritoria intrinsecè & formaliter debet esse finita. *Confirmatur:* Agens quod per suum principium formale est formaliter fioitum in genere entis & naturæ, non potest causare effectum formaliter infinitum, nec elicere actionem formaliter infinitam: ergo nec per principium *quò* formaliter finitum in genere moris & gratiæ potest actionem infinitam in genere moris elicere. Consequens patet à paritate rationis. Antecedens probatur, quia Christus v. g. per intellectum creatum non potest elicere intellectionem formaliter infinitam.

Reponunt iterum, hanc illam infinitatem esse petendam ex eo quòd Verbum divinum specialem habeat influxum in actiones humanitatis, ratione activitatis illius humanitatis quæ ipsi competit, unde potest elicere actionem infinitam, etsi principium *quò* formaliter merendi sit finitum.

Contrà *primò*. Conveniunt omnes pene Theologi, quòd Verbum divinum nullam habebat peculiarem efficientiam respectu illarum actionum.

VI.
Verbum D. non habebat peculiarem influxû physicum in actus Christi D.

Secundo, etiam admissô quòd habuerit illum influxum, adhuc implicat actionem ab eo per principium formaliter finitum elicitam esse infinitam. Probatur, quia actus essentialiter infinitus non potest dependere essentialiter ab aliquibus causis formaliter finitis in perfectione, etiam causâ infinitâ, coagente; ita quòd causa finita habeat essentialem causalitatem super illum actum: sed natura assumpta habuit super actiones Christi creatâ essentialem causalitatem: ergo non potuerunt formaliter esse infinitæ. Consequens est evidens: cum minore. Major patet, tum quia nec à [illegible] finita sola est causalitas effectûs, tum etiam quia etsi causa infinita & finita subordinentur, implicat tamen quòd ab eis oriatur effectus infinitus, quia effectus oon potest excedere perfectionem suæ causæ proximæ à qua dimanat, unde quoniam effectus aliquis producitur à Deo, & à sole, propterea quòd dependet essentialiter à sole, qui est causa finita, non potest talis effectus esse formaliter infinitus; ideoque quantumvis Verbum divinum habeat peculiarem efficientiam respectu actionum humanitatis Christi, non tamen propterea possunt illæ formaliter esse infinitæ; quia per alias causas finitas modificantur, & determinantur in genere & ordine actionum & entium finitorum.

Nec si habuisset sequeretur actus illius fuisse infiniti valoris.

Confirmatur quarta ratione Doctoris: Nullus sequitur effectus formaliter & intrinsecè infinitus etiam ex causâ infinitâ, oisi ipsa agat infinitè, seu modô infinitô: at Verbum divinum ut persona humanitatis assumptæ, datô quod egerit merendo, non egit infinitô modô. Probatur, tum quia ut sic gerebat vices personæ humanæ, quæ non aliter operabatur quàm persona propria, si fuisset: tum quia mereri & satisfacere, sunt actiones dicentes inferioritatem & submissionem: ergo non possunt elici à Deo ut sic: ergo neque à Verbo infinitè, seu infinitô modô operante.

Reponunt Thomistæ, cum Suare, equidem actiones Christi ooo fuisse infinitè meritorias ex quadam efficientia & influxu quem Verbum divinum habuerit circa humanitatem & illius operationes, sed duntaxat ratione unionis, quam illæ Christi operationes habent cum Verbo divino; ratione cujus unionis illæ operationes humanitatis censentur veluti Verbo propriæ: atque consequenter in infinitum dignificatæ.

Actio enim finita io entitate non potest habere valorem infinitum.

Contrà. Quamvis actio dignitatem aliquam accipiat à persona à qua elicitur, attamen actio finitæ perfectionis secundùm entitatem non potest accipere dignitatem infinitam, quamvis eliciatur à persona infinitâ: igitur hæc responsio est nulla. Probatur antecedens. Actio finitæ perfectionis secundùm entitatem non potest habere tantum valorem & dignitatem moralem, quantum haberet, si esset infinita secundùm entitatem; at si esset infinita secundùm entitatem tantùm habere posset valorem, & dignitatem moralem infinitam: ergo actio quæ est finita secundùm entitatem, quantumvis eliciatur à persona infinita, non potest ex se & intrinsecè habere dignitatem infinitam.

Confirmatur, quia actio infinitæ bonitatis ex natura sua physica proveniens ab aliqua persona infinita deberet habere majorem dignitatem etiam in ratione meriti, quàm alia actio finitæ entitatis elicita ab eadem persona infinita: sed hoc esset falsum si actioni physicè infinitæ correspondere posset præmium infinitum: igitur tale præmium per se non deberur tali actioni provenienti à personâ Christi ex ratione sua & dignitate intrinseca. *Confirmatur secundò*; Non magis debet crescere valor operationis ex perfectione & dignitate personæ quàm valor cognitionis, seu visionis ex dignitate objecti: sicut enim actio personæ dignioris existimatur excellẽtior quàm actio personæ minùs dignæ: ita visio perfectioris objecti censetur prestantior quàm imperfectioris: at licèt crescat & augeatur visionis perfectio secundùm majorem perfectionem objecti, inde non sequitur quòd visio terminata ad objectum infinitum sit infinitæ perfectionis intriosecè, alias visio beatifica cujuslibet creaturæ, esset intrinsecè infinitæ perfectionis: igitur licèt crescat dignitas

actionis ex dignitate personæ; inde non sequitur, quòd si persona sit infinitæ dignitatis, etiam actio sit infinitæ dignitatis in genere moris & meriti.

His a'de, quòd etiamsi personæ dignitas aliquid influeret in bonitatem moralem, non efficeret illam bonitatem esse infinitam, etiamsi illa persona sit infinita: igitur licèt circunstantia personæ augeat valorem meritorium, non efficiet illum infinitum quamvis persona sit infinita.

Reponit Suares consequentiam non valere, quia, inquit, aliter circonstantia personæ concurrit ad dignificandam personam in ratione meriti; aliter verò ad eam dignificandam seu augendam bonitatem moralem ejus in genere virtutis: dignificat enim actionem in ratione meriti seipsâ moraliter afficiendo actionem; sed non dignificat nec auget bonitatem moralem in genere virtutis, nisi quatenus ipsa potentia versatur circa objectum talis virtutis. Unde non potest communicare bonitatem, nisi juxta modum quô tendit potentia in objectum illud; & idcirco cùm potentia tendat finitô modô in objectum, inde fit quòd persona infinita non communicet bonitatem moralem infinitam actui elicito.

VII. Modus finitus operandi personæ infinitæ impedit communicationem dignitatis meritoriæ infinitæ.

Contrà. Modus finitus quô potentia tendit in objectum, impedit communicationem bonitatis infinitæ in actionem illam moralem, qoamvis illa actio procedat à persona infinita: igitur etiam finitus modus operandi personæ infinitæ impedieт quominus illa persona communicet dignitatem meritoriam infinitam isti actioni infinitæ. Antecedens est ipsius Suarii. Consequentia verò patet à prioritate rationis. *Deinde*, Valor & meritum actionis est proprietas consequens bonitatem moralem ipsius actionis, unde res in tantùm valet, in quantùm est bona: igitur cùm bonitas moralis actionum Christi sit finita, etiam illarum actionum valor & meritum finitum erit. Denique gratis asserit Suares personam dignificare seipsâ actionem in genere meriti independenter ab objecto, non verò eam ita dignificare in genere virtutis.

VIII. Unde Christi meritũ extrinsecè tantùm est infinitum, nempè ex triplici circunstantia, objecti, personæ, & divinæ acceptationis.

Concludendum est igitur, meritum Christi esse duntaxat infinitum extrinsecè & accidentariò, videlicet ex triplici circunstantia, objecti, personæ, & divinæ acceptationis. *Primò* quidem, ex circunstantia objecti, nam quemadmodum extrinsecâ quâdam denominatione peccatum aliquod commissum in objectum infinitum, putà Deum, dicitur infinitum: ita etiam actio meritoria in Deum vel propter Deum elicita; dici posset aliqua denominatio extrinsecè infinita. *Secundò* ex circunstantia suppositi, quia quotiescunque natura aliqua operatur in supposito infinito, licèt illud suppositum non activè concurrat; nihilominus tamen quia dignificat aliquâ ratione naturam operantem, dignificat quoque consequenter actionem elicitam à tali natura; unde quia suppositum est infinitum, actiones illæ quoque dici possunt aliquâ ratione infinitæ, hoc est extrinsecè & accidentariò. *Tertiò* denique, ratione acceptationis divinæ, quia nimirum, licèt opus aliquod in se non sit infinitum, quia tamen ad rationem illius, ut est meritorium, requiritor acceptatio divina, potest virtute illius acceptationis dici infinitum, quatenus nimirum pro infinitis peccatis, vel infinitis hominibus acceptatur: ergo Christi meritum multis titulis extrinsecis tantùm & accidentariis dici potest infinitum.

Objiciunt adversarii: *Primò* quidem aliquas Scripturæ sacræ authoritates, quibus licèt non significetur meritum Christi fuisse infinitum, tamen declaratur id fuisse sufficientis valoris pro solvendis peccatis omnium prorsus hominum; ex quibus inferre licet illud meritum fuisse infinitum: Sic Psal. 139. *Apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio*. 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretiô magnô*. 1. Joan. 2. *Non pro nostris autem: sed & pro totius mundi*. Confirmant ex Clemente VI. in dicta extravaganti *Unigenitus*, ubi loquens de thesauro Ecclesiæ, sic ait: *Decujus consumptione, aut diminutione non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi*. Ergo juxta Pontificem, operationes Christi fuerunt valoris meritorii simpliciter infiniti. Consequentia patet: *Tum quia* si illarum valor meritorius, non esset infinitus simpliciter, merita Christi noo appellarentur absolutè infinita. *Tum etiam*, quia alias liceret formidare cum fundamento ne in tantùm peccata hominum crescerent, ut ex eorum multitudine merita Christi tandem consumerentur. Quòd autem Pontifex ad infinitatem meritorum Christi suadendam, non ad acceptationem extrinsecam Dei, sed ad intrinsecam conjunctionem ipsius ad Verbum recurrat, colligitur ex eo qoòd dicat unam guttam sanguinis Christi *propter conjunctionem ad Verbum* sufficientissimam fuisse pro peccatis omnium hominum: sed si merita Christi solùm essent infinita ex acceptatione extrinseca Dei, ad illam recurreret, non verò ad unionem cum Verbo: igitur, &c.

IX. Summa operationis Christi dignitas desumenda est ex unione hypostatica, quamvis nullam intrinsecam dignitatem conferas circunstantia personæ.

Respondeo, ex illis omnibus tum Scripturæ tum Pontificis authoritatibus, nil aliud inferri quàm quòd reverà Christi meritum sit infinitum moraliter & sufficientissimum pro solvendis infinitis hominibus; non qoidem ex se, seu ex eo quòd procedat præcisè à persona infinita, sed ex eo quod Deus acceptavit illud tanquam pretium & satisfactionem ad remittendam pœnam infinitam peccatis debitam, & conferendam vitam æternam; non minùs quàm si ex se esset infiniti valoris. Ratio autem cur Deus ita Christi merita acceptavit, rectè colligitur ex eo quòd illa meritoria opera, quatenus procedebant à persona divina, extrinsecam specialem habebant dignitatem, quæ movebat Deum ad illa merita potius acceptanda, quàm merita omnium prorsus hominum & Angelorum. Licèt enim circunstantia personæ non tribuerit dignitatem infinitam intrinsecam, tamen tantum valorem tantamque dignitatem conferebat istis operibus, ut nulla prorsus alia opera meritoria majorem dignitatem haberent, imò nec æqualem. Unde non abs re Pontifex, ut significet præstantissimum fuisse Christi meritum & sanguinis pretium, recurrit ad unionem; siquidem summa humanitatis Christi & illius operationis dignitas rectè colligitur ex unione hypostatica, quanquam inde non sequatur dignitatem illam esse intrinsecè infinitam.

Instant adversarii. Illa acceptatio divina vel fuit juxta dignitatem meritoriam operationis Christi, vel illam excessit; seu Deus pluris fecit illa merita acceptando quàm ex se valerent: Si *primum*, igitur illa merita habent ex se dignitatem infinitam independenter ab acceptatione Dei. *Secundum* verò dici noo potest, quia opus ex se non condignum, sed solùm ex præmiantis acceptatione, imperfectum est in ratione meriti, sicut pretium quod ex se est inæquale, sed solùm habet

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum & secundùm quam naturam Christus Dominus verè & propriè fuerit Sacerdos.

II. Magna hæreticos inter & Christianos de Christi D. sacerdotio controversia.

NOtandum primò, magnam inter Hæreticos semi-Arianos & Catholicos fuisse de Christi sacerdotio controversiam; nam hæretici illi qui naturam filii Dei ac Verbi diversam à natura Patris, & eâ longè inferiorem existimabant, quidquid in Christo inerat vel ab eo gestum erat, humile & imbecillioris conditionis naturæ, velut dolorem, famem & id genus cætera, adeoque precandi & invocandi affectus, aliaque sacerdotii propria munia, ipsius Divinitati adscribebant, ut eum Patre, secundùm divinitatem ipsi attributam, inferiorem assererent. Nestorius verò qui hominem à Deo reipsâ esse divisum & solâ affectûs & gratiæ unione sociatum existimabat; ita sacerdotium humanitati Christi assignabat, ut nullatenus pateretur Sacerdotis dignitatem filio Dei vel Deo attribui: quocirca ut Catholicos in invidiam vocaret, tanquam divinitatem ipsam pontificem esse dicerent, eorum professionem, sic interpretabatur apud Cyrillum lib. 3. adversus illum: *Legentes*, inquit, *Divinitatem, sibi fingunt Pontificem, admirabili quâdam insaniâ specie*: Tum plurima subjiciebat argumenta, quibus istud dogma conficeret: putà; si Divinitas est Pontifex, quis erit ille qui pontificali officiô colitur? Si Deus offert sacrificium, nemo est cui offeratur; aut sibi offerret, quod planè ridiculum est. Verùm hanc calumniam à Catholicis removet Cyrillus, ostendendo Catholicos affirmare quidem Deum esse factum summum Sacerdotem, quando carnem humanam induit, non tamen munus sacerdotis implere secundùm divinitatem, sed penes humanitatem Divinitati in unitate personæ sociatam.

III. Sacerdotiū & sacrificiū necessariò sunt conjuncta.

Notandum secundò, ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 1. *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta esse, ut utrumque in omni lege extiterit*. Unde, Sacerdotium necessariò importat respectum & habitudinem ad sacrificium, ita quòd quantumvis Sacerdos res alias sacras, aliaque divina mysteria peragat & celebret, tamen incompletè duntaxat, non autem adæquatè Sacerdotis munus & officium censetur exercere, nisi cùm sacrificium celebrat aut illud celebrandi potestatem & authoritatem obtinet. Unde S. Augustinus epist. 49. quæ est ad Deogratias, tria hæc commemorat, templum, sacrificium, & Sacerdotem, tanquam sibi invicem necessariò connexa. Porrò sacrificium duplex generatim censeri potest: unum quidem impropriè dictum pro omni actione sive interna, sive externa, quæ in Dei laudē & gloriam exercetur: cui sacrificio respondet aliquod sacrificium minùs propriè dictum, quâ tatione omnes fideles suis bonis operibus Dei gloriæ suæque saluti incombentes, Sacerdotes appellantur à S. Petro epist. cap. 2. *Vos estis*, inquit,

Utrumque est duplex.

Genus electum, regale Sacerdotium, Gens sancta. Et omnes Sancti cum Christo in cœlis triumphantes, ipsi grates rependunt quòd eos fecerit Sacerdotes & Reges: *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes*. Aliud autem sacrificium propriè dictum significat oblationem exteriorem & sacram quæ Deo offertur in cultum debitum ejus majestati ac in obtestationem illius supremi dominii, vel in gratiarum actionem accepti beneficii, vel in satisfactionem pro peccatis eorumque expiatione. Hinc maximè triplex distinguitur sacrificium, nempe venerationis, gratitudinis, & expiationis, quanquam plura alia genera commemorari possint, ut abundè diximus in tractatu *de legibus* agendo *de lege Mosaica*.

IV. Duplex est Sacerdotis munus.

Notandum tertiò, quòd sicut sacrificium duplici ritu potest offerri, privatò scilicet & publicò: ita duplex distinguitur Sacerdotis munus; aliud quidem privatum, quod Sacerdos interdum agere potest clanculùm & privatim, ac semotò omni hominum consortiô; aliud verò publicum, quod coram populi multitudine ac in conspectu plurium celebratur. Hinc illud ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Quod utique postremum Sacerdotii munus verum & propriè dictum sacerdotium significat. His ita præmissis, duo maximè sunt in hac quæstione determinanda. *Primum*, an Christus verè & propriè dicatur sacerdos. *Secundum*, an sacerdotis dignitas & ministerium ipsi conveniat quà Deus, aut quà homo.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Christus D. fuit Sacerdos propriè dictus.

CHristus verè & propriè fuit Sacerdos. Hæc est de fide; quam egregiè probat S. Apostolus cap. 5. ad Heb. & sequentibus: patetque hujus conclusionis veritas ex eo quòd Christus obtulit tanquam Sacerdos publicus verum & propriè dictum sacrificium; non solùm secundùm ordinem Melchisedech, quando in die cœnæ accipiens panem & calicem suum corpus suumque sanguinem incruentô ritu ac sacrificiô æterno Patri litavit; sed etiam eùm assistens *Pontifex futurorum bonorum*, inquit Apostolus ad Heb. 9. *per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventâ*. Cùm videlicet in ara crucis seipsum victimam æterno Patri obtulit.

Hoc egregiè explicat Conc. Trident. *Sess. 22. cap. 1.* his verbis. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem, sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quò cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret: atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.

Ut egregiè explicat Conc. Trident.

Hanc veritatem suis oraculis suâque doctrinâ luculentissimè explicant SS. Patres tam Græci quàm Latini, qui Christum Dominum novæ legis

Sacerdotem & Pontificem maximè secundùm ordinem Melchisedech, eò quòd semel litatum suum corpus & sanguinem oblatione cruentâ in cruce, jugi ac perpetuô Missæ sacrificiô diebus singulis ministeriô Sacerdotum æterno Patri offerat in sacrificium: quos omnes sanctissimos Authores hanc veritatem attestantes referemus in Tractatu *de divina Eucharistia*; ut nullum supersit effugium Calvinistis, & aliis hujus ævi hæreticis negantibus aliud novæ legis sacrificium præter id quod à Christo in cruce oblatum est.

VI. *In eò fuit simul Sacerdos victima & sacrificium.*

Interim laudare juvat & recensere aliquos ex SS. Patribus, qui ut perfectum ac omnibus titulis illustre Christi sacerdotium demonstrent, illum non solùm sacerdotem, sed & victimam ac oblationem pronuntiant. Sic imprimis Epiphanius Hæres. 55. quæ est Melchisedecianorum, ubi de sacerdotio Christi loquens, ait: *Primùm quidem seipsum obtulit, ut sacrificium dissolveret antiqui sacramenti, perfectiore vivaque pro universô mundo mactatâ hostiâ: ut esset ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus.* Idipsum eleganter explicat S. Augustinus in Psal. 132. *Quis est Sacerdos*, ait, *nisi unus Sacerdos qui intravit in sancta Sanctorum? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit victima & sacerdos? nisi ille qui cùm in mundo non inveniret quod offerret, seipsum obtulit?* Egregiè quoque Fulgentius lib. 1. ad Tras. cap. 12. Christi sacerdotium commendat his verbis, *Vnus igitur idemque Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, ipse pastor & ovis: ipse sponsus & sponsas ipse sacerdos & victima; unus idemque & oblator muneris & munus factus est oblatoris: ut nec oblator à muneris qualitate desisceret, nec munus ab oblationis merito discreparet.*

Vt optimè docent SS. Epiphanius. — Augustinus — Fulgentius

VII. *Offerens non debet semper victimam per se mactare in vero sacrificio.*

Dices: Omnis verus & perfectus Sacerdos, physicè debet agere circa victimam ipsam *vel* mactando, *vel* igne absumendo, *vel* aliter immutando; sed impium est dicere Christum seipsum occidisse: igitur falsum est quòd fuerit simul Sacerdos & victima.

Nego majorem: Sufficit enim ad verum sacrificium, quòd Sacerdos assumat victimam illamque Deo offerat oblatione morali & spontaneâ: Christus autem Dominus hoc præstitit; siquidem mortem sibi illatam ut rem sacram voluntariè subiit, illamque Deo in sacrificium obtulit.

Instabis: Si hæc ita sint, sequitur Martyres similiter reverà propriè Sacerdotes esse, verumque Deo sacrificium impendere cùm in illius gloriam & sanguinem fundunt & mortem cruentam voluntariè obeunt: sed id nullus Catholicorum dixerit: igitur nec ipsum de Christo asserendum est.

VIII. *Quare Martyrium non dicatur verum sacrificium.*

Nego majorem: Quanquam enim vitam cum sanguine Martyres in Dei gloriam & honorem litent, nihilominus cùm non sint à Deo constituti, ut mortem subeant per modum sacrificii, nec ut se tanquam victimas offerant Deo ad satisfaciendum pro peccatis aliorum, inde illorum mors reputari non potest verum sacrificium, ut egregiè docet, S. Leo, epist. 83. cap. 4. *Dicant*, inquit, *quô sanguine sunt redempti? dicant quô sacrificiô sunt reconciliati? quis est qui tradidit semetipsum pro nobis in oblationem & hostiam in odorem suavitatis; aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis perimmolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen infantis occisio propitiatio fuit in mundo.*

CONCLUSIO SECUNDA.

IX. *Christus D. est Sacerdos secundùm utramque naturam.*

Christus est Sacerdos & Pontifex non secundùm naturam divinam, sed secundùm humanam in personâ Verbi subsistentem. Hæc est communis inter Catholicos, eamque probant SS. Patres, imprimis verò Epiphanius hæresi 69. ex illo Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quibus verbis significat Apostolus, inquit S. Epiphanius, Dei Filio *post susceptam hominis naturam, pontificiam dignitatem attributam fuisse.* Similiter S. Augustinus in Psal. 109. *Secundùm id*, inquit, *quod natus est de Patre Deus apud Deum coæternus gignenti, non Sacerdos, sed Sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam quam pro nobis offerret à nobis acceptam.* Sic pariter Theodoretus dialogô 1. probat adversus Apollinaristas, ex eo quòd Christus corpus suum in sacrificium obtulerit, ipsum verô corpore fuisse præditum: *Quamobrem*, inquit, *si hoc proprium est Sacerdotum offerre dona, Christus autem Sacerdos secundùm humanam naturam appellatus est, non aliam porrò victimam quàm suum corpus obtulit: consequens est Christum habuisse corpus.* Missos facio alios SS. Patres idem affirmantes quos congruentiori locô & ordine laudabimus in tractu de Eucharistia.

QUÆSTIO II.

Quale fuerit Christi Domini sacrificium, & quâ ratione nunc Pontificis vices impleat?

I. *Longè præstantius fuit sacrificium Christi sacrificiis legis naturæ & Mosaicæ.*

Notandum primò, Christi Domini sacrificium multis gloriæ titulis ab Apostolo ad Hebr. 5. & sequentibus suprà cuncta legis naturæ ac Mosaicæ sacrificia celebrari: PRIMÒ *quidem à dignitate personæ Sacerdotis.* Siquidem Christus verus Dei filius erat: Unde, inquit Apostolus, *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido & lachrymis exauditus est pro sua reverentia.* SECUNDÒ ab innocentiâ Pontificis: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* TERTIÒ à perpetuitate, nam, ut ibidem ait Apostolus: *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem* (Christus) *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & salvare in perpetuum potest accedentes ad semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.* QUARTÒ ab efficacitate sacrificii, nam ut docet idem Apostolus cap. 12. *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata .... Omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei de cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus, una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* DENIQUE in utriusque Sacerdotii Melchisedeciani & Aaronici adunatione, quippe Christus

utrumque sacrificium cruentum in cruce ut Aaron in victimis, & incruentum in Eucharistia ut Melchisedech in pane & vino, æterno Patri obtulit: an autem reverà Christus dicendus sit Sacerdos secundùm ordinem, seu ritum Aaron & Melchisedech, controvertitur apud Theologos.

II. **Duplex est munus sacerdotale.**

Notandum secundò, duplex potissimùm esse sacerdotale munus, nempe sacrificia & preces Deo offerre pro salute populi: *Omnis namque Pontifex*, (inquit S. Paulus cap. 5. ad Heb.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*: hoc autem utrumque munus Christum implere constantissimum est: *Nam*, (inquit Claudianus Mamertus lib. 1. de statu animæ,) *Pontifex ille est Christus, qui principaliter apud divinitatem summæ Trinitatis humani generis oblata sanctificat, peccata expiat, vota commendat.* Et ante hunc, Tertullianus hæc Lucæ verba declarans, *Vade ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses*; sic loquitur: *Argumenta enim figurata, ut puta Prophetia legis, adhuc in suis imaginibus turbantur, quæ significabant hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Iesum Catholicum Patris Sacerdotem.* Eleganter omninò Tertullianus *Catholicum Patris sacerdotem* appellat Christum, id est, *generalem*, idque duabus de causis: *vel* quia solus oblationum, donorum ac sacrificiorum genera omnia repræsentat Deo & Patri: *vel* quia unus omnibus sufficit, ut & pro universis hominibus illa ipsa offerat, ac rata faciat: & omnes ad ipsum receptum habeant, ac per ipsum offerant, gratique Deo sint, & accepti; cùm nulla, nisi per illum & ejus interventu, ac meritô Deo fiot probata, & nobis utilia dona, & sacrificia. Quæritur autem, an hoc utrumque munus sacerdotale, etiam nunc Christus impleat, non solùm seipsum in sacrificium per ministerium sacerdotum novæ legis offerendo, sed etiam preces & orationes pro nobis ad Deum fundendo.

III. **Duplex est oratio, *Expressiva*, & *interpretativa*.**

Notandum tertiò, duplicem distingui posse orationis modum *expressivum*: videlicet & *interpretativum*. Expressiva oratio est quâ aliquis vel mente, vel voce, vel nutibus, aut scriptis beneficium aliquod, aut gratiam sibi concedi postulat: *Interpretativa* autem est quâ quis beneficium, aut gratiam sollicitat, non quidem eam de novo & expressè postulando, sed proponendo opera meritoria ad quorum intuitum videtur illa gratia esse concedenda. *Insuper*, oratio expressiva duplex adhuc potest distingui, alia enim est de novo meritoria illius quod petitur, alia verò duntaxat petitiva ejus quod debetur virtute præcedentis meriti. Rursùs, cùm oratio sit manifestatio appetitûs & desiderii, cúmque triplex sit in nobis appetitus, nempe rationalis, sensitivus & naturalis; hinc movetur quæstio quô nam ex iis modis Christus oraverit.

Status quæstionis.

His ita præmissis quatuor præcipuè occurrunt determinanda. *Primum*, utrum Christus fuerit Sacerdos secundùm ordinem Aaron & Melchisedech. *Secundum*, qualis fuerit effectus illius sacrificii tam erga ipsum quàm erga homines. *Tertium*, qualis fuerit ejus oratio. *Quartum* denique, utrum & qualiter nunc pro nobis oret in cælis: quæ omnia sequentibus in conclusionibus resolventur.

Conclusio Prima.

IV. **Christus non fuit sacerdos Aaronicus.**

Christus Dominus non fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaron: nec in aliquo gradu Levitico in Templo Salomonis ministravit. Prima pars est de fide; nam Apostolus ad Heb. 7. postquam ostendit necessum fuisse, ut post Sacerdotem & Pontificem Leviticum & secundùm ordinem Aaron, surgeret alius Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, nempè Christus, subjungit: *In quo enim* (Christo) *hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit; manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moises locutus est.* Et paulò inferiùs de eodem Christo ait. *Qui non secundùm legem mandati carnalis factus* (nempè Sacerdos) *sed secundùm virtutem vitæ insolubilis.* Quibus clarissimè significat Apostolus quòd Christus Dominus non fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech; quapropter statim subjungit. *Contestatur enim, quoniam tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* His adde quòd si Christus fuisset Sacerdos secundùm ordinem Aaron, maximè illam dignitatem fuisset adeptus *vel* per electionem populi, aut aliorum Sacerdorum designationem: sed neutrum potest affirmari. Non quidem *primum*, quamvis enim ex supremo suo in homines dominio Deus possit quoslibet homines ad sui cultum evocare & destinare, quamvis aliter sanxisset; tamen non licet asserere ipsum præter leges à se sancitas aliquem ad hoc munus destinare, nisi id eum fecisse fuerit revelatum: at nullibi habemus expressum, quòd Deus Christum instituerit Sacerdotem secundùm ordinem Aaron; imò contrarium apertè declarat Apostolus: igitur id leviter & absque fundamento non est asserendum.

Quòd etiam ad illud sacerdotale ministerium Christus non fuerit evocatus per voluntariam electionem populi aut designationem aliorum Sacerdotum, constat; quia non poterant sic eligi & assumi Sacerdotes, nisi ex tribu Levi, ut constat Exodi 29. & Levitici 8. nec-non ex S. Paulo ad Heb. 7. & 8. igitur Christus non fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaron.

Nec ullo officio Levitico functus est.

Patet etiam secunda pars, nempe quòd in nullo ordine Christus ministraverit in Templo Salomonis: Nullus enim nisi ex Tribu Levi assumebatur, ut ministraret in templo: at ut mox diximus, Christus non erat ex Tribu Levi: igitur, &c.

Dices: Christus legit librum legis in Synagoga Nazareth. *Luc.* 4. Insuper in templo sedens in medio Doctorum disputabat: similiter *Matth.* 21. ejecit vendentes & ementes de templo: sed id præstare non potuit, nisi haberet aliquem ordinem, aut lectoris, aut ostiarii: igitur oportuit ipsum initiatum fuisse aliquô ordine Levitici ministerii.

Quanquam sederit inter doctores: librum legis legerit, & vendentes ejecerit è templo.

Nego minorem, nam legere librum legis, non erat solum officium Levitarum; sed id etiam licebat cuicunque erudito & docto: Nam *Act.* 3. Paulus qui erat ex Tribu Benjamin legit librum & disputavit in Synagoga Antiochiæ. *Similiter*, quod ejecerit ementes & vendentes, non est signum eum habuisse ordinem aliquem Leviticum; id enim potuit exequi potestate divinâ, quâ etiam prædicabat populo, & pravos illius mores necnon & Sacerdotum carpebat. Si enim id fecisset ratione alicujus ministerii sibi competentis ex

ordine Levitico, non fuisset interrogatus ab ipsis A vendentibus & ementibus ejectis, nec-non à suis adversariis in qua potestate id faceret: igitur minùs probanda videtur sententia *Vualdensis* lib. de sacramento Ordinis cap. 11. ubi asserit Christum non in sacerdotum, sed in lectorum numerum electum fuisse; unde colligit eum etiam fuisse ex tribu Levi.

Nec etiam audiendus est Suidas, cùm refert Verbô (*Iesus*) Rabinum quemdam confessum fuisse Jesum reverà esse Messiam, quia legerat ipsius nomen exaratum in codice ubi sacerdotes templi conscribi consueverant, quem postea in excidio Jerosolymitano sublatum & Tyberiade repositum fuisse dicebat. In eo autem codice referebatur quomodo Christus locô cujusdam Sa- B cerdotis qui eô tempore mortuus fuerat inter Sacerdotes Leviticos communi aliorum consensu fuerit connumeratus & electus, præmisso examine illius Genealogiæ. Hæc, inquam, historia movere non debet, utpote cùm apertè militet in Scripturam sacram affirmantem Christum non fuisse ex tribu Levi, sed Judæ, ut constat non solùm ex S. Paulo, sed etiam ex Evangelistis Matthæo & Luca qui Christi Genealogiam texuerunt.

Unde fabula est ipsum ex tribu Levi fuisse oriundum.

Conclusio Secunda.

V. *Sacrificium Christi quatenus expiatorium, profuit non Christo, sed duntaxat hominibus: ut verò honorarium, eucharisticum, & impetratorium, ipsimet Christo prodesse potuit.* Hæc est communis inter Theologos quantùm ad primam partem, imò de fide determinata in Concilio Ephesino cap. 14. approbante epistolam Concilii Alexandrini ad Nestorium, quæ est decima apud Cyrillum, in qua decimus anathematismus sic erat; *Quamobrem siquis dixerit, non pro nobis solùm seipsum obtulisse,* (Christum) *sed simul etiam pro seipso, ille impietatis crimen vitare nullâ ratione potest: constat enim nihil unquam deliquisse, nec ullum unquam peccatum designasse. Quâ igitur indigebat oblatione, cùm peccatum cujus hostia jure D meritòque offertur nullum admisisset?* Ita Concilii verba transtulit Peltanus. Ratio igitur hujus assertionis est apertissima, quia sacrificium expiatorium respicit remissionem peccatorum: sed Christus peccatum non fecit, nec levissimô quidem reatu fuit illigatus: igitur non potuit experiri vim sui sacrificii quatenus expiatorii.

Christi D. sacrificium ut expiatorium non ei profuit.

Secundam partem apertissimè docet Apostolus, maximè ad *Heb.* 10. ubi cùm probasset Christum in oblatione & sacrificio corporis sui Deum nostris peccatis offensum placasse, & sanctificatos consummasse, infert præferendum esse sacrificium Christi & oblationem sacrificiis & oblationibus antiquæ legis, quòd unum Christi sacrificium no- E stra peccata expiaverit, illa verò toties repetita id non potuerint efficere.

Dices: Si Christus unâ oblatione ita peccata expiaverit, ut non sit amplius illam oblationem iterandi necessitas, quemadmodum iterabantur sacrificia veteris legis: igitur non est indesinenter continuandum Missæ sacrificium, quippe cùm sacrificium crucis omnimodam virtutem habuerit auferendi peccata.

Respondeo expiationem & ablationem peccatorum fieri posse duobus modis: scilicet vel tanquam à causa principali, vel tanquam à causa particulari. Tanquam à causa principali & universali meritoria sufficientissimæ expiationis peccatorum: vel tanquam à causa particulari applicando peccatorum remissionem jam sufficienter factam per causam illam universalem. Mens igitur S. Pauli fuit repeti debuisse sacrificium veteris legis; quia nullum illorum sacrificiorum veteris legis erat expiatorium peccatorum, ut causa principalis, universalis, & summè meritoria: propter quam rationem igitur iterum repeti non debet crucis sacrificium; quippe quod ut causa universalis summè meritoria fuit expiatorium peccatorum nostrorum: repeti autem debet Missæ sacrificium; non propter insufficientiam sacrificii crucis, sed quia est applicativum tanquam causa particularis remissionis peccatorum nostrorum; jam factæ per crucis sacrificium.

B *Tertia pars* suadetur, nempe quòd Christi sacrificium in ipsius usum & fructum redundaverit, quatenus honorarium, eucharisticum & impetratorium erat. Suadetur, inquam ex illo ad Hebræos 5. ubi Christus non solùm pro aliis, sed etiam pro se orasse & obtulisse dicitur his verbis: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Quibus verbis significat Apostolus non solùm Christum Sacerdotem more aliorum Sacerdotum preces & supplicationes ad Deum C fudisse, non tantùm pro aliis, sed etiam pro se; quippe eas dirigebat ad eum qui poterat eum salvum facere; quod signum est eas fuisse directas pro obtinendo aliquo beneficio, fortè ut celeriter a morte eriperetur per resurrectionem, quod beneficium obtinuit, & exauditus est pro sua reverentia. Sed etiam preces illas ut Sacerdos seipsum ut victimam offerens, ad Deum dirigebat, quod utique colligitur tum ex eo quòd Apostolus utatur verbô offerendi; tum quia ibi agit de sacerdotio Christi: Consequens est ergo Christi sacrificium ut impetratorium & honorarium non solùm aliis, sed etiam sibi profuisse.

At prodesse potuit ut eucharisticum, impetratorium & honorarium.

Quòd autem profuerit quatenus erat eucharisticum, facilè colligi potest; siquidem Christus D Dominus erga Patrem æternum gratissimi erat animi; ac subinde inferre licet eum ipsi grates rependisse quas potuit maximas. Cùm igitur nobiliori modô non possit quis Deo gratias agere, quàm per sacrificium: igitur piè credendum est Christum suum sacrificium etiam ordinasse, ut debitas æterno Patri, pro tot acceptis beneficiis, gratias rependeret.

Dices: Concilium Ephesinum, verbis suprà laudatis, absolutè pronuntiat Christum non obtulisse sacrificium pro seipso, cum intentione placandi Deum: igitur censet etiam non obtulisse cum intentione obtinendi alicujus beneficii. Probatur consequentia, nam idcirco offertur sacrificium E impetratorium, ut Deus offensus, sacrificii meritô placatus, beneficium istud largiatur: igitur, &c.

Nego consequentiam: Concilium enim Ephesinum determinat solummodò Christũ non potuisse percipere effectum proprii sacrificii, quatenus erat expiatorium: dicit enim ex eo Christum non indiguisse sacrificiô, quia nihil unquam deliquerat, nec ullum unquam peccatum commiserat. Nego etiam paritatem antecedentis probationis; nam si status innocentiæ diutissimè perseverasset, fuissentque homines confirmati in gratia, non desiissent offerre sacrificia, tunc enim fuisset aliqua vera religio, quæ cùm non possit subsistere sine sacrificio, fuisset tunc aliquod non tantùm eucharisticum, verùm etiam impetratorium: ergo non

Nec repugnat Conciliũ Ephesinum.

præcisè offertur sacrificium impetratorium, ne peccata nostra impediant largitionem beneficii.

Adde quòd, si ubi non est peccatum, ibi nulla sit occasio offerendi sacrificium, pari jure erit tantùm opus oratione faciendâ Deo, quia malè vivendo possumus impedire eum, ne nobis conferat beneficia; & proinde Christus qui erat omnino impeccabilis, nunquam debuit orare pro impetrando sibi beneficio, quod repugnat Apostolo ad Hebræos cap. 5. *Nec refert* quòd sacræ Scripturæ, dum agunt de hoc sacrificio crucis, faciant tantùm mentionem nostri: ibi enim agunt de illo ut fuit expiatorium & reconciliatorium hominis cum Deo, quomodo Christus illud pro seipso non obtulit.

Dices secundò: Christus pro se non oravit, nec suas preces ad æternum Patrem, ut aliquid beneficii sibi obtineret direxit: igitur multò minus sacrificium obtulit in proprium commodum & utilitatem. Probatur antecedens ex S. Paulino lib. 1. contra Felicem Urgelitanum, ubi disertè pronuntiat Christum non pro se sed pro nobis orasse: *Non sibi*, inquit, *nec pro se orabat: quia, sicut sæpius est intimatum, non est sibi natus, nec pro se passus, vel mortuus: sed pro illis, id est membris suis orabat, pro quibus hæc omnia voluntariâ dignatione, altissimaque pertulit potestate.* Ac postea eodem in libro, hæc Apostoli verba profert: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.* Tum ista subtexuit; *Et quia non sibi, neque pro se, sed, sicut præfati sumus, nobis, & pro nobis oravit, pro quibus nasci, pati, & mori dignatus est*, &c.

Nec S. Paulinus qui solùm agit de sacrificio expiatorio.

Respondeo S. Paulinum intelligendum esse de oratione Mediatoris, sive Reconciliatoris quam Christus in hominum salutem ad æternum Patrem fudit, quâ certè Christus non egebat cùm à Deo non esset aversus, nec subinde mediatione & reconciliatione egeret. Quippe eò loci agit contra Felicem qui Christum idcirco filium non naturalem, sed adoptivum contendebat, quòd personam advocati & Mediatoris munus ageret. Paulinus verò ex adverso probare nititur ipsum Mediatoris & advocati vices agere, non quasi ipse indigeret veniâ & reconciliatione, sed duntaxat ut munus illud in hominum gratiam impleret: Unde subdit ibidem, *Mediator ab eo, quòd medius sit inter utriusque dissidentium partes, ut reconciliet ambos in unum. Quod quidem Redemptor noster unigenitus Dei Patris filius pro nobis inter Deum & nos fieri gratis dignatus est, ut qui discordes à consortio charitatis Dei peccando extiteramus, per eum ad concordiam divini amoris reconciliati in sanguine ipsius, redintegrari mereremur, sicut per Paulum docetur: Cùm essemus, ait, inimici, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, salvi facti per sanguinem ipsius.* Subinde verò ita hæreticum pulsare pergit. *Si ergo ideo Christum Iesum verum denegas Deum, verumque Dei filium, quia advocatus noster est, & pro culpis delinquentium intercedit: Quæro quid de Spiritu sancto definire præsumas, qui & ipse advocatus noster est, & incarnatus non est; utrum sit verus Deus, an non*, &c. Mox item; *Sed si de filio rectè sentires*, ait, *rectè profectò & de Spiritu sancto intelligeres: Dei enim filius omnia pro nobis, non pro se, voluntariâ pietate suscepit.* Ex quibus, aliisque ibidem à Paulino dictis perspicuum est, illud tantummodo pro se genus orationis ab eo detractum esse Christo, quo pro nobis intercessit; ut & peccatis veniam, & reconciliationis gratiam, & idonea comparandæ salutis auxilia, & ipsam postremò salutem impetraret. Hujusmodi enim nihil opus habuit ipse, nec sibi postulavit.

CONCLUSIO TERTIA.

Christus D. Patrem reverà oravit.

Christus reverà dum in terris ageret, Patrem oravit, non ut Deus, sed ut homo, idque oratione non solùm interpretativâ, sed etiam expressivâ. Hæc tribus partibus constat, quæ simul probantur illis omnibus Scripturæ textibus quibus significatur Christum, dum mortalem vitam in terris ageret, plures orationes & preces ad Deum fudisse: Sic Matthæi 14. dicitur de Christo, *Et dimissâ turbâ ascendit in montem solus orare.* Et Matthæi 26. oravit ad Patrem illis verbis: *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Joan. 17. longam ad Deum habuit orationem illis verbis: *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, &c. Denique ad Hebræos 5. *Qui* (scilicet Christus) *in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad Deum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.*

Quibus omnibus textibus apertissimè constat Christum revera oravisse, non solùm oratione sumptâ pro interiori actu quô mens in Deum fertur affectu & amore, sed etiam sumptâ pro manifestatione desiderii seu postulatione & supplicatione. Decens autem fuit Christum orare quadruplici de causa, inquit seraphicus Doctor dist. 17. a. 2. q. 1. videlicet propter meritum, propter virtutis exemplum, propter veritatis argumentum, & propter officium explendum. *Propter meritum*, quia suâ petione, & postulatione merebatur nobis, qui minùs idonei eramus ad susceptionem beneficiorum Dei. *Propter exemplum*, ut scilicet discipulos suos, & per consequens alios invitaret ad orationis studium, in cujus exercitio maximè superatur adversarius: Propter quòd Dominus dicebat discipulis; *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Propter *veritatis argumentum*, ut ostenderet se verum hominem & verè à Deo missum, propter quod dicit; *Gratias ago tibi Domine, quoniam audisti me: ego autem sciebam quoniam me semper audis; sed propter populum istum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Propter *officium*; quia Christus habebat dignitatem sacerdotis, & Pontificis: Unde sicut ad ipsius officium pertinebat sacrificium offerre pro peccatis, ita & pro peccatis exorare. Unde ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum*: Et, *Talis decebat ut esset nobis Pontifex sanctus, & innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*: His ergo de causis congruum fuit, & decens usum orationis in Christo reperiri.

Idque decebat quadruplici ratione.

Dices. Ille verè & propriè non orat, qui propriâ potestate conferre potest quod ab alio videtur postulare: at id omne quod Christus postulare videbatur, propriâ authoritate poterat obtinere & aliis largiri, ut colligitur ex illo Joan. 11. ubi cùm Martha exorans resurrectionem fratris sui dixisset Christo, *Scio quia quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus*, respondit Jesus: *Resurget frater tuus*, quasi diceret, ait S. Chrysostomus homil. 61. Non opus est ut hoc petam à Patre meo, quia

solâ meâ potestate possum efficere, ut resurgat frater tuus. Id ipsum confirmatur ex sequentibus verbis Christi, *Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* Unde subdit S. Chrysost. *Ego sciebam, quia semper me audis:* Hoc est ut fiat voluntas mea non egeo precibus ad persuadendum, una enim voluntas est, ad quid ergo preces? propter infirmiores, &c, scilicet ut ostenderetur veritas naturæ humanæ quam assumpserat, & ut orandi cæteris exemplum præberet. Sic etiam textum illum explicat Theophylactus, *Quare autem*, inquit, *precatus est, imò precantis figuram suscepit, ipsum Dominum dicentem audivimus: inquit enim: Propter circumstantem turbam dixi, &c.* Et infrà. *Quis autem oravit sic unquam? priùs enim quàm dixisset aliquid, inquit, Audisti me, & ita non oratio, sed figura orationis est, & indicium solùm.* Euthymius etiam in eadem verba Joan. 11. ait, *Sed quomodo dixit, quia audisti me, cùm precatus non sit?* Et respondet statim, *Non est precatus, ostendens quòd precatione opus illi non esset.*

Explicantur SS. Patres qui contrarium docere videntur. *Respondeo* SS. Patres nihil aliud significare quàm quòd Christus non oravit ex necessitate simplici, sed ex hypothesi & suppositione decreti ac providentiæ divinæ, quæ ab æterno decreverat aliqua tantùm concedere Christo, virtute meriti ipsius orationis, ut significat Psalmista 2. his verbis: Postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, hoc est, proposui quidem tuo imperio gentes subjicere, sed mediâ oratione.

Conclusio Quarta.

VII. Orat etiam nunc oratione expressiva pro nobis. **P***Robabilius est Christum Dominum non solùm oratione interpretativâ, verùm etiam expressivâ, nunc pro nobis Patrem orare in cœlis.*

Probatur *primò* authoritate Scripturæ, nam ad Romanos 8. Apostolus testatur: *Christus Iesus qui mortuus est, imò & qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ubi Apostolus *interpellationis* nomine, expressivam orationem significat; siquidem *interpellare illum pro nobis dixit* (inquit Theophylactus) *ut Christi erga nos explicet charitatem, qui etsi carnis assumpta dispensationem perficit, haud tamen suam in nos clementissimam sustulit animi affectionem: sed intercedit pro nobis.* Item ad Hebræos 7. docet sanctus Apostolus Christum habere sempiternum sacerdotium: *Vnde*, inquit, *salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*: Interpellatio autem, est orationis continuatio & iterata repetitio. *Tandem* S. Joan. epistolâ 1. cap. 2. *Siquis peccaverit, advocatum habemus Patrem Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quibus disertè pronuntiat Christum, nostrum agere advocatum apud Patrem: at inter officia advocati agentis partes alicujus rei, hoc unum est, ut expressis precibus apud judicem intercedat, quatenus clementer & non ex rigore justitiæ agat cum reo: ergo cum Christus sit verè & propriè noster advocatus apud Patrem, etiam verè & propriè eum orat pro nobis.

Vt S. Scriptura testatur.

SS. Patres affirmant. *Probatur secundò* authoritate SS. Patrum, imprimis verò S. Gregorii Nazianzeni Oratione 36. *Vnus* (inquit) *Deus, unus & Mediator Dei & hominum Iesus Christus. Nam & nunc quoque deprecatur, tanquam homo, pro mea salute: Quandoquidem cum eo corpore est, quod assumpsit: donec me Deum faciat vi humanitatis assumpta: Quamvis non amplius secundùm carnem cognoscatur; nemper secundùm carnis affectiones, & nostras circa peccatum. Eôdem modò & advocatum habemus Iesum; non ut nostrâ causâ se se ad Patrem abjicientem, ac prosternentem more servili. Procul sit servilis ista suspicio, & indigna spiritu. Non enim Patrem decet id exposcere, nec pati Filium; neque pium est, & æquum tale aliquid de Deo cogitare. Verùm iis, qua tanquam homo passus est, Patri suo persuadet, ut patienter toleret: tanquam Verbum & hortator. Sic ergo advocationem hanc interpretor.*

Maximè Nazianz.

Subscribit Didymus lib. 2. de Spiritu sancto: *Cùm enim Salvator* (ait) *mediatoris & legati personam habeat: ex quo Pontifex deprecetur pro peccatis nostris, salvans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserint ad Deum, &c.* Idem egregiè docet S. Augustinus in Psal. 85. *Nullum majus* (inquit) *donum præstare Deus posset hominibus, quàm ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret: ut esses filius Dei & filius hominis, & unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: ut & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus; & quando precatur corpus filii, non à se separet corpus suum; sitque unus ipse Salvator corporis sui Dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis, Orat pro nobis, ut Sacerdos noster: orat in nobis, ut caput nostrum: oratur à nobis ut Deus noster.* Idem habet sermone 119. de tempore, & epistolâ 59. ubi docet Christum non utcunque interpellare pro nobis, sed orando & postulando. Ipsi subscribit Beda in sermone de Pentecoste, *Rogabit*, inquit, *Patrem per humanitatem, qui dabit cum Patre per divinitatem: neque enim putandum est, quia ante passionem suam tantummodò pro Ecclesia rogaverit, & non etiam nunc post Ascensionem roget, cùm dicat de eo Apostolus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Idem docent *Gregorius Magnus* in Psalmum 5. pœnitentiæ. Et *Bernardus* sermone de Nativitate Virginis. Quibus omnibus authoritatibus constat Christum reverà nunc etiam pro nobis orare.

Didymus.

Augustinus

Nota.

Beda, &c.

Suffragatur etiam ratio: Enimverò si Christus nunc pro nobis non orat oratione expressivâ, maximè quia hic orandi modus dedeceret Majestatem ejus divinitatis, vel statum beatitudinis: sed neutrum congruè potest affirmari: Non quidem *primum*, alioqui sequeretur etiam cùm inter mortales mortalem vitam degeret, non potuisse hôc orationis modô Patrem æternum convenire, fuit enim Deus ab instanti conceptionis: at nullus orasse tunc negat Christum Dominum: igitur nec iste modus orandi ipsi nunc est denegandus. Non etiam *secundum*: alioqui omnes Sancti sempiternæ felicitatis participes pro nobis interpellare non possent, quod nemo Catholicus concesserit.

Ratio etiā confirmat.

Objicies plures è SS. Patribus, qui affirmant Christum non aliter nunc apud Patrem orare, quàm interpretativô modô; manifestando scilicet æterno Patri suam humanitatem, suaque merita: Sic Rupertus librô 9. de divinis officiis cap. 3. ubi loquens de Christi interpellatione ait: *Illa interpretatio. Doctorum omnium verâ assertione, non submissa est postulatio, sed ejus passionis quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa sanguinis ejus innocentis exclamatio.* Similiter sanctus Gregorius lib. 22. Moral. c. 13.

Objiciuntur aliqui Patres.

Unigenito, inquit, *Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in divinitatis suæ celsitudine sucepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione: quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.* Alias ejusmodi authoritates profert Vasques pro sua sententia disput. 82. cap. 2.

Sed explicantur de oratione expressiva meritoria.

Verùm respondeo SS. Patres esse ita intelligendos, ut velint Christum nunc pro nobis non orare oratione expressivâ meritoriâ, quæ habet quid pœnale & humile annexum: non verò negant orationē expressivam quæ fit per postulationem voluntariam illius quòd debetur virtute meriti præcedentis. Hinc facessit ridicula Origenis expositio hom. 7. in Leviticum, ubi asserit Christum regnantē in cœlis non solùm pro nobis intercedere, sed etiam de nostris erroribus & peccatis affligi, plangere, & lugere: *Neque enim putandum est*, inquit, *quòd Paulus lugeat pro peccatoribus, fleat pro delinquentibus: Dominus autem meus Iesus abstineat à fletu, cùm accedit ad Patrem, cùm assistit altari & propitiationem pro nobis offert. Et hoc est accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ.* (Levitici 12. v. 9.) *quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur*; quam utique de Christo pro nobis lugente fabulam meritò carpit & arguit S. Bernardus homiliâ de verbis Origenis.

Petes, an Christus orando semper fuerit exauditus?

VIII. Qua ratione fuerit Christus semper exauditus.

Respondet Seraphicus Doctor *dist.* 17. *art.* 1. *quæst.* 2. quòd cùm oratio sit petitio procedens ex voluntate & desiderio, secundùm quòd voluntas humana fuit in Christo, secundùm triplicem differentiam, sic & oratio. Nam quædam oratio fuit exprimens, sive procedens à voluntate rationis, quædam a voluntate pietatis, quædam à voluntate carnis. Oratio procedens *à voluntate rationis* procedebat à voluntate, quæ quidem requirebat exaudiri; & talis oratio in omnibus est exaudita: tū propter hoc quòd ista voluntas erat per omnia conformis voluntati divinæ, tum etiam quia adeò petebat dignè & sanctè, quòd in omnibus erat exaudita pro sua reverentia, & dignitate. Oratio autem præcedens *à voluntate pietatis, & voluntate carnis* non fuit in Christo exaudita per omnia: tum quia hâc voluntate non conformabatur Deo in omni volito, sicut habitum est priùs: tum etiam quia illa petitio plus ordinatur ad nostram instructionem, quàm ad divinam exauditionem. Magis enim petebat hâc voluntate, ut nos erudiret, quàm ut Deum ad suam petitionem inclinaret.

IX. Non debet orari Christus ut pro nobis oret.

Petes secundò, an possimus Christum orare, ut ipsemet oret pro nobis; dicendo *Christe Salvator ora pro nobis*:

Respondent communiter Theologi, absolutè & seclusô periculo erroris atque scandali id fieri posse ratione humanitatis: veruntamen censeo, id non esse in praxi usurpandum, ne convenire videamus cum Arianis: quando enim simpliciter oratur aliquis, ut oret; tunc significatur ipsum habere superiorem quem possit orare, & quia simpliciter loquendo Christus non est inferior Deô, imò Deus ipse, non debet orari ut oret, sed potiùs ut misereatur nostri. *Adde quòd* orationes diriguntur præcisè non ad humanitatem, sed ad personam Christi: persona autem cùm divina sit, ratione sui non habet inferioritatem, nec subjectionem oranti necessariam. *Denique*, quando A orandus est aliquis, ille compellandus est modo magis honorifico, Standum est igitur veteri Ecclesiæ praxi, quæ vitandorum errorum Arii & Nestorii causâ renuit hunc orandi modum usurpare.

ARTICULUS TERTIUS.

De cultu & veneratione Christi Domini, ejusque sanctissimæ Genitricis, ac Sanctorum, eorumque imaginum & reliquiarum.

I. Cur hic Articulus agitatur.

B QUONIAM in more positum est à plurimis è recentioribus Theologis, ut explicatô Dominicæ Incarnationis sacramentô, de Christi hominis adoratione, nec-non de ipsius sanctissimæ Genitricis ac cæterorum Sanctorum, deque dominicæ crucis & sanctarum imaginum, ac sacrarum reliquiarum cultu & veneratione differerent; ne quidpiam intactum circa has Theologicas difficultates relinquatur, operæpretium judicavi, aliis morem gerere, deque triplici Christianæ ac Catholicæ religionis cultu erga objecta Deo inferiora aliqua delibare. Is autem cultus pietatis & religionis est appendix, & officium quod maximè per adorationem impenditur: adoratio autem, ut paucis dicam, *est affectus seu actus à voluntate elicitus, quô quis efficaciter sese alteri subjicit ob ejus* C *excellentiam, eique signa servitutis, subjectionis & honoris exhibet.*

Duplex adorationis cultus, exterior, & interior.

Ex quibus apparet adorationem ac religiosum cultum esse duplicem: unum *exteriorem*, qui corporis administratione, & externô aliquô gestu ac significatione præbetur, ob cognitam ejus excellentiam, velut inclinatione capitis, adgeniculatione, prostratione & similibus; siquidem in omnibus sacræ Scripturæ locis, qui adorant, semper exhibent quædam signa suæ subjectionis & inferioritatis ad illum quem adorant. Aliquando *inclinatione genuum*, ut lib. 3. Regum cap. 19. aliquando per *osculum dexteræ*, ut Job. cap. 31. interdum per procubitum in terram. Sic Genes. 33. D Jacob adoravit pronus in terram, & alibi passim. Hinc diabolus sollicitans adorari à Christo, ait Matthæi [illegible]i *cadens adoraveris me*. Altera adorationis species est *interior*, quæ in mentis actione consistit, & exteriorem actum quodammodò animat, format, & perficit.

Discrimen inter adorare & colere.

Hic autem interior cultus fit dupliciter, nam & intelligentiâ percipimus ac profitemur excellentem illius dignitatem, qui à nobis colitur; & voluntatis affectu in eundem rapimur, & ipsi nostræ venerationis & subjectionis signa exhibemus; hinc adoratio ita in externo cultu ac veneratione consistit, ut necessariò ipsius comes esse E debeat interior animi affectus, quô nos alicui subjicimus propter illius excellentiam; nam, ut præclarè observat Jonas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum: *Aliud est* COLERE, *aliud* ADORARE. *Potest quis interdum & invitus adorare, sicut nonnulli regibus adulantes, dum eos in ejusmodi studio deditos vident, adorare se simulant idola; cùm in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum; colere verò est totum huic affectu & studio mancipari*: igitur ex interno illo animi affectu & cultu metienda est dijudicandaque externa conformatio corporis, ut qualis ille sit cultus, & utrum major, minorve pro merito ac dignatione rei quæ colitur sit impendendus, nam externus cultus per se spectatus fallere potest; cùm unus idem-

que interdum homini tribuatur ac Deo.

Triplex genus adorationis.

Cæterum cùm hic cultus tam interior quàm exterior triplex solitò distinguatur, scilicet *Latriæ* qui Deo ac divinis impenditur, *Hyperduliæ* qui Virgini Deiparæ, & *Duliæ* qui beatis ac Sanctis tribuitur: de hoc triplici cultu agendum erit in hoc articulo tribus in sequentibus sectionibus.

Sectio Prima.

De cultu Latriæ Christo Domino debito.

II. Quid sit cultus Latriæ.

QVanquam *latriæ* nomen, quod Græcè λατρεία dicitur, secundùm suam primariam institutionem significet obsequium ac servitutem, ut perhibent Grammatici Græci, unde λάτριν, juxta Cyrilli dictionarium, significat *ancillam cum metu servientem*; nihilominus hoc vocabulum non tantùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos Patres ac Doctores, usurpatum est ad significandum cultum divinæ ac supremæ majestatis, ut egregiè docet S. Augustinus lib. 10. de civitate Dei cap. 1. ubi sic scribit: *Latriam quippe nostri, ubicumque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, aliò nomine Græcè nuncupari solet.* LATRIA *verò, secundùm consuetudinem quâ locuti sunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Et librò 5. cap. 15. *Pietas*, inquit, *vera non exhibet servitutem religiosam quam* LATRIAM *Græci vocant, nisi uni vero Deo.* Et in lib. 20. contra Faustum cap. 21. postquam colendos esse Martyres religiosô quôdam cultu docuit, de quo post agemus; de altero, qui soli Deo convenit, ita disserit: *Et verò illô cultu, qui Græcè* LATRIA *dicitur, Latinè unô verbô dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii; unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent, nullomodò tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.*

Et quid hoc vocabulum significet præclarè explicat S. Augustinus.

Constantissimum est igitur *latriæ* nomen significare supremum cultum, qui nulli rei creatæ, sed uni vero Deo tribuendus est. Cùm autem Christus sit Deus-homo, meritò quærunt Theologi an tam ipsius humanitati, quàm iis instrumentis quæ maximè ejus passioni ac nostræ saluti operandæ deservierunt, hic latriæ cultus sit impendendus.

Quæstio Prima.

Vtrum & qualiter unâ adoratione sit adoranda Divinitas Christi & ejus humanitas.

III. Certum est Christum D. quà Verbum, esse adorandum latriâ.

NOtandum primò, quòd cùm Christum Dominum duplici naturâ constare Christiana religio profiteatur, eademque doceat singulas naturas divinam scilicet & humanam, quæ sibi sunt propria & insita retinere, citra commutationem omnem aut confusionem; nullus Catholicorum ambigit, Christum *quà Deum* propriâ Verbi personâ in humanitate subsistentem, esse adorandum cultu latriæ: cùm enim, ut sic, pro-A priè & essentialiter habeat excellentiam increatam, nec tantùm ejus natura, sed etiam ipsa ejus persona sit quid increatum summè & infinitè excellens, ac motivum latriæ, haud dubium est, quin Christus, quatenus Deus & Verbum divinum, sit colendus adoratione latriæ. Verùm difficultas est utrum Christus totus & in solidum, nempe quatenus Deus-homo simul sit illô adorationis genere colendus. Similiter, an ejus humanitas secundùm se spectata, quatenus vel dicit ordinem ad suppositum Verbi quô subsistit, vel seclusô tali ordine, sit adoranda adoratione latriæ. Circa cujus quæstionis resolutionem variè errâ-B runt plurimi hæretici, nam *Apollinaristæ* negantes in Christo hominem fuisse perfectum ac nostri similem, solamque à Verbo carnem esse susceptam, eamque de cælo lapsam, & Patri consubstantialem statuentes, ut tradit S. Athanasius lib. de incarnatione Verbi, etiam docebant unicâ adoratione latriæ carnem cum Verbo esse colendam, quia de substantia Dei credebant utrumque esse. Ideoque Catholicos vocabant *hominicolas*, quòd veram in Christo substantiam hominis colendam asserebant: at vicissim Catholici hôc se convitiô purgabant, eos appellantes *carnicolas*. Nestorius verò unicâ itidem adoratione ambas naturas colendas putabat; sed subdolè, quia morali duntaxat unitione illas conjunctas esse dice-C bat. Refert etiam Gaufredus discipulus sancti Bernardi in epistola ad Cardinalem Albanensem, Gilbertum Porretanum exponendo hæc verba Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, dixisse carnem & humanitatem Christi non esse adorandam adoratione latriæ, sed adoratione quâdam inferiore: *Non illam* inquiebat, *dico adorationem quæ latria est, quæ soli Creatori debetur; sed illam quæ duliâ dignior est: duliâ enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur: quæ duas habet species: unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ solì humanitati Christi exhibetur.* Verùm in Manuscriptô membranis exaratô commentarii illius Gil-D berti in Psalmos, quod asservatur in Bibliotheca monasterii S. Victoris juxta Parisios, contrarium omninò iis quæ refert Gaufredus legere licet.

An autem sic adoranda sit ejus humanitas disceptatur.

Notandum secundò, pariter citra controversiam esse, Christum, ut hominem, posse adorari latriâ *per communicationem idiomatum*; quia cùm natura humana & divina de se invicem in concreto prædicentur; quò fit ut Deus dicatur homo, & homo-Deus prædicetur, & reverà sit: sic per eandem communicationẽ idiomatum Christus quà homo, dignus est qui colatur eâdẽ adoratione latriæ, quæ Deo & divino Verbo propria est. Sed difficultas videtur an cultus latriæ deferri possit Christo ut homini, itaut ad illum ut ad hominem & secun-E dùm humanitatem terminetur, sicque non solùm ille homo denominetur adorandus latriâ, verùm etiam ita adoretur ut homo; quod ut percipiatur evidentiùs, clariusque solvenda difficultas appareat, observandum est humanitatem Christi per respectum ad adorationem posse tribus modis considerari: *Primò*, quatenus concipitur ut hypostaticè unita Verbo divino, & ut sic concepta adoratur. *Secundò*, ut apprehenditur separata & derelicta à Verbo; siquidem illam Verbum absolutè dimittere potest, in quo casu quæritur an ut sic, sit adoranda latriâ propter unionem quam habuit cum Verbo: vel etiam utrum seclusô & præcisô omni ordine ad suppositum Verbi possit adorari latriâ, quatenus plurima per illam consecuti sumus gratiæ & redemptionis beneficia,

IV. Christi enim humanitas considerari potest tribus modis.

neficia. *Denique*, spectati potest humanitas Christi secundùm propriam suam excellentiam, putà eximiam sanctitatem & omnia divina charismata quibus illustratur. Quæritur itaque, an hoc triplici modô considerata Christi humanitas digna sit, quæ cultu latriæ adoretur.

V. Duplex est objectum adorationis, aliud motivum aliud terminativum.

Notandum tertiò, duplex à Theologis distingui adorationis objectum, unum quidem motivum, alterum verò terminativum: *Primum* est illud quod nos movet, & moraliter excitat ad exhibendam adorationem rei quam colimus: *Secundum* verò est id quod illam adorationem terminat. Sic in homine quem propter virtutem colimus, virtus est objectum motivum honoris & cultûs illi exhibiti; homo verò virtute illustratus, est objectum terminativum illius. Potest autem fieri ut (B) unum & idem sit objectum motivum & terminativum simul, quando scilicet nos movet ad exhibendam adorationem, & præterea simul etiam adoratur. Sic quando natura divina adoratur, illa simul est objectum motivum & terminativum istius adorationis. Unde cùm quæritur an Christus *quà homo* possit adorari, sensus difficultatis esse potest, an humanitas possit esse objectum motivum adorationis latriæ, an verò duntaxat sit illius objectum terminativum, quatenus id quod constat Verbô divinô & humanitate, adoratur latriâ, itaut humanitas in illo toto subsistente inclusa, sit etiam objectum terminativum, si non totale, saltem partiale ad quod terminatur ista adoratio latriæ, licèt non sit illius adorationis objectum motivum.

Status quæstionis.

His prænotatis resolvendum est *primò*, an Christus quà Deus-homo, sit adorandus unicâ adoratione latriæ, itaut ejus humanitas ut unita hypostaticè Verbo divino debeat adorari eâdem adoratione quâ Divinitas & Verbi subsistentia adorantur. *Secundò*, utrum humanitas Christi à Verbo dimissa eâdem adoratione latriæ esset colenda. *Tertiò*, utrum illa humanitas licèt unita Verbo sic tamen non apprehensa, sed duntaxat spectata secundùm propriam suam excellentiam, sic etiam sit adoranda.

Conclusio Prima.

VI. Christi humanitas unica adoratione cū persona Verbi coli debet.

Christus quatenus Deus-homo, debet unicâ adoratione adorari, itaut ejus humanitas, prout hypostaticè unita Verbo divino, adoranda sit eadem adoratione latriæ, quâ ejus Divinitas & subsistentia divina adorantur. Hæc est communis inter Theologos, eamque docet subtilis Doctor in 3. *d.* 9. *num* 8. ubi ait: Cùm quæritur an adoratio debeatur Christo solummodò secundùm naturam divinam, dico quòd ly *solummodò* potest accipi dupliciter, scilicet categorematicè, vel syncategorematicè: *Primô modò*, concedo quòd sic, quia sufficiens ratio summi adorabilis est in Christo considerato secundùm solam naturam divinam; si autem teneatur syncategorematicè, tunc notat exclusionem ab uno extremo respectu alterius extremi. Hôc etiam modô distinguo, quia solummodo potest excludere aliquid vel à termino adorationis, vel à ratione adorandi. Primô modô dico, quòd non solummodò secundùm naturam divinam est Christus sic adorandus, quia à termino adorationis non debet excludi natura humana, quasi ipsam includendo non possit totum adorari. Hoc dicit Damascenus lib. 3. cap. 8. *Christus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu sancto, unâ adoratione cum incon-* (A) *taminabili carne ejus, non inadorabilem carnem ejus dicentes, adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ ejus hypost. sis facta est.* Et paulò post: *Unam personam Dei Verbi duabus ipsis reductis naturis.* Exemplificat postea: *Timeo lignum tangere propter ligno immixtum ignem.* In illa authoritate Damasc. ly *cum*, accipitur associativè, non autem copulativè, ut sit sensus: Adoramus Verbum cum carne, id est habens carnem sibi unitam: non autem cum carne, hoc est, carnem adoramus, quasi sit præpositio copulativa: & hoc considerando carnem ut caro est, & non ut unita divinitati: sic ergo non debet excludi à termino adorationis caro, licèt ipsa non sit ratio adorandi. Hæc Doctor.

Ut docet subtilis Doctor.

Et probatur 1. ex S. Scriptura.

Probatur autem conclusio, primò quidem, è Scriptura sacra, illis videlicet testimoniis, quibus significatur cultum latriæ Christo ut homini Deo deferri. Sic Matth. 2. de Magis Christi veneratoribus dicitur: *Procidentes adoraverunt eum.* Ad Philipp. 2. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c.* Apocalypsis 5. *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* Et rursus, *Viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Et iterùm, *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor & gloria.* Quæ omnia quanquam de Christo quatenus Deo rectè possint intelligi, nihilominus etiam possunt accipi de ipso ut homine; siquidem Christo omne genu flecti debet & omnis honor impendi, quia (C) Jesus est, & quia agnus: at non est Jesus nec agnus tantùm penes Divinitatem, sed maximè penes humanitatem, cujus vita oblata est & mactata in pretium nostræ redemptionis: igitur illa testimonia possunt intelligi etiam de Christo ut homine.

Verùm, clariùs hæc veritas apparet ex Matthæi 28. ubi de mulieribus ad Christi sepulchrum accedentibus dicitur: *Et ecce Jesus occurrit illis dicens, Avete; illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Cùm autem actus ille detentionis, seu osculi pedum, sit externa adoratio interioris adorationis significativa, & illa versetur circa corpus & pedes Christi, cer- (D) tum est eas sic tenentes Christum, etiam humanitatem ejus adorasse. *Idem* præstitit S. Thomas Apostolus Joan. 20. cùm ait Christo: *Dominus meus & Deus meus*: quibus verbis confitebatur Christum esse Deum & hominem, eumque à mortuis reverà suscitatum esse profitebatur; ac subinde eum ut Deum & hominem adorabat: nam illa professio fuit actus insignis cujusdam fidei, quæ proinde actum adorationis sibi comitem haberet; præsertim cùm Christus esset præsens. Igitur S. Thomas non solùm Christi Divinitatem, sed & humanitatem censendus est adorasse.

VII. 2. Ex Concilio Alexandrino.

Probatur secundò, authoritate Concilii Alexandrini præside S. Cyrillô, cujus Synodalis ad Ne- (E) storium epistola hoc inter alia capitula octavum & subscribendum præfixit sub interminatione anathematis & excommunicationis: *Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere & conglorificari, tanquam alterum cum altero (nam particula cum addita hoc cogit intelligi,) & non magis una reverentiâ veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem rependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.* Quod utique Alexandrinæ Synodi decretum unà cum illâ epistola Synodica, approbavit Chalcedonensis Synodus *Actione* 5. nec-non & V. Synodus: itemque Lateranensis sub Martino primo, quæ V. Synodi Canonem nonum sic refert & probat:

Lateranensi.

Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt semotim Deo-Verbo, & semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis & humanitatis unam naturam sive essentiam convenientium protenté dicens, sic adorat Christum, sed non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adoravit juxta quod sancta Dei Ecclesia ab initio traditum est, talis anathema sit.

Quibus constat non solùm Christum ut Deum hominem in solidum adorari, sed etiam adorationem illam terminari ad ejus humanitatem personâ Verbi subsistentem. Quod utique confirmatur ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 5. & Can. 6.* ubi definiens cultum latriæ, qui vero Deo convenit, Eucharistiæ sacramento deberi, rationem reddit his verbis: *Neque enim ideo minus est adorandum quod fuit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, ut adorent eum omnes Angeli Dei, &c.* sed Eucharistiæ sacramentum non solùm comprehendit Divinitatem per concomitantiam, verùm etiam corpus & sanguinem Christi vi verborum & significatione sacramenti: igitur si Eucharistiæ Sacramentum dignum sit adoratione latriæ, corpus & sanguis Christi eôdem cultu adorantur.

Tridentino.

3. Ex SS. Patribus. Athanasio.

Probatur tertiò, authoritate SS. Patrum, imprimis verò S. Athanasii in epistola ad Adelphium Episcopum; ubi de hoc argumento copiosam orationem exponit; negans adorationem carnis ab illa Verbi separandam: sed ambas naturas jubens unicâ coli veneratione. *Nos creaturam non adoramus*, inquit, *absit: Gentilium enim & Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum creaturæ incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars est creaturarum: tamen Dei corpus est facta. Ac neque corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longè à carne disjungimus. Verùm istud scientes, ut jam diximus, Verbum caro factum est, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat, Recede à corpore, ut te adorem?* Hic veram, certamque rationem dicti sui Athanasius attulit, cùm idcircò unâ erga utrumque fungendum adoratione dixit: *Quòd caro propria sit Verbi:* nam ipsius erat corpus, & in eo Verbum inerat, ut subinde ait: *Ubinam verò*, (pergit idem) *omninò impii isti separatim, ac per se carnem invenient cùm Salvator suscepit, ut dicere audeant; Adoramus nos Dominum cum carne, sed dividimus corpus, & illi soli latriæ cultu servimus?* Quare ibidem vocat Gentiles atque Ethnicos minimeque Christianos, qui separandum à carne putant esse Verbum, ut illud adorare possint..

Epiphanio.

Insignis est etiam ad eandem veritatem comprobandam S. Epiphanii doctrina in Anchoraro, ubi contra Arianos probat Filium Dei increatum ac Deum esse propter quod adoratur. Deinde profert hæreticorum calumniam Catholicis exprobrantium, quòd creaturam adorarent; quia corpus à creatura genitum adorabant. Hinc eos sic urget: *Adoras Salvatorem incorporatum, aut non adoras. Quomodo verò non adoravero? Si enim non adoravero, non habeo vitam. Ecce igitur creaturam adoras, ipsum corpus. Ingens autem est vesania eorum, qui talia dicunt: nam Rex purpurâ indutus ab omnibus adoratur. Nunquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est, quod Rex: adoratur autem cum ipsô etiam purpura, quam gestat, ubi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur.*

Ambrosio.

Præclarè quoque illud demonstrat S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. explicans illud Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, quæ sic accipit ut scabellum pro carne Christi sumat: *Itaque*, inquit, *per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut suprà diximus, adorarunt: neque enim divisus Christus, sed unus: neque cùm adoraretur tanquam Dei filius, natus ex Virgine negabatur. Cùm igitur incarnationis adorandum sit sacramentum; incarnatio autem opus Spiritûs sit: sicut scriptum est, Spiritus sanctus perveniet in te, &c. haud dubiè etiam Spiritus sanctus adorandus est, quando adoratur ille qui secundùm carnem natus ex Spiritu est.*

Augustino.

Sanctus Augustinus eadem Psalmistæ verba exponens, luculenter eandem veritatem comprobat his verbis: *Anceps*, inquit, *factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura; Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodò sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra Terram, quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulavit & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: Nemo autem carnem illam manducat nisi priùs adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Damasceno.

Præterea Joannes Damascenus primùm in lib. 3. de fide, cap. 8. idipsum egregiè confirmat: *Unus igitur Christus est*, inquit, *Deus perfectus, & homo perfectus: quem adoramus cum Patre ac Spiritu unicâ adoratione, cum ejus immaculata carne, nequaquam carni ipsius adorationem denegantes. Adoratur enim in unâ Verbi hypostasi, quæ hypostasis ei facta est, neque tamen hoc agentes, creaturæ servimus, non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam, & quatenus in unam personam unamque hypostasim Dei Verbi duæ illius naturæ reducuntur. Timeo carbonem tangere propter ignem, qui cum ligno conjunctus est. Adoro utrumque, quod est Christi propter Divinitatem carni copulatam.*

VIII. 4. Ratione.

Probatur etiam ratione: Ut aliquod totum censeatur dignum adoratione, sufficit quòd in tali toto ut adorato sit aliqua ratio motiva adorationis ipsi exhibendæ, nec opus est quòd illud motivum existat in singulis ejus partibus; cùm enim honor, v. g. homini impenditur propter sapientiam, totus ille homo colitur, ac secundùm se totum est objectum terminativum talis honoris; attamen sapientia quæ est ratio motiva honoris exhibiti, in solo intellectu residet formaliter, quia tamen illa sapientia est in toto homine, est sufficiens ratio motiva cur totus homo honoretur: sed Christus ut homo, seu ut subsistens in humanitate, est aliquod totum constans divinâ naturâ, Verbi subsistentiâ, & humanitate: in quo toto natura divina, & persona Verbi propter suam infinitam & increatam excellentiam sunt rationes motivæ, ut impendatur Christo adoratio

latriæ: igitur Christus ut homo seu subsistens in humanitate debet etiam adorari latriâ; & subinde humanitas, ut subsistens subsistentiâ Verbi, & ut hypostaticè unita Deo, adorari debet eâdem adoratione, quâ Christi Divinitas adoratur.

Objicies primò S. Damascenum Oratione 1. de imaginibus, qui de Christi humanitate sermonem faciens, ait: *Non materiam, sed materiæ Authorem adoro, qui propter me materia factus, & in materia voluit habitare, ut per materiam mihi salutem præberet: materiam verò per quam mihi salus parta est colere non desino, non tamen ut Deum: Absit.* Igitur non censet sanctus Damascenus carnem & humanitatem Christi, quam ibi materiam appellat, esse eâdem adoratione quâ Divinitas & persona Verbi adoranda.

Explicatur S. Damascenus.

Respondeo, S. Damascenum non negare humanitatem Christi esse adorandam cultu latriæ, quatenus est Divinitati conjuncta, id siquidem ipse disertissimè docet, ut vidimus suprà, sed tantùm vult quòd non sit adoranda ut Deus, hoc est quòd ei non deferatur primò & ratione suæ excellentiæ cultus adorationis latriæ, nec affectus servitutis in ipsam, sed in divinitatem feramur, quæ propter suam infinitam excellentiam est ratio nos movens ad illam adorationem Christo impendendam. Idipsum significat sanctus Epiphanius suprà laudatus, cùm dicit Regem adorari, non purpuram illius, sed purpuram solùm coadorari, quia videlicet non adoratur ut Rex, sed coadoratur cum Rege, ut aliquid illius ratione dignitatis, non ipsius purpuræ, sed Regis.

Objicies secundò Glossam ordinariam in hæc verba Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, ubi ait *Carnem à Verbo assumptam sine impietate adorari à nobis, sed non illa adoratione, quæ latria est, quæque soli Creatori debetur:* Igitur falsum est, quòd Christi humanitas eâdem adoratione quâ Divinitas possit adorari.

Ex glossa ordinaria.

Respondet Seraphicus Doctor, glossam illam sic esse intelligendam, quòd velit humanitatem Verbi prout in se, & secundùm suam propriam excellentiam consideratur, non esse adorandam adoratione latriæ, non autem negat quòd unita Verbo ita sit adoranda.

Respondeo secundò, glossam illam desumptam esse ex sancto Augustino in eadem verba Psalmi, qui ut vidimus suprà, non negat, imò affirmat humanitatem Christi, quam ibi vult designari per scabellum pedum, religiosè adorari eâdem adoratione quâ Divinitas; non quidem propter suam excellentiam, sed propter suam unionem cum verbo.

Adde quòd verba glossæ non sint fideliter excerpta ex sancto Augustino, siquidem apud eum non inveniuntur præfata verba, *sed non eâ adoratione quæ latria est, &c.* igitur illa glossæ authoritas non est magni facienda.

Objicies tertiò: Solus Deus est adorandus adoratione latriæ: sed Christi humanitas ut Verbo unita, non est Deus: igitur nec adoranda adoratione latriæ.

IX.
Humanitas non movet ad adorationem, sed eam cum Verbo terminat.

Respondeo distinguendo majorem: Solus Deus est adorandus latriâ, tanquam objectum movens ad illam adorationem, concedo: tanquam solùm terminativum illius, nego: cùm enim humanitas Christi & Divinitas in unam concurrant personam, hinc etiam unicum constituunt objectum terminativum illius adorationis.

Objicies quartò: Minori minor reverentia est exhibenda, & major majori: sed Christus secundùm quòd homo, minor est Patre, & ejus humanitas Divinitate inferior: igitur hæc non est colenda supremâ adoratione, qualis est latria. *Deinde*, illius non est adorari adoratione latriæ cujus est adorare: sed humanitatis est adorare summam Divinitatem & Trinitatem: quod probatur, quia ejus est adorare cujus est orare: at Christus ut homo pluries Deum oravit: ergo, &c. *Denique*, illi non rectè impenditur latriæ cultus, cui ille cultus non potest reddi per id quod habet in se præstantius: sed non potest coli Christus ut homo per sacrificium quod est præstantius signum cultûs latriæ; quia Christo non est sacrificandum, nam ut docet sanctus Augustinus lib. de civitate Dei cap. 20. *Christus maluit sacrificium esse quàm sumere:* igitur latriæ cultus non potest impendi humanitati Christi.

Quâ ratione minori sit minor reverentia exhibenda.

Respondet Seraphicus Doctor ad primum, majorem esse veram in iis qui sunt diversorum honorum susceptibiles, nempe quando honores illi impendendi ordinantur ad diversas personas gradu & dignitate distantes: falsam verò quando unica est duntaxat persona: igitur cùm in Christo una sit persona, cui summa reverentia debetur, sicut honor debetur Regi quacumque veste sit indutus, honor enim, inquit, naturam respicit digniorem, & per consequens illud quod est annexum ei: sic caro Viri sancti honorari debet secundùm dignitatem animæ, non secundùm ignobilitatem propriæ naturæ.

X.
Humanitas Christi adorat & adoratur.

Ad secundum dicit, quòd quamvis humanitatis Christi sit adorare, inde tamen non sequitur quòd eadem pariter non debeat adorari adoratione latriæ: adorat enim secundùm operationes & statum humanitatis quâ minor est Patre; adoratur verò secundùm dignitatem divinitatis & personæ, secundùm quas est æqualis Patri; nos autem qui ipsum adoramus, non debemus attendere ad ejus inferioritatem humanitatis, sed ad personæ & divinitatis dignitatem & majestatem.

Ac ei aliquâ ratione sacrificatur.

Ad tertium respondet, quòd licèt humanitati Christi non possit sacrificium offerri, quatenus secundùm se consideratur, tamen reverà ei sacrificari potest, prout est divinitati conjuncta, quia toti Christo sacrificari potest, cùm sit reverà Deus. Ad sanctum Augustinum, dicit eum non negare quòd Christo debeat sacrificari; sed id non esse practicè faciendum, ut vitetur occasio erroris, & ne fortè aliquis existimet honorem supremo numini debitum creaturæ impendi.

Objicies quintò: Si Angelus adorans Verbum ante Incarnationem, eandem adorationem Incarnatione peractâ continuaret, vel adoraret Christum ut Deum & hominem, vel non. Si primum: ergo adoratio antecedenter ad Incarnationem etiam terminabatur ad humanitatem, quod est absurdum. Si secundùm: igitur adoratio Christi quà Deus, non tendit in ipsum quà homo est, & consequenter ejus humanitas eâdem adoratione quâ divinitas non colitur.

Respondeo primò, in eâ hypothesi Angelum posse censeri eâdem adoratione adorare Verbum ut hominem quâ prius Verbum duntaxat adorabat; nam eô ipsô quò tendit in personam Verbi, eâdem adoratione absque ulla mutatione physica tendit in id omne, quod ipsi personæ conjunctum est, & per intellectum proponitur ut conjunctum; nec inde sequitur quòd antecedenter fuerit terminata ad humanitatem; siquidem antecedenter

intellectus Angelicus ipsi non repræsentabat humanitatem conjunctam cum Verbo.

Respondeo secundo, quòd si Angelus Christum ut hominem sic adoraret, ut non solùm ipsi vellet se subjicere, quatenus est Deus, sed etiam quatenus est homo, & servitutem suam secundùm utramque considerationem vellet ipsi impendere, in eo casu esset distincta adoratio post Incarnationem ab ea, quâ priùs Verbum adorabat; quia videlicet aliô affectu & cultu Christum prosequeretur quàm anteà.

Objicies denique: Christi humanitas etiam ut unita Verbo divino non potest eôdem amore diligi, quô Deus; neque enim Christus ut homo, nec ejus humanitas deberet amari super omnia: igitur nec etiam debet eâdem adoratione adorari.

XI. *Nego antecedens*: Christus enim secundùm se totum consideratus, reverà amari potest super omnia, quia habet bonitatem & excellentiam infinitam sibi conjunctam, ratione cujus amari potest super omnia objecta quæ ejusmodi bonitatem & excellentiam infinitam non habent.

Christus rectè dicitur super omnia diligendus.

Eandem solutionem approbat Doctor *num.* 14. ubi cùm proposuisset varios modos, quibus concedi vel negari posset quòd Christus sit super omnia diligendus, ait: Si dilectio tendere potest æquè » confusè in objectum sicut adoratio; potest concedi » quòd Christus habens naturam humanam sit » summè diligendus, licèt natura humana non sit ratio » summæ diligibilitatis, neque etiam unio naturæ » humanæ ad Verbum qualitercumque sit: sicut » Trinitatem adoramus unâ adoratione, & diligimus » unâ dilectione, non excludendo proprietates » personales ab essentiâ quæ tamen proprietates » non sunt formaliter infinitæ: ita etiam tutum est » in adoratione non nimis distinguere naturam illam » creatam à Verbo, sed Verbum subsistens in duabus » naturis adorare: & ita Verbum habens naturam » humanam potest summè diligi; licèt ipsa » natura summè non diligatur, neque etiam summè » diligatur unio naturæ ad Verbum, quæ est » creatura.

Conclusio Secunda.

XII. SI *Christi humanitas dimitteretur à Verbo, non esset adoranda adoratione latria, etiam respectivâ.* Hæc est contra Vvicleffum, qui, ut refert Thomas Vvaldensis lib. 1. doctrinalis fidei art. 3. cap. 99. num. 1. asserebat Christi humanitatem à Verbo dimissam in propria persona adorandam esse adoratione latriæ, & diligendam ut Redemptorem.

Si humanitas dimitteretur, non esset adoranda cultu latriæ.

Probatur primò, ex sancto Augustino, qui sermone 58. *de Verbis Domini*, ait: *Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatemproptereà adoro, quod à Divinitate suscepta atque Deitati unita est. Denique, si hominem separaveris à Deo, ut Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo nec servio; velut siquis vestrum aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, nunquid conatur ea adorare? Cùm verò Rex eâ fuerit indutus, periculum mortis incurrit si ea simul cum Rege quis contempserit.* Quibus verbis sanctus Augustinus apertè significat humanitatem Christi seorsim à Verbo non esse supremo cultu colendam.

Idipsum probat Doctor *d.* 9. *num.* 9. siquidem supremus cultus nulli debetur, nisi propter summam excellentiam & increatam; sed humanitas Christi à Verbo dimissa nullatenus haberet in se supremam illam excellentiam; quippecùm non haberet nec formaliter, nec per unionem hypostaticam perfectiones infinitas: igitur, &c. *Deinde*, si hunc cultum sibi vindicare deberet humanitas sic dimissa, maximè vel absolutè vel relativè: sed neutrum potest affirmari: Non primum, quia ut mox dictum est, humanitas in eo casu non haberet excellentiam infinitam. Non etiam secundum, quia illa habitudo quam haberet ad Deum, non potest esse sufficiens ratio, quæ moveat ad illam supremam adorationem ipsi impendendam; siquidem Deum tantùm respiceret *vel* ratione gratiæ sanctificantis, quâ super cæteras creaturas illustraretur, *vel* ratione gratiæ capitis, in qua constitueretur, *vel* ratione ministerii redemptionis, quia nempe ad nostram salutem contulisset: sed nulla ex his tribus habitudinibus illius humanitatis ad Deum potest esse sufficiens motivum, ut illi impendatur supremus cultus latriæ. Non quidem *duæ priores*, quia fundantur in bono creato & creata excellentia; siquidem gratia capitis & gratia sanctificans sunt quid creatum & finitum; ac proinde insufficiens ad fundandum cultum latriæ: Non etiam *tertia*, quia inquit Doctor *num.* 12. quamvis congruum fuerit quòd Redemptor humani generis debuerit esse Deus, ut idem esset & Reparator qui fuerat Creator, & sic eidem supremum nostrum obsequium & honorem rependeremus; attamen non fuit absolutè necessum, ut persona redimens esset Deus; siquidem pura creatura, Deo ita ordinante sufficiens erat secundùm potentiam extraordinariam, ut nostram salutem & redemptionem operaretur, cujus rei hoc præclarum exemplum affert Doctor, quòd quemadmodum licèt congruentius appareat, ut qui Filium genuit ipsum nutriat, quatenus eidem personæ debeatur & impendatur reverentia genitoris & nutritoris; nihilominus hôc non obstante, posset alius quàm pater filium genitum nutrire, & sic filius ille reverentiam & honorem deberet duabus personis distinctis, nempe genitori & nutritori, ita etiam licèt congruum fuerit quòd persona creans sit etiam redimens, ut sic eidem personæ utriusque tituli reverentia deberetur; tamen fieri potuit quòd persona redimens non eadem esset quæ fuerat creans, & sic redemptrici non deberetur supremus cultus, qui soli Deo est impendendus.

Quanquam aliunde esset caput & Redemptor humani generis.

Adde quòd, si per hypothesim Deus in creando homine fuisset usus aliquô Angelô, tanquam causâ instrumentali, tali Angelo propter beneficium creationis non deberetur adoratio latriæ, sed soli Deo, ut causæ principali independenti, à qua tunc Angelus dependeret in creando: igitur cùm humanitas in reparando homine fuerit duntaxat instrumentum Verbi, consequens est quòd si ipsa separaretur à Verbo, non esset colenda adoratione latriæ.

Dices. Christo, quatenus est Redemptor & caput generis humani, debetur major cultus, quàm considerato duntaxat penes eximiam gratiam sanctificantem quâ fuit illustratus & alia supernaturalia dona, quibus dotatus & ditatus est: sed ratione tum suæ eximiæ sanctitatis, tum etiam cœlestium illorum donorum ipsius humanitati deberetur cultus hyperduliæ, quia his donis non solùm æquat, sed etiam excedit excellentiam beatæ Virginis, quæ hyperduliâ colitur: igitur Christus ut caput, aut Redemptor generis humani, majori cultu colendus est quàm solô cultu hyperduliæ: at cultus major hyperduliâ est cultus

latriæ: ergo Christi humanitas quatenus haberet rationem capitis & redemptricis, coli deberet latriâ.

Esset quidē colendus majori cultu, sed intra eandem lineam hyperduliæ.

Distinguo majorem: Debetur major cultus intra eundem gradum & ordinem, transeat: debetur major cultus alterius ordinis, nego: & similiter distinctâ minore, neganda est consequentia. Cùm enim cultus alicui impendatur ob suam excellentiam; cùmque illa excellentia possit esse diversa, secundùm majorem vel minorem gradum, penes quem unus alterô magis vel minùs divinis muneribus illustratur; hinc est quòd intra eundem ordinem adorationis duliæ v. g. unus Sanctus ampliori honore quàm alter celebretur etiam ab ipsa Ecclesia, quæ Sanctorum solemnitates sub diverso ritu vel simplicis vel semiduplicis, &c. proponit celebrandas: igitur pari jure intra ordinem hyperduliæ posset aliquis alterô majori cultu dignus apparere, sicque hâc ratione humanitas Christi, si dimitteretur à Verbo, ampliori honore hyperduliæ colenda esset quàm beatissima Virgo: tum quia donaretur gratiâ & dignitate capitis, quod beatæ Virgini non competit; tum denique quia efficaciùs ad nostram redemptionem quàm beata Virgo contulisset. Inde tamen non est consequens, quòd illa humanitas eo in statu colenda esset adoratione latriæ; siquidem propter istas habitudines ad Deum non censeretur habere excellentiam & perfectionem infinitam, nec consequenter fundamentum & motivum haberet cur supremò cultu esset colenda.

CONCLUSIO TERTIA.

XIII. Humanitas Christi secundùm se posset adorari hyperduliâ.

HVmanitas Christi unita Verbo, considerata præcisè secundum peculiarem suam excellentiam, & dona supernaturalia quibus illustratur, adorari potest adoratione hyperduliæ. Hæc videtur probabilior sententia contra Suarem, qui existimat illam ut sic esse adorandam adoratione quæ sit latria, non quidem perfectâ, quia hæc inquit, duntaxat respicit Deum, sed imperfecta, quæ tendit in illud quod realiter terminatur ad Verbum. Nec-non & contra Vasquem disp. 99. cap. 4. negantem Christi humanitatem prout concipitur sine Divinitate, posse ulla adoratione adorari.

Probatur itaque primò, quòd possit adorari quatenus sic concipitur præcisè secundùm se. Honor debetur excellentiæ: sed humanitas unita Verbo secundùm se spectata omnem creatam excellentiam obtinet: igitur illa ut sic, reverà potest honorari & adorari. Major constat. Minor probatur. Humanitas considerata secundùm se præcisè habet excellentiam inter res creatas maximam, quia in rebus creatis nulla datur major: ergo ut sic est digna aliquâ adoratione: Sed non est digna adoratione latriæ; quia in illa sic, apprehensa nihil apprehenditur nisi quid merè creatum: neque etiam duliæ communi Sanctis, quia est excellentia superior ipsi humanitati singularis: igitur debetur ipsi aliquis cultus inferior latriâ & superior duliâ; ac proinde ei debetur hyperdulia.

Confirmatur, quia humanitas ut habens unionem cum Verbo est extremum illius unionis distinctum realiter à Verbo & à naturâ divinâ & habens in se intrinsecè bonitatem & perfectionem distinctam realiter à perfectione Verbi & Deitatis: ergo ut sic potest adorari ratione istius perfectionis.

Dices. Non potest apprehendi humanitas Christi cum ejusmodi creata excellentia, quin pariter Verbum apprehendatur: ergo non potest adorari ob illam excellentiam, quin pariter Verbum adoretur. Patet antecedens: Non potest illa humanitas concipi quin concipiatur ut humanitas Christi: at ut est humanitas Christi necessariò concipitur ut unita Verbo: ergo ut habens ab eo omnimodam suam excellentiam: igitur non potest adorari, quin pariter Verbum adoretur.

XIV. Qualiter humanitas Christi possit seorsim à Verbo.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, quòd licèt non possit completè & perfectè intelligi humanitas Christi, quin concipiatur ut subsistens subsistentiâ Verbi, tamen conceptu præcisivô potest apprehendi secundùm se, videlicet quatenus illa humanitas est omnibus gratiis & divinis charismatibus illustrata; ut sic autem apprehensa & proposita per intellectum reverà potest adorari; nam si humanitas illa cum istis donis supernaturalibus non dicentibus ordinem necessarium ad unionem hypostaticam, conservaretur à Deo sine ullo supposito tam proprio quàm alieno, sic ratione donorum istorum supernaturalium esset adorabilis: igitur cùm hæc humanitas & ipsius dona supernaturalia nihil suæ perfectionis & dignitatis dependant ex sui unione cum Verbo, reverà potest humanitas sic apprehensa adorari.

Et adorari.

Confirmatur hæc responsio sicut & præcedens probatio: quia si illa humanitas non posset seorsim à Verbo adorari, maximè propter strictam illius unionem cum ipso Verbo: sed hæc ratio non obest. Probatur, quia major est conjunctio & unio divinarum personarum in essentia divina, quàm sit divinitatis & humanitatis in persona Verbi, quia proprietates personales identificantur realiter cum essentia divina, natura autem humana non ita identificatur cum persona Verbi, nec cum divinitate cui unitur: sed non obstante illâ identificatione, personales proprietates sunt secundùm se adorabiles, & una persona potest adorari seorsim ab alia sicut & orari, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ in suis orationibus & collectis interdum dirigit suas preces ad unam duntaxat è divinis personis: igitur multò magis adorari poterit Christi humanitas ut apprehensa seorsim à Verbo.

Adde quòd possumus laudare & amare humanitatem sic apprehensam ob creata dona: quidnî igitur poterimus etiam illam sic adorare? Imò etiam experientiâ constat, nos aliquando humanitatem Christi, vel ipsius sanctissimam animam venerari, absque eo quòd cogitemus de Divinitate, atque de Deo absque eo quòd divinitatem adoremus.

Objicies omnes illas tum Conciliorum, tum SS. Patrum authoritates, quibus probatum est in prima conclusione Christum unicâ adoratione esse adorandum: igitur non potest ipsius humanitas seorsim à Divinitate adorari.

Respondeo primò, Concilia & SS. Patres sermonem instituere de adoratione latriæ, quâ scilicet adoratur humanitas propter Divinitatem; sic enim necessum est, ut illa adoretur eâdem adoratione quâ Divinitas, quia humanitas secundùm se non est digna adoratione latriæ. *Dico secundò*, hæc idcircò docere Concilia & SS. Patres, ut significent publicè & ordinariè Christum duntaxat esse adorandum unicâ adoratione propter se suumque suppositum divinum & naturam divinam, ne scilicet adorando humanitatem Christi seorsim ob dona creata & inferiori cultu illis donis debitô,

videamur Christum deprimete ad statum puri hominis, cùm ipse quatenus homo-Deus sit capax majoris adorationis ob majorem excellnetiam divinitatis. *Denique* dico arceri à Christo duas adorationes totales & partiales, ac si esset duplex persona, proot Nestorius censebat Christum duplici adoratiooc esse colendum.

QUÆSTIO SECONDA.

Vtrùm & quô cultu Crux Christi Domini sit colenda.

I. Futurus est sermo tam de vera cruce, quã de illius imagine.

NOtandum primò: Quæstionem moveri non solùm de verâ cruce in qua salus nostra pependit & adorandus Christus Dominus fuit suffixus, sed etiam de hujus imagine tam perseverante, quales sunt eruces pictæ aut ex qualibet materiâ fabricatæ, quàm transeuote, ut ita dixerim, oempe de signo crucis atque formâ quam sibi Christianus quisque manibus in fronte vel reliquo corpore designat, de quibus sigillatim quærimus an aliquo cultu colendæ siot. Cujus quidem quæstionis resolutio plenissimè jam librata & efficacissimè firmata est per eruditos celebriorum Doctorum tractatus, qui generosè cultum sacris imaginibus, maximè cruci debitum contra Iconoclastas veteres & modernos defensârunt, inter quos ex Recentibus maximè celebrandi sunt *Vvaldensis* tom. 3. à capite 158. noster *Alphonsus à Castro* contra hæreses verbo *adoratio:* Pamelios in annotationibus ad apolegeticum Tertulliani à numero 238. *Gretserus* tribus de cruce tomis editis: *Petavius* lib. 15. qui omnes scriptores, ut plurimos recentiores omittam, ea omnia quæ ad crucis venerationem attinent, ita copiosè complexi sunt, ut duntaxat nobis opus sit illa quæ hunc cultum illustrant & firmant compendiosè referre.

II. Non omnes Iconoclastæ bellum cruci indixerunt.

Notandum secundò, ex Petavio lib. 15. cap. 7. quòd etsi crucis cultus oppugnatores ab Icooomachorum hæresis fonte profluxerint, non tamen eodem temporis initio venerandæ cruci quô sacris imaginibus bellum indixerunt: siquidem Leo Isauricus Imperator ejusqoe successores qui in sacratum imaginum cultores omni quâ poterant vafritie & crudelitate desæviebant, à crucis injuriâ sacrilegas manus ac linguas abstinuerunt eique debitum cultum & honorem impendere cum Catholicis perseverârunt.

Hinc Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus (qui Leone Armeno imperante vixit, à quo & in exilium pulsus est, ob sacrarum imaginum cultum, ubi gloriosè obiit, & cujus corpus incorruptum & suavem spirans odorem 18. anno post mortem exhumatum, Coostantinopolim Patritiorum subjectum humeris in templo S. Sophiæ ipso etiam præsente tunc temporis Imperatore solemniter tumulatum est;) Is inquam in suo Breviario historiæ narrat Constantinum Copronymum jusiurando adigi subjectos sibi populos voluisse, nunquam deinceps Sanctorum imagines adoraturos esse, *ac tum Patriarcham Constantinopolitanum*, inquit, *salutaribus lignis* (sanctæ erucis) *in altum sublatis, jurasse, se ex eorum numero non esse qui sacras imagines adorarent.*

Idipsum observat S. Joannes Damascenus lib. 2. de Imaginibus; ubi absurdam illorum rationem arguit, qui imagines ideo non se colere profitebantur, quoniam rem creatam & materiâ constantem venerari nefas haberent; nihilominos crucem adorarent & alia plurima ut loca sancta, sacra Evangelia, altaria, & vasa. *Nonne materia est*, inquit, *crucis illud ter fortunatum ac beatum lignum? nonne materia est augustus ille sanctusque collis qui Calvaria locus dicitur? Nonne materia est salutaris illa Petra, nempe sepulchrum Domini, fons nostra resurrectionis? Nonne materia est, atramentum & pelles in quibus Evangelia describuntur? Nonne materia est mensa vivifica, quæ nobis panem vitæ suppeditat? Nonne item materia est aurum & argentum ex quibus cruces, & sacri disci ac pocula fabricantur? Et ante omnia ista, nonne materia est Domini corpus, & sanguis? Aut igitur horum omnium cultum, adorationemque tolle: aut Ecclesiastica traditioni etiam imaginum adorationem permitte.*

Exprobravit etiam hoc Leoni Armeno Iconoclastarum fautori *Theodorus Studita*, de quo Michaël Studita, qui res ab illo gestas memoriæ prodidit, narrat inter cætera sic cum Imperatori locutum esse: *Sed quoniam vobis Imperator, imaginis quidem honor odiô est: Crux verò veneratione digna censetur: Primum illud capere non possum, cùm jam utriusque honor conjunctus sit. (Simul enim imago, & simul Crux; quandoquidem Domini adventus gloriam utrique attulit.) Nunc à vobis alterum ab altero secernitur, itaut alteri sors melior obtigerit, alterum repudietur & contemnatur. Deinde quæram, ò veteris Scripturæ interpres! quomodo cùm lex execratione dignam crucem vocet:* MALEDICTUS ENIM, *ait, qui* PENDET IN EÀ, *tu qui crucem colis, legem vilipendere non videare, &c.*

III. Primus crucis impugnator fuit Claudius Taurinensis Episcopus.

Notandum tertiò: primum colendæ crucis impugnatorem videri *Claudium Taurinensem Episcopum* Felicis Urgelitani in Francofordiensi Concilio unà cum Elipando damnati discipulum, qui cùm animadverteret quosdam Episcopos Gallos sacrarum imagioum cultui adversantes & nihilominus crucem adoraotes hôc argumentô pulsati: *Quâ ratione crux quæ est effigies illius salutiferæ crucis in qua salus nostra pependit, adoratur; eâdem ratione adorari debent Sanctorum effigies & imagines:* sed *cruces adorandas & colendas vultis, idque semper docuit & tenuit Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus:* igitur *etiam oportet sacras imagines adorare.* Hic vaferrimus & sævissimus hæreticus cootrariô argumentô cœpit sacræ crucis venerationem impugnare, dicendo, *Si non debeant Sanctorum imagines coli, pari ratione non est colenda crux Dominica:* sed *Sanctorum imagines nullâ sunt veneratione colendæ:* ergo *nec crux Dominica.* Hinc publicum erucibus bellum & generale excidium per universam suam diœcesim indixit, easque ab omnibus Ecclesiis eliminari & projici voluit.

Quem secuti sunt Pauliciani.

Quem postmodum imitati sunt Pauliciani Manichæorum propago quædam, cujus originem dedere Paulus & Joannes filii Callinicæ cujusdam impuræ & perditæ fœminæ, quæ cùm filios suos Maoichæorum dogmatibus perniciosis imbuisset, ad nefandam hæresim propagandam dimisit in varia loca; at illi maximè in Armenia suum virus evomentes, tot sectatores habuerunt, ut (narrantibus Annalistis Græcis; maximè, verò Photiô & Petrô Siculô, qui se Legatum ad illos hæreticos profectum asserit) formidolosi fuerint Imperatoribus Constantinopolitanis, maximaque eum illis bella susceperint. Hi inquam; hæretici, imperante Basiliô Macedone

cum suis filiis Constantino & Leone, inter sex illorum impia dogmata quartum hoc erat, quòd *figuram & efficaciam, ac vim pretiosæ vivificæque crucis non recipiant, sed infinitis contumeliis afficiant*, ut refert Petrus Siculus. At cùm semper insaniat & aliquid delirii semper habeat omnis hæresis, quiddam de illis hæreticis absonum & ludicrum refert Photius apud Euthimiu Panopl. tit. 22. *Cùm*, inquit, *in vehementiorem aliquem morbum inciderint, pretiosam & vivificam crucem ex ligno factam sibi imponunt: tum recuperatâ sanitate illam confringunt, proculcant & abjiciunt*. Et paulò post: *Evangelium nostrum adorare non dubitant: sed non eâ parte in qua imago pretiosæ crucis exarata est, verùm in alia codicis ejusdem, ubi nulla est crucis figura*. Ad hos crucis inimicos, & ejus cultûs impugnatores adjungendi

Bogomili.

Bogomili portentum quoddam hominum ex Manichæorum & aliarum omnium hæresum colluvione concretum; illi namque, ut recenset idem Euthimius tit. 23. *divinam crucem contemptui habent tanquam Salvatoris interfectricem: quam honore potius afficere oportuit, ut quæ diabolum dejecerit*.

Ab his impietatis Magistris, (inquit Petavius) Christi cultum abjicere ac damnare didicerunt posteriores hæretici, velut *Petro-Bruziani* cujusdam *Petri de Bruis* discipuli, de quibus hæc refert Petrus Cluniacensis in epistolâ 5. *Ad inauditam*, (inquit eos interpellans) *divinitatis contumeliam, magnò de crucibus aggere instructò, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis, & ipsò passionis dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente invitatis publicè ad talem hæresim populis comedistis*. Hos nebulones & sacrilegos secuti sunt *Vvicleffistæ*, quorum insaniam adversus S. Crucem Thomas Vualdensis eruditè coarguit: qui suæ impietatis, & dementiæ successores habuerunt *Lutheranos* & *Calvinistas* qui acerrimum bellum sanctæ cruci Sanctorumque imaginibus, ac omnibus sacris indixerunt: contra quos omnes Ertones sit

Et Calvinistæ.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Vera crux est adoranda latriâ respectivâ.

IV. VEra Crux in qua salutis Author pependit, & *singula illius particula, adoranda sunt adoratione latriæ respectiva*. Hæc conclusio duabus partibus constat: quarum *prima*, nempe quòd crux sit adoranda, est de fide, ut colligitur ex 7. Synodo Occumenica Actione 7. ubi hæc conclusio tanquam de fide certa supponitur, siquidem ibi definitur *honorem & adorationem deferendam esse typo venerandæ & vivificantis crucis Christi*: nam si typo defertur honor & adoratio, ipsi veræ cruci multò meliùs tribuenda est; utrumque *enim signum est* Christi crucifixi.

Colligitur ex Scriptura sacra.

Probatur secundò ex Scriptura sacra, quæ varias causas indicat ac egregia motiva ob quæ Christi D. vera crux speciali cultu sit celebranda. *Primò* quidem: Christus suâ cruce velut armis diabolum expugnavit ut qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur. Quod utique egregiè explicat Apostolus ad Coloss. 2. ubi ait Christum in cruce *donasse nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans eos in semetipso*. Quibus duo maximè significat: *Primum*, quòd Christus in cruce propriò suô sanguine eluens omnia nostra peccata, quibus tanquam debitô nostrâ voluntate contractô ac veluti chirographô manu nostrâ consignatô eramus addicti cruciatibus æternis, nos ab ejusmodi debito liberos fecerit, & à dæmonis tyrannide liberaverit: *Secundum*, quòd crux fuerit Christo veluti currus triumphalis, in qua ita devicit hostem humani generis, ut omnibus palam ostenderit quàm imbelles sint dæmones, quamque facili negotiô à Christi sectatoribus exarmari possint & expugnari.

1. Quia crux fuit veluti currus triumphalis Christi, in quo de inimicis nostris triumphavit.

Utrumque hoc in cruce præstitum à Christo beneficium elegantissimè expendit S. Leo. Primùm quidem *serm. 10. de Passione*, ubi ait: Exaltatus Christus Jesus in ligno, retorsit mortem in mortis authorem, & omnes principatus adversasque virtutes per objectionem passibilis carnis elisit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæviendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, ubi nullum potuit vestigium inveniri peccati. Evacuatum est igitur generale venditionis nostræ, & lethale chirographum, & pactum captivitatis in jus transit Redemptoris. Clavi illi, qui manus Domini pedesque transfoderant, perpetuis diabolum fixere vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum, inimicorum fuit interfectio potestatum: sic suam Christô consummante victoriam, ut in ipso, & cum ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent.

Secundum verò explicat serm. 8. cap. 4. Cùm Dominus, *inquit*, portaret lignum crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis; erat quidem hoc apud impiorum oculorum grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus diaboli victor, & inimicorum virtutum potentissimus debellator, pulchrâ specie, triumphi sui portabat trophæum, & invictæ patientiæ humeris signum salutis, adorandum regnis omnibus inserebat.

Similia profert S. Ambrosius *lib. 10. in cap. 23. Lucæ*, ubi ait: Nos autem, quoniam trophæum jam vidimus, & quòd currum suum triumphator ascendit; consideremus quòd non arborum truncis, non quadrijugis plaustri manubias de mortali hoste quæsitas: sed patibulo triumphali captiva de sæculo spolia suspendit. Non hic Gentes brachiis post terga revinctis, nec excisarum urbium imagines, oppidorumque captorum simulachra cernimus, aut submissa captivorum Regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, ne victoriæ terminos regionis fine definitos: sed ovantes populos nationum, quæsitos non ad supplicium; sed ad præmium Reges liberis affectibus adorantes, voluntariis urbes studiis deditas, & in meliùs reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expresserit; sed devotio colorârit; fidei arma, victoriarumque jura totô orbe occurrentia, captivum principem mundi, & spiritalia nequitiæ quæ sunt in cœlestibus, obedientia imperio vocis humanæ; subditas dominationes, variarumque virtutum species non sacris, sed moribus emicantes: fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuviis devotio fortitudinis jam resurgit. Unus Dei triumphus fecit omnes propè jam homines triumphatores. Solet quoque præcedere pompa victores: at verò currum Domini triumphalem præit bona pompa resurgentium defunctorum. Solet demum titulus subjugatarum Gentium numerum designare. Scribitur autem & hic titulus. Sit in illis triumphus ordine quôdam digesta miserabili

devictarum præeuntium contumeliosa captivitas nationum: hic redemptarum Gentium veniat gratia. Digni tantô triumphô jugales, ut cœlum, terra, maria, inferna, corruptela mutentur in gratiam.

2. In ea velut in sacratio nos Patri reconciliavit.

Secundò, Christus in cruce æterno Patri nos infensos reconciliavit, ut idem explicat Apostolus ad Coloss. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt: & vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, &c.* Unde S. Leo serm. 13. cap. 3. Quid aliud egit crux Christi, quàm ut destructis inimicitiis, & reconcilietur mundus Deo, & per sacrificium immaculati Agni veram in pacem cuncta revocentur? &c.

3 In cruce velut in altari omnia consummavit.

Tertiò, crux fuit quasi sacrum altare in quo Christus D. consummans omnia veteris legis sacrificia seipsum in cruentum sacrificium offerebat, ut præclarè docet S. Paulus ad Hebr. cap. 8. 9. & 10. quod etiam apprimè declarat S. Leo *serm. 4. de Passione cap. 3.* Crux ergo Christi, *inquit*, sacramentum veri & prænuntiati habet altaris, ubi per hostiam salutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, & de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat; *Et serm. 8. cap. 5.* Pascha nostrum, ut ait Apostolus, immolatus est Christus, qui se novum & verum reconciliationis sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, nec intra septa civitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ; sed foris & extra castra crucifixus est: ut veterum victimarum cessante mysteriô, nova hostia novo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara, sed mundi.

4 Fuit scala mystica per quam ad gloriæ thronum gradum fecit.

Quartò, Crux Christo fuit veluti via & scala, per quam ad æternæ beatitudinis & gloriæ thronum gradum faceret, ut docet Apostolus ad Philip. 2. *Humiliavit*, inquit, *semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Unde Apocal. 5. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* Hinc ipsemet adorandus Salvator præclarè dicebat Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Quod equidem divinum oraculum sic mirum in modum elucidat S. Leo *serm. 8. de Passione cap. 7.* O admirabilis, *inquit*, potentia crucis! ô ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim, Domine, omnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cùm in execrationem Judaici sceleris unam protulerunt omnia elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cœli, & converso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scissô templi velô, sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt: ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Evangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, ut quod in uno Judææ templo obumbratis significationibus tegebatur, plenô apertôque sacramentô universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior est unctio Sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, & omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

5. Christi crux, proprio sanguine fuit uncta.

Quintò; Crux Christi idcircò maximè à nobis est veneranda, quòd tactu carnis & sanguinis Christi consecrata fuerit; quod utique perdoctè declarat S. Damascenus lib. 4. cap. 12. Hæc, *(supple crux,)* clypeus atque armatura & trophæum est adversus diabolum. Hæc sigillum, ut ne exterminator Angelus nos tangat, velut Scripturæ sacræ monumentis proditum est. Hæc jacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum. Et tum subnectit quòd huic rei servit, dicens: Hoc itaque ingentis sanè pretii lignum ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii causâ pro nobis obtulit, ut ex sancti corporis & sanguinis contactu sanctificatum optimò jure adorari debet, clavique item, & lancea, & indumenta, ac sacra ipsius tabernacula, hoc est præsepe, antrum, Golgotha, crux, vivificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaque id generis; quemadmodum ait ejus parens David: *Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi stetebunt pedes ejus.* Quòd autem his verbis crucem intelligat, argumentô est id quod sequitur: *Exurge Domine in requiem tuam.* Comes enim crucis est resurrectio. Nam si eorum, quorum amore flagramus & domus nobis chara est, & lectus, & vestis, quantò magis ea quæ Dei ac Salvatoris sunt, per quæ nobis salus parta est?

Hinc S. Hieronymus *epist. 17. ad Marcellam* ægrè fert Hierosolymam, maledictam terram nominari, quòd cruorem Domini hauserit: & è contra sustinet potiùs benedictam ex eo dici debere; quidnî magis de cruce? Et quomodo, *inquit*, benedicta loca putant, in quibus Petrus & Paulus, Christiani exercitûs duces, sanguinem fudêre pro Christo? Si servorum & hominum gloriosa confessio est; cur Domini & Dei non sit gloriosa confessio? Et Martyrum ubique sepulchra veneramur. Et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus; & monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, & Angelis ejus, qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu Tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse, quem timeant: Si post passionem Christi (ut scelerata vox concrepat) hic detestabilis locus est; quid sibi voluit Paulus Hierosolymam festinare, ut ibi faceret Pentecosten? qui retinentibus se locutus est, dicens: *Quid facitis flentes, & conturbantes cor meum? Ego enim non solùm ligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu.* Quid cæteri Sancti illustres viri, quorum

Nota.

vota

vota & oblationes post prædicationem Christi, ad fratres, qui erant Hierosolymis, deferebantur? *Et longè* post expostulat illum diem, quô possit lignum crucis osculari, his verbis: *Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare? in sepulchro Domini flere cum sorore? crucis deinde lambere lignum?*

Sanctus etiam Chrysostomus causam quærit & exprimit, quare omnibus tantum sit crucis studium. Unde, inquit, dices mihi, omnibus tantum est studium & cura, quod ita desiderata cunctis, & omnibus desiderabilior? Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum corpus sanctum Domini & crucifixum: quare non habet totus orbis ita contendit, ut qui parum quiddam ex illo habent, hoc aurô concludant, tam viri quàm mulieres, & cervicibus suis aptent, hinc valde honestati, & magnifici, & muniti ac protecti, licèt condemnationis fuerit lignum. Et respondet: Sed qui omnia operatur, & præparat, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cœlum facit, etiam rem hanc licèt contemptam, & omnibus mortibus turpiorem, cœlos elevavit. Hæc sanctus Chrysostomus.

V.
Id etiam patet ex constanti Ecclesiæ traditione.

Probatur tertiò, ex constanti perpetuaque Ecclesiæ traditione, quæ ex antiquiorum usu temporum, institutoque salutiferam crucem, cui suffixus est Salvator, Fidelibus in honore & veneratione habuit. Cujus evidentissimum argumentum est, miraculosa ejusdem crucis tot annis sub terra delitescentis ab Helena Constantini Imperatoris matre cœlesti monitu instructa quæsitæ & inventæ, ut non solùm testatur universalis Ecclesia Catholica, quæ illius Inventionis festum diem celebrat, sed etiam primarii ex Patribus & Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus. Nam *S. Ambrosius* in oratione funebri Theodosii Imperatoris rei gestæ seriem uberimè descripsit. *Paulinus* item Nolanus Episcopus in epist. 11. ad Severum Sulpicium: hic ipse *Severus* in libro secundo historiæ: *Ruffinus* lib. historiæ cap. 8. *Socrates* lib. 1. cap. 13. *Theodoretus* lib. 1. cap. 18. *Sozomenus* lib. 2. cap. 3. Hi omnes inventæ crucis ab Helena narrationem latiùs explicant. Quamvis autẽ in paucis, quæ rem circunstant, nonnihil à se mutuo discrepent; attamen in eo, quod caput est, conveniunt, sacrum crucis dominicæ lignum Helenæ curâ & industriâ; imò verò peculiari ductu Numinis & admonitu apud Hierosolymam inventum fuisse. Testes sunt ejusdem rei, sed citra Helenæ mentionem, antiquissimi duo; *Eusebius Cæsariensis*, & *Cyrillus Hierosolymitanus*. Ille in lib. 3. de vita Constantini cap. 29. singulare in hac inventione, ac divinum planè miraculum agnoscit, & his verbis prædicat: *Tanta est*, inquit, *Servatoris nostri gratia, nullus ut orationis cultus præsentis miraculi dignitatem essequi possit. Etenim monumentum illius sanctissimæ passionis, jampridem sub terra delitescens tantô annorum spatiô occultatum fuisse ad id usque tempus, quô communi omnium hoste sublatô, in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet, omnem reverà superat admirationem.*

Ut constat ex quæsita vera cruce ab Helena.

Cujus historia refertur & expenditur.

Extra controversiam igitur est crucem Domini Constantini tempore Hierosolymis quæsitam & inventam fuisse, quidquid hæreticorum more obganniat Salmasius epist. 1. de cruce, ubi hanc narrationem quasi fabulam ridet: at nisi crux Christi veneratione & honore digna esset, nec Helena ut quæreret eam divinâ inspiratione mota; nec peculiari Dei providentiâ ipsam adinvenisse diceretur, nec in ejus præclara inventione Deus miracula edidisset ut illa à latronum crucibus discerneretur. Quod enim Ambrosius suprà laudatus, & Chrysostomus homil. 84. in cap. 19. Joan. affirmant crucem Christi ex titulo fuisse cognitam, non est argumentum ad illam notitiam non fuisse opus miraculô; nam, ut narrat *Ruffinus lib. 12. Historiæ cap. 7.* aderat quidem & titulus, sed neque ipsius veritatis evidenter prodebat signa patibuli. Hic jam humanæ ambiguitatis incertum divinum flagitat testimonium; quod quidem hâc ratione videtur intelligendum, vel quia titulus etiamsi juxta crucem Domini repositus esset, fortè non erat affixus, vel quia licèt affixus esset, tamen dubium esse poterat an malitiosè à Judæis esset mutatus, ut inde deciperentur Christiani, si aliquando defossas cruces inquirerent & invenirent.

VI.
Idipsum egregiè commendant SS. Patres.

Eandem veritatem suis oraculis firmant SS. Patres, imprimis verò S. Ambrosius qui cùm plura elegantissimè dixisset in illa oratione funebri Theodosii Imperatoris describendo historiam repertæ crucis, & inventricis pietatem mirum in modum extulisset, posteà de adoratione crucis istius ita meminit: *Sapiens Helena, quæ crucem in capite Regum elevavit, ut crux Christi in Regibus adoretur*..... Et mox Judæos ita conqœrentes introducit: *Nos crucifiximus quem Reges adorant.* Nec obstat quòd ibidem dicat, *Helena Regem adoravit, non lignum*, nam tantùm significat Helenam non adorasse veram crucem *more Gentili*, qui, ut intelligitur ex eodem S. Ambrosio lib. 3. epistolarum epistolâ 32. *putabant lignum esse Deum*, & ita illud colebant: at Helena non ita, sed Christum in illa cruce appensum, *vel* crucem illam propter ejus contactum ad Christum, *vel* quatenus fuerat salutis nostræ instrumentum, adorabat.

Eandem veritatem mirificè commendat sanctus Chrysostomus plurimis in locis, maximè verò homil. 61. ubi inter cætera eximia & mirifica quæ in crucis commendationem profert, hæc de veræ crucis ligno commemorat: *Illud ipsum lignum*, inquit, *in quo sanctum corpus est extensum, & crucifixum, quantô omnium studiô expetitur? Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes viri pariter ac fœmina de collo suo suspendunt, idque ornamenti locô habent.*

Hieronymus.

Hieronymus in epitaphio Paulæ: *Prostrata*, inquit, *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Et epistolâ 17. quam ad Marcellam ut commigret Bethleem, scribit: *Ergone erit illa dies, quando nobis licebit speluncam Salvatoris intrare, in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum Matre, cum istis deinde lambere lignum.* Quô significat affectum animi cum ligno testificante summam aliquam excellentiam esse in illo ligno, & proinde adorationem deberi, quatenus denotat singularem aliquem fructum percipi ex tali actione exercita circa veram crucem sanguine Christi Domini perunctam. Idem etiam significat in epitaphio Paulæ cùm de eadem ait: *Ingressa sepulchrum resurrectionis osculabatur lapidem.* Et idem Apologiâ 2. contra Ruffinum ait: *Se adorasse præsepe Christi Domini*: cujus tamen adorandi ratio habet etiam locum in Christi cruce: Quapropter exponens illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, ait ista etiam de cruce Domini intelligenda

S. Augustinus.

Sanctus Augustinus lib. 22. de civit. cap. 8. refert partem sanctissimæ crucis ex calvariæ monte in Africam adductam multa patrasse miracula: hinc

in crucis laudes & encomia passim totus effunditur, maximè verò serm. de Laude Crucis & in Psal. 103. & serm. 130. de Tempore, ubi crucem mirum in modum extollit.

Paulinus.

Similiter S. Paulinus Nolanus Episcopus epistolâ 11. Severo Sulpitio Sanctorum reliquias postulanti mittere se respondet *etiam particulam de ligno divinæ crucis*, quod & sequenti epistola repetit, cujus occasione sacri illius ligni præstantiam commemorat; ubi etiam narrat historiam crucis ab Helena repertæ, subjicit narratque quantùm illud lignum sacrum in honore habitum fuerit Hierosolymis: *Quamvis*, inquit, *Episcopus urbis ejus quotannis cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse venerantium promit, atque alteram diem quâ crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, qua sacramentorum causa est quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur: nisi interdum religiosissimi postulent, qui hûc tantùm causâ illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio in præmium longinqua peregrinationis deferatur, quod solum Episcopi beneficiò obtineri fertis; cujus & tantùm munere de eadem cruce, hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei, & devotionis gratiam haberi datur: quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidiè hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat; & quasi intacta permaneat: quotidie dividuam sumentibus & semper totam venerantibus: sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.*

Vera crux per divisionem non minuebatur.

Idem miraculum sacri illius ligni quotidie sine ulla diminutione abradi soliti, commemorat Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10. *Lignum*, inquit, *sancta crucis testatur* (nempe Christum esse Deum) *quod hodiéque apud nos cernitur, & per eos qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum istinc orbem terrarum ferè complevit.* Ut hinc discant hæretici cur tot in locis olim servabatur hodiéque inter sacra habeantur tot venerandæ illius crucis particulæ, ut si colligerentur omnes jungerenturque simul, earum multitudo crucis dimensionem excederet.

Verè igitur Rusticus Diaconus in dialogo contra Acephalos, ait: *Clavos quibus confixus est* (Christus) *& lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ullâ contradictione adorat.* Cui similis est hæc Joannis Damasceni sententia: *At ipsum*, inquit, *pretiosum reipsâ crucis lignum & venerandum, in quo semetipsum in sacrificium pro nobis obtulit Christus, tanquam sancti corporis & sanguinis tactu sanctificatum; meritò est adorandum, nec-non clavi, lancea, vestes, & sacra illius habitacula, cujusmodi sunt præsepe, spelunca, Golgotha, crux, vivificum sepulchrum.*

Secunda pars ejusdem conclusionis, nempe quòd vera crux Christi adoranda sit cultu latriæ respectivæ, constabit ex dicendis, ubi probabimus Christi & Sanctorum imagines adorandas esse côdem cultu respectivô, quô sua prototypa; nam aut lignum veræ crucis, in qua Salvator pependit retinet formam crucis, aut non habet illam figuram. Si primum, certum est quòd quando apprehenditur ab adorante, tanquam imago Christi in illa patientis pro nobis, adoratione latriæ respectivæ adoranda est propter habitudinem, quam habet ad Christum. Si secundum, cùm ut sic apprehendatur ab adorante, tanquam habens specialem excellentiam fundatam in eo quòd Christum tetigerit, eique fuerit instrumentum

A nos redimendi, cúmque hæc excellentia Christum respiciat tanquam fontem à quo emanat, sicut Christum adoramus latriâ absolutâ, ita lignum illud salutiferum adoramus latriâ respectivâ.

Objiciunt hæretici primò; Quod non est ex fide, peccatum est, ut ait Apostolus ad Rom. 14. sed adoratio crucis fit sine fide; siquidem illius adorationis nullum exemplum, aut præceptum legimus in Scripturis: igitur, &c.

VII. Qualiter crux à tempore Apostolorum in veneratione fuerit.

Respondeo primò: Mentem Apostoli non esse, ut supponunt hæretici opus illud esse peccatum, quod non procedit ex ea fide, quâ sumus Christiani, & quæ nobis divinitùs revelata sunt credi-
B nius: sed ibi Apostolus fidem sumit pro fidentia seu *persuasione*, quâ quis putat aliquid sibi esse licitum: Unde sensus Apostoli est, illum peccare, qui agit contra dictamen conscientiæ; ut amplius dicemus agendo de fide & grâtia sanctificante.

Respondeo secundò, negando minorem; nam crucem esse adorandam est de fide determinata in VII. Synodo Generali, & perpetua traditione ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque propagata.

Instant: Si crucis adoratio ab Apostolis ad nos usque esset propagata, talem ipsi impendissent adorationem Apostoli, aut nascentis Ecclesiæ Fide-
C les: at nunquam legitur ab eis aut adorata aut in honore, imo potius in contemptu habita, quippe cùm ad annum 300. sub terra defossa jacuerit: igitur illa traditio non videtur ab ipsis Apostolis ad nos dimanasse.

Respondeo primò, argumentum hoc vitiosum esse & sophisticum, utpote à negatione, quod hæreticis familiarissimum, futile tamen & inane esse debet, ut communiter docent Dialectici.

Secundò, dico non omnia opera bona, quæ fecerunt Apostoli sacris litteris esse consignata.

Tertiò, supposititium & gratis confictum, quòd crux ipsis Apostolorum temporibus patenter hominibus proposita fuerit; imò longè probabilius illo ipso Christi de cruce depositionis die aut non
D ita diu post, cruces illas tum Christi, tum duorum latronum à Judæis in terrâ fuisse defossas.

Denique, Quantum honorem cruci impendendum judicaverint Apostoli, colligere licet, non solùm ex historia passionis S. Andreæ, qui summô affectu & ingenti animæ exultatione ac veneratione paratam sibi crucem salutavit: sed etiam ex eo quòd passim Apostolus de cruce honorificè sermonem faciat; item ex eo quòd primis illis sæculis quibus hæretici Ecclesiam floruisse in puritate Doctrinæ non denegant, vera crux apud Fideles fuerit in summo honore, ut constat maximè ex iis quæ referuntur de inquisitione & inventione sanctissimæ crucis ab Helena.

E *Vrgent.* Centuriatores *Centuria 4. cap.* 10. & cum eis impius Salmasius, aliique plurimi hæretici historiam illam de crucis inventione inanem esse fabulam. Idque probare nituntur hôc maximè argumentô, quòd Eusebius historiæ ac vitæ Constantini oculatissimus ac peritissimus scriptor, non meminerit istius inventionis, quod tamen celebre admodum fuisset ipsi Constantino ejusque matri; hoc autem ipsum aut ignotasse Eusebium, aut incuriâ seu oblivione prætermisisse verisimile non est.

Respondet Alanus Copus dialogô 4. *Primò*, hoc genus argumentationis à negatione nil concludere. *Secundò*, etiam Eusebium meminisse illius inventionis crucis; nam postquam 3. *lib. de vita Constantini cap.* 25. narravit quomodo impii VIII. Utrum Eusebius veræ crucis inventæ meminerit.

Gentiles & Judæi ut obliterarent memoriam sepulchri Christi illud sordibus aggeratis, extructóque sacrario Veneris, & illius statuâ locatâ, ubi crux fixa fuerat, profanum facere studuissent; cap. 26. narrat qualiter hæc omnia fuerint à Constantino sublata. *Et cap.* 27. apparuisse sacrum Christi Domini sepulchrum: & tandem *cap.* 29. refert Epistolam Constantini ad Macharium, quæ incipit in hæc verba: *Tanta Servatoris nostri erga nos benignitas declarata, ut nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit qua præsens miraculum possit explicare: Nam ut insigne illud sanctissima illius passionis monumentum, quod terra visceribus abditum tot tamque multis annorum conversionibus jam delituisset, tunc illucesceret servis Dei, cùm illi hoste devictô in libertatem essent vindicati; omnem profectò hominum admirationem longè superat.* Hæc Constantinus, ubi licèt solius *sepulchri* meminerit, tamen ibi absconditæ etiam cæteræ Passionis Christi reliquiæ facilè sunt intelligendæ. *His adde* quòd Eusebius in suo Chronico ad *annum Domini* 325. peculiarem inventionis Crucis Christi mentionem fecit, quam sine ullo prorsus fundamento & solâ hæreticâ, omnia pro libito negandi, aut affirmandi libertate, asserunt Centuriatores à posterioribus fuisse isti Chronico additam.

Objiciunt secundò: Si vera Christi Domini crux esset adoranda latriâ respectivâ, maximè *vel* propter contactum quem habuit ad Christum in ea suffixum, *vel* quia fuit instrumentum nostræ reparationis. Primum dici nequit, aliàs beatissima Virgo, quæ per novem menses gestavit Christum in utero, potiori jure deberet adorari latriâ; siquidem contactus illius ad Christum fuit naturalis & diuturnior; contactus verò Crucis violentus fuit, & brevi tempore duravit: hunc tamen cultum Virgini Deiparæ tribuendum negant Catholici Doctores. Non etiam secundum, alioqui lictorum & crucifigentium manus pari ratione essent adorandæ, quia fuderunt Christi sanguinem in pretium nostræ salutis.

Confirmant. Si contactus ad humanitatem Christi, sufficeret ut aliquid adoratione dignum existimaretur, consequens esset quòd aqua Jordanis quâ Christus fuit baptizatus, *item* terra quam pedibus calcavit, *asina* cui triumphali apparatu Jerusalem intrans insedit: *Similiter* Cathedræ, lectuli, mensæ, & alia id genus innumera quæ Christi Domini tactu nobilitata sunt, essent eâdem latriâ respectivâ adoranda: imò & ipsum impurissimum *os Judæ proditoris*, quô deosculatus est Christum, nec-non & *manus Malchi* quæ eum colaphis cædit, ac impiorum carnificum manus, qui tot diris tormentis ipsum in passione laniaverunt, eâdem ratione forent adoranda latriâ, quod Catholicorum nullus admittet: igitur nec tali cultu Christi Domini crux est adoranda.

IX. Crux veneranda est propter contactum ad Christum, & quia fuit instrumentum reparatæ nostræ salutis.

Respondeo ad argumentum, crucem esse adorandam latriâ respectivâ, ob utramque rationem in objectione positam. Ad id autem inconveniens quod deducitur ex parte Virginis, dico quòd si res ex æquo libretur, non abnuerem illam esse capacem adorationis latriæ respectivæ, ob diuturnum illius contactum ad Christum, & ministerium ei exhibitum pro nobis redimendis. Imò id ei majori titulô convenit, (inquit *Isambertus* disp. 5. ad quæst. 25. art. 2. ex *Clictoveo* in commentariis ad cap. 12. lib. 4. de fide orthodoxa S. Damasceni,) quàm veræ cruci, cùm nobiliori modô utrumque hoc præstiterit; siquidem illa modô

A vitali tam in genere naturæ, quàm in genere motis ad id concurrit; corpus enim Christi formatum est ex purissimo ejus sanguine & oportuit ut suum præberet consensum, quô Deus incarnationis mysterium in eâ perageret: lignum verò crucis tantùm concurrit ad nostram Redemptionem, ut quid mortuum, & per modum altaris in quo Christus seipsum tanquam victimam æterno patri obtulit. Cur autem beatissima virgo communiter non adoretur cultu latriæ, dicemus articulo tertio.

Ad confirmationis particulas respondeo sigillatim. *Primò* quidem, quod spectat ad aquam Jordanis, B quòd si hæc eadem numerô quæ Christum lavit & tetigit fuisset asservata, & ut talis certò esset cognita, reverâ posset ob ejusmodi contactum adorari, secus verò de cæteris aquæ Jordanis partibus, quæ cùm Christi humanitatem non tetigerint, tali adoratione non censentur dignæ.

Cur pullus Asinæ cui Christus insedit, non sit adorandus.

Quantùm ad *Asinæ pullum*, cui Christus insedit, respondeo quòd etsi adhuc subsisteret, non esset adorandus: Tum quia cùm non haberet proprium dominum, deputabatur communi hominum usui: Certum est autem quòd res illæ, quæ post contactum ad Christi Domini corpus communibus usibus perviæ sunt, exinde cessant esse sacræ, nec ex illo contactu mutuatam excellentiam conservant; C quippe secundùm moralem hominum æstimationem non habent amplius peculiarem ordinem ad Christum; quæ tamen singularis habitudo sola in eis esset fundamentum respectivæ ejus adorationis. Idem dicendum de iis omnibus, quæ Christus Dominus tetigit & postmodum communibus usibus mancipata reliquit.

Adde quòd caveri deberet illa Asinini pulli adoratio, quamvis nullis aliorum usibus post Christi contactum deservisset, propter suboriendum scandalum, & irrisionem indoctorum & ignorantium; non enim satis est ad hominis institutum, quòd bonum faciat, sed requiritur prætereà, ut istud bene & decenter exequatur.

D Juvat hîc attexere quæ Jonas Aurelianensis in præfatione libri secundi de cultu imaginum reponit adversus Claudium Taurinensem eandem objectionem effutientem; ubi cùm dixisset & retulisset varia encomia quibus Apostolus celebrat Christi D. crucem, subdit: Quibus verbis quàm sit absurda aselli tui, & vivificæ crucis nostræ comparatio, apertè comprobatur, & cunctis Christum veraciter colentibus manifestum habetur. Neque enim, ait idem Apostolus, quòd Christus asello tuo principatus, & potestates tenebrarum harum quæ sunt spiritalia nequitiæ in cœlestibus, sed cruce eas triumphans devicerit. Asellus itaque tuus, Claudi, rudit fame, E aut lupi terrore stimulatus, Crux Christi purpureô pretiosôque sanguine ejus rubet; in qua vitis vera pependit, ex cujus botro stirps crucis coruscæ rutilat, quadratumque orbem suis sacratis quatuor cornibus circumfovet, & fidelium frontibus defixa procul ab eis propellit dæmonum præstigias. Nam si Isaac non asinum ad jugulandum futurus ipse hostia, sed ligna portavit: nec utique verus Isaac noster asellum tuum, sed crucem bajulavit, futurus ille salutifera hostia Patris.

Nec os Judæ proditoris, &c.

Quantùm autem ad *os Judæ proditoris, manum Malchi, & carnificum*; respondeo quòd cùm illa membra fuerint hominum iniquissimorum, & cùm sævitia ac contumeliis Christum tractantium, potiùs contraxerunt maculam, quàm sanctitatem ex illo contactu Christi Domini corporis;

quippe contactus ille, utpote cootumeliosus, aut cruentus, grande peccatum erat. Unde tantùm abest ut propter contactum istum illa impiorum hominum membra dignitatem aliquam motuata fuerint, & existimata ot digna aliquâ veneratione, quinimò ut sacrilega & profana, erant execranda.

Objiciunt denique: Filius erga Patrem amore & veneratione flagrans, non existimaret honorandum patibulum in quo pater ejus contumeliosâ morte fuisset extinctus: sed Crux fuit patibulum in quo Christus nostræ salutis parens contumeliosè & cruentè obiit: igitur tantùm abest, ut censeatur à Fidelibus Christianis venerandum, imò potius apparere debet execrandum.

X.
Quomodo Christiani possunt sui divini parentis instrumentũ supplicii adorare.

Distinguo majorem: Filius oon colit, nec honorat patibulum in quo Pater, ob propriam culpam contumeliosè extinctus est, concedo: non deberet illud honorare, si Pater istud patibulum voluntariè elegisset & assumpsisset tanquam instrumentum congruum tum ad conciliandum sibi honorem & gloriam, tum ad Patriam à captivitatis jugo liberandam: tum denique ad filios ipsos perpetuâ felicitate & omni bonorum copiâ donandos, nego: hæc autem omnia per crucem evenêre; siquidem ipsemet Christus per crucem erat sublimandus, ut testabatur Joan. 12. ubi de sua morte sermonem faciens, aiebat: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.* Unde Lucæ 2. 4. duobus Discipulis in via ait: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam:* Similiter per crucem nos à dæmonum jugo liberavit, nosque æterno Patri reconciliavit, ut significat Apostolus ad Coloss. 1. *In ipsô complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive qua in terris, sive qua in cælis sunt.*

Hinc præclarè exclamat S. Augustinus *sermone de laude Crucis.* O Crux quæ Deo hominem conjunxisti, & à dominio diaboli captivantis magnificè segregasti! O Crux quæ humano generi passionem Salvatoris mundi, & redemptionem captivitatis humanæ, verâ comitante fide semper repræsentas incolumem! O Crux quæ quotidie laudes immaculati agni Fidelibus dividis Apostolis, & dira serpentis venena poculô salutari depellis, atque romphæam paradisi signatam credentibus sine intermissione restringis! O Crux quæ quotidie pacem terrenis cum cœlestibus operaris, & Mediatoris mortem qui de mortuis resurrexit & jam non moritur, æterno Patri Ecclesiam pro filiis satagente sedulo reparas, & legatione felicissimâ renovas, & reformas grande & profundum mysterium Crucis, & ineffabile atque inseparabile vinculum charitatis! Per crucem ad se traxit omnia Deus. Hoc est enim lignum vitæ, quô destructum est mortis imperium. Hæc S. Augustinus.

Conclusio Secunda.

II.
Rectè Crucis effigies ac religiosè colitur.

Crucis effigies vel picta, vel ex qualibet materia formata est digna aliquâ adoratione. Hæc est de fide determinata in VII. Synodo actione 7. Probatur *primo* ex constanti perpetuaque traditione & praxi, quibos apertè constat effigiem S. crucis sive pictam, sive ex qualibet materia fabricatam fuisse honoratam, ut testis est Tertullianus pluribi, maximè verò in Apologetico cap. 16. ubi ait: *Qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster cùm lignum aliquod propitiatur, &c.* Quibus significat Christianos suô tempore crucem venerari: unde Gentilibus id objicientibus Christianis quòd lignũ adorarent, id non denegat, sed ibidem ostendit quòd si absurdus videatur ille crucis cultus, paris absurditatis Gentiles esse arguendos, qui plura simulachra in crucis modum conformata adorarent. Idipsum firmatur testimoniô S. Martialis Apostolorum discipuli epist. ad Burdegalenses; cap. 8. ubi vult Fideles *Crucem Domini semper non solum in mente & in ore, sed & in signo habere.* Idem docet Justinus Martyr adversus Triphonem nec-non & apologiâ 2. pro Christianis.

Ut constat ex perpetua Ecclesiæ traditione,

Hinc illa conficta ab Gentilibus in Christianos calumnia, cruces omnes ab illis adorari. Apud Minucium Felicem Cœcilius Gentilis homo in Christianos invectus hoc illis exprobrat, quòd *hominem summo suppliciò pro facinore punitum, & crucis ligna feralia eorum caremonias suspicio fabulatur.* Cui sic Octavius Christianorum Patronus occurrit: *Cruces nec colimus, nec optamus.* Nempe promiscuas, & quæ ad principalis crucis repræsentandam figuram propriè oon spectant: igitur apud Gentes rumor iste percrebuerat cruces omnes etiam noxiorum à Christianis in more, cultuque haberi; quòd certè non objicerent, nisi Christianos aliquas cruces venerari conspexissent.

Quid fuerit *Labarum.*

Missa facio, quæ de crucis effigie exarata in vexillo cui nomen *labari* impositum est, refert Eusebius in vitâ Constantini lib. 1. cap. 32. *Quâ salutari signo,* inquit, *velut munimentô adversus hostiles infestasque vires omnes, perpetuò usus est Imperator: & ejusdem expressas figuras praire deinceps mandavit exercitibus suis.* Neque hoc contentus idem crucis signum militum clypeis insculpi voluit, ac tam in nummis quàm alibi exprimendam illius imaginem imperavit. Etenim, inquit Sozomenus lib. 1. cap. 8. *divina cruci multùm venerationis adhibebat, tam propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex ejus virtute sibi oblata, quàm propter divinam de eâ sibi oblatam visionem.* Sufficit enim ad istum cultum salutiferæ crucis imagini à Christianis deferri solitum comprobandum: sufficeret illa Juliani Apostatæ criminatio, qui in eo opere quod adversus Christianos edidit, graviter eos incessit, quòd ab avita religione Paganorum desciscentes Ancile, hoc est è cœlo lapsum Clypeum colere desiissent, ac pro eo crucis signum adorarent, ait, enim: *O miseros mortales qui crucis lignum adoratis, imaginem illius in fronte & ante domos pingentes!* Cui Cyrillus Hierosolymitanus lib. 6. contra ipsum hanc adorationem ut objectum crimen oon negat; sed fatetur crucis imaginem depingi ad genus humanum erudiendum & ad omnis virtutis recordationem.

Unde vetitum est ne reorum suppliciis adhiberetur.

Exinde profanis usibus interdicta fuit crux & à Constantino vetitum ne amplius in reorum supplicius assumeretur ut refert Eusebius. Unde S. Augustinus serm. 2. in Psal. 36. *Crux jam de pœnâ generis humani sublata est. Cùm enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, & finita est pœna, manet in gloriâ: A locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum.* Et in Psal. 44. *Attende gloriam Crucis Christi: jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultârunt. Effectus probat virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno.* Imò

imperatoriâ lege cautum est, à Theodosio in codice tit. 8. lib. 1. cap. 1. *Signum illud Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere: sed quodcunque reperitur tolli.* Quod ipsum sub excommunicationis pœnâ decrevit Trullana Synodus Can. 3. his verbis, *Cum crux vivifica salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus eum quem par est honorem habeamus: unde & mente & sermone & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras quæ à nonnullis in solo ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis tropheum injuriâ afficiatur. Hos igitur qui posthac crucis figuram construxerint excommunicari decernimus.*

Et ne in terra formetur.

Conclusio Tertia.

Signum crucis quod manûs consignatione formatur, semper fuit à Christianis usurpatum & in veneratione habitum.

XIII. Signum crucis semper à fidelibus frequentatum.

Probatur primò ex S. Dionysio Areopagita lib. de Ecclesiastica hierarcha, ubi signaculi usum in baptismo & consecratione chrismatis pluries nominatim recenset. Idem testimonio SS. Ignatii, & Martialis comprobatum habes apud Eusebium lib. 6. cap. 43. Hinc Tertullianus lib. de Coronâ militis cap. 3. demonstrans multa solâ traditione usurpari in Ecclesia, id maximè probat ex more consignationis signi crucis: *Ad omnem congressum,* inquit, *atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculô terimus.* Unde subdit: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturarum nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

Hinc catechumenis signaculum hoc ab ipsis rudimentis Christianismi præscribi solebat, ut testatur S. August. tract. 11. in Joan. *Si dixerimus,* inquit, *catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo: & signat se cruce, Christi crucê portat in fronte; & non erubescit de cruce Domini sui.* Idem ser. 181. de Tempore inter varias causas quas profert, quare Dominus potius elegit mori per supplicium crucis, quàm alterius supplicii genus; hanc subdit: Ut signum crucis in propugnaculum & consecrationem nobis traderet: Quare Dominus tale mortis genus elegerit, inquit? quare noluit præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladiô trucidari? Utique causa nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladiô percuti, quia videlicet nos semper lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit verò crucem quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici versutias munimur. Hôc enim signô crucis consecratur corpus Dominicum: sanctificatur fons Baptismatis: initiantur etiam præsbyteri & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hôc signô dominicæ crucis cum invocatione Christi nominis consecrantur. Ita S. Augustinus.

Nota.

Quantæ efficacitatis & virtutis sit sacrum hoc signaculum adversus dæmonum insultus & insidias, præclarè docet Origenes homil. 6. in Exod. *Quid timet dæmones,* inquit? *Quid? Tremunt sine dubio crucem Christi in qua triumphati sunt; in quo exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor*

Tanquam tutissimum præsidium adversus dæmones.

A *ergo & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint crucis fideliter fixum; & magnitudinem brachii illius quod Dominus expandit in cruce.* Eandem dæmonibus terrificam in signaculo isto vim inesse eximiè confirmat S. Athanasius lib. de Incarnat. Verbi Dei, & eô argumentô utitur ad Christi Divinitatem & potentiam maximè adversus dæmones comprobandâ; ad cujus rei experientiam provocat quemlibet è Gentilibus: *Viator,* inquit, *signô crucis, quam irridere solet Christô solô nominatô: ac videbit quemadmodum per ipsum dæmones quidem fugiunt, oracula verò cessant, porrò magica vis omnis & venefica irrita redditur.*

B Hinc ut ipse refert in vita S. Antonii, sanctus ille monachorum parens signi crucis præsidiô dæmonum omnes frangebat impetus, minasque superabat. Unde solebat dicere: *Signum crucis & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.* Eôdem armatus clypeô cum dæmonibus assiduè luctabatur Hilarion, de quo in ejus vita Hieronymus sic scribit: *Provolutus genibus, Christi crucem signavit in fronte: talique armatus casside & loricâ fidei circundatus, jacens fortiùs præliabatur.*

Præclarè igitur dixit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Isaiam, crucis signum esse quô fideles muniri solent: *Hac enim re semper utimur,* inquit, *cùm omnem diabolicam vexationem abolemus, ac dæmonum impetus depellimus: Murus enim firmus*
C *& impenetrabilis est: & de eâ gloriari reverà est salutare, mihi verò absit gloriari nisi in cruce Christi.*

Neque verò cogitandum est, ut falsò criminantur hujus temporis hæretici, nos putare aut asserere mirificam illam vim inesse signaculo crucis, aut ipsi cruci, qualibet ex materiâ fabricatæ, per sese, seu quatenus physicè considerantur: quis enim tam absurdè ineptèque deliret, ut hoc sibi persuadeat? Fatetur igitur Catholicus quisque crucis effigiem aut signû nullam ex natura sua virtutem præferre: sed esse instrumenta divinæ potentiæ quæ per se nihil possunt, nec agunt, perinde ut in sacramento baptismi aqua propriâ vi nullam gratiæ ac sanctitatis habet efficientiam, uti nec malleus in extruenda domo: sed eadem illa mirifi-
D ca opera per hæc signa patrat ille, qui ad hominum salutem ea instituit & usurpavit.

Petes, an sicut imagines veræ crucis, sic etiam imagines clavorum, lanceæ & aliorum instrumentorum passionis Christi Domini possint adorari? XIV.

Quare figura lanceæ & clavorum non sit veneranda sic ut figura crucis.

Respondeo primò, cum S. Thoma q. 25. 25. art. 3. ad 3. non eandem esse rationem de clavis & aliis instrumentis passionis Christi, ac de cruce, siquidem cruces referunt Christum eumque repræsentant velut in cruce expansum: clavi autem, lan-
E cea, & alia hujusmodi Dominicæ passionis instrumenta, cùm Christum ita pro nobis patientem non repræsentent, sed solùm ejus sacro-sanctum corpus tetigêre, propter contactum istum quandam excellentiam obtinent, & sic possunt adorari adoratione latriæ respectivæ; cùm verò cæteri clavi & lanceæ, nec Christum pro nobis patientem referant, nec ejus corpus tetigerint, idcircò nullâ videntur adoratione digna.

Respondeo secundò, clavos, lanceas, & id genus alia secundùm communem Ecclesiæ usum non assumi ad repræsentandos clavos, lanceas, & alia instrumenta passionis Christi; ac propterea cùm careant hâc repræsentatione & significatione, non potest religiosus cultus ei adhiberi; secus verò dicendum est, quando illa instrumenta simul

cum cruce pinguntur, cùm enim tunc apprehendantur prout babent specialem aliquam habitudinem ad Christum patientem, sic considerata adorari possunt adoratione latriæ respectivæ.

Sectio Secunda.

De cultu Sanctorum, eorumque Imaginum, & Reliquiarum.

I. *Iconoclastarum parentes fuerunt Manichæi.*

CUM diabolus hominum infensissimus bostis omne suum virus evomat, in eos maximè qui vacuatas ab eo sedes divinâ suffragante gratiâ, obtinere & implere nituntur, omnes quas potuit semper movit machinas & malitiæ tentavit artes, ut quorum felicitatem præpedire non valuerat, eorum gloriam & honorem infuscaret: hinc virulentô ipsius afflatu concitati nefarii bomines, debitum illis beatissimis hominibus cultum & obsequium, omni fermè ab Apostolis sæculô oppugnare tentârunt. Prodierunt namque imprimis *Marcionistæ, Manichæi, & Phantasiastæ*, qui ut asserit Tarasius Constantinopolitanus Archipræsul Actione 5. septimæ Synodi, omnes tum Christi tum Sanctorum imagines execrabantur.

Xenaïas.

Eôdem pestiferô venenô agitatus fuit *Xenaïas* quidam natione Persa, conditione servus, qui dominum fugiens cùm Antiochiam venisset, pro clerico se gerens, etsi nondum baptismô fuisset initiatus, vicinos illic pagos à recta fide instituit abducere: sed à Calandione Antiochiæ legitimo præsule pulsus, à Petro Cnaphæo ejusdem urbis Pseudo-Patriarcha Hierapolyranus Episcopus creatus est circa annum 485. Hic itaque ab universis suæ Diœcesis Ecclesiis sacras imagines amovere tentavit: at neminem in hoc impio negotio habuit sectatorem.

Serenus Massiliensis, at hic zelô minùs prudenti.

Contigit etiam post centum circiter annos, ut *Serenus* Massiliensis Episcopus zelô quidem ductus, sed minùs prudenti, sacras imagines ab Ecclesiis sibi commissis deturbari curaret, ne videlicet qui ex Gentilibus ad Ecclesiam fuerant recepti, eas ut idola & ementitas divinitates adorarent. Quocirca Gregorius ad eum scribens, laudavit quidem intentionem, sed intempestivum zelum reprimens, mandavit ut quantociùs imagines restitui curaret, populumque doceret, quem eis cultum deberet impendere.

II. *At eis viam jampridem occlusam rursus aperuit Leo Isauricus Imperator.*

At omnium, qui sacris imaginibus exitiale bellum indixerunt, perditissimus fuit Imperator *Leo* à patria *Isauricus* cognominatus, qui *Conon* anteà dictus, obscurô genere natus, vile mercimonium exercens, cùm duos Judæos Impostores & Magos casu asellum ducens obviam babuisset, audissetque ab eis se futurum Imperatorem, si spondere vellet se rem unicam eis concessurum, ubi primùm Imperium esset adeptus: stipulatione factâ, renuntiatôque vili opificiô, statim militiæ nomen & operam dedit; Et ita feliciter ac strenuè pugnavit, ut summos tandem præfecturæ militaris gradus adeptus, postmodum Imperator salutatus fuerit circa *annum* 715. quem cùm illi duo Judæi Præstigiatores convenissent, se velut à Deo deputatos Prophetas simulantes, hoc unicum rogaverunt, quòd si diu feliciterque Imperium tenere & regere peroptaret, omnes è Christianorum templis imagines tanquam idololatriæ offendicula semovere, ac exturbare curaret.

Duorum Judæorum ex Magorū vaticiniô delusus.

Hôc vaticiniô excitatus Leo & diuturni ac felicis Imperii spe illectus, nullum non movit lapidem quô execrabile sacris imaginibus bellum denuntiaret. Quod utique diu conceptum nefarium animi decretum, tandem in apertum deduxit, cùm decimô post adeptum Imperium annô publicum edictum proposuit quô ex Ecclesiis aliisque quibuscumque locis sacras imagines exturbari voluit. Dum verò pervetustæ religionis imaginem Salvatoris, quæ ad æneam urbis portam sita erat, ex editô locô vi ferroque deturbat; succensent qui aderant, totaque hôc nuntiô civitas percellitur; tunc armati populi concursu satellites discerpuntur, & apparitores ad hoc exequendum facinus missi. Ea de re infrendet ferox & truculentus Leo, totamque urbem rapinis, hominum raptationibus, & feralibus suppliciis infestat & cruentat. Aggreditur inter alios sapientissimum & venerandum Studitarum collegii præfectum, ejusque duodecim contubernales divinâ humanâque sapientiâ instructissimos, ad quos seu ad oraculum in præcipuis divinarum humanarúmque disciplinarum ambiguitatibus recurrere solebat: quos etiam ipsi Imperatores frequenter consulebant. Hos privatis colloquiis adhibitis, nunc blanditiis, nunc minis in suas partes attrahere conatus est Leo; sed eorum constantiâ repulsus, eosdem cum ædibus, in quibus convivebant, unà cum instructissimâ Bibliotheca flammis unâ nocte absumpsit. Novis præterea sceleribus priora accumulans, Sanctorum etiam cultum abolere, eorum loculos perfodere, sacraque fœdare lipsana instituit. Has excitatas à Leone tragœdias recensent Author *Historiæ miscellaneæ*, Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha in Breviario, Zonaras, & Cedrenus in Leone.

Quàm diu in probos omnes sævijt.

Ei generosè restiterunt S. Germanus Patriarcha Constant.

Dum truculenter furit Leo, (inquit Cabassutius in epitome Conciliorum) Regiæ urbis Patriarcha Germanus vir sanctissimus omni studiô nascentem impietatem coërcere nititur, atque Fideles, quos dira insectatio urgebat aut labefactabat, confirmare: hunc privatis colloquiis frustrà tentatum ex sede Patriarchali & urbe exegit, ejusque locô Anastasium Iconoclastam Leo subrogavit. Joannem quoque Damascenum piarum imaginum strenuum defensorem transmissis ad Saracenum Principem Damasci confictis proditionis litteris, accusat, quasi Damascenam civitatem, cujus custodiæ Joannes præfectus erat, sibi vendere attentasset: Unde ipsi dextera manus jussu Principis barbari amputatur: sed ei præcisam manum invocata Dei Genitrix insigni miraculô restituit. Sic efferatum grassantemque Leonem Gregorius Papa II. boni sollicitique Pastoris pro dominico grege munus obiens, à cœptis nefariis per litteras revocare conatur. Verùm crescente in dies illius rabie, anathemate perculit, simulque Italiam ejus dominationi subtraxit, atque illi tributa ulterius pendi prohibuit.

S. Damascenus,

Et Gregorius summus Pontifex.

Tum ille majori perculsus rabie, comparatâ ingenti classe, & Pontificis & Italiæ molitur exitium. Sed classem cum omni bellico apparatu ad Adriaticum littus exorta tempestas allisit, aliisque simul calamitatibus ejus Deus ferociam reprimit, & impietatem ulciscitur defectionè urbium & Provinciarum; maximè verò fame, penuriâ, pestilentiis & horrendis terrarum agitationibus, eò usque, ut plurimæ urbes, maximè verò Regia Constantinopolis, per integrum annum istis assiduis concussionibus agitata penè tota corruerit, mœniaque illius magna ex parte solo sint æquata. Et ipse Leo tandem post exactos in

Infelici morte vitam impiā exuit.

imperio annos 24. & menses tres diris excruciatus torminibus animam miseram exhalavit.

III. Constantinus Copronimus ejus impietatis & imperii hæres.

Impio patenti successit impiissima proles Constantinus, cui *Copronymi*, id est, *Stercorei* cognomen inditum fuit, ab excrementorum profluvio, quô cùm infans baptisaretur, sacrum lavacrum inquinaverat: Unde Germanus Patriarcha, qui illum baptismô excipiebat, vaticinatus est ejus impietate sanctam Dei Ecclesiam aliquando fœdatum iri, prædictionem eventûs demum comprobavit. Is enim paternam non solùm æmulatus est impietatem, sed etiam longè supergressus, quippe qui se totum magicis flagitiis & dæmonum execrandis evocationibus quibus ventura posset cognoscere, & suis adversariis mortem, dolores & alia quævis infausta procurare, & insuper longè crudeliùs quàm pater Dei genitricis, aliorum Sanctorum cultoribus & sacris imaginibus bellum denuntiavit. Crudelissimè verò sæviit in omnes prorsus Religiosos & sanctissimos quosque viros, in desertis, montibus & cavernis latentes, quos Sanctorum cultores & sacrarum imaginum defensores audiebat.

Acerbiùs in cultores imaginum sævit.

Cùm autem ipse ubique provinciarum præsens non posset adesse, ut conceptum in Catholicos odium faciliùs expleret, omnibus sibi subditarum provinciarum rectoribus mandavit, ut dirissimè in imaginum cultores animadverterent. Cujus impio mandato præ cæteris obsequentissimi fuerunt *Manes* prorex Galatiæ, *Michaël* Melissæ, & *Lacanodrogon* Themis Thracesensium, qui omni sævitie in omnes Catholicos debacchati sunt; maximè verò eorum postremus. Is namque omnes sibi subditæ provinciæ Religiosos, sive Solitarios, sive in claustris degentes, unà cum religiosis Virginibus in aperta & patenti planitie juxta muros Ephesi congregari mandavit, & eis omnibus ingenti numerô collectis significavit, aut exuendam religiosam vestem, ejurandamque professionem & matrimonium invicem ineundum: aut avulsis illicò oculis in exilium esse detrudendos. Cui nefario mandato pauci obsequentes ingens illa sanctissimorum Virorum ac venerandarum Virginum turba perditis oculis varias in insulas relegata est. Post hæc omnium eorum monasteriorum divendita sunt supellectilia ornamenta ac sacra vasa, ex quibus ingens auri argentique copia compacta, transmissa est ad Constantinum, qui gratulatorias ad Lacanodragon epistolas scripsit, quòd ita feliciter fideliterque sui Principis mandato paruisset.

In eum ob impietatem subditi rebellant.

Interea tot impietatibus & conjunctis unà crudelitatibus populi commoti, Constantino rebellant, affinemque illius *Artabasdum Curopalaten* virum Catholicum qui adversus illum arma sumpserat, illiusque exercitum profligaverat, designant Imperatorem, sacrasque imagines pristinis in locis reponunt: Sed comparatô ingenti exercitu, Artabasdo bellum denuntiat Copronymus, illumque semel & iterum victum tandem Constantinopoli inclusum obsidet, eumque cum civitate captum oculos perdere jubet, & omnes illius liberos interfici: in reliquos etiam sibi adversos crudelissimè desæviit, maximè in orthodoxos, quorum plurimos variis suppliciis excarnificatos, interimit, reliquos omnibus fortunis spoliatos in exilium trudit. Quin etiam in Pseudo-patriarcham Anastasium, qui Artabasdo manus dederat, & sacras imagines animo placendi regnanti principi, restitui curaverat, suæ vesaniæ specimen exhibuit; hunc enim asello præposterè impositum, & à publico lictore per urbis compita flagellis cæsum, tandem tot cumulatum opprobriis in thronum Patriarchalem idcircò restituit, quòd in universo imperio hominem ipsô nequiorem & principi assentatorem magis ac devotum non agnoverat.

Cogit Pseudo Synodũ Constantin.

Cùm autem Romani Pontifices diversis in occidente collectis Conciliis, Copronymi & omnium sibi Iconoclastarum adhærentium impietatem, & nefariam hæresim damnassent, ut aliquid religionis prætenderet Copronymus, Pseudo-synodum 330. Antistitum Constantinopoli coëgit anno 753. quâ in sacras imagines conclamatur. Quoniam autem audierat non solùm à Romano Pontifice, sed etiam à tribus Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, & Hierosolymitano damnatam esse suam suorúmque de sacris imaginibus hæreticam sententiam, ut saltem aliquis è Patriarchis ipsi suffragaretur, & eô præside Synodus aliquid authoritatis præ se ferre videretur, Anastasiô jam miserè vitâ functo suffecit perditissimum nebulonem nomine Constantinum, eumque Patriarcham denunciavit ac consecrari voluit, qui peractâ Pseudo-synodô cui præfuerat, ut suam (ait Cabassutius) Imperatori fidem consignaret, ipsius satellitiô stipatus per forum, per Ecclesias, per omnis sexûs Monasteria, per privatorum ædes concursans, imagines quot supererant diripit, abradit, dejicit, & eos qui habebant verberibus & carceribus mancipat: Sanctorum reliquias cum venerandis imaginibus, & Catholicorum libris excitatis rogis incendit. Ipse verò

Dira in Religiosos sævities.

Copronymus aliquot Senatores, & clarissimos viros, eo quòd prohibitas imagines coluissent vel occultassent, durissimis nervis in medio foro verberare ad necem jussit: Monachos etiam & Sanctimoniales raptari, & post immania supplicia & ludibria trucidari. Qui verò superfuerunt Monachi, compulsi sunt palliô & cucullô depositô iniri incesta connubia, sordidisque artibus victum quærere: Inter milites quoque Monasteria distributa sunt, ut omnis instituti Monastici memoria prorsus aboleretur, Monasteriorum autem prædia & facultates fiscô sunt addictæ.

Justô Dei judiciô miserè obit.

Constantinum Pseudo-patriarcham tot scelerum facem, ac incentorem divina ultio prosecuta est. Cùm enim detestandus Copronymus arcanum illi suum de abroganda Christi divinitate aperuisset, nec ille rem silentio texisset, jussus est per urbis vicos flagellari & in sordidissimo loco jugulari. Par etiam ultio in Copronymum incubuit, cui pedes ardentibus anthracibus intumuerant, tantôque æstu totum ejus corpus exarsit, ut vociferaretur infelix se inextinguibili traditum igni, ob violatum Deiparæ nomen & cultum: & cùm eandem jussisset honorificè coli, sera tamen ejus minimè recepta est pœnitentia, sed acerbissimô & horrendô interitu ad quæ migraret supplicia demonstravit.

Eum filius Leo impietate superavit.

Successorem Copronymus habuit *Leonem* filium, qui Catholicum se principiô simulavit, ubi verò suum stabili fundamentô firmatum credidit Imperium, in apertam hæresis professionem erupit, quam & sacrilegiô cumulavit. Cùm enim gemmarum cupiditate carbunculis radiantem coronam, quam in majori Basilicâ Mauricius olim dedicârat, detractam inde suo capiti imposuisset, eruperunt ex illius capite venenati carbunculi, ex quibus ardens exorta febris hominem brevi extinxit, ut Theophanes, & Miscellæ Historiæ scriptor Diaconus, referunt.

IV.

At ejus filius Constantinus cum Irene matre Catholicam fidem ac imaginum venerationem sectantur.

Hic hæredem reliquit Constantinum ex Irene susceptum filium. Irene gubernacula suscepit Imperii sub Constantino decemni puero. Tum demũ immanibus diuturnisque procellis discussis, pax & nova lux Orientis Ecclesiis refulsit. Catholicæ namque religionis amantissima Irene, nihil antiquius habuit, quàm ut illam jacentem excitaret, Regiamque civitatem multiplici anathemate involutam, & à reliqua Ecclesia divulsam reduceret. Cumque Paulus abdicatô Patriarchatu se in Monasterium conclusisset ad spontaneam pœnitentiam, respondit Imperatoribus causam rei sciscitantibus, quia Copronymi Conciliabulo, quô procusum fuit adversus venerandas imagines decretum, suam adjecerit subscriptionem, & nî pœnitentiâ scelus elueret, æterno foret supplicio damnandus. Quâ permoti responsione Imperatores de optimo Patriarchâ eligendo solliciti Tarasium promovendum curârunt. Ille verò gravissimum onus detrectabat, nec priùs urgentibus Augustis cessit, quàm fore pollicerentur, ut legitimam Synodum ex Romani Pontificis consensu indicendam & habendam curarent.

Scripsit ergo litteras ad Adrianum Papam Tarasius, quibus de sacrarum imaginum cultu piè doctéque disserit. Scripsêre pariter ad eundem Constantinus & Irene, rogantes ut Synodum indiceret, suosque de more legatos ad eam mitteret. Lætior Pontifici nullus afferri poterat nuntius. Itaque Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ sancti Petri & alterum Petrum Abbatem S. Sabæ committit, qui suô nomine Synodo præsint. Cæterùm adeo Constantinopoli hæresis invalescebat, ut ibi tumultus incredibiles excitârint Iconomachi, quos ne ipsi potuerunt Imperatores compescere.

Quorum ope cogitur Nicæna II. Synodus.

Igitur Nicæa prælecta fuit in qua Synodus haberetur, quæ civitas Metropolis Bithyniæ est, primâ Synodo Oecumenicâ dudum insignis. Interfuere cum Tarasio Religiosissimo Constantinopolis Episcopo duo Monachi Joannes & Thomas sedium Orientis Patriarchalium locum tenentes, & cum his 350. Episcopi, multique cum delectis Monachis Archimandritæ, qui Patrum consessum sanctitatis, doctrinæque splendore decorabant, missique ab Imperatoribus aliquot Senatores. Concilio præsederunt Apostolici Legati. Gesta hæc sunt an. 787.

Coactâ jam Synodô multitudo Episcoporum supplices libellos obtulerunt, ad veniam deprecandam, eo quòd Copronymi Synodum approbassent: imprimis Gregorius Neocæsariensis, qui fuerat in Pseudo-Synodo quasi præses & antesignanus. Utramque in partem agitata sententia est, sed mitior demum prævaluit, quâ cunctis condonatum est & permissum, ut suum quisque gradum & dignitatem retineret. Lecta primùm fuit Adriani epistola, cui honorificè ab omnibus acclamatum est. Placuit deinde ut ex sanctorum Ecclesiæ Doctorum libris depromptæ palam legerentur gravissimæ sententiæ & exempla, quibus Religiosa imaginum veneratio asseritur, tanquam à sanctissimis Patribus tradita, jam inde ab exordiis Ecclesiæ continuaque Christianorum sæculorum usu recepta, plurimisque confirmata miraculis.

In qua decernitur honor sacris imaginibus exhibendus.

Quapropter Patrum suffragiis sancitum est, ut in Ecclesiis aliisque honestis locis, Christi Domini, Sanctorumque imagines collocentur ad piam memoriam & virtutum imitationem excitandam: tum etiam ut ipsi in suis imaginibus debitâ sibi veneratione colantur, quandoquidem his delatus honor ad prototypum & exemplar refertur quod illæ repræsentant. Decretum quoque, ut Fideles debitâ veneratione Sanctorum reliquias prosequantur, & his contradicentes hæretici declarantur & anathemate feriantur.

His sanctissimè constitutis placuit in medium proferri Salvatoris imaginem, & ab omnibus suppliciter procumbentibus adorari. Perlecta etiam ne quid deesset, examinataque sedulò fuit Copronymi Synodus, ejusque vanæ rationes verissimis aliis eversæ, & quantùm opus erat exposita divinarum litterarum testimonia, quibus idola Gentium redarguuntur nihil cum sanctis imaginibus habere commune. Proinde damnata illa Pseudo-Synodus omnium consensu fuit, & dictum anathema in Anastasium, Constantinum, &c.

Eam approbavit Adrianus summus Pontifex.

Hanc autem Synodum probavit Adrianus summus Pontifex, & illam inter Oecumenicas ordine septimam admittendam decrevit. Cui tamen intercesserunt plurimi occidentalis Ecclesiæ Præsules, quasi minùs Catholicè in eâ decretum fuisset eôdem cultu adorandas esse sacras imagines, quô divina Trinitas.

V.

Hinc exorta Patrum Synodi Francoford. querimonia.

Hinc illâ existimatione decepti Præsules, qui *Francofurti* regnante Carolô Magnô in Synodum convenerant adversus hæresim Felicis & Elipandi, qui Christum non naturalem, sed adoptivum Dei filium prædicabant; hunc secundum Canonem ediderunt: *Allata est*, inquiunt, *in medium quæstio de nova Græcorum Synodo quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderet, anathema judicaretur: qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodo adorationem & servitutem renuentes, contempserunt, atque consentientes condemnaverunt, &c.* Verùm multiplex in illa sententia circa factum error involvitur. *Primò* Constantinopolis pro Nycæa. *Secundò*, Constantinopolin esse Bithyniæ urbem cùm sit Thraciæ. *Tertiò*, fuisse Græcorum Synodum illam sine Romani Papæ consensu habitam; cùm tamen constet fuisse ab ipso Adriano Papa indictam & approbatam, ejusque legatos in ea præsedisse. *Quartò*, eandem Synodum constituisse ut imagines eôdem cum Deo cultu colerentur, cùm tamen ejus *actione* 1. Basilius Anciræ Episcopus quondam Iconomachus, non aliter à Nycæna Synodo admissus fuerit, nisi profitendo palàm sacras imagines esse venerandas & adorandas modò ne latriæ cultu, qui soli Deo debetur. Et *Act.* 3. Constantius Constantiæ Cypri Episcopus: actionibus 4. & 7. aliique similiter Ecclesiæ reconciliati fuerint, & unitati Fidelium redintegrati cum eadem fidei protestatione, modò ne latriæ cultu soli Deo competenti sacræ imagines adorentur.

Cujus Decretum expenditur.

Verùm de hac Concilii decisione, sicut & de sententia Ecclesiæ Gallicæ nobis amplior & commodior erit sermo in sequentibus tribus quæstionibus: quarum *Prima* aperiet utrum & quô cultu sanctorum imagines sint colendæ: *Secunda*, quali honore sint excipiendæ eorum reliquiæ: *Tertia*, quâ pietate & devotione Sancti sint invocandi & venerandi.

Quæstio Prima.

An & quis cultus sacris imaginibus sit debitus.

I. Discrimen inter imaginem, Idolum & simulachrū.

Notandum primò, quòd etsi tria hæc vocabula, *imago, idolum & simulachrum,* primâ suâ institutione & communi Grammaticorum usu idem significare videantur; tamen apud Christianos pridem factum est ut distinctam significationem obtinerent. *Imago* namque latiùs patet simulachrô, *simulachrum* verò idolô; omne siquidem idolum simulachrum est, & omne simulachrum imago; non autem vice versâ, omnis imago simulachrum, nec omne simulachrum idolum, saltem secundùm Latinam significationem; quanquam, ut observat S. Augustinus in Psal. 135. *Simulachra Græcè appellentur idola*, & passim ubi septuaginta Interpretes habent *idolum* εἴδωλον, Latina editio vertit simulachrum. Unde *imago* tantùm sonat similitudinem rei veræ expressam seu factam ad repræsentandum: *Simulachrum* verò vel est similitudo & conformitas imaginis cum re quam exprimit, si verum sit illud simulachrum, vel est tantùm repræsentatio rei fictæ; nam ut observat sanctus Isidorus lib. 8. Ethimologiarum *Simulachra dicuntur vel pro eo quod sunt similia: vel pro eo quod simulata atque conficta, unde & falsa sunt*: quocirca simulachrum a *simulando* dicitur; ut habet commentarium ad caput primum ad Thess. S. Hieronymo falsò adscriptum: unde simulacbra propriè significant imagines falsas, hoc est, quæ vel nullam rem repræsentant, vel non nisi ementitâ effigie illam adumbraot, juxta illud Habacuc c. 3. *Sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam; speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulachra muta.*

Idolum vero est *simulachrum quod humanâ effigie factum & consecratum est*, inquit ibidem Isidorus, quapropter omne idolum est effigies ordinata ad repræsentandam aliquam divinitatem quasi præsentem & simulachro inexistentem, cui propterea religiosus cultus impendatur. Hinc Apostolus 1. ad Corinth. 8. egregiè ait: *Scimus quia nihil est idolum in mundo:* Quod tripliciter exponi potest, ait ibidem in commentario S. Thomas: *Primò modò* sic: Idolum nihil est, id est, inter creaturas mundi, quantùm ad formam idoli: licet enim materia idoli sit aliquid, scilicet aurum vel argentum, vel hujusmodi; tamen nil est forma, scilicet quæ creditur ibi esse ab idololatris, qui credunt idolum esse Deum. *Secundò modò* sic; Idolum, nihil aliud est, scilicet persona subsistens ex simulachro & spiritu præsidente: ex illis enim duobus nihil fit, sicut ab idololatris putatur. *Tertiò modò* sic, Idolum nihil est in mundo, id est, nullius rei quæ sit in mundo, habet similitudinem: Est enim differentia inter idolum & simulachrum, quia simulachrum dicitur quod fit ad similitudinem rei alicujus naturalis, idolum ad nullius rei fit similitudinem, ut si corpori humano addatur caput equinum: Esai. 40. *Cui similem fecistis Deum?* Certum est igitur *quod apud Ecclesiasticos Scriptores* (inquit etiam ipse Henricus Stephanus in thesauro linguæ Græcæ εἴδωλα *Latinè etiam idola peculiari significatione vocantur simulachra numen aliquod repræsentantia, quod honore, & cultu dignamur.*

II. Imaginis nomen est genericum, conveniens veræ & falsæ imagini.

Constat itaque imaginis nomen esse genericum, nempe ad veram, & falsam aut fictam repræsen-

A tationem, ut etiam colligitur ex Scripturâ sacrâ, quæ nomen imaginis interdum usurpat ad significandas falsas & ementitas effigies, ut Deuter. 4. Ezechiel 7. Habacuc 2. Interdum vero ad veras & reales exprimendas; sic homo dicitur creatus *ad imaginem Dei*, Genesis 1. Item Christus *imago Patris*, 2. ad Corinth. 4. Si autem hoc nomen non esset genericum ad veram & falsam imaginem, sed esset planè synonimum, tam rectè possemus asserere Christum esse idolum Patris, & hominem fuisse creatum ad Dei idolum, ac religiosè dicimus Christum esse imaginem Dei: Et malè etiam apud hæreticos audiret, qui assereret Christum esse idolum Patris, & nos esse factos ad idolum Dei, quia sic significaretur falsa quædam & rei inanis repræsentatio: igitur imago ita distinguitur ab idolo, ut idolum supra imaginem addat inanitatem & falsitatem: quocirca non distinguitur idolum ab imagine, penes solum cultum religiosum ei exhibitum, ut volunt hæretici, quia priùs intelligitur aliquid esse idolum, quatenus est repræsentativum rei inanis & falsæ, quàm cultus aliquis existimetur ei deferri.

III. Gentiles existimabant in Idolis esse Numen aliquod.

Notandum secundò, Gentiles reverà existimasse simulachra & idola quæ colebant, non solùm esse deorum suorum repræsentationes, sed etiam pro C diis haberi; ut colligitur ex Psalmô 95. *Omnes dij Gentium dæmonia*, 4. Reg. cap. 19. *Miserunt Deos eorum in ignem, non enim erant dij, sed opera manuum hominum ex ligno & lapide.* Isaï. 44. *Deum fecit & sculptile sibi: curvatur ante illud & adorat illud & obsecrat dicens, Libera me, quia Deus meus es tu.* Et Sapientiæ 15. *Omnia idola nationum Deos æstimaverunt.* Et Act. 19. Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ coram Ephesiorum populo de Paulo conqueritur, *Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens, Quoniam non sunt dij qui manibus fiunt.* Quibus apertè constat revera Gentiles existimasse Divinitatem aliquam inesse suis idolis.

Quod utique confirmatur ex SS. Patribus, nam Irenæus lib. 3. cap. 6. *A Moyse dictum est, Non* D *facies tibi omnem similitudinem in Deum, quacunque in cœlo sursum & quæcunque in terra deorsum.* Similiter Tertullianus in Apologetico adversus Gentes loquens de diis Gentium & de persecutione quâ sæviebant Gentiles in Christianos; *Ignibus urimur*, inquit, *hoc & illi*: (dii vestri) *à prima quidem massa in metalla damnantur; inde censentur dii vestri, &c. Si per hæc constat divinitas aliqua, ergo qui puniuntur, consecrantur: & numina erunt dicenda supplicia.* Paulò post. *Si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eâdem hasta, sub eadem annotatione quæstoris, divinitas addicta con-* E *ducitur.* Similiter Minutius Felix in Octavio, *Ecce funditur, fabricatur, scalpitur, nondum Deus est: Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est: Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremò Deus est.* Denique Arnobius adversus Gent. lib. 1. *Eos ipsos divos quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus, cùm eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materiâ.* Et idem lib. 6. præveniens objectionem Gentilium: *Sed erras* (inquit) *& laberis: nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa confiunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus Numina: sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulachris. Non improba, neque asperna-*

bilis ratio, quâ possit quivis tardius, nec-non & prudentissimus credere, Deos relictis sedibus propriis (id est cœlo) non recusare, nec fugere habitacula imre terrena; quin imò jure dedicationis impulsos simulachrorum coalescere inductioni. In gypso ergo mansitant, atque in testulis dii vestri? quinimò testularum & gypsi, mentes, spiritus, atque anima dii sunt? atque ut fieri augustiores vilissima res possint, concludi se patiuntur, & in sedis obscura coertitione latitare.

IV. Unde exorta fuerit hæc inanis & falsa existimatio.

Hanc autem falsam existimationem habuere Gentiles, quòd reverà dæmones plerumque in simulachris & idolis existerent, in eisque vaticinia & oracula personarent, ut testantur Tertullianus de Idol. *Dæmoniis corpora conferunt.* Cyprianus de Idol. van. *Hi spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt.* S. Hieronymus in Habacuc cap. 2. *Omnibus simulachris assident immundi spiritus.* S. Augustinus in Psalm. 135. *Ut dæmonia potiùs quæ sunt in simulachris significarentur.* Arnobius Junior in Psalm. 95. *Probatum est quod omnes dii Gentium, qui in templis positi essent, habitarent in eis dæmonia.*

V. Petiti tamen & Philosophi cã inanem existimationẽ non habuerunt.

Non me latet politissimos quosque ac doctissimos ex Gentilibus non adeo fatuos hebetesque fuisse, ut inania simulachra Deos putarent, quod significavit Julianus Apostata in 1. part. operum his verbis: *Simulachra & aras, nec-non æterni custodiam ignis, &, ut uno verbo dicam, cætera id genus omnia Deorum præsentia signa majores nostri constituerunt; non ut ista Deos esse credamus, sed ut ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos in corpore degentes consentaneum corpori cultum adhibere diis oportebat, iidem porrò corporis sunt experees: Primùm nobis illi simulachra monstrârunt; quod est secundum à primo genus Deorum, quod circum cœlum universum in orbem volvitur. Sed cùm ne istis quidem corporeus cultus attribui possit: nam suâpte naturâ rei nullius indigent. Tertium in terris inventum est genus simulachrorum: in quod cultum nostrum impendentes, Deos nobis propitios reddemus.* Mox ita disputare pergit, illa ipsa simulachra, Deos non esse; sed effigies Deorum, sicut imagines Regum non sunt Reges, sed horum effigies. Porrò qui Reges amant ac venerantur, eorundem imagines in amore habere atque cultu. Ita Deorum amatores atque cultores pari in illorum simulachra ferri affectu. Hæc Julianus.

Verùm, inquit Petavius, non est dubium, quin etsi prudentiores, & eruditi inter Gentiles facilè istud animadverterint, ligneas aut æreas; aut pretiosiore metallô fabricatas effigies, Deos non esse: complures tamen, & quidem majore numerô, pro diis illas habuerint, & adoraverint. De quo nemo Christianus controversiam facere potest: neque quisquis divinis utriusque Testamenti litteris fidem potiùs adhibendam esse censeat, quàm execrando Apostatæ, ex mendacio & impudentia pessimæ causæ præsidium advocanti. Certè idipsum, quod ad institutum nostrum satis est, persuasum erat hæreticis Iconoclastis: qui Catholicam Ecclesiam sacrarum imaginum cultricem eâdem onerabant infamiâ; quam penes Ethnicos simulachrorum, hoc est, idolorum veneratores, residêre cognoverant.

VI. Triplex de de imaginibus venerandis sententia.

Notandum tertiò, triplicem de imaginibus fuisse generatim sententiam: *Prima* quidem erat hæreticorum, non solùm imaginum cultum impugnantium, sed eas etiam in Basilicis, locisque aliis tanquam idola deturbantium, qui idcirco *Iconoclastæ* dicti sunt, vel *Iconomachi* quòd imagines penitus execrati, eas demoliri ac diffringere fuerint ausi. Quorum rursus secta bifariam dividitur, nam *Alii* solas ad humanam formam expressas effigies improbabant; crucem verò eiusque figuram retinebant & honore utramque prosequebantur: quocirca Paulus Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus ut Copronymo adularetur, dum publicam ad populum concionem haberet: *Salutiferis lignis in altum sublatis juravit se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent:* ut refert Nicephorus in Breviario ad an. 766. Hinc Michaël Balbus Imperator Iconoclasta in epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem, queritur imagines in tali honore habitas sicut honorificum & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. *Alii* verò, ut Claudius Taurinensis, omnes etiam cruces ab Ecclesiis removebat, cujus impietatem hisce postremis sæculis æmulati sunt, imò supergressi nefarii Calvinistæ, & ejusdem farinæ plures alii Nebulones, qui generale bellum sacris imaginibus & crucibus denuntiavêre.

1. Quidem Iconoclastarum.

Secunda opinio fuit eorum qui imagines quidem habendas esse putabant, nec penitus abolendas aut ab Ecclesiis & templis removendas, sed ita ut nullus illis honos, nullaque veneratio impendatur: at duntaxat servarentur & exponerentur ad spectaculum, hoc est, ad conservandam divinorum beneficiorum memoriam aut Sanctorum eximiam virtutem ac præclara facinora refricanda & repræsentanda. Quam sententiam complures olim complexi sunt, minimè tum hæretici judicati. Tales videntur Gallicani præsules, qui in Francofordiensi Synodo Concilium Nicænum secundum damnârunt: talis fuit præ cæteris Jonas Aurelianensis, ut constat ex tribus illius libris adversus Claudium Taurinensem editis; talis etiam extitit ille, quisquis est author & scriptor eorum quatuor librorum, qui Caroli-Magni Imperatoris nomine conscripti feruntur, & ad Adrianum Romanum Pontificem missi: Tales denique fuerunt illi Antistites, qui ex Ludovici Pii Imperatoris mandato Parisiis convenientes suam de sacris imaginibus sententiam in epistola seu libello ad Eugenium summum Pontificem direxerunt. Illi siquidem omnes existimabant imagines Sanctorum neutiquam venerandas & adorandas esse, neque tamen à Basilicis & sacris locis excludendas.

2. Eorum qui eas servandas tantùm ad recordationem, non verò ad honorem censebant.

Tertia tandem sententia est omnium Catholicorum docentium: *Primò* ab ipso Ecclesiæ exordio ad nos usque à fidelibus usurpatas. *Secundò* illas etiam in templis collocari solitas. *Tertiò* tandem eas esse cultu & veneratione dignas, ut patebit in tribus sequentibus conclusionibus.

3. Catholicorum qui docent illas esse colendas.

Conclusio Prima.

VII. Christi imago triplex ejus tempore formata.

Imaginum usus & cultus ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio fuit à fidelibus frequentatus. Probatur primò ex illis celeberrimis imaginibus Christi, vel miraculosâ ipsius virtute, vel discipulorum & priorum Fidelium studio efformatis ac elaboratis. Ferunt enim primò sacri Annalistæ, duas ab ipso Christo expressas esse sui divini vultûs imagines: Primam quidem, quam ipse sudariô super faciem impositô expressit, misitque ad Abagarum Regem Edessenæ civitatis, qui eum per Legatos illum exorasset, ut relictis perfidis

1. Sudario ab eo impresso & ad Abagarum missa.

Judæis, ipsum assiduò infestantibus, in civitatem Edessenam unà cum Discipulis se se reciperet, ut auditas miraculorum opiniones illi & populo suo exhiberet, refert Eusebius lib. 1. cap. 13. Christum per epistolam respondisse: *Si faciem meam corporaliter cernere cupis, en tibi vultus mei speciem transformatam in linteo dirigo, per quam & desiderii tui fervorem refrigeres, & quod de me audisti nequaquam impossibile existimes. Postquam tamen complevero ea quæ de me scripta sunt, dirigam tibi unum è discipulis meis, qui tibi & populo tuo sanitates impertiat, & ad sublimitatem fidei vos perducat, &c.*

Porrò hujus imaginis mentionem faciunt non solùm Evagrius lib. 4. historiæ cap. 26. *Nicephorus* lib. 2. cap. 7. *Damascenus* Oratione 1. de imaginibus. *Stephanus* summus Pontifex in Concilio Romano. Sed insuper *Leo Lector* Constantinopolitanus testatus est in septima Synodo *Act.* 5. se illam divini Christi vultûs effigiem vidisse in civitate Edessena, ex qua Romam deportata etiam hodie religiosè asservatur, & fidelium venerationi exponitur, in Ecclesia Monasterii Monialium S. Sylvestri.

2. Velo à Veronica oblato impressa. *Secunda* divinitùs à Christo Domino expressa sui divini vultûs effigies, est illa, quam tempore passionis in linteo expressit, & Veronicæ piæ mulieri tradidit, quæ in Ecclesia S. Petri adhuc Romæ conservatur: & in Bibliotheca Vaticana extat historia manuscripta, in qua refertur qualiter tempore Tyberii hæc divini Christi vultûs effigies Romæ fuerit deportata.

3. Ære elaborata. Celebratur etiam apud SS. Patres & Ecclesiasticæ historiæ Scriptores plurimis miraculis famosa illa *statua ærea*, quam apud Paneadem, mulier a fluxu sanguinis per tactum fimbriæ vestimenti Christi liberata, gratitudinis ergo ipsi Christo Domino erexit: quam ab ipso Christo, & ab ejus Apostolis visam fuisse credibile est, atque se quoque illam vidisse affirmat non solùm Antipatras Bostrensium Episcopus serm. de miraculo ejus sanatæ mulieris; sed etiam Eusebius l. 7. historiæ cap. 14. qui insuper refert, quòd herba quædam insolitæ formæ ad statuæ pedes pullulabat, quæ ubi ad ejusdem statuæ pallii fimbriam excrevisset, omnia morborum genera curandi virtutem eliciebat. Addit Sozomenus lib. 5. cap. 20. quòd cùm Julianus Apostata inde statuam amovisset, suamque ibidem imponi jussisset, illicò igne de cœlo demissò caput impiæ statuæ abscissum fuisse. Subdit cap. 21. cùm illam Christi statuam Gentiles ignominiosè tractatam confregissent, Christianos ejus frusta collegisse & in Ecclesia reposuisse; ubi, inquit Sozomenus ad hunc usque diem asservantur.

VIII. Idem usus frequens fuit apud fideles nascentis Ecclesiæ. Ex quibus colligere licet imaginum fabricam, venerationem & cultum, nec à Deo veritum esse in novo Testamento, nec à nascentis Ecclesiæ fidelibus reprobatum; quippe cùm ipsemet Christus Dominus imaginum ipse factor fuerit, & illas in pretio fideles habuerint & effinxerint. Nam, ut observat Tertullianus libro de pudicitia cap. 10. ubi stultis Montani & sagarum fœminarum fascinatus nænis contra Catholicos declamat, quod mœchiæ convictis & pœnitentia functis veniam & communionem relaxarent; & ad hoc suadendùm, boni pastoris uterentur exemplo & amissam ovem & inventâ suis humeris ad ovile reportantis, cujus effigiem in calicibus depingebant. Cui ille, *Si fortè patrocinabitur pastor*, inquit, *quem in calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani sacramen-*

A *ti meriti, & ebrietatis, dolum & mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ; de quo nihil libentius bibas quàm ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris Scripturam haurio qui non potest frangi.* Quibus verbis Tertullianus, quamvis hæretico animo, nihilominus verè refert imaginem Salvatoris à nascentis Ecclesiæ fidelibus effigiari solitam.

His accensere juvaret quæ refert Niceph. Calixtus in lib. 6. cap. 15. nempe Apostolorum imaginum frequentem usum fuisse apud Christianos tempore Constantini primi Imperatoris; ut constat ex historia ipsius conversionis ad religionem Christianam. Quod itidem confirmat S. Ambrosius epist. 53. ubi de SS. Gervasio &

B Prothasio sibi per visum oblatis loquens, ait: *Cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esset beato Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat.* Quem etiam locum citavit S. Damascenus orat 2. de imaginibus. Viderat ergo S. Ambrosius Pauli effigiem coloribus expressam. Idem indicat S. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 10. ubi agens de quibusdam gentilibus, qui nescio quos libros à Christo conscriptos ad Apostolos Petrum & Paulum fingebant, dicit idcirco potiùs finxisse illos libros ad Petrum & Paulum directos quàm ad alios Apostolos: *Quod pluribus locis*, inquit, *simul cum eo pictos viderunt.* Similiter S. Hierony-

C mus in cap. 4. Jonæ, Apostolorum imagines à fidelibus effigiari solitas testatur, his verbis: *Etreverà in ipsis cucurbitis*, inquit, *vasculorum, (quas vulgò Saucomarias vocant) solent Apostolorum imagines adumbrari.*

Non juvat his attexere omnes SS. Patrum sententias, qui celebrem de sacris imaginibus usurpatam memoriam instituunt. Quippe eas omnes authoritates ubertim collectas habes & commendatas à Patribus VII. Synodi, qui in conclusione ultimæ actionis, post definitum sacrarum imaginum cultum unâ voce exclamant in hæc verba: *Hæc est fides Apostolorum: hæc est fides orthodoxorum; hæc fides orbem terrarum confirmavit. Nos an-*

D *tiquæ Ecclesiæ Legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus.* Idem pluribus confirmat Adrianus Papa Epist. ad Carolum Imperatorem adversus Pseudo-Carolinum librum, ubi refert omnes suos prædecessores, nec-non & Oecumenica Concilia, quibus sacræ imagines venerationi fuerunt, ut patebit infrà.

Objiciunt hæretici, Minutium Felicem qui gentilem ita Christianis exprobrantem refert; *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulachra?* Cui Octavius respondens ait; *Putatis nos occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulachrum Deo fingam, cùm,*

E *si rectè existimes, sit Dei homo ipse simulachrum? Templum quod ei extruam, cùm totus hic mundus ejus opere fabricatus, eum capere non possit: & cùm homo latiùs maneam intra unam ædiculam, vim tantæ majestatis includam? Nonne meliùs in nostrâ dedicandum est mente, in nostro imo consecrandum est pectore?* Igitur tempore Minutii Felicis, sicut Christiani nulla habebant templa, ita nec imagines.

Nego sequelam, quanquam enim primis Christianæ religionis temporibus cùm adhuc Gentilis in eam exardesceret furor; & in hominum mentibus hæreret adhuc idolorum superstitio, non tam frequens fuerit sacrarum usus imaginum, uti neque templorum & altarium; inde non est consequens IX. Quare minus frequens in primitiva Ecclesia usus imaginum.

apud eos nullas fuisse imagines nec altaria: Constat enim ex Tertulliano & aliis antiquioribus, fideles tunc temporis habuisse quædam loca sacra, nec-non & altaria, in quibus antelucanis cætibus convenire solebant, tum ad fundendas preces, tum ad offerendum incruentum sacrificium, tum ad sacram synaxim faciendam. Constat pariter ex eodem, ut suprà diximus, imaginum usum apud fideles fuisse frequentem.

Pace autem ac libertate Ecclesiæ redditâ, uti Basilicas & Templa & Altaria in Dei honorem ac cultum extruere non dubitarunt fideles; sic imagines Christi atque Sanctorum, quarum nondum publicus & solemnis percrebuerat usus, usurpare cœpit Ecclesia ad propagandam Christi ac Martyrum, Sanctorumque cæterorum memoriam & animandos ac instruendos ad pietatis constantiam fideles. Nam, inquit Nilus Abbas S. Chrysostomi discipulus epistolâ ad Olympiadorum præfectum, *qui litteras nesciunt, neque sacras litteras possunt legere, picturæ contemplatione in memoriam revocant illorum præclara facta qui vero Deo sincerè serviebant.*

Hic autem publicus imaginum usus, ut præclarè observat Petavius lib. 15. cap. 13. neutiquam omnibus in locis eôdem institutô, ac tempore fuit à fidelibus frequentatus; sed alibi citiùs, alibi tardiùs, prout nationum captus & indoles erat, & qui illis præerant expedire judicabant, ne imaginum veneratio idololatriæ periculum esset. Quod utique diligenter observandum est ad enodandas plures difficultates & explicanda veterum exempla ac testimonia, quibus ad oppugnandum imaginum cultum abuti solent Iconomachi, contendentes imagines repudiatas & damnatas fuisse interdum ab orthodoxis, ut referemus in sequenti conclusione. Quod equidem prudenter factum fuisse non denegarem pro temporum & locorum ratione.

Conclusio Secunda.

X. Imagines licite in templis collocantur.

Liciti ac religiosè sacra imagines in Christianorum templis collocantur. Hæc est contra Iconomachos, maximè verò contra Calvinum, qui licèt aliquas imagines à primitivæ Ecclesiæ fidelibus usurpatas admittat, tamen lib. 1. Institutionum cap. 11. affirmat quingentis primis annis à fundata Ecclesia in Christianorum templis imagines non fuisse, & ideo nunc perperam in ipsis collocari.

Probatur 1. ex Canone Apostolorum.

Probatur primò ex Canone 8. Apostolorum in Synodo Antiochena, ubi sic statuitur: *Ne decipiantur salvati ob idola: sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris nostri Iesu Christi, ipsiusque servorum contra idola & Iudæos Neque errent in idolis, neque similes fiant Iudæis.* Quibus verbis tria notanda occurrunt; *Primum*, efformandas esse Christi D. & servorum ejus imagines: *Secundum*, districtè prohibitam esse idololatriam: *Tertium*, opponendas esse Christi & Sanctorum imagines, tum idolomaniæ, tum Judæorum superstitioni. Ex quibus inferre licet scopum illius Canonis & concilii esse, quòd imagines collocentur in templis. Nam hæc oppositio imaginum contra idola, indicat ibidem ordinari imagines in templis esse construendas. Illic enim, ut plurimùm Ethnici habebant sua idola, ut & Judæi qui ad idololatriam Gentium deflexerant. Confirmatur ex Theodoreto, qui lib. 8. adversus Græcos refert idolorum locô Sanctorum reliquias introductas esse in templa.

Qui expenditur.

Nec valet reponere fidem istius Apostolicæ constitutionis esse dubiam: Nam, inquit Feuardentius noster lib. 2. cap. 2. in annotationibus suis ad lib. S. Irenæi num. 15. *hunc Apostolicum Canonem, germanum esse, non recens unus, & alter in angulo affirmant; sed propè innumerabiles, qui in publico totius orbis theatro ante octingentos annos convenerunt Patres Synodô Nycænâ posteriore. Hôc quoque Canone innixus Basilius Magnus ante 1270. asseruit, imaginum usum ab Apostolis emanasse, simulque eò adhuc antiquior Eusebius à majoribus prodiisse confirmans; & Pamphilus Martyr utròque superior, hanc Apostolorum constitutionem, cum pluribus aliis se in Origenis Bibliotheca reperisse testatur.* Quòd verò de Synodo Nycæna attingit, hoc ex eadem adscribo, nempe ex Act. 1. ubi Gregor. Pessenuntis Episcopus hunc Canonem adducit in confirmationem usûs imaginum, his verbis: *In Antiochena Synodo SS. Apostolorum dictum est, salvatos non debere amplius ad idola aberrare, sed certandum esse ante columnam Dei, hominisque Iesu Christi Domini nostri.* Cui cæteri Patres annuerunt.

Verùm nota Apostolorum Canonem ubivis non potuisse sortiri effectum illicò in primitiva Ecclesia, juxta eorum decretum, quia propter persecutiones decem Cæsarum Ethnicorum, paucissimæ Ecclesiæ ædificatæ fuerunt usque ad tempus Constantini Imperatoris. Adeoque mirum non esse, quòd eò usque parum reperiatur de imaginum usu in templis scripto consignatum. A tempore verò ipsius Constantini & deinceps frequens legitur ipsius usus: hujus enim rei testis est Damascenus in Pontificali de S. Sylvestro Pontifice, ubi dicit Constantinum in Basilica Constantina hæc dona dedisse, fastigium argenteum habens in fronte Salvatorem sedentem in sella & duodecim Apostolos cum coronis, item à tergo in abside respicientem Salvatorem sedentem in throno, & Angelos quatuor ex auro purissimo; candelabra denique ex aurichalco numero septem interclusa sigillis Prophetarum cum ornatu ex argento. Et rursum in labro fontis, ubi baptisatus est, agnum ex auro purissimo, ac in læva agni B. Joannem Baptistam ex argento tenentem titulum scriptum: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

2. Ex continua Ecclesiæ praxi.

Probatur ex ipsa Ecclesiæ perpetua praxi, nam Tertullianus qui floruit circa annum 200. lib. de pudicitiâ cap. c. & 10. ut dictum est in priori conclusione, notat suo tempore in sacris calicibus fuisse depictam imaginem Christi Domini portantis super humeros ovem inventam. Similiter S. Gregorius Nyssenus Orat. de S. Theodoro Martyre, refert Basilicam in ejus Martyris honorem extructam picturis decoratam fuisse; quibus ipsius certamina coloribus expressa videbantur pari elegantiâ atque fructu. *Solet enim*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui maximéque prodesse.* Item S. Basilius Oratione de Barlaam Martyre ait victorias Martyrum fuisse depictas in Ecclesiâ, & in fragmento epistolæ illius ad Julianum loquens de Apostolis, Martyribus & Prophetis, ait: *Characteres imaginum eorum honoro & adoro, præcipuè cùm hoc traditum à SS. Apostolis & non prohibitum sit, quin & in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum.* Hanc veritatem luculenter explicat Prudentius in hymno S. Cassiani, ubi ait se in ipsius Martyris Basilicâ conspexisse ejus imaginem, his verbis:

Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymãs mecum reputo mea vulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contrà
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Et S. Paulinus lib. 1. epist. 4. describens baptisterium S. Severi, hæc habet:

Martinum veneranda viri testatur imago;
Altera Paulinum forma refert humilem.

Et in descriptione trium sacellorum seu capellarum templi S. Felicis quas Basilicas appellat, ait:

Martyribus mediam pictis pia nomina signans,
Quos par in vario redimivit gloria sexu:
At geminas quæ sunt dextrâ lævâque patentes,
Binâ historiis ornat pictura fidelis.
Vnam Sanctorum complent sacra gesta virorum,
Iob vulneribus tentatus, lumine Tobit.
Ast aliam sexus minor obtinet, inclita Iudith:
Quâ simul & Regina potens depingitur Esther.

XI. Hi autem omnes & alii plures, quos commemorare tædiosum esset, vivebant ante primos quingentos annos: mentitur itaque Calvinus, cùm affirmat primis quingentis annis ab Ecclesia fundata imagines in Christianorum templis non fuisse. Quam utique veritatem non minùs doctè, quàm eleganter explicat & confirmat summus Pontifex Adrianus in epistolâ ad Carolum Imperatorem, nam cap. 19. respondens *Pseudo-Carolino libro* sic objicienti: *Scientes nos faciant, ubi in veteri vel novo Testamento, aut in sex Synodalibus Conciliis jubeatur imagines facere, vel factas adorare*, sic ait: Nos quidem infra scientes facimus, sicuti jam fecimus, quia & in Veteri & in Novo Testamento, sive & in sex Synodalibus Conciliis semper venerandæ fuerunt sacræ imagines, & factæ inter sancta Sanctorum titulabantur. Nam illi nobis dicere solebant, in quali de ipsis sex Synodalibus Conciliis reprehensæ sint sacræ imagines. Enimverò in *primo sancto Concilio* sæpiùs ostensum est, quia sanctus Sylvester Papa, & Constantinus Christianissimus Imperator venerati sunt sacras imagines & cum nomine Christianitatis palam coram omnibus fideliter atque mirabiliter eas ostenderunt, & à tunc usque hactenus sanctorum Pontificum, videlicet Sylvestri, Marci & Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum Ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quamque in cæteris historiis, cum sacris imaginibus ornatis.

3. Ex Conciliis quæ refert Adrianus 1. Pontifex.

Item in sancto *secundo Concilio* sanctus Damasus elegantissimus Papa propriam suam fecit Ecclesiam, cujus sanctus Gregorius meminit in Dialogis, quæ ex nomine Conditoris Damasci vocatur: similiter a tunc usque hactenus historiis sacris & imaginibus pictam habemus.

Iterùm & de sancto *tertio Concilio* S. Cœlestinus Papa proprium suum cœmeterium picturis decoravit.

Magis autem successor ejus beatus Sixtus Papa fecit Basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ cognomento *Majorem*, quæ ad *præsepe* dicitur. Simili modo & ipse tam in metallis aureis, quamque in diversis historiis, sacris decoravit imaginibus. Sed & per rogatum ejus, Valentinianus Augustus fecit imaginem auream cum duodecim portis & Salvatore, gemmis pretiosis ornatam quam voto gratiæ super confessionem beati Petri Apostoli posuit, & à tunc usque hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur.

Itemque de sancto *quarto Concilio* egregius atque mirificus prædicator S. Leo Papa & ipse fecit Ecclesias, quas in musivo & diversis historiis seu imaginibus pingens decoravit. Magis autem in basilicâ beati Pauli Apostoli, arcum ibidem majorem faciens, & musivo depingens Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, seu viginti quatuor Seniores, nomine suo versibus decoravit, & à tunc usque hactenus fideliter à nobis venerantur.

Et de sancto *quinto Concilio* sanctissimus Vigilius Papa in Lateranensi Patriarchio basilicam faciens, pulcherrimè eam decoravit picturis, tam in historiis, quamque in sacris imaginibus.

4. Ex summis Pontificibus.

Multò amplius verò ejus sanctissimi successores Dominus Pelagius, atque Dominus Joannes miræ magnitudinis Ecclesiam Apostolorum a solo ædificantes historias diversas tam in musivo, quàm in variis coloribus cum sacris pingentes imaginibus, & à tunc usque hactenus à nobis venerantur. Sed & sanctus Gregorius lib. 3. Dial. cap. 33. in Monasterio suo pulchrum fecit oratorium, & ipsum diversis historiis pingi fecit, atque sacras ibidem erexit imagines: ubi & cum beato Eleutherio pro ægritudine stomachi sui ingressus, in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir sanctus Eleutherius, quem dicunt & mortuum suscitasse, ante ipsas sacras imagines se prosternens divinam exorare clementiam cum sancto Gregorio non dubitavit: sed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi sunt, & usque hactenus apud nos venerantur. Sed & Ecclesia rianorum cujus ipse sanctus Gregorius in dialogis suis meminit, placuit eidem sancto Gregorio, ut in fide Catholicà introductis illic beati Sebastiani & S. Agathæ Martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod & factum est. Et post miraculum, quod in eadem Ecclesia factum est, diversis historiis ipse beatus Gregorius pingi fecit eam, tam in musivo, quàm in coloribus, & venerandas imagines ibidem erexit: & à tunc usque hactenus venerantur. Si enim voluerimus enarrare per ordinem, nostri prædecessores Pontifices quantas Ecclesiæ fecerunt usque nunc, mirificè in eis sacras imagines erigentes, atque diversas historias pingentes, nec-non & venerantes, apostolicè audemus dicere, deficiet nos tempus enumerandi, atque eorum ædificia cum sacris imaginibus & historiis explanandi.

In *sexto* verò sancto *Concilio* Canone 82. non solùm contemnere non sunt ausi, sed etiam easdem sacras imagines venerantes, statuerunt Agnum Christum Deum nostrum secundùm humanam figuram, & in imaginibus à nunc pro veteri agno retitulari. Quapropter S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus in lib. 3. de fide cap. 7. inter cætera pro hujusmodi docuit: *Servemus ergo præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus, &c.*

Objiciunt hæretici primò. Deus vetuit ne in templo Salomonis & Judæorum synagogis imagines aliquæ collocarentur: sed eadem est ratio; imò longè potior de templis Christianorum: igitur omnes imagines ab eis sunt ablegandæ. Antecedens probatur primò ex illo Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum; neque eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Et Levitici 26. *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos*

erigetis, nec in signum lapidem ponetis in terrâ vestra, ut adoretis eum. Hinc Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. cùm dixisset Moysem & Eliam cognitos fuisse à Petro in transfiguratione, non quòd anteà eorum effigiem Petrus vidisset, sed per divinam revelationem, ait; *Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset, & similitudines lege prohibente.* Unde Origines lib. 4. contra Celsum de Judæis sermonem faciens ait: *Apud quos nullum aliud Numen erat receptum, quàm Deus cujus rerum universalitatis præses procul ablegatis omnibus simulachrorum opificibus, nam in civitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne occasio praeberetur hominibus crassis, neve animi eorum à Dei cultu avocarentur.*

XII. Quâ ratione Deus prohibuit imagines fieri in templo à Judæis.

Respondeo primò, negando antecedens; & ad illius probationem dico, eatenus duntaxat imagines lege divinâ prohibitas fuisse, quatenus duntaxat adorarentur pro diis, & ipsis cultus soli Deo debitus impenderetur; hinc præceptis prohibentibus fabricationem sculptilis, statim subditur, *ut adores illud*, quò significatur eâ solummodò ratione vetitas fuisse Judæis illas imagines, quæ communi Gentilium ritu Numina dicebantur, veraque erant idola.

Quòd autem absolutè à Judæorum templis & synagogis lege divinâ imagines & sculptilia non fuerint eliminanda, apertè constat ex eo quòd *Exod.* 25. Domino jubente duæ figuræ Cherubinorum ex auro fusili positæ fuerint; & in ipso oraculo templi posuit etiam Salomon 3. *Reg. c.* 6. duas alias Cherubinorum statuas ex lignis Olivarum altitudinis decem cubitorum, quarum singulæ alæ quinque cubitorum erant. Denique ut scribitur 3. *Reg.* 17. idem Salomon in templo posuit Boum, Leonum & Cherubinorum figuras: igitur non omne simulachrum arcebatur à Judæorum templis. Hanc eandem solutionem præclarè expendit Leontius Episcopus Neapoleos apud Damascenum, orat. 3. de imaginibus: Age, inquit, deinceps jam sanctarum expressionis imaginum defensionem moliamur, ut ora iniquorum injusta loquentium obstruantur. Neque enim inventum nostrum hoc est, sed legis institutum. Audi enim Deum ipsum Moïsi præcipientem, ut geminas Cherubim imagines sculptiles & conflatiles strueret, quæ propitiatorium obumbrarent. Præterea templum ostendit Deus Ezechieli, quod quidem à pavimento usque ad laquearis fastigium sculptiles, inquit, habebat leonum & palmarum & hominum & Cherubim facies. Quid tum ô Leonti? Verè ferreo, inquit, terribilis. Deus qui jussit Israëli, ne ullius rei, quæ in cœlo, quæve in terra sit, simulachrum aut imaginem, vel similitudinem faceret, idem præcepit Moïsi, ut sculpta faciat animantia Cherubim; idem ostendit Ezechieli templum imaginibus & sculptis leonum, & palmarum, & hominum similitudinibus plenum. Quin etiam Salomon formam ex lege sumens, templum æris boum, & palmarum, & hominum simulacbris implevit. Neque tamen ob id reprehensus est à Deo. Et immediatè post inferens non esse fugillandam confectionem imaginum in Ecclesia, subjungit: Quamobrem si vis me reprehendere, Deum priùs hæc fieri jubentem reprehende, ut ejus admonitio nobis exemplò fit.

His adde quòd ex illo Matth. 22. *Cujus est imago hæc & superscriptio?* constat non omne genus imaginum fuisse populo Judaico prohibitum; siquidem imago illa Cæsaris apud omnes erat recepta, nec consequenter pingendi & sculpendi artes fuisse apud Judæos vetitas aliquâ lege divinâ: licèt fortè decursu temporis populus ille omnem ejusmodi artificem ex suis civitatibus relegaverit, ut ita securiùs præceptum legis observaretur, nec imperito vulgo ulla prorsus idololatriæ esset occasio.

Urgent: Scriptura sacra pluribi prohibet cultum cujusvis simulachri operâ manuum hominum effigiati: igitur & imaginum.

Nego absolutè: Nam, ut præclarè ait Stephanus Bostrensis lib. adversus Judæos cap. 4. Si quæ facta sunt hominum opera, & manu ejicienda putas; quid obsecro, Judæi, adoratur in terra, quod hominum manu factum non sit? Quid? Area Dei, manu facta non fuit? aut altare, aut propitiatorium, aut Cherubini, aut urna illa aurea, quæ manna continebat, aut interius tabernaculum, & omnia quæ à Deo appellantur sancta Sanctorum? Nonne Cherubim, quæ Angelorum imaginem referunt, hominum facta sunt labore & manu? Quid ais, si hæc idola appellas, quod Moïsi, & Israelitis adorantibus nomen impones?

Objicium secundò Canonem 36. Concilii Elibetitani sic definientis, *Placuit picturas in Ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

XIII. Expenditur Canon Concilii Elibertitani de non pingendis imaginibus.

Respondeo primò Concilium apertè in hæreticos militare, quippe significat in primitiva Ecclesia imagines à fidelibus esse usu receptas & in venueratione habitas. *Dico secundò*, Concilium non proscribere imaginum cultum & earum in Ecclesiis situm, sed duntaxat vetare ne depingantur in parietibus, vel aliis ejusmodi subjectis quæ facilè non possent loco moveri, & aliò deportari.

Quòd autem hæc fuerit genuina mens Concilii, patet tam ex ratione quam ibi subjicit, quàm ex conditione illorum temporum. *Ex ratione* quidem, eam enim subjicit, *ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur*, quibus verbis significat se tali edicto prohibere duntaxat pingendas imagines in parietibus, sed potius debere majori cum reverentia in tabula aut alia materia per se collocari; imagines enim in parietibus depictæ non solùm splendorem & pulchritudinem amittunt, atque facilè fœdantur, nec ita ad venerationem movent sicut si in tabulis collocentur; sed etiam non possunt aliò deportari. *Ex conditione verò temporum*, quia Concilium hoc celebratum creditur circa annum Christi 305. hoc est, viginti annis ante primum Concilium Nicænum, quò tempore, cùm adhuc in Christianos sæviret persecutio, nec esset eis liberum Christianæ religionis exercitium, facilè poterat contingere, ut eorum templa profanis usibus cederent, ibique remanentes Sanctorum imagines, non solùm debito sibi honore frustrarentur; sed etiam in contemptum & ludibrium venirent.

Hine est, ut observat Vasques *disp.* 105. *cap.* 2. quòd rarissimè in Hispanorum templis in parietibus depictæ antiquitùs appareant imagines, præter effigiem S. Christophori; quanquam plurima templa invenies aut tabulis depictis, aut statuis ligneis inauratis, & coloribus variatis exornata. Quod certè indicium est, definitionem illius Concilii diuturnâ consuetudine in Hispania viguisse, licèt hisce novis temporibus Hispani, sicut & cæteræ nationes, suorum templo- Nota.

rium parietes pictis imaginibus exoroare cœperint.

XIV. Quare S. Irenæus hæreticos culpat quòd coluerint imagines.

Objiciunt tertiò S. Irenæum lib. 1. adversus hæreses cap. 23. & 24. referentem inter hæreses Gnosticorum & Carpocratianorum, *quòd habuerint quasdam imagines depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas, dicentes formam Christi factam à Pilato in tempore quò fuit cum hominibus:* igitur Sanctus Irenæus hæresim deputat, quòd imagines à Christianis habeantur; ac subinde multò magis, quòd in eorum templis collocentur.

Respondeo S. Irenæum non culpare illos hæreticos, quòd imaginem Christi habuerint, & eam fuerint venerati; sed quòd eam more gentili ita adorarent, ut etiam ei sacrificium offerrent, sicut de eis observat S. Epiphanius *hæresi* 17. Quod etiam significat S. Irenæus; nam ibi est sermo de Marcellina, quæ, ut notat S. Augustinus *cap.* 7. *de hæresibus*, fuit sectæ Simonis; hæc autem secta istis imaginibus tanquam diis sacrificabat, ut habet Theodoretus *lib.* 1. *hæreticarum fabularum.* Hinc S. Irenæus claudit citatum cap. 14. his verbis: *Et reliquam observationem circa eas similiter, ut Gentes faciunt.* Signum est igitur hæreticos ab eo impugnatos ritu gentili imagines coluisse.

Objiciunt quartò, Adrianus Imperator, ut refert Ælius Lampridius in vita Alexandri Imperatoris, in Christianorum gratiam templa condidit sine imaginibus, ut in eis orarent.

Respondet Alanus Copos dialogô 4. c. 2. templa illa non dici extructa absque *imaginibus*, sed sine *simulachris & numinibus Gentilium*: cùm enim Christiani nollent in templis Gentilium orare, quòd idolis plena essent, Imperator jussit alia templa extrui, in quibus nulla essent simulachra, quæ pro diis & numinibus Gentiles colere solebant; non autem consequens quòd ibi nullæ fuerint imagines. *Adde quod* fortè initiô conditi templi, Christiani illius temporis noluerint in eo imagines collocare, ne fortè Imperator & Gentiles adversus eos querimoniæ ansam haberent, quòd respuentes Gentilium simulachra venerari, alia venerarentur.

XV. Expenditur factum S. Epiphanii.

Objiciunt quintò, S. Epiphanium epist. ad Joan. Hierosolymitanum Antistitem, quam Latinam fecit S. Hieronymus & quæ inter ejus epistolas numeratur ordine 60. ubi ita scribit: *Præterea quod audivi, quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebam ad S. Locum, qui vocabatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facerem: & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem.... inveni velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam (non enim memini cujus imago fuerit) cùm ergo vidissem in Ecclesia Christi contra authoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud: & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eò obvolverent.*

1. Historia illa apparet supposititia.

Respondent Catholici Doctores cum Alano Copo *dialogo cap.* 22. illam partem epistolæ, quæ hanc historiam refert, supposititiam esse & ab hæreticis additam, quod utique apparet *Primò*, quia tempore S. Hieroymi plurima illius epistolæ Græca exemplaria extabant, ut ipse testatur epistolâ 101. nec tamen Iconomachi in Pseudo-Synodo Constantinopolitana, qui omnia sanctorum Patrum testimonia specie aliqua cultum imaginum impugnantia colligere & referre studuerunt, nullatenus istius testimonii Epiphanii meminerunt, non omissûri si illo ipso tempore, in codice Græco Epiphanii, & in Latino Hieronymi fuisset.

Secundò, non est verisimile S. Epiphanium optimè callentem sacros Canones (quibus cavetur ne unus Episcopus in alterius diœcesi absque ipsius licentia Episcopale munus exerceat) ausum fuisse id attentare in diœcesi Hierosolymorum Antistitis: aut si id attentasset, haud dubiè de illo non minùs conquestus fuisset Joannes Hierosolymitanus, quàm conquestus est, quòd in sua diœcesi se inconsultô Presbyterum ordinasset, ut constat ex eadem epistola: nullatenus tamen de hoc facto querimoniam instituit, ut patet ex epistola 61. S. Hieronymi respondentis ad omnia quæ Joannes objiciebat Epiphanio.

Tertiò, quia S. Damascenus *orat.* 2. *de imaginibus* circa finem, respondens cuidam testimonio S. Epiphanii ab Iconomachis objecto, ait sermonem illum esse confictum ab aliquo, qui S. Epiphanii nomine abusus est. Quod utique confirmat ex eo quòd ejus Ecclesia Cypri semper fuerit imaginibus exornata usque ad Iconomachorum tempora.

Quartò, cùm S. Epiphanius complexus fuerit omnes hæreses, quæ ad suum usque tempus Ecclesiam vastaverant, si imaginum cultores reverà contra Scripturam agere fuisset arbitratus, haud dubiè illos inter hæreticos annumerasset, cujus tamen hæresis nusquam meminit.

Denique appendix illa priori parti epistolæ repugnat; Nam totâ secundâ parte notat Joannem Hierosolymitanum esse Origenistam & de seipso esse conquestum, quòd dixisset eum non debere laudare Origenem Arii Patrem, & aliarum hæresum radicem: at in illa extrema parte monet eum quasi Catholicum, ut fugiat Palladium, quia hæresim Origenis disseminabat & tuebatur; quod certè non minùs fuisset ridiculum, quàm si Catholicus adhortaretur ministrum Calvinistam aut Lutheranum, ne commercium haberet cum altero comministro, quia Calvini, aut Lutheri hæresim prædicat.

Respondeo secundò, cum Mariano Victorino in annotatione ad illam epistolam Vasqoesio disp. 95. c. 4. quòd si S. Epiphanius hæc fecerit, propterea fecisse, quòd existimaret imaginem illam non esse alicujus Sancti, sed profani cujusdam hominis quem venerari ut sanctum, in Scripturam pugnat: si enim putasset illam imaginem esse alicujus Sancti, non diceret *habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam*, sed scriberet absolutè, *habens imaginem Christi aut Sancti*. Unde parenthesis illa *(non memini cujus imago fuerit,)* non denotat eum non potuisse discernere, an esset imago Christi, vel alterius Sancti. Enimverò si illam deposuit & laceravit, id facilè judicare potuit: significat igitur per illam parenthesim se ab incolis illius loci non potuisse rescire cujusnam hominis, profani an sancti esset illa imago. Unde, ut observat Vasques, parenthesis non debet referri ad illud, *Christi, vel Sancti cujusdam*, sed ad illud, *habens imaginem*, quasi diceret, non memini cujusdam hominis esset illa imago, quæ ante fores templi eâ majestate & veneratione pendebat, ac si esset Christi aut alicujus Sancti.

XVI. Ex hypothesi quòd sit vera, idcirco imaginem scidit, quod nesciebat an esset alicujus sancti.

Confirmatur, quia addit *ibidem*, quòd ut compesceret murmur incolarum illius loci, promisit se daturum aliud velum, ac statim cessasse murmurationem; quod signum est, incolas illos non

fuisse etiam certos cujus esset illa imago; si enim existimasset fuisse imaginem Sancti aut Christi, quam in veneratione habebant, non annuissent ipsi duntaxat aliud velum promittenti, nec solùm dixissent *si scindere voluerat, justum erat ut aliud daret velum & mutaret*: sed ultrò requisiissent ut aliam Christi aut illius Sancti, quem colebant, imaginem substitueret.

Objiciunt sextò S. Augustinum lib. de consensu Evangelistarum cap. 9. ubi ait eos errare, *qui Christum & Apostolos in pictis parietibus quæsierunt.* Et epist. 49. quæst. 3. de simulachris, quæ in loco insigni collocantur ut adorentur; nec-non & concione 2. in Psal. 113. exponens illa verba, *Os habent & non loquentur*, ubi ait, *in templis Christianorum esse quidem vasa aurea & argentea, sed non talia, quæ os habeant & non loquantur, & quibus supplicetur.*

XVII.
An & quare S. Aug. dixit Christum & Apostolos in imaginibus non esse quærendos.

Respondeo nil ex præfatis S. Augustini testimoniis posse elici, quod Iconomachorum errori patrocinetur, non quidem ex prima authoritate; siquidem ibi S. Augustinus non damnat imaginum picturas & repræsentationes, sed crassam eorum culpat ignorantiam, qui ex eo quòd viderent sancti Pauli effigiem unà cum imagine Christi & sancti Petri depingi, colligebant etiam S. Paulum Christi Domini, dum mortalis in terris viveret, fuisse Discipulum: unde illam ignorantiam arguendo subjungit, *eos promeruisse decipi, quòd omissis sacris codicibus, in quibus falsitatem sui erroris cognovissent, ejus probationem quæsierint in picturis.* Ex quibus contra Iconomachos infertur tempore sancti Augustini apud Christianos fuisse usu receptum, quòd imagines Christi & Apostolorum pingerentur.

Non etiam eis suffragatur secunda authoritas ex epistola 49. siquidem ibi tantùm dicit *Christianos habere quod culpent in sacrilegis ritibus Paganorum, non quòd construant templa, instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quòd hæc idolis & dæmoniis exhibeant; quodque idola his sedibus locentur honorabili sublimitate, ut à precantibus & immolantibus attendantur, ita ut ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis sensu & animâ careant, afficiant infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur.* Quibus verbis apertè significat se sermonem facere de simulachris & idolis, in quibus Gentiles aliquod Numen inesse putabant: certum est autem quòd Christiani ita imagines venerentur, ut nihil in ipsis inesse putent dignitatis & excellentiæ, nisi ratione prototypi, quod adumbrant & repræsentant.

Denique nil quidquam etiam eis suffragatur ultima S. Augustini authoritas, ibi namque duntaxat loquitur de idolis & simulachris, quibus Gentiles supplicabant; non autem negat esse in templis Christianorum imagines, uti nec vasa aurea & argentea, quibus non supplicamus, sed soli Deo; neque enim Catholici preces suas ad imagines dirigunt, sed tantùm ad Sanctos, quos ipsæ repræsentant.

Denique objiciunt: Omnis idololatriæ occasio à Christianorum templis est submovenda: at imagines sunt ejusmodi. Igitur, &c. Major constat à simili. Nam Ezechias lib. 4. Reg. cap. 18. laudatur quòd deturbaverit serpentem æneum, quia Judæis erat occasio idololatriæ.

XVIII.
Imagines in templis non præbent ansam idololatrandi.

Nego minorem, siquidem, inquit *Isambertus* ad quæst. 25. dist. 3. art. 9. Ecclesia studiosè cavet ne in templis Christiànorum collocentur imagines, quæ sint vel falsi dogmatis, vel præbeant populo occasionem erroris, præcipitque pastoribus, ut sedulò incumbant, quatenus populos instruant circa cultum sacris imaginibus impendendum. Unde non est par ratio de nostris imaginibus ac de serpente æneo, quia hic tunc temporis tanquam aliquid divinitatis in seipso habens, à Judæis colebatur, ut notat S. Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 8. *Quem serpentem*, inquit, *propter facti memoriam reservatum cum postea populus errans, tanquam idolum, colere cœpisset, Ezechias Rex religiosâ potestate serviens cum magna pietatis laude contrivit.*

Quarum in processionibus deportatio miraculò fuit comprobata.

Ex his apparet quàm perperam hæretici hujus temporis Catholicos calumniis incessant, quòd videlicet idololatrarum instar, imagines non solùm in templis collocent, sed etiam in processionibus publicè circunferant. Enimverò nihil aliud facimus, quàm Israëlitæ, qui ex Dei instituto Arcam cum Cherubinis ad Dei honorem pluribus annis circunferebant. Adde quòd hujusmodi usum Deus etiam miraculis comprobârit. Adscribam unum atque alterum. Notum est quod Gregorius Magnus, cùm sævissima pestis Romæ sæviret, ac multæ simul aliæ calamitates accederent, religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituerit, & imaginem Dei Genitricis per S. Lucam depictam in publicum deferri curaverit, & piam circungestationem Deus miraculò comprobavit. Etenim quacunquè ferretur imago, pestilentis cœli gravitas depulsa, & optata salubritas in urbe consecuta est. Ubi gratulantibus omnibus Deo, ecce tibi Angelus, qui sanctam Virginem his vocibus è cœlo alloqueretur: *Regina cœli, lætare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia: Resurrexit sicut dixit, alleluia.* Quam orationem simul atque Gregorius çoram audivit, divinò Spiritu statim excitatus, eam in hunc modum explevit: *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Quod Canticum deinde solemne mansit in Ecclesia, & Paschalis lætitiæ vel argumentum, vel confirmatio quotannis esse consuevit. Eandem historiam à veteribus acceptam Sigonius quoque confirmat.

Nota.

Conclusio Tertia.

XIX.
Imagines sacræ sunt venerandæ.

Sacræ imagines Christi & Sanctorum dignæ sunt aliquâ adoratione & veneratione. Hæc est de fide, & probat primò Alanus Copus dialogô 3. cap. 8. ex illis omnibus Scripturæ textibus, quibus affirmatur res etiam inanimes divino cultui dicatas & sacras aliquâ veneratione esse dignas.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Sic Exodi 3. *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* Et Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, quod intelligitur de Arca Domini quæ lib. 1. Paralip. cap. 28. appellatur *scabellum pedum*: existimabant enim Hebræi Deum sedere velut in throno super alas Cherubim qui erant super Arcam, juxta illud Psalmi 79. *Qui sedes super Cherubim*, & pedes ejus super Arcam tanquam in suppedaneo seu scabello pedum quiescere. Hinc summâ veneratione illa Arca erat tractanda, à solis Levitis & Sacerdotibus; quapropter Oza percussus obiit 2. Reg. cap. 6. quòd, ut existimat Lyranus eam in plaustro posuisset, cùm humeris esset religiosè & à viris sanctis portanda, juxta illud Isaiæ 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* & ideo 1. Reg. 6. ex Bethsamitis plures occisi sunt, quia sine debita reverentia curiosiùs eam aspicere voluerunt.

Nec refert quòd in Hebræo textu legatur *adorate*

tate ad scabellum, non verò *adorate scabellum*, ut objiciunt hæretici; nam Hebraicè non est verbum, *adorate*, sed *prosternite:* unde cùm sit idem se prosternere ad scabellum ac adorare scabellum, consequens est quòd eo loci exprimatur veneratio & adoratio Arcæ debita propter ordinem & habitudinem quam habebat ad Deum. Quidnî igitur pari ratione cultus impenderetur sacris imaginibus, propter similem causam?

Probatur secundò ex definitione Conciliorum, in quibus sacrarum imaginum usus & cultus contra suborientem Iconoclastarum hæresim assertus fuit & propagatus: nam ut missas faciam varias Synodos hac de re tùm in Oriente, tùm in Occidente collectas: illas commemorare juvat quæ Romæ congregatæ sunt sub variis Summis Pontificibus, quos refert Adrianus Papa in responsione ad librum *Pseudo-carolinum* his verbis: Nam & Prædecessores nostros, videlicet beatissimos Pontifices Gregorium, & Gregorium, Zachariam & Stephanum, Paulum & iterùm Stephanum, reperimus pro sacrarum imaginum erectione in Spiritu sancto ferventes rectæ fidei zelum habere. Pro quo Dominus Gregorius Papa secundus junior, una cum 79. sanctissimis Episcopis, ante confessionem beati Petri Apostolorum principis præsidens, multorum sanctorum Patrum testimonia roborantes, venerari & adorare sacras imagines in eorum Concilio censuerunt. Porrò & prædecessor noster sanctæ recordationis quondam Dominus Stephanus Papa similiter cum Episcopis partium Franciæ atque Italiæ præsidens in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, prædecessoris sui venerabile Concilium confirmans atque amplectens, magis magisque & ipse unà cum omnibus Episcopis præsidentibus, SS. Patrum testimoniis adhærentes, adorare atque venerari sacras imagines statuerunt. Unde & beatus Paulus Apostolus docens inquit: *Tenete traditiones quas accepistis.* Et iterùm, *Sed licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizamus vobis, anathema sit.*

XX.
1. Ex Concilio.

Verùm apertissimè hoc Catholicum ac fidele dogma traditum, ac definitum fuit in VII. Synodo generali Nicæna 2. Act. 7. in professione fidei, his verbis; *Statuimus cum omni exacta cura ac diligentia similiter, ac sancta crucis & vivifica figuram, venerandas & sanctas imagines palam proponi, quæ coloribus tesserisve constant, aut alia quavis idonea materia in sanctis Dei Ecclesiis, in sacris vasis, & vestibus, nec-non & parietibus & tabulis, ædibus ac viis: nempe tùm Domini ac Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi imagines: tùm incontaminata domina nostra sanctæ Dei genitricis, necnon honorabilium Angelorum ac Sanctorum omnium & piorum virorum; quantò enim frequentiùs per imaginatam expressionem videntur, tantò magis qui illas intuentur ad prototyporum recordationem & desiderium excitantur: & ut ipsis osculum & honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit. Sed eodem modo venerentur, quo figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, & sancta Evangelia, ac cætera sacra donaria: tùm ut suffitus & lumina ad illas honorandas adhibeantur: quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo.*

Maximè ex VII. Synodo.

Quibus verbis Concilium triplicem errorem perstringit & damnat. *Primum* quidem Iconoclastarum sacras imagines demolientium. *Secundum*, eorum qui illas honore ac veneratione spoliaverant. *Tertium* denique proscribit quorundam superstitionem, qui Iconoclastis extremè oppositi volebant sacras imagines adorandas esse eodem cultu latriæ qui Deo debetur, ut refert S. Damascenus lib. de hæreticis circa finem, ubi superstitiosos illos nominat *accusatores Christianorum*, quòd ansam præberent Saracenis Christianos idololatriæ insimulandi. Adversus igitur hunc triplicem errorem sanctè religiosèque Concilium pronuntiat: *Primò*, sacras imagines non esse confringendas: *Secundò*, illas honore ac veneratione esse prosequendas: *Tertiò* denique, eas cultu latriæ soli Deo debito non esse colendas.

Eandem veritatem definivit Concilium Florentinum sess. 5. Sed omnium clarissimè Tridentinum sess. 25. his verbis. Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis aliquid sit petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. *Subdit rationem cur pingi & effigiari debeant ac eis honos deferatur.* Illud vero diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum nostræ Redemptionis picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari Populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis: tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur Populus beneficiorum & munerum quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorum imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit.

Florentino & Tridentino.

Probatur denique ratione. Honor qui defertur prototypo, etiam redundare debet in illius effigiem: sed Deus, Christus, & Sancti omnes honorem merentur & venerationem: ergo & illorum imagines. Minor constat quantùm ad Deum & Christum. Constat pariter quantùm ad Sanctos; quisquis enim excellentia & dignitate præstat, honore dignus est: Sancti autem multis titulis, tùm propter eminentem gratiam; tùm propter eximias virtutes; tùm denique propter præclara eorum facinora celebrandi sunt, & consequenter honorandi. Major verò probatur. Excellentia prototypi consequitur ipsum ubicunque est, & communicatur illius excellentia cui communicatur ejus esse: sed prototypum est in ipsa sui imagine, imò est ipsa imago, prout formaliter consideratur secundùm rationem repræsentati: & imago est quædam participatio illius prototypi, nam & ab illo desumitur, & fit ad instar illius, & illum repræsentat, imò est ipsummet prototypum non in essendo, sed in repræsen-

XXI.
3. Ratione.

2. Quia honor imaginis in prototypū redundat.

tando : ergo est capax honoris repræsentati & relativi.

Confirmatur authoritate sancti Athanasii Oratione 4. contra Arianos, ubi loquens de imagine Regis, cùm dixisset illam posse sic inspectorem alloqui, *Ego & Rex unum sumus, ego enim in illo sum, & ille in me, & quod in me animadvertis, id quoque in illo animadvertis, & quod videris in illo, videris & in me* : statim significat imaginem non solùm esse Regem quantùm ad expressionem lineamentorum corporis, sed etiam quoad dignitatem & excellentiam Regis, quæ moraliter in ipsam imaginem redundat, ait enim : *Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cùm ipsa imago, nihil aliud sit quàm forma Regis ac species.* Idem docet sanctus Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 18. *Rex dicitur*, inquit, *Regis imago, non autem duo Reges, neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur.* Quibus verbis significat dignitatem & excellentiam quæ est in Rege redundare in illius imaginem, & ei inesse secundùm moralem hominum æstimationem. Hinc S. Ambrosius in Psalm. 118. sermone 10. præclarè ait, *Qui coronat imaginem Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit*, scilicet quia honor imaginis redundat in honorem prototypi, sicut honor prototypi in ejus effigiem redundat.

2. Quia sūt capaces contumeliæ suscipiendæ : igitur & venerationis.

Deinde, Quidquid est capax injuriæ, est etiam capax alicujus honoris & cultûs : sed imagines personarum illustrium, capaces sunt injuriæ & contumeliæ, itaut injuria ipsis irrogata redundet in ipsas personas, quas repræsentant, ut docet Methodius Orat. 2. de Resurrectione his verbis, *Sicut Regum imagines honoramus, licèt ex ære saxóve, & quisquis eas contumeliosè tractaverit, is non ac si lutum aurumve contempserit, sed tanquam in ipsum Regem impius extitisset, condemnatur; sic Angelorum quas ex auro conflamus imagines, eas ad honorem & gloriam Dei conficimus.*

Hinc constat ex variis historiis principum, etiam Christianorum illos supplicio affecisse eos omnes qui suis imaginibus injuriam & contumeliam fecerant; nam refert sanctus Ambrosius de obitu Theodosii, illum plurimos Antiochenos occidi jussisse, quòd suæ uxoris imaginem ignominiosè tractassent. Unde etiam Deus plerumque divinam suam ultionem exercuit in eos, qui imagines vel fregerunt, vel contumeliosè tractârunt, ut videre est in Ecclesiasticis Annalistis; maximè *Eusebio* l. 7. c. 19. & *Richeomo* in libris de miraculis & imaginibus.

3. Quia ad earum conspectum & præsentiam plurima Deus miracula edidit.

Tertiò denique, Deus multa dignatus est miracula patrare ad præsentiā SS. imaginum: Tùm ad remunerandam devotionem illorum, qui illas colebant: tùm ad puniendam impietatem eorum; qui illas ignominiosè tractabant : igitur signum est illum velle imagines in honore & reverentia haberi. Antecedens constat ex VII. Synodo, Act. 4. ubi plurima referuntur miracula patrata occasione sacrarum imaginum.

XXII.

4. Quia præ se ferunt plurimas utilitates.

His adde quòd imagines Christi & Sanctorum multas præ se ferunt utilitates, ob quas non solùm servandæ, sed & colendæ videntur, quas omnes expendit VII. Synodus. *Prima* est, quia librorum instar idiotas erudiunt eosque fidei mysteria & Sanctorum præclara facta edocent, solet enim pictura tacens in pariete loqui, ait sanctus Gregorius Niss. Orat. de S. Theodoro. Hinc docet sanctus Gregorius Magnus lib. 7. epistolarum epist. 111. ad Serenum Massiliensem : quòd *idcirco pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent.*

Enimverò idiotas & rudiores de rebus divinis illustrant.

Secundò: Imagines efficaciùs movent aliquando ad virtutem sectandam, vitiumque cavendum, quàm libri vel conciones. Hinc Gregorius Nyssenus, quem referunt Patres VII. Synodi, visâ imagine Abrahæ sacrificantis suum filium lachrymatus est, unde addit Theodorus Catanæ Episcopus, *Quantò magis depicta incarnata dispensatio Christi Domini nostri, qui propter nos homo factus est, videntes ad profectum & lachrymarum effusionem hortabitur?* Referunt ibidem ex Gregorio Nazianzeno serm. de virtute habito in carminibus, quòd cùm meretrix ab adolescente ad nefarium actum advocata, prospiciens juxta portam illius, vidisset imaginem Philosophi *Polemonis*, tanto pudore suffusa est, ut viventem verecundata depictum statim retrocesserit & in meliorem frugem sese receperit. Unde inferunt Patres quòd si effigies Philosophi tam efficax ac potens fuerit, ut scortum immutaret, quantæ efficacitatis debent esse Christi ac Sanctorum imagines, ut ad eorum vestigia sectanda nos provocent.

Ad pietatē excitant.

Provocant ad Christi Domini & SS. imitationem.

Tertiò : Imagines Christi & Sanctorum eorum virtutes & exempla referunt & ad illa sectanda nos adhortantur, nam etsi Scipio Africanus dicebat *nullo se magis animari ad virtutem, quam majorum exemplis, quorum imagines in foro depictas videbat*, ut refert Plutarchus in ejus vita; quantò magis Christi & Sanctorum effigies nos provocare debent ad eorum virtutem sectandam?

Ut optimè explicat Doctor Seraph.

Has omnes utilitates egregiè explicat S. Bonaventura in 3. dist. 9. art. 1. quæst. 2. ubi docet quòd imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa. Introductæ enim fuerunt propter triplicem causam, videlicet propter simplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem, & propter memoriæ labilitatem. Propter *simplicium ruditatem* inventæ sunt, ut simplices, qui non possunt legere, in hujusmodi sculpturis apertiùs possint sacramenta nostræ fidei legere. Propter *affectûs tarditatem* similiter introductæ sunt, videlicet ut homines, qui non excitantur ad devotionem in his, quæ pro nobis Christus gessit, dum illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in sculpturis & picturis tanquam præsentia oculis corporeis cernunt. Plus enim excitatur affectus noster per ea, quæ videt, quàm per ea, quæ audit. Unde Horatius de arte Poëtica circa medium

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, &c.

Propter *memoriæ labilitatem*; quia ea quæ audiuntur solùm, faciliùs traduntur oblivioni, quàm ea quæ videntur. Freqoenter enim verificatur in multis illud, quod consuevit dici : Verbum intrat per unam aurem, & exit per aliam. Præterea non semper est præsto, qui beneficia nobis præstita ad memoriam reducat per verba. Ideo dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent præcipuè in Ecclesiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis nobis impensis, & Sanctorum operibus virtuosis.

Objiciunt primò hæretici varios Scripturæ textus, quibus prohibetur cultus omni sculptili impendendus, nam Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, &c.* Levitici 26. *Non facietis vobis idolum, nec sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra ut adoretis eum.*

XXIII. Quâ ratione sculptilis cultus in S. Scriptura sit prohibitus.

Respondeo, his & similibus fortè prohiberi cultum omnis imaginis sive Dei, sive Patriarcharum, sive aliorum Sanctorum, ne foret eis causa idololatrandi; cùm enim crassioris essent genii, proclivissimi erant ad idololatriam: ideo ut omnis idololatriæ removeretur occasio congruum fuit, ut eis prohiberetur quarumlibet imaginum cultus. Inde tamen non est consequens, quòd etiam ille sit prohibitus Christianis: sicut enim nunc, abrogatâ veteri lege, non ampliùs tenemur legalibus præceptis, & nobis licitum est comedere plures cibos tunc temporis vetitos; sic nunc licet uti imaginibus & eas colere, quamvis eo tempore fuerint prohibitæ.

Respondeo secundo, illis locis non prohiberi cultum imaginum, sed tantùm earum, quæ falsa numina repræsentabant, quæque pro diis colebantur, ut dictum est in secundo notabili. Unde Exodi 20. supra laudato, priùs prohibentur falsi dii, *Non habebis Deos alienos.* Deinde cavetur inanium Deorum sculptile; demùm adoratio illius sculptilis, ita quòd tria ex unico præcepto prohibeantur, nempe fabricatio imaginis falsi Dei, ejusdem conservatio, & adoratio. Hinc Deus rationem illius prohibitionis subjungit: Ego sum Dominus tuus, quó significat se hæc tria prohibere, ne scilicet sculptilia ista adorentur pro Diis, & habeantur ut idola gentium.

Obiiciunt secundo varias SS. Patrum authoritates. Primò quidem Hieronymi in cap. 3. Danielis, ubi ait, *Cultores Dei statuam aut imaginem adorare non debent.* Similiter sancti Augustini lib. de moribus Ecclesiæ cap. 34. *Novi*, inquit, *multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores.* Denique Gregorii Magni lib. 7. epistolarum epistola 11. qui ad Serenum Massiliensem Episcopum scribens, graviter eum redarguit, quod *quosdam imaginum adoratores aspiciens* (inquit) *easdem Ecclesia imagines confregit atque projecit.* De quo quid sentiat, his verbis exponit Gregorius: *Et quidem zelum nos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus: sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura Ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere non valent. Tua ergo fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, & populus in pictura adoratione minime peccaret.* Ad eundem porrò Serenum alteram scripsit ibidem lib. 9. epist. 9. epistolam, in qua pluribus idem illius factum redarguit. *Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus: fregisse vero reprehendimus.* Maximè verò illâ re offensus est, *quòd cùm inter gentes habitaret, attendere debuerat, ne dum recto zelo incautè succenditur, ferocibus animis scandalum generaret. Frangi verò non debuit, quòd non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit; si zelum discretione condisses, sine dubio & ea, quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potiùs dispersum poteras congregare.* Demum hortatur illum, ut imagines restituat, & ne adorentur admoneat.

XXIV. Quô sensu plurimi è SS. Patribus videtur impugnasse cultum imaginum.

Respondet ad S. Hieronymum Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annot. 247. eum loqui de imaginibus, & statuis, quas gentes suis Regibus adhuc vivis effingebant, vel in publico, loco collocabant, qualis fuit illa Nabuchodonosor Daniel 3. *Ad S. Augustinum* respondet Alanus Copus Dialogo 4. cap. 7. eum loqui de cultoribus sepulchrorum, non Martyrum, sed quorumvis mortuorum, super quorum sepulchra dicit eos luxuriosè bibere, & manducare, & suas voracitates religioni tribuere. Eodem pacto intelligit adorationes picturarum, non Dei, Christi; aut Sanctorum, sed quorumcunque; & eos jure reprehendit, quòd cùm Christiani essent, indiscriminatim qualvis imagines ad sepulchra positas colebant, & more Gentilicio, religionis cujusdam prætextu, voracitate super sepulchra contaminabantur.

Mss. S. Hieronymus.

Denique, Ad sanctum Gregorium respondeo illum prohibere adorandas imagines cultu latriæ qui soli Deo debetur, eô scilicet cultu quô Gentiles suorum Deorum inania simulachra adorabant. Hanc autem ipsius esse mentem apertè constat ex ejus verbis in objectione laudatis, idcirco namque prohibet adorandas imagines, ne illi qui recenter ex Gentilibus ad fidem & Ecclesiam fuerant recepti, ex imaginum aspectu eis parem honorem tribuerent, qualem non ita pridem suis idolis impendebant. Quod autem sanctus Gregorius non improbaverit cultum sacrarum imaginum inferiorem eo cultu, qui divinitati defertur, probârunt Patres VII. Synodi, nec-non & Adrianus summus Pontifex in responsione ad lib. *Pseudo-Carolinum*; ex ejusdem sancti Gregorii epistolâ ad Secundinum Religiosum inclusum, ad quem mittens imaginem Salvatoris, quam ipse postulaverat, quemadmodum illa sit colenda ita declarat l. 7. epistolarum epistola 54. *Scio quidem*, inquit, *quòd imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas: sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus tu imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur: sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur.* Quibus verbis sanctus Gregorius significat in usu positum esse apud fideles Catholicos, ut imagines venerarentur, & coram eis sese prosternerent, ita respiciendo prototypum, ut cum exteriore cultu coram imagine exhibito interiorem voluntatis affectum in illius imaginis prototypum dirigerent.

Et Gregorius quid id expressè consulit.

XXV. Perperam objiciuntur duo Concilia Constantinop. & Ephesinum III.

Objiciunt tertiò quædam Concilia in quibus imaginum cultus fuit proscriptus, maximè Concilium *Constantinopolitanum* sub Leone Isaurico, & alterum *ibidem* sub Copronymo; nec-non & *Ephesinum* tertium.

Respondeo duo præfata Concilia Constantinopolitana esse nullius authoritatis & momenti. *Primum* quidem, utpote cùm nullus Patriarcha ei interfuerit, & quotquot aderant Catholici Præsules, adversus hæreticam illius Concilii definitionem reclamaverint. *Secundum* verò, quia illegitima fuit illius convocatio & celebratio; unde falsò sibi sanctæ, magnæ, ac universalis VII. Synodi nomen vendicat: Nam ut in VII. Synodo *Act.* 6. dixit Joannes Cancellarius, *Quomodo sancta, quæ nec quid est sanctum in notione suscepit? Præsertim cùm sit polluta & execranda. Illi namque qui in ea congregati sunt, ut propheticè fateamur, inter sanctum & pollutum non distinxerunt, & inter mundum & immundum non discreverunt, iconem incarnati Dei Verbi, Domini videlicet nostri Iesu Christi, similiter ut iconem satanæ, idolum nuncupantes. Quomodo autem magna & universalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reli-*

quarum præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt! Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos Sacerdotes qui cum ipsis existunt.

Idem judicium ferendum est de tertio Concilio *Ephesino*, cùm ex VII. Synodo Act. 6. appareat præfatum Concilium Constantinopolitanum, vocatum fuisse Ephesinum, occasione sumptâ erroris à Theodosio Ephesino Episcopo, qui isti Pseudo-Synodo Constantinopolitanæ inter Præsides adfuerat.

XXVI. Objicitur Canon 2. Concilii Francof.

Objiciunt quartò Canonem 2. Concilii Francofordiensis quò damnatur VII. Synodus quòd imaginum cultum statuisset, ut diximus in præludio hujus sectionis.

XXVII. 1. Responsio quòd ibi non fuerit damnata Synodus quæ definierat imagines esse colendas; sed illa quæ id prohibuerat.

Respondeo variam ac multiplicem esse de isto Canone authorum sententiam. Volunt enim aliqui *primò* cum Alano Copo Dialogo 4. cap. 14. non esse damnatam Nicænam Synodum secundam, sed solùm Constantinopolitanam hæreticam. Verùm reclamant omnes Annalistæ Francorum asserentes Francofurti damnatam fuisse illam Synodum, quæ imaginum adorationem & cultum definierat. Sic imprimis referunt Annales antiquissimi, quos tomo 2. inseruit Andreas Quercetanus, ubi hæc habentur: *Pascha celebratum est in Franconofurt ibique congregata est Synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia jam Principis* (Caroli) *& Missorum Domini Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt: Theophilactus, & Stephanus Episcopi.* Tum *Pseudo-Synodus Græcorum, quam falsò septimam vocabant, & pro adorandis imaginibus fecerunt, rejecta est à Pontificibus.* In alio verò Chronico: *Pseudo-Synodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falsò septimam vocabant, rejecta est à Pontificibus.* Eadem & Bertiniani annales referunt. Similiter Eginhardi annales, *Synodus etiam*, inquit, *quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene, & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solùm septima, verùm etiam universalis erat appellata, ut nec septima, nec universalis haberetur, dicereturve quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est.* Idem refert Ammonius in Annalibus Francorum sub an. 794. ubi ita scribit, *Ibi etiam* (scilicet Francofurti) *Synodus, quæ ante paucos annos Constantinopoli congregata sub Irene, & Constantino filio ejus septima, & universalis ab ipsis appellata est, ut nec septima, nec aliquid diceretur, quasi supervacanea ab omnibus abdicata.* Hæc eadem verba ex ipso desumpsit *Abbas Urspergensis in Chronico sub anno* 79. Rhegino autē *lib. 2. sub anno* 794. sic habet: *Pseudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant à Pontificibus* (scilicet Episcopis Francofordiensis Concilii) *rejecta est*: Ado *in Chronico anno* 792. ait: *Sed Pseudo-Synodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus est.* Joannes Aventinus in historia Bojorum sic inquit: *Item acta Græcorum de imaginibus adorandis recisa sunt.* Igitur ex iis omnibus constat damnatam fuisse in Francofordiensi Concilio aliquam Græcorum Synodum, in qua determinatus fuerat imaginum cultus. Certum est autem quòd ille cultus non fuerit propugnatus, imò expugnatus in Pseudo-Synodis Constantinopolitanis: igitur de ipsis non fuit sermo in Concilio Francofordiensi.

Nec refert quòd eorum plurimi damnatam illam Synodum asserant fuisse celebratam Constantinopoli. Nam addunt *sub Irene & Constantino filio ejus* congregatam; quibus significant in Concilio Francofordiensi damnatam fuisse illam Synodum, quæ celebrata est sub Irene: illa autem est Nicæna secunda, quam fortè idcirco Constantinopolitanam appellant, quòd primùm Constantinopoli fuerat congregata & inchoata, ut dictum est in præludio sectionis.

XXVIII. 2. Responsio quòd erraverint in re facti quod probabilius apparet.

Secundò plurimi contendunt Patres Concilii Francofordiensis reverà damnasse definitionem Synodi secundæ Nicænæ, sed rei gestæ ignoratione planè decepti, utpote cùm existimaverint ibi definitum esse eundem sacris imaginibus cultum impendendum, qui Deo deferri debet, aiunt enim in illo Canone secundo, *Allata est in medium quæstio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur*; cujus tamen contrarium definitum fuerat per illam Synodum, siquidem *Actione* 1. Basilius Ancyræ Episcopus anteà Iconomachus, non aliter receptus fuit in Concilio, quàm profitendo sacras imagines esse venerandas duntaxat adoratione quæ pertinet ad honorem, ut legere est in ejus confessione fidei ibi exarata. Alii similiter Episcopi, qui Pseudo-Synodo Constantinopolitanæ interfuerunt, non aliter admissi sunt, quàm confitendo honorem debere impendi sacris imaginibus inferiorem illo qui Deo defertur.

Nec refert quòd *Actione* 3. VII. Synodi dixisse videatur Constantinus Cypri Episcopus, ut habet liber Pseudo-Carolinus, *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, & quæ secundùm servitium adorationis substantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Certum est enim illam confessionem Constantini in Pseudo-Carolino libro corruptè & vitiatè referri; nam ipse Constantinus in suprà dicta *Actione* 3. approbans definitionem fidei Theodori Patriarchæ Jerosolymorum, sic loquitur: *His consentio & concors efficior, suscipiens & amplectens honorabiliter sanctas & venerabiles imagines: atque adorationem quæ per latriam, id est Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Quod certè directè adversatur prætensæ illius confessioni prout in Carolino libro, jacet exarata.

Ex quibus inferre licet quòd acta illa VII. Synodi quæ ex Græco, Latina facta, missa sunt ad Adrianū summum Pontificem & ab eo in Gallias, depravata fuisse: siquidem Græca aliud longè significant quàm Latina, cujusmodi in Adriani Apologetico, & in Pseudo-Carolino libro leguntur; nam Acta Græcè exarata continent sensum Catholicum, nempe imagines esse adorandas; non tamen eo adorationis genere quod Deo debetur; Latina verò significant imagines eodem latriæ cultu prosequendas, quo sanctissimam Trinitatem veneramur.

Quâ ratione videtur etiam deceptus Adrianus.

Quòd autem conjicere liceat etiam Adrianum summum Pontificem non habuisse fideliter traducta acta VII. Synodi, dum rescribens ad Carolum Magnum respondet aliquibus objectionibus in Pseudo-Carolino libro expressis; apertè satis colligitur ex, eo quòd faciens satis confessioni illius Constantini Cypri Episcopi, quâ Pseudo-

Carolinus liber contendit illum voluisse eodem cultu venerandas sacras imagines, quô divina Trinitas, nihil aliud reponit Pontifex, quam quòd revertentes ex prava hæresi, conantur abundantissimè Ecclesiæ satisfacere: nollo autem negotio, & longè doctiùs ac meliùs illam solvisset & diluisset objectionem, reponendo confessionem illius Constantini corruptè & depravatè fuisse in objectione positam, si ipse ad Græcum exemplar fideliter (ut nunc habemus tom. 7. Conciliorum operâ & studiô Philippi Labbæi) exarata & traducta habuisset acta VII. Synodi.

Antequam VII. Synodum authoritate Apostolicâ approbasset.

Nec dicas summum Pontificem, cùm acta illius Synodi transmisit in Galliam, illam jam approbasse, & inter Oecumenicas Synodos computari voluisse; ac proinde oportuit illum tunc temporis habere illius Synodi acta integra. *Respondeo* enim summum Pontificem eatenus tantùm Concilium tunc temporis approbasse, quatenus à suis Legatis Romam reversis audiverat vivâ voce Synodum Nicænam sacras imagines, (ut ipse loquitur circa finem suæ epistolæ ad Carolum-Magnum) in pristino statu erexisse, & eis osculum, & honorabilem salutationem esse reddendam, non autem verum cultum adorationis latriæ, quæ soli Deo est impendenda: & insuper damnaverat Pseudo-Synodum Constantinopolitanam sub Constantino hæretico: *Et ideò,* inquit, *ipsam suscepimus Synodum: nam si eam minimè recepissemus, & ad suum pristinum errorem fuissent reversi, quis pro tot millium animarum Christianarum interitu, habuit reddere rationem ante terribile & tremendum divini-judicis examen, nisi nos solummodo?* Et infrà, *Nos verò adhuc pro eadem Synodo nullum responsum hactenus eidem Imperatori* (Constantinopolitano) *reddidimus, metuentes ne ad eorum reverterentur errorem, &c.* Quibus verbis indicat se nondum plenariè & publicô ac authenticô testimoniô (quod posteriora tempora *bullam* appellavere) illam Synodum approbasse, & duntaxat eam eâ lege recepisse, quia ipsius Legati testati fuerant vivâ voce, nil in ista Synodo fuisse definitum, quod Catholicæ ac Apostolicæ doctrinæ non concordaret.

XXIX.
3. Responsio, quòd illa damnatio non fuerit facta à toto Concilio.

Tertiò, Baronius ad *annum* 794. ingenuè quidem fatetur Nicænam Synodum in Francofordiensi Concilio fuisse damnatam, non quidem à tota Synodo, sed duntaxat à quibusdam Episcopis Iconoclastarum errore infectis, qui certa capitula de Nicænæ Synodi actis excerpserant, & ea Carolo-Magno Imperatori eo fine obtulerant, ne scilicet in suo regno illius Synodi decreta publicari & recipi permitteret, quæ quidem excerpta in fascem redacta, & quatuor libris distincta misit Carolus ad Adrianum summum Pontificem, ut de iis quid sentiendum esset, aperiret. Bellarminus verò lib. 2. de Romano Pontifice cap. 8. existimat Francofordiensem Synodum reverà Nicænam improbasse: *sed per errorem, & materialiter,* deceptam ab auctore librorum Carolinorum, qui dupliciter mentitus est, primum quòd in Nicæna decretum esse finxit, *ut imagines adorarentur cultu latriæ:* Deinde, *quòd à Græcis sine consensu Papæ Romani illud esse factum asseruit.*

XXX.
4. Responsio omnium mihi probabilissima, est quòd illa damnatio sit supposititia.

Quartò, probabilius mihi videtur dicendum cum Vasque disp. 107. cap. 5. *Kellisono,* quæst. 25. art. 3. *Bernardo Pujol* lib. de sacro adorationis cultu d. 5. qui sect. 6. existimant Concilium Francofordiense nil quidquam adversus VII. Synodum decrevisse, nec in ea actum fuisse de imaginibus, quidquid dicant Annalistæ suprà nominati, necnon & Hincmarus Remensis in Opusculo 55. capitulorum capitulo 20. qui in eo decepti sunt, quòd Pseudo-Carolinum librum pro Synodalibus actis Concilii Francofordiensis habuerint. Cujus sententiæ fundamenta sunt, quòd Concilium Francofordiense habuerit Legatos Adriani Pontificis, ut suprà dicti historiæ Francorum Scriptores asserunt, a quibus Patres collecti rescire poterant VII. Synodum non decrevisse imagines eôdem cultu, quô sancta Trinitas, esse colendas: & sic de hac veritate certiores facti à sua contra VII. Synodum definitione libenter abstinuissent. Cujus observantiæ maximum argumentum est quòd in libro sacro-syllabo nomine illius Synodi à S. Paulino Aquileiensi scripto, postquam sententiam excommunicationis tulissent in eos, qui contrarium de servitute & adoptione Christi sentirent, subdunt Patres, *Servatô per omnia juris privilegiô summi Pontificis Domini, & Patris nostri Adriani, primæ sedis beatissimæ Papæ.* Non igitur verisimile est illius Synodi Patres restitisse legatis summi Pontificis, qui in omnibus supremam illius authoritatem agnoscebant.

Deinde, Claudius Taurinensis Iconomachus, licèt suam iconomachiam paulò pòst hoc Concilium disseminaret, non allegavit pro se tuendo hoc Concilium; nec Jonas Aurelianensis, qui contra illum pro imaginibus scripsit, nec Petrus Diaconus, qui floruit tempore Caroli-Magni, hujus decreti contra Synodum, & contra, vel pro imaginibus meminit. *Denique* non est verisimile coram Carolo-Magno pio admodum Imperatore, qui Concilio intererat errorem Iconomachiæ fuisse definitum; nam Carolus electus fuit Imperator in Occidente à Leone 3. septem fere annis post Concilium Francoford. eo quòd Orientales Iconomachi essent, cùm tempore Concilii duntaxat esset Rex Francorum. Quis ergo putet summos Pontifices, qui ab Orientalibus Imperatoribus ob eorum impietatem contra sacras imagines discesserant, electuros Carolum in Imperatorem, si ipse idem cum Orientalibus in Concilio sensisset? Probabilius igitur est, authores libri Carolini, utpote Iconomachos, cùm intelligerent VII. veram Synodum generalem definivisse imagines esse adorandas & colendas, plus illi, more hæreticorum, ascripsisse, & dixisse illam definivisse imagines esse adorandas cultu latriæ; sicut quia Catholici dicunt imagines & Sanctos esse colendos, moderni hæretici dicunt nos colere imagines & Sanctos ut Deos.

XXXI.
Quâ ratione decepti sint historici circa Canonem Francoford.

Nec obstat quòd plures authores & scriptores historiæ Francorum suprà laudati asserant Synodum Nicænam proscriptam fuisse in Francofordiensi. Nam, inquit Vasques cap. 8. Hi omnes Germani, & Galli scriptores, multo tempore post VII. Synodum, & Concilium Francofordiense scripserunt. Cæteris namque antiquior Ammonius usquead annum 828. historiam texuit, (neque enim est Ammonius ille Monachus, apud Trithemium, qui post Rhegionem, & Adonem fuit) quocirca centum fere annis post VII. Synodum & Concilium Francofordiense scripsit: reliqui autem post ipsum. Jam verò, unde hic author scire potuit, in Concilio Francofordiensi contra VII. Synodum actum esse, aut reliquam notitiam hujus habere? nisi aut ex Paulo Diacono, qui Carolo-Magno familiarissimus fuit, aut ex Secretario Caroli Eginhardo, aut ex Jona Aurelianensi, qui eodem fere tempore vixit, aut ex

Ex Hincmarus.

libri illius Carolini præfatione, aut denique ex A Hincmaro. At Jonas in libris illis de cultu imaginum sæpiùs citatis, & Paulus Diaconos, & Eginhardus in vita Caroli nullam hujus damnationis mentionem faciunt: superest ergo, ut aut eam confinxerit ex suo cerebro, aut ex Hincmaro, & libro Carolino desumpserit. Hos autem ostendimus planè fuisse deceptos: librum sanè Carolinum, malitiosè: Hincmarum autem, ex ignoratione: utpote cùm referat se hæc audivisse cùm esset junior, ait enim in Opusc. 55. capitulorum ad Hincmarum Laudunensem cap. 20. *Septima vocata universalis Pseudo-Synodus de imaginibus; quas quidam confringendas; quidam autem adorandas dicebant; neutra verò pars intel-* B *lecta sano definiens, sine authoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra corpora, Constantinopoli est à quamplaribus Episcopis habita, & Romam missa: quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Caroli-Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata; & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum Pseudo-Synodus destructa, & penitus abdicata. De cujus destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.*

Quibus verbis significat se id accepisse ex libro C Carolino, cùm adhoc esset juvenis: adolescentulus autem & juvenis malè de rebus instructus facilè potuit decipi, accipiendo librum Carolinum pro definitione Concilii Francofordiensis, cùm fortè tunc-temporis liber ille unà cum actis Concilii Francofordiensis editus fuisset.

Porrò cùm ait, *neutra verò pars intellectu sano definiens, &c.* non est dicendus damnasse sacrarum imaginum cultum, cùm alioqui vir Catholicus esset, sed tantùm negasse cultum latriæ imaginibus esse impendendum, cujus contrarium arbitrabatur fuisse definitum in VII. Synodo, cùm accurata illius Synodi acta nondum haberet.

Ex his colligit Vasques Ammoinum nullum ha- D buisse veterem scriptorem ex quo certè rescire potuerit quid decretum fuisset circa imagines in Concilio Francofordiensi. *Verùm* fallitur in Eginhardo cùm ait illum nullam damnationis imaginum mentionem fecisse: contrarium enim apparet, ex ejusdem testimonio suprà laudato.

Denique aliqui existimant cum Petavio *lib. 15. cap. 12. num. 10.* Patres Francofordienses non tam VII. damnavisse Synodum; (quam nondum Oecumenicam, & ab Adriano probatam esse scirent, utpote cujus ad illos acta miserat Pontifex, utique consideranda & cognoscenda, ut Hincmarus testatur) quàm falsam & nefariam sententiam Constantini Cypri Episcopi fraude, vel in- E scitià interpretis viriatam ac depravatam & illis actis intextam.

Verùm quanquam omnes illæ de Canone Francofordiensi sententiæ (si primam excipias) non careant fundamento, videanturque probabiles; nihilominùs (ut dixi) probabiliùs existimarem nullum in Concilio Francofordiensi de sacris imaginibus editum fuisse canonem, cujus assertionis non leve argumentum est, quòd omnes veteres historiæ scriptores ejusmodi Canonis non meminerint, quem cum cæteris antea ignotum, non ita pridem in lucem edidit Sirmondus, nec etiam aliqua illius controversiæ fit mentio, tum in libro sacrosyllabo, tum in epistola Caroli ad Episcopos

Hispaniæ, tum in aliis actis hujus Concilii, quod duntaxat collectum videtur contra Felicianam hæresim.

Nec obstat quòd liber Carolinus in præfatione hunc Canonem referat, nam plurimi suspicantur præfationem illam ad librum Carolinum, in qua hic refertur Canon, fuisse editam ab aliquo hæretico hujus temporis, qui tacitô suô nomine & expressô solùm his syllabis, *Eli; fili*, illud opus in lucem edidit annô 1549: quanquam Cardinalis Perronius in *suis collectaneis* asserat *D. du Tillet* illud prælo commisisse studiô nocendi, quoniam ipse Calvini discipulus extiterat, nec consequenter alia ipsi quàm impia præceptori de imaginibus hæretica sententia inerat.

XXXII. Carolini libri ab hæreticis fuerunt in Lucem editi.

Objiciunt quartò librum illum Pseudo-Carolinum, quem nomine Caroli-Magni volunt fuisse editum contra definitionem VII. Synodi de colendis imaginibus, qui liber quadripartitus missus dicitur à Carolo-Magno ad Adrianum summum Pontificem, cui summus Pontifex respondit refellens omnia objecta. Illudque videtur esse volumen quod se adolescentulum in Palatio legisse, & ab Carolo-Magno Romam esse missum per quosdam Episcopos, testatur Hincmarus verbis suprà laudatis. Signum est igitur, (inquiunt Calvinus lib. 1. Institutionum cap. 11. & Centuriatores centurià octavà) Carolum-Magnum & Ecclesiam Gallicanam venerationem imaginum reprobasse.

XXXIII. Non fuerunt Caroli Magni studiô, nec Imperiô compositi.

Respondeo primò, libros illos non fuisse reverà à Carolo-Magno, nec ejus nomine aut imperiô compositos, quidquid præ se ferat & asserat illis præfixa præfatio, quod utique suadetur *primò*, quia Carolus ipsos libros direxisse videtur ad Adrianum summum Pontificem, ut ipse suâ authoritate responderet & confutaret, & quid circa hanc controversiam credendum esset definiret, ut videre est circa finem Apologiæ seu epistolæ Adriani nec-non & capitulorum directorum ad ipsum Adrianum. Capitulum enim ultimum fert sequendum esse sensum epistolæ S. Gregorii scribentis ad Serenum Massiliensem Episcopum: *Permittimus*, inquit, *imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quàm extra Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum; adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint: frangere vel destruere eas, etiam si quis voluerit, non permittimus, & quia sensum sanctissimi Gregorii sequi in hac epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam indubitanter liberè profitemur.* Quod utique ultimum capitulum *sacrum & venerandum*, ac multùm à cæteris capitibus *distans* agnoscit Pontifex ibidem, *Et idcirco*, inquit, *in eo cognovimus vestra à Deo servata orthodoxaque regalis excellentia esse proprium, in eo ubi recta fidei plena penitus confessa est sensum sanctissimi Gregorii sequi.* Hic autem sensus omninò Catholicus est, & longè alienus, ut meritò dixit Pontifex, à sensu authoris libri Pseudo-Carolini: igitur Carolus-Magnus non est censendus illius libri author nec promotor; quippe si liber ejus authoritate, aut genio fuisset editus, nec illum transmisisset ad Pontificem quem noverat approbasse septimam Synodum, nec ultimum illud capitulum cæteris addidisset.

Sed à quibusdam Iconomachis.

Unde inferre licet, librum illum à quibusdam Authoribus Iconoclastis Gallis fuisse editum, & cùm ejus occasione contentiones ac disceptationes fierent in Gallia, Carolus fortè illum direxit ad Adrianum, ut, quid de eo sentiret, authoritate

Pontificiâ aperiret : quocirca ipse Carolus cæteris capitulis hoc ultimum proprio genio adjecit, ut suam fidem & venerationem circa sacras imagines significaret.

Secundò, certum est quòd mortuô Adrianô post Concilium Francofordiense, Leo tertius Pontifex, Græcorùm Imperatorem relapsum in hæresim Iconoclastarum execratus, eorum excussit authoritatis jugum, & Carolum Magnum in Imperatorem Romanorum in Occidente nominavit & coronavit : quis autem credat eâ occasione ipsum Imperatorem electum & coronatum, si pauló ante Iconomachiæ doctor & promotor fuisset ?

Tertiò, testatur Paulus Æmilius *lib. 2. Historiæ Francorum*, ipsum Carolum initió sui regni misisse ad Concilium Lateranense sub Stephano Papa duodecim selectos Episcopos, quorum maximè operâ damnata est pseudo-septima Synodus sub Copronymo. Non apparet ergo verisimile Carolum Regem improbare voluisse doctrinam Ecclesiæ definitam in Synodo Nicæna in omnibus concordem cum definitione Concilii Lateranensis; alioqui isti omnes Episcopi, qui Lateranensi interfuerant, nec-non & alii ejusdem fidei & confessionis, haud dubiè repugnassent : & inde non minor fuisset in Gallia, quàm in Oriente circa cultum imaginum animorum suborta contentio & seditio, cujus nullus veterum Scriptorum meminit : igitur non est quòd hæretici tantopere in his libris sui erroris patrocinium quærant, siquidem constat illos potiùs à Carolo improbatos, quàm approbatos.

Iisque omninò imperitis.

Respondeo secundò, librum illum ab imperitis & omninò ignaris fuisse editum, ut doctè observat Perronius in *collectaneis* titulo *imago*, & *Carolus Magnus*, colligitque authorum inscitiam & puerile genium eò quòd contendant primam Nicænam Synodum esse longè excellentiorem, quàm secundam, quia in ipsa erant Episcopi 312. in hac verò tantùm 306. numerus autem, inquiunt, duodenarius longè ternario præstantior est, quod utique probant, quia sunt duodecim Apostoli, duodecim menses, duodecim signa, &c. Quæ certè ratio futilis & puerilis est.

Deinde, Author librorum illorum plerumque Iconoclastarum dicta quasi definitiones Concilii usurpat, & inde virulentum & acerbum odium suum in Synodum effundit. *Addit* etiam impugnando historiam imaginis Philosophi *Polemonis* in Concilio memoratam, se nescire qualis ille sit sanctus Polemo, quem diutino labore in Sanctorum albo & Kalendario quæsitum non invenit.

Denique, Quærit quis sit *sanctus Gregorius Nyssenus*, quem inter SS. Patres & Doctores à Synodo memoratum & laudatum demiratur. Alia ejusmodi innumera ignorantis & puerilis genii ludicra exempla & testimonia in ipso opere invenies, ex quibus apparet illud nullius esse authoritatis.

XXXIV. Libri Carolini non fuerunt deportati ad Adrianum.

Nec dicas Adrianum Pontificem, qui omnes istius libri nævos & errores notavit ac improbavit, nullam prædictorum mentionem fecisse. Hinc enim non leve mihi argumentum est præfatum librum non eum esse qui à Carolo Magno ad Adrianum directus est, sed tantùm ejusdem libri capitulorum titulos aliquot selectos, & inversô ordine scriptos. Quod insuper *confirmatur*, quia titulis duntaxat præfixis in capitibus librorum Carolinorum respondet Pontifex : non verò eorum titulorum probationibus, quæ acri ac vehementi reprehensione varias sententias in septima Synodo pronuntiatas notant & damnant: Quis autem existimet Pontificem scribendo ad Regem, qui capitula transmiserat, ut eis responderet, voluisse duntaxat refellere operis titulos, rationes autem ac probationes eorum reliquisse intactas ?

Deinde, In libris quatuor Carolinis inveniuntur 120. capitula, seu lemmata & objecta proposita contra Synodum : Pontifex autem nonnisi 81. commemorat ac refellit.

Denique, Non eôdem ordine Pontifex refert & refellit illa objecta, quô scripta sont in libris Carolinis : Siquidem primum capitulum cui respondet Pontifex, præfixum est capiti tertio libri tertii Carolini. Secundum capitulum in Pontificis apologia pro Synodo, est titulus capitis quarti libri tertii Carolini. Et sic frequenter in cæteris nullum invenies concordantem ordinem inter titulos librorum Carolinorum, & eos quibus in sua apologia respondet Pontifex. Quod certè non leve mihi argumentum est, non ex integro libros illos directos fuisse ad Pontificem, sed ex eis excerptos quosdam capitulorum titulos qui fortè tunc temporis in libellum collecti & compacti ab Iconoclastis per Gallias vulgabantur, quò faciliùs minùs cautos & doctos in suam erroneam sententiam pellicerent.

Quidquid proferatur ex Hincmaro.

Nec refert quòd Hincmarus suprà laudatus asserat, non modicum illud volumen contra septimam Synodum scriptum, quod adolescentulus in palatio legerat, fuisse à Carolo Romam missum per quosdam Episcopos. Inde enim etiam mihi argumentum est, illos libros non esse, quos excepit, & quibus respondit Adrianus, sed duntaxat fortè quædam eorum librorum capitula; ipse enim initiô apologiæ & Epistolæ ad Carolum Regem scribit se accepisse *quoddam capitulare adversus Synodum, quæ pro sacrarum imaginum erectione directum à vestra clementissima precelsa regali potentia, per Engilbertum Abbatem & ministrum capellæ : qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, & in omnibus Conciliis vestris receptus.* Igitur opus cui respondet Pontifex, non est illud grande volumen, quod Romam missum per Episcopos commemorat Hincmarus.

Inde tamen inferre non licet volumen istud ex quatuor Carolinis libris compactum, fuisse etiam per Episcopos transmissum, legatione & deputatione distinctâ & seorsim ab ea qua fungebatur Engilbertus : siquidem hujus Episcoporum legationis, ne leve quidem indicium apud Adrianum, nec apud scriptores Gallos invenies, nisi fortè apud eos, qui decepti sunt Hincmari relatione; qui cùm esset adhuc adolescentulus facilè errore labi potuit, existimando totum volumen fuisse transmissum Romam per Episcopos, cùm duntaxat illius Synopsis aliqua transmissa fuerit per Engilbertum Abbatem, qui in regali curia summâ authoritate pollebat.

Vrgent hæretici : Non potest efficaciùs colligi quæ fuerit Caroli Magni sententia, quàm ex iis quæ post ejus obitum gesta sunt : sed post ejus obitô nondum Ecclesia Gallicana admittebat venerationem imaginum nec VII. Synodum, nam imperante Ludovico Pio Caroli Magni filio, cùm Michaël Balbus & Theophilus Imperatores Græci ad Ludovicum Pium legatos in Gallias misissent cum imperatoriis litteris, quibus Orientalis Ecclesiæ, propter imaginum venerationē dissidium expone-

bant, seqoe ea de causa mandasse legatis suis, ut acceptis Ludovici Imperatoris commendatitiis epistolis Romam ad Pontificem pergerent, efficerentque cum eo, ut ejos operâ per Orientem & Occidentem concors fieret de sacris imaginibus apud Christianos sententia. Legatis autem auditis congregari jussit Parisiis Synodum in suo Palatio anno 824. in qua proscripta fuit imaginum veneratio & adoratio, nec-non & secunda Nicæna Synodos, ac duæ epistolæ Adriani damnatæ in quibus Pontifex cultum sacrarum imaginum tuebatur.

Quid sentiendum sit de Synodo Parisiensi.

Respondeo primò, conventum illum Parisiensem, si quis fuerit, non fuisse Synodum, quanquam libellus anno 1596. prodierit Francofurti typis excussus cum hoc titulo, *Synodus Parisiensis de imaginibus anno 824. ex vetustissimo codice descripta & nunc primùm in lucem edita*, ubi nulla fit mentio loci, unde acceptus esset ille vetustissimus codex. Nam sui tituli vanitatem redarguit libellus ipse, sic enim legimus pag. 126. in prætensâ epistola Ludovici Pii ad Eugenium Pontificem: *Nos non Synodum congregando, sed quemadmodum à vobis postulavimus licentiamque agendi percepimus, unà cum familiaribus nostris, filiis vestris, quantùm pro multiplicibus regni diversis occupationibus impediti, per intervalla potuimus, considerare studuimus, quid calamitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus.* Igitur ex ipsius libelli assertione, Conventus ille Parisiensis, si quis fuerit, non habuit nomen nec authoritatem Synodi, sed duntaxat congregationis cujusdam, in quam convenêre non solùm aliqui Episcopi, sed & Doctores, ac viri litterati, qui excerperent & colligerent SS. Patrum de imaginibus sententias, quibus ad decidendam controversiam istam, & conciliandam pacem inter Latinam Ecclesiam & Græcam Pontifex posset adjuvari.

Libellus de ea editus est hæreticorum fœtus supposititius.

Respondeo secundò, verisimiliùs videri spurium & illegitimum esse, ac ex cujuspiam recentioris hæretici cerebro confictum libellum istum, ut præclarè demonstrat Bellarminus in ejusdem libelli refutatione sex capitibus distincta, quam ut appendicem attexuit tract. *de cultu imaginum.* Hic enim libellus, inquit Bellarminus, quinque præcipuè continet, *Primò* namque in eo legitur epistola Michaëlis nomine & re Balbi ad Ludovicum Pium Caroli-Magni filium. *Secundò*. collecta testimonia ex veteribus Patribus, quibus probatur imagines neque frangendas esse, ut volebant Iconomachi, neque colendas, ut Synodus Nicæna secunda statuerat. *Tertiò*, epistola summi Pontificis nomine scripta à Francis Doctoribus ad Michaëlem Imperatorem, qua docetur imagines neque injuriâ afficiendas esse, neque etiam adorandas. *Quartò*, epistola Lodovici Imperatoris ad Eugenium Pontificem ejus nominis secundum, quâ eum hortatur ad legationem in Græciam mittendam, & Ecclesiam pacificandam. *Quintò*, epistola ejusdem Ludovici ad Jeremiam & Jonam Episcopos, quos Romam ad summum Pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodum prudenter cum Pontifice se gerere debeant, ut eum ad suam sententiam pertrahant.

Ut optimè probat Bellarminus.

Verùm hæc omnia aut falsa sunt & erronea, aut ementita & supposititia, nam ut paucioribus complectar quæ fusiori stylo tradit & explicat Bellarminus: Certum est *primò* epistolam Michaëlis Balbi mendaciis esse refertam, nam imprimis deplorat simul necem Leonis Imperatoris sui prædecessoris, quem dicit ab improbis quibusdam conjutatione factâ miserè necatum: at constat ex annalibus Zonaræ, Cedreni, &c. ipsum Michaëlem conspirationis & necis principem fuisse. Insuper piè queri videtur, quòd Ecclesia ob cultum imaginum sit dissentione divisa, cùm ipsemet præcipuus esset illius dissensionis artifex, quòd Synodum Nicænam, quæ dissensiones sustulerat, rejecisset, & Iconomachiam eam pene sepultam restituisset. Quòd verò in extrema epistolæ parte reprehendit Catholicos, quòd crucem despiciant, quòd imagines ut Deos adorent, quòd eis sacrificia offerant, quòd ab eis, nescio quô artificiô de sacro fonte suscipi, & sacram communionem percipere velint, &c. meræ calumniæ atque imposturæ sunt. Igitur vel illi, qui supponuntur convenisse in conventu Parisiensi, fidem dederuot hujusmodi epistolis, vel non: si primum, haod dubiè decepti sunt: si secundùm, decipere voluerunt abutentes litteris illis, ut suaderent Ludovico Pio, nec-non & Eugenio Pontifici improbandam esse Nicænam Synodum, & imaginum cultum esse impugnandum.

Secundò eorum vel error, vel crassa ignorantia apparet ex collectis SS. Patrum sententiis, quorum plurimæ nihil aliud probant, nisi solum Deum esse colendum cultu latriæ sibi uni proprio, & non esse imagines ita adorandas, ut etiam sacrificia illis offerantur, quæ neque Catholici negant, neque Nicæna Synodus decreverat: Nonnullas verò contrarium in sensum detorquent, alias verò plurimas congerunt, quæ directè in eorum nefarium dogma militant. Unom referam quem laudant S. Basilium epist. ad Imperatorem Julianum, ubi hæc ex illo inter cætera excerpunt: *Suscipio verò & sanctos Apostolos, Prophetas & Martyres, & ad Deum deprecationem, quæ per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum, pro quo & figuras imaginum eorum honoro & adoro, specialiter hoc traditum est à sanctis Apostolis, & non prohibitum, sed in omnibus Ecclesiis nostris eorum designari volo historias, &c.* Non desunt alia testimonia similia in eodem libello, Athanasii, Germani, Leontii, & aliorum, quæ imprudenter ab adversariis contra suum erroneum dogma proferuntur, ut inde appareat quantis viribus polleat veritas, nam ipsam quoque, illius oppugnatores, non raro vel inviti tuentur.

Tertiò, ridicula protsùs & Pontifici omninò indigna epistola, quam ipsi prætensi Doctores, nomine Pontificis, scribunt ad Michaëlem Imperatorem prætenduntque illam à Pontifice subscriptam, ut plurimis demonstrat Bellarminus: maximè verò quia hæc epistola facit Pontificem, adulatorem Imperatoris imprudentissimum, dum volunt ad eum ita scribere, *O venerandi mundi Principes! cùm universa sancta Dei quam Domino disponente & committente gubernatis, Ecclesia:* Quis autem ferat Pontificem sic alloqui hominem scelestissimum, qui magicis artibus addictus erat, carnis resurrectionem negabat, fornicationem licitam esse dicebat, & tot sanctissimos viros Catholicæ veritatis defensores, vel exilio, vel carcere, vel cæde mulctaverat? Secundò in illa epistola reprehenditur Constantinus, & ejus Mater Irene, quòd edicto suo jusserint sacras imagines juxta Concilii generalis decretum cum veneratione esse habendas. Quæ sanè reprehensio à summo Pontifice, nisi planè amente, scribi non potuit.

Unde etiam nec huic epistolæ subscripsit Eugenius, nec ullus ex ejus successoribus in eum

lapsam

lapsum ruit. Hinc Anastasius Bibliothecarius scribens ad Joannem octavum ejusdem nominis Pontificem, qui Adriano secundo Eugenii secundi successori suffectus fuerat, in præfatione septimæ Synodi, ait: *Quæ super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hæc & Apostolica vestra sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & universalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est horum veritas revelata.* Denique quantùm ad cætera, nempe ad epistolam Ludovici Pii ad Eugenium Pontificem & ad Jeremiam Senonensem, & Jonam Aurelianensem Episcopos, plura sunt quæ redolent fraudes recentium hæreticorum, ut legenti patebit, unde maximè suspicatur Bellarminus totum libellum istum vel esse confictum; vel quod credibilius est, depravatum & auctum, ad invidiam Ecclesiæ Romanæ conciliandam.

XXXVI. Quid de sacrarum imaginum cultu senserit Jonas Aurelianensis Antistes.

Instant hæretici: Talis erat Ecclesiæ Gallicanæ de imaginibus sententia tempore Ludovici Pii, qualem referunt scriptores illius ævi: at illi imaginibus nullam venerationem censent esse deferendam. Probatur maximè ex Jona Aurelianensi, qui in libris de adoratione imaginum respondens Claudio Taorinensi arguenti ex veteri Testamento, Deum adorationem sculptilium prohibuisse, ita scribit: *Negare non poteritis quin similitudines cœlestium & terrestrium creaturarum extiterint: etsi illæ non à Deo ad adorationem, sed ut typos futurorum prætenderent, sint factæ: sinantur à te imagines Sanctorum, non ut adorentur, sed potius ut quandam pulchritudinem reddant, & quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi, creaturam verò adorari, eique aliquid divinæ servitutis deferri, nefas dicimus.* Similiter Hincmarus post quadraginta annos scribens in Opusculi 55. capitulorum capitulo 20. ad Hincmarum Laudunensem, inter cætera ait: Illo ipso tempore Romanos Pontifices *suarum pupparum cultum vehementius promovisse*, ut referunt Centuriatores 8. capite 9.

Respondeo ad primum, Jonam non solùm ad ornatum & recordationem, sed etiam ad cultum imagines in Ecclesiis servari voluisse, nempe ut eas osculemur, caput eis inclinemus, & alia exhibeamus signa venerationis & honoris; id namque sæpiùs docet in illis libris, sed tantùm denegat adorationem ipsis impendendam, quæ in affectu divinæ servitutis consistit, & est latria interna ac mentalis, ut videre est in ejus libro secundo, ubi Claudio Sanctorum reliquias contemnenti, & venerationem eis exhibendam prohibenti, quòd opera sint manuum hominum, ait: *In hujus sententiæ sensu nobiscum sobriè sapis. Verum est, inquam, quia neque opera manuum hominum sunt adoranda & colenda, illo videlicet cultu & adoratione, qui solius Divinitatis est. Opus namque manuum Dei corpora Sanctorum præcedentia opusculi tui te dixisse produnt: quæ non adoranda adoratione Divinitati debita; sed pio sunt amore complectenda & honoranda, utpote S. Spiritûs templa sacra.*

Et Hincmari Rhemensis.

Non abnego tamen Jonæ de imaginibus sententiam implicatam videri, & parum sibi constantem, ac cohærentem; nam interdum denegat omnem cultum ac venerationem operi manuum hominum, & aliquam adorationem creaturæ non impendendam esse profitetur, nihilominùs totus est ut probet contra Claudium, crucem laudabiliter coli & adorari ex SS. Patrum traditiooe; illam tamen creaturam esse & opus manuum hominum oemo dubitet.

Ad secundum dico præfata verba non esse Hincmari, sed Centuriatorum; quanquam Baronius ad *annum* 794. *num.* 41. existimans hæc ab Hincmaro scripta, eum acriter arguit, quòd minùs Catholicè nec ea gravitate ac pietate, quæ Archiepiscopum decebat, de sacris imaginibus senserit. Verùm verba ista non sunt Hincmari, utpote quæ nec in ejus libris typis excussis, nec in aliquibus ejusdem manuscriptis operibus inveniantur: illa igitur verba sunt Centuriatorum, quæ fortè Baronii Amanuensis ab eis exscribendo sententiam Hincmari, quæ diverso charactere non erat exarata, etiam cum Hincmari verbis descripsit.

QUÆRES I. *An licitè imagines aliquæ Deum divinasque personas repræsentantes formari possint & adorari?*

XXXVII. Licitum est & pium, imaginibus Deum repræsentare, & illum in eis colere.

AFfirmo cum omnibus Catholicis, colligiturque ex septima Synodo *Act.* 5. ubi inter impia dogmata cujusdam Xenaiæ recensetur & istud quòd diceret, *hoc esse puerilis animi factum, fingere in columba idolum per adorabilem Spiritum sanctum.* Et pauló post ibidem, damnatur quòd putaret inconveniens *pios homines Spiritum sanctum, ut corpus habentem, delineare.*

Confirmatur ex frequentissimo & antiquissimo usu Ecclesiæ, quæ in templis divinas personas pridem figuris exprimi delineari voluit, nam in Synodo Constantinopolitana sub Menna *Act.* 5. refertur libellus supplex Clericorum & Monachorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham contra Severum, in quo inter istius scelera refertur eum *columbas aureas & argenteas in formam Spiritûs sancti super divina lavacra & altaria appensas sibi appropriasse, dicentem non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare.* Hinc Concilium Tridentinum sess. 25. approbat ejusmodi usum Ecclesiæ, cùm præscribit, *Quòd si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id idiotæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus & figuris exprimi possit.*

XXXVIII. Imagines Dei fieri possunt motivo triplici.

Ut autem omnis objicienda difficultas facilè eluatur, observandum est ex Caietano ad q. 25. imagines Dei posse fieri tribus modis: *Primò* quidem, ut per eas intendatur depingi & figurari Deus secundùm veritatem suæ naturæ, & sic imagines Dei fingere prohibetur Isaiæ cap. 40. & ab Ecclesia damnatur ut hæresis Anthropomorphitarum: *Non enim debemus æstimare auro & argento divinum esse simile*, ait Apost. Act. 17. *Secundo*, ut per imaginem repræsentetur Deus, non quidem ut in se est, sed ut aliquando hominibus apparuit in forma aliqua visibili, sive per seipsum immediatè, sive per Angelos. Et sic imagines Dei posse fingi, non denegant etiam hæretici, maximè Kemnitius supra citatam definitionem Concilii Tridentini; & Petrus Martyr in locis communibus cap. 5. Sic Deum Patrem pingimus in forma senis, quia in illa videtur apparuisse Danieli *cap.* 7. Deum filium in forma humana, quia humanitatem assumpsit: Deum verò Spiritum sanctum in specie columbæ, qoia in ea apparuit *Matth.* 3. Quamvis enim illa columba formata fuerit indivisim à tribus personis, tamen quia facta fuit ad

repræsentandum Spiritum sanctum, solus in ea dicitur apparuisse. *Tertiò*, ut per imaginem Deus aut divina aliqua persona repræsentetur, quatenus illa habet analogiam cum aliqua Dei perfectione & hoc modo etiam apparet Deum divinasque personas posse repræsentari.

Nec obstat Canon 82. sextæ Synodi, in quo prohibetur imago Christi effigianda in forma agni. Nam *dico primò* quòd Canones isti à multis videantur non esse merè & germanè sextæ Synodi, sed nonnullorum Episcoporum, qui aliquot annis post solutam & finitam sextam Synodum congregati in Trullo, illos Canones ediderunt quos universalis Ecclesia non comprobavit, ut fusè docent, Turrianus lib. de actis veris sextæ Synodi, & Baronius ad annum Christi 692. *Dico secundo* Canonem non prohibere Christum sic figurandum absolutè, sed tantùm comparativè, nempe quòd istis figuris agni præferendæ sint imagines Christum repræsentantes in figura humana.

Plura testimonia tùm Scripturæ, tùm Patrum congerunt hæretici, quibus probare nituntur nullam imaginem Dei esse faciendam. Verùm illa omnia facilè dissolves reponendo intelligenda esse de imagine Dei primô modô usurpata, quâ scilicet significare vellet Deum hujusmodi in se figuram habere.

Objiciunt: Si quæ imago Dei sit adoranda, maximè viva, qualis est homo: sed homo non est adorandus: igitur nec ulla imago est colenda.

XXXIX. Quare homo licèt imago Dei non sit adorandus.

Respondeo primò, hominem non tam dici Dei imaginem, quàm ad imaginem Dei factum. *Secundò*, adorationem religiosam fundari in aliqua excellentia, quæ dicat ordinem ad finem supernaturalem, sicut cultus civilis fundatur in perfectione ordinis naturalis; unde cùm homo sit imago Dei tantùm secundùm sua naturalia, hac ratione non videtur colendus religioso cultu. *Tertiò*, hominem, quatenus est imago Dei, posse etiam aliquâ veneratione excipi. Hinc plerumque videmus in Scripturis sacris homines coram aliis procumbentes, & eos adorantes.

QUÆRES 2. *An imagines possint adorari* vel *per se, itaut adoratio ad eas dirigatur, tanquam ad rem quæ illas terminat, sitque terminus* qui *illius adorationis*; vel *tantum ratione prototypi, ita quòd imago tantum dicatur terminus* quo *illius adorationis?*

XL. Probabilius est imagines tantùm esse terminum quò adorationis.

RESpondeo verisimiliùs videri imagines esse duntaxat adorandas ut terminum *quò* illius adorationis; itaut, qui imaginem adorat, per eam veneretur exemplar ut terminum & materiam proximam illius adorationis. Ita omnes Theologiæ principes, id enim docent *Alensis* 3. part. quæst. 30. memb. 3. art. 3. §. 1. *S. Bonaventura* in 3. dist. 9. art. 1. q. 2. *Albertus* ibidem art. 4. *S. Thomas* ibidem q. 1. a. 2. & plures alii eorum sequaces, quos citat *Vasques* dist. 108. cap. 3. Probatur autem hæc sententia contra plurimos Recentiores.

Primò quidem authoritate Conciliorum; maximè verò ex definitione septimæ Synodi, quam expressimus supra: nam postquam decrevit imagines in templis honorificè retinendas, *quò scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui viderint ad prototyporum memoriã & recordationem, & desiderium veniant; illisque salutationem & honorariam adorationẽ exhibeant, &c.* Subjungit rationem his verbis, *imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Quibus verbis significat idcirco imagines adorari, quia scilicet idem honor imaginis in exemplar resultat. Similiter Concilium Senonense decreto 14. Christi *imagines adorantur*, inquit, *non quia illis insit numen aliquod, sed ob recordationem exemplaris.* Quibus verbis totam adorationem imaginis refundit in ipsum prototypum.

Deinde, Tridentinum docet imagines esse adorandas: *Non quod*, inquit, *credatur inesse aliqua in his Divinitas, vel virtus propter quam sint colenda: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illa repræsentant, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudines sunt.* Non ergo existimat Concilium imagines esse per se adorandas ob peculiarem suam excellentiam, sed duntaxat ratione prototypi, quod repræsentant.

Probat secundò Vasques authoritate SS. Patrum docentium honorem sacris imaginibus impensum non in eis sistere, sed in prototypum refundi. Sic S. Dionysius cap. 2. de cœlesti Hierarchia, *Qui sacra simulachra studiose spectant, in his talibus lineamentis, ut veris non immorantur, neque rebus divinis, & ex veris negationibus, & diversis cum extremis vestigiis earum similitudinibus honor tribuatur.* Quibus significat in sacris imaginibus cùm spectantur, & adorantur & coluntur non esse immorandum & sistendum, sed earum exemplaribus honorem esse tribuendum. Eandem veritatem luculenter probat sanctus Damascenus Orat. 1. de Imag. testimonio S. Basilii ex libro de Spiritu sancto cap. 18. ubi sic habet: *Quia Rex etiam dicitur Regis imago, & non duo Reges: neque enim imperium scinditur, neque gloria dividitur, quemadmodum principatus, & potestas una est, quæ nobis dominatur: sic etiam & glorificatio à nobis una est, & non multa, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit.* Quam etiam sententiam sic commentatur: *Quemadmodum purpura, & sericum, & quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud sunt, nisi tenue quoddam operimentum: quod tamen si Rex induerit, honoris quò præstat Rex, ipsum quoque particeps fit: ita res ex materia constantes per se quidem adorandæ non sunt; at si gratia plenus sit is, quem illa referunt, pro fidei proportione, ipsa quoque participes fiunt.*

Confirmat Oratione 3. testimonio Leontii in Dialogo 4. contra Judæos: ubi sic dicitur: *Quemadmodum etiam Iacob accipiens à filiis suis vestem sanguine conspersam Ioseph: cum lachrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem diligendo aut honorando hoc fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere: sic etiam Christi omnes imagines Christiani aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostraque carne osculantes, animo videmur nobis ipsum Christum, aut Martyrem amplecti.* Adducit verò in exemplum eum, qui filii mortui vestem osculatur. Idem de filiis, qui, Patre ipsorum longè absente, & peregrinante, quidquid in domo illius vident, sive baculum, sive chlamidem, cum lachrymis amplexantur, hi tamen digni non sunt reprehensione. Reddit rationem his verbis: *Non enim, ut Deum, vestes adorasti, sed ipsum amorem erga eum, qui his amiciebatur tuum per oscula declarasti:* Tandem concludit rationem dicens: *Ergo ut sæpius dixi, in omni*

salutatione, & adoratione intentio ipsa requiritur, & reputatur, id est, consideranda & expendenda est. Missa facio aliorum SS. Patrum testimonia, quibus eandem veritatem probat ibidem Vasques.

Nota.

Ut autem à Recentioribus Theologis gravis hac de re concitata controversia, etsi, ut mihi videtur, ad Catholicam veritatem minùs utilis, æquiori judicio componatur, censerem dicendum, sacras quidem imagines præcipuo ac primario cultu duntaxat propter earum prototypum esse venerandas; ita quod eâ ratione censeantur cultu religioso dignæ, quòd excellentiam prototypi in memoriam revocent: nihilominùs cùm, ut suprà diximus, fiat quædam ipsius prototypi in suam imaginem excellentiæ moralis diffusio, & attributio; inde censerem etiam imagines ratione illius promanantis & superessusæ moraliter excellentiæ, per se etiam aliqua veneratione censeri dignas, non quidem secundùm earum esse materiale, ex quo formantur, nempe quatenus sunt lignum, æs, argentum, aurum, aut colores, neque etiam secundùm earum esse formale simpliciter, hoc est secundùm lineamenta, & dispositionem partium peritè & affabrè concinnatarum, hoc enim merè artificiale est: sed quatenus ordinantur ad significandam & repræsentandam rem, quæ secundùm se, & in se complectitur præcellentiam veneratione dignam.

QUÆSTIO III.

Utrùm & quò cultu Sanctorum Reliquiæ sint adorandæ?

I. Quinã hæretici fuerint sacrarũ reliquiarum impugnatores.

NOtandum primò, varios hæreticos sacras Sanctorum vitâ functorum exuvias & reliquias non solùm nullo in honore habuisse, sed etiam despexisse ac earum cultum damnasse. Nam, ut missos faciam omnes *Iconoclastas*, qui sicut imaginum, sic & reliquiarum sacrarum fuerunt impugnatores acerrimi, maximè verò nefarius ille Copronymus; plurimi sunt, qui speciatim reliquiarum venerationem è medio sustulerunt. Primus apparet, *Eustatius Sebastiensis*, qui, ut referunt Alphonsus de castro & Prateolus verbo *Eustatius*, damnatus fuit in Concilio Gangrensi: nam licèt in eo Concilio nullus Canon contra sacras reliquias spernentes præscribatur; nihilominùs in ejus Concilii præfatione attribuitur error Eustatio, quòd loca sanctorum Martyrum contemnat, &, qui illuc conveniunt, reprehendat. Eundem errorem isti Eustatio attribuit Jonas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum. Hujus autem in errore sequaces fuerunt *Eunomius & Vigilantius*, quorum postremus; ut refert sanctus Hieronymus epist. 53. Catholicos appellabat *cinerarios, & idololatras*, quòd Sanctorum cineres & sacras exuvias colerent. Ejusdem erroris propagator fuit *Faustus Manichæus*, nam ut refert sanctus Augustinus lib. 20. contra ipsum cap. 22. Christianos arguebat, quòd Martyrum memorias honorarent, & idola in Martyres convertissent, vino & dapibus defunctorum umbras placantes: at omnium istorum Erronum nefariam animi sententiam pridem sepultam denuò excitârunt *Vviclefista*, ut refert Vvaldensis tomo 3. tit. 14. cap. 131. *Lutherani*, quorum antesignanus serm. de Cruce, reliquias, fidelium seductiones appellat, & altissimè sub terra defodiendas cupit. *Calvinista*, qui maximè hôc sæculô omnem illorum veterum hæreticorum virulentam fæcem ebibentes, non solùm Sanctorum invocationem, ac imagines è medio tollere nisi sunt, sed etiam dæmonis rabie in omne sacrum furentes, in venerandas omnes Sanctorum reliquias debacchati sunt; quorum omnium impia dogmata & fundamenta proponenda sunt ac convellenda.

II. De modo eas colendi, magna apud Catholicos controversia.

Notandum secundò, non unam concordemque esse apud Catholicos de modo sacras reliquias colendi sententiam. Quanquam enim conveniant omnes contra hæreticos, Sanctorum sacras exuvias esse in pretio & honore habendas, nihilominùs invicem dissentiunt circa modum eas colendi. *Quidam* enim cum Seraphico Doctore in 3. dist. 9. art. 1. quæst. 4. docent quòd etsi imagines sacræ non sint colendæ speciali cultu ab illo, qui prototypo debetur, quia eas ratione duntaxat repræsentationis veneramur, nosque semper ducunt in venerationem & æstimationem exemplaris quod referunt; nihilominùs reliquiæ Sanctorum secundùm se aliquam excellentiam sibi vendicant, nempe aut propter contactum, aut propter affinitatem quam habuerunt, & adhuc servant cum anima beata, à qua in generali mortuorum resurrectione denuò debent vivificari, subindeque eas secundùm se cultum aliquem ac venerationem promereri. *Alii* verò existimant reliquiis secundùm se cultum & adorationem non deberi, sed solùm cum eo cujus reliquiæ sunt: ita quòd illæ non sint terminus *qui* totalis illius adorationis, sed tantùm partialis; nec simpliciter dici queant adorari, sed coadorari, seu non adorari cultu absoluto, sed duntaxat respectivo; quid autem verius censendum sit, infrà patebit.

III. Quid intelligatur per sacras reliquias.

Notandum tertiò, per sacras reliquias nos non solùm hîc intelligere sacras Sanctorum vitâ functorum exuvias & integra corpora; aut eorum partes, sed etiam illorum vestes, & alia similia, quæ vel ad ipsorum necessarium usum, vel ad pœnitentiæ & mortificationis ministerium inservierunt: de quibus omnibus duo hîc ocurrunt determinanda. *Primum*, an istæ sacræ reliquiæ colendæ sint & adorandæ. *Secundum*, an cultum absolutum vel duntaxat respectivum sibi vendicent.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. SS. reliquiæ dignæ sunt veneratione.

R*Eliquiæ Sanctorum veneratione digna sunt.* Probatur *primò* ex Veteri Testamento, illis videlicet omnibus testimoniis, quibus Deus voluit Sanctorum virorum vitâ functorum corpora in veneratione haberi, idque tanquam religiosum ac divino præcepto sanctitum munus viri pietate celebres observârunt: Hinc Genes. 50. Joseph præcepit, ut aromatibus condirent Patrem suum Jacob vitâ functum, petiitque licentiam à Pharaone eum sepeliendi in terra Chanaam, in illa spelunca duplici quam emerat Abraham, prout Jacob ipse petierat Genes. 23. Similiter Joseph Genes. 50. morti proximus fratribus suis mandat: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto .... & conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.*

Probatur 1. exemplis ex Veteri Testamento.

Hinc Eccli. 49. dicitur de ossibus Joseph: *Ossa ipsius visitata sunt*, quia nimirum Joseph Genes. 50. dixerat: *Visitabit vos Deus, asportate ossa mea vobiscum*, & dicuntur ibidem ossa Joseph *post mortem prophetasse*, vel quia Prophetia Joseph de illis impleta fuit, quando juxta prædictionem ejus

asportata sunt; nam Exodi 13. *Tulit Moyses ossa Ioseph secum, eò quòd adjurasset filios Israël dicens, Visitabit vos Deus, efferte ossa mea vobiscum:* Vel quia post mortem operata sunt miracula, quæ illum Prophetam Dei magnum fuisse testabantur. Similiter Eccli etiam 49. de duodecim Prophetis dicitur: *Et duodecim Prophetarum ossa pullulant de loco suo.* Dicuntur autem ossa illorum *pullulare*, quia post mortem in memoria & honore vivunt, ob fidem, miracula, Prophetias, & vitæ sanctitatem.

Legimus similiter 4. Reg. cap. 13. quòd Deus ad contactum sepulti corporis Elisæi, cadaver in ejus sepulchrum injectum suscitaverit, ne videlicet profanum cadaver in sepulchro sanctissimi Prophetæ quiesceret: quô miraculô significavit Deus Prophetarum ac Sanctorum reliquias in veneratione & honore esse habendas. Hinc *ibid. c.* 23. Jozias Rex volens omnem idololatriam & superstitionem evertere, cùm omnia Pseudo-Prophetarum ossa exhumari, & super idolis dedicatum altare comburi jussisset; Elisæi & alterius veri Prophetæ sepulchrum intactum esse voluit. Hinc observat S. Hieronymus in cap. 1. Oseæ, quòd ejusdem Oseæ, Jonæ & Abdiæ sepulchrum usque hodie cum Elisæi Prophetæ & Baptistæ Joannis in Sebaste venerationi habetur.

2. Ex Novo Testamento. Similiter eadem veritas colligitur ex Novo Testamento, nam imprimis Christi Domini sepulchrum tanto apud omnes fideles in honore semper extitit, juxta illud Esaiæ cap. 11. vaticinium: *Et erit sepulchrum illius gloriosum*, ut S. Hieronymus Epist. 17. scribat suo tempore de toto orbe Christiano fideles ad illud devotionis & venerationis causâ concurrere: *Quicumque*, inquit, *in Gallia primus, huc properat, divisus ab orbe Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum formâ sibi tantùm per scriptorum relationem cognitum.* Legimus item Matth. 9. quòd mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, devotè tangens fimbriam vestis Christi, ab infirmitate sanata fuerit. Et *Actor* 5. scribitur quòd populi certatim ægros adducebant & ponebant in lectulis ac grabatis, *ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam & liberarentur de infirmitatibus suis.* Quod serm. 29. de Sanctis ponderans sanctus Augustinus, & celebrans vincula, quibus illigatus fuerat Petrus ait: *Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis catena vincientis? Si inanis quædam species vacua imaginis habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere salutis, ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* Idem refertur cap. 19. de Sudariis & Præcincturis sancti Pauli: *Supra languidos deferebantur à corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*

3. Ex Conciliis. *Probatur tertiò*, hæc veritas ex Conciliis; definita est enim in Concilio *Gangrensi* Canone ultimo, si cum his, quæ dicuntur in præfatione ipsius Concilii, conferatur. Similiter in septima Synodo *Act.* 7. in definitione fidei præcedenti quæstione expressa. Item in *Carthaginensi quintò* Can. 14. ubi definitur altaria non esse sine reliquiis Sanctorum consecranda: in *Braccharensi tertiò* Can. 5. *Moguntino* tempore Caroli Magni Can. 51. *Lateranensi* sub Innocentio III. cap. 62. maximè verò *Tridentino* sess. 25. ubi præscribit modum exponendi & colendi sacras reliquias: Ita quòd nullæ possint de novo recipi, & fidelium venerationi exponi, nisi recognoscente & approbante Episcopo.

4. Ex SS. Patribus. Eandem veritatem contestantur SS. Patres ac sacri Ecclesiastici scriptores, qui asserunt Christianos ex antiquo, Sanctorum, præsertim Martyrum, corpora, cineres, ossa & alias reliquias in veneratione habuisse. Id probat imprimis Ecclesia Smirnensis in Epistola encyclica, quam de actis & morte S. Policarpi sui Episcopi & Apostolorum discipuli, scripsit circa annum Christi 147. quam etiam Eusebius Cæsariensis in lib. 4. suæ Historiæ cap. 15. intexuit. Ibi post expositam passionem, illus narrationem refert ad extremum apud Proconsulem egisse Christianorum hostes, *Vt ne corporis illius potestatem illis facerent, ne crucifixò relictò venerari hunc (aiebant) incipiant.* Hoc cùm Judæi potissimùm urgerent, ait Centurionem corpus sacrum incendiò consumpsisse. *Ita nos*, inquiunt Smirnenses, *sublatis posteà ossibus illius, quæ quibusvis pretiosiora lapillis, & auro probatiora erant, ibi ea ubi par erat reposuimus. Quo in loco, pro eo ac poterimus, in exultatione, ac lætitia, dabit nobis Dominus congregatis natalem Martyrii illius celebrare diem: tum ad eorum memoriam, qui anteà certamine functi sunt; tum ad illorum, qui posteà sunt passuri exercitationem & præparationem.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. de Resurrectione disputans, deque Elia, & Elisæo, & ab utroque suscitatis agens, posteriorem hunc ait bis mortuum excitasse, in vita, & post mortem. *Vivus enim*, inquit, *resurrectionem effecit per animam suam: sed ut non solùm animæ justorum honorentur; verùm etiam credatur vim quandam inesse justorum corporibus, qui in Elisæi sepulchrum abjectus erat mortuus, ubi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus est.* Quod & subinde probat sic. Nam si sudaria, & semicincta Pauli, quæ extra corpus erant ipsius, ægris admota eos sanabant, quantò id magis de Sanctorum par est credi corporibus, quæ vim trahunt ex animis, quibus diu domicilium præbuerunt?

S. Basilius in Psalm. 115. exponens hæc verba *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, observat in veteri lege mortuorum corpora pro immundis habita fuisse: in nova autem lege secùs tem habere. *Modo verò quisquis*, inquit, *ossa Martyris attigit, nonnullam sanctificationis communionem percipit ex ea gratia, quæ corpori illius insidet.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 18 in S. Cyprianum, testatur hujus reliquias, sacrosque cineres dæmones expellere, morbos sanare, & mirabilia facere. *Quæ omnia Cypriani*, inquit, *vel pulvis ipse potest, si fides adsit: ut experti norunt; & qui rem gestam ad nostram usque memoriam propagârunt, & in consequentia tempora transmittent.*

S. Ambrosius in Epistola 53. referens qualiter reperit corpora SS. Gervasii & Protasii, narrat deinde quanta miracula ibi facta sint: *Cognovistis*, inquit, *imò vidistis ipsi multos à dæmonis purgatos, plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant debilitatibus absolutos: reparata vetusti corporis miracula, quo se per adventum Domini Iesu gratia terris majorinfuderat: umbra quorum Sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, & tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, salvus erit.* De-

mùm se Martyres ait sub altari condidisse: *Condamus ergo reliquias sacro-sanctas & dignis ad hus invehamus, totamque diem fidâ devotione celebremus.* Et in sermone 1[illegible] qui est de SS. Nazario & Celso, de reliquiis SS. Corporum agens: *Hac est*, inquit, *sanctorum Martyrum gloria; quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.* Et in fine; *Honoro ergo*, inquit, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendis diligere: quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificatur in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio: quod cum Christo regnavit in cœlo.*

S. Hieronymus Epist. 53. sic Vigilantium interpellat: *Dolet*, inquit, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari; vel projici in sterquilinium: ut solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus & nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt: ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & Christi laudem unâ voce resonarent.*

S. Chrysostomus innumeris propè locis, & maximè homil. 65. de SS. Berenice, Prosdoce, & Domnina: *Fortè*, inquit, *ingens in vobis concitatum est desiderium Martyrum istorum. Cum hoc igitur ardore accedamus ad reliquias ipsorum: amplectamur eorum loculos. Possunt enim vel ipsa Martyrum conditoria magna vi pollere: quemadmodum eorundem ossa Martyrum plurimùm possunt.* Sic in homil. 66. de S. Pelagia: *illustrius ait esse palatiis regiis omnium judicio sepulchrum illud, in quo situm est corpus ejusmodi, quod cum virtute pietateque vixit. Atque hujus rei testes vos estis, qui divitum sepulchra, quamvis aureis ornata palliis, tanquam speluncas prætervolatis: ad hanc verò Sanctam cum ingenti alacritate concurristis: quoniam martyrio, & confessione, ac virginitate, pro aureis vestibus, semetipsam velut ad funebrem apparatum componens, inclyta Martyr excessit.* Ita in calce homiliæ 76. de SS. Juventino & Maximino, quorum reliquias in unum loculum impositas fuisse dicit, eos vocat columnas, & scopulos, & turres, & luminaria Ecclesiæ, quòd eam sustentent, & protegant. Tum populum sic hortatur: *Assiduè itaque ad illos veniamus, & loculum contingamus, & cum fide reliquias eorum circumplectamur: ut benedictionem aliquam illinc attrahamus. Nam ut milites vulnera ostendentes ab hostibus accepta, audacter Regem alloquuntur: sic etiam isti capita sibi abscissa manibus portantes, & in medium producentes, facilè omnia quæcunque volucrint apud cœlestem Regem efficere poterunt.*

Si plus desideres SS. Patrum hac de re testimonia, consulas *Coccium* lib. 5. de Sanctis Ecclesiæ cap. 16. *Alanum Copum* dialogo 3. cap. 12. *Bellarminum* lib. 2. de Imaginibus. *Petavium* lib. 14. de Incarnatione, cap. 17. *Perronium* in refutatione falsæ dissertationis, & mendacis discursûs Tilleni: ac plures alios moderniores, qui de hac controversia adversus hæreticos hujus temporis uberrimè scripserunt.

Meritò igitur contra hæreticos hujus temporis, innovare possumus querimoniam quam anno Christi Domini 825. formavit Dungalus in eadem omninò controversia, libro suo adversus Claudium Taurinensem: Qualis, inquit, & quanta « est insana elatio, & vana temeritas, ut quod à « primævo tempore Christianitatis per annos fer- « mè 825. (dicamus nos 1675.) a sanctis ac bea- « tissimis Patribus, ac religiosissimis postmodum « principibus, in gloriam & laudem Dei, in Eccle- « siis & in quibuslibet Christianorum domibus fieri « concessum, constitutum, & jussum est, unus ho- « mo (scilicet Claudius Taurinensis) blasphemare, « reprehendere, contestari, projicere, ac sufflare « præsumat? Quasi in tanto jam dicto spatio nullus « sic sanctus, vel sapiens in Ecclesia Dei extitisset « author, qui tam ardentissimum in corde suo ze- « lum, vel subtilissimum potuerit habere intelle- « ctum, sicut iste, qui audet oppugnare, quod cæ- « teri quasi formidolosi, ausi non sunt; vel vitupe- « rare, quod alii esset vituperandum, quasi stulti « non intellexerunt. «

Objiciunt hæretici illud Christi Domini oraculum Lucæ 11. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos; profectò testificamini, quòd consentitis operibus Patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra:* at Christus his verbis non accusat Judæos de alio crimine, nisi quia ædificabant monumenta Prophetarum, & eorum reliquias venerabantur, in quo consentiebant operibus Patrum suorum: igitur crimen est Sanctorum reliquias venerari.

V. Quò sensu Christus D. Judæos dãnaverit quòd ædificarẽt monumenta prophetarum.

Nego minorem, nullus enim est ex SS. Patribus, aut Scripturæ Interpretibus, qui dixerit eô locô improbari ornatum monumenti Virorum justorum; nam eorum sepulchra in honore semper fuerunt apud Judæos, nec usquam aliquâ superstitione notatâ, ut optimè observat Vualdensis tom. 3. cap. 131. Dicendum est ergo Christum Dominum ibidem Pharisæos hypocrisis speciatim insimulare, quod dilucidè explicat Matth. 23. ubi eandem querimoniam instituens ait: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii e[illegible]um in sanguine Prophetarum: Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Quibus verbis Christus Dominus significat illos fuisse ejusdem, quantùm ad animum, criminis reos, cujus Parentes; quia sicut illi Prophetas occiderunt, sic debebant ipsum Prophetarum maximum occidere, etiam in animo ipsius necem ac persecutionem meditabantur. Unde reprehendit eos, non quòd ædificarent monumenta Prophetarum, sed quòd sub hac specie pietatis erga Prophetas, occultarent malevolum animum erga illum, qui Prophetarum erat Princeps: sicut ibidem eos reprehendit: quòd decimarent *mentham & anethum, & ciminum*, non quòd arguat decimatio-

nem, quæ lege erat præcepta; sed quòd sub prætextu & velo horum operum leviorum occultarent impietatem, & graviora legis præcepta omitterent.

Objiciunt secundò illud Deuteronomii c. ult. ubi dicitur Moysem vitâ functum in Monte *Nebo* sepultum fuisse in valle *Moab*, & postea additur: *& non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem:* At (inquit Calvinus in admonitione de reliquiis,) non aliam ob causam occultatum fuit Moysis corpus & sepulchrum, quàm ne coleretur à Judæis: Igitur corporum sanctorum cultus est à Deo prohibitus. *Confirmant* ex epistola S. Judæ, ubi ait: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, &c.* hæc autem altercatio inter Michaelem & diabolum, non alia fuit, quàm quòd Michaël vellet corpus Moysis semper occultari, ne Judæi illud venerantes in idololatriam ruerent, diabolus verò voluit sepulchrum & corpus Moysis revelari, ut sub prætextu pietatis Judæis foret occasio idololatriæ: igitur cùm idem sit periculum in veneratione reliquiarum, pari ratione hæc est cavenda.

VI. Quare Moysis sepulchrum fuit abditum.

Respondeo primò præfatum textum Calvino potiùs adversari, quàm patrocinari: siquidem cùm Deus voluerit Moysis corpus Angelorum ministeriô tumulari, signum est quòd ipse velit reliquias & corpora Sanctorum in honore esse habenda. *Dico secundò* jure quidem optimo Deum noluisse Moysis corpus revelari, ne Judæi, ad idololatriam proclives, illum tanquam numen colerent, maximè cùm eum vivum habuissent ducem, Legislatorem, & salvatorem, ac tot tamque stupenda miracula illum edentem conspexissent. Non est autem hujusmodi cavendum periculum in Christianis, maximè cùm meliùs instruantur de cultu sacris reliquiis impendendo: nullus enim est, qui nesciat se sanctos colere non ut numina, sed ut pios Dei ministros propter eximiam virtutem Sanctorum, & patrocinium, quod ipsorum intercessione potest obtineri.

Objiciunt tertiò illud S. Pauli ad Coloss. 2. *Nemo vos seducat volens, in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans frustrà, inflatus sensu carnis suæ:* hanc autem religionem Angelorum vocat ἐθελοθρησκείαν, id est, *voluntarium cultum*, hoc est à Deo non præceptum: sed cultus reliquiarum est voluntarius & minimè à Deo præceptus: ergo est cultus voluntarius & superstitiosus.

VII. Quæ sit Angelorum religio quã Apostolus prohibet.

Respondent huic objectioni Doctores Catholici: Apostolum in eo capite duo reprehendere in Judæis, nimirum cultum Angelorum, quia illos colebant tanquam minores Deos, & quia eos supra Christum extollebant, & observationem certorum ciborum & aliorum legalium, & hunc cultum Angelorum vocat *religionem Angelorum*; & observantiam illam legalium in fine capitis, vocat superstitionem. Quocirca nihil ex hoc loco colligi potest contra Catholicos, quia illi non honorant Angelos vel Sanctos, vel eorum reliquias, supra Christum; neque observant legalia, vel certis cibis utuntur more Judæorum, & tanquam lege veteri præceptis, quia agnoscunt legem veterem quoad cæremonialia & judicialia esse per Christum abrogatam: neque cultus Sanctorum vel imaginum & reliquiarum potest vocari ἐθελοθρησκεία, quia hæc significat fictum & merè voluntarium cultum, pro quo nulla est authoritas sufficiens, nulla ratio; at pro cultu Sanctorum, imaginum, & reliquiarum habemus authoritatem Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, & Patrum, imò & rationem pro hoc cultu militantem, & sic hic cultus non est merè voluntarius, & fictus, uti erat cultus ille Angelorum & superstitio in cibis.

Objiciunt quartò Concilium Eliberitanum *Can.* 34. ubi prohibetur cereos interdum accendi, ne spiritus defunctorum inquietentur: *Cereos, inquit, placuit in cœmeterio non accendi; inquietandi enim Spiritus sanctorum non sunt.* Similiter & S. Hieronymum adversus Vigilantium, ubi cùm objecisset Vigilantius, idololatriam esse, ejusmodi cereos interdiù in templis, vel coram Sanctorum reliquiis accendere, respondet S. Hieronymus: *Cereos clarâ luce non accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatiò temperemus, & vigilemus ad lumen, nec cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum feminarum, de quibus verè possumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Existimavit igitur S. Hieronymus cultum Sanctorum reliquiis impensum esse superstitiosum.

VIII. Quô sensu Concil. Eliberit. prohiberit cereorum usum in cœmeteriis.

Respondeo Concilium Eliberitanum idcirco prohibuisse usum cereorum coram Sanctorum sepulchris, ut Fideles inter Paganos versantes eorum superstitioni non participarent: Ethnicis enim persuasum erat mortuorum animos in sepulchris degere, & eorum sepulta corpora aliquid adhuc sensûs habere, ac subinde cibis & lucernis indigere, quibus famem & tenebras dispellerent; ideóque dapes, & lac, & vinum funeribus inferebant, ut refert Plutarchus initiô vitæ Romuli. Hinc Virgilius lib. 6. Æneidon in exequiis *Miseni* ait:

Aversi tenuère facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateris olivô.

Observat etiam Tertullianus Ethnicos ita defunctis parentare, ut eis esculenta apponant quæ comedant. Quin etiam tumulis accensas lucernas includebant, cujusmodi etiam nunc ad effossas eorum urnas reperiuntur: imò fiebat plerumque, ut appositis ad sepulchra luminibus, per magicam impietatem & necromantiam spiritus evocarent, ut refert Plinius 28. historiæ cap. 2. sicque animas vitâ mortali functas videbantur inquietare; quâ voce usus est etiam Samuëlis spiritus à Pythonissa rogatu Saülis Regis evocatus, dicens 1. Reg. cap. 28. *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Ne autem fideles viderentur Gentilibus morem gerere, & nefarios eorum ritus sectari, idcirco prohibet in cœmeteriis per diem lucernas accendi. *Addit* verò rationem dicens, Inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt, non quòd existimet Concilium animas defunctorum magicis incantationibus moveri de loco suo, etiamsi in phantasmate appareant, cùm à Magis evocantur: sed quia sciebat cultum illum superstitiosum esse, ac proinde Sanctis displicere, & spiritus eorum eô dici inquietari: Sicut ad Ephes. 4. Spiritus sanctus nostris pravis operibus contristari dicitur. *Vel*, ut exponit Garsias Loaysa exponens præfatum Canonem, spiritus Sanctorum intelliguntur, non mortuorum, sed viventium; nam fideles in Scriptura Sancti appellantur; ideo verò dicerentur inquietari illô ritu, quia ille superstitionem & imitationem Gentilium redolere videretur.

Postquam verò deficiente Gentilitate, Christi invaluit religio, tùm demum Fideles procul ablegatô metu, vel suspicione approbandi, vel imitandi profanos Gentilium ritus, cereis accensis Christianorum exequias prosecuti sunt. Scribit namque S. Hieronymus ad funus S. Paulæ, ingentem fuisse concursum Clericorum, & Monachorum cereos ardentes deferentium. Gregorius etiam Nyssenus in vita Macrinæ Sororis commemorat Clericos, qui ei justa persolvebant, funus comitantes, cereos accensos præ manibus habuisse.

Et S. Hieronymus.

Ad S. Hieronymum dico, præfatis verbis non improbare ritum accendendi cereos in templis Christianorum, sed tantùm Vigilantio demonstrare, quòd falsò Catholicis imponat, & quòd B si aliqui propter imperitiam in cœmeteriis, vel coram sacris Martyrum reliquiis cereos accendant interdiù, non propterea culpandi sunt, cùm pro honore Martyrum id faciant, ac subinde nihil perdant, & sui operis mercedem sint accepturi; imò eorum opus approbat, subdit enim: *Nam & absque Martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed in signum lætitiæ.* Igitur censet in signum lætitiæ posse lucernas interdiu accendi super Martyrum sepulchris, C & ad significandam lucernam æternam, quæ post caducam hanc vitam piorum animis affulget.

IX. Sacrarum reliquiarum cultus in idololatriā non inducit.

Objiciunt quintò. Id non est exponendum fidelium venerationi quod potest in superstitionem ducere: at tales sunt Sanctorum reliquiæ, quia pro veris possunt esse suppositititiæ: & sic qui illas veneraretur, indebitum ac superstitiosum cultum exhiberet.

Respondeo primò plurimas, ut diximus, Sanctorum reliquias miraculis esse illustres, & in dies clarere prodigiis, quibus illarum veritas & virtus apertè fit cognita. *Dico secundò*, Concilium Tridentinum sess. 25. huic abusui impediendo sufficienter providisse, dum præcipit eas reliquias fidelium venerationi non esse exponendas, nisi D priùs Episcoporum judiciô, ut legitimæ approbentur. *Dico tertiò*, quòd etsi his non obstantibus contingeret aliquas reliquias esse suppositititias; inde tamen non esset damnanda circa eas fidelium veneratio, quæ in hoc casu esset duntaxat superstitio materialis, non verò formalis, cùm fideles haberent intentionem venerandi alicujus Sancti reliquias, & ad id suam venerationem dirigerent.

CONCLUSIO SECUNDA.

I. Colendæ sunt sacræ reliquiæ cultu respectivô.

Reliquiæ Sanctorum veneranda sunt cultu respectivò, eò scilicet quò eorum imagines sunt E *colendæ*. Ita sanctus Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. ubi universim de omnibus sacris venerandis ait: *Omnia quæ Deo dedicata, atque consecrata sunt ita adoramus, ut cultum & venerationem ad eum referamus.* Idem docet Author Epist. 27. apud S. Hieron. qui loquens de veneratione, quam sancta Paula exhibuit locis & rebus per humanitatis Christi contactum & præsentiam consecratis ait: *Inde specum Salvatoris ingressa, postquam vidit sacrum Virginis diversorium & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est, me audiente jurabat, se cernere fidei oculis infantem pannis involutum, va-* A *gientem in præsepio, Magos adorantes Dominum, &c.* Hinc ipsa Paula dicebat: *Ego misera atque peccatrix in ligna sum deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit.*

His etiam suffragatur ratio, quia res inanimes, quales sunt reliquiæ, per se non sunt capaces honoris aut contumeliæ, nisi quatenus dicunt ordinem & necessitudinem cum rebus ratione præditis: igitur in tantùm Sanctorum reliquiæ venerandæ sunt, in quantùm dicunt respectum ad ipsos Sanctos, seu ad eorum animas præcellenti virtute, gratiâ & beatitudine illustres. Idem itaque ferendum est judicium de reliquiis ac de sacris imaginibus, quanquam judicem sacras reliquias ampliori cultu & veneratione dignas esse, B quam Sanctorum imagines, tùm quòd Deus sæpius ad reliquiarum quàm imaginum præsentiam miracula operetur: tùm quòd corpora Sanctorum maximè deservierint ad virtutis exercitium; & consequenter, inquit Tertullianus librô de Resurrectione carnis, *Non possunt separari in mercede quas opera conjungit:* Tùm denique quia illæ venerandæ exuviæ non solùm viva fuerunt templa Spiritûs sancti variis sacris unctionibus delibuta, sacramentorum frequentatione pluries consecrata, & speciali ac jugi animæ sanctissimæ non solùm contuberniô, sed & motibus, operationibus, C ac præclaris facinoribus illustrata. His enim omnibus & aliis similibus gloriæ titulis, ampliorem sibi vendicant honorem, & venerationem, quàm imagines quæ duntaxat prototypi similitudinem referunt.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Sancti sint invocandi?

I. Quinam hæretici negârint sanctos esse invocandos.

Notandum primò, Sanctorum opitulationem & mediationem ab eisdem hæreticis impugnari, qui venerationem insectantur: nam Vigilantius apud Hieronymum libellô 1. contra eundem, D impiè dicebat; *Dum vivimus mutuò pro nobis orare possumus, postquam mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio.* Non minore impietate Copronymus publicô edictô prohibuit Sanctorum intercessionem, ut testantur Suidas in Copronymo, & Glicas 4. annalium. Eandem hæresim sectati sunt *Vualdenses* ex Guidone hæresi 16. *Lollardi* ex Trithemio in Chronico ad annum 1315. *Vvicleffistæ:* nam ut refert Vualdensis, Vvicleffus lib. 3. Trialogi dicebat, *Stultum esse Christum fontem paratiorem relinquere, & ad rivos turbidos & remotos* (sic Sanctos appellat) *accedere. Lutherani* hanc, ut omnes ferè alias veteres pridem sepultas hæreses, etiam ab inferis suscitârunt: nam E Lutherus in postilla majore super dominicam septimam post Trinitatem ait: *Divi Petri merita ne se quidem redimere: quomodo autem mihi auxiliarentur, cùm neque sibi ipsi opem tulerint.* Ei in hac impietate subscripsit Calvinus lib. 1. Institutionum c. 14. ubi dicit solùm Deum esse orandum, & invocationem Angelorum appellat, *Platonicam Philosophiam.*

II. Sancti sunt nostri mediatores apud Deum

Notandum secundò, Sanctos meritò appellari mediatores nostros apud Deum; mediatoris siquidem qualiscunque nota propria, est intercessio, hoc est, deprecatio & conciliatio, quâ in gratiam potentioris aliquis reducitur, præsertim alienati & offensi: quanquam enim Christus apud Patrem hujusmodi functionem primariò exercent,

Sanctamque suam Ecclesiam custodias, quæque huic [A] *imminent scandala, intercedente immaculatâ Deiparâ Virgine Mariâ, omnibusque Sanctis, avertat.*

Similiter Concilium Chalcedonense Act. 11. post medium, hanc veritatem confirmat: nam in eo Patres clamârunt: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et Concilium Trid. sess. 25. in decreto de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus, definit *bonum & utile esse Sanctos invocare, &c.* & damnat contrarium asserentes.

4. Authoritas SS. Patrum & veterum Ecclesiæ Doctorum.

Probatur tertiò authoritate SS. Patrum, & veterum Theologorum: imprimis Origenes lib. 8. contra Celsum, Sanctos orare pro nobis, Deumque placare demonstrat: *Habent enim*, inquit, [B] *sensum eorum, qui Dei benevolentia digni sunt: nec solum erga eos, qui digni sunt, bene sunt affecti: sed & omnibus opitulantur, qui summum colere Deum cupiunt, quem & propitium reddunt, & cum iis communiter precantur, ac simul postulant.* Quapropter lib. 2. in Job ait: *O beate Iob ora pro nobis miseris, &c.* & in lamentatione: *O Sancti Dei, vos lachrymis, fletu, dolore pleno deprecor, ut procidatis misericordiis ejus pro me misero.* Et posteà: *Hac mihi Pater Abraham deprecare pro me.*

Origenis.

Basilii.

Subscribit S. Basilius homil. 20. de quadraginta Martyribus, ubi ait: *Quantùm laborares, ut vel unum invenires, qui pro te Dominum rogaret? Ecce quadraginta sunt concordem effundentes orationem.* [C] *Vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine Domini, ibi in medio ipsorum est. Vbi ergo quadraginta sunt, quis de illius præsentia dubitabit? Qui affligitur, ad quadraginta confugit; qui lætatur, ad ipsos occurrit. Hic, ut malorum exitum inveniat: ille, ut in secundis rebus conservetur. Hic religiosa fœmina pro illis orans invenitur; ac peregrè agenti viro reditum postulans; aut ægrotanti sanitatem. Cum Martyribus postulata nostra jungantur.* Tum quibusdam interpositis: *O communes*, inquit, *custodes humani generis: boni curarum participes; orationis adjutores: legati potentissimi.*

Gregorii Nazianz.

Adstipulatur S. Gregorius Nazianzenus oratione funebri in S. Basilium, ubi circa finem sic eum exorat: *Tu verò, divinum & sacratum caput,* [D] *è cœlo nos aspice; & carnis stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, vel precibus tuis siste; vel persuade fortiter ferre: ac totum vitæ nostræ curriculum ad id, quod maximè conducibile est, dirige. Postquam autem excesserimus è vita, illinc nos etiam in tua tabernacula suscipe; ut simul viventes, & sanctam ac beatam Trinitatem intuentes, &c.* Eâdem precandi formolâ S. Athanasium compellat in fine Orationis 21. Et in Oratione 24. de eodem loquens Athanasio: *Hunc res*, ait, *nostras è cœlo prospicere, ac manum porrigere iis, qui virtutis causâ laborant, eòque id magis facere, quò vinculis corporis expeditus est.*

Gregorii Nysseni.

Concordat S. Gregorius Nyssenus oratione in [E] S. Theodorum, cujus his verbis auxilium sic præclarè postulat: *Intercede pro patria apud communem regem.... Timemus vexationes: expectamus pericula. Non longè absunt nefandi Scythæ, qui bellum contra nos meditantur. Tanquam miles pro nobis pugna: tanquam Martyr pro conservis utere libertate. Quamvis è vita excesseris: at nosti perpessiones & necessitates humanæ naturæ. Pacem postula.* Tum ita pergit, *Nos enim quòd incolumes sumus servati, tibi acceptum referimus. Postulamus autem & futuri securitatem temporis. Quod si majori advocatione, & intercessione opus est, fratrum tuorum Martyrum chorum congrega; & cum omnibus deprecare. Multorum justorum orationes, populorum ac multitudinum peccata dissolvant. Admone Petrum; excita Paulum; nec non Ioannem Theologum, & dilectum discipulum, ut pro fundatis à se Ecclesiis solliciti sint; pro quibus catenas gestârunt.*

Ambrosii.

Sanctus Ambrosius eandem veritatem pluribi commendat, maximè *epist. 53.* ubi refert quemadmodum sanctorum Gervasii & Prothasii corpora, revelante sibi Deo, repererit, in quorum sepulchro libellus etiam inventus est, in quo & eorum ortus ac finis scriptus erat, cujus hæc erat clausula: *Ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim noctè sancta corpora: & in domo mea, Deo solò teste, in ista arca saxea sepelivi: credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Iesu Christi.* At clarissimè hanc veritatem explicat in libro de viduis, ubi demonstrat sanctos mortuos perinde ac vivos pro nobis intercedere: cùm enim retulisset miraculum socrûs Simonis à Christo sanatæ ob intercessionem Petri & Andreæ, addit: *Ergo rogaverunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste, qui pro socru rogat, Petrus & Andreas frater ejus. Tunc enim pro affinitate poterant: nunc jam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare.* Pergit deinde; *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui propriò sanguine, etiamsi qua habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; qui & ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viverent, cognoscebant.*

Chrysostomi.

Id ipsum variis in locis commendat S. Chrysostomus, maximè verò in homilia panegyrica de Martyribus Ægyptiis. Et in Epistolam primam ad Cor. 1.12. ac in homilia de Sanctis Berenice, &c. ubi ait: Non solùm in hoc die festo, sed in aliis etiam diebus ad illas adhærescamus, deprecemur eas; oremus uti patronæ nostræ sint, magnam quippe fiduciam apud Deum obtinent, non viventes duntaxat, sed etiam mortuæ: imò mortuæ multò magis. Nunc enim stigmata Christi portant: hæc porrò stigmata monstrantes, nihil non Regi persuadere possunt, &c.

Hieronymi.

Sanctus Hieronymus clarissimè hanc veritatem ubique prædicat, maximè epist. 1. 25. & 27. at fusissimè in libro contra Vigilantium, ubi inter cætera hæc habet. *Dicis in libello tuo, quòd, dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: Præsertim cùm Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint, minùs valebunt, &c. Denique Sancti non appellantur mortui, sed viventes.* Quo nos item argumento Catholici contra Vigilantii sectatores Hagiomachos uti consuevimus, ad easdem diluendas calumnias.

Augustini.

Omnium optimè Sanctorum invocationem & opitulationem commendat S. Augustinus infinitis

propemoestimoniis : at præclarissimè sermone 51. de diversis cap. 6. de S. Stephano, cujus reliquiæ recèns inventæ fuerant: *Triumphavit*, inquit, *coronatus est : latuit tanto tempore corpus ejus: processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, & mortuos vivos facit mortuos, quia nec mortuus : Ergo hoc commendo charitati vestræ, ut sciatis, quòd orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia. Nam invenimus etiam in libellis, qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi: & accepisse tamen posteà beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est; & dedit postea Deus per Stephanum. Sunt verba orantis Stephani, & responsum est illi; Pro qua oras non est digna: hoc & hoc fecit. Et tamen institit, rogavit, accepit.*

Similia habet serm. 94. 96. & 99. nec non & libro de cura pro mortuis gerenda cap. 16. quærit *quomodo Martyres* invocantibus se interesse possint: & id censet vel Angelorum ministeriô, vel singulari Dei gratiâ fieri. *Deus*, inquit, *omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbet hominibus ista solatia.* Sed & in libro 7. de baptismo contra Donatistas sub initium, *Adjuvet itaque nos in orationibus* (ait de S. Cypriano loquens) *in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginata nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.*

Missos facio omnes alios celebres posteriores ejusdem veritatis assertores, qui constanti traditione à Patribus acceptum Sanctos invocandi ritum, ad nos usque propagârunt: sat enim est demonstrasse illos sanctissimos Ecclesiæ Doctores, quorum tempore adhuc illibatam viguisse fidem, ac puram Evangelii doctrinam, non denegant hæretici, ut inde constet illos nefario errore detineri, dum Sanctos invocare, grande piaculum deputant.

VIII.
5. Ratione.
1 Illa invocatio non detrahit quidquam dignitati Mediatoris.

Probatur insuper hac ratione. Si superstitiosum, *vel* illicitum esset Sanctorum opem implorare, maximè *vel* quia hoc redundaret in Christi injuriam; *vel* quia ipsi nos orantes & interpellantes audire non possunt; *vel* quia non possunt opem & subsidium ferre; *vel* quia nolunt: at nullum istorum verum est: igitur Sanctos interpellare & invocare non est illicitum. Majorem admittunt hæretici, his namque potissimùm quatuor capitibus Sanctorum interpellationem impugnant. Probatur minor quantùm ad singulas partes: *Primò* namque certum est Sanctorum invocationem non esse Christo injuriosam, tum quia absque Christi injuria oramus Sanctos & viros justos viventes, ut pro nobis Christum obsecrent: quid-ni igitur etiam citra injuriam Christi licebit interpellare vitâ functos? quippe qui non aliter eos, quàm apud nos viventes invocemus, hoc est, non ut Deos, nec ut Christos, sed ut amicos Dei & Christi. Tum quia non invocamus Sanctos, ut gratiam largiantur, vel remissionem peccatorum conferant, vel alia beneficia impendant, sed ut suis precibus apud Deum agant, quatenus ipse bonorum omnium author & largitor, à nobis postulata & experita largiri dignetur. Tum quia non illos interpellamus, ut mediatores redemptionis: unus siquidem & solus redemptionis mediator Christus est: sed ut mediatores intercessionis, non quidem primarios & principales (hanc enim dignitatem solus Christus sibi vendicat) sed ut intercessores secundarios, & minùs principa-

A les, quorum preces omnem vim & efficaciam ex Christi meritis obtineant: igitur cùm Christi gloriæ & ministerii dignitati nihil detrahat sanctorum virorum interpellatio, nec etiam derogare censenda est invocatio eorum, qui licèt vitâ corporeâ sint functi; nihilominùs vivunt apud Deum, penes quem est fons vitæ.

2. Sancti preces nostras agnoscunt.

Nec etiam illicita & frustranea foret Sanctorum invocatio, quia preces nostras audire non possent, ut ore foetido contra hanc religiosam observantiam effutivit Calvinus lib. 3. Institutionum cap. 20. num. 24. *Quis tam*, inquit, *usque longas esse illis aures revelavit, quæ ad aures nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent?* Dico enim quòd etsi

B Sancti in cœlis degentes corporis aures & oculos non habeant (si beatam Virginem & eos, qui cum Christo resurrexerunt excipias) habent tamen oculos & aures spirituales, quales sunt in Angelis, qui Lucæ 15. lætantur de conversione peccatoris: quales habuit Samuel, qui 1. Reg. 9. Saüli indicavit asinas, quas quærebat, inventas esse: quales habuit Elizæus, dum 4. Reg. 6. intima Regis Assyriorum consilia penetrabat, & illa Israelitarum Regi renuntiabat. Cùm enim Sancti clarâ Dei visione illustrentur, omnia quæ ad eorum statum pertinent intuentur & audiunt. Hinc S. Ambrosius lib. de viduis, Martyres appellat spectatores vitæ actuumque nostrorum. Unde S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialog. c. 33.

C *Quia*, inquit, *in illa æterna felicitate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Idipsum probat S. Augustinus lib 2. de Civit. Dei c. 29. allatô exemplô Elizæi.

Nec refert quòd idem Augustinus lib. *de Cura pro mortuis gerenda*, videatur asserere Sanctos ignorare quæ agantur, sed vel ab Angelis audire posse, vel revelante spiritu Dei: nam cap. 16. cùm dixisset Martyres ipsos interdum præsentes adesse supplicantibus, ut opem suam invocantibus præbeant: quod probat exemplô S. Felicis, qui visibiliter apparuit Nolanis Civibus, ut illos à

D barbarorum obsidione liberaret; subinde dubitans proponit utrum *Martyres per seipsos adsint uno tempore tam diversis locis, & opitulentur iis, quos per eos certum est adjuvari, an iis generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, Deus exaudiens Martyrum preces, per Angelica ministeria usquequaque diffusa præbeat hominibus ista solatia*, &c. *Res hæc altior est*, inquit, *quàm ut à me possit attingi, & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari: & ideo quidquid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum: aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo: mallem à scientibus ista perquirere.*

E At illud ipsum, quod hæsitando in medium protulit Augustinus, & probabile putavit, asseverantiùs docuit Hieronymus, Sanctos neutiquam certis affixos esse sedibus, ut huc illucque volitare ad opem ferendam nequeant: & hoc arguentem Vigilantium acriori oratione pungens ab veterno excitat. *Ais*, inquit, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & Martyrum consedisse: nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere; sed in libera honestaque custodia in Fortunatorum insulis, & in campis Elisiis recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vin-*

cula injicies, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo; de quibus scriptum est: Sequuntur agnum, quocumque ierit? Si agnus ubique: ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cùm diabolus, & dæmones toto vagantur orbe, & celeritate nimiâ ubique præsentes sint; Martyres, post effusionem sanguinis sui, arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?

3. Possunt nobis opitulari.

Non etiam tertium, nempe quòd eâ authoritate non valeant, ut aliquid suis precibus pro nobis à Deo impetrent: nam ut ait sanctus Augustinus sermone 1. de sancto Stephano: *Commendemus nos orationibus ejus, multo magis enim nunc exaudietur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est pro lapidatoribus.* Idem supra contra Vigilantium urgebat sanctus Hieronymus. Quapropter sanctus Bernardus sermone in Vigilia Sanctorum: *Nos tria* inquit *in festivitatibus Sanctorum considerare debere, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus quia potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui, &c.*

4. Id volunt & cupiunt.

Non denique quia nolunt: enimverò si dum mortales viverent, tantâ erga proximum charitate flagrârunt, ut eorum unusquisque cum Apostolo dicere posset, *Cupiebam anathema esse à Christo pro fratribus meis*, quantò ferventior & constantior erit eorum amor in proximum, non tantùm gratiâ sanctificante excitatus, sed & gloriâ consummatus? Unde S. Bernardus loco mox laudato: *Si Sanctus, dum hic viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro illis: nunc tantò amplius, quantò verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, qui beata illa patria Charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit: nec enim quia impassibilis omninò, ideo & incompassibilis factus est, sed nunc potiùs induit sibi viscera misericordiæ, cùm ante fontem misericordiæ existat.*

IX. Sancti sunt invocandi triplici causâ.

His adde quòd, ut inquit Seraphicus Doctor in in 4. dist. 45. quæst. ult. Deus decrevit & voluit quod Sanctos rogaremus triplici ex causa, scilicet propter nostram inopiam, Sanctorum gloriam, & Dei reverentiam. *Propter inopiam in merendo*, ut ubi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena: *Propter inopiam in contemplando*, ut qui non possumus summam lucem aspicere in se, aspiciamus in Sanctis: *Propter inopiam in amando*, quia miser homo se magis sentit affici circa unum Sanctum, quàm etiam circa Deum: ideo compassus nostræ inopiæ voluit nos rogare Sanctos: ac per hoc patet primum: quia ille qui ante erat indignus de se, rogando Sanctos, eorum patrocinio efficitur dignus. *Secunda causa* est Sanctorum gloria; quia Deus vult Sanctos suos glorificare, vult per eos miracula facere in corporibus, & salutem in animabus, ut ipsos laudemus: & hoc non tantùm per supremos Sanctos, sed etiam infimos: unde sicut aliquis sanatur corporaliter invocando Petrum, alius è converso; sic & spiritualiter: & sic patet secundum, quia Deus vult honorem duliæ omnibus Sanctis dari. *Tertia causa* est Dei reverentia, ut peccator quia Deum offendit, quasi non audeat Deum in propria persona adire, sed amicorum patrocinium implorare: & sic patet tertium objectum, quia bonum est aliquando à Deo resilire propter reverentiam.

Objiciunt primò, hæretici varios Scripturæ textus: Primò quidem illud Isaïæ 63. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Secundò illud Apostoli ad Rom. *Quomodo invocabunt in quem non* A *crediderunt?* Cùm igitur non credamus in Sanctos, sed in Deum, non debemus illos, sed solùm Deum invocare. Tertiò illud 1. ad Timoth. 2. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Et 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum*: Igitur non debemus alium, quàm Christum interpellare.

X. Solvuntur Scripturæ authoritates, quæ ab hæreticis solent objici.

Respondeo ad primum, quòd etsi tunc temporis Abraham & Jacob non cognoverint quæ apud Israëlitas agerentur; non est consequens quòd Sancti nunc in cœlis degentes nesciant quæ apud nos geruntur: siquidem illi Patriarchæ tunc cum B cæteris justis erant in limbo, ubi clarâ Dei visione non illustrabantur. *Dico secundò*, Prophetam his verbis duntaxat significare, quòd illi Patriarchæ non cognoverint Israëlitas scientiâ & notitiâ approbationis, eò quòd pro legitimis filiis ipsos non habuerint, quia Judæi per peccata à suorum Patriarcharum virtute deviantes, degeneres erant, & indigni qui Prophetarum virtute filii nominarentur.

Ad secundum dico, Apostolum non asserere solùm Deum esse invocandum omniprorsùs invocatione, alioquin nec viros justos viventes, nec principes, aut alios homines pro qualibet gratia liceret interpellare: sed tantùm loquitur de invocatione suprema, quæ latriæ cultum habet an- C nexum, quæque in Deum tendit, tanquam in potentissimum & uberrimum bonorum omnium largitorem & fontem.

Ad tertium dico, Apostolum asserere Christum esse mediatorem unum, non tamen dicere eum esse unicum, quæ duo longè distincta sunt, nam vocabulum *unus* societatem alterius includit, *unicus* autem excludit. *Deinde*, dico Apostolum loqui de mediatore redemptionis, subdit enim, *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Idem sapit S. Joannes, nam addit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Hoc autem genere mediationis non negamus Christum esse unicum me- D diatorem. Sancti autem, ut suprà dicebamus, non dicuntur mediatores redemptionis, sed intercessionis. Hoc autem genus mediationis alteri à Christo competere non denegant Apostoli: quippe cùm ipsi viventes fuerint interpellati, ut pro ipsis ad Deum preces funderent.

Nec-non & illæ quas obtrudere solent ex S. Ignatio;

Objiciunt secundò, varias SS. Patrum trium priorum sæculorum authoritates; maximè *Ignatii* Epistolâ ad Philadelphenses, *Irenæi* lib. 2. cap. 57. *Tertulliani* in Apologetico cap. 30. *Clementis Alexandrini* librô Stromatum cap. 8. Origenis contra Celsum lib. 8. quibus præfati Doctores significant neminem præter Deum invocandum esse.

Verùm respondeo ex omnibus illis authoritatibus, E quas colligit & objicit Molinæus in c. 7. libri qui *Papismi novitas* inscribitur, nihil contra Catholicum dogma & Sanctorum invocationem legitimè inferri posse. *Primò* namque ad authoritatem Ignatii quam his verbis conceptam profert, *Virgines solum Christum pro oculis habete, & ejus Patrem in animabus vestris illuminata à Spiritu sancto*: dico istam sententiam, in germana epistolarum illarum editione, quæ nuper è Florentino codice est typis exarata, non occurrere, sicut nec in veteri editione latina.

Deinde, etiamsi præfata verba sint Ignatii, nihil hinc præsidii hæreticis affulget, solùm enim monet Ignatius inter-orandum, Deum habere præsentem: quod utique fit, cùm etiam ad ipsum per sanctos intercessiones dirigimus: nec particula,

solùm, ibi vim habet exclusionis, alioqui inter orandum non oporteret ullatenus cogitare de Spiritu sancto: siquidem solum Christum ejusque Patrem præ oculis habere monet Ignatius.

Ireneo.

Ad S. Irenæum dico, illum ibi exagitare hæreticos Valentinianos, qui Æonas suos & falsos Angelos invocabant, atque incantationibus operam dabant, quod execratur Ecclesia; *Quæ*, inquit, *mundè & purè & manifestè orationes dirigit ad Deum, qui omnia facit, & nomen Domini nostri Iesu Christi invocat.* Nihil autem simile profanum quid admittit, qui Sanctos vel Angelos colit & invocat.

Tertulliano

Ad Tertullianum dico, illum ibi redarguere Gentiles criminantes Christianos, quòd pro salute Imperatorum Diis non supplicabant, eosque irridet, quòd illam salutem postulent a Diis, qui dare nequeunt. Tum ista subjicit: *Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo scio me consecuturum: quoniam & ipse est, qui solus præstat.* Itaque ibi Tertullianus opponit dæmonibus omnium bonorum vacuis principalem bonorum omnium largitorem: non verò excludit intercessionem sanctorum Angelorum aut virorum.

Origene.

Ad Origenem dicentem soli supremo Deo esse supplicandum, dico illum duntaxat excludere supplicationem faciendam idolis ac dæmonibus; cùm enim Celsus dixisset: *Non soli Deo, sed etiam dæmonibus, propterea quòd Dii sint, credendum esse ac litandum.* Respondet Origenes: *Apage consilium illud Celsi dicentis, supplicandum esse dæmonibus. Non enim ullo modo ei auscultandum est. Quippe solus est orandus supremus Deus: sed & Vnigenitus ejus orandus, ac primogenitus omnis creaturæ, hoc est Verbum Dei; & postulandum ut ipse, tanquam Pontifex, orationem nostram, quæ ad ipsum pervenerit, ad Deum suum, Deumque nostrum perferre velit.* Manifestum est igitur illum supremum honorem, quem Celsus dæmonibus adhiberi volebat, Origenem asseruisse soli Deo esse deferendum. Non excludit ergo intercessionem Sanctorum, qui inferiores Christo mediatores existunt.

Clemente Alex.

Denique ad Clementem Alexandrinum dico, eum reprehendere Gentiles, quòd ab illis, qui non sunt Dii, tanquam à Diis aliquid perant: *Extrema, inquit, est inscitia, ab iis qui non sunt Dii, tanquam à Diis petere: vel ea petere quæ non conducunt, dum per bonorum speciem nobis mala postulamus. Vnde meritò cùm unus sit bonus Deus, ab ipso sole bonorum alia dari, alia conservari, orantes petimus tam nos, quàm Angeli.* Culpat ergo duntaxat eos, qui ab alio, quam à Deo bonorum omnium largitore aliquid obtinere posse existimabant: at dum Sanctos interpellamus, non ab alio expectamus postulationis nostræ effectum, quàm ab ipso Deo, quem Sanctorum suffragante beneficio convenimus & exoramus: igitur non est cur tantopere in præfatis testimoniis sui erroris apertum patrocinium habere glorientur hæretici.

XII.

Sanctorum invocatio non derogat efficacitati orationis Christi.

Objiciunt tertiò, Christus non solùm suâ morte, verùm etiam suis precibus nobis promeruit omnes gratias, omniaque dona nobis a Deo conferenda: & insuper semper vivit ad interpellandum pro nobis: igitur superfluæ sunt Sanctorum preces, & vana eorum interpellatio.

Nego consequentiam, sicut enim Christus quanquam omnem gratiam nobis per suam mortem fuerit promeritus, nihilominus voluit illam per sacramenta potissimùm nobis conferri: ita pariter licèt suis precibus omnia dona nobis necessaria meruerit, tamen plurima duntaxat ad instantiam & preces Sanctorum tam vivorum, quàm mortuorum nobis conferre decrevit.

Adde quòd si hac ratione illicitæ forent Sanctorum preces & invocationes, sequeretur etiam culpandas nostras ad Deum postulationes, nec nos posse quidpiam à Deo postulare citra injuriam Christi orationis merito irrogatam.

Objiciunt quartò, ex illa Sanctorum invocatione sequi nos illos tanquam Patronos & protectores venerari: at illud derogat gloriæ Dei, quem ut unicum protectorem & auxiliatorem tenemur invocare: igitur, &c.

Nec protectioni Dei

Distinguo majorem, ut patronos & protectores, qui authoritate ac potestate, suâ absolutâ nos tueantur, nego: qui suis precibus Dei protectionem & auxilium nobis obtineant, concedo: & similiter distinctâ minore nego consequentiam. Nulla enim inde Deo irrogatur injuria, quòd apud ipsum eos intercessores habeamus, quos tanquam amantissimos filios æternâ felicitate donavit. Hinc omnes SS. Patres suprà laudati non dubitant Sanctos ut protectores & patronos interpellare. Sic maximè sanctus Basilius oratione de 40. Martyribus, ait: O sanctum chorum! ô sacrum ordinem! ô cuneum impugnabilem! ô communes humani generi custodes! optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores legati apud Deum potentissimi!

Objiciunt quintò, Sancti non possunt attendere ad tot orationes, quæ ubique terrarum ad eos simul diriguntur: igitur earum plurimæ sunt frustraneæ.

Distinguo antecedens, si vim naturalem eorum intellectûs duntaxat spectes, transeat: si attendas divinam illustrationem, quæ fit per lumen gloriæ ad claram & intuitivam visionem Dei, eorum intellectum promoventis, ac sublimantis, nego: quemadmodum enim nonobstante illâ naturali humanæ mentis debilitate in tantùm roborari potest intellectiva facultas, ut ad intuitivum Dei conspectum assurgat, poterit longè majori facilitate percipere omnia prorsus humana quæ ad eorum statum spectant.

SECTIO TERTIA.

De eximia Deiparæ Virginis dignitate ac veneratione.

I.

Quare postremò locò de Virginis Deiparæ dotibus disputetur.

QUòd peculiarem de præcellentibus Deiparæ Virginis dotibus ac speciali cultu ei debito, disputationem ordine præposterô ad hujus tractatûs calcem adjiciendam esse duxerim, non abs re factum est; congruum namque censui, ut quæ ineffabilis Incarnati Verbi Oeconomiæ principium extitit, ejusdem mysterii tractatui, coronidem imponerer. Postquàm igitur de Christi Dei, & hominis eximiis præcellentiis & dotibus, quantùm pro modulo nostro licuit, hucusque disputatum est; ne aliqua ex parte hic tractatus deficiens & vacuus appareret, rationi consentaneum duxi, nonnulla de sacratissimæ ejusdem Incarnati Verbi Genitricis commendatione disputare. Verùm *cùm omni laudum lege, ô Virgo! gloria tua major sit excellentia*, aiebat sanctus Damascenus; eadem animum meum subit cogitatio, quâ percitus fuit sanctus Basilius Seleucus, dum orationem de Annuntiatione faciens, sic scribit: *Copiosam encomiorum materiam comperiet, qui sacram Dei-*

param Virginem laudibus effere institueris. Ego vero cùm non ignorem infirmitatem meam, tantarum rerum ponderi haud quaquam parem esse; mole exterritus multum diuque me continui. Nec enim quorumlibet est promeritas Virgini laudes persolvere: sed eorum qui divina gratiæ lumine insigniter illustrati sunt. Non etiam is mihi est animus per singulas ejusdem nusquam satis celebrandæ Virginis præcellentias excurrere, sed duntaxat referre ac resolvere eas omnes controversias, quæ tum ab hæreticis, tum etiam à nonnullis viris Catholicis proponi solent & agitari.

Sectionis distributio.

Sex itaque maximè occurrunt hîc determinanda. *Primum*, utrum Deipara ab omni prorsus originali peccato immunis fuerit, & ejus Conceptio omnino immaculata. *Secundum*, an expers fuerit omnis omnino peccati tam mortalis quam venialis. *Tertium*, an illibatâ Virginitate semper fuerit illustris. *Quartum*, an dignitate Matris Dei, & appellatione sit honoranda. *Quintum*, utrum non solùm animâ, sed & corpore in cœlo recepta sit. *Sextum* tandem, quis & qualis sit specialis cultus ei debitus.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum Virgo Deipara ab omni originalis peccati contagione & macula immunis fuerit, ejusque Conceptio dicenda sit omnino immaculata?

II.

Triplex distingui potest Deip. Virginis Conceptio.

NOtandum primò, triplicem distingui posse Deiparæ Virginis Conceptionem: nimirum corpoream, spiritualem & divinam. *Prima* est, quâ ipsius sanctissimi Parentes opere maritali invicem convenientes præstiterunt ea quæ maximè spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem & dispositionem ad recipiendam animam rationalem à Deo infundendam, quam utique Conceptionem Doctores *activam* appellare solent. *Secunda* est ipsa animæ infusio & unio cum corpore debitè organizato, quæ vulgò nominatur *Conceptio passiva*, quæ scilicet fit illô ipsô instanti, quô rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur. *Tertia* tandem, est ea quâ ipsa Virgo B. per singularem Spiritûs sancti in ea operationem, purissimum suum subministravit sanguinem ad Christi Domini corpus formandum & organizandum. Hîc autem non est sermo de hac posteriori Conceptione, quam utique sanctissimam, ac omnino immaculatam esse nullus Catholicorum ambigit. Quanquam autem præsens moveri posset controversia de Conceptione corporea, utrum videlicet ante animæ rationalis infusionem corpus. B. Virginis omni prorsus labe caruerit, fueritque munditiâ ac puritate conspicuum quò decentiùs ac perfectiùs sanctissimæ ipsius animæ sacrarium fieret: præcipuè tamen præsentis controversiæ cardo vertitur de Conceptione spiritali, seu passivè sumptâ; utrū videlicet eô instanti quô anima ipsius B. Virginis unita fuit corpori, omnino expers fuerit illâ hæreditariâ maculâ, qua ex vitiata propagine & origine labefactari solent omnes omnino homines, qui opere maritali concipiuntur & nascuntur.

III.

Prima controversia circa immaculatam Conceptionem videtur cœpisse tempore S. Bernardi.

Notandum secundò, varias ac gravissimas pridem agitatas fuisse controversias de illibata, & omnino immaculata Conceptione spiritali ac passiva Deiparæ Virginis, maximè verò circa annum 1142. cùm enim Lugdunensis Ecclesia statuisset celebrandum esse festivum diem octavum mensis A Decembris in honorem immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis, hoc audiens S. Bernardus ægrè tulit & ad ejusdem Ecclesiæ Canonicos scripsit illam celebrem epistolam (si tamen revera genuinus illius sit fœtus) in qua inter cætera sic eos carpit: *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare colorem optimum, novam inducendo solemnitatem, quam ritus Ecclesia nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus?* Cùm autem nonobstante hâc sancti Bernardi reprehensione, invaluisset ardentissimus zelus erga Deiparæ Virginis illibatam Conceptionem, & eam denuò impugnare cœpissent B viri aliunde religiosi & piâ in Virginem Deiparam devotione celebres, ejus tutelam ac patrocinium suscepit Subtilis Doctor. Is enim in *3. d. 3. q. 1. n. 4.* ubi primùm de Immaculata Conceptione sermonem facit, non ita quidem assertivè eam ibi propugnat, sed duntaxat solvit omnes rationes, quibus illibata Virginis Conceptio impugnari videbatur. Nam cùm dixisset, *Quod Deus potuit facere quòd ipsa* (beata Virgo) *nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur.* Demum cum omni submissione, pro solita sua modestia ac humilitate, suam sententiam non assertivè, sed dubitativè profert, his verbis *Quid autem horum trium, quæ* C *ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit: si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ*; nempe quòd Deus illam ab originali peccato illæsam servaverit. Verùm postmodum animosior factus *dist. 18. n. 13.* absolutè & apertè pronuntiat, quòd *B. Virgo mater Dei nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuisset tamen, nisi fuisset præservata.* Quam utique sententiam solemnibus disputationibus & concertationibus assiduis ita fœliciter propugnavit, ut in eam omnes celebriores doctores, maximè verò Parisienses pellexerit.

IV.

Secunda à tempore Doctoris Subtilis.

Qui immaculatam Conceptionem primò timidè.

Demùm animosè propugnavit.

Maximè Parisiis.

Nam (ut refert Cavellus in Rosario sæculo 14.) D jussu summi Pontificis habita solemni disputatione coram Facultate Parisiensi, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, de Immaculata Conceptione tantâ ingenii subtilitate, tantâ solutionum facilitate & perspicuitate, omnia adversa argumenta mirâ dexteritate confregit & refellit; suamque piam sententiam de Conceptione Mariana, ipsius Mariæ fretus auxiliô, argumentorum pondere, tot tamque urgentibus rationibus comprobavit & monivit, quod celeberrimam illam facultatem matrem Universitatum in suam piam traxerit sententiam; quæ in gratificationem nomine E *Doctoris Subtilis* ipsum condecoravit: & acerrimis ejus disputationibus inducta, sacrum illud & celebre Marianum decretum condidit, ne scilicet inposterum quisquam ad magisterii gradum admitteretur, qui totâ vitâ se propugnaturum Immaculatam Conceptionem jurejurando non adstringeret. Posteà Scotus Coloniam profectus victoriam pro Immaculata conceptione ex discipulis *Alberti Magni* reportavit; & nomen *Doctoris Subtilis* ibi denuò est solemniter acclamatum. Fertur etiam à Pontifice in præmium eidem datum. Hactenus Cavellus. Illud ipsum confirmat Bosius de signis Ecclesiæ tom. 1. sig. 36. lib. 9. cap. 8. ubi ait: *Conceptionis porro festum Scoti acutissimi Theologi doctrinâ maximè confirmatum, &c.* Salazar c. 42.

Et Coloniæ.

V.

Unde ejus operâ hæc pia opinio plurimùm invaluit.

sæculô 14. *Ioannes Duns Scotus præcipuus ac maximus puræ Conceptionis vindex, qui tantam huic doctrinæ suâ authoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante, vel post ipsum.* Et cap. 13. nu. 1. *Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatæ Conceptionis propugnandæ author extitit; ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re ad majorem Virginis gloriam facere possit.* De Parisiensi autem disputatione ita scribit Bernardinus de Bustis in officio Immaculatæ Conceptionis à Sixto IV. approbato lectione 4. *Dominus noster Iesus Christus ad protegendam dilectæ Matris dignitatem, Scotum Ordinis Minorum Doctorem eximium ad civitatem illam protinus destinavit, qui adversariorum fundamentis, argumentisque omnibus inconvincibili sermone confutatis, ita Conceptionis Dominæ innocentiam clarissimè comprobavit, quòd omnes illi Fratres sublimitatem ejus plurimùm admirati, obmutescentes in disputando defecere. Quapropter opinio Minorum à Parisiensi studio illicò approbatur.*

Quæ primùm dicta fuit *opinio Minorum*:

Neque mirum videri debet, quòd piam de Immaculata Conceptione sententiam appellaverit *opinionem Minorum*; hôc enim nomine primitus vulgabatur, ut patet ex Abbate Panormitano *cap. conquestus de feriis.* & Joanne Varsone in 3. dist. 3. & Salazar cap. 42. sect. 15. Unde Hieronymus Hormachea in Cantic. Proleg. 3. cap. 180. *Iure optimô Religionem Seraphicam appellare possumus vexilliferam in hac pia sententia de Immaculata Conceptione, &c.*

Sed accedente authoritate sacræ Facult. Parisiensis, per omnem Ecclesiam invaluit.

Quoniam post Doctorem subtilem, totus Ordo Seraphicus in eam sententiam propugnandam conspiravit, donec accedente totius sacræ Facultatis Parisiensis authoritate, studio, ac indefessô labore factum est, ut hæc pia sententia per omnes Christiani orbis plagas propagaretur, & ita invalesceret, ut non jam solius Ordinis Minorum, opinio, sed omnium Christi fidelium esse videatur. Hîc non refero alias hac de re postmodùm subortas controversias, quas in hujus quæstionis decursu aperiemus.

Notandum tertiò, Immaculatæ Conceptionis nomine nihil aliud (ex sententia omnium Doctorum, qui ab exorta circa eam in scholis controversia scripserunt) intelligi debere quàm carentiam maculæ peccati originalis in ipsa B. Virgine illô primô instanti, quô ipsius anima corpori fuit unita, ac verè potuit affirmari, *concepta est Maria*; itaut omnes hæ propositiones, quas passim reperies apud Authores, qui de ista Immaculata Conceptione scripserunt, sint omnino æquivalentes, & eandem prorsus significationem obtineant, putà, Conceptio B. Virginis est immaculata,

VI.

Quis sit verus & apertus præsentis quæstionis sensus.

aut B. Virgo in primo instanti suæ animationis, fuit munda & immunis ab originali peccato: *aut* B. Virgo præveniente & operante divinâ gratiâ, nunquam actualiter subjacuit peccato originali: *vel* B. Virgo peccatum originale non contraxit: *vel* B. Virgo in primo instanti sui esse habuit gratiam sanctificantem: *vel* B. Virgo à peccato originali fuit præservata: & plures aliæ similes propositiones, quæ indiscriminatim à Doctoribus, verbis duntaxat variatis, sed eodem vigente sensu, ad explicandam hanc piam sententiam usurpantur; adeo utqui quamlibet illarum proferret, ita apertè Conceptionem immaculatam enuntiaret, ac si prædictis omnibus propositionibus & loquendi modis simul uteretur. Cujus ratio est, quod etsi vox *immaculata* latiùs pateat, quàm puritas ab originali peccato; attamen dum additur Conceptioni, determinatur & restringitur ad solam culpæ originalis carentiam significandam; nam in instanti Conceptionis nec alia contrahi potest macula, nec formaliter per gratiam præservantem impediri ac eliminari, quàm quæ hæreditaria propagine à vitiata humani generis stirpe, in omnes homines grassatur. His ita prælibatis, sit

CONCLUSIO UNICA.

V*Irgo Deipara reverà immunis fuit ab originali peccato, & ab eo præservata per gratiam sanctificantem ipsi divinitus infusam in primo suæ Conceptionis, aut animationis instanti.* Hæc conclusio firmari potest gravissimis momentis, quæ majoris claritatis & methodicæ disputationis gratiâ, proponemus & expendemus sequentibus in Paragraphis.

§. 1.

Deiparæ Virginis immaculata Conceptio & animatio ex Scriptura sacra non obscurè colligitur.

VII.

Probatur immaculata conceptio ex S. Scriptura.

MEritò Christus Dominus dicebat Joan. 5. *Scrutamini scripturas... & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*, ut Judæorum ignorantiam & cæcitatem obliquè perstringeret, quòd cùm se in sacris litteris peritissimos esse putarent, eum esse verum Messiam tot oraculis repromissum non deprehenderent; quanquam enim ejusmodi verba de seipso duntaxat pronuntiaverit adorandus ille Salvator: attamen per sensum accommodatitium, eadem usurpare potest Beatissima Virgo.

Non quidem apertis oraculis & explicitè: sed ad minùs implicitè.

Quanquam enim, ut docet sanctus Thomas 3. part. quæst. 27. art. 1. *Quòd de sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica tradatur*: attamen quia inquit S. Paulus 2. ad Timoth. 3. *Omnis sacra Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo, ad omne opus bonum instructus.* Et ut egregiè docet subtilis Doctor quæst. 2. Prologi ad 1. argumentum principale: *Nulla scientia omnia scienda*, (in ipsa scilicet) *explicavit; sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici: unde multæ veritates necessariæ, non exprimuntur in sacra Scriptura, & ibi virtualiter continentur; sicut, conclusiones in Principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor Expositorum & Doctorum*: Hinc est quòd si divina Scripturarum oracula scrutemur, id est, profundâ mentis attentione perpendamus, & consideremus maximé secundùm interpretationem SS. Patrum & celebriorum Ecclesiæ Doctorum, reperiemus plurima, quæ Virginis Deiparæ, immaculatæ ac purissimæ Conceptioni patrocinantur. Ex innumeris autem ejusmodi Oraculis, quæ huic veritati testimonium perhibent, selectiora quædam proponam.

VIII.

1. Quia B. Virgo prædicitur perpetuas simultates & inimicitias habitura cum dæmone.

PRIMUM sit illud Genes. 3. ubi Deus serpentem mulieris expugnatorem alloquens ait v. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quibus verbis significabat: *Non istam Evam*, inquit Lyranus noster, *sed aliam ab ea descendentem, scilicet Virginem Mariam, quæ est infesta dæmonibus: unde Canticorum 3. dicitur; terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cujus rei perspicuam rationem reddit S. Hieronymus, vel quisquis est author epistolæ ad Amicum ægrotum de viro perfecto: *Mater Domini*, inquit, *in illa jam muliere promissa est: Hæc*

inimicitiis opposita est serpentis. Et ne hoc ad Evam pertinere videretur, non dixit, pono, sed ponam; illam indicans mulierem, quæ Salvatorem pariat, non quæ generet fratricidam. Cui præluserat S. Cyprianus lib. 2. testimon. adversus Judæos cap. 9. *Verbum promissionis est*, inquit, *quod transmittitur in futurum. Non dixit pono: ne ad Evam pertinere videretur: sed ponam, id est, suscitabo contra te mulierem.* Alteram ejusdem significationis rationem profert S. Epiphanius lib. 3. adversus hæreses, quam colligit ex his verbis, inter semen tuum & semen illius: *Nusquam autem*, inquit, *reperitur semen, solius mulieris, nisi in Maria. proinde non potest totum in Eva impleri.* Cui subscribit Rupertus lib. 3. de Trinit. cap. 19. cùm ait: *Ita est semen seu filius mulieris* (Christus) *ut non etiam sit semen viri*, & propterea non absque mysterio ab ea sola denominationem accepit.

Ex hoc autem oraculo triplex depromi potest argumentum, quô probetur Virginis Deiparæ immaculata conceptio: *Primum* quidem, perpetua fuit inimicitia, eaque infensissima inter Mariam & dæmonem serpentem: at si etiam per aliquod instans inquinata fuisset originali peccatô, pro eo instanti non fuisset ipsius inimica, sed amica, utpote ei consentiens & subdita: & Deo minitanti, Inimicitias ponam inter te & Mariam, respondere posset serpens, Sed ego priùs per originalis culpæ vinculum amicitias cum ea jungam, arctiorem necessitudinem cum illa inibo, eam superabo, dejiciam, & in meorum captivorum numerum recensebo; similes iniquitate erimus, stabimus contra te infesti & injurii, &c. Quæ omnia directè militant non solùm in Dei gloriam, sed etiam in illius divini oraculi veritatem: igitur cùm hostiles inimicitias Maria semper cum dæmone serpente habuerit; nullus sanæ mentis judicabit illam cum ipso per originale peccatum amicitias & fœdus iniisse. Confirmatur: Sicut enim amicitia vel supponit, vel efficit similitudinem & paritatem: sic & inimicitia dissimilitudinem & contrarietatem: *Hoc enim*, (inquit Rupertus mox laudatus) *a fraudibus inimicitiæ differunt, quod fraudes pacatam sermonis cujuslibet rei prætendunt superficiem: inimicitiæ verò manifestam contrarietatis habent intentionem:* igitur eatenùs Maria dicitur inimica serpenti, quatenus ei dissimilis est: at nisi in primo instanti conceptionis suæ fuisset à Deo præservata à labe originalis culpæ, non potuisset dici absolutè dissimilis serpenti; igitur ut illius divini oraculi stet veritas, nec aliquod unquam vestigium similitudinis & amoris intercessisse existimetur, necessum est, quòd etiam in primo instanti suæ conceptionis ipsa serpenti fuerit dissimilis & adversaria.

Cujus debebat caput conterere, nempe peccatum originale.

Secundum argumentum petitur ex illis verbis, *Ipsa conteret caput tuum: Nam*, inquit S. Augustinus, vel quisquis est author commentarii in Genes. *Cum subjectio peccati originalis caput sit diaboli. tale caput Maria contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.* Ex quibus hæc formari potest ratiocinatio: Originale peccatum omnium peccatorum caput est, & initium, quod serpentini capitis more in omnia alia suum corpus & influxum derivat, & sensim inducit: sed istud serpentinum caput Maria contrivit: igitur à pestilenti ejus afflatu, & morsu omninò immunis fuit & libera.

Tertium denique argumentum colligi potest ex illis verbis, *Insidiaberis calcaneo ejus*, hoc est, illius vitæ exordium frustrà labefactare ac infestare tentabis: Ex quibus sic argumentor: Si beatæ Virginis conceptionem & primum illius animationis instans suis insidiis ac fraudibus per originale peccatum surripuisset, ac deturpasset dæmon, illius calcaneus dici posset fœdatus, nec exinde aliquam sibi pulchritudinem ac dignitatem Virgo Deipara vendicaret: at illa maximè commendatur ex calceamentis, appropriatur enim ei istud Cantic. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* quasi diceret, Gressuum tuorum pulchritudo ac rectitudo viarum, ex quo primùm movisti pedem, inde maximè celebratur, quia semper es filia Principis, primogenita dilectionis ejus, & electa genitrix. Eva peccati quidem ancilla, cæteri filii vindictæ, filii gehennæ, dum formantur, & primum gressum ad vitam faciunt, ruunt in mortem. Tu verò in tuæ Conceptionis transcensu, non minùs pulchrè quàm confidenter gressum facis.

Et ipsum dæmonem in primo suæ vitæ instanti debellare.

Quam utraque interpretationem sic egregiè explicat Rupertus, cùm ait: *De calceamentis hic agitur non corporis, sed spiritus, in quo discalceatum esse, summa est ignobilitas, & plusquam servilis egestas: idcirco ancillæ calcaneum serpens momordit, tu autem filia Principis bene calceata, caput serpentis contrivisti. Tu maximè, ô Princeps & Domina singularis dilecta, &c.*

LX.

1. Quia oriens stella fuit nullâ peccati nebulâ fuscata.

Secundum testimonium, Deiparæ Virginis immaculatam Conceptionem demonstrans, petitur ex illis verbis Numer. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel; & percutiet duces Moab, &c.* Ex quibus verbis triplex colligitur argumentum ad illam Deiparæ Conceptionis puritatem evincendam. *Primum* quidem, Maria dicitur stella, nam ut præclare ait S. Bernardinus Senensis sermone de glorioso nomine Virginis a. 1. cap. 3. *Ante adventum hujus Virginis, peccati nebula totum mundum occupaverat, ut non esset qui verum lumen videre posset: erant enim Gentes omnes nebula turbinibus agitata, ut dicitur.* 2. Petri 2. *Proinde in tenebris morabantur, unde meritò de talibus* Nahum. 1. *Scriptum est. inimicos ejus prosequentur tenebræ. Tandem processit B. Virgo sicut fulgida stella, ut de ea dici possit illud* Eccles. 50. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, &c.* at stella nusquam tenebris ac caligine infuscatur: Concludendum ergo cum nostro Maironio serm. de Concept. B. Mariæ, *quòd sicut lux Aurora oriente sole, mane absque nubibus rutilat: ita anima Virginis semper resplenduit absque nubibus peccatorum.*

Omnes quidem Adæ posteri originariô piaculô obnubilati concipiuntur, sola Maria inter omnes innocens, & immaculata eminùs promicabat. De cæteris quidem Job ait, cap. 3. *Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Quæ verba sic expendit Lyranus noster, ut refert Pelbartus lib. 4. p. 1. art. 5. *Ibi Iob loquitur de reatu originalis peccati: & ideò dicit:* OBTENEBRENTUR STELLÆ, *id est, Sancti, caligine ejus: expectet lucem, id est, Christum: & hunc non videat; eò quòd Christus supernaturaliter ex Virgine conceptus, originale peccatum contrahere non potuit. Sequitur:* NEC ORTUM SURGENTIS AURORÆ, *id est, Conceptum Mariæ, quæ figuratur per auroram.* Cantic. 6. His adde quòd beatissima Virgo non solùm stellæ, sed & lunæ ac solis nomine celebretur; ipsi namque Ecclesia attribuere solet *Cant. 6.* verba, *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol:* quibus significat omnem omninò inno-

centiæ splendorem, ac puritatis & virtutis lumen, quod alicui Creaturæ conferre Deus potuit, ubertim in eam derivasse. Quocirca non abs re sentire possumus Deum idem in ordine gratiæ fuisse auspicatum, quod in ordine naturæ priùs molitus fuerat: quemadmodum enim tria corporum genera, nempe solem, lunam ac stellas, spendore micantia formavit: ita quòd in primo eorum formationis exordio lumine circunfusa fuerint, ac supervestita: sic & Christum D. verum justitiæ solem, Virginem ejus genitricem, lunam istam mirabilem, nec-non & Angelos veluti tot stellas in æternæ beatitudinis firmamento fulgentes, gratiæ divinæ luce coruscantes ac illustratos in primo eorum formationis instanti producere voluit. Ex his itaque constat beatissimam Virginem nullis unquam peccati tenebris infuscatam fuisse, ac subinde originalis labis prorsus expertem.

Nota.

X.

3. Quia virga fuit nullo peccatò curvata.

Secundum argumentum deducitur ex sequentibus ejusdem oraculi verbis, *Et consurget virga de Israël:* Nam Isaias vaticinatus fuerat cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet:* quæ verba sic expendit S. Hieronymus ibidem: *Nos autem Virgam de radice Iesse sanctam Virginem Mariam intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem:* At si beata Virgo maculata fuisset aliquô peccatô, haud dubiè non solùm fruticem, sed & nodositatem cohærentem habuisset: Concludendum ergo cum sancto Anselmo lib. 2. de Conceptu Virginali cap. 9 *Ego piissima Domina, qualiscunque servulus credo, & fateor quòd ex radice Iesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decoloret, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretiosissimam protulisti, non qualemcunque, sed super quem septiformis Spiritus requievit.* Velut clariùs habet S. Ambrosius in sermone *de Gabaonitis* explicans eadem Isaiæ verba: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpa fuit.*

Nec refert quòd iste sermo non inveniatur inter opera sancti Ambrosii typis excusa; nam plurimi quos laudat noster de Alua in *Trituratione pag.* 133. cum Michaele de Carchano in sermone de Pœnitentia impresso annô 1496. fidem faciunt se sermonem istum inter sancti Ambrosii opera legisse: Unde etiam præfata verba inserta sunt in officio Conceptionis, quod ab Ordine Seraphico ex approbatione Apostolica recitatur.

Tertium denique argumentum peti potest ex illis verbis ejusdem vaticinii: *Et percutiet duces Moab:* Notum est enim dæmones nomine *Moab* non obscurè designari: quemadmodum enim *Moabitæ* semper Israëlitis fuerunt infensi: sic & dæmones hominibus, maximè fidelibus ac virtute præditis, perpetuum & infestum bellum denuntiant. At eos omnes Virgo Dei genitrix illa mystica virga non solùm integerrimæ suæ vitæ tempore percussit, ac eorum fraudes dissolvit, & tentationes irritavit: sed & in suæ Conceptionis ac Nativitatis exordiô eorum potentiam fregit. Quod egregiè explicat Rupertus lib. 1. in Cantica cap. 1. ubi conferens hanc mysticam virgam cum Virga Moïsis, ait: *Sicut virga illa virgas maleficorum, & incantatorum devoravit, & omnem superbiam Ægyptiacam obtrivit, ac deinde germinavit, floruit, frondvit, & fructum protulit, non plantata, non succô terræ animata, sed virtute cœlesti supra usum naturæ provecta: Sic tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam diaboli dejecisti, conceptu florida, partu fructifera, &c.* Eandem veritatem præclarè illustrat sanctus Bernardus tom. 1. in deprecatione ad gloriam Virginis, postquam dixerat, *Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt, præter morem, armaturâ omni fortiore instructam, contra se procedere fœminam fortem, ad bella doctissimam, cujus ensis super fœmur suum propter timores nocturnos? In circuitu ejus acies validia spiritualium virtutum, suo se invicem ordine tuentium, &c.* Sic processit in sua Conceptione Maria. Satis indicat hoc id quod sequitur: *utpote qui* (Angeli scilicet) *custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes invaderet.*

Et quæ omnem dæmonum vim elisit.

XI.

4 Quia fuit tabernaculum Altissimi nullâ peccati maculâ fœdatum.

Plurima eandem veritatem comprobantia oracula nobis subministrat Psalmista Regius: at ne longior sim, unum aut alterum duntaxat profero. Primum sit illud Psalm. 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Nemo namque negare potest Virginem Deiparam esse revera Altissimi tabernaculum, quia quem cæli capere non poterant suô gremiô complexa est. Quod utique tabernaculum sanctificavit Altissimus ineffabili prorsus ac longè præstantiori modô, quàm quaslibet alias animas sanctitate præcellentes, in quibus etiam habitare dicitur. Sunt enim plurimi, quos duntaxat *in vespere* mortis sanctificat, ut latro pœnitens: alii quos in ætate provecta & velut in vitæ *meridie* à vitiis ad sanctimoniæ statum evocat, ut sanctus Paulus, Magdalena, &c. Sunt etiam quos *manè* prævenit in benedictionibus dulcedinis, eos videlicet priùs sanctificando quàm in lucem apertam per nativitatem prodeant, ut de Jeremia ac Joanne Baptista vaticinatum fuerat Jeremiæ 1. *Antequam exires de vulva sanctificavi te:* Verùm beatissimam Virginem adjuvit & protexit Deus *manè diluculò*, hoc est, à primo illius vitæ exordio, eam videlicet ab omni prorsus peccati inquinatione præservando, utpote cùm illam in suum tabernaculum selegisset: qualiter enim Deus illam adjuvisset manè diluculò, si priùs in dæmonis tyrannidem per originale peccatum illam ablegâsset.

5. Quia Deus ei fuit auxiliator manè diluculò.

Id ipsum exactiùs & apertiùs insinuat Psal. 86. dum ait: *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob ..... homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Quibos verbis significat beatissimæ Virginis sanctitatem orientem longè illum celsitudinis ac dignitatis verticem obtinuisse, quem consummata cæterorum sanctitas posset assequi. Hinc sanctus Gregorius expositione in 1. librum Reg. ait: *Montis Ephraim* nomine, beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari potest. " Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ " altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. " An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad Conce- " ptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum " verticem supra omnes Angelorum choros usque " ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præ- " cellentissimam dignitatem Isaïas vaticinans, ait: " Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs " Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra " omnes Sanctos effulsit: *At* nullâ ratione dici posset in suæ sanctitatis exordio quamlibet aliorum Sanctorum adæquasse imò superasse dignitatem, nisi reverà fuisset ab omni peccato immunis in primo vitæ suæ instanti; si enim duntaxat fuisset

6 Quia fundamenta ejus in montibus sanctis.

fuisset priùs sanctificata quàm nata, id commune haberet cum iis qui sanctificati fuerunt in utero, ut mox diximus. Concludendum igitur cum S. Anselm. hom. de Concep. Virg. *Si Ieremias*, inquit, *qui in gemitibus erat prophetaturus, in vulva est sanctificatus, & Præcursor Domini Ioannes, Spiritu sancto ex utero Matris est repletus, quis differere audeat, totius sæculi propitiatorium, mox in sua Conceptionis exordio, Spiritus sancti illuminatione destitutum?*

Confirmatur ex sequentibus verbis, *Homo natus est in ea, &c.* Per illum enim *hominem*, Christum

XII. 7. Quia parere debebat Christum.

significabat de quo vaticinatus fuerat Isaïas scribens; *Mulier circumdabit virum*: At (inquit S. Anselmus lib. de Conceptu Virginali) *decebat ut Christi Conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret: cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis filius.* Hinc præclarè ait S. Petrus Damianus serm. 2. de Nativitate: *Caro Virginis ex Adam concepta, maculas Adæ non admisit, at singularis ejus continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est*, ut videlicet Christus, qui est candor lucis æternæ, speculum sine macula, & purissima paternæ bonitatis imago, ex purissima carne corpus sibi efformatum assumeret: *Non enim credendum est* (inquit S. Bernardinus tom. 3. serm. 49.) *quòd ipse filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere ejus carnem, quæ esset maculata aliquo originali peccato, imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, & quòd ejus Mater fuerit plusquam Eva & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali.*

Nam Matris dedecus in filium redundasset.

Quod utique facilè in mentem inducet quisquis audierit Ecclesiasticum monentem cap. 3. *Quod gloria hominis ex honore Patris sui sit, & dedecus filii, pater sine honore.* Et ibidem: *Maledictio matris eradicat fundamenta.* Unde si unquam aliquid dedecoris & maledictionis ratione originalis peccati suscepisset Virgo Deipara, ab hac certè propudiosa ignominia non esset immunis Christus ejus filius, & si non culparetur, devenustaretur tamen parentis dedecore: nam ut sententiosè dixit Tertullianus, *Christus ex stirpe Iesse deputatus, per Mariam scilicet, & inde censendus*, quasi Christi

Christus enim ex Virgine censendus.

Dei honos censeatur ex Virgine; unde si Deipara infamissimæ prævaricationis fuisset rea, & tartareo tyranno tributaria, non tam gloria, quàm filii aliquod dedecus inde censeretur: siquidem, ut præclarè dixit Arnoldus Carnotensis in Tractatu de laudibus Mariæ, *Quod Maria prædicatur gratiâ plena, manifestum est individuam esse Matris & Filii gloriam, commune esse utriusque præconium: Nam*, ut ibidem ait, *una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus, ex quo dictum est ei, Dominus tecum.* Quo innotescat, gloriam utriusque individuam esse, & fore quôdammodô communem ignominiam, quæ à Matris dedecore derivaretur in Filium: Christus enim ex Virgine censetur.

Missa facio varia ejusmodi testimonia, quæ tùm in libris Salomonis, maximè in *Canticis Canticorum*, ubi Deiparæ Virginis eximiæ puritatis ac sanctitatis pulchritudo egregiè celebratur ac commendatur: tùm in Prophetarū oraculis quæ in ejusdem purissimæ Conceptionis Deiparæ assertionem collineant, ut nonnulla ex novo Testamento proferam, in quibus hæc veritas perspicaciùs delineatur.

Prodit imprimis illa salutatio Angelica; quâ nimirum Angelus, ut nuntiaret Incarnationis sacramentum, Orator à Deo destinatus ad Virginem, sic eam peroravit: *Ave gratiâ plena*: signanter dixit: *Ave*, hoc est, *sine væ*, ut egregiè explicat Angelicus Doctor in elucidatione salutionis Angelicæ, (ut videre est in prima ejusdem operum editione & antiquioribus manu-scriptis.) *Ex peccato*, inquit, *secutum est triplex væ: væ culpæ; væ pœnæ; væ ignorantiæ: væ culpa triplex: originalis, actualis & venialis: sine omni isto triplici væ fuit beata Virgo.*

Ipsi concinit Seraphicus Doctor in speculo Virginis cap. 2. ubi ait, *Ave Maria absque væ. Triplex est væ, à quo immunissima fuit Maria: væ culpa actualis, væ miseria originalis, & væ pœna gehennalis.* Idipsum præclarè commendat S. Bernardinus tomô 4. sermone 1. de Annuntiatione art. 1. cap. 1. *Ave*, inquit, *beata Virgo, sine primo væ, id est, sine peccato tyranno peccati originalis, quia sine eo concepta es.* Ea autem salutationis formula usus est, ut inverso nomine *Eva* significaret, ait S. Hieronymus: *Quòd quidquid maledictionis ingestum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ.* Unde etiam præclarè canit Ecclesia: *Sumens illud* AVE, *Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans* EVÆ *nomen.* Nec nomen duntaxat, sed & sortem feliciter immutavit; quia ut egregiè scribit S. August. serm. 2. de Annunt. *Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit, &c.* Qualiter autem hæc omnia rectè in Virginem Deiparam quadrarent, si ipsa eâdem, quâ Evæ posteri, originalis peccati miseriæ maledicto subjacuisset.

XIII. 8. Quia immunis fuit ab omni væ & miseria.

Eandem veritatem pleniùs confirmat Angelus, cùm ait: *Gratiâ plena.* Enimvero quâ ratione dignissima Mater Dei *plena gratiâ* diceretur, si peccato originali locus in ea relictus fuisset, & gratia præservationis, quæ concessa fuit Angelis, ne cum perduellibus ruerent, ipsi defuisset? Dicendum igitur cum Seraphico Doctore sermone 2. de Virgine, *quò Domina nostra fuit plena gratiâ præveniente in sua sanctificatione; gratia scilicet* PRÆSERVATIVA, *contra fœditatem peccati originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratiæ privilegiò fuisset præservata.* Hanc veritatem nullus inficiabitur, qui cum sacris Doctoribus sentiet illis verbis, *gratiâ plena*, significari Virginem Deiparam omnis gratiæ plenitudine, & perfectione fuisse decoratam. *Benè plena*, (inquit author sermonis nomine S. Hieronomi ad Eustochium) *quia cæteris per partes præstatur, Maria verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ*: Unde Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Laudibus Virginis cap. 4. sic ait: *Omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia majorem gratiam recipere potuit; ipsa autem sic usquequaque gratiâ plena fuit, quia majorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa Divinitati uniretur, hoc est, nisi ipsa Deus esset. Hæc est plenitudo, de quâ hic specialiter dicit Angelus: Ave gratiâ plena.*

XIV. 9. Quia semper fuit gratiâ plena.

Eadem est Theologiæ Principum sententia: siquidem Alensis noster 1. part. suæ Summæ disertè pronuntiat: *Beata Virgo tantam habuit gratiam, quod de facto non poterat plus recipere, & quantam pura creatura recipere potuit.* Cui concinit S. Albertus Magnus in suo Mariali cap. 177. *In beata Virgine Maria*, inquit, *respectu omnium creaturarum non unitarum fuit gratia summa, fuit gratia in summo: ergo appropinquat ad primam lucem in summo;*

ergo puritas in summo : puritas enim sequitur naturam luminis & luminosi. Quibus significat quòd ex summitate suæ gratiæ Maria nedum habuerit totius puritatis culmen & excellentiam: sed & ultrò proximiùs ac perspicaciùs æterni divinæ essentiæ luminis ac visionis particeps fuerit. Qoam veritatē non minùs piè quàm eleganter sic explicat noster S. Bernar. Senensis, tom. 4. serm. 13. de Exalt. B. a. t. e. 10. ubi inqoit : *Secundùm Bernardum Virgo Maria divina sapientia ultrà, quàm credi valeat, penetravit abyssum, at quantàm sine personali unione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibils videatur immersa.* Et ne potares, solummodo de sapientia Virginis sermonem facere, addit. *Tanta gratia Virgini à Domino data est, quanta uni pura creatura dari possibile esset.*

XV. 10 Quia semper Dominum habuit secum.

Tanta igitur gratiæ ubertas & sublimitas nullum in Deipara Virgine peccato locum relinquere debuit, ac subinde ex hac plenitudine gratiæ illius ab originali labe immunitas rectè colligitur.

Addit Angelus ejusdem comprobandæ veritatis novum argumentum, cùm ait : *Dominus tecum.* Quis enim Domini ad Virginem præsentiam, assistentiam, & protectionem singularissimam ad illud dontaxat tempos post eam conceptam limitare præsumer? Cùm absolutè Angelus pronuntiet : *Dominus tecam*, quò significet eam non solùm omni tempore, sed etiam ab æternitate à Domino nedum peculariter electam, ut sui unigeniti Filii Mater fieret : sed & ab eo gratiâ præveniente, perpetuò possessam ; unde meritò ei tribuit Ecclesia hoc Sapientis Oraculum Prov. 8. *Dominus possedit me in initiò viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret : necdum erant abyssi* (peccati) *& ego jam concepta eram.*

11. Quia plus benedicta quàm omnes mulieres.

Evidentiùs hoc indicant sequentia salutationis Angelicæ verba, *Benedicta tu in mulieribus.* Benedictio enim ista non solùm inter mulieres, (hoc enim dixit Elizabeth, (sed in mulieribus, tempora indicat præcedentia, in quibus beneficia omnia cunctis mulieribus, (imò & viris etiam) è cœlo collata, Mariæ interventu elapsa sunt. Pulchrè sanè Elizabeth ad Virginem sibi cognatam ait: *Benedicta tu inter mulieres*, ac si diceret: Plus benedicta quàm omnes mulieres : sed scitè magis ac sententiosè Gabriel Angelus dixit : *Benedicta tu in mulieribus*, exprimit namque ipsam fuisse in omnibus mulieribus benedictam; imò, inquit Eusebius Emissenus: *Per ipsam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictione liberatur :* Nam ut piè addit peritissimus Idiota lib. contemplationis de Virgine cap. 4. *Per te ô super benedicta Maria! vita Angelica reducitur, innocentia reparatar, diabolus vincitur & conteritur, &c.* Concludendum ergo cum S. Laurentio Justiniano serm. de Annunt. quòd beatissima Virgo *ab ipsa Conceptione fuit in benedictionibus præventa dulcedinis, & à damnationis aliena chirographo.* Vel ut clariùs explicat Richardus à S. Laurentio cap. 1065. *Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solùm maledictio Matris Evæ soluta est, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.*

12. Quia invenit gratiam quam primi parentes perdiderant.

Confirmat eandem veritatem Angelus cùm ait: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* : Nam ut idem sapientissimus Idiota ait cap. 6. *Gratiam apud Deum singularem, ò dulcissima Virgo, invenisti, quia fuerunt in te ab originali labe præservatio, Angelica salutatio, & Spiritûs Sancti supervento.* Cui prærierat Andreas Hierosolymitanus ad hæc verba, *Ne timeas Maria*, dicens: *Nacta est enim gratiam apud Deum, quam Eva perdiderat.* Addit Hugo Cardinalis in 8. Canticorum *Invenisti pacem, quam perdiderant primi parentes*, ac subinde gratiam illam integritatis & pacis beatissima Virgo reperit, eâque ditata fuit, quam primi parentes suâ in Deum perduellione perdiderant.

Denique hujus probationis appendicem & supremum robur subministrat Angelus, cùm ait: *Ecce concipies in utero & paries Filium, &c.* Nam ut suprà diximus, num. 12. tanta est tamque arcta Incarnati Verbi cum Matre integritatis ac glo-B riæ societas, ot Christus ipse, inquit Tertullianus ex Virgine censendus.

13. Quia Christi gratia in plures abundavit quàm Adæ delictum.

Secundum testimonium ex Novo Testamento, illodqoe, ut mihi videtur, Coneeptionis Deiparæ Virginis veritatem satis apertè significans, peti potest ex illo ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum : si enim unius delictò multi mortui sunt ; multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abaadavit.* Ex quibus sic argumentari libet ; Christi D. gratia in plures abundavit, quàm Adæ delictum: ac subinde necessum est, ut Christi D. gratia ad aliquos derivata fuerit, quos Adami delictum non inquinaverat, alioqui non apparet qualiter inconcussa staret Apostolici Oraculi veritas: sed si ad C aliquem Adamici delicti expertem, derivari debuit hæc Christi D. Mediatoris gratia, maximè ad dilectissimam ejus Genitricem, ut præclarè significat Doctor in 3. dist. 3. quæst. 1. cùm ait: *Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus personæ, pro qua mediat : sed Christus est perfectissimus Mediator : igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem, respecta alicujus creaturæ sive personæ, respectu cujus erat mediator : sed respectu nullius personæ habuit excellentiorem gradum, quàm respectu Mariæ* : Igitur, &c.

Huc facit argumentum, quod ex hoc eodem capite desumit Franciscus Mayron. in 3. dist. 3. ubi postquam dixit : *Si Mater Domini contraxisset* D *peccatam originale per quantumcumque tempus, vel per unicum instans, pejus ei fuisset, quàm si fuisset æternaliter damnata, quantùm ad pœnam damni & sensûs* ; statim addit : *Privilegia Novi Testamenti excedunt vetasta, juxta doctrinam Pauli ad Rom. 5. cap. Ibi autem fuit una mulier sine peccato in statu innocentiæ.* Item, *Sicut Christus comparatur ad Adam secundùm humanitatem 1. ad Cor. 15. sic Mater Christi ad Evam in ratione excedentis simpliciter, quantùm ad omnem innocentiam.* Missa facio varia ejusmodi divina Oracula, quæ ex Novo Testamento ad illibatæ Virginis purissimam E Conceptionem comprobandam elici possent, ut paucis faciam satis nonnullis è Scriptura deprompris sententiis, quæ adversus eam veritatem solent objici.

Objicitur primò illud Matthæi 19. *Non est opus sanis medicus*, sed malè habentibus, sed (inquiunt adversarii) Christus fuit medicus animarum Virgini necessarius: igitur ipsa peccati maximè originalis infirmitate laboravit.

Confirmant ex illo Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere & salvam facere quod perierat.* Sed venit quærere beatam Virginem ; absit enim ut eam non quæsierit : igitur ipsa sicut & alii, quos quæsivit, perierat per peccatum originale. *Addunt* insuper illud 1. ad Timoth. 1. *Christus venit in*

hunc mundum peccatores salvos facere: sed venit salvam facere Virginem Mariam: igitur ipsa originali labe inquinata & peccatrix censebatur.

XVI. Qualiter Christus D. venerit B. Virginem quærere & salvam facere.

Respondeo. Peccatum quidem eluendum, & stabiliendam peccatorum salutem fuisse unum ex præcipuis motivis Incarnationis prout facta est; quanquam, ut diximus, non minùs venisset Christus, etsi nullum tam actuale quàm originale peccatum extitisset; ac subinde illius adventus non fuit duntaxat, ut peccatores salvos faceret: sed etiam ot amplioti sanctitate, & gratiarum ubertate justos donaret & ditaret: igitur quanquam Virgo Deipara immunis fuerit ab omni originali labe; nihilominùs propterea in ejus, sicut & cæterorum hominum gratiam Christus in hunc mundum advenisse censendus est.

His adde quòd Christus non minùs dici possit & quæsitor & medicus respectu beatissimæ Virginis, quòd eam a peccati lapsu & infirmitate per uberiorem & efficaciorem gratiæ medicinam præservaverit: nec enim medicus duntaxat peritus ille censendus est, qui deperditam sanitatem restituit; sed etiam qui jam adeptam conservat.

Objicinnt secun'ò omnia sacræ Scripturæ oracula, quibus asseritur omnes homines peccatô labefactari, & Christi Mediatoris gratiâ ad opitulationem & emundationem egere. Sic illud Psalm. 13. & 52. *Omnes declinaverunt, simnl inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum.* Sic etiam 2. ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus:* Unde sic arguunt adversarii: Pro quocumque Christus corporalem mortem subiit, ipse spiritalem mortem incurrerat: sed Christus mortuus est corporaliter pro beata Virgine, alioqui non pro omnibus mortuos esset: igitur beata Virgo spiritualiter fuit mortua: ac proinde peccatum saltem originale incurrit. Similiter illud 1. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei & hominum Christus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Ex quo sic arguunt: Christus non est Mediator, nisi eorum qui per peccatum aliquando fuerunt divisi à Deo: sed Christus est Mediator omnium hominum: igitur omnes homines (etiam beata Virgo) divisi sunt à Deo. Item illud ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransivit in quo omnes peccaverunt.* Ex quo sic inferunt: Omnes homines ab Adam propagati viâ seminali in ipso peccaverunt: sed beata Virgo fuit ab Adamo propagata viâ seminali: igitor in ipso peccavit.

XVII. Propositiones universales in Scriptura S. plerumque patiuntur exceptioné.

Respondeo primò, propositiones universales in Scriptura sacra non ita rerum generalitatem complecti, quin plerumque limitationem & exceptionem patiantur: cujusmodi plurima proferri possent exempla: sic enim legimus Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam:* & tamen illius universalis dicti ibidem exceptio legitur his verbis: *Noë vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Similiter *Exodi* 12. dum omnis Ægyptiacæ gentis primogenitus ab Angelo vastatore trucidaretur, Scriptura, ait: *Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus:* quæ propositio huic generali æquivalet: nulla domus erat in qua aliquis mortuus ex primogenitis non jaceret: attamen ut observat sanctus Augustinus in hunc locum, *potuit esse aliqua domus quæ primogenitum non haberet:* igitur universalis propositionis veritas stat cum debita exceptione.

Idem observat sanctus Augustinus in illa verba Judic. 9. *Et occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros super lapidem unum: remansitque Ioathan filius Ierobaal minimus;* vera est propositio universalis, inquit S. Augustinus, scilicet quòd occiderit omnes filios Jeroboal, licèt duo ex ipsis non fuerint occisi.

Celebrior omnibus locus est ex libro Esther cap. 15. ubi Assuerus eam alloqoens ait: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere non morieris, non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ubi ejusdem particulæ universalis adjicitur exceptio.

Idipsum plurimis exemplis confirmari potest ex Novo testamento. Sic Joan. 10. *Ego sum ostium ovium: Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones.* Quæ verba nisi exceptione limitentur, consequens erit quòd omnes Prophetæ, latrones fuerint: unde ut ex Cyrillo & Leontio observat Maldonatus, sic illa verba sunt accipienda: Omnes quotquot venerunt, & per ostium ingressi non sunt, fures sunt, & latrones. Etenim Prophetas ante illum quidem venisse, sed per ipsum, tanquam per ostium ingressos fuisse concludit. Traditque nobis regulam sæpe hujusmodi generales propositiones in Scripturis sacris, ex circunstantiis loci, temporis, & rerum de quibus agitur, restringi oportere.

Ac subinde B. Virgo non includitur in propositionibus in quibus omnes homines dicuntur peccasse.

Constat igitur ex his universalibus proposirionibus, quibus asseritur omnes homines peccatô detineri, & in Adam peccavisse, non ita universim esse accipiendas, quin exceptionem patiantur. Nec enim arbitror ex eo quòd Jeremias dicat c. 15. *Omnes avaritiæ student:* & S. Jacobus c. 3. *In multis offendimus omnes,* aliquis rectè concluderet, omnes prorsùs nomine *hominis* significatos, nullô demptô, avaritiæ studere, & in multis offendere, alioqui Christus D. qui verus est homo, avaritiæ studuisset, & offendisset in multis: igitur si ex eo quòd dixit sanctus Paulus, *Omnes in Adam peccaverunt*; consequens esset quòd etiam beata Virgo in ipso peccaverit, & peccatum originale contraxerit: pariter stante harum propositionum generalium veritate: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: & omnes avaritiæ student: & in multis offendimus omnes*, inferendum esset quòd beata Virgo declinaverit simol cum aliis, inutiles facta sit, nec bonum fecerit: similiter quòd studuerit avaritiæ, & quòd in multis Deum offenderit: sed hanc absurdam ne dicam impiam illationem Catholicæ aures non ferunt: igitur nec ferre debent præfatam adversariorum conclusionem. Si ergo beata Virgo excipienda sit, ab illis generalibus propositionibus, quidni pariter censebitur libera ab illa, *in quo omnes peccaverunt?* an illud signum, *omnes*, minùs est Canonicum minusque universale in una propositione quàm in alia? Cùm ergo in istis locis particola, *omnes*, non pro omnibus prorsùs distributivè debeat accipi, sed pro plerisque: multò magis testimonia illa S. Pauli erga Virginem temperanda & limitanda sunt, quatenus non de ipsa, sed de omnibus aliis Adæ posteris legem ferunt.

Ut præclarè docet Concilium Tridentinum.

Respondeo secundò; quòd non aliter debeant accipi Scripturarum oracula, quàm Ecclesia usurpanda esse censuit: at Ecclesia universalis in Concilio Tridentino congregata, post allegatos omnes præfatos Scripturæ textus, ex quibus deducit Catholicum dogma, nempe quòd omnes prorsùs ab Adamo propagati illius peccatô inficiantur, &

efficiantur rei, Sessionem quintam, & definitionem de peccato originali sic concludit: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Ex quibus mirum videri debet quòd etiam aliqui Doctores Catholici tam asseveranter dicant, omnium Patrum doctrinam fuisse, beatam Virginem Mariam in peccato conceptam esse. Ut enim pulchrè adnotavit Jacobus Granad. in *lib. de Immacul. Concept. disp. 3. c. 8. n. 6.* si omnes ferè Patres ita sensissent, id certè perspexisset Oecumenica Synodus, in Spiritu sancto congregata; & si perspexisset, conformaretur illis, sicut in aliis decretis conformatur: nunquam enim Concilia generalia non approbant, quod à communi sententia Patrum vident approbatum. Vix ergo satis mirari possum, aliquem esse ex Catholicis, qui vel suô, vel cujuscunque alterius authoris judiciô plus deferat, quàm sacro-sancti Concilii Tridentini authoritati; ut quod Concilium asserere non vult, ipse plenis buccis (nescio, quâ facultate aut permissu) affirmare non formidet.

Particula *omnis* plerumque idem significat ac *multi*.

Confirmatur ex eodem Apostolo, quòd cùm dixit, *in Adamo omnes peccaverunt*, terminus ille *omnes* idem omninò denotet quod *multi*, cùm ait ibidem, *unius delictô multi mortui sunt*. Vel ergo unus terminus per alium restringendus est, vel alius per alterum ampliandus. Cùm igitur priùs Paulus usus fuerit illo termino *omnes*, & statim illô terminô *multi*; primum per secundum potiùs limitari debet, quàm è converso: Signum ergo universale *omnes*, modificatur per terminum *multi*, per quem quasi ex industria Apostolus totaliter se in hac sententia declarat; ut satis videatur exceptioni Beatæ Virginis locum dare; cùm enim iteratò non dixerit *omnes*, sed *multi*, utcunque aliquem ex omnibus excipiendum esse designavit: quæ sanè exceptio in nullum majori titulô quàm in Deiparam Virginem quadrare potest: meritò igitur Turrianus in epist. ad Episcopum Antisiodor. ait: *Rogabo ergo istos, cur ex eo, quòd Paulus dixerit,* IN QUO OMNES PECCAVERUNT, *ipsi potiùs putent, nulli datam esse exceptionem; quàm ex eo quod idem posteà in eodem capite, parvô intervallô, dixit:* UNIUS DELICTÔ MULTI MORTUI SUNT; *existimemus nos datam esse.*

§. II.

Probatur immaculata Deiparæ Virginis Conceptio ex Conciliis.

XVIII. Concilia etiam huic veritati patrocinantur.

ILlibatam 3. Mariæ Virginis Conceptionem apertè satis declarant ac significant Concilia, dum eam omnino immaculatam absolutè pronuntiant. Hôc autem honoris & gloriæ titulô illam celebrat sexta Synodus *Actione* 11. & 13. dum approbat Epistolam Sophronii, in qua Maria Virgo dicitur *sancta & ab omni contagione liberata, & corporis & animæ & intellectus.* Eâdem illam appellatione illustrat septima Synodus *Act.* 3. approbando Epistolam Synodicam Tharasii, in qua hæc habentur, *Veneramur etiam & adoramus imaginem Deiparæ & Dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ, &c.* Et in definitione fidei ejusdem Concilii, inter cætera hæc habentur, *Duas naturas incarnati propter nos ex immaculata Virgine Maria confitemur.* Illud autem epitheton excludit omnem prorsùs maculam propriè loquendo, idque pro quovis tempore. Alioquin considerando præsentem statum beatitudinis, quilibet Sanctus pariter dici posset immaculatus, quod est alienum à mente Conciliorum, quæ titulum istum velut Deiparæ proprium statuunt.

Maximè verò Basileense.

Hanc veritatem evidentissimè declarat Concilium Basileense *sess.* 36. ubi post plurimam hac de re controversiam, ita statuit. Hactenus verò difficilis quæstio in diversis partibus, & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ Matris Dei, & exordiô sanctificationis ejus facta est, quibusdam dicentibus ipsam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut instans temporis subjacuisse actualiter originali culpæ; aliis autem è converso dicentibus, à principio creationis suæ Deum ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali illam beatissimam personam liberans, & præservans, sublimiori sanctificationis genere redemit, cùm fundaret eam Altissimus ipse, & ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset Mater ejus in terris. Nos verò diligenter inspectis authoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & maturâ consideratione pensatis; doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam præveniente & operante divini Numinis gratiâ singulari, nunquam actualiter subjacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, amplectendam, & definimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere. Renovantes prætereà constitutionem de celebranda sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias sextô idûs Decembris antiquâ & laudabili consuetudine celebratur, statuimus & ordinamus eandem celebritatem præfatâ die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis & Conventibus Christianæ religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse, cunctisque fidelibus verè pœnitentibus & confessis, eâ die Missarum solemniis centum; primis autem vel secundis vesperis totidem, sermoni verò Verbi divini de ea festivitate interessentibus 150. dies concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœnitentiis hæc sancta Synodus elargitur. Datum Basileæ in sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileensi solemniter celebrata 15. Kalendas Octobris annô à nativitate Domini 1439. Quæ utique sanctio eò majoris authoritatis esse debet, quòd in ea Synodo sanctissimi aderant Præsules, maximè verò *Ludovicus Alemannus* Cardinalis & Arelarensis Archiepiscopus istius Synodi præses; plurimis post mortem miraculis clarus, ut refert Æneas Silvius qui postmodum fuit summus Pontifex nomine *Pius II.*, quique plerosque annos in Basileensi cœtu consederat, ipsumque acriter adversus Eugenium IV. summum Pontificem Synodo adversantem propugnaverat, & postmodum mutatâ sententiâ summô studiô impugnaverat. Sic autem loquitur in libro descriptionis Europæ cap. 42. quem cùm esset Pontifex edidit:

Cui vir sanctissimus præerat.

in Arelate, inquit, *ad sepulchrum Ludovici Cardinalis sanctæ Ceciliæ ejus urbis Episcopi, quem Basilea in consessu Patrum præsidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, & invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus.* Quapropter Clemens Papa VII. ipsum in Beatorum album retulit, ut refert Spondanus ad annum 1438.

Cujus decreti summa cum deliberatione fuit editum.

Adde quòd non absque maturo consilio, & non nisi præhabitô gravium illius temporis Theologorum & Canonistarum judiciô, decretum istud sit editum; plurimos namque eô tempore conscriptos habemus tractatus de celebri hac controversia, illius Concilii sanctione editos, maximè verò ingens volumen *Ioannis de Segovia* tunc temporis Ecclesiæ Toletanæ Canonici demum Episcopi Cæsarini, nec-non, (ut ferunt aliqui) S. Ecclesiæ Rom. Cardinalis, qui mandantibus ejusdem Synodi Patribus, maximè verò *Ludovicô Alemannô*, ut ipse testatur in præfatione sua ad Patres Concilii, scripsit *septem allegationes & totidem avisamenta*, pro informatione Patrum Concilii Basileensis circa sacratissimæ Virginis Mariæ immaculatam Conceptionem, ejusque præservationem à peccato originali in primo suæ animationis instanti; quibus omnibus respondet librô editô à Magistro *Ioanne de monte nigro* ordinis Prædicatorum Provinciali Lombardiæ illius temporis celeberrimi Theologi. Hoc autem maximè notandum est quod illius Synodi Patres testantur festum immaculatæ Conceptionis sextô idûs Decembris per Ecclesias antiquâ & laudabili consuetudine celebrari; quod utique cum tantâ certitudine non affirmarent, maximè cùm tunc temporis adhuc vigeret gravis hac de re controversia, & opposita sententia plurimos celebres propugnatores haberet, nisi id constantissimum ac compertissimum omnibus fuisset. Ex quibus colligere est festum immaculatæ Conceptionis non his postremis temporibus, (ut volunt aliqui) sed ab antiqua & laudabili consuetudine in Ecclesia fuisse celebratum, ut Synodus affirmat.

Repones forsan cum Bandello, idcircò Concilium hæc decrevisse, quòd insensum esset Patribus Dominicanis oppositam sententiam propugnantibus, eò quòd totus eorum Ordo illi Concilio adversaretur, nec ullatenùs ei interesse aut adhærere vellet.

Non in odium ordinis PP. Prædicatorum.

Verùm hæc figmenta ridebit, quisquis legerit Æneam Sylvium, qui omnium penè gestorum in in Concilio Basileensi testis oculatus, hæc inter cætera refert: *Et per ipsas etiam reliquias approbarunt, studiô maximè ac diligentiâ fratris Nicolai Gallici, ex Ordine Prædicatorum, vi, & ingeniô, & sollicitudine admodùm præstantis, cui nimirum hujusce rei expeditionem attribuo.* Cui concinit S. Antoninus in 3. p. Histor. tit. 22. cap. 10. fol. 525. col. 1. loquens de Concilio Basileensi, & Felice Antipapa. *Amedeum* (inquit) *Felicem nuncupaverunt. Qui inthronizatus non in sede Petri, sed Luciferi, qui sedem suam posuit ad Aquilonem, aliquos Cardinales instituit, & inter eos Magistrum Ioannem, sacræ Theologiæ Professorem Ordinis Prædicatorum, qui multum laboraverat in sermonibus & disputationibus, in fovendo Conciliabulo, sed citò morte substratus est, &c.* His adde decretum Concilii

Confirmatur ex Concilio Avenionensi.

Provincialis Avenione celebrati an. 1457. per D. Petrum de Fluxo seniorem Gallum Ordinis Minorum à Martino V. Cardinalitiô bonore insignitum, qui interfuit Concilio Constantiensi, Inter cætera enim decreta illius Synodi Provincialis, hoc habet: *Decretum in Concilio Basileensi factum de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ statuimus inviolabiliter servari, districtè omnibus inhibendo sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publice disputare præsumat: quod si secus aliquis fecerit, dictam sententiam eum incurrere volumus ipsò factô: & in prima Synodo per Diœceses per quemlibet celebranda, prædicta statuimus prædicari, & Curatis Ecclesiarum injungi, ut hæc populo manifestent. Datum in Ecclesia Cathedrali Avenionensi die 7. Mensis Septembris anni Incarnationis Dominicæ 1457. Pontificatûs D. N. Calixti Papæ III. annô 3.* Subscripserunt huic statuto non solùm ipse *Petrus* qui illi Synodo præerat, sed etiam *Alanus Cœtinus* S. R. E. Cardinalis, *Robertus* Aquensium Episcopus, *Petrus* Episcopus Aptensis, *Georgius* Cenecensis, *Gavcherius* V.piensis, *Nicolaus* Massiliensis, *Petrus* Digniensis, *Petrus* Glandavensis, *Pontius* Vasionensis, *Ioannes* Regiensis, *Stephanus* Tricastinensis, *Michael* Carpentoratensis, & *Ioannes* Aurasiensis,

Idem docet Concilium Tridentinum.

At etsi cætera Concilia deficerent, ad eandem veritatem comprobandam, sufficeret Trident. Concilii decretum *sess.* 5. ubi postquam statuisset de fide omnes omninò Adami posteros illius peccatô ac originali maculâ inquinatos in lucem prodire, in fine decretorum, ac canonum declarat non esse suæ intentionis B. & Immaculatam Virginem sub hoc decreto comprehendere; & insuper jubet observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti IV. Tres autem hac de controversia constitutiones dedit hic summus Pontifex, quas §. sequenti referemus, in quibus licèt controversiam præcipuam de B. Virginis immunitate ab originali peccato indefinitam reliquerit, attamen censuram opinionis piæ ac celebrationis festi Conceptionis expressè damnavit.

Approbans tres constitutiones Sixti IV.

Quod autem Concilium tres memorandas constitutiones probaverit; non autem duntaxat unicam, ut volunt aliqui, satis apertè colligitur ex his verbis, *Observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV* ubi non *constitutionem*, sed *constitutiones* dicit, quò designet non unicam, sed omnes de hac controversia ab eodem Pontifice constitutiones editas approbare & innovare, quia quoticscunque Concilium allegat, vel refert diploma aliquod Pontificium plura capita, vel partes continens, semper illud vocat numero singulari *constitutionem*, ut patet *sess.* 24. *de reformat. & sess. 25. tam de Reform. quàm de Regularibus*, & in multis aliis sessionibus, ubi de Reformatione agit; quæ loca, quia obvia sunt, & res difficultate caret, indicasse sit satis: non ergo potest Concilium de unica Sixti IV. extravaganti explicari, cùm in plurali nominet ejus *constitutiones*.

Objiciunt adversarii varia Concilia, maximè verò *Africana*, in quibus determinatum fuit contra Pelagianos, omnes omninò homines Adami peccatô infici; imò idipsum probant ex *Florentino*, sub Eugenio IV. in quo inter cætera (inquiunt) pro instructione & unione Jacobitarum decernitur: *Firmissimè credit, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, neminem unquam ex viro fœminaque conceptum, à diaboli dominatu fuisse liberum, nisi per fidem Mediatoris Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delenda, solus suâ morte prostravit, & regni cœlestis introitum, quod primus homo peccatô propriô, cum omni sua successione per-*

diderat, reservavit. Hinc Caïetanus cap. 5. loquendo de Concilio Basileensi, sic inquit: *Tum quoniam dicto Conciliabulo è regione opponitur, verum, ac venerandum Concilium ex Ferraria in Florentiam translatum, Græcorum & Latinorum, sub prædicto Eugenio quarto, ubi inter dogmata fidei traduntur hæc verba: firmiter credit, & profitetur, &c.*

XXIII. Fit satis objectioni petitæ à Conciliis Africanis.

Verùm *respondeo*, ad decreta Conciliorum Africanorum idem esse reponendum quod reposuimus ad authoritates Scripturæ sacræ, nempe enuntiationes universales, & propositiones illas generales non ita universim omnes omnino homines comprehendere, quin aliquam exceptionem patiantur: ac subinde quanquam Concilia statuerint omnes prorsùs homines Adami peccatô inquinari, facilè colligere licet eandem illis Patribus fuisse mentem, quam habuerunt Tridentini Patres, qui licèt absolutè statuerint omnes omninò homines Adami peccatô infici, nihilominùs declarant non esse suæ intentionis in hoc decreto comprehendere beatam & immaculatam Virginem Mariam. *Nec obstat* quòd Africani Patres similem modificationem & exceptionem non præscripserint; id enim mirum videri non debet, cùm tunc temporis de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione nulla moveretur controversia.

XXIV. Et ex Concilio Florentino ex quo supposititium decretũ profertur.

Ad Concilium Florentinum dici posset decretum illud omninò fictitium esse, ut facilè probari potest: *Primò* quia inter acta ejusdem Concilii nulla ipsius fit mentio, quãquam tria ibidem decreta inserta habeamus quorum primum incipit: *Magna profectò sunt nobis*. Datum Ferrariæ 9. Aprilis an. 1438. & est pro translatione Concilii ad Florentiam. Secundum incipit: *Consentiente ad infra scripta*, sivè: *Lætentur cœli; &c.* datum pridiè Nonas Julii an. 1439. & est concordia cum Græcis de processione Spiritûs sancti à Patre, & Filio. Tertium incipit *Exultate Deo, &c.* datum 10. Kalendas Decembris eôdem annô 1439. & agit de sacramentis Ecclesiæ, & festivitatibus observandis ab Armenis: sed de Jacobitis nec verbum extat, nec decretum hoc est in Regesto Vaticano, ubi Bullarum hujus summi Pontificis sunt 210. libri manu scripti. Nec etiam extat in collectione Bullarum & decretorum ejusdem Pontificis primæ impressionis anni 1579. nec secundæ nec tertiæ Romanæ, quanquam post duo integra sæcula illud in suo Bullario inseruerit Laërtius Cherubinus tom. 1. Constitutione 23. Eugenii quarti.

Secundò, illud decretum supposititium esse apparet ex ejusdem Conclusione; habet enim, *datum Florentiæ in publica sessione Synodali solemniter in Ecclesia domûs S. Mariæ Novellæ apud quam nunc residemus, celebrata annô Incarnationis Dominicæ 1441. pridiè Nonas Februarii, Pontificatûs nostri annô XI.* In qua subscriptione notare debet lector, quòd in illo Concilio nulla Sessio fuit habita *in Ecclesia domûs S. Mariæ Novellæ*, quæ est Fratrum Prædicatorum, sed omnes in Ecclesia majori, ut ex ipsis constat, item quòd illa clausula, *apud quam nunc residemus*, in nulla Bulla, seu summi Pontificis decreto à diebus S. Petri usque ad præsens posita fuit. Fortè desiderabat quisquis fuit ille Pseudo-Datarius, quòd universus orbis resciret incolatum summi Pontificis Eugenii in domo Patrum Prædicatorum.

Tertiò illud; *annò Incarnationis Dominicæ 1441. pridiè Nonas Februarii Pontificatûs nostri annò undecimò*, non cohærent: nam Eugenius fuit creatus annô 1431. quintô nonas Martii, nullô dissentiente Chronologô; annô verò 1441. usque ad 5. Martii fuit annus decimus Pontificatûs Eugenii: quomodo ergo pridiè nonas Februarii poterat esse annus undecimus? Annô undecimô fuerunt bullæ expeditæ, annô 1441. à die 5. Martii usque ac deinceps: illæ verò expeditæ mense Februariô non erant anni undecimi: ac subinde Datarius ille nec Curialis erat, nec Arithmeticus, inquit de-Alva.

Quartò tandem falsum est quòd decretum istud fuerit editum à Concilio Florentino: quia Concilium Florentinum absolutum fuit an. 1439. pridiè nonas Julii, ut ex ejusdem actis constat; quomodo ergo annô 1441. poterat esse illa sessio Synodalis solemnis in S. Maria Novella, ut illud decretum ederet?

His adde quòd etsi verum foret illud decretum, nihil quidquam adversariis patrocinaretur; nam inquit p. *de Alva* nu. 292. *Prima* determinatio est hæc: Nemo liberatur à diaboli dominatione, nisi per meritum Mediatoris: *ergo omnes homines*, inquiunt Adversarii, *exceptô Christô, contraxerunt originale peccatum*: at quis judicabit hanc consequentiam esse legitimam? *Secunda* determinatio: Christus sine peccato est conceptus, natus, & mortuus: ergo inquiunt, omnes homines, exceptô Christô, contraxerunt originale peccatum? Si consequentia hæc esset legitima: igitur & ista: ergo omnes homines, exceptô Christô nati & mortui sunt cum peccato? *Tertia* determinatio, hostem humani generis solus Christus suâ morte prostravit: ergo inquiunt, omnes homines, exceptô Christô, contraxerunt originale peccatum, qualis illatio! *Quarta* est hæc: Primus homo peccatô propriô regni cœlestis introitum, cum omni sua successione perdiderat: ergo omnes homines, exceptô Christô, contraxerunt originale peccatum. Hæc equidem verisimilis apparet propter illud, *cum omni sua successione*. Verùm nihil aliud significare potest, quàm quòd etiamsi in tota successione Adami nullum esset peccatum originale; nihilominus ex solo illo proprio peccato primi hominis clausus fuit regni cœlestis introitus, non tantùm ipsi Adamo, sed etiam omni suæ successioni; nam qui claudit ostium, non solùm pro se claudit, sed etiam pro omnibus aliis ingredi volentibus, sive sint illius domûs, sive alterius, amici, vel inimici. Igitur illa determinatio cujuscumque sit, non patrocinatur adversariis, nec legitima est illatio quam inferunt adversarii: *ergo omnes homines, exceptô Christô, contraxerunt originale peccatum*. Quinimò inferre debuissent: Ergo quamvis nullum aliud esset peccatum nisi primum & proprium Adami, neque ipse, nec aliquis ex ejus posteris regnum cœlorum intraret, nisi priùs illud reseratum fuisset per mortem Christi mediatoris.

Nec etiamsi foret verum quidquam nobis officeret.

§. III.

Tertia probatio petitur ex decretis summorum Ecclesiæ Pontificum.

XXV. Eandem veritatem propugnãt summi Pontifices.

IMprimis namque *Sixtus IV.* qui sedere cœpit annô 1471. die nonâ Augusti animadvertens controversiam de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione maximos inter fideles tumultus, ac varias animorum commotiones excitare, accitis Romam doctissimis viris ex quovis sæcularium & Regularium ordine *annô* 1475. celeberrimam ac

publicam disputationem edixit, quam per plures dies agitatam ipse sæpè suâ præsentiâ, ac authoritate Pontificali eohonestabat. In ea excelluit inter omnes R. P. F. *Franciscus Insuber* Brixianus ex familia nostra Minorum, cujus etiam generalem præfecturam gessit: quem validissimè pro Virginis præservatione decertantem, & plane victorem

Sixtus IV.

honorificè Pontifex appellans: *Tu es*, inquit, *verus Samson*; quod illi deinceps cognomen adhæsit; nec aliter ore, & scriptis hominum, quàm *Franciscus Samson* vocatur. Hujus autem concertationis ac disputationis exitus fuit Bulla, quæ incipit, *Cùm præexcelsa, &c.* quam edidit idem summus Pontifex annô Domini 1476. Kalendas Maii sui Pontificatûs annô 6. in qua hæc statuit *quòd omnes, & singuli Christi fideles, utriusque sexûs, qui Missam & officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriosæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarii nostri, & quæ desuper à nobis emanavit Missa, & officii hujusmodi institutionem in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devotè celebraverint, & dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem exinde consequantur, quam juxta fœlicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi, approbatas, & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, & officium & horas Canonicas in festo corporis Christi, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi à primis Vesperis, & per illius octavas juxta Romanæ Ecclesiæ institutionem celebrant, aut dicunt, aut Missa & officio, & horis hujusmodi intersunt, præsentibus, futuris temporibus valituris.* Quæ utique constitutio & Bulla inserta est in Conciliis editionis Surianæ Coloniensis 1567. & in ultima Severini Binii to. 4. p. 1. fol. 743. imò & in jure Canonico inter *communes de reliquiis & veneratione Sanctorum.*

Verùm cùm huic æquissimo Apostolicæ sedis judicio non rectè acquiescerent immaculatæ Conceptionis Adversarii; imò eorum plurimi damnarent hæresis, illius illibatæ Conceptionis assertores, maximè in Lombardia; aliam constitutionem edidit idem Pontifex anno 1481. & sui Pontificatûs annô 11. quæ incipit, *Grave nimis gerimus*, in qua sub pœna excommunicationis reservatæ summo Pontifici statuit, quòd *qui affirmare præsument sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione & sanctificatione ejusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, & eos qui crederent & tenerent eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, utpote falsas & erroneas, ac à veritate alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, authoritate Apostolicâ præsentium tenore reprobamus & damnamus, ac motu & authoritate præ dictis statuimus & ordinamus, quòd Prædicatores verbi Dei, & quicunque alii cujuscunque gradûs, ordinis, & conditionis fuerint, de cætero ausu temerario præsumpserint, in eorum prædicationibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, hujusmodi per nos sic reprobatas & damnatas assertiones, & opiniones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam, & æternam maledictionis pœnam eò ipsò incurrant, &c.*

Cùm autem nonobstante hâc Apostolicâ constitutione, nonnulli ejusdem immaculatæ Conceptionis impugnatores, existimantes hanc Bullam perstringere duntaxat eos, qui degebant in Lombardia: & ejusmodi accusationes & declamationes adversus assertores immaculatæ Conceptionis aliis in regnis innovarent, idem Pontifex bienniô post edictam supra dictam constitutionem, eandem vel alteram ei similem, quæ itidem incipit, *Grave nimis, &c.* edidit, in qua sub eadem interminatione generaliter prohibet ejusmodi accusationes. Hæc autem constitutio etiam inserta est prædictis Conciliis & juri Canonico, eamque cum duabus prioribus constitutionibus probavit Concilium Tridentinum *sessione 5.* ut suprà dictum est, probaverunt pariter Alexander VI. bullâ quæ incipit, *Illius qui, &c.* & Pius V. in bulla *super specula*, in qua insuper gravissimis pœnis hic Pontifex prohibet, ne ullus in popularibus concionibus, vel ubicunque promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare rationibus, vel authoritate Doctorum, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac quæstione cujusvis pietatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Ubi subintellige eandem clausulam, *contrariam refellendo aut impugnando sententiam.* Alioquin simpliciter persuadere veritatem, etiam scribendo linguâ vulgari non fuit prohibitum.

Pius V.

Insuper Paulus V. annô 1617. die 31. Augusti considerans quòd OCCASIONE ASSERTIONIS AFFIRMATIVÆ, scilicet quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato, orientur in populo Christiano, signanter in Hispania, gravia scandala & dissentiones, eandem sententiam sub iisdem pœnis interdixit *publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus & aliis quibuscunque actibus publicis:* volens tamen sub iisdem pœnis: *quòd* piam sententiam, *in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquò modò agant seu tractent.* Quamvis idcirco (ut docet consuetudo optima legum interpres, literæ & fini consona) non sit illicitum in libris argumentis alterius opinionis facilè præsertim occurrere, sive illa proponere ut solvantur: hoc enim non est in actibus publicis impugnare sententiam contrariam aut de ea agere; sed potiùs extra similes actus agere de sententia pia, ut ejusdem veritas contrariis argumentis solutis clariùs *elucescat.*

Paulus V.

Postea Gregorius XV. annô 1622. die 24. Maii, confirmans Constitutiones Prædecessorum suorũ, *& eisdem causis evitandi scandala atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, &, ut accepit, in aliquibus regionibus jam orta sunt ex sermonibus privatis*, Occasione assertionis affirmativæ *extendit* decretum Pauli V. *etiam ad colloquia & scripta privata, mandans omnibus & singulis, ne etiam in sermonibus & scriptis privatis audeant asserere, quòd eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquò modò agere aut tractare. Exceptis tamen quibus à S. Sede Apostolica fuerit super & specialiter indultum*, idque sub interminatione pœnarum in constitutionibus Prædecessorum suorum contentarum.

Gregorius XV.

Porrò idem Pontifex eôdem annô die 28. Julii indulsit Patribus Prædicatoribus, *ut in privatis colloquiis inter se duntaxat possint de opinione affirmativa disserere & tractare.* An autem etiam ibi concedatur iisdem opinionem affirmativam asse-

rere privatim inter se, ex verbis istis non satis probatur: cùm aliud sit differere & tractare, aliud asserere. Paulus V. enim loquens de iis, qui asserunt sententiam negativam, prohibet iisdem ne disserant vel tractent in disputationibus publicis de affirmativa, utique supponens prædicta duo esse distincta.

Declarant præterea Paulus V. & Gregorius XV. se per suas constitutiones nolle præjudicium inferre opinioni affirmativæ, *præter quam quoad suprà dispositâ*.

Innocentius VIII.

XXVI. Qui approbavit ordinem Monialium sub titulo Immaculatæ Conceptionis.

Confirmatur primò ex eo quòd summi Pontifices approbaverunt & confirmaverunt ordinem religiosum Monialium sub titulo *Immaculatæ Conceptionis*, qui idem ordo usque in hunc diem non solùm perseverat, sed etiam per varias mundi regiones propagatur: hunc autem Ordinem imprimit Innocentius VIII. (qui creatus est anno Domini 1484.) approbavit annô 5. sui Pontificatûs pridie Kalendas Maii, per bullam quæ incipit: *Inter innumera*, &c. in qua inter cætera concedit; *Quòd Abbatissa pro tempore existentes, & Moniales præfata, vestem albam cum scapulari, etiam albo, & desuper mantellum coloris cœlestis, in quibus quidem mantello, & scapulari imago ejusdem beatæ Mariæ affigatur deferre, ac singulo cannabis ad instar Fratrum Minorum cingi debeant: at in horis canonicis juxta morem Romanæ Ecclesiæ dicendis hunc modum; videlicet quod Dominicis, in quibus aliqua historia incohari, sive officium Dominicæ de necessitate dici debet, & quibus festa duplicia, & semiduplicia, & solemnia celebrantur, diebus etiam ferialibus, quibus officium feriale omitti non potest, ac Octavis ipsorum festivitatum duntaxat, exceptis omnibus aliis diebus, per totum annum horas Canonicas majores, & officium divinum de ejusmodi Conceptione dicere; & in præfatis (exceptis diebus, in quibus horæ majores de Dominica, vel feria, aut festo dici debent) horas minores, & officium parvum ejusdem beatæ Mariæ cum Antiphonis, versiculis, capitulis, & orationibus de eadem Conceptione dicere debeant*, &c. Hujus autem bullæ originale servatur in Monasterio Monialium Toleti in honorem Conceptionis Deiparæ Virginis earum virtute electo: servatur inquam, eò majori pietate, quòd, ut narrant *Franciscus Bibarius* Cisterciensis in historia Conceptionis p. 1. ff. 4. *Torres* c. 14. *Ægidius de præsentatione*l. 4. q. 6. art. 3. &c. bulla hæc grandi miraculô servata fuerit. Accidit enim navim, in qua hæ litteræ Apostolicæ Româ Toletum deferebantur, vi tempestatis in maris profundum, unà cum cæteris omnibus quæ in ea erant demergi, cum ipsis Apostolicis litteris, quæ nihilominus post duos menses illæsæ repertæ sunt, & à venerabili Domina *Beatrice de Sylva*, quæ eas litteras expostulaverat, fuerunt receptæ.

Quem confirmavit Julius II.

Eundem ordinem unà cum regula approbavit Julius II. qui ad Pontificatum assumptus est annô 1503. per bullam quæ incipit, *Ad statum prosperum*, ubi cap. 2. ejusdem regulæ habetur: *Quacumque à Deo illustrata, & vocata, seculi vanitatem deserere voluerint, & hujus regulæ habitum assumentes Iesu Christo Redemptori nostro desponsari voluerint, ejusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes, voveant semper vivere sine proprio, & in castitate, cum perpetua clausura.* Postmodum verò subditur ibidem forma Professionis quam Sorores emittere debent his verbis: *Ego Soror N. ob amorem & servitium Domini nostri, & Immaculata Conceptionis ejusdem Genitricis, voveo, & promitto Deo, & Beatæ Mariæ Virgini, & beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Mater, totò tempore vitæ meæ vivere in obedientia, sine proprio, & in castitate, & in clausura perpetua sub regula per sanctissimum Papam Iulium II. nostro Ordini concessa & confirmata.*

Et Leo X.

Eundem Ordinem approbavit Leo X. annô 7. sui Pontificatûs per bullam quæ incipit, *Quia nuper accepimus*, &c. quâ eis Monialibus concedit easdem gratias spirituales ac temporales per sedem Apostolicam concessas omnibus Ordinibus S. Francisci. Quam subinde approbationem cæteri summi Pontifices ejus successores, confirmaverunt, imprimis verò Alexander VII. qui ad instantiam Reginæ Christianissimæ Mariæ Theresiæ, concessit facultatem Monialibus sanctæ Claræ in suburbio vulgò dicto sancti Germani à pratis degentibus, quatenus regulam ac vestem Ordinis sub titulo *Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ* induerent ac susciperent.

Et Alexander VII.

XXVII. Idem constat ex confraternitatibus.

Confirmatur iterum ex eo quòd summi Pontifices approbârunt varias confraternitates in orbe Christiano erectas sub titulo *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis*, quarum insignem erexit noster eminentissimus ac piissimus Franciscus Ximenius S. R. E. Cardinalis, in Ecclesia Toletana; Quam institutionem sub eodem titulo approbavit Adrianus VI. per bullam quæ incipit, *Sicut Salvatore nostro*, &c. in qua concedit plenariam indulgentiam iis omnibus, qui ejusmodi confraternitati adscriberentur, consequendam diebus Conceptionis, vel Nativitatis, aut Assumptionis ejusdem Virginis Deiparæ.

XXVIII. Nec non ex gratiis à Sede Apostolica concessis.

Confirmatur tertiò ex omnibus favoribus spiritualibus ac indulgentiis, quas summi Pontifices concesserunt ob devotionē fidelium ergaImmaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem: cùm enim spirituales illæ gratiæ non concedantur nisi ob probatos & ab Ecclesia receptos actus Religionis ac devotionis, consequens est, inquit Valentia to. 4. disp. 2. q. 1. punctô 2. quòd summi Pontifices hoc in ipso quòd ad Immaculatæ hujus Conceptionis celebrationem fideles omnes invitaverunt, etiam censuerunt reipsâ hanc de Immaculata Conceptione opinionem esse tenendam. Idem infert Joannes Sertarius lib. 2. cap. 8. ubi relatis indulgentiis Sixti IV. & aliis specialibus à Julio II. concessis deferentibus imaginem Conceptionis, subdit: *Quòd nullatenus facerent, si de Conceptionis præservatione dubitassent. Nam piaculum esset pro re dubia, aut non pia, indulgentias, aut gratias impertiri.* Et pag. 141. post commemoratas indulgentias Leonis X. *Tales certè ac tantas concessiones nullô hic Pontifex modô fecisset, si dubium aliquod de Immaculata semper Virginis Conceptione haberet.* Has autem ab omnibus summis Pontificibus concessas indulgentias & spirituales favores collectim habes in Regesto authentico pro tuendo titulo Immaculatæ Conceptionis pag. 599. & sequentibus.

XXIX. Nec non ex officio divino in ejusdem Immaculatæ Conceptionis honorem approbato.

Confirmatur denique ex eo quòd plurimi summi Pontifices approbârunt officium à Leonardo Nogarolô Protonotario Apostolico ac sacræ Theologiæ Doctore celeberrimo, concinnatum in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis: imprimis verò Sixtus IV. ad quem officium istud directum fuit, qui insuper concessit indulgentias plenarias recitantibus illud officium, ut constat ex suprà dicta bulla, *cùm præexcelsa*, &c. Qui etiam mandaverat istud officium inseri in Breviario Romano.

Nec

Nec obstat quòd Pius V. præceperit hoc Officium Nogaroli dispungi à Breviario Romano; non enim exinde sequitur eum improbasse Conceptionem illibatam Virginis, ut contendunt Adversarii. Enimverò idem summus Pontifex istud Officium quasi proprium depositum voluit semper servari in nostra Minorum familia, & ab omnibus Seraph. Ordinis Religiosis recitari, ut constat ex omnibus editionibus illius Breviarii Romani, ad cujus calcem inseruntur *Officia propria sanctorum Ordinis Minorum*, cum hac additione, *quæ Pius V. Pont. Max. tam pro fratribus, quàm pro Monialibus ejusdem Ordinis vivâ voce concessit.* Habentur hæc verba in editionibus Antuerpiensibus an. 1622. 1627. 1634. 1636. 1641. 1643. *Venetis, an.* 1615. *&* 1636. *Matritensibus, an.* 1611. 1619. 1623. 1631. *Parisiensi, an.* 1630. Romana, an. 1644. typis Bernardini Tani, & aliis quàmplurimis facultate & subscriptione P. Vincentii Martinelli socii R. P. F. Nicolai Radulphi Sac. Palat. Apost. Magistri comprobatis.

Gregorius XIII. etiam vivæ vocis oraculô approbavit officia Missarum Ordinis Minorum. Similiter Sixtus V. & Paulus V. eadem officia approbârunt, & recitanda concesserunt, absque ulla mentione prohibitionis Pii V. Signum est igitur Pium V. non prohibuisse, imò permisisse Ordini Minorum recitationem illius Officii, in quo B. Virgo pluries omnino immaculata & ab omni peccato originali præservata asseritur.

XXX. Objicitur decretum inquisitionis.

Objiciunt Adversarii prætensum decretum sanctæ Romanæ & generalis Inquisitionis, quô prohibetur titulus *Immaculata Conceptionis*, emanatum feria 4. die 20. Januarii 1644. his verbis conceptum: *In congregatione Generali sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis, habita in conventu S. Mariæ super Minervam, coram Eminentissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à sancta Sede Apostolica deputatis: Eminentissimi & Reverendissimi DD. Cardinales Inquisitionis Generalis prædicta decreverunt, quòd quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptioni B. Virginis, nullomodo permittatur: sed solùm dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis, & ita observari mandaverunt.* Locô sigilli. *Ioannes Antonius Thomassinus sanctæ Romanæ Inquisitionis Notarius.*

XXXI. Sed supposititium ac ementitium esse demonstratur.

Verùm decretum istud fictitium esse & ab Adversariis elaboratum apparet: *Primò*, quia decreta Pontificia ac S. Inquisitionis, statim ac fuerunt edita promulgantur, ut constat ex praxi; hoc autem supponitur emanatum anno 1644. 20. Januarii, hoc est sex integros menses ante mortem Urbani VIII. nec tamen orbi innotuit nisi biennio post electionem Innocentii X. si autem verum fuit ac legitimum decretum de re ita gravi & quæ tot turbas ac tumultus propter repugnantes Adversarios excitaverat, quid necessum fuit, tandiu occultari? *Nihil veritas erubescit nisi solummodò abscondi*, ait Tertull. lib. contra Valentin. c. 3.

Secundò, si verum fuisset illud decretum, cur fugienda esset summi Pontificis præsentia, ut eo in loco ederetur, nempe in Cœnobio S. Mariæ super Minervam? Quænam tam grandis fuit urgens necessitas intempestivè elaborandi illius decreti, ut istius conditores præstolari non possent tempus celebrandæ Congregationis generalis Cardinalium in Palatio Apostolico, quæ singulis hebdomadibus fieri assolet coram summo Pontifice? Certè negotium istud sufficientis erat ponderis, ut nil quidquam circa id decerneretur inconsul- A tô summô Pontifice; maximè cùm isto decreto proscribi deberent non solùm tot Pontificia decreta, sed etiam bullæ authenticæ, in quibus titulus *Immaculatæ Conceptionis* disertè ac perspicuè declaratur & firmatur.

Tertiò, non est major defectus quàm potestatis: at illa Congregatio, in qua decretum istud supponitur confectum, nulla prorsus pollebat authoritate ad statuendas & decernendas res tanti ponderis; siquidem duntaxat hæc Congregatio instituta ac deputata fuit, ad causas Ecclesiasticas & contentiosas dirimendas, ut constat ex Constitutione 34. Pauli III. incip. *licet* 21. Kal. Aug. an. 1541. & Pii IV. 79. incip. *Cum nos* an. 1564. non verò quæ spectant ad materias religionis, & B cultum divinum ac mores fidelium probè justeque informandos: Certum est autem quòd titulus ille Conceptionis Immaculatæ, qui per ejusmodi decretum proscribitur, concernat morum sanctitatem, quippe cùm aliqui status religiosi, variæque confraternitates sub hoc titulo *Immaculatæ Conceptionis* fuerint erectæ, & ab Ecclesia probatæ; unde necessū est sacra illa instituta nullius esse momenti, & eos omnes graviter delinquere, qui vel vota religiosa, vel sacros ritus Deo nuncuparent sub hoc titulo Immaculatæ Conceptionis, si ille authoritate Ecclesiasticâ esset prohibitus ac proscri- C ptus.

Quartò, ut vim aliquam prætensum illud decretum haberet, necessum esset, quòd per id derogaretur speciatim omnibus Apostolicis constitutionibus, quibus titulus ille *Immaculatæ Conceptionis* tribuitur & approbatur; tandiu siquidem vigent Apostolicæ Constitutiones, donec expressè & nominatim revocentur: id autem fieri nullatenus apparet ex præfato decreto; ac subinde omnes illæ Constitutiones Apostolicæ Immaculatæ Conceptioni patrocinantes, plenarium & integrum robur adhuc sortiuntur.

Adde quod Pontificiæ Constitutiones nonnisi per alias oppositas Constitutiones revocentur, eadem enim authoritas ac solemnitas desideratur in D revocatione legis, quæ in ejus constitutione intervenit. Quis autem existimet Cardinales prudentissimos ac oculatissimos decretum edidisse, quod nullius fore roboris nulliusque efficacitatis facilè conjicere licebat, quodque in tot Pontificias Constitutiones apertè militabat?

Quintò, si motu propriô & duntaxat ad præcavendum aut amovendum abusum aliquem, decretum istud constituerit sacra Congregatio, quid necessum fuit adversariis duos publicos libellos supplices Eminentissimis Cardinalibus sanctæ Inquisitionis, pro tuendo præfato decreto offerre? Enimverò si à verâ ac legitimâ authoritate Ecclesiasticâ emanatum fuit, non egebat adversariorum E ope, ut effectum sortiretur, & mandaretur executioni: hos autem eorum duos libellos, unum quidem breviorem, alterum verò longiorem, habes in Armamentario Seraphico pag. 7. cum doctissima ac eruditissima omnium quæ perperam allegant, refutatione.

§. IV.

Quarta probatio ducta ex festo Conceptionis ab universali Ecclesia celebrato.

XXXII. Idem constat ex Ecclesiæ praxi.

ENimverò Ecclesia non celebrat festum alicujus nisi propter eximiam illius sanctitatem & dignitatem: sed jam à pluribus annis & sæculis Ecclesia celebrat festum Conceptionis Deiparæ Virginis: igitur censet Ecclesia illam Con-

ceptionem ſanctam eſſe & immaculatam. Major A conſtat & admittitur ab omnibus SS. Patribus & Theologiæ principibus. Nam Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 27. art. 1. ex hoc principio colligit Nativitatem B. Virginis eſſe eximiâ ſanctitate fulgentem: poſtquàm enim pro utraque parte, juxta morem ſolitum, propoſitam quæſtionem ventilavit, & argumenta ſanctificationem Virginis in utero materno oppugnantia propoſuit, robuſtiſſimam quam putavit pro ſtabilienda veritate in contrarium hanc objicit rationem. *Sed contra eſt*, inquit, *quòd Eccleſia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur ſeſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto: ergo beata Virgo in ipſa ſua Nativitate fuit ſancta: fuit ergo in utero ſanctificata.* Ipſi præiverat S. Bernardus epiſt. 174. B ubi de eodem argumento, ſic ſcribit. *Nec fallitur omninò ſancta Eccleſia, ſanctum reputans ipſum nativitatis ejus diem: & omni anno cum exultatione univerſa terræ votivâ celebritate ſuſcipiens. Ego puto quòd & copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, quæ ipſius, non ſolùm ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem, quod nemini in natis quidem mulierum creditur eſſe donatum.*

Quæ à pluimis ſæculis feſtum Conceptionis celebrat.

Similiter concinit & ſanctus Auguſtinus ſer. 113. de S. Cypriano dicens, *Quando natus eſt* (Cyprianus) *ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus. Sed illum diem non celebraremus, etſi noſſemus: illo enim die traxit originale peccatum: iſto autem die vicit omne peccatum.* Et pauló infrà concludit: *Unde nos celebraremus natalitia ejus, niſi eſſet pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum?* Idem habet ſermone 95. qui eſt de S. Stephano: Cùm igitur Eccleſia, ut mox probabimus, Conceptionis B. Virginis feſtivum diem jam à multis ſæculis celebret, conſequens, eſt quòd illam Conceptionem immacolatam ac ſanctitate præcellentem fateatur & agnoſcat.

Ut conſtat 1. Ex Eccleſiis Ægypti.

Probatur itaque minor, nempe quòd illius Conceptionis feſtum, non ſolùm à tempore Sixti IV. ſed etiam plurimis anteà ſæculis Eccleſia celebraverit: nam imprimis, (ut multis argumentis probat P. Oïeda in ſua informatione Eccleſiaſtica cap. 2.) in Eccleſiis Ægypti ſemper celebrata eſt D feſtivitas Conceptionis: quam inſtitutionem acceperunt à S. Marco Evangeliſta. Et in Syriaco Novo Teſtamento tranſlato à S. Marco (ut probant *Burgenſis* tractatu 1. de uſu Chaldaïcæ Paraphraſis, *Salmeron* prolog. 35. &c.) ad caput 11. Lucæ v. 27. ponitur titulus *Pro Conceptione Deiparæ Virginis*; ſicut & pro aliis quinque feſtivitatibus ejuſdem. Hoc enim peculiare habet Novum *Teſtamentum Syriacum*, quòd diſtribuatur in quoſdam titulos deſignantes Evangelia & Epiſtolas, quæ in ſingulis feſtivitatibus decantantur; quæ quidem diſtributio facta fuit ab antiquiſſimis S. Marci ſucceſſoribus, ut affirmat Fabricius Boderianus in epiſtola proœmiali ante verſionem E Syriacam.

2. Ex novo Teſtamento Syriaco.

Eandem feſtivitatem ab antiquo celebrari in Eccleſia Abyſſinorum, probat idem Fabricius, qui refert eos aſſerere ſe ſuas feſtivitates ab Apoſtolis accepiſſe.

3. Ex S. Theſiphone.

Confirmari poteſt ex S. Theſiphone diſcipulo S. Jacobi, qui ut habetur in uno ex libris in monte ſancto Granatenſi annô 1595. repertis, refert Apoſtolos, in Concilio docuiſſe B. Virginem fuiſſe ſine orignali conceptam: Per hæc verba. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præſervata fuit à peccato originali in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.* In alio libro ex prædictis S. Theſiphon ait, *Mariam non tetigit primum peccatum.* Et iterùm, *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Ave gratiâ plena, ſi in originali fuiſſet concepta.* De his libris & laminis Granatenſibus agit Doctor *Luzerus* diſcurſu 2. de Conceptione, *Iacobus de Granado* de Concept. d. 3. cap. 6. *Madera* in hiſtoria de eiſdem libris. *Ægid. de Præſentatione* lib. 3. de Concept. quæſt. 3. art. 1. ſect. 4. qui ſatisfaciunt difficultatibus contra dictos libros, & laminas, quibus includebantur: & Univerſitas Complutenſis propoſitionem 11. Gaſparis Ram. ſacræ Theologiæ Doctoris, quâ aſſeruit dictos libros nullius eſſe authoritatis, ſic notavit. *Hæc propoſitio manifeſtè falſa eſt, cùm ſint multæ rationes prægnantes & urgentes, quæ affirmant id, quod de ſancto monte Granatenſi dicitur.* Refert etiam Ægid. ſup. & alii librum illum, laminas, reliquias, & alia inventa in monte ſacro Granatæ approbata fuiſſe à Concilio Provinciali.

XXXII. 4. Ex Eccleſia Græca.

Hinc Galatinus noſter lib. 7. cap. 5. cùm immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ aſſertores & propognatores laudaret varios Patres Græcos, addit? *In cujus rei ſignum, feſtum de ipſa immaculata Virginis Conceptione, per annos fere mille celebrârunt: Et in Martyrologio quod in craſtino ipſius feſti legitur, quodque à S. Ioanne Damaſceno editum fuit, inter cætera quæ de ipſa beatiſſima Virgine pronuntiantur, dicitur:* CONCEPTIO C MUNDA BEATÆ ANNÆ DEI, ET DOMINI NOSTRI AVIÆ; Quibus verbis ſignificatur Conceptio activa quâ S. Anna beatiſſimam Virginem in utero concepit. In editione verô Monologii operâ Henrici Caniſii, ſic habetur, *Commemoratio S. Annæ matris Deiparæ Virginis.* Addunt aliqui, ut Bivarius ad Chronicum dextri annô 308. comment. 1. *Conceptio munda B. Annæ.* Hinc omnes hiſtoriæ Græcæ periti fatentur feſtum Conceptionis paſſivæ B. Virginis celebratum fuiſſe à Græcis ante 500. & amplius annos, ut obſervat Baronius in *notis ad Martyrolog. Rom. die 8. Decembris.* Quamvis apud Græcos poſtridie, id eſt, nona ejuſdem menſis celebretur; qood utique apertè coöſtat ex conſtitutione Emmanuëlis Imperatoris inſerta à Theodoro Balſamone D commentariô in Nomocanonem Photii, Tract. 7. c. 1. ubi inter dies ſolemniter colendos ita legitur, *Nonâ Decembris, utpote quod in eo peragatur Conceptio caſtiſſimæ Matris Dei noſtri*: Imperare autem cœpit Emmanuël annô 1143. De hac ergo feſti Conceptionis in Eccleſiis Græcis antiquitate nulla eſt controverſia; quin potiùs probabiliſſimè dici poteſt, circiter annum 900. jam feſtum Conceptionis apud Græcos celebre fuiſſe, cùm idem Baronius teſtetur in Manoſcripto Bibliothecæ Sfortianæ *num. 65.* inveniri ſermoœm *Leonis Imperatoris de Conceptione B. Mariæ*, qui omninò eſt Leo VI. *ſapiens* cognominatus, cujus alia ejuſdem generis ſcripta recenſet *Baron. tom. 10.* E Annal. an. 911. in quem incidit Leonis mors; imperii autem initium in annum 886.

Inde mirum videri non debet quòd Bartholomæus Epiſcopus Brixienſis io ſuo Repertorio p. 2. in verbo *feſtum*, dicit, Eccleſiam celebrare ſolemne feſtum in die Conceptionis beatæ Virginis: Et narrat inſoper qoòd ipſe tali die celebraverit ſolemoiter in ſacello ſommi Pontificis in ejos præſentia & plurium Cardinalium, ut refert *Bernardinus de Buſtis* ſerm. 3. de Conceptione: vixit autem iſte Bartholomæus circa annum 1227. Igitur duobus ſæculis ante Sixtum IV. jam Eccleſia Ro-

mana agebat diem festum immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis.

XXXIII. Ex ejusdem festi ordinatione pro universo ordine Seraphico tempore S. Bonaventuræ.

His adde quòd annô 1263. die 20. Maii in festo Pentecostes celebrata fuerint Pisis Comitia generalia nostri Seraphici Ordinis, probante ac præsidente S. Bonaventurâ tunc Generali ministrô, ubi inter cætera quæ piè religioséque statuta ac decreta fuerunt, ut narrant Vuadingus tom. 2. in Urbano IV. an. 2. nu. 16. & Michael Angelus in Chronologia num. 12. Capitulorum generalium, hoc decretum legitur, *Tunc ordinatum est, ut hâc strophâ Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, &c. clauderentur Hymni omnes à nativitate Domini usque ad Epiphaniam, & similiter ad Primam diceretur: Qui natus es de Maria Virgine. Iussum item, ut hæ festivitates admitterentur in ordine, videlicet Conceptionis B. Mariæ, Visitationis ejusdem, B. Annæ illius Genitricis, & Marthæ Virginis, &c.* Igitur festum Conceptionis longè ante Sixtum IV. in Ecclesia sacrum erat.

XXXIV. Objicitur epistola S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses.

Reponunt adversarii: Si reverà festum istud pridem celebratum fuisset in Ecclesia, illud non latuisset S. Bernardum: at hic epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses eos acriter perstringit quòd festum immaculatæ Conceptionis B. Mariæ temerè & inconsultâ sede Apostolicâ celebrarent, ibique plurimis rationibus demonstrat B. Virginis Conceptionem non fuisse ab originali peccato immunem: Miramur, *inquit*, satis quid visum fuerit hôc tempore quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Unde post allatas quasdam rationes quibus immaculatam Conceptionem oppugnat, concludit: Quamobrem etsi quibus vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci; non tamen & concipi: ut uni sanè servaretur sancti prærogativa conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jesus de Spiritu sancto conceptus; quia solus & ante conceptum sanctus. Quô exceptô, de cætero universos respicit ex Adam natos, quòd unus humiliter de semetipso ac veraciter confitetur. *In iniquitatibus*, inquiens, *conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.*

Cùm hæc ita se habeant, quænam jam erit festivæ ratio Conceptionis? Quô pactô, inquam, aut sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu sancto non est: ne dicam de peccato: aut festus habebitur, qui minimè sanctus est? Libenter Gloriosa hôc honore carebit, quô vel peccatum honorari; vel falsa induci videtur sanctitas. Alioquin nullâ ei ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Hæc Sanctus Bernardus.

XXXV. Sed reponimus 1. eam videri suppositiam.

Respondeo primò non improbabilem mihi videri eorum sententiam, qui existimant illam epistolam S. Bernardi supposititiam esse, non autem genuinum ipsius fœtum; quod utique plurimæ nec leves rationes insinuant: *Primò*, quia S. Bernardus pluribi disertè pronuntiat B. Virginis Conceptionem prorsùs immaculatam fuisse: Sic serm. 13. de Cœna Domini. *Non est in filiis hominum magnus vel parvus, qui non in peccatis conceptus fuerit, præter Matrem Immaculati, peccatum non facientis, sed peccata mundi tollentis: de qua cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem.* Et serm. 4. super Salve Regina. *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus, nemo ita præter te.* Et adducitur dicta Aug. authoritas, *cum de peccatis agitur, &c.* Licet autem dubitetur an isti sermones sint S. Bernardi; & etiam inter supposititios illius melliflui Doctoris fœtus, eos reposuerit *Horstius*, attamen eos genuinis accenset editio Lugdunensis operum S. Bernardi apud Joannem *Clein* annô 1515. in qua refertur illam editionem fieri post collationem factam ejusmodi operum à Religiosis Clarevallensibus cum Archetypis ejusdem Monasterii. Ut ut sit, certum est illos esse editos à viro doctissimo illius temporis, qui etiam S. Augustinum hujus sententiæ assertorem laudat. Idem P. *Oïeda* in sua informatione cap. 14. ut refert Cavellus *in Rosario*, qui non leve etiam ducit argumentum hanc epistolam esse suppositiam, ex eo quòd ipsemet S. Bernardus epist. 284. ad Eugenium conqueratur de falsificatione suarum epistolarum. *Periclitati sumus*, inquit, *in falsis fratribus, & multæ litteræ nostræ falsatæ sub falsato sigillo nostro in manus multorum exierunt*: Et epistolâ 298. ad eundem conqueritur de Nicolao, qui ipsius manum falsavit, & sigillum, quod anteà mutare coactus est, propter falsificationes præcedentes: *Quis possit dicere* (inquit) *ad quammultas personas sub nomine meo, me ignorante, quæ voluit scripsit? Quis mihi det, ut ipsa Curia vestra ad purum purgetur fæce mendaciorum ejus? Quis mihi det, ut vel ipsorum innocentia, qui mecum sunt, satis valeat excusari apud circumventos impudentissimis ejus mendaciis? Vobis quoque aliquoties in eadem falsitate scripsisse, & non semel, partim convictus, partim confessus est.* Iste Nicolaus fuit Monachus & Secretarius S. Bernardi ex epistola 354. addita, novitque stylum ejus ad vivum imitari, ut ostendit *Baronius* ad an. 1146. num. 22. ex epistola 34. lib. 6. Epistolarum Petri Cluniacensis, quæ est ipsius, & Bernardi more, ipsis Scripturæ verbis, ferè tota conscripta.

Suppositô hôc fundamentô, scilicet innumeras litteras falsô S. Bernardi nomine datas esse, non videtur improbabile quòd dicta epistola ad Lugdunenses Canonicos, una sit ex falsatis.

Secundò, quia epistola dicit festum Conceptionis fuisse inauditum: sed Bernardus bene noverat illud, haberi in Martyrologiis *Adonis, Bedæ, & Usuardi*. *Tertiò* celebrabatur tunc in Ecclesia *Narbonensi*, aliisque primariis Franciæ Ecclesiis, ut ostendit P. Oïeda cap. 11. quare ergo Epistola reprehendit Lugdunenses, non verò alios? *Quartò* in vita S. Bernardi per Guliel. Bernardum, & Gofridum, ne verbum habetur de ista lite cum Lugdunensibus, cùm tamen scribant longè minutiora, quæ Bernardus tractavit cum aliis Ecclesiis, & epistolas ad eas datas. *Quintò*, nullibi habetur responsio Lugdunensium: & certum est quòd respondissent, si talem epistolam à S. Bernardo recepissent. Si dicas periisse responsum: quomodo nulla manet ejus memoria? Et ubi S. Bernardi replica? *Sextò*, floruerunt illô sæculô litteris & sanctitate in Francia *Algerius* Cluniacensis Monachus, *Hildebertus* Archiepiscopus Turonensis, *Petrus* Cluniacensis, *Hugo* Victorinus (hi tres familiariter correspondentes sancto Bernardo) Petrus Blesensis, & alii: quorum nullus vel apparenter festum Conceptionis impugnavit, vel reprehendit. Et si vidissent Bernardum illud impugnantem, vel sequerentur, vel resisterent, vel saltem aliquam hujus rei mentionem facerent: sed nihil horum contigit. Alias multas rationes & conjecturas affert P. Oïeda

suprà, quibus dicta epistola ad Lugdunenses Canonicos de falsificatione maximè suspecta redditur.

Ex quibus constat, dictam epistolam, non minùs, sed fortè magis dubiam esse, quàm prædictos sermones, quos Aduersarii negant esse Bernardi; quia declarant Virginem ab originali peccato fuisse immunem. Nec obstat nonnulla diversitas styli; quia forsan ipsô loquente, alii ex ore ejus, sed suô stylô, exceperunt: quod utique plerumque fiebat, ut ipsemet notat epist. 18. *Aliqui fratres*, inquit, *ex his qui me coram audiere loquentem, suô stylô exceperunt, & penes se retinent.*

XXXVI. 2. Etsi genuina sit, non impugnat puritatem Conceptionis spiritualis & passivæ; sed activæ & corporeæ.

Respondeo secundò quòd etsi hæc epistola sit genuina sancti Bernardi; in ea tamen non improbat, nec impugnat mysterium & festum Immaculatæ Conceptionis, eô sensu, quô utrimque celebre est nunc in Ecclesia: dum enim contendit beatam Virginem in peccato conceptam, ibi vocem *Conceptionis* non accipit pro animatione fœtûs, seu unione animæ cum corpore, sed pro conceptione activa ipsorum parentum. Refellens enim rationes colendæ Conceptionis, quas proferebant Canonici Lugdunenses; maximè verò quòd conceptus honorari debuerat, *qui honorandum praivit partum: quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset qui honoratur*, ait: Quid consequentiæ habet; ut quoniam sanctum præcessit natalem conceptus, propterea reputetur & iste sanctus? Nunquid quoniam præcessit eum, fecit & sanctum? Quia si præcessit ut esset, non tamen ut sanctus esset. Unde etenim illa ipsi sanctitas quam secuturo transmitteret? an non potiùs quia præcessit absque sanctitate conceptus, oportuit nimirum sanctificari conceptam, ut sanctus sequeretur jam partus? An fortè mutuatus sit sanctitatem à posteriori prior? Potuit sanè illa quæ in utero jam concepta, facta est sanctificatio, ad ipsum qui sequebatur transire natalem, redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat; jam omnino non potuit. Unde ergo Conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione præventa; quatenus jam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus: quemadmodum sanctificata in utero jam dicitur, ut sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quàm esse. Siquidem non erat antequam conciperetur. An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni miscuit; ut simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut certè peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi fortè quis dicat de Spiritu S. eam, & non de viro conceptam fuisse. Sed hactenus inauditum. *Ita S. Bernardus.*

Quibus apertè constat ipsum loqui duntaxat de Conceptione activa & corporea, unde meritò concludit (ut dictum est suprà) solum Christum Dominum cum sanctitate fuisse conceptum, quia de Spiritu sancto conceptus est, & quia solus erat ante conceptum sanctus.

XXXVII. 3. Idcircò festum arguit, quòd inconsultâ Romanâ Ecclesiâ celebretur.

Respodeo tertiò cum *Horstio* in annotationibus ad hanc epistolam, quòd etsi sanctus Bernardus reverà locutus fuerit de Conceptione passiva, cujus noluerit festum celebrari, nihilominùs idcircò id præstitit, quoniam id nondum authenticô decretô ab Ecclesia Romana præscriptum fuerat; unde ait, *Consulenda erat prius Apostolica Sedis authoritas.* Et epistolam claudit his verbis: *Quæ autem dixi, absque prajudicio sanè dicta sunt sanius sapientis. Romana præsertim Ecclesia authoritati atque examini, totum hoc sicut & catera, qua ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judiciô emendare.* At jam securus tenet sanctus Bernardus quod optaverat; non enim aliam conditionem ponit, ut censeat festum Conceptionis esse celebrandum, nisi decretum & authoritatem Ecclesiæ Romanæ: hæc verò conditio jam à tempore *Sixti IV.* impleta est: igitur ab illo tempore Bernardus de festivitatis ac mysterii hujus sanctitate securus est, & pro ipsa stat atque subscribit; & subinde perperàm ab Adversariis in suæ opinionis tutelam profertur.

XXXVIII. Festum autem istud non celebratur tantùm ob gratiarum actionem.

Reponunt alii Conceptionem B. Mariæ Virginis celebrari, non quidem quòd sancta fuerit, sed quòd fuerit initium nostræ sanctificationis & redemptionis: itaut celebritas illa sit potius gratiarum actio, quòd Deus eô die nobis Virginem concesserit, ex qua Christus nasceretur, quàm commemoratio specialis alicujus sanctitatis, quâ fuerit donata & illustrata Deiparæ Virginis Conceptio.

Verùm, inquit Vasques *disp. 197. num. 63.* ipsô decretô Sixti IV. hæc responsio facilè refellitur, quia Pontifex non tantùm in ea decrevit ut festum Conceptionis B. Virginis in Ecclesia celebraretur; sed etiam officium Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis, & pronotarii Apostolici, pro ejusdem festi celebratione approbavit; in eo autem Conceptio Virginis *Immaculata* passim dicebatur. *Præterea* idem Pontifex *ibidem* exhortatur fideles ad reddendas Deo gratias, pro ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione: atqui miram Conceptionem eam non vocaret, nisi præter morem consuetum, in gratia, & sanctitate Virgo concepta esset. Nihil enim aliud mirum ejus Conceptio haberet, cùm more aliorum hominum, quod attinet ad naturam, fuerit concepta.

Reponunt cæteri cum Caietano in Opusc. de Concept. cap. 5. celebrari festum Conceptionis, non quidem respectivè ad instans animationis, & Conceptionis passivè, sed per respectum ad sanctificationem in utero, quæ paulò post animationem secuta est.

Neque per respectum ad sanctificationem.

Verùm hæc responsio præcluditur in bulla Sixti IV. quæ incipit, *Grave nimis, &c.* in qua ait: *Nonnulli diversorum ordinum Professores, ad prædicandum verbum Dei in diversis civitatibus, & locis & partibus Lombardia deputati, publicè affirmare hactenus non erubuerunt & quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam solam spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem Virginis Maria celebrare.* Et infra: *Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, & perversis assertionibus obviare volentes, motu propriò & de nostra mera deliberatione hujusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent eandem Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione, & sanctificatione ejusdem Virginis gloriosa festum celebrare, &c. utpote falsas & erroneas, & à veritate alienas authoritate Apostolicâ reprobamus & damnamus.*

Hanc autem constitutionem confirmavit Alexander VI. in bulla quæ incipit, *Illius qui se, &c.* in qua cùm præmisisset præfatam bullam Sixti IV. subdit, *Tenore præsentium decernimus & declaramus præinsertas litteras ac omnia & singula in eis contenta, perpetuis ac futuris temporibus, donec per Sedem Apostolicam aliter decisum, & ordinatum fuerit, inviolabiliter observari debere.* Igitur sub in-

terminatione Apostolica quisque fidelium teneatur celebrare festum Conceptionis naturalis B. Virginis, ac subinde illam Conceptionem & sanctam & Immaculatam venerari.

Concludendum ergo cum *Petro Burro*, qui floruit circa annum 1500. in Pæan de B. Virgine.

Quis modò conceptum dubitet celebrare Mariæ?
Quis renuat festis annua thura dare?
Hanc Petri sedes, caput & decus urbis & orbis,
Et colit, & mandat per pia templa coli.
Nulla est relligio, nulla ædes relligiosa
Hic ubi conceptus, nunc taceatur honos.
Par mihi miraculo visum est hæc festa dicari
Christicolas inter climata quotquot habent.
Ambigo nempe nihil, hoc summò Numine factum,
Ut colat Argivus, quod colit Ausonius.
Quodque colit Gallus, Dacus colit atque Bohemus,
Et Germanus, Hiber. Anglus & Illiricus.

§. V.

Quinta probatio ducitur ab authoritate SS. Patrum qui constanti traditione hanc veritatem ad nos usque propagârunt.

XXXIX. 5. Probatur ex Ecclesiastica traditione, INnumera sunt SS. Patrum ac Ecclesiæ Doctorum quòvis sæculò existentium oracula, quæ Virginem *vel* absolutè omninò immaculatam; *vel* ab omni peccato liberam; *vel* supra creaturas omnes puritate pollentem disertè pronuntiant. Quanquam enim pauci sint ante Augustini tempora (quòd nondum de originali peccato gravis exarsisset controversia) qui eam originali labe non fuisse inquinatam distinctè proferant; attamen id apertè satis significant, dum omnimodam ejus aut sanctitatem, aut puritatem, aut ab omni peccato defæcationem & immunitatem affirmant. Ex iis autem tot tantisque oraculis, quæ etiam ad sex millia profert noster de *Alua*, & ex plurimis quæ colligit & recenset noster, Cavellus in suo Rosario, selectiora duntaxat hîc attexere mens est.

Prodit imprimis S. Andreas Apostolus qui, ut referunt Presbyteri Achaiæ in ejus vita, aiebat, *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta: ita secundus Adam formatus fuit ex terra virginea nunquam maledicta.* Hanc vitam S. Andreæ habet Surius, & de veritate ejus dubitandum non esse testatur Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; unde in Breviario Romano etiam authoritate Pontificiâ recognito & approbato, inserta fuit, postquam de ea ab viris doctis acriter disputatum esset, & omnium consensu est approbata.

Sanctus Jacobus idem insinuavit in sua Liturgia,
S. Jacobus. in qua post consecrationem habetur, *Memento præcipuè sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ.* Et Chorus respondet, *Dignum est, ut te verè beatam dicamus, Deiparam, omnibus modis irreprehensam:* at si fuisset originali peccatô inquinata, dici non posset immaculata, nec omnibus modis irreprehensa: igitur oportet sanctus Jacobus censuerit, eam fuisse ab originali peccato immunem. Hinc est quòd *Flavius Dexter* præses Barchinonensis Imperatori Theodosio à Consiliis, in libro *omnimoda historia*, de qua latè scribit Marcus Castella, in præfatione ad historiam S. Jacobi, quem librum dedicavit sancto Hieronymo, refert *à S. Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ & Illibatæ Concept. Dei Genitricis.* His adde quæ diximus de celebratione festi Conceptionis in Ecclesiis Ægypti, ex ordinatione S. Marci, ut inde intelligas sententiam propugnantem immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, ab Apostolis ad nos usque fuisse derivatam.

Unde etiam huic veritati patrocinantur, qui primò secundò & tertiò sæculò scripserunt: Nam S. Ignatius epist. ad S. Joannem; *In Maria humanæ naturæ*, inquit, *natura sanctitati Angelicæ sociatur:* Qualiter autem natura sociaretur Angelicæ puritati ac sanctitati, si Maria originali culpâ fuisset inquinata? Hinc Justinus Martyr q. 136. ad Orthod. dixit Mariam esse *animam puram, quæ tota ad Deum spectat.* Qua verò ratione tota ad Deum spectaret, si priùs per originale peccatum, sub diaboli tyrannide fuisset mancipata

His adstipulantur, alii plurimi, maximè verò sanctus Hippolytus Martyr oratione de consummatione mundi: *Christus*, inquit, *advenit ex sancta & immaculata Virgine.* Similiter Origenes hom. 1. ex variis de Virgine faciens sermonem, ait: *Neque persuasu serpentis decepta, nec ejus venenosis afflatibus infecta est:* Quomodo autem diaboli venenosis afflatibus non fuisset infecta, si reverà peccatum originale contraxisset? Idem etiam præclarè docet author sermonis de Nativitate Christi apud sanctum Cy- S. Cyprianus.
prianum, ubi agens de Virgine Deipara ait: *Nihil in hac repetit ultio, nec præcedens delectatio aliquam petit pœnarum usuram, Spiritu sancto obumbrante, incendium originale extinctum est, ideoque innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturæ communicabat, non culpæ.* Quibus verbis, inquit *Vasques* disp. 117. num. 33. quamvis ideò solùm videatur asserere Mariam sine dolore peperisse, quia sine delectatione carnali concepit, ex quo id quod contendimus, minimè probari posset; tamen si rectè expendantur, ideo potiùs sentit Mariam sine dolore peperisse, quia nullam culpam originalem contraxit, quando dicit, *Naturæ communicabat, non culpæ.* Nec enim mulieres, ideò in dolore pariunt filios, quia cum delectatione concipiunt; siquidem mulier, quæ in somnis, vel arte dæmonis aliunde semine humanô delatô, conciperet sine delectatione, in dolore nihilominùs pareret: sed quia per originale peccatum maledictionis Evæ participes fiunt. Ad Evam enim propter peccatum dictum est Genes. 3. *In dolore paries filios:* quæ quidem maledictio ad posteros simul cum peccato originali transivit.

Tertium & quartum sæculum ejusdem veritatis S. Ambrosius.
assertores plures subministrat. Imprimis verò S. Ambrosium, qui serm. 22. in Psal. 118. explicans illud *Erravi sicut ovis*, ita scribit; *Veni ergo, & quære ovem tuam, jam non per servulos, non per mercenarios, sed per temetipsum suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est: suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Integram dicit ab omni labe peccati, & proinde à labe originalis culpæ. Adde quòd in officio Immaculatæ Conceptionis approbato per Pium V. ex eodem inserantur hæc verba; *In qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Quæ verba desumpta esse putantur ex Commentariis in Isaiam: vel ex serm. de Babaonitis.

Similiter S. Ephrem, cujus opera teste Hier. S. Ephrem.
de Scriptor. Eccles. in Ecclesiis post sacram Scripturam legi solebant, Orat. ad Dei Genitricem

tom. 3. *Immaculata, intemerata, incorrupta, & ab omni peccati labe alienissima.*

S. Hieronymus.

S. Hieronymus in Psal. 77. explicans illud: *Et eduxit eos in nube diei*, inquit: *Aut certè nubem levem debemus sanctam Mariam accipere nullò semine humanò pragravatam.* Quare autem dicatur nubes diei, his verbis exponit, *Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quòd si B. Virgo peccatum originale contraxisset, & justitiâ & sanctitate caruisset, procul dubio in nocte priusquam in die fuisset.

S. Augustinus.

Eôdem sæculò florebat S. Augustinus qui lib. de Natura & gratia cap. 36. cùm Pelagius contenderet hominem posse vivere, non solùm sine peccato, sed etiam justè, & plurimorum exempla memorasset, qui in sacris litteris justè, & sine peccato vixisse dicuntur; postquam verba illius Augustinus in eo cap. retulit, subjungit. *Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ de qua, propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: unde enim*, vel potiùs, *inde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum? Hâc igitur Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hîc viverent, congregare possemus & interrogare, &c.* Quibus verbis etsi fortasse de solis peccatis actualibus sermonem instituat S. Augustinus, nihilominùs sufficienter significat, se pariter originale peccatum à Virgine Deipara excludere. Ratio siquidem hæc generalis, quare noluerit B. Virginem complecti sub illa universali propositione, nempe propter honorem Domini: & quia concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum, æquè concludit de exclusione peccati originalis ac actualis. *Adde quòd* carentia actualis peccati in ætate adulta, sit infallibile signum immunitatis ob originali in vitæ primordio secundùm ejusdem sanctissimi Doctoris doctrinam: nam lib. 5. contra Julianum cap. 15. ubi probans idem esse habere peccatum ac fecisse, concludit de Christo; profectò peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset.

S. Gregorius.

Sextô & 7. sæculô prodeunt, imprimis S. Gregorius lib. 1. c. 1. *Sublimis Maria ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret meritorum verticem, super omnes Angelorum choros, usque ad thronum Deitatis erexit.* Ergo cùm Angeli boni nunquam fuerint polluti, idem à fortiori dicendum est de Maria, ut ad conceptionem Verbi dignè disponeretur.

S. Andreas Cretensis.

Similiter Andreas Cretensis homil. 1. de Virg. dormitione, *quæ cùm esset immaculata, impollutа, &c.* Et inferiùs, *Seraphim ipsam vincens naturam miraculô Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum.* Et homil. 2. *Sola præter naturam fuit electa, sola servivit opifici universæ naturæ.* Ergo aliter quàm alii in utero sanctificati, electa est.

S. Eligius.

In idem sanctus Eligius homil. 2. de Purificat. *Nunquam immunda judicatur, quæ Spiritu sancto obumbrante totius munditiæ auctorem genuisse comprobatur.*

Sophronius.

Sôphronius in epist. de qua in 6. Synodo, to. 3. p. 307. ait: *Virginem ideò dici immaculatam, quia in nullo corrupta est.* Et orat. in Christi natalia, *Christus in manifestissimum omnipotentis Divinitatis suæ judicium, Virginem ex qua prodiit, integram, incorruptamque conservavit.*

S. Ildephonsus.

Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. contra eos qui disputant de Virg. & parturitione Mariæ (habetur propositum concernentia) sic enim ait: *Quomodo Spiritu sancto eam replente; non sine peccato originali fuit?* Et infrà, *Nec attraxit in utero sanctificata originale peccatum.* Et in eodem libro. *Constat eam ab originali peccato fuisse immunem.* Et ibidem, *Non contraxit in utero sanctificata originale peccatum.* Item, *In totum extranea à maledicto primæ damnationis.*

S. Damascenus.

Octavô sæculô distinctè hanc veritatem professus est S. Damascenus orat. 1. de Nat. Mariæ post princ. ubi ait: *Natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectavit dum gratia fructum suum produxisset.* Item, *O beatos Ioachim lumbos, è quibus immaculatum semen effluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus.* Verba ultima videntur evidentia pro immaculata conceptione, quia fœtus non est formatus sanctissimus, si fuit formatus Deo inimicus, peccatô infectus. Et ibidem. *O sanctissima, quæ principatus, & potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritûs thalamo versata, atque immaculata conservata in Dei sponsam.* Et orat. 1. de Assumpt. *Gratia abyssum invenit, quæ duplicis Virginitatis navem incolumem servaverat, animamque non minùs quàm corpus Virgineam custodierat.* Et ibi orat. 2. *Ad hunc paradisum* (Mariam) *serpens aditum non habuit.*

S. Germanus.

Sanctus Germanus Constantin. serm. de fasciis & zona B. Mariæ ex Sur. 31. in id Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt, &c. Existimo manifestè, & sine contradictione, eam quæ est omnibus superior, divinarum & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus excellentem, Mariam nulli culpæ affinem.*

Idiota.

Sæculô nonô & decimô vir doctissimus ac sanctissimus, qui propter insignem humilitatem Idiota voluit appellari, lib. de contemplatione Virginis cap. 2. *Tota pulchra, Virgo gloriosissima non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit.* Et cap. 6. *Fuisti ab originali labe præservata.* & cap. 3. *O præbenedicta, combenedicta, & postbenedicta Virgo Maria.*

Haymo.

Haymo discipulus Alcuini epist. de Assumpt. *In ipsa hæreditate Domini morata est Maria, quæ non peccando, à possessione Domini non discessit.*

Fulbertus.

Fulbertus lib. 1. de Maria cap. 7. prat. in salutationem Angel. *Immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem omnis sanctitatis.* Refertur à Canisio lib. 1. de Deipara cap. 9. Coccio & aliis.

Anselmus.

Undecimo sæculô floruit S. Anselmus & in libro de Conceptu Virginali inter cætera hæc habet: *Primordia Conceptionis tuæ, meritò filii sanctæ Ecclesiæ debent venerari, si à peccati jugo credant esse discreta, quod cùm aliter credere nulli fas sit, &c.* Et cap. 18. *Decebat ut illius hominis Conceptio de Matre purissima fieret, decens enim erat, ut eâ puritate quâ major sub cœlo nequit intelligi, Virgo illa niteret, &c.* Idem Anselmus epistola ad Episcopos Angliæ tria refert miracula, quibus sanctis apparitionibus & revelationibus Conceptionis festum celebrari jubebatur. Cujus epistolæ ut authenticæ meminit Gerso, serm. de Conceptione Bacconius Doctor Anglus qui ante penè 400. annos floruit in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 1. & plures alii quos citat Cavellus. Hinc S. Anselmus instituit festum Conceptionis celebrandum in Anglia, ut habetur in Concilio Cantuariensi, teste Bacconiô quodlibetô 13. & pluribus aliis.

S. Damianus. Petrus Damianus serm. de Assumpt. Virg. *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Et serm. de Nativitate Virginis: *Nihil vitii in ejus corpore aut mente vendicare sibi potuit locum qua totius Trinitatis meruit esse sacrarium:* Ergo sicut nunquam corpus fuit corruptum; ita & mens nunquam fuit maculata.

S. Bruno. S. Bruno in Psal. 101. in id, *Dominus de cælo in terram aspexit*: ait, *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus: quæ, quia digna fuit, Dominus de cælo in terram aspexit.* Pondetanda sunt illa verba *ab omni contagione peccati libera*, quæ tam de actuali, quàm de originali intelliguntur, alioquin non posset dici Virgo terra incorrupta, quam Dominus de cœlo respiceret. Et serm. de Nativit. Virg. *Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est: illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligavit & vicit.* Non vicit quoad mortem corporis: ergo animæ.

Ivo Carnot. Ivo Carnot. Episcopus serm. de Nativitate Domini ex Coccio in Thesauro tom. 1. lib. 3. *Omnem quippe navum, tam originalis, quàm actualis culpa in ea delevit; non tollendo, sed præservando, quia eòdem modo utramque culpam in ea delevit, & certum est, actualem delevisse, præservando ab ea.*

Petrus Comestor. Eodem & sequenti sæculò pro immaculata Conceptione apertè militârunt, non solùm Canonici Lugdunenses, sed etiam Petrus Comestor lib. de immaculata Conceptione; *In omnibus requiem quæsivit Dei Mater, & invenit: in Conceptione quærit, & non inveniet?* Hujus libri meminit Trith. & Possevinus.

Nicolaus Anglus. Nicolaus Monachus è S. Albano Anglus, vir doctissimus, & in Scripturis versatissimus, S. Bernardo contemporaneus lib. 9. epistolarum Petri Cellensis epist. 9. (habetur tom. 2. Bibl. PP.) respondens cuidam epistolæ ejusdem Petri, quæ est 13. lib. 6. quâ eum acriter reprehendit, quòd S. Bernardus, debitâ exuerit veneratione, cùm dixit: *Virginis ipsius animam pertransivit gladius, non solùm in filii sui Passione, sed etiam nuper in Conceptionis sua commendatione*: (quod Petrus vocat lapidem offensionis, & petram scandali,) sic ait: *Ad petram scandali de corde vestro tollendam, plusculum est immorandum, quia res exigit, ut palam faciam, quod celare proposueram. S. ille Bernardus, quem me dicis debitâ exuere venerationè quidam catalogo SS. ad scriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus, & ab humano judicio exemptus. Exemptus inquam, est, ne de gloria ejus dubitemus, sed non ut minùs de ejus dictis disputemus. De gloria B. Martyris Cypriani Aug. non dubitat; tamen in Spiritu sancti datione eum errasse verissimè comprobat, errorem martyrio deletum scribit, & sic docuit Ecclesiam venerari Martyris gloriam, ut tamen non imitaretur errorem. Ego autem etsi non simili scientiâ, simili tamen conscientiâ, sic veneror B. Confessorem Ber. ut laudem & amem ejus sanctitatem, qui nec laudem, nec amem ejus præsumptionem in Matris Dei Conceptionem.* Hinc collige celebrationem festi Conceptionis tunc temporis fuisse communem, saltem in Anglia, quia non multùm anteà Anselmus floruit, qui illud introduxit, alioquin Nicolaus non tam audacter reprehenderet Bernardum.

Richardus Victorinus. Richardus à S. Victore 39. in Cantica. *Maria supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit sicut homines, inter quos nullus inventus est, qui faciat bonum, & non peccet.* Et cap. 26. *Tota pulchra fuit, quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum.* Et infra, *Obtenebrantur stella, id est, Sancti, caligine humanæ culpa: sed B. Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustravit sol justitiæ, ut nec maculam haberet, nec tenebras culpa.* Et de Emmanuele lib. 2. cap. 31. ait, *quod in ea fuit corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, & incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam.* Et serm. qui incipit, *Nedum erant abyssi*, ait, *Non decuit ut caro Mariæ qualicumque foret obnoxia culpa.* Citatur à Busti serm. 4. Conceptione.

S. Dominicus. *Seculò decimò tertiò* floruit illustrissimus ac sanctissimus Patriarcha Dominicus florentissimi ac omni pietate & sapientiâ famosissimi Prædicatorum Ordinis fundator, qui in tractatu de corpore Christi, quem scripsit contra hæret. Albigenses ait: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cujus terra, id est, Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.* Hujus autem libri meminerunt plurimi Authores, ut videre est apud Cavellum in sæculo 13. sui Rosarii, & Alva in Sole veritatis num. 307. qui pariter asserunt prædictum librum ab hæret. Albigensibus semel & iterum in ignem projectum, illæsum & intactum resiluisse: quod etiam narrat Vincentius Bellovacensis, qui post suum sanctissimum Patriarcham Dominicum 35. annis obiit lib. 29. cap. 96. sui Historialis. Idem habet sanctus Antoninus 3. part. tit. 19. cap. 2. §. 4. & plures alii vitæ ac miraculorum sancti Dominici scriptores.

Reponunt Adversarii præfatum librum non fuisse editum à S. Dominico, sed à quodam Dominico de Pantaleonibus Florentino Ordinis Prædicatorum, qui ad annum 1262. dicitur scripsisse de corpore Christi, & contra immaculatam Conceptionem.

Verùm, ut egregiè reponit de Alva in sua trit. nu. 2. hic author omninò fictitius videtur: *Primò* quia nullus ipsius nomen è veteribus scriptoribus, ac Nomenclatoribus scribit: sed ejus duntaxat meminerunt aliqui Recentiores scriptores ex Ordine Prædicatorum. *Secundò* tempore Concilii Basileensis PP. Prædicatores scrutati sunt omnes Bibliothecas & authores, qui in purissimam Conceptionem B. Virginis militabant, ut nempe subministrarent arma Turrecrematæ quibus Conceptionem illam immaculatam oppugnaret: at inter 28. authores ab eo pro sua opinione numeratos ex ordine Prædicatorum, nullus reperitur Dominicus de Pantaleonibus, imò nec etiam aliquis eò nomine laudatur ab Anonymo, qui pro eadem sententia ex ipso ordine numerat 51. authores, nec à Petro de Vincentia, qui refert 69. nec à Bandelloqui 71. nec ab aliis antiquioribus ejusdem Ordinis scriptoribus, qui ne minimam quidem de isto Authore mentionem faciunt. *Tertiò*, falsum est quòd annò 1262. quò S. Thomas erat natus 34. annos, & S. Bonaventura 40. ita gravis exarserit controversia inter PP. Dominicanos & Minoritas, ut ipsi Dominico de Pantaleonibus opus fuerit scribere librum de temerata Conceptione Virginis contra Minoritas, ut refert Michaël Pocciantius Florentinus, in suo Cathalogo scriptorum Florentinorum fol. 47. ubi ait: *Dominicus Panthaleonus, ex Ordine S. Dominici Pater, Philosophiæ cultor perpetuus, &c. composuit de Conceptione per modum dialogi,* CONTRA FRATRES MINORES. *Item alium tractatum de eadem materia,*

&c. Hac autem omnia apud Bibliothecam Cœnobii S. Maria Novella, & cujus erat alumnus, commemorantur: interiit Florentia 1376. die 28. Augusti. Quæ omnia fictitia sunt: nam S. Antoninus Florentinus in eadem civitate & conventu S. Mariæ Novellæ suum confecit cathalogum omnium authorum, qui in beatæ Virginis Conceptionem militabant, hujus authoris non meminit. Noster quidem *Lucas Vvading.* in Cathalog. script. Seraph. Relig. pag. 104. istum Dominicum Panthaleonem Florentinum adducit inter Minoritas, cum eisdem tractatibus de Conceptione B. Mariæ, dialogo de eadem. De substantia Orbis, de forma consecrationis sanguinis Christi, &c. Aliud autem est scribere tractatum de Conceptione B. Mariæ Virginis, aliud verò in ipsam & contra Minoritas invehere. Quare præfatus liber, *de corpore Christi*, non alium, quàm sanctissimum Patriarcham Dominicum authorem agnoscit.

Eôdem sæculô floruit noster Alexander Alensis Angelici ac Seraphici Doctoris in Theologia Doctor & Magister qui licèt 3. p. q. 9. memb. 2. videatur asserere Cooceptionem Deiparæ Virginis fuisse peccato originali vitiatam; nihilominùs non ipsius ea mens fuit, loquitur enim duntaxat de Conceptione activa, & ex parte parentum, non verò de passiva, & ex parte Virginis, ut egregiè probat de Alva in Sole veritatis num. 12.

Alensis.

Adde quòd suam mentem ac sententiam apertè significavit in libro quem scripsit de *vita* B. Virginis sex libris distinctum, ubi circa finem tertii agit de Conceptione, quam immaculatam & ab originali peccato immunem docet; ut plurimi graves Authores referunt, & ut videre est apud *Cavellum* & *de Alva* mox laudatos: inter quos eminet *Goschalcus Hollen* Ordinis S. Augustini in sermone Conceptionis, ubi ex libro ab Alensi edito hæc refert: *Nondum erant abyssi, id est*, inquit, *profunditates originalis peccati, & ego jam concepta eram, nam Abyssus dicitur ab*, AB, *quod est sine, &* BYSSUS *quod est quoddam luminosum subtile, & candidum factum textricio opere, quorum contraria sunt in peccato originali, quod est tenebrosum per privationem lucis gratiæ, & grossum per damnum perpetuum, atque turpe per carentiam dilectionis divinæ. Nondum ergo erant abyssi, id est, peccati originalis profunditates, & ego jam concepta eram, scilicet præveniente Dei gratiâ, &c.* Hinc Michael de Carchano, Mediolanensis Doctor antiquus, ac probatissimæ vitæ, in suo quadragesimali de pœnitentia, sermone de Conceptione p. 3. loquens de Alexandro de Ales, ac de ejus liberatiooe à gravissima infirmitate meritis Virginis Mariæ, sic inquit: *Ipse verò non ingratus de tanto beneficio, reddidit quod voverat, composuitque librum unum pulchrum, ubi continentur omnia facta istius mellifluæ Conceptionis Virginis, qui dividitur in sex libros, & in fine tertii libri cap. pen. quærit utrum Virgo benedicta sit in originali peccato concepta, & in corpore quæstionis ponit totum illud miraculum factum à Virgine in seipso, & ideo determinavit Virginem Conceptam sine peccato originali; docet & prædicat ejus conceptionem colendam, revocatque, & retractat quidquid 3. sententiarum dixerat, &c.* Ei subscribunt plures è veteribus scriptoribus, maximè verò *Daniel Agricola* in sua corona de Conceptione, *Ioannes Vitalis Cardinalis* in suo defensorio, & *Alanus Parisiensis*, qui scripsit ante annum 150. idem de Alensi narrantes: Igitur quidquid hic senserit in sua summa, certum est eum pro Immaculata Virginis Conceptione militasse.

Floruit eôdem tempore Seraph. Bonaventura, qui licèt in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 2. timidè asseruerit B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam: attamen re maturiùs libratâ ac deliberatâ, quam haberet sententiam apertè significavit serm. 2. de Assumptione, ubi clarissimè & eruditissimè Immaculatam Conceptionem adstruxit dicens: *Domina nostra fuit plena gratiâ præveniente in sua sanctificatione, gratiâ scilicet præservativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset corruptione naturæ, nisi speciali gratiâ præventa, præservataque fuisset. Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim, quod novò sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus sanctus eam à peccato originali (non quòd infuit, sed quòd infuisset) redemit, atque singulari gratia præservavit.* Et sermone 1. inter vera inquit: *Domina nostra tota fuit purissima, omni carens penitus macnlâ, tam in corpore, quàm in anima.*

S. Bonaventura.

Nec valet reponere cum adversariis, sermonem illum non esse S. Bonaventuræ, vel quòd præfata verba fuerint addita: Nam constat ex antiquo libro typis mandato ante 150. annos hunc sermonem ex integro esse ejusdem Seraph. Doctoris; siquidem inter sermones ibi expressos totus legitur, & ad calcem ejus libri legitur: *Expliciunt sermones de communi Sanctorum generales, nec-non de B. Virgine, de Angelis, & de triplici dedicatione, S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici, Cardinalis, Episcopi ex Ordine Minorum, à devio erroris quàm diligentissimè emendati, atque correcti, impensis & opere providi viri Magistri Iacobi Pfortzbenii, civis Basileensis annò salutis 1502.*

Nec obstat quòd Angelus Rocca Augustinianus Apostolici Palatii sacrista apposuerit ad marginem illius sermonis, illum non esse S. Bonaventuræ (si tamen illa additio ejus sit quod inficiatur de Alva oum. 49.) quia inquit ibidem Rocca multis aliis in locis contrariam opinionem S. Bonaventura docuit. Quasi verò Seraph. Doctor non potuerit emendare in ætate provectiori, & re meliùs compertâ, quod adhuc junior scripserat in libris sententiarum.

Nec etiam refert quòd eandem sententiam propugnare videatur in opusculis, maximè verò p. 3. & 4. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. nam ibi constanter non defendit affirmativam sententiam, imò potiùs in negativam propender. His adde quæ diximus suprà, nempe quòd eô agente statutum fuerit in capitulo generali celebrato Pisis, festum Immaculatæ Conceptionis per uoiversum Seraph. Ordinem esse celebrandum, sicut jam à plurimis celebrabatur, ut ipsemet testatur in 3. dist. 3. art. 1. quæst. 1. *Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis nec omninò laudare, nec simpliciter audeo reprehendere...... Non audeo omninò reprehendere, quia ut quidam dicunt: Hæc solemnitas celebrari non cœpit humanâ inventione, sed divinâ revelatione: quòd si verum est, sine dubio bonum est solemnisare in ejus Conceptione; sed quia hoc authenticum non est, non compellimur credere: quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare, &c.* Quibus verbis patet eum etiam ibidem non ita constanter adhærere oppositæ sententiæ, sed duntaxat timidè, cùm adhuc junior esset in illam fuisse propensum.

Piæ etiam sententiæ adstipulatur *Angelicus Doctor.*

S. Thomas.

Doctor, qui licèt 3. part. quæst. 27. art. 2. significare videatur B. Virginem fuisse priùs secundùm carnem conceptam, & ut sic contraxisse peccatum originale, & postmodum sanctificatam in utero, & mundatam ab ipso peccato originali; attamen, ut doctè observat Pintus initiô lib. de Conceptione Virginis, Angelicus Doctor *ibidem* subministrat validissima augmenta, quibus nunc, si viveret, apertè fateretur & concluderet Virginem Deiparam ab omni prorsùs originali macula fuisse immunem; nam idcircò concludit illam fuisse sanctificatam io utero, quòd Ecclesia celebret illius Nativitatem: *Non autem*, inquit, *celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto: ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta: fuit ergo in utero sanctificata*: sed jampridem Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis: igitur secundùm principia S. Thomæ, necessariò concludendum est illam Cooceptionem esse omnino sanctam & immacolatam. Deinde ibidem ait: *Rationabiliter credimus, quod illa quæ genuit Unigenitum à Patre plenum gratia & veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ beneficia acceperit*: sed ut ibidem subdit, invenimus quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum, ut in utero sanctificarentur, sicut Jeremias, cui dictum est cap. 1. *Antequam exires de ventre sanctificavi te*: Et sicut Joannes Baptista de quo dictum est Lucæ 1. *Spiritu sanctô replebitur adhuc ex utero matris suæ*. Ex quibus concludit, *quòd beata Virgo sanctificata fuerit, antequàm ex utero nasceretur*: at certè consequentia hæc non videtur legitima, debuerat enim inferre, ex eo quod Mariæ majora privilegia, quam omnibus aliis Sanctis concessa fuerint: ergo Maria noo solùm debuit sanctificari ante nativitatem, ut aliqui alii Sancti, sed etiam in Conceptione: illegitimè enim concluderet quisquis diceret: Soli major debetur lux, quàm stellis: at stellæ lucent ut quatuor: igitur Sol ut quatuor lucere debet: Unde etiam Bromiardus Ordinis Prędicatorum, qui paulò post S. Thomam vixit in Summa Prædicantium, agens de Corona Virginis, & duodecim stellis, seu donis singularibus, vel privilegiis Mariæ, sic inquit: *Secundam in Corona habuit stellam, seu florem elevatum ad modum coronæ regalis, in hoc quòd fuit cæteris eminentiùs & specialiùs sanctificata. De aliis enim benè legitur, quod fuerunt in utero sanctificati, sicut de Ieremia, & Ioanne Baptista. Non tamen illicò ita fuerunt sanctificati, quin potuerint venialiter peccare. Ipsa verò tam eminenter sanctificata fuit, quòd nec mortaliter, nec venialiter peccavit, sicut patet per S. Thomam in 3. part. de Christo, qu. 27. art. 6. in eadem etiam quæstione. art. 2. ponit ejus sanctificationis excellentiam, quantùm ad temporis prioritatem, in hoc quòd sanctificata fuit in sua animatione, id est. in conjunctione animæ cum corpore in utero matris suæ. & non antè, quia sanctificatio & mundatio fit per gratiam, cujus subjectum est anima, nihil enim est capax gratiæ, nisi anima rationalis: sic ergo sanctificavit tabernaculum suum Altissimus, in Psal. 45. &c.* Ita Joannes Bromiardus; unde Petrus à Valle clausa in suis Diatr. 6. agens de hac quæstione 27. & art. 2. tertiæ partis sic inquit: *Itaque textus ille fuit manu adulteratricæ contactus. & apud Ioan. Bromiardum, qui floruit annô 1260. ut habet Chronicon Ordinis Prædicatorum, locus ille legitur, ut par est. Vide Bromiardum, in summa Prædicantium. verbo Maria. art. 2. adducit enim Bromiardus S. Thomam eô locô dicentem B. Virginem fuisse sanctificatam non ante animationem, sed in ipsa prima animatione, ex quo sequitur exclusio peccati originalis à Deipara, fratres autem, ne ibi hoc S. Thomas diceret, & sibi contradiceret 1. 2. adulteratô textu fecerunt, &c.*

Quòd autem ea genuina fuerit sententia Angelici Doctoris, colligi potest ex plurimis illius locis; maximè verò in 1. sententiarum dist. 44. quæst. 3. ad 3. ubi inquirens utrum Deus possit res nobiliores & præstantiores facere quàm fecit, sibi objiciens authoritatem S. Anselmi, nempe quòd B. Virgo eâ puritate enituit; sic respondet: *Ad tertium dicendum, quòd puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quò nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantùm erat in ea potentia ad peccandum.* Similiter super epistolam ad Galatas cap. 3. lect. 6. proferens illud Ecclesiast. 7. *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino à peccato immunis esset, ad minùs originali vel veniali; excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo.* Ita ferunt omnia antiqua exemplaria manuscripta, ut videre est Parisiis in Bibliothecis tum Sorbonæ, tum S. Victoris, ut ego ipse propriis oculis legi; nec non in Editione Parisiensi factâ annô 1541. at in editionibus posterioribus, putà Venetiana anni 1593. Immaculatæ Conceptionis Osores exceptiones illas ex Angelico Doctore expunxerunt.

Insuper Nurembergius in exceptionibus Concilii Tridentini pro omnimoda puritate Deiparæ Virginis, refert quòd Romæ in Bibliotheca Cardinalis Sforsæ ann. 1625. visum fuit exemplar perantiquum *S. Thomæ* in epistolas Pauli, & in eo ad illud *Rom. 5. in quo omnes peccaverunt*, hoc commentarium: *Unâ exceptâ B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati*; additque mox fuisse ostensum Cardinali Treio, & per eum Urbano VIII. summo Pontifici. Idem ferendum judicium de expositione ejusdem Angelici Doctoris in salutationem Angelicam, ubi habebat hæc verba: *Maria purissima fuit quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*: Quæ sententiæ licet in modernis editionibus non reperiantur: adeo tamen authenticæ sunt, ut neqoidem *Ioannes de Turrecremata* immaculatæ Conceptionis ardentissimus impugnator ea negare aosus fuerit, ut referunt Catherinus, & Salmeron: nihilominus oon ita illibatæ Conceptionis Osores furtivas manus injecêre in pia Angelici Doctoris verba, quin adhuc hæc ibidem intacta reliqoerint: *Excedit Angelos quantùm ad puritatem*, quæ utique vera oon essent, si beatissima Virgo originali peccato maculata fuisset & fœdata.

Alios innumeros ab hoc sæculo ad nos usque illibatæ Conceptionis assertores & propugnatores non refero; siquidem, hæc pia sententia, inquit Vasqoes 3. p. d. 117. cap. 2. *à tempore Scoti non solùm apud omnes Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christi fideles, ita percrebuit, & cum hominum sæculis inveteravit, ut nullus jam ab ea deduci & dimoveri possit.* Dixerat antea, *Hoc tempore non solùm apud omnes Theologiæ Professores & Doctores, exceptis Dominicanis, qui in sua opinione semper perseverant: sed etiam omnes qui Christi nomine fidem profitentur in hanc sententiam uno animo & affectu, ita conspirant, ut sine magno populi scandalo, ut rectè notavit Corduba, jam*

nemo possit oppositam populo in Concionibus opponere. Quæ omnia verissimè scripsit Vasques etiam longè antequam Paulus V. sub gravissimis pœnis imposuisset silentium adversariis, oe publicis conclusionibus, concionibus, lectionibus, ullisve actibus publicis oppositam sententiam docerent, ac tuerentur. Excipienda sunt tamen ea verba, quibus Patres Dominicanos excludit à propugnatione Immaculatæ Conceptionis: Nam *Turrecremata* solùm ex eo Angelico Ordine pro adversa sententia numerat 28. Doctores. *Anonymus* qui post illum scripsit *viâ* 3. *p.* 1. illos amplavit usque ad 52. *Petrus de Vincentia* alphabeto 6. numerat 69. *Vincentius Bandellus* cap. 23. recenset 72. *Paulus Grysaldus* in Cathalogo 5. recenset 82. At noster de Alva ipsis omnibus oculatior in sua Trituratione computat 92. Quibus in suo Ventilabro totidem ex eodem Ordine opponit strenuissimos Immaculatæ Conceptioois Deiparæ propugnatores & assertores.

His autem omnibus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis patrociniis præclaram coronidem imponet *sacra Facultas Parisiensis* quæ fermè à 300. annis illius propalationi ac propugnationi strenuissimè ac fœlicissimè incumbit, ut apparebit ex illius celebri decreto, & juramenti formula.

Statutum sacra Theologia Facultatis studii Parisiensis super materia Conceptionis Immaculata, gloriosissimaque Virginis Mariæ Matris Domini nostri & Redemptoris Iesu Christi.

CUM multas Majores nostri fortissimi & strenuissimi Catholicæ fidei milites, nascentes variis temporibus hæreses, nullis unquam laboribus, oullis periculis deterriti sacris suis disputationibus oppresserint; in illos tamen errores, qui immaculatæ & gloriosissimæ Dei Genitricis, perpetuæque Virginis Mariæ laudem & dignitatem violare, nisi sunt, peculiari quôdam sanctô perfectôque odiô vehementiùs insurgendum, acriusque sibi pugnandum semper judicaverunt. Quandoquidem eam contumeliam ad D. nostrum Jesum Christum, & utrumque parentem piissimum maximè pertinere arbitrabantur. Quòd enim Eccles. 3. capitulo de Patre scribit, de Matre quoque verissimum, ac de utroque parente: Ne glorieris, inquit, io contumelia Patris tui, non enim est tibi gloria ejus confusio, gloria enim hominis est hooor Patris sui, & dedecus filii Pater sine honore. Cùm itaque proximô sæculô quæstio de puritate Conceptionis felicissimæ Dei & Domini nostri Jesu Christi Genitricis Mariæ solitò freqnentiùs agitari cœpisset; Spiritu sancto scilicet ejus rei veritatem aliquando propalari volente, diligentiùs utriusque partis libratis rationibus, primum pro tempore suum prudentissimè suspenderunt judicium; demum in eam partem inclinatiorem quæ Virginis gloriæ & puritati adstipulari videbatur, ita eorum vanissimam temeritatem disputando confutârunt, qui citra efficacem probationem, Virginem in originali peccato fuisse conceptam obstinatè contendebant, ut contrariam quæstionis partem, quæ Virginem dum conciperetur, speciali Dei munere ab originali macula fuisse immunem affirmat, pietati, fidei, & rectæ rationi, & Scripturis divinis valde quadrantem decernerent. Quæ sententia paucos post annos ita sacro Basileensi plenario Concilio, & post longam ejus quæstionis disputationem gravissimamque deliberationem Spiritu sanctô inspirante, eam tandem doctrinam, quæ beatissimam Dei genitricem Mariam, cùm conciperetur, ab omoi prorsus peccati originalis labe speciali singularique Dei gratiâ fuisse liberam asserit & docet, tanquam piam, Ecclesiastico cultui, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Scripturæ sacræ consonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam & tenendam definierit; contrariamque assertionem doceri deinceps, defendique sub interminatione divini judicii vetuerit. Quod sanctum Synodi decretum cum omnium Ecclesiarum, tum etiam totius populi Christiani judiciô, consensu, ac religione comprobatum, confirmatumque videamus, noo possumus quorundam vanam, superbam, temerariam insanamque obstinationem non admirari, non indignè molesteque ferre, qui hoc oostro adhuc tempore ejusmodi piam & religiosam doctrinam universalis Synodi & Ecclesiæ, quæ juxta promissionem errare non potest, judiciô authoritateque probatam, aot expugnare, aut in dubitationem revocare non verentur, implacabile, impiissimumqoe bellum adversus piissimæ Dei genitricis eximiam dignitatem gerentes. Quorum furori ut alacriùs fortiusque occurramus atque resistamus, pro nostra professione, ordine & gradu, Majorum nostrorum vestigia sequentes, universi tertiò congregati, post multam, gravem & maturam deliberationem, in ejus piissimæ doctrinæ, quæ benedictissimam Dei Matrem ab originali peccato Dei singulari donô fuisse præservatam, affirmat; quamque jampridem veram credidimus & credimus, defensionem ac propugnationem speciali sacramentô conjuravimus, oosque devovimus.

Statuentes ut oemo deinceps sacro huic nostro collegio adscribatur, nisi sese hujus religiosæ doctrinæ assertorem, strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum, simili juramento profiteatur. Quòd siquis ex nostris, quòd absit, ad hostes Virginis transfuga, contrariæ assertionis, quam falsam, impiam, & erroneam judicamus, spretâ non nostrâ tantùm, sed Synodi & Ecclesiæ, qoæ procul dubio summa est, authoritate, patrocinium quâcumqoe ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum, atque exauctoratum à nobis & consortio nostro velut Ethnicum & Publicanum, procul abjiciendum decrevimus. Vos ergo appellamus & convenimus, sanctissimam Dei Matrem, & omni laude dignissimam ab originali peccato Dei singulari donô fuisse præservatam credite, prædicantesque vestrâ benedictione opibusque prædicate, juvare, & per Jesu Christi misericordiæ viscera, ejusque Matris intemeratæ Virginis charitatem obtestamur, ita pro vestro officio, & divina authoritate, nostris, imò potiùs Divæ M. hostibus fortiter resistite, vestris eos finibus abigite, & mulctatos expellite, ut religiosa populi Christiani in gloriosissimam Dei genitricem, unam humani generis spem paternam, & matrem devotio, pietas & charitas in dies magis ac magis foveatur, augeatur, accendatur. Rem procul dubio pientissimo ejus filiô Dominô nostrô & Redemptore Jesu Christo facturi gratissimam, atque jucundissimam, & huic quoque, cujus curam geritis, populo fructuosissimam.

Datum Parisiis apud S. Mathurinum pro prima Congregatione, 3. die mensis Martii annô Domini 1496. Secundâ Congregatione, die 6. ejusdem

„ mensis, & pro tertia Congregatione apud Augustinum in loco Capitulari die Jovis 9. ejusdem mensis Martii post Missam de Conceptione per juramentum celebratam, publicatumque die 23. mensis Augusti 1497. apud sanctum Mathurinom, in Congregatione per juramentum super hoc specialiter facta; ac disputatione Sorbonicâ ejusdem mensis die 26. assistentibus Dominô Rectore universitatis, Reverendissimo in Christo Patre Archiepiscopo Bituricensi, Episcopis 7. cum pluribus Abbatibus, Consiliariis Regiis, & quampluribus Doctoribus tam in Decretis, quàm Baccalariis, cum maxima multitudine studentium. De mandato ejusdem Decani, per me Henricum Bertrandi Presbyterum in artibus Magistrum, Notarium publicum, & ejusdem Facultatis Bidellum, lectum & pronunriatum. Juraveruntque tam in præcedentibus, quàm in aliis Congregationibus ejusdem Facultatis centum & duodecim Doctores ejusdem Facultatis stantes in dicta determinatione & statuto.

FORMULA JURAMENTI.

Jurabitis quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione Immaculata Virginis Mariæ, videlicet, quod in sua Conceptione præservata fuit ab originali culpa. R. Juramus.

CUjus quidem statuti ac juramenti eadem sacra Facultas adeò fuit tenax & observatrix zelantissima, ut nullum unquam ex suis clientibus & filiis audierit ab ea pia sententia tantillum declinare, quin illicò ad ejurandum publicè, quòd in contrarium asserere præsumpserat, eum adegerit. Hinc pridem etiam ante præfatum decretum, anno videlicet 1387. celebrem edidit censuram adversus 14. propositiones *F. Joannis de Montesono*; quæ censura postmodum authoritate Apostolica fuit confirmata. Unde an. 1388. facta fuit revocatio contrariæ sententiæ coram Rege & deputatis universitatis per *D. Guillelmum Episcopum Ebroicensem.* Eodem anno die 21. Martii, similis revocatio facta est ante Ecclesiam sancti Germani Antissidorensis per *F. Joannem Thomam Præd.* Eodem an. die 16. Maii idem revocavit publicè in cœmeterio SS. Innocentium, *F. Adamus Suessionens Præd.* Anno sequenti, die S. Joannis Baptistæ sacro idem publicè in Ecclesia nostri majoris conventûs Parisiensis revocavit *F. Gaudefridus de S. Martino Præd.* Eodem anno die 20. Augusti idem revocavit in Ecclesia sancti Bernardi *P. Joannes Adea Præd.* Eodem anno die 10. Octobris, idem etiam in nostra Ecclesia Parisiensi revocavit *F. Petrus de Chancheyo Præd.* Aliæ sunt plurimæ ejusmodi revocationes publicæ, quarum acta E integra apud me habeo, quæ perpetuam sacræ Facultatis Parisiensis in Illibatam B. Virginis Conceptionem, observantiam præclarè testantur: at ne longior sim, ab eis supersedeo.

Cùm autem post Conc. Trident. circa an. 1575. hoc sacræ Facultatis & Academiæ Parisiensis decretum & juramentum stimulante ac facem præferente Maldonato nonnulli acerbè ferrent, post graves ultrò citròque lites & controversias, tandem sacræ Facultatis patrocinium suscepit non solùm Senatus Parisiensis, sed etiam summus Pontifex, ad quem à sententia Episcopi Parisiensis in Decanum & Syndicum lata, fuerat appellatum, præclarâ ad eum datâ epistolâ, nec-non & doctissimô in publicum vulgatô tractatu Theologicô circa Immaculatam Virginis Matris à peccato originali præservationem: ubi respondens rationibus & objectionibus Maldonati, inter cætera hæc habet: *Nec Facultas condidit articulum fidei de Conceptione, sed propositum à Concilio Basileensi, & Sixtinis credidit: quibus si authoritatem talem Concilium Tridentinum detraxit, & Sedes Romana Tridentinorum sententiam Basileensibus præfert, ipsi Facultas se conformat, & assentitur jam secundum Concilium Tridentinum, affirmationem Conceptionis non esse articulum fidei Catholicæ, nec pro hæretico notandum, quisquis aliter opinabitur, &c.*

Objiciunt adversarii varias SS. Patrum ac Ecclesiæ Doctorum authoritates, quibus nostram assertionem omninò convelli existimant, quas omnes cùm longum esset ac tædiosum referre, hîc duntaxat eas proferemus & expendemus, quæ maximè adversæ sententiæ patrocinari videntur. *Primò* quidem in suas partes advocant Origenem hom. 8. in Leviticum, ubi explicans illa verba: *Mulier quæcunque susceperit semen*, sic ait: *Mulier si conceperit semen, & pepererit filium: sed esse exceptionem mysticam, quæ solam Mariam à reliquis mulieribus segregaret, cujus partus non ex Conceptione seminis, sed ex præsentia sancti Spiritûs, & virtute Altissimi fuerit, &c.* Et paulò infra: *Sed & ipse qui nascitur, sive virilis, sive fœminei sexûs sit, pronuntiat de eo Scriptura, quia non fit mundus à sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus.* Et infrà: *Quòd si placet audire quid etiam alii Sancti de ista nativitate senserint, audi David dicentem: In iniquitatibus, inquit, conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, ostendens quòd quæcunque anima in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur, & propterea dictum esse illud quod jam superiùs memoravimus, quia nemo mundus à sorde, nec si unius diei sit vita ejus.*

Deinde homil. 12. quæ est de magno sacerdote ait: *Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quòd & Scriptura dicit: Nemo mundus à sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. Hôc ipsô ergo, quod in vulva matris est positus, & quòd materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in Patre, & in Matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cùm 40. dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, ut purificetur ibi tanquam pollutus fuerit in ipsa Conceptione, vel paterni seminis, vel materni. Omnis ergo homo in patre, & matre pollutus est; Solus verò Jesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in Matre non est pollutus. Ingressus est enim corpus incontaminatum, &c.*

Denique homil. 5. super librum Numerorum, ait: *Quia enim solus* (Christus) *est sine peccato, qui peccatum non fecit, idcirco in ipso solo mansit & permansit Spiritus. Si enim ipse est, de quo singulare aliquid, & eximium dicitur, hoc quod suprà diximus: Quia peccatum non fecit, constat reliquos omnes fuisse sub peccato, si omnes, necessariò, & Prophetas, &c.*

Solvuntur objectiones petitæ ex Origene.

Verùm respondeo his & similibus sententiis nullatenus assertionem nostram impugnari. Non quidem per *primam*, quippe in ea Origenes agit de lege purificationis, cui subjiciebantur omnes fœminæ, quæ ex suscepto virili semine conceperant, & à qua omninò immunis fuit Virgo Deipara; quippe concepit ex operatione Spiritûs S. unde Origenes loquitur duntaxat de Conceptione activa, non verò de passiva.

Ad secundam dico, Origenem solùm intendere

quòd Christus Dominus non fuerit contaminatus per maternam conceptionem; quia cùm ipse fuerit virtute Spiritûs sancti conceptus ex Virgine, ille solus ex vi & modo suæ generationis mundus fuit ab omni sorde, & iniquitate, quâ inficiuntur alii ratione primæ generationis carnalis, seu conceptionis activæ Parentum, de qua duntaxat Origenes loquitur, non verò de conceptione propriè dicta, seu de animatione, de qua hîc est sermo.

Ad tertiam dico Origenem ibi agere de peccato actuali; non verò de originali, non enim dicit: Qui peccatum non habuit, ut volunt adversarii, sed qui peccatum non fecit: at nullus, arbitror, adversariorum est, qui beatam Virginem actualiter peccasse affirmet, quippe cùm velint eam ab omni peccato actuali liberam Concilium Tridentinum pronuntiasse, non verò de originali esse intelligendum.

Et ex S. Ambrosio.

Objiciunt secundò varias authoritates S. Ambrosii. Primò quidem Octonario 7. explicans illa verba: *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis usquequaque*, ait: *Omnes intra retia erant, imò adhuc intra retia sumus; quia nemo sine peccato nisi solus Iesus, quem non cognoscentem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato in quo erant omnes homines, sed in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne: peccatum erat caro secundum illud, quia hæreditaria erat damnata maledictio. Peccatum erat illecebra, & ministra peccati: venit Dominus Iesus, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit.* Deinde in Commentario super Lucam cap. 2. ait: *Non enim virilis coitus vulva virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina, sanctus Dominus Iesus, qui terrena contagia corruptela immaculati partûs novitate non senserit, & cælesti Majestate depulerit.* Item super Isaiam, ut allegatur a B. Augustino lib. 1. contra Julianum, & in primo de Nuptiis & Concupisc. *Omnis*, inquit, *homo mendax, & nemo sine peccato, nisi unus solus Deus. Servatum est igitur, ut ex viro & muliere, per illam corporum mixtionem nemo conceptus, expers sit delicti, qui autem expers est delicti, expers est & hujusmodi Conceptionis.*

Respondeo his & similibus S. Ambrosii sententiis nihil contra nostram assertionem posse deduci; siquidem apertè constat in prima allata authoritate sermonem duntaxat fieri de peccatis actualibus: ad quæ caro per originale peccatum vitiata solet pellicere; quam quidem peccati illecebram Christus non habuit, sicut nec Deipara Mater: quoniam uterque ab originali labe fuit immunis. Interim moneo hanc authoritatem ab adversariis objectam cautè esse excipiendam; quippe illam in multis solent interpolare, nonnulla adjicientes, alia verò detrahentes, ut sanctum Ambrosiom, etiam invitum, in suam sententiam pertrahant.

Ad secundam authoritatem dico, vocabulum *solus* non significare exclusionem cujusque; nam constat plurimos in utero matrum esse sanctificatos, & in partu terrenæ contagia corruptelæ non sensisse: sed solùm indigitat Christum Dominum omnem illam corruptelam propriâ cœlesti suâ Majestate depulisse, quàm cæteri eâdem prærogativâ donati, non nisi divinô sibi affulgente præsidiô ac beneficiô fuerunt assecuti. *Vel dico* A præfatis verbis S. Ambrosium solùm intendere quòd Christus Dominus ex natis de fœmina solus sit, qui immaculati partûs novitate terrenæ contagia corruptelæ non senserit: quoniam ex Virgine omninò illibata ac purissima natus est. Moneo insuper adversarios etiam hanc authoritatem vitiare; addunt enim (Sanctus *in Conceptione* fuit Dominus Jesus) vocabula enim illa, in Conceptione, nec apud S. Ambrosium, nec apud S. Augustinum, qui eandem authoritatem profert lib. 1. contra Julianum, reperiuntur.

Ad tertiam authoritatem dico, ex ejus verbis sufficienter apparere S. Ambrosium esse duntaxat intelligendum de peccato actuali, non verò de B originali; vel de Conceptione activa, non verò de passiva. *Nec refert* quòd illam authoritatem proferat S. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & concupisc. cap. 35. ut ex ea probet peccatum originale: nam primò certum est illam authoritatem, ut à S. Augustino profertur, nunc non reperiri apud S. Ambrosium. *Insuper* illam etiam vitiare solent adversarii, primò namque addunt particulam *solus* locô particulæ *unus Deus*. *Secundò* adjiciunt verbum *conceptus*. *Tertiò* omittunt vocabulum *videatur*, ut dubitativam propositionem, absolutam & affirmativam eliciant.

Et ex S. Augustino.

Objiciunt tertiò plurimas S. Augustini sententias, quibus significari videtur *primò* solum Chri- C stum fuisse immunem ab originali peccato. Sic lib. 2. de Baptismo parvulorum cap. 24. *Non est*, inquit, *in filiis hominum, nec fuit, nec erit qui nullô unquam peccatô fuerit obstrictus, aut ad justitiam non ex peccato pervenerit, exceptò unô Mediatore, per quem finitis peccatorum inimicitiis reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum unquam habuit, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim inde suscepit, illud profectò suscipiendo mundavit. Hæc ille.* Idem habet lib. 1. de Nuptiis cap. 12. & lib. 2. de peccatorum meritis & remissione. *Deinde* proferunt ex S. Doctore illas authoritates quibus significant B. Virginem D fuisse mortuam propter Adæ peccatum. Sic Concione 2. in Psal. 34. *Maria ex Adam mortua est propter peccatum Adæ: Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata. Denique* varias congerunt ejusdem sententias, quibus S. Doctor significat *omnes ex commixtione maris & fœmina natos, trahere originale peccatum, eosque de parentibus quibuscunque nascantur tandiu esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, qui de eadem sexûs utriusque commixtione nasci noluit, ut per ejus gratiam de potestate eruti tenebrarum in regnum illud transferantur:* sic loquitur lib. 2. de Nuptiis & Concupisc.

E *Respondeo ad primum* præfatam authoritatem variè ab adversariis esse interpolatam: sanctus enim Augustinus ibi opponit Christi sanctitatem hominum corruptioni; cùm enim dixisset: *Ut nos quidem nati essemus in carne peccati: ille autem in similitudine carnis peccati; nos non solùm ex carne & sanguine, verùm etiam ex voluntate viri & voluntate carnis: Ille autem tantùm ex carne & sanguine, & non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est: & ideo nos in mortem ex peccato, ille propter nos in mortem sine peccato*, Subdit: *Solus ergo ille etiam homo factus, manens Deus, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de natura carnis peccati, quod enim carnis inde suscepit, id pro-*

ſecto aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo mundavit. Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, id eſt, non concupiſcentia carnalis motu concipientem, ſed piâ fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret creavit de qua crearetur, elegit, &c. Ex quibus luculenter apparet præfatam S. Auguſtini aothoritatem non ex integro & ſincerè referri. Quatuor enim primas lineas ex propria mente confictas adjiciunt. *Deinde* ubi S. Auguſtinus habet, *quamvis de natura carnis peccati*, iſti interpolatores ſcribunt, quamvis de materna carne peccati. Adde quòd S. Auguſtinus loquatur de Conceptione activa, non verò de paſſivâ, ſeu de concupiſcentia exiſtente in voluntate viri, & ex voluptate carnis, quando homo generatur, à quo nullus præter Chriſtum fuit immunis. Quapropter ſubdit ſanctus Auguſtinus: *Ideo Virginem Matrem non lege carnis peccati, &c.* ut deſignaret Chriſtum nec in ſe, nec in parente peccatom ullatenus ſuppoſuiſſe. Hic autem noo non eſt ſerioo de conceptione activa, ſed de paſſiva.

Ad ſecundum dico S. Doctorem nihil alind velle, quam quod Virgo Deipara mortua ſit propter Adæ peccatum, quia videlicet moriuntur homines propter ſolum Adæ peccatum; ex eo nempe quòd parvi duxerit illam Dei comminationem, *in quacunque hora comederis, morte morieris:* Unde etiamſi Deus plures homines ſeminali viâ propagatos ab originali peccato redderet immunes, nun minùs ſubjicerentur morti, quoniam ab Adamo propagantur. *Vel dico* S. Auguſtinom his verbis ſignificare quòd B. Virgo ex modo ſuæ generationis fuerit peccato obnoxia, & ſic debuiſſe mori ex neceſſitate, quanquam per Dei beneficium & privilegium ab actuali contractione peccati fuerit immonis.

Ad tertium genus authoritatis dico primò hujuſmodi authoritates in omnibos vitiatas ab adverſariis ſolere objici, ot conſtat ex præfata, ubi plurima prætermittuntur, & diſtantia inter ſe connectuntur. Dico ſecondò S. Doctorem ibi duntaxat ſermonem inſtituere de conceptione activa ex parte Parentum, quæ cùm ſemper habeat admixtam libidinem, inde eſt quòd etiam peccatum aliquod conjunctum habeat, qoâ ratione Conceptio Virginis Deiparæ non fuit a peccato immunis.

Et ex S. Leone.

Objiciunt quartò S. Leonem primum in epiſtola ad Flavianum ubi ait: Aliter ſolvi captivitas humana, non potuit, niſi cauſam noſtram ille ſuſciperet, ſine Majeſtatis ſuæ damno, ut verus homo fieret, & ſolus peccati contagium non haberet. Deinde ſerm. 1. de Nativitate ait: *Nemo ab ejuſmodi alacritatis participatione ſecernitur, una cunctis lætitia communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et ſerm. 2. de reſurrectione. *Quod in omnibus hominibus transfuſio fuit damnationis, hoc in Chriſto ſacramentum eſt pietatis.* Sed, inquiunt adverſarii, Chriſtus ſuæ redemptionis ſacramenti B. Virginem fecit participem: igitur etiam erat particeps transfuſæ damnationis:

Reſpondeo ad primum, authoritatem illam omnino fictitiam eſſe ac ſuppoſititiam, ot apertè conſtabit cuique præfatam epiſtolam legenti. *Ad ſecundum* dico, eam authoritatem non ſic eſſe intelligendam, quaſi reverà exiſtimaſſet S. Leo eos ſolùm liberaſſe, quos reatu devinctos reperit, dum in mundum advenit: Invenit enim liberos omnes & ſolutos à nexibos peccati, qui jam gratiâ ſanctificante illuſtrabantur: ſed ejus mens eſt quòd nullus revera fuerit liber à captivitate peccati, niſi vel ipſius gratiæ beneficio præventus fuerit, ne laberetur, ut contigit in B. Virgine: vel jam peccati nexibos implexus eâdem interveniente gratiâ liberaretur. *Ad tertium* dico S. Leonem non loqui de damnatione culpæ, ſed pœnæ, ait enim: *Infirmitas ſanè atque mortalitas, quæ non peccatum erant, ſed pœna peccati, à Redemptore mundi recepta ſunt ad ſupplicium, ut impenderetur ad pretium. Quod ergo in omnibus, &c.*

Objiciunt quintò omnes illos SS. Patres, qui diſtinctè ac præcisè videntur aſſerere B. Virginem fuiſſe infectam originali culpâ: Imprimis verò Rupertum lib. 1. in Cantica, ubi de B. Virgine, ait: *Et tu quidem veraciter dicere potueras, ecce enim in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me Mater mea: cum enim eſſes de maſſa, quæ in Adam corrupta eſt, hæreditariâ peccati originalis labe non carebas.* In eandem ſententiam referunt S. Anſelmum lib. 2. *Cur Deus homo cap.* 16: ubi ait: *Licèt ipſa Chriſti Conceptio munda ſit, & abſque carnalis delectationis peccato, virgo tamen ipſa unde aſſumptus, in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata eſt, quoniam & ipſa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.* Referunt etiam S. Antonium de Padua in ſermone quodam de B. Virgine, ubi ait: *Beata Virgo fuit in utero matris à peccato per gratiam ſanctificata, & ſine peccato nata. Imo* addunt S. Bernardinum Senenſem ſer. de S. Joanne Baptiſta qui incipit, ſicut Sol oriens mundo, obi triplicem diſtinguens ſanctificationem ait: *Tertia fuit ſanctificatio maternalis, & iſta removet culpam originalem, & confert gratiam & removet pronitatem ad peccandum tam mortaliter, quàm venialiter, & hæc fuit in Virgine Matre, &c.*

Et ex Ruperto.

Reſpondeo ad *Rupertum*, eum duntaxat velle quòd B. Virgo in eo inſtanti, quô Chriſtum concepit, non fuerit inebriata vinô luxuriæ, quô inebriantur cæteræ mulieres: *Non fueras*, inquit *experta vitium hujus ſæculi, vinum voluptatis carnalis, ſine cujus ebrietate nulla unquam mulier præter te, concipere potuit, aut poterit, & tamen dijudicare noſti, quàm melior aut vehementior, dulcior atque fortior eſſet voluptas, ſive amor Dei in quo concepiſti, ſine dubio potata es illius torrente voluptatis:* Deinde ſubjicit verba in objectione laudata, poſt quæ ſubdit, *Sed ante faciem hujus amoris peccatum nec illud, nec aliud ſtare potuit, ante faciem hujus ignis ſtipula omnis interiit, ut totum ſanctum fieret habitaculum, in quo Deus totis 9. menſibus habitaret.* Quibus verbis ſignificat Rupertus ſe duntaxat loqui de Conceptione activa B. Virginis, qoâ videlicet Chriſtum concepit ſine ulla voluptate, quam experiuntur cæteræ mulieres propter hæreditariam labem, quamqoe etiam B. Virgo fuiſſet experta, niſi divinitùs præſervata extitiſſet. Unde fuit hoc unicum privilegium Virginis Deiparæ, quòd ſolus ejus Filius dicere non potuerit, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, quia ſcilicet duntaxat per ſupervenientem Spiritum S. & obumbrantem Altiſſimi virtutem Virgo eum concepit: quod utique hæc Virgo Deipara dicere non potuit, quia ejus Mater illud voluptatis vinum potavit, cùm eam in utero concepit: unde hæc dicere poterat, Ecce in iniquitatibus parentum concepta ſum. Quæ cùm ita ſint, etiam in illa voluptatis iniquitate Chriſtum concepiſſet, ut

pote cùm esset de massa quæ in Adam corrupta est, nisi fuisset divinitùs obumbrata, & ab ea voluptatis ebrietate præservata. Ex quibus apparet Rupertum loqui duntaxat de Conceptione activa parentum Virginis, non verò de passiva, seu illius animatione.

Et ex S. Anselmo.

Ad S. Anselmum dico verba in objectione posita non esse illius, sed duntaxat Bosonis ejus discipuli interrogantis *qualiter de massa peccatrice*, id est, *de humano genere, quod totum erat infectum peccato, hominem sine peccato, quasi azimum de fermentato Deus assumpsit: nam licet ipsa ejusdem hominis conceptio sit munda, & absque delectationis carnalis peccato; Virgo tamen ipsa unde assumptus est, &c.* Quis autem dixerit verba discipuli interrogantis esse resolutionem Magistri? Adde quòd si omnia quæ dicit Boson censenda essent genuina S. Anselmi sententia, plurimis absurdis laboraret, enimverò plura interrogat, quæ quasi vera supponit, cùm tamen sint absurdissima.

Et ex S. Antonio Paduano.

Ad S. Antonium de Padua, dico præfatum sermonem fictitium omninò esse, nec usquam inter ejus opera fuisse repertum: tantùm enim abest, ut ille sanctissimus vir senserit Deiparam Virginem aliquô peccatô fuisse fœdatam, quin imò contrarium apertè docet, ut videre est in sermone Parasceves, ubi dicit Christum fuisse indutum veste albâ, *id est*, inquit, *carne ab omni peccati labe munda, à Virgine immaculata assumpta, &c.* Et serm. 2. Dominicæ 5. post Pentecosten dicit Mariam fuisse thronum nubis, *quia à peccato immunis*. Alias haber ejusdem authoritates de Alva in militia immaculatæ Conceptionis contra malitiam peccati originalis. Hinc in Sole veritatis n. 28. observat præfata verba non esse S. Antonii Paduani, sed S. Antonini Florentini p. 4. summæ, tit. 25. cap. 6. & perperam ab adversariis S. Antonio Paduano afficta.

Et ex S. Bernardino

Ad sanctum Bernardinum dico ipsius verba in objectione laudata non favere adversariis, nam *removere culpam originalem*, non est duntaxat eam auferre & abstergere, cùm jam existebat, sed etiam prævenire ne inficiat. Enimverò removere aliquem à legibus, idem est quòd eum non adigere ad servandas leges. Quòd autem alia non sit ejus viri sanctissimi sententia, patet ex eodem sermone: nam in ejus initio sic ait: *Sacramentum gloriosæ Virginis Matris Dei sublimissimum ad reverendum, devotissimum ad tractandum, dulcissimum ad contemplandum. Hodiè dilectissimi, proponitur nobis gloriosa equidem dies ista, quæ jubar solaris luminis nobis offert, dum conceptam pronuntiat Dei Matrem, &c.* Si ergo dies Conceptionis Mariæ fuit gloriosa, quæ splendore suô pias mentes inflammat, illuminat & roborat, & sacramentum sublime, reverendum, devotissimum, dulcissimum: igitur non cum culpa atque peccato fuit Conceptio illa? Item infrà plus insinuat dicens: *In quibus verbis sapientia Dei describit triplicem gratiosum B. Virginis statum. Primum Conceptionis: Secundum Nativitatis: Tertium Annuntiationis. Primum, scilicet ejus Conceptionem dicit esse sicut Solem, &c.* Si ergo Bernardinus commendat Conceptionem, sicut Nativitatem & Annuntiationem, in quibus nulla fuit macula, aut culpa, & dicit Conceptionem fuisse, sicut Solem & gratiosam, hoc est, gratia ac claritate sanctitatis illustrem; consequens est quòd tantùm abest, ut ipsemet Immaculatæ Conceptioni adversetur, quinimò ei patrocinatur, si æquâ lance ejus verba trutines ac perpendas.

B. Virgo habuit quidem debitũ contrahendi peccatum originale.

Respondeo tandem cùm Doctore in 3. *dist. 3. q. 1. n. 14.* omnes quotquot objici possunt Sanctorum authoritates nihil aliud significare, quàm quòd B. Virgo viâ seminali ab Adamo propagata habebat debitum contrahendi peccatum originale, & ex vi suæ Conceptionis illud contraxisset, nisi speciali Dei privilegiô ejus anima, eôdem instanti quô formata fuit, gratiâ sanctificante fuisset illustrata. Nam ut præclarè docet Pitigianus noster hîc art. 5. B. Virgo tripliciter fuit obnoxia peccato: *Primò* in lumbis Adæ & aliorum parentum: *Secundò* in utero ante animationem, tunc enim jam existebat secundùm corpus, & sic inficienda erat peccatô, nisi præveniretur. *Tertiò* in ipsomet instanti animationis, quia licèt in illo eodem instanti reali temporis fuerit gratiâ donata, tamen prius naturâ ejus animâ concipi potest sine gratiâ, & in statu indifferenti ad gratiam vel ad peccatum.

Instant adversarii. Priùs naturaliter B. Virgo fuit filia Adæ, quàm sanctificata: sed in illo priori habuit debitum contrahendi peccatum originale: ergo de facto priùs habuit originale peccatum, quàm ab eo liberaretur.

Non quidē positivè, sed negativè.

Distinguit minorem Doctor *idem num.* 15. Habuit illud debitum positivè in illo priori instanti, negat; quod enim competit alicui positivè priùs naturâ quàm aliud, potest affirmari de ipso simpliciter, pro instanti temporis in quo existit, & in quo illud instans naturæ includitur: & sic dici posset quòd beata Virgo habuit peccatum originale, & gratiam sanctificantem in eodem instanti temporis, quod est absurdum: in illo priori instanti habuit illud debitum negativè, quatenùs non concipitur habuisse aliquid pro illo instanti naturæ, ratione cujus non deberet contrahere peccatum originale, quia pro illo instanti nondum concipiebatur ut habens gratiam sanctificantem, concedit. Quæ utique solutio legitima apparet etiam in sententia adversariorum, qui non negant Deum de potentia absoluta potuisse Virginem ab originali præservare.

Urgent. B. Virgo in illo priori naturæ, in quo præintelligitur ad gratiam, non habet justitiam, nec concipitur ut justa: ergo necessariò concipi debet ut injusta, vel ut non justa, & proinde ut habens originale peccatum.

Negat sequelam Doctor num. 18. *Quia*, inquit, *abstrahentium non est mendacium. 2. Physic. non enim intellectus non intelligens hoc, intelligit non hoc: ut, non intelligens hominem esse animal, non intelligit ipsum non animal, quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo, quod sibi essentialiter inest.*

Non minùs opus habuit Christo ut Redemptore.

Objiciunt secundò. Si B. Virgo concepta fuisset sine peccato originali, opus non habuisset Christô Redemptore & Mediatore: sed hoc est absurdum: igitur, &c.

Negat majorem Doctor num. 15. *Ipsa enim*, inquit, *contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præventa per gratiam Mediatoris; unde sicut alii indiguerunt Christo: ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore præveniente peccatum, ne esset ab illa aliquando contrahendum, & reipsà contraheret.*

Instant: Nullus (inquit S. Zozimus Papa epist. 157. apud Augustinum) *nisi qui peccati servus est liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captivus:* igitur si B. Virgo non contraxit originale peccatũ, verè & pro

priè non egebat Chrſtô Redemptore. A

Confirmatur à ſimili, quia licet Chriſtus (ut multi Theologi docent) meruerit bonis Angelis gratiam, quâ præſervarentur à lapſu; non tamen propterea poteſt dici eorum Redemptor: ergo à ſimili non erit cenſendus propriè Redemptor reſpectu Virginis, ſi ipſam reverà à peccato non liberavit.

Diſtinguo antecedens. Nullus poteſt dici redemptus, niſi qui fuerit per peccatum ante captivus, debitô, concedo: reipſa tantùm, nego: Etenim propriè quis aliquem dicitur redimere à captivitate & carcere, dum eum jam propter debita detrudendum in carcerem, pro eo ſatisfacit creditori, & ejus debitum exolvit: at beata Virgo, ut expreſsè docet Doctor, habebat debitum B contrahendi captivitatem peccati originalis; & illud vi ſuæ conceptionis ac propagationis ab Adamo viâ ſeminali contraxiſſet, niſi divinitùs fuiſſet præſervata. Hinc eſt quòd illa præſervatio verè & propriè dici poſſit redemptio: ſecus autem eſt de Angelis, qui nullum in ſe habebant debitum incurrendi lapſus, niſi prævenirentur; unde illorum præſervatio non ita propriè vocari poteſt redemptio, ac præſervatio B. Virginis.

Objiciunt tertiò: Beata Virgo ſubjecta fuit omnibus pœnis propter originale peccatum præſcriptis, putà ærumnis ac mœroribus, imò etiam & morti: igitur peccatum iſtud contraxit.

Reſpondeo, equidem hæc omnia Virginem Deiparam ſuſtinuiſſe, non quidem in punitionem & neceſſitatem: ſed ad meritum & ampliorem gratiam; expediebat enim, ut Filio aſſimilaretur, qui ærumnas & labores temporales, imò & mortem ipſam pati voluit, ut copioſa apud ipſum foret redemptio: Poteſt enim, inquit Doctor num. 8. „ Mediatur reconciliare aliquem, ut auferantur ab „ eo pœnæ ſibi inutiles, & relinquatur in pœnis ſi„ bi utilibus: originalis culpa fuiſſet inutilis Mariæ; „ pœnæ temporales tamen fuerunt utiles, quia in eis meruit: igitur, &c.

Objiciunt denique: Si B. Virgo peccatum originale non contraxiſſet, & mortua fuiſſet ante Aſcenſionem Christi; debuiſſet regnum cœlorum intrare: at nullus hominum ante Chriſti Aſcenſionem potuit in cœlum recipi; ſiquidem duntaxat per triumphalem Chriſti in cœlum introitum, ſolùm patuit illius aditus hominibus: igitur, &c.

Negat ſequelam majoris Doctor: non enim carentia peccati originalis neceſſariò infert introitum in regnum cœlorum; nam SS. Patribus pridem ante Chriſtum natum vitâ functis, dimiſſum erat originale peccatum, nec tamen clarâ Dei viſione donabantur; id quippe hominibus reſervatum erat in illa Chriſti Aſcenſione, ut videlicet aſcendens in cœlum captivam duceret captivitatem, & daret dona hominibus: *Ita enim determinaverat Deus*, inquit Doctor num. 19. *Quod licèt acceptaret Paſſionem Chriſti præviſam ad remittendum culpam originalem omni credenti, & credituro* E *illam Paſſionem; non tamen remittebat pœnam illi peccato debitam*, ſcilicet carentiam viſionis divinæ propter Paſſionem præviſam, ſed propter ipſam exhibitam: & ideo ſicut illis Patribus non patuit janua, quouſque Paſſio Chriſti fuit exhibita, ita probabile eſt, quòd nec B. Virgini reſerata fuiſſet, ſi ante Chriſti D. in cœlum Aſcenſionem obiiſſet.

QUÆSTIO II.

Vtrum B. Virgo immunis fuerit ab omni peccato actuali.

I. Peccatum actuale eſt duplex. Mortale.

NOtandum primò, peccatum actuale ſolitò diſtingui duplex, mortale videlicet & veniale. *Mortale* eſt deliberata tranſgreſſio legis divinæ graviter obligantis, ratione cujus ſolvitur amicitia hominis cum Deo, & ab homine removetur gratia & charitas, quarum præſentiâ vivebat anima, quarumve jacturâ & abſentiâ ſpiritualem mortem incurrit. *Veniale* eſt tranſgreſſio præcepti levis, vel non perfectè deliberata & libera, quæ nec cum Deo amicitiam ſolvit, nec gratiam aut charitatem ab anima removet; ſed ejus duntaxat fervorem imminuit, nec ab ultimo fine removet, ſed ſolùm ab ejus conſecutione remoratur: veniale autem dicitur; vel quia levis eſt offenſa comparatione peccati mortalis; vel maximè quia eſt veniâ dignum.

Et Veniale.

II. Peccatum veniale eſt triplex.

Notandum ſecundò, ex Seraphico Doctore in 2. diſt. 19. art. 3. qu. 2. triplex diſtingui poſſe genus peccati venialis; *quoddam* enim accidit homini ex ſurreptione ſenſualitatis: *alterum* ex ſubito aliquo & indeliberato rationis motu: *tertium* denique veniale dicitur ob imperfectionem actûs & C levitatem materiæ, cujuſmodi eſt verbum otioſum, & mendacium, aut jocoſum, aut officioſum; quod utique peccati genus plerumque reperitur etiam in viris eximiâ pietate illuſtribus. Quærimus ergo, utrum Virgo Deipara aliquo ex his modis venialiter peccaverit.

III. Confirmatio in gratia eſt duplex.

Notandum tertiò, ex Doctore ſubtili in 2. diſt. 20. quæſt. 1. duplicem diſtingui confirmationem in gratia, unam quâ tollitur poſſe peccare, etiam venialiter: aliam, quâ tollitur de facto peccare. *Prima*, ſolùm comprehenſoribus & Beatis convenit: *Non poſſe enim peccare*, inquit, *non poteſt competere viatori, alioquin eſſet contradictio: quia certitudo de beatitudine eſt maxima beatitudinis pars, non poſſe autem peccare, fuiſſet tunc ſcibile à quolibet, ſicut & modo poſſe peccare nobis eſt cer-* D *tum.* Hæc autem certitudo infallibilis de beatitudine ſoli comprehenſori competere poteſt. Inſuper, quandiu in objecto voluntatis viatoris, eſt defectus boni, poteſt voluntas viatoris deficere à rectitudine volendo illud, non ſecundùm debitam circunſtantiam: ſed quandiu homo eſt viator, ipſius voluntas non poteſt conjungi objecto, in quo eſt omnis boni ratio: igitur quandiu viator eſt, poteſt deficere à rectitudine: & per conſequens poſſet peccare, adeoque nullus viator ita confirmari poteſt in gratia, ut peccandi potentiam infallibilem excludat. *Secunda* autem confirmatio in gratia non excludit quidem potentiam peccandi, ſed duntaxat actum peccati, in quod homo non poteſt præceps ruere propter ſpecialem Dei aſſiſtentiam, protectionem & auxilia ſpecialia; quæ ita contemperantur libero arbitrio, ut infallibiliter omnem peccaminoſum actum removeant. Prior impeccantia dicitur intrinſeca & velut antecedens; poſterior verò extrinſeca & conſequens. Certum eſt autem quòd B. Virgo, quandiu vixit in hoc mundo, non habuerit impeccabilitatem ab intrinſeco & antecedentem: quia nulla gratia habitualis hujus vitæ, quantumvis perfecta, ſic determinat voluntatem, ut antecedenter non ſit adhuc indifferens ad

Prima ſolis Beatis.

Secunda etiam viatoribus congruit.

peccandum. Nec certè talis impeccabilitas antecedens conveniebat B. Virgini in hac vita: Tum quia erat purè viatrix: Tum quia, quamvis libertas ad peccandum sit defectus, tamen conducit ad meritum, juxta illud Ecclesiast. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Quæritur autem utrùm secundum genus impeccabilitatis habuerit.

Conclusio Unica.

IV. B. Virgo non peccavit actualiter.

Beatissima Virgo immunis fuit ab omni prorsus peccato actuali. Hæc est communis apud omnes Christi fideles contra hæreticos Lutheranos & Calvinistas. Probari posset conclusio plurimis sacræ Scripturæ textibus; illis videlicet, quibus suprà probatum est, perpetuas simultates & inimicitias fuisse inter Mariam & dæmonem: talis autem non intercessisset pugna, si B. Virgo in aliquod peccatum lapsa fuisset: igitur, &c.

Colligitur 1. ex Scriptura.

Probari similiter posset, maximè ex libro Canticorum, ubi Virgo Deipara non solùm tota pulchra & sine macula prædicatur; sed cap. 2. dicitur de ea: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quod oraculum Sedulius *lib. 2. de Paschate* egregiè sic expedit:

Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens Matrem obscurat honore;
Sic Eva de stirpe sacra veniente Mariâ,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

Et Hugo de S. Victore.

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spina, spinâ carens,
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spinâ sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

V. 2. Ex Concilio Tridentino.

Probatur secundò ex Concilio Tridentino sess. 6. Can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur, & peccat, nunquam verè justificatum fuisse, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

VI. 3 Ex SS. Patribus. Augustino.

Eandem sententiam plurimi è SS. Patribus tuentur: imprimis verò S. Augustinus, qui in libro de natura & gratia cap. 36. ab actuali peccato penitùs Dei Matrem Virginem liberat. Cùm enim Pelagius, ut suum dogma probaret, nempe homines posse sine omni esse peccato, & multorum utriusque sexûs exempla protulisset, qui in Scripturis *non modò non peccasse, sed etiam justè vixisse referuntur*; quales fuerunt Abel, Enoch Melchisedech, Abraham, &c. *adjunxisset* etiam feminas, Debboram, Annam matrem Samuelis, &c. *Ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri Matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati:* cùm hæc; inquam de B. Virginis impeccantia Pelagius affirmasset, assentitur huic Augustinus, & ita loquitur: *Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hâc ergo Virgine exceptâ, si omnes illos sanctos, & sanctas, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc quòd iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? &c.* Ex qui- A bus apparet S. Augustinum apertè docere beatissimam Virginem nullo proprio & actuali peccato fuisse inquinatam.

Bernardo.

Eandem veritatem præ cæteris egregiè docet S. Bernardus, in sermone 2. de Assumptione, ubi sic scribit: *Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæratur. Quòd si originalem à parentibus maculam traxit: sed minùs à Ieremia sanctificatam in utero, aut non magis à Ioanne, Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana: Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremò cùm omnimodò constet ab originali contagio solâ gratiâ mundatam esse Mariam, &c. ut omninò pium est credere, proprium Mariæ de-* B *lictum non habuit.* Idem docet & in epistola 174. ubi etsi puram ab originis vitio haberi non patitur, in utero tamen sanctificatam esse non dubitat, & quidem *copiosiorem sanctificationis benedictionem in eam descendisse, quæ & ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.*

Proclo.

Meritò itaque Proclus Constantinopolitanus Oratione 6. beatissimam Dei matrem inter alia omnia, vocat, *impeccantiæ sacrarium.* Jure item

Ildelphonso.

Ildelphonsus in serm. de Assumptione, cum Arcæ testamenti veteris illam comparat, *Supra quam propitiatorium, & Cherubim hinc inde obumbrantia figurantur: quia Mariæ nullum intrinsecùs obrepsit* C *peccati contagium: sed intus omnis custodia Legis & Manna fuit.* Quâ etiam similitudine usus est Proclus addens illud, *hanc Arcam esse intus & extra deauratam, hoc est corpore, ac spiritu sanctificatam.*

Thoma.

Hujus assertionis ac veritatis hanc egregiam rationem profert S. Thomas Opusc. 60. art. 3. ubi cum præmisisset præfatam authoritatem S. Augustini pro innocentia B. Virginis, subdit: Non « enim fuisset idonea Mater Christi, si aliquando « peccasset; tum quia honor parentum redundat in « prolem, secundùm illud Proverb. 18. *Gloria filio-* « D *rum parentes eorum*, unde per oppositum, ignomi- « nia matris ad filium redundasset: tum etiam quia « singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab « ea carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Cor. 5. « *Quæ conventio Christi ad Belial?* Tum etiam quia « Christus, qui est sapientia Patris singulari modò « habitavit non solùm in ejus anima, sed etiam in ejus « utero. Dicitur autem Sapientiæ 1. *In malevolam* « *animam non introibit sapientia, nec habitabit in cor-* « *pore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum « est, quòd B. Virgo nullum peccatum actuale « commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic im- « pleatur quod dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es* « *amica mea, &c.* «

VII. Hinc perperam hæretici ei affingunt peccatum infidelitatis.

Objiciunt primò hæretici B. Virginem peccasse E peccato infidelitatis, dum Lucæ 1. Angelo Incarnationem nuntianti, quasi incredula dixit, *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco* Unde Lutherus in postilla Evangelii de Annunciatione: *Ipsa*, inquit, *profectò in se sensit incredulitatis sensum.* Et Calvinus in præfata verba Lucæ, dicit illam non minùs fuisse dubiam de omnipotentia Dei, quàm Zacharias: igitur aliquod peccatum actuale commisit.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico cum sancto Augustino homil. 44. cap. 5. ex 50. *Dum interrogavit, non de promissione dubitavit.* Vel, ut præclarè ait sanctus Bernardus homil. 4. super Missus est: *Non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem:*

& ordinem : neque enim quarit an fiet istud , sed quomodo ? Hæc omnia eximiè confirmat S. Ambrosius in eadem verba, ubi notat non fuisse eandem Mariæ & Zachariæ mentis affectionem circa vaticinium Angelicum ; Zacharias ob incredulitatem fuit reprehensus & punitus, non autem Virgo Deipara. *Quò ergo modò*, inquit, *fieri posset, ut Zacharias qui non crediderat, silentio condemnaretur : Maria autem si non credidisset, Spiritûs sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tamen temerè debuit usurpare : non credere Angelo, usurpare divina ; neque enim facile erat, scire mysterium absconditum à sæculis in Deo, quod nec superiores Potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem tenuit, non officium refutavit ; sed accommodavit affectũ, spopondit obsequium : etenim cùm dixis : Quomodo fiet istud ? non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. Quantò temperatior ista responsio, quàm verba sunt Sacerdotis! Hæc ait, Quomodo fiet istud ? ille respondit, Unde hoc sciam ? Hæc jam de negotio tractat : ille adhuc de nuntio dubitat. Negat ille se credere, quod negat se scire, & quasi fidei adhuc alium quærit authorem : ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, sed id quomodo fieri possit, inquirit.*

VIII. Et negligentiæ.

Objiciunt secundo, illam peccasse peccato negligentiæ, cùm filium amisit per triduum, & peccatô impatientiæ cùm eum objurgavit, his verbis : *Fili quid fecisti nobis sic?* Igitur, &c.

Nego antecedens, & ad primum dico, quòd cùm Virgo Deipara & sanctissimus ejus sponsus Joseph scirent Jesum esse verum Deum, reliquerunt illum suo arbitrio ; unde facilè induci potuerunt, ut crederent illum fuisse cum suis Cognatis & notis, ac proinde nulla ibi eorum apparet negligentia : quippe cùm novissent eum non egere illorum manuductione & præsentiâ, ut domum incolumis reverteretur. Nulla pariter fuit impatientia ; præfata enim Mariæ verba non sunt indicia reprehensionis, sed doloris, testanturque solùm ingentem Virginis amorem & dolorem de absentia amantissimi sui filii.

Et ambitionis.

Objiciunt tertiò : Videtur peccasse peccatô ambitionis, dum in nuptiis miraculum requisivit à filio dicendo : *Vinum non habent.* Iis enim verbis, inquit Lutherus ad caput 2. Joannis, videtur ex ambitione & vana gloria quæsivisse miraculum ad ostentationem.

Verùm *respondeo* cum S. Augustino tract. 8. in Joan. illa verba non fuisse indicium inanis gloriæ, sed eximiæ fidei B. Virginis, circa Divinitatem & omnipotentiam filii sui ; nec-non & signum ardentissimæ charitatis, quâ ipsa flagrabat erga pauperes, quos nolebat pudore suffundi propter vini defectum. Nec quando Christus dixit : *Quid mihi & tibi mulier ? nondum venit hora mea* ; petitionem matris, ut nimis importunam reprobavit, sed sapientiæ & potestatis plenitudinem pro libero se se communicantem ostendit. *Non repellens* (inquit S. Augustinus lib. 4. de consensu Evangelistarum cap. 10.) *de qua suscepit carnem, sed suam tunc maximè insinuans Divinitatem ; aquam conversurus in vinum, quæ Divinitas illam etiam fœminam fecerat, non in illa facta erat.* Quòd autem subjungit Christus : *Nondum venit hora mea*, sic idem S. Augustinus explicat tract. 19. in Joan. *Hanc itaque horam prædixerat*, inquit, *quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non Divinitatis, sed infirmitatis matrem, velut incognitam repellebat : nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humanô. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat in virtute ; nunc verò quem Maria pepererat pendebat in cruce.*

IX. Nec inanis gloriæ.

Objiciunt quartò : S. Chrysostomum qui aliud etiam peccatum, *inanis gloriæ* ac superbiæ cujusdam in ea vult deprehendi : nam exponens illud Matth. 17. ubi cùm Christo renuntiasset quidam : *Ecce mater tua & fratres foris stant quærentes te*, quibus Christus respondet, *Quæ est mater mea & qui sunt fratres mei ?* hujus responsi rationem sic edisserit. *Hujusmodi* ait, *verba locutus est, non quod eum matris puderet, aut illam, è qua genitus erat, abdicaret, (si enim puderet ejus, neutiquam per uterum illum prodiisset in lucem) sed ut ostenderet, nihil illud eam juvare, nisi quod officii sui erat in omnibus præstaret. Nam quod illa facere instituerat, supervacanea cujusdam ambitionis erat. Quippe volebat ostentare populo, se filio dominari, & in eum authoritatem exercere : cùm nondum de ipso magnum aliquid imaginatione suâ sibi proponeret. Ideò intempestivè accessit. Ac vide quæso tam ipsius, quàm illorum superbiam. Cùm enim par esset ingressos ipsos audire cum turba, aut si hoc nollent, expectare dum finem dicendi faceret, ac tunc adire : illi contra foras ipsum evocant.* Unde inquit Calvinus in hunc locum, non dubium est quin his verbis carpat Mariæ importunitatem, quod præposterè cursum doctrinæ ejus abrumpere tentabat.

Respondeo cum S. Ambrosio in hunc locum, Christum sic respondisse, ut doceret Auditores, quòd religiosior sit copula mentium, quàm corporum : *Neque*, inquit, *injuriosè refutantur parentes : sed religiosiores copula mentium docentur esse, quàm corporum : Ergo hic non (ut quidam tendiculas aucupantur) mater negatur, quæ de cruce etiam agnoscitur ; sed necessitudini corporali præscriptorum cœlestium forma præfertur. Illud quoque non intelligere abhorret, quia per figuram parentum, demonstrat Iudæis, ex quibus est Christus secundum carnem, Ecclesiamque credidis præferendam.*

Ad S. Chrysostomum dico, vel eum oratoriò more hac in expressione excessisse, vel in hoc tantillum à vero exorbitasse, ut ingenuè fatetur S. Thomas.

Nec animi dejectionis.

Objiciunt denique aliquos ex SS. Patribus asserentibus B. Virginem tempore passionis nutasse in fide. Sic imprimis Basilius epist. 318. asserit illam dubitatione quadam fluctuasse, ac scandalô jactatam, quando suppliciô vidit filium suum affici : *Anima*, inquit, *passionis tempore, dubitationi cuidam fuit subjecta, secundum Domini vocem, qui dixerat : Omnes vos scandalum patiemini in me.* Sic pariter S. Cyrillus Alexandrinus idem apertè tradit in Commentariis ad Joan. dicens Beatam illam Virginem in passione sui filii, non solùm scandalum passam fuisse, *sed & propemodum de statu mentis suæ dejectam.* At minùs toleranda sunt, quæ subinde narrat, Christum matrem Joanni discipulo commendasse, *quòd cùm ea in scandalum incidisset, & cogitationum perturbationibus implicata esset, providendum illi fuerit.... Itaque cùm sciret quibus tum cogitationibus agitaretur, hanc egregio mystagogo commisisse discipulo suo, qui mysterii illius altitudinem rectè & idoneè explicare posset.* Idem docet Origenes homil. 17. in Lucam, ubi inter cætera ait : *Quid putamus quòd scandalizatis Apostolis, mater Domini à scandalo fuerit immunis ? Si scandalum in Domini passione non passa est, non est mortuus Iesus pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt, & egent gloriâ, justificati gratiâ ejus &*

redempti, utique & Maria illò tempore scandalizata est.

Respondeo primò ad Origenem, illum hac in re sicut in aliis plurimis graviter lapsum fuisse, ac proinde nullatenus esse audiendum. Ad cæteros Patres dico, illos more concionatoriô nonnihil excessisse: vel per dubitationem intelligunt magnam admirationem & quasi stuporem B. Virginis tempore passionis Christi. Nam eximiam illius patientiam & invictam animi constantiam in in illo immenso mœrore, quô premebatur, declarat sanctus Ambrosius epist. 25. ubi ita scribit: *Maria Mater Domini ante crucem filii stabat: nullus me hoc docuit, nisi S. Evangelista* ...... Et paulò infrà: *Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Christi vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse quia cognoverat per Filii mortem, mundi redemptionem, &c.* Et in Concione in obitu Valentiniani: *Stabat*, inquit, *& S. Maria juxta crucem Filii, & spectabat Virgo sui Unigeniti passionem, spectantem illam lego, stantem eam lego: flentem non lego.*

QUÆSTIO III.

Utrùm beata Virgo verè & propriè dicenda sit Mater Christi?

1. *Theodorus Mopsuestenus Nestorianæ hæresi præludit.*

NOtandum primò, hæresim Nestorianam antecessisse ac ei veluti præludisse Theodorum Mopsuestenum Diodori Tarsensis discipulum, ac condiscipulum sancti Joannis Chrysostomi, ut narrat Theodoretus lib. 5. Historiæ cap. 39. quem insuper amplissimô genere & in summis opibus natum, Antiochiæ ab eodem illo Joanne Chrysostomo ad Monachorum institutum illectum esse refert Hesichius Presbyter Hierosolymitanus in Ecclesiastica Historia. Quin etiam idem asserit cum Nicephoro lib. 13. cap. 2. illum fuisse Theodorum, ad quem sanctus Chrysostomus scripsit duos libros, ut eum in communem vitam ab sanctiore vivendi proposito relapsum revocaret: atque hic demum *Mopsuestiæ* quæ est urbs Ciliciæ, Episcopatū obtinuit, quem totis 36 annis feliciter texit indefesso labore contra quoslibet Hæreticos, maximè Arianos & Eunomianos, nec-non Origenistas & Apolinaristas decertans, ut referunt Facundus lib. 3. cap. 3. & Theodoretus l. 5. cap. 39. qui idcircò hunc Theodorum mirificè collaudat; imò & à Cyrillo honorificum de illo testimonium memorat Facundus lib. 8. cap. 6. tametsi posteà scriptis cum suis notasse perhibeatur, quòd post damnatum in Ephesina Synodo Nestorium cum hæresi sua, ac libris ejus Imperatorum edictô proscriptis, fautores illius ac Discipuli quorundam Episcoporum scripta, quibus Nestoriani erroris venena erant inspersa, in vulgus disseminabant, præsertim Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuesteni, qui omnium pestilentissimus habebatur, quique Nestorio infandi dogmatis author fuisse perhibebatur. Quocirca Proclus Constantinopolitanus ejusmodi libros à fidelibus legi prohibuit, & Cyrillus ipse contra Theodorum libros edidit, qui in quinta Synodo referuntur coll. 5. & quorum meminit Liberatus Diaconus in Breviario his verbis; *Quatuor*, inquit, *ab illo* (Cyrillo) *scripti sunt, tres adversus Theodorum & Diodorum quasi Nestoriani dogmatis authores, & alium de Incarnatione librum,* in quibus inter cæteros Dionysii Areopagitæ testimonia posita esse demonstrat. Nec refert quòd Catholici quidam responderint Acephalis qui libris istis utebantur, eos non esse Cyrilli: siquidem pro genuinis Cyrilli libris quinta Synodus mox laudata habuit.

Ut testatur S. Cyrillus, qui ejus scripta damnavit & impugnavit.

Utut sit, certum est Theodorum illum Nestorio authorem fuisse illius nefariæ hæresis, quâ negabat S. Virginem Dei genitricem fuisse & appellari debere, ut plurimis docet Rabbulla Edessenus Episcopus in Epistola ad Cyrillum, ubi Theodori hæreticas opiniones recenset, easdem planè, quas in Nestorio Synodus Ephesina damnaverat: *Primum exposuit*, inquit, *non esse verè Dei genitricem S. Virginem; tanquam Deo Verbo non suscipiente secundum nos nativitatem.* Illius nihilominùs partes suscepit Joannes Antiochenus, nam congregatâ Synodô, quâ compesceret nonnullos instantes, ut damnaretur Theodorus ob prava quædam & hæretica capita, quæ in excerptis notata circumferebantur, scripsit ad Cyrillum multis rationibus suadens, ne permittat illustrem virum, ac gloriosis pro Ecclesia functum laboribus, ut hæreticum damnari; ad quem rescribens Cyrillus hæc habet: *Diodori*, inquit, *& Theodori pravas & illaudatas opiniones, vel aliorum quorundam, quos non laudari satius erat, ne quid acerbum dixerim, eò quòd plenis quodam modò velis contra Christi gloriam feruntur, nemo obsecro, sanctis & orthodoxis Patribus adscribat.* Unde idem Cyrillus Epist. ad Acatium Melitenes Episcopum scripsit, hunc Theodorum *habuisse linguam blasphemam, & huic ministrantem calamum.* Quapropter queritur eum tanti ab Orientalibus æstimari, *ut acclamationes à populo tales de eo factæ sint in Ecclesiis: Augeatur fides Theodori: Ita nos credimus quemadmodum Theodorus; cùm tamen eundem ausum aliàs in Ecclesia exiguum quiddam perperam loqui, lapidibus appetierint. Verùm sicut pastori libet, ita sentit grex*, addit Cyrillus Joannem tacitè vellicans. Vix ergo satis mirari possum, quòd Facundus lib. 3. cap. 3. asserat Theodorum à Cyrillo laudatum fuisse, nec à nemine culpatum: nam à S. Cyrillo hæc scripta fuisse refert, *Scripti sunt à magno Theodoro adversus Arianorum & Eunomianorum hæreses viginti fortè & adhuc amplius libri, & alia præter hæc Evangelica, & Apostolica scripta interpretatus est. Et hos quidam labores nullus ausus est increpare, sed dextrò decretô honorare studium rectorum dogmatum, quod in eis est.* Hæc tamen cum S. Cyrilli scriptis mox laudatis minimè cohærent.

II. *Conveniebant Nestoriani Verbū transiisse per Virginem, non verò ipsum ab ea fuisse genitum.*

Notandum secundò convenisse Nestorianos cum Catholicis, Verbum reverà carnem sive hominem esse factum: utrùm verò assumptio hæc humanæ naturæ, sive incarnatio dicenda esset propriè ac verè generatio, non ita consentiebant Nestoriani, siquidem Nestorius Dei filium ac Verbum fatebatur quidem per Virginē transiisse: verùm præfractè negabat ipsum ex B. Virgine fuisse genitum, ut refert S. Cyril. l. 1. contra Nestorium; veritus enim ne *transitum* illum de vera generatione populus intelligeret, coram quo dixerat, *Non se invidere vocem illam Christi genitrici Virgini, sed eam scire esse venerandam, quæ Deum suscepit, & per quam transitum fecit omnium Dominus*, statim dictum suum sic castigavit: *Quò tandem modò transeundi verbum illud intellexistis*, inquit? *Non dixi* TRANSIVIT, *pro eo quod est*, GENITUS EST; *non enim tam cito sententia mea obliviscar: transivisse Deum ex Christi genitrice Virgine, à sacris litteris sum edo-*

ctus: Deum vero ex ipsa genitum esse, nusquam, didici. Verùm adversus impiam ac nefariam hæresiarchæ sententiam conclamatum est ab universis Catholicis, & blasphemus illius error non solùm à coævis & posterioribus, sed etiam à primævis & anterioribus SS. Patribus proscriptus est: Hi namque omnes unâ voce contestantur Verbum divinum ex B. Virgine verè fuisse genitum, ac eam propriè Dei genitricem esse appellandam, ut apparebit infrà.

III. Quâ vafritie nomine *Deiparæ* abutebãtur quidam Nestoriani.

Notandum tertiò quosdam Nestorianos, quò faciliùs suum nefarium dogma sub larvata Catholicæ doctrinæ specie, ac verborum similitudine, tegerent, non recusasse B. Virginem θεοτόκον appellare. Cùm enim viderent se in invidiam traduci, & pro hæreticis haberi, quòd voculam illam admittere recusarent, quasi hoc unum vocabulum eos à Catholicis sejungeret; omnis namque ferè de fide contentio inter Catholicos & Nestorianos in hoc uno constituendo vocabulo sita erat, ut testatur S. Cyrillus Epist. ad Joannem Antiochenum, & Ephræmius Antiochenus Patriarcha apud Photium scribens, *ad certam Catholicæ pietatis suæ omnino faciendam fidem, Dei genitricem esse sentire, profiterique sanctissimam Virginem.* Hanc à se hæresis notam ut propulsarent Nestoriani, hâc vafritie vocabulum istud admiserunt, ut significarent priùs ac separatim formatum in utero Virginis fuisse hominem, deinde assumptum esse à Verbo in ejusdem dignitatis ac nominis communionem: sicque ea ratione admittebant Virginem esse Dei genitricem, quòd genuisset eum qui ad societatem & consortium cum Deo subvectus est, ut luculenter explicat Vincentius Lirinensis his verbis: *Est singulari quòdam Domini, ac Dei nostri, filii autem sui munere, verissimè, ac beatissimè θεοτόκος confitenda: sed non eò modò θεοτόκος, quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ asserit eam Dei Matrem solâ appellatione dicendam, quæ eum scilicet peperit hominem, qui posteà factus est Deus: sicut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non jam Presbyterum aut Episcopum parendo, sed eum generando hominem, qui posteà Presbyter vel Episcopus factus est.*

Status quæstionis.

His ita præmissis duo maximè supersunt hac in quæstione determinanda. *Primum*, quòd reverà Virgo dicenda sit Dei genitrix. *Secundum*, qualiter concurrerit ad illam generationem, an per sanguinem purissimum, an per suæ virgineæ carnis decisam aliquam portiunculam?

CONCLUSIO PRIMA.

IV. B. Virgo est verè dicenda *Deipara*.

Beatissima Virgo reverà dicenda est Deipara. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, maximè verò Ephesino, in quo contra Nestorium B. Virgo θεοτόκος, hoc est, Dei genitrix est proclamata. Eandem significaverat Angelus Gabriel mysterium Incarnationis Mariæ denuntians his verbis, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, Lucæ. 1. Hinc ibidem B. Elizabeth ad Mariæ visitationem exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Ut docent SS. Patres Græci.

Eôdem divinæ dignitatis ac gloriæ titulô eam celebrârunt omnes SS. Patres ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, qui vel Deum reverà ex Virgine genitum, vel ipsam Virginem Dei genitricem appellaverunt. Sic enim, ut ex plurimis aliquos commemorem, loquitur *Justinus Martyr* in dialogo cum Tryphone, ubi dicit, *Christum priùs extitisse filium Conditoris omnium, ac Deum qui genitus est homo per Virginem, &c.* Unde Tryphoni Judæo objicienti *rem incredibilem & prope impossibilem demonstrare illum velle, Deum gigni & hominem fieri sustinuisse*; respondet ipsum gigni voluisse & in crucem tolli pro humano genere. (Justinus.)

Subscribit *Ignatius Martyr*, non quidem in epistola ad Rom. ut refert Theodoretus Dialogo 1. sed in ea quæ est ad Smyrnenses, ubi ait: *Persuasos penitus de Domino nostro, qui est ex genere Davidis secundùm carnem, filius Dei secundùm Deitatem, verè genitus ex Virgine.* Ita ex apographo Florentini codicis in Bibliotheca magni Ducis refert Petavius lib. 5. cap. 14. Adstipulatur *Irenæus* lib. 3. adversus hæreses cap. 31. ubi inter cætera hæc habet: *Si Adam de terra quidem sumptus est Virgine, & Verbo Dei plasmatus est: oportebat idipsum Verbum recapitulationem Adæ, in semetipso faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterùm sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem, ut non alia plasmatio fieret; neque alia esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servatâ similitudine.* Idem habet Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samozatenum: *Iam olim*, inquit, *habitabat* (Verbum) *in iis, in quibus plures inventæ sunt matres: sed una sola Virgo filia vitæ genuit vivens Verbum.* (Ignatius. Irenæus.)

Subscribunt etiam S. Athanasius in lib. de salutari adventu Iesû Christi: *Qui existit ante secula Deus*, inquit, *ex Nazareth homo conspectus est, genitus ex Maria Virgine, & Spiritu sancto.* Ac subinde, *Deum* ait, *unigenitum decrevisse, plenitudine Divinitatis suæ, primi illius, & exemplaris hominis formationem, ac novum opus ex utero virgineo excitari sibi naturali generatione.* Distinctiùs hanc veritatem declarat Oratione 4. ubi sermonem faciens de Verbo, splendore ac sapientia Patris ait: *Tum posteà propter nos eundem illum assumptâ carne de Virgine Dei genitrice Maria hominem esse factum.* Sanctus Basilius idem docet lib. de Spiritu sancto cap. 5. & homil. 25. de humana Christi generatione, in qua beatissimam Virginem distinctè *Dei genitricem* appellat. Consentit etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 5. necnon & in Epistola priore ad Cledonium, ubi pariter beatam Mariam *Dei genitricem* constanter affirmat. (Athanasius. Basilius.)

Eadem est unanimis veterum Theologorum ac Patrum Latinorum sententia: nam Tertullianus in Apologetico cap. 21. de Christo scribit: *Iste igitur Dei radius, ut retrò semper prædicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus nascitur homo Deo mistus.* Et lib. de carne Christi, cap. 17. *Ante omnia autem commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur.* Subscribit sanctus Cyprianus lib. 12. adversus Judæos: *Hoc*, inquit, *futurum erat signum nativitatis ejus, ut de Virgine nasceretur homo & Deus, hominis & Dei filius.* (V. Et Latini, imprimis Tertullianus.)

Hilarius lib. 9. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, & secundùm plenitudinem temporum in semetipsô provecturus in Deum hominem.* Ambrosius lib. de Incarnat. cap. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine, generatio generationi non præjudicat.* Hieronymus l. contra Heluidium: *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.* Augustinus totus est in hac veritate explicanda, maximè sermone 15. de tempore: *Quomodo*, inquit, *in regula fidei confiteremus, credere nos in Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria, si non Filius Dei, sed filius homi-* (Hilarius. Ambrosius. Hieronymus. Augustinus.)

nis natus est ex Virgine Maria? Quis enim Christianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, & ita hominem Deum factum? Unde meritò S. Cyrillus lib. de recta fide, concludit: *Ecce*, inquit, *omnes optimi, & sapientes, qui diversis temporibus ante nos extitere Patres, Dei genitricem nominant Virginem sanctam: & cum naturali unitione copulatum esse carni divinum Verbum asseverant, idem & in utero Virginis genitum esse docent, & ex eo secundùm carnem processisse: quamvis initiò carentem, & omni anteriorem sæculo, ac tempore generationem habuerit ex Patre.*

Hinc etiam apparet minùs verè scripsisse Ephræmium Antiochenum Patriarcham in opere quod adversus Monophysitas pro Chalcedonensis Synodi, & Leonis Papæ authoritate scripsit, cùm ait primum è Patribus *Leonem magnum, nominatim Dei Matrem appellasse sanctam Virginem, cùm antecedentes omnes Patres non tam claris ac disertis vocibus istud elocuti fuerint.* Nam testis est Joannes Antiochenus in epistola ad Nestorium, quâ hunc hortatur, ut, positâ contentione, nomen illud impugnare desinat, *quod à permultis Patribus compositum, scriptum & pronuntiatum est.* Tum ita pertexit: *Hoc enim nomen nemo Doctorum Ecclesiasticorum repudiavit. Nam & plures eò sunt usi, iique celebres: & qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt.* Theodoretus item in hæresi Nestoriana scribit, *antiquissimos Catholicæ fidei præcones, ex Apostolica traditione, docuisse Matrem Domini nominandam, credendamque esse Dei genitricem.* Dei ecce genitricem, ex Apostolica traditione, nuncupatam olim fuisse B. Mariam, Theodoretus affirmat.

Objiciebant Nestoriani: B. Virgo non potest dici Mater Dei, nisi Divinitatem genuerit: at falsum est illam Divinitatem genuisse; quippe hæc est ingenerabilis & improducibilis: ergo falsum pariter eam esse Dei genitricem. Probabant majorem, ut refert S. Cyrillus lib. 1. contra Nestorium hôc exemplô. *Quemadmodum mulier corpus quidem gignit; Deus autem animam infundit: neque potest dici mulier animæ genitrix, quod animatum genuerit: sed potiùs dicenda erit hominis genitrix: ita B. Virgo etsi hominem pepererit, transeunte unà cum illo (hac enim voce est usus) Deo Verbo; non propterea Dei genitrix appellanda venit.* Hinc eorum vox erat, ut refert Maxentius tomô 4. Biblioth. PP. *Si Deum naturâ genuit B. Virgo Maria, jam non carnis, sed est genitrix Divinitatis; & quomodo non Deum Verbum secundùm Divinitatem, quæ illi cum Patre communis est; secundùm carnem, eum natum ex Virgine prædicatis.*

Cyrillus.

VI. Quô sensu B. Virgo dicatur genuisse Deum.

Distinguo minorem. B. Maria non genuit Divinitatem, quasi divinitas per illius generationem novum acceperit esse, novamque existentiam sortita fuerit, concedo: ita quòd homo ille qui à beatissima Virgine genitus fuit, non fuerit verè & propriè Deus, nego: quemadmodum enim matres eorum propriè dicuntur genitrices, quos corpore animâque constantes in uteris suis genuerunt, & in lucem ediderunt, quanquam solus Deus animam produxerit, quia homo genitus corpore & animâ constat: sic Virgo sanctissima etiamsi non genuerit Divinitatem, nec ei initium dederit, non minùs propterea dicenda est Dei genitrix; siquidem illum hominem genuit, qui non priùs homo quàm Deus extitit, hoc est, cujus anima & corpus, non priùs in rerum natura fuerint, quàm inter se conjuncta, ac cum Verbo hypostaticè copulata.

Quam utique distinctionem ac solutionem præclarè expendit S. Cyrillus lib. 1. contra Nestorium, nec-non & in epistola ad Monachos de vera B. Virginis maternitate, ubi hæc habet: Simile est humano partui incarnati Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum matres naturæ ad gignendum servientes, carnem habent in utero, quæ paulatim compacta, & inexplicabilibus quibusdam Dei efficientiis progressa in humanam speciem absolvitur. Deus porrò spiritum animali, quibus scit modis infundit. Fingit enim spiritum hominis in eo, ut Propheta loquitur: Est autem alia carnis, alia item animæ ratio. Verùm etsi mulieres istæ, nonnisi terrenorum sint corporum matres; nihilominus cùm totum animal pepererint, ex anima & corpore compositum, non solùm ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exempli causâ, Elizabetham matrem Joannis, carnis esse genitricem, non autem animæ. Peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus, hominem, animâ videlicet ac corpore. Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur & in Emmanuelis generatione. Quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unigenitum ipsius Verbum. Cùm autem carnem suscepit, eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minimè est absurdum dictu; immò necessariò profitendum; illum ex muliere secundùm carnem esse genitum: quemadmodum & hominis anima unà cum proprio corpore gignitur, & unum cum eo reputatur: tametsi natura intelligatur, & sit ab eo diversa secundùm propriam rationem.

Instabant. Illius duntaxat B. Virgo dicenda est genitrix, quem verè ac propriè genuit: at verè & propriè duntaxat genuit hominem, qui fuit unitus Deo: igitur solius hominis dicenda est genitrix.

Distinguo majorem. Quem verè ac propriè genuit tam secundùm naturam, quàm secundùm personam, nego: quem propriè genuit secundùm naturam per divinam personam subsistentem, concedo. Similiter distinguo minorem, Verè ac propriè solum hominem genuit, hoc est, genuit eum qui erat duntaxat homo tam secundùm naturam, quàm secundùm personam, nego: qui erat homo secundùm naturam humanam; Deus verò ratione Divinitatis, sibi unitæ hypostaticè per ipsam Verbi personalitatem quæ sustentabat naturam humanam, non secùs ac si esset illius propria personalitas, concedo. Cùm igitur generatio per se ac propriè in personam sivè in hypostasim, tanquam in terminum desinat; hoc est, in naturam subsistentem; inde propriè B. Virgo dicenda est Dei genitrix, quippe genuit naturam, quæ subsistebat subsistentiâ divinâ Verbi; nam ut præclarè docet Ferrandus epist. ad Anatolium. *Propriè est nata de Patre Divinitas pura, propriè est nata de matre eadem Incarnata Divinitas. Et hoc distat inter unius filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati propriè nascenti Divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero, Maria semper Virgo propriè genuit humanitatem, non propriè genuit Divinitatem, videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullò modò ita genuit, quia Verbum caro factum propriè genuit.*

Hac igitur ratione B. Virgo Dei genitrix cen-

fenda est, quod ex decisa sua substantia, & virtute formativa ac nutritiva fœtûs contulerit ad compaginationem, & organizationem corporis Christi, quod eô instanti quô animâ rationali fuit informatum ac vivens, tam ipsum corpus quàm anima unita fuerint Divinitati unione hypostaticâ per Verbi personam; ita quòd ipsa natura humana ut personata ac subsistens Verbi subsistentiâ, fuerit terminus totalis & adæquatus istius B. Virginis fœcunditatis. Utrùm autem Deipara Virgo contulerit ad corporis Christi formationem subministrando aliquam suæ carnis, aut sanguinis, vel seminis decisam particulam, jam determinandum est.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Plurimi SS. Patres docent Christi D. corpus ex carne Virginis fuisse formatum. Quanquam plurimi Patres contestari videantur Christi Domini corpus ex ipsa Beatissima Virginis carne formatum fuisse: verisimilius tamen apparet ipsum ex illius sanguine purissimo fuisse concinnatum. Hæc duabus partibus constat, quarum prima suadetur. *Primò* quidem authoritate S. Hieronymi (si tamen ille sit author epistolæ de viro perfecto, quam plurimi Thesiphoni tribuunt) ubi ait: *Nullum prorsus semen accipio, nisi illud quod Apostolus ait, factus ex muliere, factus ex carne*; quibus verbis ad formationem corporis Christi sanguinem non admittit, feminis non recordatur, expressè carnem Virginis compaginandi sacratissimi illius corporis materiam fuisse significat.

Hieronymus.

Augustinus. Consentit S. Augustinus Psal. 98. ubi sermonem, faciens de utroque mysterio Incarnationis & Eucharistiæ ait: *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit.* Quam utique sententiam roborat serm. 30. dicens: *Propterea Maria electa ab omnibus gratiis fœcundata, omni virtute & sanctitate in utero repleta, ut de mundissima carne mundissimus filius nasceretur.*

Bernardus. Eôdem modô loquitur S. Bernardus homiliâ 4. super *Missus est*, nam exponens illa verba, *Fiat mihi secundum Verbum tuum*. ait: *Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum: Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum.* Et circa medium declarans nullum intellectum posse capere qualiter divini Verbi splendor sese Virginis visceribus infuderit, ait: *Ut illam inaccessibilem lucem accedere ad se Maria ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animatè* CONTEMPERAVIT, RELIQUO MASSÆ UMBRACULUM FIERET. Subscribit S. Anselmus lib. de excellentia Virginis cap. 11. ubi Virginem alloquens ait: *Utique Deus qui hominem assumpsit, ex tua castissima carne, hoc fecit pro tua, & nostri omnium salute.*

Anselmus.

Ildephonsus. Eôdem modô loquitur S. Ildelphonsus lib. de perpetua virginitate, & parturitione Virginis, ubi inter cætera ait, *Gloriosissima Virgo Maria non dico quod non ex communi lege naturæ; verùm etiam neque ex natura primæ originis, filium, neque ex semine viri, sed de Spiritu sancto ex sua carne divinitùs procreatum, sine ulla vitiorum coluvione Deum & hominem profudit.*

Beda. Eadem habet venerabilis Beda lib. 4. cap. 49. in Lucam; ubi de Verbo incarnato scribit: *Conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde; sed materna traxit ex carne.* Similia scribit Rupertus lib. 7. de divinis officiis cap. 25. obi expendens gaudium B. Virginis de resurrectione Christi, inter cætera ait: *Dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit.*

A At omnium clarissimè hanc veritatem explicant posteriores Doctores, imprimis S. Bernardinus serm. 61. art. 1. cap. 10. *In parte*, inquit, *virginei corporis excisa consistit, perficitur, & terminatur totum decus ac pondus sacramentorum Ecclesiæ.* Consentit Richardus à S. Laurentio lib. 1. de Laud. Virg. cap. 2. *De Virginis carne*, inquit, *sumpta est particula, de qua artificiô Spiritûs sancti, formatum est corpus Christi.*

S. Bernardinus.

Richardus à S. Laurentio.

Alensis. At omnium clarissimè id docet Alensis noster 2. part. quæst. 87. memb. 3. art. 7. ubi ait: *Cum dicitur quod Christus factus est secundum corpus ex*

B *purissimis sanguinibus B. Virginis, sicut dicit Damascenus, & recitat* MAGISTER (in 3. d. 3.) *non intelligitur de sanguine, qui est unus de quatuor humoribus, sed sanguis ibi sumitur pro carne.* Favere etiam videtur communis Ecclesiæ consensus, dum in Collecta festi Incarnationis seu Annuntiationis sic precatur, *Deus qui de B. Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelô nuntiante, carnem suscipere voluisti, &c.* Non dicit *sanguinem*, sed *carnem* ut significare videatur corpus Christi non esse sumptum de semine aut sanguine, sed de ipsius Virginis carne.

Galatinus. His accedit noster Galatinus qui lib. 7. cap. 3. refert veterum Hebræorum sententiam fuisse,

C particulam carnis in Adamo adhuc innocente servatam fuisse illæsam à contagione peccati, & ad Virginem derivatam, ut ex purissima illius carne Christi Domini corpus formaretur. Quam utique sententiam in 3. dist. 3. quæst. 2. refert etiam Doctor bis verbis: *Dicitur secundum Magistrum*, (in 2. d. 30.) *quod aliqua portio erat in Adam de qua omnes filii ejus propagati sunt; & aliqui ponunt quod aliquid illius portionis non fuerit infectum in Adam sed servatum mundum usque ad generationem Christi.* Quam opinionem licèt non approbet Doctor, nihilominus pro sua solita modestia noluit eam censurâ notare. Hinc nonnulli ex ejus discipulis, maximè illustrissimus Joannes Baptista

D à Campanea totius nostri Seraphici ordinis olim Generalis minister, postmodum Puteolanæ Ecclesiæ Episcopus, pro certo habuit Christi Domini corpus non ex Virginis sanguine, sed carne fuisse formatum, eamque sententiam in disput. publicis validissimè propugnavit, ut refert illustrissimus Franciscus Belligerus ex nostro ordine Episcopus Gadicensis in encomio B. Mariæ Virginis tom. 1. disc. 13. fragm. 2. punctô 1. qui pariter huic sententiæ adstipulatur, eamque plurimis authoritatibus, & nonnullis rationibus firmat.

VIII. Probabilius tamen fuisse ex illud sanguine virgineo concinnatum. *Nihilominus* malim subscribere tum subtili Doctori, cùm aliis Theologis affirmantibus Christi D. corpus non ex ipsamet carne beatissimæ Vir-

E ginis, sed ex sanguine purissimo fuisse formatum. Id enim tanquam indubitatum supponit Doctor locô mox laudatô, dicens: *Sanguines B. Virginis de quibus formabatur corpus Christi secundum Damascenum cap. 48. cùm nunquam fuerint animati animâ alicujus hominis, per consequens nunquam ab anima peccatrice contraxerunt maculam.*

Unde ad SS. Patres & laudatos authores respondeo cum S. Thoma in 3. d. 3. quæst. 4. art. 5. ad 1. *Ideo dicitur Christum carnem de Virgine sumpsisse, non quòd materia corporis ejus fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentiâ caro; quod autem est potentia tale, potest dici absolutè tale.*

QUÆSTIO IV.

Utrùm B. Maria Deipara semper Virgo steterit ante partum, in partu, & post partum?

I. Quot & qui hæretici B. Virginis puritatem impugnaverint.

NOtandum primò, quòd etsi beatissima Dei Mater singulari puritatis prærogativâ sole clariùs effulserit; itaut tanta fuerit ejus Virginitatis puritas, ut usu omnium vocabulô *Virginis* appelletur & innotescat, quô sufficienter eam fuisse purissimam, & ab omni corruptela remotissimam inferre licet; *Quis enim unquam*, (ait sanctus Epiphanius Hæresi 78. §. 6. *aut in qua generatione, sanctæ Mariæ nomen ausus est appellare, qui non sciscitanti statim vocabulum Virginis adjunxit? Nam ex epithetis istis statim lucent argumenta virtutis*; attamen varii fuerunt hæretici, qui illibatam ejus Virginitatem impugnavêre. Nam imprimis Carpocrates, Cerinthus, & Ebionitæ; aliique similes in eo sunt errore versati, ut Christum ex integra, & experte viri fœmina genitum fuisse negarent: sed ejus matrem virili opere eum genuisse idcirco astruebant, quòd ipsa in sacris Scripturis vocetur *mulier*, ut refert Tertullianus, in libro de Virginibus velandis cap. 5. *Ita mulieris nomen usurpant*, inquit, *ut non putent competere, nisi ei soli, quæ virum passa sit*. Unde fuerunt etiam qui negarent eam stetisse Virginem posteà quàm Dominum peperit. Ita præ cæteris docuit *Apollinaris* aliique, quos *Antidicomarianitas* Epiphanius nominat Hæresi 78. Idque etiam inter varios errores asseruerunt Eunomius, Helvidius, Jovinianus, Bonosus, qui omnes Josephum post divinum à conjuge sua partum editum, cum eadem esse congressum, nefandô errore jactitârunt, & exinde filios esse progenitos, qui *Domini fratres* in Evangelio sæpiùs appellantur. Cujus erroris etiam insimulatur Tertullianus, ut legere est lib. de Monogamia cap. 8. & lib. de carne Christi cap. 7. ubi quos Evangelium fratres Domini vocat, reverà fratres uterinos fuisse, & ex Josepho ac B. Maria genitos affirmare videtur: Hinc cùm Helvidius Tertullianum in suæ opinionis vindicem proferret, ita respondet S. Hieronymus, *De Tertulliano quidem nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse*. At hæc sententia quæ perpetuæ Virginitati sanctissimæ Dei parentis detrahit, ab omnibus Christi fidelibus, ut execranda & sacrilega semper est repudiata, ut infrà constabit.

II. Quid sit Virginitas & quot ad illius integritatem conditiones requirãtur.

Notandum secundò Virginitatem solitò sic definiri, ut sit *ab omni vacua libidine, carnis, animi & corporis integritas*: quod ut percipiatur, perdoctè observat Petavius lib. 4. cap. 5. ex S. Thoma 2. 2. q. 152. tria in Virginitatis temeratione esse distinguenda. *Primum* est, inquit, quòd in corpore accidit *Virginei sigilli violatio*. Inest enim in Virginibus membrorum integritas quædam, quæ nuptiali opere delibatur, & carpitur. De qua re paulò post differam. *Secundum* est, in quod animæ simul & corporis functio concurrit; nempe *resolutio seminis delectationem sensibilem causans*, ut S. Thomæ verbis utar. *Tertium* est, quòd animæ solius actione constat; *propositum perveniendi ad talem delectationem*. Horum primum ad moralem actionem ex accidenti pertinet. Potest enim sine voluntaria corruptela Virginis accidere. Secundum est actionis illius, quæ moralis dicitur, materia, cujusmodi sunt passiones, quæ sensum afficiunt. Postremum est velut forma moralem complens actionem. Ex quibus ita colligit S. Thomas: ad virginitatis naturam & essentiam non illam spectare qualemcunque corporis integritatem; quæ nisi tertium accesserit, nullum sui dispendium patitur & intacta perseverat.

Hinc sanctus Augustinus lib. 1. de Civitate Dei cap. 18. probat virtutem virginitatis & pudicitiæ posse servari illibatam, etiamsi corpus invitè per alienam libidinem polluatur. Unde concludit, *Quocirca animi proposito permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis aliena, quam servat perseverantia continentiæ suæ*: Imò addit Guillelmus Parisiensis lib. de virtutibus cap. 13. virginitatem posse non amitti, quatenus virtus est, cùm nubit Virgo, & carnis integritatem amittit, si nempe servandæ virginitatis propositum & desiderium semper conservet. Hæc tamen paulò liberiùs dicta existimarem.

III. De Virginitatis sigillo gravis controversia.

Notandum tertiò non levem esse controversiam inter medicæ artis Professores circa Virginitatis sigillum, sunt enim qui contendant membranulam quandam superinduci in ore ventriculi corporis Virginei, quæ quandiu integra perseverat, Virginitas stet illibata, ubi verò per actum libidinis frangitur, omninò corporea mulieris Virginitas pereat. Aliqui verò cum *Francisco Vallesio* lib. de sacra Philosophia cap. 25. cujus sententia plerisque Medicis recentioribus maximè probatur, pernegant aliquam esse membranam illam quæ sit Virginitatis sigillum, quod utique maximè confirmant ex Galeno, qui in humani corporis sectionibus diligentissimus, nullibi talis membranulæ mentionem facit. Sunt etiam qui medium inter utrosque extremè pugnantes doceant, nempe non in omnibus hoc sigillum esse Virginibus, sed in quibusdam solùm, in aliis verò nullum reperiri. Verùm longè complures Anatomices præsertim scientissimi, hujusmodi signum ac characterem Virginitatis adstruunt, ut Andreas Vesalius, Falopius, Picolominus, & pluresalii quos laudat Riolanus Parisiensis Academiæ Medicus eruditissimus, qui testatur se id animadvertisse in multis Virginibus, post obitum dissectis. Cui sententiæ suffragatur etiam sanctus Augustinus lib. 1. de Civitate Dei c. 18. ubi probat sanctitatem & virginitatem corporis non in sola membrorum integritate consistere: *Obstetrix enim*, inquit, *Virginis cujusdam integritatem manu velut explorans sive malevolentia, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit*. Imò etiam signum aliquod extare, quô integra, vel oblæsa Virginitas deprehendi possit, sacra Scriptura docet Deuteronomii v. 15. ubi statuitur, quòd si quis uxorem ducens ingressus ad eam, dicat ipsam Virginem non invenisse, *Tollent eam Pater & Mater ejus, & ferent secum signa Virginitatis ejus, ad seniores urbis, qui in porta sunt: & dicet Pater, Filiam meam dedi huic uxorem; quam quia odit, imponit ei nomen pessimum ut dicat, Non inveni filiam tuam Virginem: & ecce hæc sunt signa Virginitatis filiæ meæ, expendent vestimentum coram senioribus civitatis*: nempe pannum seu linteum tinctum sanguine emisso è Virgineo corpore, ex primo virili congressu: quem utique pannum, ut refert Abulensis in illud quæst. 4. sic tinctum virgineô sanguine tradi consueverat parentibus puellæ coram testibus & tabellione, alioqui nulla ei fides esset habenda.

His ita perspectis ac notatis, quæritur impræsentiarum, utrum virgo, antequàm pareret Christum, vel in ipso partu: vel etiam post partum

illud Virginitatis sigillum, claustrumque illibatum servaverit, unô verbô, utrùm non solùm Virgo, sed etiam perpetua Virgo constanter fuerit.

Conclusio Prima.

IV. *Deipara erat Virgo ante partũ.*

DEipara Maria Virgo purissima erat ante partum. Hæc est determinata in Concilio quinto Constantinopolitano consultatione 8. Canone 6. ubi *B. Maria semper Virgo* dicitur: quali etiam nomine appellatur a Tarasio Patriarcha in epistola quæ est in VI. Synodo Actione 3. in Confessione fidei, quam ipse ibidem profert. Necnon & in Concilio Lateranensi sub Martino V. consultatione 5. Can. 3. ubi generatim definitur Mariam Deiparam non solùm in Conceptione Christi & partu, sed etiam post partum Virginem illibatam fuisse, his verbis: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem, Dei genitricem sanctam, semperque Virginem, & Immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente, & post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit.* Ubi non solùm hæc veritas definitur illis verbis: *semperque Virginem*, sed etiam illis, *indissolubili, &c.* nam si in ipso partu virginitatem amisisset, post partum indissolubilis ea non maneret, siquidem virginitas semel amissa restitui, & instaurari non potest.

Ut definitur in Concilio.

Ex Scriptura colligitur.

Probatur etiam è Scriptura sacra, maximè verò ex illo Isaiæ vaticinio cap. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quòd utique Oraculum non modò veteres Ecclesiæ Patres, verùm etiam S. Matthæus cap. 1. de Maria prædictum fuisse testantur; nam postquam Angelus suasit Josepho, ne dimitteret uxorem prægnantem, affirmando id quod in ea natum erat de Spiritu sancto esse, & qualiter Filius ille quem uterô continebat, redempturus esset populum suum à peccatis, subjungit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel.*

Quas perperam Judæi explicant.

Reponunt Judæi primò non esse credibile datum fuisse signum Regi Achaz ab Isaia, quòd ipse videre non posset: sed Achaz non poterat videre Virginem concipientem & parientem, quippe nonnisi diuturnô tempore post mortuum Achaz Virgo Maria Christum peperit: igitur illud vaticinium non erat intelligendum de B. Virgine Maria.

Verùm respondeo turpiter hallucinari Judæos, quippe signum istud non fuit datum Achaz, sed domui David; cùm enim Achaz renuisset petere signum à Domino juxta Prophetæ monitum, dixissetque: *Non petam & non tentabo Dominum*, subjungit; *Audite ergo domus David .... propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* Unde vaticinium istud non dirigebatur ad Achaz, sed ad domum David, quæ usque ad Christum erat permansura.

Affirmant SS. Patres.

Probatur insuper ex communi SS. Patrum ac Doctorum sententia, existimantium B. Virginem virginitatis votum juvenculam emisisse, quod utique inferre licet ex responso illius Virginis ad Angelum; nam cùm Angelus Lucæ 1. annuntiasset ei, quòd filium esset conceptura, respondit: *Quomodo*

A *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ubi verbum *cognosco*, non actum significat, sed consuetudinem & propositum non cognoscendi: manifestum enim erat tunc, cùm hoc diceret, quòd virum non cognoscebat: denotat igitur consuetudinem; veluti siquis Abstemius diceret, *Non bibo vinum*; & Carthusianus, *Non manduco carnes*, actum nedum, sed etiam consuetudinem non bibendi vinum & manducandi carnes designarent: Et hôc modô verba illa interpretatur S. Gregor. Nyssenus oratione in Christi Nativitatem post medium: *Interdixi mihi* (inquit) *consuetudinem viri, quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?* Deinde carnem Virginis *Deo consecratam* appellat, & tandem de ea subdit, *me virum cognoscere nefas.*
B Nysseno concinunt *Augustinus* lib. de sancta virginitate cap. 4. *Beda* in eum Lucæ textum. *Bernardus* homil. 4. super Missus est. *Anselmus* lib. de excellentia B. Virginis cap. 4. &c. Idemque fatentur & affirmant omnes Scholastici cum *S. Thoma* 3. p. q. 28. a. 4. & *Doctore subtili* in 4. d. 30. q. 2. a. 2.

Dices. Vovere non potuit se servaturam, quod lege Mosaicâ prohibebatur: at virginitas prohibebatur lege Mosaica. Probatur tum ex Genes. 1. ubi Deus prolem generandam jubet his verbis, *Crescite & multiplicamini*, tum Deuteronomii 25.
C ubi præcipitur ducenda uxor fratris mortui, & suscitandum semen à fratre superstite, quòd si nollet, ipsa coram senioribus tollebat calceamentum ejus, & spuebat in faciem ejus, & dicebat: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Quem locum objiciebat Faustus Manichæus Augustino lib. 14. cap. 3. adversus Faustum sub his verbis: *Maledictus omnis, qui non suscitaverit semen in Israël.* Tum Exodi 23. *Non erit apud te sterilis utriusve sexûs:* at virginitatis votum sterilitatem quandam inferebat. Ergo prohibetur. At perperam, quia nullibi talia verba reperiuntur in Scriptura.

Nego minorem: Imò virginitas magno in pretio fuit apud Judæos, ut probat S. Hieronymus lib. V. *Virginitas apud Judæos erat commendata.*
D 1. contra Jovinianum. num. 30. Post exempla Heliæ, Helisæi, & Joannis Baptistæ, imò & Danielis, & trium puerorum, quos certum est Virgines fuisse. Idipsum affirmant Ambrosius lib. 1. de Virginibus. Damascenus lib. 4. de Fide cap. 24. Constat pariter ex Essenis, qui ut testatur Josephus lib. 2. de bello Judaïco cap. 7. & lib. 18. Antiquitatum Judaïcarum cap. 2. absque mulieribus, omnique Venere abdicatâ in societate summa cum laude & veneratione vitam agebant.

Idipsum probant oracula. 1. Sapientiæ cap. 3. *Quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respe-*
E *ctione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem.* Secundum est Isaiæ 56. *Quia hoc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus; dabo nomen sempiternum illis, &c.* Quem utrumque locum sanctus Hieronymus interpretatur de Eunuchis, qui voluntariè sese castraverunt, id est, omnem Venerem abdicaverunt propter regnum cœlorum.

Ad confirmationem minoris dico: nihil ex prædictis textibus posse evinci. Non ex primo, quia non præceptum, sed benedictionem illa verba indicant, præmisit enim sacer textus, *Benedi-*

Nec usquã fuit vetitũ.

xitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini. Eô enim modô præcedentia verba sunt intelligenda, quomodo sequentia: at hæc sunt intelligenda tantùm de benedictione, non de præcepto. *Insuper* eô modô loquitur piscibus ibidem, *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, quousque, &c.* At præceptum eis non imposuit: ergo nec hominibus. *Denique*, licèt fuerit præceptum, non tamen absolutè fuit ab omnibus servandum; cessante enim fine legis, cessat illius obligatio: at id concernebat multiplicationem hominum: ergo ubi erat sufficiens multiplicatio, ibi desinebat nuptiarum obligatio.

Non etiam quidpiam evincitur ex secundo, quippecùm non præcipiatur neque viduæ ut nubat, neque fratri ut uxorem demortui fratris accipiat; non quidem viduæ quia Judith in castitate summa cum laude perseveravit, etsi nullos habuerit filios saltem superstites, cùm nullibi eos Scriptura referat, quos tamen non est probabile tanto in triumpho non nominasse. Non etiam fratri, quia poterat juri suo cedere.

Denique ex tertio nihil concluditur. Illa namque verba non impositum præceptum, sed repromissam benedictionem servantibus mandata divinamque legem inferunt, ubi enim præmisit sacer textus. *Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, benedicetque fructum ventris tui, & fructum terræ tuæ, non erit apud te sterilis utriusque sexûs tam in hominibus quàm in gregibus.*

Conclusio Secunda.

VI. *Maria Virgo fuit in partu.*

R*Everà Deipara Maria illæsâ suâ virginitate Christum Dominum peperit.* Hæc sequitur ex præcedenti, & probatur eâdem authoritate Conciliorum; maximè verò Concilii Chalcedonensis in allocutione ad Martianum Imperatorem, ubi nomine Concilii hæc efferuntur; *Deus Patres excitavit velut luminaria in errore degentibus, qui fidei intelligentiam omnibus exposuerunt, & Incarnationis beneficium accuratè prædicârunt: quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum sit Mysterium. Quomodo sit Dei genitrix, propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat, uterum obsignavit.* Quòd autem obsignatum & sigillô munitum aiunt Patres uterum Virginis post conceptum, apertè significant in ipso partu obsignationem illam perstitisse. *Confirmatur* pariter ex præfato Isaiæ vaticinio: *Non enim* (inquit S. Ambrosius epist. 7.) *concepturam tantummodò Virginem, sed & parituram dixit.*

Ut probant SS Patres Græci.

Unde concors est SS. Patrum sententia Christum illæsô ac illibatô matris uterô produsse: Sic S. Gregorius Nyss. oratione de natali Domini: *Puer*, inquit, *pannis involutus, & in præsepe requiescens: & illa post partum Virgo incorrupta mater fovet filium.* Et oratione de Occursu: *Solus*, inquit, *ipse inexplicabili modô conceptus, & ineffabiliter natus, haud ante patefactam nuptiis virginalem aperuit vulvam, virginitatis signacula inviolata servans, etiam post admirabilem processionem.* Idem docent *Amphilochius* pag. 26. *S. Ephræm* oratione de Margarita pretiosa, *Sophronius* in epistola Synodica; *Damascenus* lib. 4. cap. 15. & plures alii Græci Patres.

Et Latini.

Eis pariter subscribunt omnes Latini, imprimis S. Ambrosius epist. 7. ad Siricium Papam, quod probat mysticæ portæ, cujus meminit Ezechiel cap. 44. vaticiniô. *Hæc porta est B. Maria*, inquit, *de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum; quia Virgo concepit & genuit. Quid autem incredibile, si contra originis naturalis modum peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit & fugit, &c.* Idem docet & eâdem utitur Propheticæ portæ similitudine in lib. de institutione Virginis, cap. 7. quod ita concludit: *Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia Virginis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cùm exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non posset.*

Hieronymus in caput 44. Ezechielis mysterium illud explicans Propheticæ portæ, per quam Deus Israël ingressus dicitur, hæc adnotat: *Pulchrè quidem portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israël ingreditur, & dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum Virgo permansit.*

Docentes Virginis uterum in partu non fuisse reseratum.

Augustinus plerisque in locis id etiam affirmat: ut in sermone 21. *Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & sine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera.* Item in sermone 23. *Videte miraculum Matris Dominicæ, Virgo. Concepit, Virgo parturit, Virgo post partum permansit, &c. Dignum enim erat, ut Deô nascente meritum cresceret castitatis; nec per ejus adventum violaretur integra, qui venerat sanare corrupta, nec per eum pudicitia corporalis læderetur, per quem donatur castitas spiritualis.*

Ipsi subscribit Gaudentius Episcopus Brixianus ejusdem ævi tractatu 9. ubi inter cætera hæc habet. *Qui sine corruptela Matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus præsumatur? Incorrupta Virgo peperit, quod intacta Virgo concepit: integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat integrare naturam.* Consentit S. Leo Papa in sermone 1. de Nativitate, cap. 2. *Mortio igitur*, inquit, *virgineæ integritati nihil corruptionis partus intulit: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.* Idem fusiùs explicat S. Fulgentius qui secundô sermone de natali Domini idem asseverat. *De cælis inquit*, inquit, *medicus transiens per Virginem, post transitum suum illam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit ejus partu integritas corporis potiùs, quàm decrevit; & virginitas ampliata est potiùs, quàm fugata.*

Facerem nusquam si omnes alios SS. Patres hujus veritatis assertores vellem commemorare. idipsum disertè docent *Chrysologus* serm. 142. *Eucherius* homil. de Virginis Conceptione. *Ildephonsus* quinarios edidit tractatus & sermones de illibata B. Mariæ Virginitate, cujus strenuissimus fuit assertor & propugnator: *Bernardus* serm. 33. in Cantica. *Petrus Damianus* Opusc. 36. cap. 10. &c. Quibus apertè constat universalem esse Ecclesiæ doctrinam, quòd beatissima Maria Deipara Virgo nedum ante partum, sed etiam in partu fuerit.

Objiciunt hæretici nonnullos SS. Patrum & veterum Theologorum textus, quibus significare videntur B. Virginem in suo partu nil peculiare

à cæteris

à cæteris fœminis parientibus habuisse, & ideò non fuisse Virginem in partu. Sic Origenes homil. 14. in Lucam, *Quemcumque de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Iesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat; Matris verò Domini eò tempore vulva reserata est, quo & partus editus: quia sanctum uterum, & omni dignatione (venerationis) venerandum ante Nativitatem masculus omnino non tetigit.* Eis subscribere videntur plurimi Patres tam Græci, quam Latini, qui Virginis uterum in partu fuisse patefactum dicunt: Sic Athanasius epist. ad Epictetum, Ambrosius in caput 2. Lucæ: *Hic* inquit, *qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret.* Et Basilius qui in oratione de Natali Domini, ait Christum appellari *primogenitum, qui primus aperit vulvam, non qui post se alios fratres habeat, &c.* At omnium apertissimè Tertullianus lib. de carne Christi cap. 23. perspicuè asserit B. Virginem in partu Virginitatem amisisse, & in mulierem transiisse: nam inter cætera ait, *quis propriè vulvam adaperuit, quàm qui clausam patefecit? Cæterùm omnibus nuptis patefaciunt: itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa: utique magis non Virgo dicenda est, quàm Virgo, saltu mater ante, quàm nupta. Et quid ultra retractandum est? cùm hac ratione Apostolus, non ex Virgine, sed ex muliere editum filium pronuntiavit; agnovit adaperta vulva nuptialem passionem.* Similia habet pluribi, quibus quadrat illud Lucæ 2. quo significatur convenire Christo istud desumptum ex cap. 13. Exodi. *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.*

VII. *Qualiter sint intelligendi qui contrarium videntur asserere.*

Respondeo omnes illos SS. Patres, aut veteres Theologos per apertionem vulvæ, non significare perfractum interruptumque fuisse in Virgine Deipara integritatis sigillum, sed duntaxat quòd reverà ex Virginis utero processerit. Nec certè alia fuit eorum mens, si Tertullianum & Origenem excipias, qui cùm hæretico spiritu laboraverint in plurimis, etiam hoc in capite à veritate Catholica exorbitasse mirum videri non debet. Quantùm ad S. Lucam dico eum circumlocutione primogeniti adaperientis vulvam, voluisse duntaxat significare Christum ex Virgine ortum duxisse, sive interim exierit ab ea more consuetô cum reseratione claustri, sive non. Quamobrem *aperire vulvam*, nihil aliud propriè significat, quàm nasci, & ex materno utero prodire, quô certè loquendi modô idcircò usi sunt præfati SS. Patres, quòd ita fert communis & naturalis fœtûs profundendi modus, ut apertô uterô in lucem exeat.

Objiciunt secundò illud Lucæ 2. quò significatur B. Mariam indiguisse Purificatione, ac proinde legi naturæ cum cæteris mulieribus in pariendo fuisse subditam, ac illam fœtum emisisse per reserationem uteri cum alluvione sanguinis & dolore.

Veriùm respondet S. Ildelphonsus lib. contra eos qui disputant de perpetua Virginitate Mariæ, idcirco Evangelistam dicere, *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*; Mariæ; non quia illa purgatione ullius delicti aut maculæ indigeret: sed quia ipsa morem gerere voluit filio, qui eô ipsô quòd de muliere factus est, legem præsentationis implere voluit. *Et hæc est*, inquit, *completio dierum secundùm consuetudinem legis, & non secundùm necessitatem Purificationis: quia beata & intemerata & incorrupta permansit, nullis coinquinata sordibus, nullis vexata Eva cruciatibus*; ex quibus infert diversam fuisse purgationem Mariæ & aliarum mulierum, nam cæteræ mulieres idcirco purificationis ritus ac ceremonias observabant, ut corporis & animæ sordes eluerent: Virgo autem beatissima non ex ulla necessitate, sed duntaxat ex humilitate, & peculiari sua in Deum observantia sese purificationis legi subjecit.

Conclusio Tertia.

VIII. *Fuit etiam virgo post partum.*

Maria Deipara semper illibata Virgo post partum permansit. Hæc est pariter de fide, ut constat ex Conciliis in priori conclusione laudatis, quæ beatissimam Mariam semper fuisse Virginem apertè pronuntiant. Patet similiter ac firmatur, non solùm ex laudatis SS. Patrum authoritatibus, nec-non ex voto de servanda perpetuò virginitate à beatissima Virgine emisso; verùm etiam ex eo quòd, plurimi è SS. Patribus indubitatum existiment, S. Josephum etiam votum virginitatis emisisse, ac fuisse Virginem cùm Mariæ nuptit.

Licèt enim quamplures authores Græci in ea fuerint sententia, ut assererent Josephum ex priori uxore alios procreasse filios, quos idcirco volunt in Evangelio *Fratres & sorores Domini* nuncupari, eò quòd à Josepho, qui Pater Christi putabatur, procreati fuerant, antequam B. Virginem in uxorem duceret; ut affirmaverunt Origenes in illud Matth. 13. *Nonne mater ejus dicitur Maria?* Chrysostomus homil. de Annuntiatione apud Lipomanum. Eusebius lib. 2. cap. 1. Epiphanius hæresi 5. 28. & 78. Nicephorus lib. 1. cap. 21. Theophilactus in Matthæum 13. Euthimius in Matth. 12. &c. quibus consentire videntur quidam Latini Hilarius; Can. 1. in Matth. Ambrosius lib. de institutione Virg. cap. &c.

IX. *Etiam S. Joseph Virgo extitit.*

Nihilominùs Josephum Virginem fuisse acerrimè probant Hieronymus in Opusculo contra Helvidium *nu.* 9. & in illud Matth. 12. *Ecce mater mea & fratres mei.* Augustinus serm. 14. in Nativitate Domini, *Habe Ioseph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum, &c.* Huic sententiæ cæteri omnes, qui vixerunt Latini Patres consenserunt, adeo ut Petrus Damianus epist. 11. ad Nicolaum summum Pontificem, magnâ fiduciâ dicat, Ecclesiæ fidem in eo esse, ut non modo Deipara, verùm etiam putativus Pater, atque nutritius Virgo haberetur. Certè quidem quantùm probabilitate & conjecturis agere licet; quomodo non homini Virgini Deus Virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem jam senescentem, non nisi Virgini commendavit? Quomodo Christus verus Agnus, qui solos Virgines suum in consortium admittit, Patrem putativum tot filiis jam effœtum admisisset? Quomodo Christus, qui pascitur inter lilia, inter Mariam & Josephum Virgines non fuisset deliciatus?

Quamquam aliqui ex SS. Patribus Græcis reclament.

Hæc autem Latinorum Patrum sententia in universum confirmari hâc unicâ ratione potest, quâ solâ nituntur Græci. Nam si Josephus aliam uxorem duxisset, fuisset itaque Maria, quæ dicitur Jacobi & Joseph, quia fuit Mater eorum; hi enim inter alios sæpe fratres Domini vocantur: at eam non potuit habere uxorem, ea enim priùs emori debuisset, quàm Josepho licuisset cum alia contrahere: at illa non erat mortua, dum

Josephus cum Virgine matrimonium iniit: nam quô tempore Christus mortuus est, erant aspicientes a longe mulieres, inter quas erat Maria Jacobi & Joseph, &c. Matth. 27. & Marci 15.

Hoc unicum reponi posset à Græcis, aut Josephum duas simul habuisse uxores; aut cum Chrysostomo asserere illum priori uxore repudiatâ, Virginem duxisse. *Verùm* neutrum dici potest. Non quidem primum, quomodo enim illius uxoris nullam mentionem Evangelistæ fecissent? Quomodo non aliquando cum ea, utpote domestica & familiari, nullum Christus sermonem habuisset? Non etiam secundum; quis enim credat ipsam à Josepho repudiatam, cum ea juxta crucem stare voluisse? non ægrè tulisset præsentiam illius, quæ suum in thorum successisset?

Objiciunt hæretici quædam Scripturæ testimonia, ex quibus inferri videtur Josephum ex Maria alios filios post Christum natum genuisse. *Primò* quidem illud significari videtur per hæc verba Matthæi; *Cum esset desponsata mater ejus,* (scilicet Christi) *Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto.* Ex quibus inferebat Helvidius, teste S. Hieronymô, nisi foret ut aliquando convenire deberent, non diceret Evaogelista, *antequam convenirent:* Nam de non conventuris, hæc verba nequaquam dici poterant, sicut de non pransuro dici non potest, antequam pranderet: consequens est ergo quòd eam aliquando cognoverit. *Secundò* ibidem de Josepho Mariæ sponso dicitur, *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Tertiò Christus ibidem dicitur *filius primogenitus Mariæ:* Sed primogenitus non dicitur nisi comparatione factâ cum aliis posteà genitis: cùm igitur Maria dicatur peperisse primogenitum; oportet quòd alios deinde pepererit.

X. Solvuntur Scripturæ textus qui hæreticis videntur patrocinari.

Verum respondeo præfatos Scripturæ textus nullatenùs hæreticis patrocinari. Non quidem primum: Nam ut egregiè reponit S. Hieronymus in Opusculo adversus Helvidium & in commentario super 1. cap. Matthæi, *Quòd dicitur antequam convenirent, non sequitur, ut postea convenerint, sed Scriptura quid factum non sit ostendit:* Illa enim particula, *antequam* non semper infert aliquid posteà faciendum; nam ex eo quòd Helvidius dicatur morte præventus antequam pœnitentiam ageret, non sequitur quòd posteà egerit: sic dicitur navis periisse antequam ad portum appulisset, cùm tamen eò posteà non pervenerit.

Particula donec non semper denotat aliquid futurum, sed præteritum aut præsens.

Ad secundum dico adverbium *donec* solùm exprimere id quod dubium esse potuisset, relinquendo id quod certum est, velut à fortiori intetendum. Voluit igitur Evangelista significare, quòd Joseph non cognoverit Mariam ante partum, de quo maximè poterat esse dubitatio, insinuans multò minùs posteà virum justum voluisse tangere ac veluti contaminare templum Dei, Spiritûs sancti sacrarium, Dei ac Domini sui Matrem. Frequentes autem similes sunt in Scriptura sacra locutiones: Sic Genes. 8. dicitur de Corvo in arca Noè, *Non revertebatur donec siccarentur aquæ*, ex quo non licet inferre eum post inductam siccitatem fuisse reversum in arcam. Sic Danielis 6. de accusatoribus hujus Prophetæ in lacum Leonum projectis dicitur: *Non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones*, ubi non significatur quòd postea ad pavimentum pervenerint: Sic pariter Psal. 109. dicitur, *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos, &c.* Et 1. ad Cor. 15. *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos, &c.* Quis autem exinde inferat Christum à dextris Dei non amplius sessurum & regnaturum, cùm expugnati fuerint omnes illius nominis & religionis impugnatores?

XI. Primogenitus non semper significat primum inter alios genitos.

Ad tertium dico *primogenitum* idem ibi significare, quòd primò natum, seu ante quem nullus alius natus est, licèt sit unigenitus, ut explicat S. Hieronymus in Opusculo contra Helvidium *nu.* 8. ita qoòd omnis unigenitus sit primogenitus; non tamen omnis primogenitus sit unigenitus. Quam explicationem probat ex illo Numerorum 18. *Quidquid primum erumpit è vulva carnis quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erunt, ita duntaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias.* Argumentatur autem pulchrè in hunc modum. Si primogenitus hominis, is tantùm est, quem sequuntur fratres alii, tamdiu Sacerdotibus primogenitus hominis non debebatur; quamdiu alius frater non fuisset procreatus.

Objiciunt secundò omnes illos Scripturæ textus, quibus aliqui dicuntur *fratres Domini:* sic Matthæi, 12. *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te.* Et Joan. 2. *Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, &c.*

XII. Quô sensu aliqui dicti sint fratres Domini.

Respondeo aliquos equidem fratres Domini appellari, non quòd ex eadem cum eo matre sint geniti; sed quia erant consanguinei. Quatuor enim modis aliqui fratres dicuntur in Scriptura sacra. Primò quidem *naturâ*, quia sunt ex eodem Parente, ut Jacob & Esaü. Secundò *gente* & natione, sic Israëlitæ omnes dicuntur fratres, ut Deut. 15. *Si autem emeris fratrem tuum, qui est Hebræus*, &c. Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Tertiò *cognatione*, qui sunt oriundi ex eadem familia, quâ ratione Abraham & Loth dicuntur fratres Gen. 13. sicut Jacob & Laban, *Gen.* 29. Quartò denique *affectu*; sic Christus D. *Ioan.* 20. Apostolos suos *fratres* appellavit. Certum est autem illos in objectiooe commemoratos non appellari fratres Domini primâ ratione fraternitatis, neque etiam tantùm secundâ & quartâ, aliàs quicumque discipulus, imò & quilibet de populo Judaico, frater Domini posset appellari. Restat igitur eos dici Domini fratres ratione cognationis.

Nomen *fratris* in Scriptura quadrifariam accipitur.

Petes qui-nam, & quô gradu consanguinitatis dicti fuerint fratres Domini?

Respondeo ad primum, quatuor duntaxat homines in sacra Scriptura, ita fuisse appellatos, putà JACOBUM, JOSEPHUM, SIMONEM & JUDAM, ut legimus, Matth. 18. *Nonne hic est fabri filius, nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Iterùm ad Galat. 1. Jacobus *frater Domini* vocatur. Et *Actor.* 1. memorantur iterum Jacobus, Simon & Judas, ibi tamen non dicuntur fratres Domini, sed solùm dicuntur perseverasse in oratione cum Maria Matre Jesû, & fratribus ejus, putà discipulis qui erant fratres affectu; unde continoò subditur: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratram dixit, Viri fratres, &c.* Nec refert quòd S. Chrysostomus homil. 5. in Matth. affirmet Joannem Evangelistam etiam dictum fuisse fratrem Domini; non enim video quô fundamentô illud possit asserere, cùm nusquam in Scriptura sic nominatus inveniatur, tametsi nominari potuerit.

Respondeo ad secundum, communem sacrorum Interpretum esse sententiam cum S. Hieronymo,

omnes illos fratres & sorores Christi nominatos, ex eodem thoro, iisdemque genitoribus oriundos esse, quod sic contra Baronium in *apparatu n. 6.* evinco: Si diversô patre, matreque diversâ geniti dicerentur; maximè quia, inquit Baronius, Jacobus, frater Domini cognominatus, dicitur *Filius Alphæi* Matth. 10. Marci 3. & Actor. 1. Constat autem Joseph fuisse fratrem Jacobi, nam Marci 15. dicitur Maria Jacobi Minoris & Josephi mater; ac proinde uterque erat filius Alphæi: solet enim Scriptura filios nomine Patris nominare, sic v. g. alter Jacobus dici solet filius Zebedæi; unde sequitur, ait Baronius, Simonem & Judam non fuisse fratres Jacobi, quia non referuntur cum duobus Mariæ filiis.

Confirmatur ex Egesippo, qui apud Eusebium lib. 3. cap. 10. & 16. affirmat Simonem & Judam filios fuisse Cleophæ; non autem Alphæi: Cleophæ autem & Alphæi conjuges nomine *Maria* appellabantur, & una à viro dicta *Maria Cleopha*, alia à filiis *Maria Iacobi & Salomæ* nominabatur: Mariam autem Jacobi & Cleophæ omnino diversas esse inferri videtur, ex eo quòd Joan. 19. Maria Cleophæ dicitur stetisse juxta crucem Jesû; Maria verò Jacobi dicitur Matth. 17. & Marci 15. à longè stetisse unà cum aliis mulieribus; quæ duo in eandem mulierem cadere non possunt; ac proinde, inquit Baronius, certum est quatuor illos, qui fratres Domini appellantur, diversô Patre, diversaque matre esse oriundos. Jacobum quidem & Joseph ex Alphæo & Maria Jacobi; Judam autem & Simonem ex Cleopha & Maria Cleophæ. Hæc Baronius.

Verùm hæc ratiocinatio nulla est: nullumque istud fundamentum Baronii: igitur, &c. Probatur minor: Constat enim Judam & Simonem esse fratres Germanos Jacobi, Judas enim initiô suæ epistolæ canonicæ se nominat fratrem Jacobi, *Iudas Iesû Christi servus; frater autem Iacobi*, non quidem Jacobi Zebedæi: ergo Alphæi: *Nec valet dicere* eum se fratrem nominare generali tantùm ratione, propter familiæ cognationem, hoc inquam non valet: *Primò*, quia sine fundamento id dicitur. *Secundò*, quia nulla videbatur peculiaris ratio, ob quam silentiô deditô naturali fratre suô Simone, alterius solâ generali ratione fratris cognomen usorpasset. *Tertiò*, hac ratione potius dici debuisset frater Petri utpote Apostolorum Principis: ergo cùm se Jacobi fratrem nominat, fatendum est ipsum de fratre suo germano intelligendum. Ideò autem solius Jacobi meminisse arbitror, quòd Jacobus Major natu esset, ideoque honoris causâ nomen illius expressit, non secus ac cùm quis vult se cognosci ex aliquo fratre suo; eum nominat, qui est primus & caput in familia.

Ad confirmationem dico nullam fidem deberi Egesippo; si enim hac in re audiendus esset Egesippus, cur non audiendus pariter, cùm ibidem dicit Josephum ex alia uxore filios genuisse? sicut enim ipsi in utroque fidem fecit Eusebius, utrique pariter, aut neutri facere deberet Baronius: at fidem ei denegat circa duo connubia Josephi: igitur denegare debet circa Alphæum & Cleopham ut diversos homines. Quid enim officit si Cleopham & Alphæum unicum hominem proferamus, sed binominem.

Nec etiam movere debet quòd videatur diversa à Maria Jacobi dicta Alphæi conjuge, propterea quòd una juxta crucem alia à longè stetisse legitur? Hæc enim ratio nulla prorsus est.

A Enimverò dicendum esset pariter duas fuisse Marias Magdalenas: nam Matth. & Marc. de ea dixerunt, *Inter quas erat Maria Magdalene, &c.* nempe inter eas mulieres, quæ à longe aspiciebant: Joannes autem ait: *Stabat juxta crucem Iesu Mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalena.* Quomodo autem hæc de eadem dici potuerint, arbitror ita conciliandum, ut primò illæ mulieres unà cum Virgine juxta crucem steterint, audituræ ultima Christi morientis verba: cùm autem matrem suam Joanni commendasset, animamque exhalasset, inde aut urgente nimiâ tristitiâ, aut impellentibus militibus aliquantum recessisse, & inde spectasse quæ contingerent. Qualiter vellem etiam intelligi quod scribit Lucas: *Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.* Non quòd omnia à longè viderint, sed ea solùm quæ post earum recessum contigerunt. Dicendum ergo Mariam Cleophæ sic nominatam, vel quia a Patre Cleopha genita, vel quia marito Alphæo & Cleopha binomine tradita, vel quia *Cleophas* propriô nomine, *Alphæus* autem subnomine diceretur. Hinc mihi probatur magis S. Hieronymi lib. contra Helvidium & in cap. 12. Matthæi; quàm Baronii sententia.

Inferendum ergo eos fratres Domini dici, quasi subcognati, nempe geniti à Mariâ Cleophæ filia, & B. Virginis, sorore, seu potiùs consobrina, ut refert Hypolitus Martyr, qui apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. hæc profert. *Tres fuere sorores Bethlemiticæ, filiæ Mathan sacerdotis & Mariæ conjugis ejus, sub Cleopatra, & Casoparis Persa regno, & ante Herodis Antipatris filii regnum. Prima Maria: Secunda Soba: Tertia Anna nomen erat. Nupsit prima in Bethleem Maria & peperit Salomnen obstetricem, nupsit quoque secunda itidem in Bethleem Soba & genuit Elisabeth: nupsit postremo tertia Anna in terra Galilea & protulit Mariam Dei genitricem.* Ut autem hæc debitô ordine pandantur, hanc genealogiam sic arbitror esse texendam. Maria nupsit Cleophæ ex quo genuit alteram Mariam quæ Joan. c. 19. dicitur *Maria Cleopha*, & soror, id est, consobrina B. Virginis; ex hac & Alphæo viro ejus prodierunt Jacobus Minor, Joseph & Simon & Judas, qui dicuntur fratres Domini; & sorores ejus, Maria & Salome. Apertè enim Maria declaratur mater Jacobi, Josephi & Salomæ Matth. 17. v. 56. & Marci 15. v. 4. ubi legimus ad crucem Domini adstitisse mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi Minoris & Joseph mater & Salome. *Sobe* autem ex uno è sacerdotibus sibi in matrimonium copulato, genuit Elizabeth quæ propterea Lucæ cap. 1. v. 5. dicitur de filiabus Aaron: Hæc autem ex Zacharia genuit Joannem Baptistam. Anna autem ex tribu Davidica secundùm lineam maternam, ut conjicio ex S. Damasceno Orat. 2. de Nativitate B. Mariæ, ubi S. Annam alloquens ait: *Quàm beata domus David, de qua prodiisti*: non secundùm lineam paternam, ut supra dixi: ergo secundùm maternam: Ea inquam ex S. Joachim genuit B. Virginem Mariam. Ex quibus refellitur eorum sententia, qui dicunt S. Annam tribus maritis nuptam, tres ex iis suscepisse filias, quis enim ex tertio nupta, ac proinde minùs casta purissimam Virginem prodiisse existimaret?

QUÆSTIO V.

Vtrùm beata Virgo non solùm in anima, sed & in corpore evecta fuerit in cœlum?

I. Certum est B. Virginem æterna beatitudine donari.

NOtandum primò nemini Catholicorum esse dubium Virginem Deipatam æternâ beatitudine donari, & sanctissimam ejus animam super omnes beatarum mentium Ordines esse sublimatam; eam qoippe veritatem publicè confitetur sancta mater Ecclesia, quæ solemnem Virgini in cœlum assumptæ non solùm festivum diem celebrat: sed etiam in officio divino, quod eô ipsô die in Dei gloriam, & assumptæ Virginis honorem religiosè persolvit, inter cætera illius triumphalis Assumptionis encomia, hoc effert, *Exaltata est sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad cœlestia regna.* Quam itidem veritatem SS. Patres, quotquot assumptæ Virginis Deiparæ laudes celebrârunt, apertissimè testantur, ut legere est in eorum Oraculis ac sermonibus, maximè apud Bernardum in sermonibus de Assumptione B. Mariæ; hic enim, ut cætera sileam, serm. 1. disertè pronuntiat: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templô, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali soliô, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit, &c.* Unde epist. 174. quæ est ad Canonicos Lugdunenses piè non minùs, quàm eleganter admonet. *Exalta denique exaltatam super Choros Angelorum, ad cœlestia regna. Hac mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod accepi, securus & teneo & trado; quod non, scrupulosius, fateor, admiserim. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quò assumpta de sæculo nequam; cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum.* Uode sola superest aperienda ac declaranda veritas, utrùm Virgo Deipara non animâ solùm, sed & corpore in cœlum sit assumpta, ac super omnes Angelorum Ordines sublimata.

II. Tres sunt gradus certitudinis in materia fidei.

Notandum secundo cum *Duvallio* quæst. de Immacul. Concept. Virginis art. 6. varios esse, sed potissimùm tres certitudinis gradus in materia fidei. *Primus* est, quando res absolutè fide credenda est, ut Deum esse Creatorem cœli & terræ, &c. *Secundus*, quando res proximè accedit ad fidem, ut qood ab omnibus fidelibus creditur. *Tertius* verò, quando fidei est consentanea. Communior autem sententia est corpoream Deiparæ Virginis Assumptionem, non esse certam certitudine fidei primi generis. An autem aliquem ex duobus aliis certitudinis gradum obtineat, prudens ex dicendis judicabit Lector.

III. Quid sit credere aliquid pia fide, & credere fide Catholica.

Notandum tertiò, discrimen esse inter credere aliquid *pia fide*, & credere *fide Catholicâ*; fides enim Catholica omnimodam habet certitudinem; pia autem fides tantam certitudinem non obtinet, sed habet ita probabilem, ut formidinem in contrarium expellat, & longè sit major, quàm quæ haberi potest per cognitionem cujuslibet scientiæ naturalis. Ut autem hanc certitudinem sibi vindicet pia fides, tres conditiones exigit, ut docet *Gerson* tract. de puella Aurelianensi: *Prima*, quòd res illa ad pietatem & devotionem spectet, qualia sunt quæ in commendationem Dei & Sanctorum proponuntur: *Secunda*, quòd sit valde probabilis, ex communi fidelium narratione, aut attestatione: *Tertia*, quòd Ecclesiæ Prælatis hæc relatio & obtestatio nota sit, nec ab eis improbetur, sed potius toleretur. Certum est autem sententiam de Assumptione corporea Deiparæ Virginis his tribus conditionibus affici, & insuper habere non solùm plurimos Patres & SS. Doctores in sui patrocinium & assertionem, sed etiam communi Ecclesiæ sensu ac consensu firmari, ut docet Petrus Aurelius in assertione epistolæ Antistitum Galliæ, ubi cùm dixisset: *Quidquid Ecclesia consensui adversatur, semper erroneum, aut Dei verbo contrarium est; quia omnis Ecclesia consensus certò Dei verbô Scripturâque continetur, aut fidem prorsus Catholicam continet; et si certitudinem habeat omni humanâ majorem, ideoque illi obstrepere, sit erroneum*; statim subdit: *Beatam Virginem Deiparam corpore & animâ in cœlum ivisse, verissima doctrina est, Ecclesia consensu fulta; nec qui eam neget, ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragatur, in quo de ea nihil extat.* Quibus verbis significat doctrinam de Assumptione corporea illum certitudinis gradum obtinere, qui non solùm major sit omni humanâ fide, sed etiam ipsi non possit quis refragari absque erroris nota. His ita prælibatis, sit

CONCLUSIO UNICA.

IV. B. Virgo reverà est in anima & corpore in cœlum erecta.

COrporea *Deiparæ Virginis in cœlum Assumptio piè ac religiosè à fidelibus creditur & asseritur.* Hæc conclusio receptissima est apud omnes Catholicos, firmaturque validissimis rationibus & momentis, quæ majoris claritatis ac facilitatis gratiâ, sub distinctis sequentibus paragraphis proponere ac expendere juvat.

§. I.

Probatur Assumptio corporea Virginis Deiparæ ex institutione annui diei festivi, in istius honorem & sub illius titulo.

Probatur 1. ex die festo Assumptionis.

ECclesia festivum diem non celebrat in assertionem alicujus Mysterii, aut venerationem sanctitatis, quin mysterium istud, aut illius sanctitatem, in cujos honorem festum agit, pro confesso & indubitato habeat: at jam à plurimis retrò sæculis Ecclesia festivum diem egit in honorem Assumptionis animæ & corporis Deiparæ Virginis: igitur Ecclesiæ sententia est Virginem Deiparam animâ simul & corpore in cœlum esse assumptam & receptam. Major patet ex S. Bernardo epist. 174. ubi ex festo Nativitatis Virginis Deiparæ colligit eam in utero fuisse sanctificatam: *Ortum Virginis didici*, inquit, *in Ecclesia & ab Ecclesia indubitanter habere festivum & sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens uterò eam accepisse, ut sancta prodiret, &c.* Et infrà: *Nec fallitur omnò sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni annò cum exultatione universa terra votivâ celebritate suscipiens.* Constat etiam ex eis quæ diximus *pagina* 406.

Quem sacrum pridè habuit Ecclesia.

Minor verò, in qua maximè difficultatis cardo vertitur, probatur primò authoritate SS. Patrum, qoi ab ipsis Apostolis ad nos usque felici traditione solemnitatem illam in Deiparæ Virginis assumptiooem ab Ecclesia celebrari solitam derivârunt, nam ut præclarè ait sanctus Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur:* At festum Assumptionis Deiparæ Vir-

ginis ab Ecclesia solitò celebrari, significat S. Bernardus epistolâ mox laudatâ, ubi ait: *Accepi ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quò assumpta de sæculo nequam cælis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum*; ac si diceret, Sunt dies festi, qui quô tempore inceperint compertum habemus: de festu autem Assumptionis B. Mariæ, non aliud nobis apparet, quàm ipsius Ecclesiæ nascentis exurdium; qualiter Marius Victurinus Episcopus Reatinus in Scholiis in Hieronymum S. Bernardi verba expendit: sic enim scribit: *Assumptam fuisse Virginem unà cum corpore è monumento, in quo depositâ fueras, omnis Ecclesia credit & celebrat: ejus autem diei festum ubique celebrandum Apostoli, ut author est Bernardus, statuerunt.* Fateor tamen festum istud nunnisi diuturno temporis successu ab universa prorsus Ecclesia esse celebratum; nam Andreas Cretensis Orat. 2. de Dormit. B. Virginis, ait: *Mysterium est, hactenus quidem paucis celebratum, quod tamen omnibus jam amori ac desiderio habeatur.*

V.
Ut colligitur ex praxi Apostolorum.

Porro ipsis Apostolorum temporibos celebratam fuisse Assumptionis Deiparæ solemnitatem, nun leve nobis est indicium, quòd ab ejos ubitu coli cœpit, & illius quotidiana in Missæ sacrificio commemoratio fieri, ut docet Liturgia S. Jacobi, in qua hæc leguntur: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei & semper Virginem Mariam cum omnibus Sanctis & Iustis.* Si autem ex tunc ortum babuit illius religiosus coltus, facilè in animum inducere licet die festô ac sulemni ejus Assumptionem fuisse celebratam. Si enim apud Clementem lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 39. præcipitur fidelibus, ut in festis Apostolurum, & in die sancti Stephani Protumartyris quiescant ab opetibus servilibus, quis dubitet idem ab iis sancitum ac constitutum in ipsu die transmigrationis B. Virginis, quam tantô affectu, tantaque veneratione, dum in terris ageret, fideles omnes coluerant?

Adde quod ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio celebrata sit Sancturum, præsertim Martyrum solemnis memoria eô ipsû die, quô è vivis excesserant, ut apparet ex epistola Ecclesiæ Smirnensis apud Eusebium lib. 4. Historiæ cap. 15. ubi de sancto Polycarpo Apostolorum discipulu sic scribitur: *Quo in loco & jam nunc præstante Dominô solemnes agimus celebresque Conventus, maximè quidem in die Passionis ejus, sed & cum eo eorum memorias qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi per prædecessorum viam exemplie suscitentur.* Quis autem neget idem præstitum in celebranda memoria mortis & Assumptionis B. Mariæ: quæ fortè quuniam singulis hominibus erant pervia, idcirco à nullis eorum, quorum scripta ad nostra tempota devenêre, litteris fuerunt consignata.

Nihilominus festum Assumptionis Deiparæ Virginis temporibus sancti Hieronymi & Augustini celebratum fuisse asserit Jacobus Pamelius in Liturgicis, idque constat imprimis ex Comite seu Lectionario Hieronymi, in quo celebrandum Missæ officium hoc ordine describitur. *In Assumptione Mariæ. Lectio libri Sapientiæ. In omnibus requiem quæsivi. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Intravit Iesus in quoddam Castellum.* Quæ in hodiernum usque diem eôdem modô in Ecclesia leguntur.

VI.
2. Ex Officio divino.

Constat etiam ex Officiu & Præfationibus Ambrosianis, tum in Vigilia, tum in festû Assumptionis. Et quidem in festo hæc est Præfatio. *Æquum & salutare; nos te in tuis sacratissimis Virginibus exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare. Inter quas beata Dei Genitrix intemerata Virgo Maria gloriosissimè fulget, cujus Assumptionis diem omni devotione colendum, præsenti sacrificio celebremus. Per Christum.*

3. Ex Martyrologiis.

Hoc ipsum maximè apparet ex Martyrologio Eosebii nomine S. Hieron. evulgato, eò quòd ipse illud ex Græco Latinum fecisse credatur; in eo namque legimus 18. *Kalend. Septembris Assumptio sanctæ Matris Domini nostri.* Coostat pariter ex Nicephoro, qui scribit à Mauricio Imperatore latam esse legem de Assumptionis festo. Vixit autem Mauricius annô 583.

VII.
4. Ex ordinatione summorum Pontificum, Leonis IV. & Nicolai I.

Cæterùm quantâ solemnitate celebtatum fuerit idem festum primis Ecclesiæ temporibus, appatet non sulùm ex statutu Leonis IV. quô præcepit, ut Octavæ festi Assumptionis per universam Ecclesiam celebrarentur: Octavæ namque assignari non solent nisi solemnioribus festis. Idem constat ex responsione Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, ibi enim inter jejunia antiquitùs à fidelibus servari solita, recenset jejunium, *Ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis, & semper Virginis, & Dominæ nostræ.*

Repones, non esse verisimile festum Assumptionis fuisse ab ipso nascentis Ecclesiæ primotdiu per universam Ecclesiam celebratum, ac fidelibus notissimum; siquidem tempore Caroli Magni hoc revocabatur in dubium, num festum istud celebrandum esset, ut patet ex ejos Capitul. lib. 1. cap. 164. ubi agens de festis celebrandis ait: *De Assumptione sanctæ Mariæ interogandum reliquimus*; hoc est, utrum sit celebrandum, nec-ne: igitur tunc temporis, festum ubique, maximè in Galliis non erat celebre.

VIII.
Et Episcopi Metensis ante Carolum Magnû Imperatorem.

Verùm respondeo non illum esse Caroli vetborum sensum: apertè namque constat ante ipsius Imperatoris tempora diem festivum Assumptionis sanctæ Mariæ non solùm in Galliis fuisse celebrem, sed & in eo feriandum ab omni prorsus opere servili & furensi, idque ex præceptu Ecclesiasticu; nam id jam decretum fuerat à Godegrando Episco- Metensi in regulis ab ipsu editis, quas ipsæ suæ Ecclesiæ præscripsit, regnante patre Caruli Magni Pipinô, qui vixit ante annum 750. legimus enim cap. 36. *Illud intimare complacuit, ut Nos & Clerus noster, festivitatibus Dei & sanctæ Mariæ, vel 12 Apostolorum, quorum usus est in ista provincia, celebrare, in quantùm Deus possibilitatem dederit, Officium divinum diu noctuque procuremus.* Et cap. 74. festum ipsum Assumptionis inter præcipuas solemnitates celebrari sulitas commemorat: Scribit enim: *In solemnitatibus præcipuis, id est, in Natali & octava, & in Epiphania Domini, & Pascha, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste, & in Sanctorum festivitatibus, id est, S. Stephani & S. Ioannis Evangelistæ, & in solemnitate Infantium, & in Purificatione, & in Assumptione sanctæ Mariæ: Similiter in beatorum Apostolorum festis, & sancti Ioannis Baptistæ, & S. Laurentii, & S. Martini, sive in Natali cujuslibet Sancti, cujus honor in qualibet Parrochia specialiter celebratur, plenarium Officium celebretur & bis reficiatur.*

IX.
5. Ex statutis Ecclesiæ Rhemensis.

Quin & antiquior probatur esse eadem solemnitas ex statutis Synodalibus Ecclesiæ Rhemensis per Dominum Sonnatiom Archiepiscopum Rhemensem annô 633. Nam cap. 20. hæc habentur. *Festa ab omni opere forensi excolenda, & cum debita veneratione celebranda, hæc sunt. Nativitas Domini,*

Circumcisio, Epiphania, &c. Assumptio B. Mariæ, ejusdemque Nativitas, &c.

Idipsum apparet ex eo quòd ante Pipinum Regem Galliæ, Ecclesiæ Gallicanæ divina persolverent officia secundùm morem, formam & ritum Romanæ Ecclesiæ: ut refert Hugo Menardus in præfatione libri Sacramentorum S. Gregorii; in cujus rei confirmationem hæc adducit, ex epistola Caroli Calvi ad Clerum Ravennatem, ubi sic Carolus loquitur. *Nam & usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicana Ecclesia, non aliter quam Romana & Mediolanensis Ecclesia, celebrabant.* Atque illud idem tum Hilduinus in Areopagiticis, tum etiam Valfridus, Strabo, ac Sigibertus in Chronico, aliique multi testantur.

Quæ cùm ita sint, consequens est quòd non aliô Missali utebantur Ecclesiæ Gallicanæ quàm illô ipsô Romanô, nimirum Sacramentario S. Gregorii; quod utique pluribus probari potest; maximè vero authoritate Concilii Rhemensis, ut legitur apud Burchardum cap. 97. libri tertii, ubi ita habetur, *Expletâ Missâ, Calix cum patena & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur:* Patet etiam ex Amalario, qui Legationem Constantinopoli agens, ibidem obiisse dicitur circa annum 813. is enim de Sacramentario & Antiphonariis sæpè mentionem facit, &c. At in libro illo Sacramentorum sancti Gregorii apertissimè declaratur Assumptio corporea beatissimæ Virginis: igitur ex tunc apud Ecclesias Gallicanas festum istud agebatur.

X. Neque id in dubium revocat Carolus Magnus.

Unde ad præfata verba ex Capitularibus Caroli Magni, dico ipsis nil aliud significari, quàm quòd consulendi essent Episcopi utrum, sicut fieri solebat, solemni ritu celebrandum esset Deiparæ Virginis Assumptionis corporalis festum. Cùm enim illô tempore suborta fuisset de Assumpto in cœlum Virginis corpore quæstio, noluit in recensendis anni celebritatibus, quas in tota sua ditione observari præcipiebat, pro sua authoritate motam controversiam de Assumptione corporali B. Virginis, definire, statuendo celebrandum esse festum illius Assumptionis; sed cùm probè nosset istiusmodi causas ad Episcopale judicium pertinere, Episcopos hac de re consulendos atque interrogandos censuit: ait enim: *Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent. Natalis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistæ, Innocentium, Octava Domini, Epiphania, octava Epiphaniæ, Purificatio, sancta Pascha dies octo, Litania major, Ascensio Domini, Pentecoste, S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Martini, S. Andreæ: De Assumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus:* Hoc est, consulendi sunt Episcopi num quâdam populi inscitiâ, aut superstitione festum Assumptionis inductum, rejici debere existimarent? an verò sedatâ istâ controversiâ, & dissipatis istis dubitationum nubeculis censerent (ad quos fortè tunc temporis in Synodo, ut moris erat, congregatos, ista capitula ac sanctiones approbandas transmittebat) festum Assumptionis celebri ritu, ut fieri solebat, servari debere.

XI. Unde suborta fuerit in Gallia controversia de Assumptione B. Virginis.

Porrò hujus excitatæ controversiæ de Assumpto Virginis corpore ansam subministrasse videtur quidam Episcopus Gallus nomine *Arculphus*, qui pietatis ac devotionis causâ, cùm Palæstinam adiisset, ut sacra loca salutaret, nec Græcam, aut Latinam linguam callêret, usus est operâ ac interpretatione cujusdam Monachi, à quo plurima sibi imponi passus est.

Cùm autem Patriam repetens subortâ tempestate, navis quâ vehebatur ad Britannicum littus appulisset, se se recepit apud Presbyterum nomine Adomnanum virum utique de litteris benè meritum, qui nactâ occasione referente Arculphô totam illius peregrinationem & sacrorum locorum delineationem tribus libris, exaravit, ut testatur Beda lib. de locis sanctis, ubi hæc habet: *Hæc de locis sanctis*, inquit, *prout potui, fidem historicam secutus posui, maximè Arculphi dictatu, Galliarum Episcopi, quos eruditissimus in Scripturis Presbyter Adomnanus, lancinosò sermone describens, tribus libellis comprehendit. Siquidem memoratus Antistes, desideriò locorum sanctorum Patriam deserens, Terram promissionis adiit: aliquot mensibus Hierosolymis demoratus veteranô Monachô nomine Petrô duce pariter atque interprete usus est, cuncta in circuitu, quæ desideraverat vividâ intentione lustravit, nec-non Alexandriam, Damascum, Constantinopolim, Siliciamque percurrit. Sed cùm Patriam revisere vellet, navis quâ vehebatur, post multos anfractus ventô contrariò in nostram, id est Britannorum insulam portata est. Tandemque ipse, post nonnulla pericula, ad præfatum virum venerabilem Adomnanum veniens, iter pariter suum, & ea quæ viderat, explicando pulcherrima illum historia docuit esse Scriptorem, ex qua nos aliqua decerpentes veterumque libris comparantes, tibi legenda transmittimus.* Cùm autem Beda agens in eodem libro cap. 6. de sepulchro Virginis, similia proferat iis quæ narrantur in sermone Pseudo-Hieronymi, nempe nesciri à quo vel quomodo Virginis corpus fuerit ablatum, nec ubi resurrectionem expectet; constat id esse mutuatum ex falsa illa narratione Arculphi ab illo Monacho recepta. Quam utique eandem narrationem cùm ipse Arculphus repetitâ jam Galliâ cum aliis quæ audiverat & viderat recitaret, inde apud Gallos in disceptationem vocata est Assumptio corporalis Deiparæ Virginis, quæ utique finita est in Concilio Moguntino celebrato annô 813. & paucis mensibus ante obitum Caroli Magni, cui aderant plurimi Episcopi & Abbates Galliæ & Germaniæ, in eo namque Concilio decretum est celebrandum esse festum Assumptionis B. Virginis; ac subinde id quod inquirendum circa illud festum determinaverat Carolus, in eo Concilio statutum fuit ac definitum.

Repones secundò quòd etsi festivus dies in honorem B. Virginis ex hac mortali vita ad cœlum migrantis ab Ecclesia fuerit institutus & celebratus; inde tamen non est consequens Ecclesiæ sensum ac sententiam esse, Virginem Deiparam in corpore simul & animâ in cœlum esse receptam; alioqui pari ratione inferendum esset, omnes illos, quorum ad beatam æternitatem migrationem & natalitia celebrat, etiam animâ & corpore in cœlum esse evectos; quod quàm absurdum sit, nemo est qui non videat.

Verùm contrà, non potuit perspicaciùs ac distinctiùs suam de evecta in anima & corpore Deipara Virgine Ecclesia sententiam aperire, quàm celebrando diem festivum ipsius migrationis ex hac vita sub titulo *Assumptionis*; cur enim, precor, cùm Ecclesia de Sanctis loquitur, & eorum festivum diem agit, quorum animæ æternâ beatitudine fruuntur, corporibus interim in terra jacentibus & resurrectionem præstolantibus, eorum mortem appellat vel *natalem*, vel *dormitionem*, vel *transitum*, vel *passionem*? Dum verò de morte Virginis Deiparæ mentionem instituit

XII. Hoc ipsum probatur ex nomine *Assumptionis*.

præclarô ac peculiari *Assumptionis* nomine eam indigitat. Nulla certè alia causa proferri potest, quàm quòd Ecclesia cùm unicam Virginem cum corpore simul & anima in cœlum esse evectam semper agnoverit, eô voluerit uti nomine, quò speciale hoc donum ac privilegium designaret: assumi enim res illæ vulgò dicuntur, quæ cùm mole aliqua sive corpore constent, ab uno loco in alterum deportantur: Sic Matthæi 4. dicitur quòd diabolus Christum assumpsit, primò in sanctam civitatem, deinde in montem excelsum valde.

* Quod utique confirmatur ex triumphali Christi à terris in cœlum migratione, cujus festivus dies à Latinis dicitur quidem *Ascensio*, ut denotetur Christum propriâ virtute, non autem alienô subsidiô animâ & corpore cœlos penetrasse: at à Græcis dicitur *Assumptio*; quod quidem nomen mutuati sunt ex sacra Scriptura; nam Marci ultimô v. 19. legimus: *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.* Et Lucæ 9. *Factum est autem dum complerentur dies Assumptionis ejus.* Similiter Actor. 1. & 1. ad Timoth. 3. Christus dicitur *assumptus*. Quam utique loquendi formulam usurpavit Scriptura sacra, ut expressiùs significaret Christum, utpote verum hominem, verô esse indutum, non autem phantasticô corpore, & cum ipso simul & anima evectum esse in cœlum, divinâ quæ ipsi inerat virtute.

Quod etiã Christi D. triumphali in cœlum Ascensioni tribuitur.

Hinc S. Chrysostomus homil. 1. in Acta Apostolorum exponens hæc verba: *Præcipiens assumptus est*, ait; *Non dixit Ascendit: nam adhuc tanquam de homine loquitur.* Et homil. 2. explicans hæc verba: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, ait: *Non dictum est, quem vidistis assumptum, sed euntem in cœlum, nimirum ut intelligas hanc Assumptionem esse Ascensionem; carnis enim est assumi.*

Hæc omnia præclarè confirmat Joannes Belethus Theologus Parisiensis, in explicatione divinorum officiorum cap. 41. *Scire*, inquit, *oportet quòd Sanctorum transitus appellatur multis modis. Dicitur enim exitus, transitus, obitus, natale, Nativitas, natalitium dormitio, depositio: quemadmodum & Ioannis Evangelistæ Passio & Assumptio: sed hoc nomen quasi per autonomasiam solummodo de B. Maria dicitur.*

XIII. Discrimen inter vocabula Passio, depositio, dormitio, Assumptio.

Nolim tamen hæc omnia vocabula accipias quasi synonima, hoc est solô syllabarum sonô discrepantia, sensu autem & significatu eadem; quamvis enim ad eandem è vivis migrationem significandam usurpentur, nihilominus peculiaris significandi vis hæc eis inest, quòd *obitus* Martyris v. g. præcisè duntaxat innuat ipsius animæ à corpore solutionem: *Passio* verò non solùm à corpore separationem, sed illam vi tormentorum factam declarat: *depositio* autem sacra Martyris pignora, terræ quidem mandata, sed aliquando reddenda significat; *transitus* generatim ab hac mortali & temporali vita ad beatam & æternam migrationem denotat: *dormitio* verò Sanctorum instar somni, à quo aliquando evigilaturi sint, mortem repræsentat: *Assumptio* autem seu ad se sumptio, significat non solùm animæ, sed & corporis in cœlum evectionem, quam mors seu dormitio præcesserit.

Instabis. Assumptionis vocabulum plerumque usurpatur à SS. Patribus & Scriptoribus ac Oratoribus Ecclesiasticis ad significandum non quidem corporis, sed duntaxat animæ Sanctorum in cœlum migrationem: igitur quanquam hoc voca- A bulum Ecclesia usurpaverit ad denotandam beatæ Virginis fœlicitatem, inde non est consequens quòd eam in anima simul & corpore in cœlum receptam credat: Probatur antecedens ex S. Cypriano epist. 9. ad Martyres ubi referens verba S. Pauli epist. 2. ad Timoth. *Ego enim jam delibor.* Ea sic effert: *jam delibor, & tempus instat Assumptionis meæ.* Sic Gregorius Nazianzenus in oratione funebri pro Gorgonia sorore sua, hanc assumptam fuisse affirmat. S. Augustinus in libro de Pastoribus capite 11. *Iam assumptus est*, inquit, *Petrus in requiem Apostolorum & Martyrum.* Paulinus in epistola ad Amandum Episcopum: *Quem* (fratrem meum) *etiamsi temporaliter sciamus assumptum, in illo nobis citò consequendum, tamen eâ* B *verius causâ obiisse lugemus.* Maximus Taurinensis Episcopus in homil. 1. de S. Laurentio: *Ergo ut comperit ore Sacerdotis & Martyris se quoque omnimodis assumendum, congregatis inopum turbis, Ecclesiasticum censum religiosâ liberalitate divisit.* Remigius Rhemensis Episcopus in epistola consolatoria ad Clodoveum: *Angit me & satagit vestræ causa tristitia, quod gloriosa memoria germana vestra transiit Albofledis: sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis inspici debeat, quàm lugeri. Illius enim vita fuit, quòd assumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migravit ad cœlos.*

Bonifacius Moguntinus Episcopus in vita sancti C Livini Martyris, seu potius Livinos ipse in oratione quam sic habet: *Et maximè, Domine, qui diem Assumptionis meæ cum devota habuerint memoria, habeant totum annum mihi præsentiâ gratia tua securum.* S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi: *Annô ætatis 54. locô & tempore, quô prælegit & prædixit Malachias Episcopus & Legatus Sedis Apostolicæ, velut è nostris manibus assumptus ab Angelis, fœliciter obdormivit in Domino.* Similiter Ecclesia Senonensis in festo S. Augustini in Antiphona ad Magnificat ait: *Adest dies celebris, quô solutus nexu carnis S. Præsul Augustinus assumptus est cum Angelis.*

XIV. Quanquam Assumptionis nomen interdum pro sola Animæ in cœlum migratione accipiatur.

Respondeo his & similibus loquendi formolis non convelli, nec elevari publicam Ecclesiæ fidem de corporea Deiparæ Virginis in cœlum as- D sumptione; quanquam enim nonnulli Scriptores & Oratores Ecclesiastici *Assumptionis* vocem interdum usurpent ad significandam animarum sanctarum ex hac mortali vita in cœlum migrationem, nil inde detrimenti ac præjudicii quidpiam accidit Ecclesiæ judicio, quæ Assumptionis vocabulum constanter usurpat, & sub ea voce festivum diem celebrat in honorem illius corporeæ migrationis beatissimæ Virginis. Quis enim nescit Oratores & historicos Christianos voces non eô semper usurpare sensu, quô illas usurpat Ecclesia? Sic ipsis non est infrequens vocem *Ascensionis* ab Ecclesia consecratam ad designandum triumphale Christi in cœlum migrantis my- E sterium, tradocere ad indigitandam Sanctorum ex hac vita in cœlum transitum; eam nempe S. Bernardus loquendi rationem frequenter usurpat serm. 1. de Assumptione B. Virginis: *Virgo*, inquit, *gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia Civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis.* Et infrà: *Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima & dona perfecta descendunt: ascendens ergo in altum Virgo B. dabit ipsa quoque dona hominibus, &c.* Quis autem existimabit S. Bernardum vocem *Ascensionis* ibi usurpare in ea proprietate, quâ ex usu Ecclesiæ significat Chri-

sti D. propriâ virtute cœlos penetrantis mysterium ? Igitur ratione pari concludendum est, quòd etsi interdum Scriptores & Oratores Ecclesiastici *Assumptionis* voce sanctarum animarum ex hac vita migrationem explicent: inde non est consequens illos in ea propria significatione vocem illam usurpare, quâ usurpat Ecclesia, cùm triumphalem ac corpoream Deiparæ Virginis in cœlum receptionem, sub speciali Assumptionis titulo celebrat & sanctificat.

XV. *Proferuntur omnia momenta quibus B. Virginis mors potius dormitio quàm Assumptio appellatur.*

Respones tertiò. Cùm de morte B. Virginis agit Ecclesia, non solùm *assumptionis*, sed etiam *dormitionis* voce utitur: Itaque non aliud *assumptionis* vocabulô significare ei mens est, quàm B. Virginem reverà fuisse vitâ functam, & ejus animam, cæterorum Sanctorum instar, quorum mors frequentissimè etiam in Scriptura dicitur *dormitio*, ad æternam fœlicitatem evolasse; cùm interim sanctissimum illius corpus in tumulo quiesceret, ac velut obdormiret. Pater antecedentis veritas ex omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, maximè vero Græcorum Patrum loquendi formulâ; vix enim eorum unus est, qui cùm de Virginis Deiparæ morte sermonem instituit, illam, dormitionis vocabulô non designaverit, eô scilicet, quò mors fidelium non mors, sed dormitio & somnus appellatur.

Nimirum 1. Patres Græci.

Hinc omnes, quas SS. Patres conciones ad populum habuerunt, de Virginis Deiparæ morte & beatitudine, habemus in eorum scriptis hôc titulô consignatas: *Sermo* vel *oratio de dormitione Deiparæ.* Sic præ cæteris S. Damascenus, sanctus Andreas Hierosolymitanus Archiepiscopus Cretensis, S. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, &c. Hoc ipsum confirmant omnia prorsus acta seu monumenta Ecclesiæ vetera, nempe Martyrologia, Calendaria & officia Ecclesiastica: *Martyrologia* quidem, nam vetus Martyrologium Romanum à Cardinale Baronio desideratum, & tandem ab Heriberto Rosvveydo Ultrajectano societatis Jesu Theologo inventum & publicatum, ac Paulo V. Pontifici Maximo inscriptum, sic habet 18. *Kal. S. Mariæ dormitio.*

2. Martyrologium Romanum.

3. Calendarium Romanum.

Insuper *Calendarium Romanum* nongentis annis antiquius, & aureis characteribus exaratum, nec non à Joanne Frontone Canonico Regulari sancti Augustini, ex Monasterio S. Genovefæ Parisiensis editum annô 1652. 15. *die Augusti. Solemni de Pausatione sanctæ Mariæ.*

4. Martyrologium Usuardi.

Similiter *Usuardi* Martyrologium, quô Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur: jussu Caroli Magni conscriptum, operâ Joannis Molani, Lovanii sacræ Theologiæ Professoris editum. 18. *Kalend. Septembris. Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ.*

5. Martyrologium Adonis.

Idem habet Adonis Viennensis Archiepiscopi Martyrologium: igitur nomine *Assumptionis* nihil aliud quàm Deiparæ mors, & migratio è vivis designatur.

Respondeo negando antecedens cujus falsitas apparet ex unanimi ac constanti Ecclesiæ Romanæ, & SS. Patrum Latinorum sententia, quibus pervium fuit vocabulum *Assumptionis*; non verò *dormitionis*, quoties de Virginis Deiparæ in cœlum transitu sermonem instituunt; ut evidenter apparebit ex sequentibus paragraphis.

XVI. *Verùm Patres Græci explicantur.*

Consequentiam autem falsam esse non ibit inficias quisquis animô Catholicô SS. Patrum Græcorum sensum de migratione beatissimæ Virginis, quam *dormitionis* voce indigitant, penetraverit; nil enim aliud hôc vocabulô, quàm quod Assumptionis declaratur, significare intendunt: quod utique apertissimè constat, non solùm ex S. Joanne Damasceno, sed & aliis, qui de B. Virginis dormitione sermones aut orationes instituerunt; illi namque constanter affirmant ipsam cum corpore in cœlum esse assumptam. Hinc S. Damascenus non solùm, *dormitionis*, sed & *assumptionis* vocem usurpat ad eandem veritatem testandam.

Non abs te tamen Græci Patres potiùs dormitionis, quàm assumptionis vocem usurpârunt, ut proscriberent Collyridianorum errorem, veriùs dicam delirium, nec-non & Antidicomarianitarum commentum: quorum illi putabant Deiparam Virginem non similem nobis humanæ fuisse naturæ consortem, sed divinæ, sicque ut Deum fuisse penitus mortis expertem: quos refutat abundantiùs S. Epiphanius hæresi 79. Antidicomarianitæ verò quos similiter hæresi 78. impugnat, ut nefariæ voluptati eò audaciùs facerent satis, devotas aliquas Virgines domi secum habebant, abutentes in occasionem peccati, exemplô sanctissimæ Dei genitricis, quam Joanni à Christo commendatam, apud eum semper mansisse, & cum eo in Asiam profectam esse volebant; quod utique commentum impugnat Epiphanius, declarando B. Joannem cùm in Asiam profectionem instituerit, S. Virginem non secum adduxisse: sed illam Jerosolimis obdormîsse.

Qui diebus distinctis mortem & Assumptionem B. Virginis celebrabant.

His adde quòd fortè idcirco Græci Patres *Dormitionis, Quietis, Pausationis, Depositionis* nomina usurpaverint aliquando: nempe quia diversis diebus festum mortis & Assumptionis sanctæ Mariæ celebrare solebant. Quod manifestè colligitur ex probatissimis Codicibus Eusebii Martyrologii, de quo mox agemus. Nam ut in eo leguntur hæc verba. 15. *Cal. Februarii Depositio sanctæ ac gloriosæ B. Mariæ Matris Domini nostri Iesu Christi.* Ita & hæc alia. 18. *Kalend. Septembris Assumptio S. Mariæ matris Domini nostri*; quæ haud dubiè diversos dies assignatos celebrandæ morti & Assumptioni Virginis Matiæ non obscurè significant: igitur vocabulum *dormitionis* non aliter acceptum fuit à Græcis Patribus, quàm pro brevi somno, à quo pauló pòst Deipara Virgo evigilaverit.

XVII. *Martyrologium Romanum non est id cujus Ado meminit, ut putat Baronius.*

Ad confirmationem autem petitam ex prætenso *Martyrologio Romano*, respondeo hujus Martyrologii mentionem primò factam fuisse ab Adone Viennensi Archiepiscopo, qui vixit sub finem 9. sæculi, de quo sic Baronius tractatu de Martyrologio Romano, capite 8. Hoc ipsum simplex, absque alio additamento, *Romanum Martyrologium*, idemque per breve, in quo tantùm nomen, & Martyrum locus, & dies passionis positi haberentur, est illud ipsum, cujus meminit Ado, in sui Martyrologii præfatione, his verbis: "Huic operi ut dies Martyrum verissimè notarentur, qui confusi in Calendariis satis inveniuntur, adjuvit nos venerabile, & perantiquum Martyrologium, ab urbe, Aquileiam cuidam sancto Episcopo, à Pontifice Romano directum, & mihi postmodum à quodam Religioso Fratre aliquot diebus præstitum; quod ego diligenti curâ transcriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi. Hæc Ado. *Subdit Baronius.* Porrò in omnibus quæ viderim, Martyrologiis Adonis impressis, illud ipsum Romà acceptum desideratur. Egregiam certè ac viris eruditis dignam optatamque navasset operam Mosander, si ejusmodi illustre vetustatis monumentum, quod in suo manuscripto Adone haberi testatur,

» statut, unà cum ipso Martyrologio Adonis edi-
» disset.

Verùm Martyrologium istud, de quo meminit Ado, neutiquam *Romanum Martyrologium* censeri, & in eo graviter lapsum ac deceptum Adonem, per Monachum, qui Martyrologium istud ipsi tradiderat, affirmando illud esse Romanum, plurima eaque gravissima momenta persuadent. *Primum* quidem, quia qui de Martyrologiorum authoribus scripserunt, eorum Antesignanum referunt Eusebium Cæsariensem, qui primus omnium in conscribendo Martyrologio operam navasse, nullâ factâ mentione Romani Martyrologii, asseritur: ita Valfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 28. Beda in tetractationibus in Acta cap. 1. hoc idem Recentiores affirmant, maximè Molanus in dissertatione Martyrologio Usuardi præfixa. *Secundò*, Usuardus ipse, omnium Martyrologiorum indicem texens, nullatenus de Martyrologio Romano meminit, de quo tamen propter Ecclesiæ Romanæ authoritatem non siluisset, si reverà Martyrologium aliquod Romanum extitisset. *Tertiò*, qui Martyrologium aliquod peculiare veteris Ecclesiæ Romanæ contendunt, nituntur maximè authoritate S. Gregorii Magni, qui in epistola ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, sic habet: *Nos quippe omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus: Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus, indicatur; sed tantummodo locus passionis ponitur. Vnde fit, ut multi ex diversis terris, atque provinciis per dies singulos cognoscantur Martyriò coronati; sed hæc habere vos credimus.* At præterquam quòd S. Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro, voce usitatâ *Assumptionis* usus est, quod utique non fecisset, si tunc temporis aliter Ecclesia Romana in suo Martyrologio esset locuta, vocemque Dormitionis frequentare consuevisset;

Omnem certè, quæ ex illis verbis suboriri posset, difficultatem, ita explicat Valesius, ut ipsius verba hîc exscribere non pigeat. Sic igitur ait. *Ex quibus verbis loqui S. Gregorium liquet, non de particulari Ecclesia Romana, vel de aliquo Martyrologio Romano, quod ne nominat quidem; sed de Martyrologio, quod toti Latinæ Ecclesiæ commune tunc esset: istud autem fuisse Martyrologium, quod divi Ieronymi nomine inscriptum est, ex eo liquet, quòd illud ipsum in Italia atque Occidentis partibus in usu fuisse, docet Cassiodorus lib. de divinis lectionibus cap. 23.* Ita Valesius, cujus conjectura eò fit verisimilior, quòd S. Gregorius non ad aliquem Episcopum Ecclesiæ Latinæ, sed ad Patriarcham Ecclesiæ Alexandrinæ epistolam hanc scripserit; sicque signanter hæc inseruerit verba, *Nos omnium Martyrum nomina habemus*, nempe in omnibus Occidentis Ecclesiis: *sed hæc habere vos credimus, in Ecclesia videlicet Orientali:* quippe cùm Eusebii hominis Græci Martyrologium Græcè conscriptum apud Orientales debebat esse non minùs familiare, quàm latinitate per S. Hieronymum donatum, tritum erat apud Occidentales Ecclesias. *Adde quòd* S. Gregorius testatur singulis diebus plures sanctos in Martyrologio, cujus mentionem facit, esse ascriptos, ait enim: *Vt multi ex diversis terris atque provinciis per singulos dies cognoscantur Martyriò coronati:* At hæc Martyrologio à Rosvveydo in lucem edito quadrare non possunt; siquidem singulis diebus unius Sancti duntaxat nomen in eo Martyrologio inscribitur: igitur Martyrologium istud Rosvveydi non istud est, cujus meminit S. Gregorius.

XVIII. Neque *Calendarium* à Frontona editum, reverà censeri potest *Romanum*.

Simili ratione dico Calendarium à Joanne Frontone editum, nullatenus censeri posse Romanum; quod utique plurima demonstrant. *Primò* quidem quòd multorum Sanctorum nec nomina, nec festivitatem referat; quos tamen Romana semper Ecclesia coluit; nam in eo nec SS. Matthæi & Lucæ, nec S. Thomæ Apostoli nomina ac festivi dies inseribuntur: Quis autem existimabit Ecclesiam Romanam Apostolorum atque Evangelistarum solemnitates non egisse, cùm interim magnâ celebritate ageret festum Sanctorum Apri, Chrisanti, Eupli, Feliculi, & Feliculæ, & aliorum complurium, qui in Calendario isto referuntur?

Secundò S. Gregorius mox laudatus, affirmat in Ecclesia Romana diebus singulis plurium Sanctorum memoriam celebrari, in quorum honorem Missarum solemnia peragerentur: at in isto opusculo maxima dierum pars absque ullius Martyris aut Sancti nomine incelebris & innotata apparet.

Tertiò denique, ipsemet Joannes Fronto opusculum supposititiò Calendarii Romani nomine editum, satis apertè significat in præfatione ad Lectorem, cùm ait: *Porrò vocavi* CALENDARIUM *hoc opusculum, cùm tamen dies per Kal. non recenseat; quia tamen non erat vocabulum mihi commodum eò sum usus.* His adde quòd etsi reverà opusculum istud pro Romano Calendario haberetur; tamen nostræ sententiæ nil quidquam præjudicii ex ejus testimonio accederet: siquidem illud vocabulum *Pausatio* non obscurè Mysterium assumptæ Virginis in cœlum significat; *Pausarius* enim Latinè dicitur qui pausam voce designat: Sic qui symphoniæ præest ac signo pausas indicit, quo musicus Concentus ad artis regulas citatiori, vel tardiori modolatione edatur, Pausarius potest appellari: Unde pausatio, in præsenti materia, non incongruè designatet exigui temporis moram, quâ inter amissam receptamque vitam, Beatissima Virgo in sepulchro jacuerit, ac veluti pausam quamdam fecerit: adeo ut cæteri Sancti in Domino dormire, ipsa verò (ut Beda loquitur) tantùm in sepulchro pausasse dicatur.

Quantùm autem attinet ad Martyrologia Usuardi & Adonis non satis probandam esse eorum authoritatem manifestabitur infrà.

§. II.

Probatur secundò B. Virginem corpore & animâ in cœlum subvectam ex Ecclesiastica Traditione.

TRaditionem *Ecclesiasticam* appello, quæ licèt ab Apostolis dimanârit; non est tamen eis divinitùs immediatè revelata: duplicis enim generis traditionum distinguunt Theologi, quarum aliæ *divinæ* sunt, quæ immediatè revelatæ sunt Apostolis, inspirante Spiritu sanctô, quæ subinde fidei divinæ certitudinem obtinent, putà puerorum baptismus, qui licèt expressè in Scripturâ non tradatur, eum tamen qui negaverit, reverà in hæresis notam incurret. Aliæ verò dicuntur *Ecclesiasticæ*, & Apostolicæ simul, quæ ab Apostolis quidem dimanârunt; verùm ab eis processerunt tanquam Episcopis, seu Rectoribus Ecclesiarum, quibus incumbebat plurima statuere

in Ecclesia regimen, ac fidem Christianorum illustrandam & confirmandam, quæ à Christo immediatè, vel dictata, vel inspirata non acceperunt. Apostoli namque, ut narrat Tertullianus lib. de corona Militis cap. 3. plurima statuerunt authoritate propriâ in commune Ecclesiæ bonum ac regimen, quæ Christus D. non expressè eis dictaverat: *Aquam adituri*, inquit: ibidem, *sed & aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompa, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque eâ die, lavacro quotidianô per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistia sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis, annua die facimus. Die Dominicô jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate die Pascha in Pentecostem usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculô terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides asservatrix.*

Ut optimè tradit & probat Tertullianus.

Hujus generis traditionis est ista, quam Ecclesia ut ab Apostolis acceptam fidelibus populis ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio, ad nos usque felici successu derivavit, nempe B. Virginem in corpore simul & animâ in cœlum esse receptam. Quam utique traditionem præclarè sic delineat, & a majoribus traditam expendit S. Damascenus Orat. 2. de dormitione B. Virginis, ubi cùm narrasset qualiter Deipara Virgo diem extremam clauserit, & ab Apostolis fuerit tumulata, ac triduô post in cœlum evecta, sic ait: Videtis ergo Charissimi Patres ac Fratres, quibus verbis celeberrimum illud sepulchrum ad nos utatur? Quòd autem hæc ita habeant, liquet ex Euthymiaca historia, in qua lib. 3. cap. 40. ita disertè scriptum est. Superiùs commemoratum est, quemadmodum sancta Pulcheria Christo in urbe Constantinopolitana plures construxit Ecclesias. Harum autem una est ea, quæ in Blachernis ædificata est, primis annis Imperii Marciani divæ Memoriæ.

Traditione Ecclesiastica constat B. Virginem esse in anima & corpore assumptam.

XX. Cùm igitur celeberrimæ ac sanctissimæ Dei genitrici, perpetuæque Virgini Mariæ venerandam ædem illic exstruxissent, atque omnibus ornamentis illustrassent, sanctissimum, quodque Deum suscepisset, corpus conquirebant: accitoque Juvenali Hierosolymorum Archiepiscopo, ac Palestinæ Episcopis, qui tum ob Concilium Chalcedone coactum in Imperiali urbe versabantur, his alloquitur. Hierosolymis principem, & eximiam Dei genitricis ac perpetuæ Virginis Mariæ Ecclesiam esse audivimus, in eo loco, qui Gethsemane vocatur, ubi corpus ipsius, quod vitam tulit, in loculo conditum est. Placet itaque illinc reliquias huc afferri, ut imperatrici huic urbi præsidiô sint.

Ut refert S. Damascenus ex Juvenali Hierosolymitano Præsule.

Excipiens autem hunc sermonem Juvenalis in hæc verba respondit: Etsi quæ in sanctæ Dei Genitricis Mariæ morte contigerunt, sacræ divinitùs inspiratæ Scripturæ monumentis minimè prodita sunt: tamen ex prisca, ac vetustissima traditione hoc accepimus, quòd gloriosi ipsius obitûs tempore, sancti omnes Apostoli, qui Gentium salutis causâ terrarum orbem peragrabant, temporis momentô per altum abrepti in Hierusalem convenerunt. Ibique cùm essent, Angelica ipsis visio contigit, divinusque præstantiorum virtutum cantus auditus est: sicque cum divina ac cœlesti gloria in manûs Dei animam sanctam commendavit: Ejus autem corpus, quod Deum susceperat, cum Angelico & Apostolico cantu funere elatum apud Gethsemane, in loculo conditum est: Quo quidem in loco Angeli totos tres dies choros agere, atque canere non destiterunt. Cùm autem ipsi exactis tribus diebus canendi finem fecissent, Apostoli qui aderant, propterea quòd unus ex ipsis, Thomas nimirum, qui funeri non interfuerat, adorare cupiebat, tumulum aperuerunt. At sacratissimum quidem illius corpus haud quaquam invenire potuerunt: cùm autem jacentia tantùm ipsius lintea reperissent, atque ex iis inenarrabili quâdam suavitate perfusi fuissent, loculum clauserunt. Atque Mysterii illius admiratione perculsi, hoc solùm secum reputare poterant, quòd Deus Verbum ac gloriæ Dominus, qui in persona propria carnem ex ea induere, ac fieri homo voluerat, idem etiam post discessum è vita immaculatum ac omnis spurcitiei expers ejus corpus, incorruptibilitate, ac translatione ante communem & generalem resurrectionem honestare voluisset.

Qui narrat quomodo B. Virgo obierit, & resurrexerit.

XXI. Aderant porrò tum unà cum Apostolis sanctissimus Apostolus, ac primus Ephesiorum Episcopus Timotheus, & Dionysius Areopagita, quemadmodum ipsemet Magnus Dionysius de beato Hierotheo, qui ipse tunc aderat, libris quos ad prædictum Apostolum Timotheum elaboravit, in hæc verba testatur. Quandoquidem etiam apud ipsos divino nomine afflatos sacros nostros Antistites, quô tempore nos quoque, ut noti, ac plerique è sacris nostris fratribus, ad corpus illud, quod vitam inchoaverat, ac Deum susceperat, intuendum convenimus (Aderat autem etiam frater Dei Jacobus, & Petrus, summus ac præstantissimus Apostolorum vertex) ubi post spectaculum placuit, ut sacri omnes Antistites pro suis quisque viribus, infinitæ virtutis divinæ imbecillitatis bonitatem laudibus efferrent, Theologis exceptis, sacros omnes alios Præcones, ut te non fugit, superabat, totus videlicet excedens, totus extra se raptus, atque ita esse videtetur: & ab omnibus qui ipsum audiebant ac cernebant, & agnoscebant, numine divinô correptus, ac divinus planè laudator censeretur. Quid autem de iis, quæ divinè illic dicta sunt, sermonem ad te habere opus est? quippe cùm, nisi me quoque mei ipsius oblivio cepit, nonnullas etiam divinorum illorum canticorum partes persæpe abs te audivisse me noverim. Quæ cùm Imperatores audiissent, ab Archiepiscopo Juvenali contenderunt, ut sanctus ille loculus unà cum gloriosæ ac sanctissimæ Dei Genitricis, quæ in eo posita erant, ad se tutò mitteretur. Quod cùm contigisset eum in veneranda æde sanctæ Dei Matris quæ in Blachernis extructa erat, condiderunt. Atque hæc ad hunc modum se habuerunt. Hæc S. Damascenus.

Idem S. Dionysius.

Confirmatur autem hæc narratio & Ecclesiastica traditio, non solùm laudatô testimoniô S. Dionysii & Juvenalis, sed etiam S. Sabbæ Hie-

Et S. Sabbas.

rosolymitani, ac in Laura celeberrimo tum Monasterio Monachi & Abbatis Juvenali æqualis qoi in *Menæis*, (de quibus dicemus sequenti §.) qoorum ipse vel author vel restaurator fuit, sicut *typici*, seu *ritualis* Hierosolymitani, apertè patrocinatur huic narrationi; nam ex Men. 55. Augusti sermonem faciens de Dormitione & Assumptione Virginis, *Ad rationem decori pertinebat*, inquit, *ut qui Ministri ac Spectatores Verbi divini fuissent, etiam Matris, è qua illud incarnatum erat, obdormitionem præsentes inspicerent, vel ut ultimum quod ipsi peragendum erat Mysterium; quò scilicet non modò Servatorem de terra in cœlum ascendentem, coram spectarent; verum etiam de Genitrice illius, ad* B *superos translata oculati testes existerent. Quapropter omnibus è locis in quâdam divinâ per tot terrarum spatia transportati, convenerunt in Sion, & deduxerunt quodam modò Virginem ad cœlum ingrediendum properantem.* Falsum est igitur quòd aliqui obtrudunt, oollos Scriptores esse Juvenali æquales, & Damascenô superiores, qui eandem Hierosolyoitanæ Ecclesiæ traditiooem de assumpto corpore Virginis apertè commemoraverint.

Et Gregorius Turonensis.

Subscribit Gregorius Turonensis qui 6. sæculô vixit, nam librô 1. *de Miraculis* in oarranda morte Virginis, eadem penè quæ Juvenalis refert: *Impleto*, inquit, *à B. Maria hujus vitæ cursu, cùm jam vocaretur à sæculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Cùmque audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul: & ecce Dominus Iesus advenit cum Angelis suis & accipiens animam ejus tradidit Michaëli Angelo & recessit: diluculò autem* C *levârunt Apostoli cum lectulo corpus ejus, posueruntque illud in monumento, & custodiebant ipsum adventum Domini præstolantes: & ecce iterum adstitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nubem deferri jussit in Paradisum, ubi nunc resumptâ animâ cum Electis ejus exultans, æternitatis bonis nullò occasuris fine perfruitur. Universi etiam Græci apertè docent funeri B. Virginis interfuisse Apostolos, &c.*

Ut optimè declarat Notkerus.

Hanc Gregorii narrationem sic confirmat *Not-* D *kerus* in Martyrologio ad 18. Kalendas Septembris ubi cùm præmisisset: *Quid venerabilis Pater Gregorius Turonicus Episcopus in libro miraculorum de eadem Assumptione sentiat, libet ad utilitatem Gentium commemorando proferre.* Nondum his quisquam confictam Gregorii narrationem dixerit, quam se ad utilitatem Gentium referre testatur Notkerus. Quibus ita ab illo prætermissis, verbis ipsa Gregorii integra exscribit, tandemque hæc subjungit. *Quod si quem movet quomodo idem Gregorius in occasu Solis positus, ea quæ in Oriente gesta sunt compererat, ex aliis ejus scriptis agnoscat, quia de toto orbe ad sanctum Martinum, sicut ad Philosophos concurrebatur, & de occidui* E *mundi partibus loca sancta in Iudæa frequentabantur, quod etiam ad hæc Normanorum tempora jugiter actitari solebat. Sed ne idem Catholicus & venerabilis Pater contra Apostolum sensisse videatur, ubi ait: Christus resurrexit usque in adventum ejus: sciendum, quia vel hæc specialis Assumptio corporis veneranda Dei Genitricis Mariæ, vel eorum qui cum Domino surrexisse leguntur, Apostolicam authoritatem adjuvat potius, quam impugnat, quoniam & corpus illius de qua Deus incorporari voluit, citius in cœlum sublevari decuit, & illos veræ Resurrectionis & Ascensionis nostræ testes præisse procul-dubio constat.* Ex quibus apparet falsissimum à quibusdam scribi, Gregorii narrationem à Notkero

A emendatam ac reprehensam fuisse.

S. Andreas Cretensis.

Adstipulatur etiam *S. Andreas Cretensis* Archiepiscopus qni vixit sæculô V. ut referunt Genebrardus & Gualterius in Chron. licèt alii eum faciant anteriorem. Hic inquam in prima Oratione, quam io laudem assumptæ Virginis edidit: ubi narravit B. Virginem reverà mortuam fuisse, ejusque mortem in modum somni extatici, ac soporis Adamici contigisse, demum ab Apostolis fuisse tumulatum refert, probatque verbis suprà laudatis S. Dionysii; postque concludit: *Ostendit igitur verbis illis divinus, quibus loquitur, totum ferè Apostolorum sacrum Senatum ad venerabile illud magnumque Dei-parentis spectaculum coactum esse, ac* B *qui totô orbe dispersi erant, discipulos unà tunc convenisse; è quorum ipse etiam numerô fuerit, unà cum religiosissimis, sapientissimisque Timotheo ac Hierotheo, &c.*

Triumphalem autem corporis Deiparæ Virginis resurrectionem & in cœlum receptionem, sic eleganter expendit *Oratione* 2. ubi ait: Erat itaque novum reipsà spectaculum, animique rationibus inaccessum; Mulierem cœlorum naturam munditie supergressam, cœlestium adytorum sancta corpore peoetrare; Virginem, divini partûs miraculô ipsa Seraphim superantem, primæ illi naturæ, Deo universorum Creatori, propiùs accedere; Matrem, vitæ ipsius partu claram, Proli consimilem vitæ exitum nactam, Deoque ac fide digonm miraculum. Quemadmodum enim parientis incorruptus uterus, ita nec morientis disperdita caro. O res mira! partus incorruptio- C nis expers, nec sepulchrum corruptionem admisit. Nec enim illa Sanctos attigerit: Vultis rei probationem dicam? At quæso, nemo auditorum irrideat. Quomodò vacuum monumentum? Quæram enim abunde. Quomodò defunctæ corpus obscurum? Quomodò desunt loculi sepulchralia, nisi tumulo depositum cadaver corruptionem effugit? nisi translatus thesaurus est? Sin autem se hoc ita habet, quî non vera translatio, quando etiam alia extitêre; animæ scilicet à cor- D pore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disjunctio, resolutio, conjunctio, compactio, atque in obscurum secessio; hactenus namque vacuum sepulchrum manet, tum ipsum testimonium habens; tum testis eam translatam esse.

Nec obstat, quòd subdit: *Haud mihi exploratum, an partibus in unam compositionis concretionem de uno coëuntibus, sic fortasse rerum authorem arcanô propensioris suæ voluntatis consilio Matrem honorare volente: aut certè alterâ alteri eminente, atque ita ut à mutuo illa disjunctione altera mundo superiorem, altera confinem nacta sit sedem; sive denique nova aliqua ac diversa ordinis ratio in ea* E *extitit, ut essent in ea cuncta reipsâ nova, eximiam convenienter rationem recipientia, seu rationem omnem ac scientiam excedentia.* Hæc inquam non obsunt, quippe facilè conciliari possunt cum præcedentibus, si dixerimus Andream Cretensem voluisse Deiparæ Virginis corpus, paulò post ipsius mortem in cœlestem aliquem locum translatum fuisse, ibique depositum, donec juxta Dei ordioationem paulò post, animæ rursus unitum fuerit. Quæ utique videtur etiam mens Leonis Imperatoris in Oratione de Dormitione Virginis, qui hanc ab Andrea Cretensi sententiam mutuatus est, cùm ait: *Animam Virginis in cœlum receptam fuisse, corpus verò fuisse repositum.* Nec ab ea sententia recessisse videtur Petrus Abailardus

in sermone onico de Assumptione ubi ait: *Triduo Dominicum corpus in sepulchro jacuit, & à die resurrectionis 40. diebus Ascensionem suam distulit, quam quidem dilationem, nequaquam ut dictum est, in Matre pertulit: Denique & sacrum corpus clam prius in Paradisum sustulit, quàm ressuscitavit, quô mirabilior exanimis corporis Assumptio fieret ac resurrectio, nullatenus jam ipsum suscitavit terrenô contactu judicans dignum.*

XXIV. Idem testatur S. Cosmas Hierosolymitanus.

Aliud etiam nobis adest ejusdem narrationis & traditionis testis non ignobilis, *S. Cosmas* patriâ Hierosolymitanus quem Joannes ejusdem urbis Patriarcha in vita S. Damasceni au Damasceno extimulatorem ad labores fuisse, ac in litteris & religiosa educatione & exercitatione socium, necnon Majumæ Episcopum. Hic autem, ut refert Guido Sandionysiacus Abbas in Sanctilogio ad 18. Kalend. Septembris quod manuscriptum extat in Biblioth. Victoriana, scribit. *Dixitque Dominus Petro: Corpus Matris meæ cum reverentia sepelite, & tribus diebus illud cum diligentia custodite. Ego quippe tunc veniam, & illud ad incorruptionem transferam, & simili mecum claritate induam, ut id quod acceptum est, & quod accepit, pariter conveniant & concordent. Refert quoque & Cosmas terribile & mirabile mysterium, quod non indiget naturali discussione, nec curiosâ investigatione, cùm omnia de Dei Genitrice dicuntur, sunt supernaturalia, admiranda & tremenda potiùs, quàm investiganda. Egressâ, ut ait, de corpore ejus animâ, hæc verba protulit corpus: Gatias tibi ago, Domine, quòd tuâ sum dignum gloriâ, memento mei, quoniam tuum sum figmentum, & tuum servavi depositum. Expergefacti igitur cæteri videntes corpus Virginis exanime, contristari plurimum ac gemere cœperunt. Tollentes igitur sanctum corpus ad monumentum ferebant, incipiente Petro Psalmum, In exitu Israël de Ægypto. Chori quoque Angelorum Virginem laudant, ita quòd Ierusalem ad tantam gloriam concussa. Tunc summi Sacerdotes cum gladiis & fustibus multitudinem mittunt. Vnus autem impetu furens ad grabatum accessit, cupiens ad terram trahere corpus Genitricis Mariæ; qui quia indignè trahere nititur, ejus tactu meritò privatur: utraque namque manus à cubitis avulsa abscinditur, illis ad grabatum pendentibus, dolore horribili cruciatur. Implorat autem veniam & promittit emendam. Cui Petrus: Nullatenus veniam consequi poteris, nisi corpus perpetuæ Virginis osculeris, & Christum ex ea propagatum Dei Filium esse confitearis. Quod cùm fecisset, manus unde avulsa fuerant, cubitis sunt adjuncta.*

XXV. Expenduntur ea quæ in narratione obitûs ac sepulturæ B. Virginis minùs cohærere videntur.

Quæ si vera sint, ut refert Guido, non levi testimoniô præfatam Ecclesiasticam traditionem confirmant: sic tamen hæc à Guidone renuntiata, velim accipias, ut quæ de gratiis Deo à Virginis corpore exhibitis, ooo ipsum corpus, sed ad Virginis animam referenda judices; ita quòd sit sensus animam Virginis jam à corpore solutam in gratiarum actionem pro suo corpore erupisse: io qoo sanè nil prorsus absurdi nec ludicri observari licet, ut nonnulli prætendunt.

Nec etiam movere debent quæ addit de præcisa illius manu, qui corpus B. Virginis à feretro disturbare ac dejicere tentatus fuerat. Similia namque narrat S. Germanus Constantinopolitanus Oratione supra laudatâ, ubi ait: Fugax porrò quis tum etiam ex incredulis Hebræis, vanusque (sunt enim illi vanitas vanitatum, ut qui semper scandalô sunt, nec contentiosiùs commentari, ac ougas dare unquam desinant) extentâ sceleratâ manu suâ (io eorum enim manibus, inqoit, semper iniquitas) lectuli ferculum quatit, intemeratæ corpus incessere ausus, nec Altissimi carneum solium conterere veritus, ac alidere: Isque adeo confestim manuum excisiooe mulctatur, exemplum ac tremor Judæis in Christom semper procacibus, factus. Jam tumulo prope inferendum sanctum cadaver erat. Haud verò ausi Apostoli (qoâ reverentiâ, religiosiorique metu tenebantur) Virginis corpus attingere. Ac quidem discipuli, quo præcellenti honore habebant, quòdque castissimæ corpus Dei vas esse non ignotabant, omni dignam laude formidinem, ne illius sibi contactum indulgerent, præferebant. Qui autem ex plebe fideles erant, etiam feralium aliquid, quô sibi sanctificatiooem conciliarent diripere connitebantur; nemo tamen in eam misit manus; cùm severiori exemplô puniti Hebræï, vel maximè petulantiam ob oculos haberent. Hæc sanctus Andreas. Ex his igitur apparet quàm hallucinentur nonnulli Recentiores cum narrationem illam ac traditiooem à SS. Juvenali & Damasceno memoratam, inter aniles fabulas, & ludicra computandam volunt, eamque pro viribus impugnant.

Reponunt enim *primò* illam ipsam narrationem de B. Virginis Dormitione & collectis ad ejus funus Apostolis pro apocryphis à Baronio deputari, qui itidem, inquiunt, ridet hac de re testimonium S. Dionysii.

XXVI. Quæ tamen Baronius non improbat.

Verùm hæc responsio omni suâ parte cadit, Baronius enim ad *annum* 48. *num.* 14. refert equidem aliquas hujus oarrationis circunstantias ex apocrypho libello de transitu & Assumptione Virginis sub ementito oomine Melitonis Sardensis Episcopi evulgato, & oon solùm à Beda in retract. in Act. cap. 8. refutato; sed etiam authoritate Concilii Romani, cui Gelasius Papa præfuit, inter apocrypha annumerato: at Baronius non improbat ea, quæ Damascenus & Juvenalis referunt de resurrectione & Assumptione Virginis. Ait enim Baronius: Quæ autem ab ipso (Nicephoro lib. 2. cap. 21. & lib. 15. cap. 14.) & olim, ut ipse refert à Juvenali Episcopo Jerosolymorum traduntur de Apostolis eôdem momentô collectis è diversis Orbis regionibus Jerosolymam ad obitum ejus per aëra in sublime delatis, eodem Melitonis apocrypho contineri certissimum est; Quod etiam Beda cognovit: rursus etiam quæ habentur de miraculo facto in Judæum, qui feretrum quô illa ad sepulturam ferebatur, est conatus evertere, in eodem item apocrypho leguntur. Sed hæc cùm dicimus, non sic impugnamus, quasi minimè veraesse potuerint, quandoquidem non sit impossibile apud Deum omoe verbum: sicut nec ob eam causam quòd ibidem feratur eadem resurrexisse, & unà cùm corpore esse assumpta in cœlum, id negamus, vel in dubium revocamus accidisse, quæ præsertim Juvenalis Jerosolymorum Episcopus non ex scripto aliquo commentario, sed potiùs ex antiqua & veneranda Majorum traditiooe se accepisse testatus sit. Quibus verbis apertè constat Barooium Historiam illam & oarrationem non improbare, sed referre duntaxat nonnullas hujus narrationis circunstantias etiam haberi in apocrypho libello evulgato sub nomine Melitonis.

XXVII. Sicut nec testimonium S. Dionysii

Idem dicendum de testimooio S. Dionysii quô subnixa est hæc historia: nec enim, ut comminiscuntur quidam de authore librorum istorum dobitavit Baronius, aut scripta illa reverà Dionysii

esse negavit, sed duntaxat asserit non posse eorum sententiam stare, qui sentiunt B. Virginem obiisse ante annum Christi 59. alioquin Dionysius à Paulo conversus annô Domini 52. non venisset Jerosolymam cum Apostolis, nec funeri Deiparæ Virginis interfuisset. Scribit enim Baronius: „ Si igitur aliquo antedictorum annô Dei genitricem esse defunctam dixerimus, nequaquam potuit Dionysius ejus funeri interfuisse: ipse enim nedum hôc annô, vel sequenti, sed nec ad 52. annum Domini (ut ex his quæ diximus, & quæ suô locô dictori sumus, habitâ exactâ temporum tatione, constabit) cùm Paulus Athenas venit, est conversus ad fidem: Imò ex Luca, qui mirâ diligentiâ ex eo tempore cuncta loca, ad quæ Paulus accessit, & tempora quibus in eis permansit, usque ad ejus Jerosolymam adventum relegit, liquidò apparet ipsum non ante annum Domini 57. Jerosolymam venire potuisse, cui ætati si 14. vel 15. addas annos, quibus (ut dictum est) sanctissima Virgo vixit, cùm peperit Salvatorem: manifestè colliges ipsam eô annô, quô Paulus novissimè Jerosolymam venit, egisse ætatis annum 72. quô ipsam ex hac vita migrasse Epiphanius Presbyter, & Cedrenos, quos retulimus, affirmârunt: quibus si consenserimus, eisdem æquè aptari possunt quæ scribit Dionysius, ut de sacrosancto Dei genitricis corpore voluerit intellexisse, quô quidem sensu accepisse noscuntur verba illa Græci omnes. Hæc *Baronius*, quibus momentis constat eum præfatam narrationem non impugnare, nec assumptæ Virginis veritatem in dubium revocare; quanquam nonnullas illius narrationis particulas, respuat quas proscriptus liber de transitu Virginis memorat.

Reponunt secundò narrationem istam nutare in plurimis: *Primò*, namque si hæc omnia, ut referuntur, contigissent, haud dubiè S. Lucas in Apostolorum Acta eorum aliquid retulisset: at nihil illorum memorat: igitur minùs esse vera judicanda sunt. *Secundò*, Plurima in hac narratione referuntur, quæ ex proscripto & apocrypho libro de transitu Virginis irrepserunt, quæque idcirco venerabilis Beda respuit & impognat: igitur nullam fidem merentur. *Tertiò*. Non constat B. Virginem Jerosolymis fuisse vitâ functam & sepultam; imò probabile est illam cum Joanne Evangelista Ephesum profectam, ibi pariter diem clausisse ultimam, ac fuisse tumulatam: nam Ephesina Synodus ad Clerum Populumque Constantinopolitanum ita scribit: *Quare & Nestorius cùm in Ephesiorum civitatem pervenisset, in qua Ioannes Theologus, & Virgo Deipara sancta Maria, à SS. Patrum & Episcoporum cætu, ultrò seipsum abalienans.... condemnatus est.* Nam verba hæc *(in qua)* significant, ut Joannem, ita & Deiparam Ephesi obdormivisse, quod etiam confirmat Modestus Hierosolymorum Episcopus in homilia de unguentiferis Virginibus: *Quartò*, Minùs vera apparent ea, quæ narrantur de Pulcheria, & Marciano, quippe cùm nullus historiæ Græcæ Scriptorum illa commemoret, sicut nec ullus meminit historiæ Euthimiacæ, ex qua duntaxat hanc narrationem deprompsit S. Damascenus: *Quintò* non constat secundam illam orationem de Assumptione, ubi legitur hæc narratio, & Euthimiaca laudatur historia, esse genuinum S. Damasceni fœtum, quippe cùm Billius, qui has Damasceni orationes Latinas fecit & edidit, huic textum authoris Græcum versioni Latinæ non adjunxerit; quod tamen in aliis orationibus

Opponuntur varia momenta.

ab eo factum fuerat. *His adde* quòd Damascenus non videatur accuratus Scriptor, sed plerumque incerta pro veris scribat, ut constat de illa narratione quâ refert Trajani animam Gregorii Magni precibus liberatam fuisse ab inferis: igitur his omnibus momentis apparet præfatam narrationem de Assumptione Virginis nullam apud cordatos fidem promereri.

XXVIII. Quare S. Lucas eorum non meminerit.

Verùm nego antecedens simul & consequentiam, & ad *primam dubitandi rationem* dico occultô Dei judiciô, & ex speciali divinæ providentiæ ordinatione contigisse, omnia, quæ, ad vitam sacratissimæ Virginis, post Christi in cœlum ascensum, in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, proximoque secutis sæculis obscuriora ac silentiô veluti sepulta remansisse: quod utique pridem notavit S. Andreas Cretensis oratione prima de dormitione Virginis, ubi ita scribit: *Non desint verò*, inquit, *ex his meritò qui discendi studiosiores sint, quique dubitent ac quærant, quid causa sit cur Theologorum* (id est Apostolorum ac Evangelistarum) *neminem sciamus, inspectantia ad intemeratum, ac quàm venerabilem sancta Dei genitricis transitum scripserit, ullamve hôc argumentô commentationem reliquerit, uti sanè ij divina composuere Evangeliorum volumina, ac Theologicas Expositiones nobis tradidere.* Cujus utique silentu hanc rationem profert: *Porrò dicimus id in causa esse, quòd diu post longisque retro temporibus Deo afflata dormitio illa contigerit: Aiunt enim illam cùm ad extremam venisset senectutem ab humanis migrasse. Vel quia nec dum ea tempora harum rerum explicationem permitterent, ubi primùm consc ibi Evangelium cœpit, quò disseminaretur dispensationis sermo, hac confestim exponendo assumere.* Futuri namque erant Hæretici, qui B. Virginem non humanæ naturæ, sed divinæ fuisse participem, erant asserturi; unde si quæ contigerunt circa ejus triumphalem Assumptionem, narrasset Apostolorum aut Evangelistarum aliquis, inde fortassis illi hæretici suo errori causam prætexuissent.

Adde quòd nec etiam ipsi Canonici Scriptores referant B. Virginem esse vitâ functam, nec illud constanti, ac universali traditione propagandum evulgaverint; illam quippe traditionem ignorasse videtur Epiphanius, cùm hæc scribit hæresi 78. *Præterea, postquam illud ita gestum est, & ad se illam accepit* (agit de sancto Joanne) *non amplius apud ipsum permansit*, (B. Virgo) *quod si falsò jactari quispiam à nobis existimet, licet sacrarum Scripturarum vestigia consectari, in quibus nullam de Maria obitu mentionem reperiet, mortua sit necne, sepulta an non sepulta fuerit.* Et paulò infrà; *igitur mortua sit Maria nescimus, sive consepulta.*

Aliqui Authores Virginis mortem in dubium revocant.

Illud idem non modò dubium relinquit Timotheus Presbyter Jerosolymitanus, qui inter Patres 4. sæculi in Bibliotheca SS. Patrum Græcorum collocatur; imò etiam innuere videtur B. Virginem non esse mortuam, scribit enim: *Hinc accidit ut nonnulli putarent Matrem Domini gladiô interfectam, atque cruentâ morte affectam, qualem Martyres vitæ exitum habuisse, propterea quod dixit Simeon*, Quin tuam ipsius animam pertransibit gladius: *sed non ita se res habet: ensis enim à fabro excusus corpus dividit, animam non difficat: unde etiam supra omnes inculpata, & omnibus modis sancta Virgo per illum qui eam in superna loca assumptam traduxit, usque adhuc immortalis est.* Ea pariter in sententia videtur fuisse S. Isidorus, qui circa finem sexti sæculi florebat, scribit quip-

pe; *Specialiter nulla docet historia Mariam gladii animadversione peremptam fuisse, quia nec ejus obitus uspiam legitur, dum tamen nec reperiatur sepultura.* Nil igitur de morte Virginis tunc temporis ex Scriptura, aut traditione illa quæ semper, & apud omnes, & ubique viget, exploratum erat: unde si in dubium revocare liceat ea quæ referuntur de ejus funere, quòd nullus Apostolorum id Scriptis mandaverit, aut generali traditione evulgandum narraverit, licebit pariter in dubium vertere; utrum B. Virgo mortua sit nec ne: Similiter quis licitè dubitare posset utrum illa ab omni actuali peccato per totam vitam immunis fuerit, & plurima alia ejusmodi, quæ ab Apostolis nec scripta, nec ab alio scribenda dictata sunt.

XXIX. Proscribitur liber de transitu B. Virginis maximè in iis quæ cum Actis Apostolicis non cohæreat.

Ad secundum dico omnia quæ in libro apocrypho referuntur non esse falsa; enimverò in 3. lib. Esdræ utique apocrypho v. g. scribitur nihil fortius esse veritate, quis autem id existimabit falsum, quia in libro apocrypho scriptum est? Similiter ne longiùs excurram, in eodem Canone Gelasii, quô proscribitur liber de transitu Virginis sub ementito nomine Melitonis Episcopi Sardensis evulgatus, etiam inter apocryphos libros referuntur opera Tertulliani, nec-non & liber historiarum Eusebii Cæsariensis, an idcirco asserere licet omnia in istis libris esse commentitia & meras fabulas? & ut rem proximiùs tangam, liber ipse de transitu B. Mariæ, asserit eam fuisse mortuam ac sepulchro mandatam. Quis autem id falsum asseret? igitur quanquam præfata narratio nonnulla referat, quæ pariter memorat apocryphus liber de transitu Virginis, inde non est consequens illa idcirco falsa esse aut incerta.

Nec obstat quòd Beda narrationem illam proscribat in iis, in quibus militat adversus Acta Apostolica, putà quòd Apostoli secundô à morte Christi annô jam per orbem annuntiandi Evangelii gratiâ dispersi, iterum Jerosolymam convolaverint, nubibus subvecti, ad celebrandum funus B. Virginis; hoc enim manifestè pugnat cum Actibus Apostolorum, ex quibus certissimum est totô bienniô à morte Christi nondum per orbem peregrinatos esse Apostolos. Certissimum quoque ex iisdem Actibus Paulum Apostolum & Barnabam, longè post elapsum biennium à morte Christi, ad disseminandum Gentibus Evangelium fuisse dimissos. Quæ certè non cohærent cum apocrypho libro de transitu Virginis, in quo asseritur Apostolos secundô post Ascensionem Domini annô, ex remotis orbis partibus Jerosolymam ad funus Virginis advolavisse.

Meritò igitur Beda damnat narrationem illius libri in iis quæ manifestè pugnant cum Scriptura sacra: at non in eam pugnat Assumptio corporea Virginis, & subinde illam Beda non impugnat. Quòd autem non alia sit Bedæ sententia, apparet ex ejus verbis; scribit enim cap. 8. retract. in
» Acta: Si dispersâ, *inquit*, Ecclesiâ Apostoli re-
» manserunt in Jerusalem, ut Lucas ait, constat
» quia mendacium scripsit ille, qui ex persona Me-
» litonis Episcopi Asiæ librum exponens de obitu
» B. genitricis Dei, dicit quòd secundô post Ascen-
» sionem Domini annô, Apostoli fuerint omnes
» totô orbe ad prædicandum in suam quisque Pro-
» vinciam divisi, qui universi appropinquante obi-
» tu B. Mariæ, de locis in quibus prædicabant ver-
» bum Dei, elevati in nubibus, rapti sunt Jeroso-
» lymam, & depositi ante ostium domûs ejus, ...
» quæ verbis B. Lucæ apertè contradicunt, quibus
» narrat Apostolos, cæteris fidelibus ab Jerosoly-
» mis propulsis, remansisse ibidem, & prædicasse
» per omnia, donec Ecclesia per totam Judæam &
» Samariam & Galilæam pacem haberet, quod in
» uno anno perfici non potuisse nulli dubium
est.

XXX. B. Virgo non obiit Ephesi, sed Jerosolymis.

Ad tertium dico, certum esse Virginem Deiparam non obiisse Ephesi sed Jerosolymis: id namque apertè testantur S. Sabbas, Juvenalis, S. Germanus, S. Damascenus, nec-non & S. Andreas Cretensis, qui oratione 2. de dormitione Virginis, ait: *Sacrata Sionis facta est mentio, quòd in ea magnum hoc S. Dei genitricis mysterium peractum sit: in ea stratæ pavimentô tabulæ sacrorum castissimi corporis genuum flexus, clarâ voce clamant: quandiu enim ejus productus incolatus est, eam domicilium hoc habuit, atque illic naturæ obsecuta legibus vitæ finem accepit.* Nec Modestus huic veritati adversatur, si rectè quis ejus verba ponderet, ait enim: *Historiæ tradunt Magdalenam, de qua Dominus 7. dæmonia ejecit, hanc Virginem fuisse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ profecta est Ephesum ad dilectum discipulum, ubi cursum Apostolicum per Martyrium varia unguentifera perfecit.* Quibus patet contrarium quod intenditur Modestum asserere; enimverò si B. Virgo Ephesi fuisset mortua, quid necessum esset Magdalenæ, quæ ut creditur B. Virgini comes individua adhæserat, post ejus obitum Ephesum pergere? Quis non videat Modestum non de Virgine Deipara, sed de Magdalena sermonem facere, cùm ait illam Ephesum fuisse profectam? sed neque Patres Ephesini ea de re quidquam significant, sed duntaxat quòd præcipuô cultu, sicut Joannem, ita & Mariam Ephesi honoraret, unde particula *(in qua)* denotat quòd Deipara Virgo & Joannes imprimis ibi colerentur.

His adde quòd Polycrates Ephesinæ civitatis Episcopus, non longè à tempore Apostolorum scripsit, ut refert S. Hieronymus in Cathalogo Virorum illustrium: *In Asia*, inquit, *elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de cælis in Majestate sua resuscitaturus omnes Sanctos: Philippum loquor de 12. Apostolis, qui dormivit Hierapoli, & duas filias ejus quæ Virgines senuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit: sed & Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus auream laminam in fronte portans, Martyr & Doctor in Epheso dormivit.* Ubi, ut apparet, nullam Virginis, facit mentionem, non prætermissurus certè, si reverà Ephesi jacuisset.

XXXI. Quæ narrantur à S. Juvenale non pugnant.

Ad quartum dico, quæ narrantur à Juvenale nullatenus à veritate deflectere, quis enim neget Marcianum Imperatorem & Pulcheriam in Blachernis ædificasse? Quis in dubium revocet eos in urbe Imperiali adfuisse tempore Concilii Chalcedonensis? An non Juvenalis eidem Concilio interfuit? Nec obstat quòd acta Chalcedonensis Concilii de ea re nil prodant, nec quisquam de istis referat ex Græcis Scriptoribus: enimverò Conciliorum Acta duntaxat referunt ea, quæ ad finem congregati Concilii collimant, qualis non erat illa Juvenalis à Marciano & Pulcheria interpellatio: Plerumque etiam accidit, ut res notissimæ & per vulgus decantatæ Scriptorum nullus colligat, quasi ingratum foret litteris consignare, quæ omnium ore feruntur: sic fortè tum

Philo, tum Josephus, quamvis rerum suarum, ac Gentis suæ studiosissimi essent, nil scripserunt de jugi miraculo probaticæ piscinæ, quod tamen absque errore gravi nullus negaverit, cùm illud ferat S. Joannes cap. 5.

Ad quintum dico, certissimum esse secundam illam orationem tam esse genuinum S. Damasceni fœtum, quàm cæteras omnes, nam omninò ipsius stylum redolet, & profitetur Billius se Græcas has orationes à Cardinale Sirleto accepisse, quas jam pridem verterat, sed malè, Vollateranos. Nec refert quòd Græcum Authoris non addiderit Billius versioni suæ, id enim non præstitit, fortè quia noluit Cardinalis Sirletus, qui Græcum textum ipsi vertendum commodaverat; fortè etiam quia in textu Græco desiderabatur aliquid. *Adde* quòd Billius in plurimis aliis S. Damasceni opusculis à se editis Græcum Damasceni textum non adjunxerit; siquidem nullibi Græca apposuit nisi orationi de Transfiguratione & tribus orationibus de Nativitate B. Virginis; quia ut ibidem dicit, tum Græcus textus cum Latina versione primùm in lucem prodirent; attamen nemo cordatorum est, qui propterea hæc Opuscula S. Damasceno detrahat.

Nec minori fide dignus est S. Damascenus, quòd fortè scripserit Trajani animam Gregorii Magni precibus ab inferis liberatam fuisse: Demus enim eum hæc scripsisse & in eis erravisse, num propterea indignus est cui in aliis credatur? Quòd si ita est, vix alicui è SS. Patribus credendum esset, cùm S. Augustinô teste, nulli præter Scriptores Canonicos aliquando sit datum, ut non in aliquo erraverit.

§. III.

Probatur Assumptio corporea Deiparæ Virginis ex Officio divino ejusdem diei.

XXXII. Eadem veritas constat ex Officio divino.

LUCULENTER ac perspicuè apparet quis sit Ecclesiæ sensus de assumpta Virgine in anima & corpore ex precibus ac ritibus in ejusdem assumptæ Virginis gloriam concinnatis: unde enim evidentiùs quis colligere potest, quis fuerit Ecclesiæ sensus de morte Virginis, ejusque corporea in cœlum receptione, quam ex ejusmodi precibus? Id quippe apertè credit Ecclesia, quòd suis in publicis precibus se credere palam profitetur: at ex ejusmodi Ecclesiæ precibus, & divinis officiis in honorem assumptæ Virginis celebrari solitis, Ecclesia jamdudum testata est Virginem assumptam esse animâ simul & corpore, quod utique evinco.

Primò ex libro Sacramentorum sancti Gregorii, ex quo tria hæc apertè colliguntur: *Primum* quidem Gregorii tempore, hoc est sæculo 6. apud fideles receptum ac vulgatum fuisse B. Virginem animâ simul & corpore esse assumptam; siquidem Assumptionis nomen non semel, sed iterum usurpat S. Gregorius. *Secundum*, vigiliam quoque festi Assumptionis tunc temporis fuisse celebratam, ac proinde festum fuisse institutum. *Tertium* denique quòd Deipara Virgo animâ simul & corpore in cœlum sit recepta. Primum quidem ac secundum innotescit ex his verbis ejusdem libri Sacramentorum, quibus designatur *Vigilia* simul ac *festum* assumptæ Virginis: legimus enim 19. Kal. Septembris. *Nat. S. Eusebii Sacerdotis, &c.* Eâdem die *Vigilia Assumptionis S. Mariæ.* 18. Kal. Septembris. *Assumptio sanctæ Mariæ Virginis.* Id ipsum constat ex præfatione Missæ ejusdem diei, in qua hæc habentur. *Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te in veneratione sacrarum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare. Inter quas intemerata Dei genitrix Virgo Maria, cujus Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit, &c.*

XXXIII. Maximè ex libro sacramentorum S. Gregorii.

Quòd autem tunc temporis notum esset in Ecclesia B. Virginem corpore simul & animâ fuisse in cœlum assumptam, patet ex Oratione seu Collecta, quæ in eodem Sacramentario hôc ipsô die recitabatur his verbis. *Veneranda nobis Domine, hujus diei festivitas, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit Incarnatum.* Hæc enim verba *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, nil aliud significant, quàm quòd corpus B. Virginis non potuit subjacere mortis legibus, nempe detineri sepulchrô, nec corruptioni aut resolutioni subjici. Quòd enim aliqui Neoterici verba ista interpretantur de *nexibus peccati*, absurdissimum apparet, ex eo quòd Deipara Virgo nusquam morti animæ, quod est peccatum, subjacuerit. Nec aliâ sanè ratione verba istius Collectæ intellexit Petrus Abailardus, qui in sermone de Assumptione jam ab annis ferè quingentis sic scribebat. Cui quidem attestatur sepulchrum vacuum penitus repertum, sicuti & anteà fuerat Dominicum, ut ipsa quoque B. Virgo resurrectionis gloriam, & geminam stolam adepta credatur, sicut manifestè festiva hujus diei oratio continet his verbis: In qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit: cùm enim præmissum sit mortem temporalem, patenter ostenditur, id quod subjectum est, de vinculis mortis, ad mortem illam referendum esse, non ad mortem animæ, cujus vinculis non detineri, commune est omnibus Electis.

Similiter hæc verba, nec tamen nexibus mortis deprimi potuit explicat Albertus Magnus in qo. 130. super Missus est, ubi ait: Modò quæritur quid appellatur nexus mortis. Vel est bonum, vel malum. Non malum, quia omnis boni capax fuit. Item bonum non deprimit, sed elevat: ergo *nexus* non nominat ibi aliquid boni. Si autem est malum, aut est malum culpæ, aut malum pœnæ, quia mors non est nexus ad culpam, quia post mortem non est status culpæ, sed pœnæ. Item nihil dictum esset, quod post mortem non posset peccare, quia esset Mater Dei, cùm post mortem nullus peccet. Si autem est malum pœnæ, quæro quam pœnam importat? Non gehennæ, quia ad illam non nectit mors, quia moriuntur multi, qui non vadunt ad gehennam. Eâdem ratione nec ad purgatoriū, quia multi moriuntur, qui non vadunt ad purgatorium: nec etiam potest dicere pœnam temporalem, quia ad illam non nectit mors, sed absolvit ab illa. Nam non potest dicere pœnam mortis, quia B. Virgo verè mortua fuit: ergo relinquitur: quod non potest significare nisi incinerationem: ergo ait sensus, non potuit nexibus mortis deprimi, id est, non potuit incinerari; & nisi statim resurrexisset, fuisset incinerata, ut alia corpora.

Iis subscribit Dominicus Sotus in 4. d. 43. quæst. 2. art. 1. De sacratissima Virgine, *inquit*, si resurrexit, non est dubium, quin in vitam sempiternam resurrexerit, quâ in cœlis cum filio frui-

tur. Hoc autem Hieronymus, eôdem sermone sub dubio reliquit. Jam verò temporum curriculô opinio hæc seu credulitas, quòd in corpore & anima fuerit in cœlum assumpta, plurimum inolevit. Nondum tamen inter fidei articulos creditu necessarios relata est, quamvis sit pientissimè credendum, nam in Collecta illius festi ait Ecclesia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit.

Nec valet reponere Sacramentarium Roma-

XXXIV. Qui genuinum est illius opus.

num non videri genuinum opus S. Gregorii, sed duntaxat fortè ab illo approbatum: Hæc enim responsio nullô prorsus fundamentô nititur: quippe contrarium affirmant Cassiodorus, Joannes Diaconus, Berno Augiensis, & omnes qui de divinis Officiis scripserunt. Hoc imprimis Vvalefridus Strabo affirmans Sacramentarium à Gregorio collectum ex præcedentibus libris, qui peragendorum Sacrorum ritus complectebantur, quos ipse S. Gregorius in meliorem formam & ordinem redegit. Idipsum confirmant Patres Francofordienses. Cum enim Elipandus, & alii Hispaniæ Episcopi editô libellô ad eos scripsissent, in divinis Officiis & ad Missas Orationibus, quas ex Eugenii, Hildelphonsi, Juliani Toleranæ Urbis Episcoporum traditione acceperant, Christum Dei Filium adoptivum nominari; in hunc modum responderunt. *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio quàm Hildelphonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, quales universalis & sancta Dei non habet Ecclesia, nec vos in illis exaudiri putamus. Etsi Hildelphonsus vester in orationibus Christum adoptivum nominavit, noster verò Gregorius Pontifex Romanæ sedis & clarissimus totô orbe Doctor in Orationibus suis semper eum unigenitum nominare non dubitavit.* Quibus verbis haud dubiè significant Sacramentarium S. Gregorii, nam ad finem plurimarum Orationum, seu Collectarum ejusdem Sacramentarii Christus dicitur *Unigenitus Dei Filius.*

XXXV. Nec-non ex Menæis Græcorum.

Hæc eadem veritas apparet ex cæteris divini Officii in die festo Assumptionis Deiparæ Virginis partibus; siquidem Antiphonæ resonant, Versus canunt, clamant responsoria, lectiones efferunt B. Virginem in cœlos esse assumptam. Id constat tum ex Breviario, tum ex Missali: Assumptio autem, ut diximus in primo §. non solùm animæ, sed & corporis Deiparæ in cœlum receptionem significat.

Neque verò hic solius Ecclesiæ Occidentalis usus est: nam & Orientalis eundem ritum in suis precibus ac ritibus observat, qui *Menologia* seu potiùs *Menæa* appellantur. Sunt autem Menæa 12. codices Ecclesiæ Græcæ, quibus continentur per singulos dies variæ laudes in Dei sanctissimæ Virginis ac Sanctorum honorem decantandæ: Horum Menæorum primus Collector dicitur S. Sabbas Monasterii Lauræ Archimandrita, ut testatur Simeon Thessalonicensis apud Leonem Allatium dissertatione 1. de libris Ecclesiasticis Græcorum: at temporum injuria, nec-non & Barbarorum irruptione cum pænè Menæa interiissent, à Sophronio primùm, deinde à Joanne Damasceno pristino nitori reddita sunt, additis ab utroque plurimis Odis in laudem Sanctorum, qui post sanctæ Sabæ tempora claruerunt, ut idem Simeon testatur.

In ipsis autem Menæis apertissimè declaratur Virgo Deipara animô & corpore in cœlum assumpta: Nam *Men.* 15. *Augusti* in majoribus Vesperis hæc habentur: Ad rationem decori pertinebat, ut qui Ministri ac Spectatores Verbi divini fuissent, etiam Matris, è qua illud incarnatum erat, obdormitionem præsentes inspicerent, velut ultimum quod ipsi peragendum erat Mysterium, quô scilicet non modo Servatorem de terra in cœlum ascendentem coram spectarent, verùm etiam de Genitrice illius ad superos translata oculati testes existerent. Quapropter omnibos è locis, vi quâdam divinâ per tot terrarum spatia transportati convenerunt in Sion, & deduxerunt quôdam modô Virginem ad cœlum ingrediendum properantem.

Similiter ex *Men.* 18. O prodigium horrore sacratissimô plenum! Illa quæ incomprehensum omnibus Regem portavit in utero jam modo ad sepulchrum portatur, & Angelorum multitudo cum Apostolis observant venerabundi sanctum ejus corpus quod Deum in se recepit; & istud corpus sublevavit in cœlum Jesus Filius ejus & servator animarum nostrarum.

Similiter ex *Men.* 17. *Augusti*, Filios tuus Deusque noster, ut fidem duarum quas habet naturarum stabiliret; mortuus est quidem ut homo, sed resurrexit ut Deus. Te quoque mori, ô Genitrix Dei, ad præscriptum naturæ perplacuit Deo; ne à fide alienis Incarnatio Christi, tanquam phantasma videretur, ut cujus mater mortalis non esset. Migrasti autem à terra in cælos, veluti sponsa de thalamo tuo seu tabernaculo quodam progressa. Et quemadmodum terram illuminasti pariendo, sic & æthera sanctificasti ascendendo. Interim Apostoli intaminatissimum funus tuum curârunt; atque inter exequias viderunt, & corpus tuum sublimè abjisse, hæc omninò verba cum metu præfati: Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.

Quantùm autem valeat argumentum petitum ex sacris Eclesiæ precibus ad alicujus rei fidem stabiliendam, luculenter explicat Cælestinus summus Pontifex in 11. capite epistolæ pro Prospero & Hilario, ubi inter cætera hæc habet: *Præter Beatissimæ*, inquit, *& Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi Patres, pestifera novitatis elatione dejecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium studiorum, & in eis usque in finem perseverantiam, ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi.*

§. IV.

Probatur Assumptio corporea Virginis Deiparæ authoritate SS. Patrum.

XXXVI. Eidem veritati testimonium perhibent SS. Patres, Damascenus

Præter laudatas SS. Patrum authoritates in præcedentibus §. §. aliæ plurimæ vel eorumdem, vel aliorum huic veritati suffragantur; imprimis verò

Sanctus Joannes Damascenus præter laudatam Orationem secundam, de qua superiùs, etiam in priori Oratione de Dormitione B. Virginis, sic loquitur: *Cujus in partu incolumis Virginitas mansit, eâdem è vita migrante, corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed ad præstantiorem & diviniorem mortem, quæque non jam morte interrumpatur, verùm in infinita sæculorum sæcula perduret, translatum sit.* Et infrà: *Nec corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum*

esse

est; verùm in cœlo ac regiis sedibus, tu Regina, A *Domina, hera, ac verè mater & genitrix translata es.* Et posteà: *Quemadmodum siquis ingentis pretii unguentum vestibus, aut loco alicui imponat, ac rursus eximat, suavitatis reliquia abstractò etiam unguentò, restant: eòdem modò, nunc quoque divinum tuum & sanctum, ac omnis prorsus macula expers, divinàque fragrantiâ refertum corpus: fons, inquam, ille gratiæ perennis; in sepulchro collocatum, ac deinde rursus ad præstantiorem & sublimiorem regionem abreptum, haud quaquam ita sepulchrum reliquit, ut honoris expers esset: verùm tum divinam benedictionem & gratiam impertit, tum sanationum ac bonorum omnium fontem iis, qui cum fide accedunt, monumentum reliquit.*

S. P. Damianus. Adstipulatur Petrus Damianus, qui sermone de Assumpt. ita loquitur: *Hac est illa dies quæ cœlorum officinas sublimiori gaudiò cumulavit, annua mundo, Angelis continua, homines Angelis & Angelos hominibus felici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis Filium ascendentem, & Matrem assumptam: videbis aliquid excellentius in Ascensione filii exhiberi, & aliquid gloriosius in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in cœlum potestativa virtutis imperiò, sicut Dominus & Creator Angelorum comitatus obsequiò, non auxiliò fultus: Assumpta est Maria in cœlum, sed gratia sublevantis indiciò, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Assumptio, illa Ascensio vocatur: cùm aliud sit potentia, aliud misericordia, solumque soli sit privilegium Creatori, naturam rerum propria potestate supergredi.*

Nec dicas Petrum Damianum in his verbis corporalem Mariæ in cœlum Assumptionem non dicere, facilè dicturus si Assumptionem fuisse hujusmodi credidisset. Hæc enim responsio falsitatis arguitur, non solùm ex præfatis verbis, sed etiam ex his quæ ibidem habet Petrus Damianus: *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam sedentem à dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circundata varietate, virtutum multiplicitate distinctam.*

S. Bernardus. Sanctus Bernardus apertissimè huic veritati suffragatur, nam præter laudata in 1. §. sermone 1. de Assumptione Virginis, hæc habet: *Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quantò devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium regionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ Canticis sit deducta, quàm placidò vultu, quàm serenâ facie, quàm divinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria quæ tantum decuit filium? Fœlicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cùm virgineo mater applaudebat in gremio. Verùm, nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextra Patris hodie in beata salutione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ?* &c. Et sermone 4. *Tempus loquendi est omni carni, cùm assumitur incorrupti Verbi mater in cœlum; nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis sola natura supra immortales Spiritus exaltatur in Virgine.*

Quorsum autem diceret Bernardus tempus esse loquendi omni carni, nisi carnem Matris Domini assumptam in cœlum crederet? Cur assereret solam hominis naturam exaltatam in Virgine, nisi quia priùs in Christo non sola hominis natura, sed quatenus juncta hypostaticè cum divina in cœlum A fuerat sublimata? At de mente sancti Bernardi aliquod esse dubium non potest, ex eo quòd Petri Abailardi omnes ad minimum usque errores notaverit ac perstrinxerit; nullibi autem carpit sententiam Abailardi de corporali Virginis in cœlum Assumptione, quam sic explicat sermone de Assumpt.. Si diligenter, *inquit*, occursum Angelorum, & triumphalem pompam Christo exhibitam hodiernæ comparemus festivitatis jucunditati, videbimus plus aliquid in Assumptione Matris ei deferri, quam in Ascensione Filii ipsi exhiberi: & hujus pompæ occursum illô non mediocriter digniorem; soli quippe Angeli ascendenti Christo occurrere potuerunt; ipse verò pariter cum tota B superna Curia tam Angelorum, quam fidelium animarum ejus animam suscepit, quàm carnem antea susceperat; nec animam solùm, verùm etiam & corpus ad cœlos hodie sustulisse creditur, ut animæ pariter & carnis glorificatione eam remuneraret, in qua, ut dictum est, simul animam & carnem decrevit assumere. Cui quidem plurimum attestatur sepulchrum vacuum penitus repertum, sicut & antea fuerat Dominicum, ut ipsa quoque Resurrectionis gloriam, & genuinam stolam adepta credatur. Abailardus.

Hugo Victorinus. Bernardo æqualis fuit Hugo Victorinus, qui in lib. 3. de Eruditione Theologica cap. 125. ita scribit: Septimum (privilegium Deiparæ Virginis) est quòd cum corpore suo, quantùm credi- C mus in cœlo vivit: licèt enim B. Hieronymus (loquitur de sermone Pseudo-Hieronymi de quo infra) hîc opiniones ponat, non tamen factum abnuit, sed rationi astutæ tota fidei nostræ colla submisit, in qua dicimus non impossibile Deo esse, ut illud divinitatis habitaculum singulare corruptioni non subjaceret, vel in omnibus. Qui enim trium puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus matris propriæ incorruptum servare potuit & voluit.

Fulbertus Carnotensis. His accenseri potest Fulbertus Carnotensis, qui in sermone de Nat. B. Virginis ita scribit: Joannes ministravit ei post passionem & resurrectionem Domini in finem: fuit autem sanctissima in valle Josaphat, ubi est exædificata D Ecclesia in honorem ejus, & S. Joannes sepultus est Ephesi: post verò cùm religiosi Christiani reliquias Matris ejus, videlicet Domini, respicere vellent, sepulchrum vacuum invenerunt: sed & in sepulchro B. Joannis respicientes non invenerunt nisi manna: Credit itaque Christiana pietas, quia Christus Deus Dei filius Matrem suam gloriosè ressuscitaverit, & exaltavit super cœlos.

Hîc non commemoro plurimos alios S. Bernardo æquales, qui eidem sententiæ subscribunt, putà *Honorium* Augustodinensem, *Rupertum* Tuitiensem, *Adamum*, de S. Victore, &c. qui illô sæculô Assumptioni Deiparæ Virginis subscribe- E bant.

B. Albertus. Non possum tamen silentio prætetire sententiam illustrium Theologiæ principum, putà *Alberti Magni*, qui in quæstionibus super *Missus est*, q. 132. plurimis argumentis probat B. Virginem cum corpore & anima in cœlum esse assumptam. S. Thomas. Eandem sententiam tuetur *Angelicus Doctor*; nam ex festo Assumptionis corporalis tanquam indubitatô principiô colligit Virginem fuisse sanctificatam in utero materno, quòd illius Nativitatis festum pariter Ecclesia celebret; sic enim scribit 3. p. q. 27. a. 1. *Respondeo dicendum quod de sanctificatione B. Mariæ, quòd scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quæ*

etiam nec de ejus Nativitate mentionem facit. Sicut tamen Augustiaas in sermone de Assumptione ipsius Virginis rationabiliter argumeatatur, quòd cum corpore sit assumpta in cœlum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argameatari possamus, quòd fuerit sanctificata in utero. Nec refert quòd in bujus veritatis assertionem proferat testimonium sermonis S. Augustini, quem tamen post hac illius non esse, sed forte Fulberti Carnotensis probabimus: inde enim apparet nullam tempore S. Thomæ de corporea Virgiois in cœlum receptione fuisse controversiam, quandoquidem nulla de isto sermone erat disceptatio. Eandem veritatem tradit Opusc. 8. ubi ait: *Terrea* (supple maledictio) *fuit communis in mulieribas, scilicet ut in pulverem reverterentur: & ab hac immanis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est ia cœlo: credimus enim quòd post mortem ressuscitata fuerit, & portata ia cœlum.*

S. Bonaventura.

Ei subscribit Doctor Seraph. in speculo B. Mariæ, ubi hæc habet: *O quam longè ab isto incinerationis va fuit* (ut credimus) *corpus Maria sanctissimam! Hoc enim corpus est Arca sanctissima Dei, quam decuit aon putrefieri, sed ad instar filii sui ante omnem putrefactionem suscitari: unde tam de filio, quàm de matre notabiliter ait Propheta: Surge Domiae in requiem tuam, ta & Arca saactificationis tua.*

Gerso.

Eadem postmodum fuit Gersonis Cancellarii Parisiensis sententia, nam 4. p. operum serm. de „ Conceptione: Spiritus sanctus, *inquit*, interdum „ revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus „ aliquas veritates vel expositiones sacræ Scripturæ, „ quas non revelavit eorum prædecessoribus. Sic „ dicit Gregorius Danielis 12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini. Ideo „ Moyses scivit plusquam Abraham, Prophetæ „ quàm Moyses, Apostoli quàm Prophetæ, & Doctores addiderunt multas veritates ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus hanc veritatem, „ B. Mariam non fuisse conceptam in peccato originali, ex illis veritatibus, quæ noviter sont revelatæ. vel declaratæ tam per miracula quæ leguntur, „ quàm per majorem partem Ecclesiæ sanctæ, quæ „ hôc modô tenet. Fuit tempus aliquod in quo non „ tenebatur generaliter Mariam Virginem esse in „ Paradiso cum corpore & anima, sicut modò tenetur, & similiter post institutionem festi Nativitatis S. Joannis, Nativitas nostræ Dominæ ordinata fuit per revelationem unius solius fœminæ, „ & multa similia.

S. Bernardinus.

His, ut alios subinde quôvis sæculô ad nos usque hujus compertissimæ veritatis & ab Ecclesia receptissimæ Assertores prætermittam, unicum laudare placet *S. Bernardinum*, qui non solùm B. Virginem in anima & corpore assumptam in cœlum prædicat, sed etiam validissimis rationibus probat, quas in Lectoris gratiam hîc ascribendas duxi. Ait enim sermone 12. qui est de Assumptione B. Virginis art. 3. cap. 1. Licèt, inquit, de hoc (nempe Assumptione corporali) authoritas sacræ Scripturæ non reperiatur expressa; non tamen Scripturæ repugnat sacræ, sed ei potius consonat & concordat, ac etiam multiplex ratio efficacissimè persuadet; nam secundùm Augustinum nullus dubitat quòd Jesus hoc potuit: minùs profectò dubitare debet quòd ipse voluit, quia hoc filialem reverentiam decuit. Quòd autem B. Virgo tàm corpore, quàm animâ gloriosa regnet in cœlis, ostenditur septemplici ratione.

§. IV.

Probatur eadem veritas ratione à S. Bernardino.

PRimò propter unitatem substantiæ carnis in Matre & Prole. Cùm enim ex carne Matris decidatur naturaliter caro Prolis, eadem utriusque est profectò substantia carnis. Ergo à generali sententia mortis, quamvis Christus Dei Filius non exemerit Matrem: quia ab illa nullus, nec ipse voluit esse alienus, ac per hoc mortuus est Filius, mortua & Mater: Attamen sicut caro prolis corrupta non fuit: Psal. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, sic nec debuit corrumpi, seu incinerari, seu in pulverem redigi sanctissima caro Matris, unde caro Filii assumpta est. Ergo caro animæ est reunita, & B. Virgo Maria simul in anima & corpore est glorificata.

XXXVII. Idem ratione suadetur.

Secundò propter incorruptibilitatem. Multiplex quippe sententia lata fuit in mulierē. Prima contra alias mulieres. Unde Gen. 3. cap. Dominus ait: *Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos, ia dolore paries filios, & sub viri potestate eris.* Maria quippe ærumnas multiplicavit: quando, ut dicitur Lucæ 2. cap. animam ejus in passione Filii doloris gladius pertransivit: sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri potestate deguit, quæ integerrimis visceribus, & virginitatis integritate permanente de Spiritu S. concepit; quem quia sine peccati colluvione, & virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore peperit, & sine integritatis violatione integro virginitatis pudore permansit. Quia verò potuit & voluit Matrem ab integritatis corruptione, & pudoris violatione in conceptu & partu, ultra sententiam latam contra quaslibet mulieres servare immunem, potuit & velle decuit servare à corruptione resolutionis & incinerationis, præter, imò ultra generalem conditionem humanæ naturæ. Sic ergo dicimus, Matrem Domini humanæ sortis mortalitatem subiisse, ut tamen mortis nexibus non potuerit detineri, per quam sine corruptione Dominus voluit concipi, atque nasci.

Tertiò, propter honorabilitatem, hoc est, ut conservaret honorem Matris. Exodi quidem 20. cap. scriptum est: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Si ergo Christus *non venit solvere legem, sed adimplere*, ut dicitur Matth. 5. quemadmodum, ut potuit, Patrem honoravit, sicut dicitur Joan. 8. cap. *Ego honorifico Patrem meum*: ita debuit matrem, quomodo potuit, honorare. Si ergo opprobrium humanæ conditionis & vituperium est putredo & vermis, sicut ab isto opprobrio ipse extitit alienus: ita Matrem debuit conservare immunem, cùm eadem sit caro Matris & Prolis. Sicut igitur in vita eam gratiâ conceptûs & partûs præ cæteris honoravit: ita indubitanter sentiendum est in morte eam speciali gratiâ honorasse.

Quartò, propter digoitatem & sanctitatem. Tanta enim fuit Mariæ dignitas atque sanctitas, ut mereretur esse Mater Sancti Sanctorum Dei: sicut autem Filius est Sanctus Sanctorum; ita constat quòd Mater, quæ ipsum portavit, est Sancta Sanctorum, in qua erat ille pretiosus thesaurus, tabernaculum Dei, thronus Dei atque thalamus. Tantam autem sanctitatem, tantam dignitatem nulla corruptio putredinis debet sequi, nulla resolutionis incineratio. Nullô igitur modô dignū videtur, aut consonum rationi, quod illud sacratissimum

corpus de quo Christus carnem suscepit, & in quo A personam divinam naturæ humanæ univit: ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis, ipsis vermibus fieret esca, & post vermes pulvis abjectus efficeretur.

Quintò, propter conformitatem scilicet Matris & Prolis. Mater enim filio suo perfectè conformis fuit, & præcipua imitatrix. Si ergo Joan. 12. cap. ipse ait: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Maria quippe Christi præcipua imitatrix, non tantùm gressibus pedum, sed etiam pro reverentia ipsum Dominum secuta est affectu pietatis, fidei, religionis, & amore ardentissimæ charitatis, ut nunquam ab ejus fide atque dilectione avelli potue- B rit, quem de Spiritu sancto, Angelô nuntiante concepisse se novit. Nam ipsum concepit, ipsum peperit, lactavit, bajulavit, à facie Herodis abscondit: ergo esse non debuit, nisi ubi est Christus. Et non tantùm quomodo alii Sancti sunt, sed quâdam speciali prærogativâ. Quoniam, sicut Matth. 16. cap. scriptum est: *Ipse reddet unicuique juxta opera sua.* Si igitur omnium Sanctorum mors pretiosa est: mors Mariæ est pretiosissima, quam tanta concomitata est gratia. Si igitur in vita Maria præ omnibus donata est gratiâ; in morte profectò minoenda non est: sed ubi Christus Filius Dei regnat mente & corpore collocata est. Rursus si Maria Christo conformissi- C ma fuit tanquam Mater in puritate & in nobilitate, seu in regia dignitate: profectò non debet Mater à Filio, Regina à Rege, non tantùm mentaliter, sed nec corporaliter separari. Ergo Maria Mater Christi, Regina cœli, unà cum ipso debuit glorificata in anima & corpore in cœlestibus collocari.

Sextò propter æquitatem, ut enim Ambrosios ait, *Christus Dominus noster utrumque sexum sanaturus advenit.* Proinde virum suscepit, natum tamen ex muliere. Perfecta autem curatio, atque perfecta liberatio in resurrectione manifestatur: ergo resurrectio in utroque sexu manifestari debuit in testimonium perfectæ curationis. Sicut igitur quantùm ad virilem sexum manifestata est, D & in Christo apparuit: ita & in fœmina debuit apparere. In nulla autem alia fœmina manifestari congruentiùs potuit, vel debuit, atque decuit, quàm in dulcissima Matre Christi, quæ in vita libera extitit ab omni corruptione. Et hoc est, quod Propheta in persona Domini ait: *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo. & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Thronus siquidem Dei Filii Mater illius est, quæ in conspectu ejus, sicut Sol fulgens est, quantùm ad gloriam animæ. Et sicut Luna perfecta in æternum, quantùm ad gloriam corporis sine defectu, proinde gloriæ resurrectionis fidelis est testis. E

Septimò propter integritatem, hoc est propter beatitudinis complementum. Nam, ut ait Augustinus sup. Genes. ad litteram, & Bernard. de diligendo Deum, propter appetitum administrandi corpus animæ retardantur, ne totaliter ferantur in Deum, tanquam in summum bonum, exceptâ solâ animâ Christi quæ unita erat Verbo unitate personæ, quæ propter personalem unionem in nullo retardabat, aut patiebatur gloriæ detrimentum. Cùm igitur complementum gloriæ sit in reassumptione secundæ stolæ; inconveniens & indecens esse videtur, quòd Mater Dei, Regina cœli aliquod detrimentum gloriæ patiebatur. Ergo necesse fuit ut corpus; licèt propter conditionem carnis anima fuerit à corpore separata, tamen unà cum corpore postmodum extitit glorificata. In eodem quoque libro adducit August. exempla Scripturæ sacræ: ait enim: *Nam divina voluntas inter crepitantes ignes non solùm corpora trium puerorum illæsa, sed etiam vestimenta servavit inusta.* Dan. 3. Cur ergo non efficiat in Matre propria, quod fecit in aliena? *Servavit* Jonam in ventre Ceti incorruptum præter naturæ solitum cursum. Jonæ 2. cap. & Matrem præter naturam non servabit incorruptam? Servatus est Daniel in arctissimo seu intemperatissimo lacu Leonum, *Dan.* 14. Cur ergo non est servanda Maria tantis dotata meritis dignitatum?

Quòd autem S. Bernardinus ibi commemoret sententiam SS. Augostini, & Hieronymi, inde fit quòd existimaverit sermonem de Assumptione, qui nomine S. Augustini vulgabatur, revera sanctissimi hujus Doctoris genuinum esse fœtum, cujus tamen contrarium ibidem apparet, quippe in eo, non longè ab initio citatur S. Isidorus, qui Augustinô posterior extitit. Idem ferendum judicium de sermone illo vulgato sub nomine S. Hieronymi, qui quoniam adversariorum est Achilles, idcirco eum jam expendere placet.

§. V.

Proponuntur ac solvuntur Objectiones.

XXXVIII. Objicitur sermo nomine Sancti Hieronymi.

O*Bjiciunt* itaque primò adversarii sermonem illum prænotatum nomine S. Hieronymi, qui incipit: *Cogitis me, ô Paula & Eustochium, &c.* Ubi larvatus ille Scriptor usurpatô nomine & ementitô stylô S. Hieronymi, Ecclesiæ de Assumptione corporali Virginis doctrinam invadit, ac tanti viri authoritate convellere nititur: nam inter cætera, cùm dixisset Virginis Mausoleum in Vallis Josaphat medio vacuum ostendi, subdit: *Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrùm assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit, relictô corpore. Quomodò autem, vel quô tempore, aut à quibus personis sanctissimum corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrumne resurrexerit, nescitur.* Et infrà: *Veruntamen quid horum verius censeatur ambigimus; melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quàm aliquid temerè definire velimus authoritate nostrâ, quod non probamus: sicuti & de iis quos cum Domino teste Evangeliô resurrexisse credimus, sed utrùm redierint in terra pulverem, certum non habemus.* Igitur tempore S. Hieronymi incertum omninò erat B. Virginem animâ & corpore simul fuisse in cœlum assumptam.

Verùm non esse genuinum fœtum demonstratur.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico cum Baronio ad annum Christi 48. *num.* 13. sermonem istum non modò non esse Hieronymi, sed nec ullius sinceri ac veri Scriptoris, sed cujusdam alterius Authoris, qui ad promerendam fidem, nomina Hieronymi, Paulæ & Eustochii veteratoriè usurpavit. Quod utique gravissimis momentis facili negotio demonstratur. *Primò* namque falsò supponit se Paulæ & Eustochii precibus compulsum, hunc sermonem scribere, quô enim tempore scribebat, jam à 44. ad minimùm annis, Paula è vita migraverat; siquidem in eo sermone adhortatur Paulam, ut caveat ab errore Nestorii, & Eutichis. *Nestoriana* autem hæresis, ut scribit S. Prosper in Chronico, exorta est, & propalari cœpit annô Christi 428. *Eutichiana* verò consignatur annô 448. quemadmodum ex

1. Quia implicantia & absurda loquitur.

Actis Concilii Constantinopolirani in Chalcedonensis Concilii relatis colligitur: Paula autem diem extremum clausit annô Christi 404. oam S. Hieronymus in epitaphio ipsius Paulæ ita scribit: *Dormivit sancta & beata Paula 7. Kalend. Feb. tertiâ Sabbati, post Solis occubitum, sepulta est 5. Kalend. earundem, Honoriô Augusto sexies, & Arastenio Consulibus* (Aristeneto restituendum est.) Incidit autem hæc Epoca in annum Christi 404. His adde qnòd iste larvatus Scriptor nomine S. Hieronymi hunc sermonem scribat circa annum 448. cùm tamen ex Chronico S. Prosperi constet S. Hieronymum obiisse annô Christi 420.

Quod autem utramqoe hæresim Nestorii & Eutichis ille perstringat, sufficienter constat bis verbis. *Hinc etiam Theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem: nec-non & Christotocon; non quod Verbum carnem secum detulerit, neque olim præfata carni copulatum sit: sed tunc quando Verbum caro factum est ex carne Virginis, Divinitatis atque humanitatis substantia in utero ita inconfuse unitur, ut ex persona sit Deus & non Christus.* His inquam verbis, utramque hæresim impugnat, nempe Nestorii qui negabat Virginem esse *Theotocon*: & Eutichis affirmantis duas in Christo naturas non permansisse inconfusas & impermixtas post unionem.

2. Quia falsa supponit.

Secundò, inquit Baronius *num.* 18. Quomodo, quæso, author ille, qui Hieronymum esse mentitus est; dicit Dei genitricis sepulchrum eô tempore, quô vivebat Hierooymus, desuper terram omnibos fuisse perspicuum? Quâ enim ratione Epiphanius Jerosolymis sæpè versatus (ut de eo tradit Hieronymus) se ambigere ait, an mortua fuerit, si ejus sepulchrum ob oculos omnium positum, perspicuum omnibus statum esset? Vel quomodo de eo mentionem facere Hieronymus prætermisisset, qui relegens cuncta Palestinæ loca, quæ S. Paula Româ veniens invisit, & ut taceam de Christi sepulchro, alia cuncta quæ ibi erant memoriâ digna monumenta recenset, ut 12. Patriarcharum, Josue, Eleazari filii Aaron, Elisæi, Abdiæ, Michçæ, Joannis Baptistæ, Lazari, nec-non & Mauseolum Helenæ Adiabenorum Reginæ, quæ tempore Claudii populum fame laborantem pavit? Quis adduci potest, ut credat uoum tantùm Dei genitricis sepulchrum à Paula spretum, ut non inviserit? vel Hieronymum ita mente excidisse, ut non meminerit; cùm præsertim agens de Gethsemani in libro de locis Hebraicis, unam tantùm illic erectam Ecclesiam, ubi Dominus in horto oravit, affirmet, nec de contiguo eidem loco Dei genitricis sepulchro vel verbum faciat? Ex his igitur manifestior redditur hominis impostura, qui nomine ejusdem Hieronymi dictam epistolam scripsit ad Paolam, dum hæc ait: *Monstratur autem sepulchrum ejus cernentibus nobis usque ad præsens in vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliveti posita, quod tu ô Paula oculis conspexisti, ubi in ejus honorem fabricata est Ecclesia mirô lapide tabulata, in qua sepulta fuisse, ut scire potestis, ab omnibus prædicatur, sed nunc vacuum esse mausoleum cernentibus ostenditur.* Hæc egregius ille mendaciorum coocinnator, qui non ex his tantùm quæ diximus, arguitur patentis mendacii, sed etiam ex Eosebio lib. 3. vitæ Constantini cap. 24. & aliis qoi egerunt de locis sanctis, Coostantini temporibus repertis, & ædificiis illustratis, cùm nullus eorum vel levem saltem de sepulchro Virginis fecerit mentionem. Hæc Baronius.

Constat itaqoe sepulchrum Virginis diu latuisse, & fortè duntaxat circa tempora Juvenalis Jerosolymitani Antistitis innotuisse; quô factum est ut illius inventione per orbem evulgatâ, Marcianus Imperator & Pulcheria moti fuerint ad accersendum ipsum Juvenalem, eumque deprecandum, quòd si quas sacratissimæ Virginis reliquias haberet, ad eos transmitteret, reponendas in augustissimo templo, quod in honorem B. Virginis ædificari curaverant in Blachernis ut dictum est *numerô* 31.

3. Quia puerilia & fabulosa continet & enarrat.

Tertiò, Author ille, quisquis est, nugas ac fabulas comminiscitur longè à gravitate sermonis S. Hieronymi alienas; affingit enim Paulæ ludicras ac fictitias visiones, quas palam evulgat, cùm tamen à Paula sibi sub secreto consignatas asserat, putà cùm ait, circa initium, Paulam alloquens; *Ad præsepe quoque, ô Paula, te teste, natô puerô, multitudinem Angelorum inter crepundia novi partûs, & querelas nescii ploratûs pro fescenninis, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cantantem audisti, & radiantem stellam vidisti, Pastoribus insuper evangelizantibus credidisti; Magos præterea tria deferentes munera in visione beatis oculis conspexisti, ipsa eadem munera bene intelligendo, votis omnibus fide Deo obtulisti. Nam & cum eisdem Magis Deum puerum in præsepio adorasti. Sed fortè conquesta, me delatorem, quòd te prodiderim, clamabis. Ad quod ego, si celatum esse volebas teste conscientiâ, mihi narrare ante præsepium, ubi plurimum lachrymata es, non deberes: quod ut verum fatear, Christi præconia, etiamsi voluero adjuratus, neque tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco te tuæ interrogent filiæ, quas lacte nutrit: tu ea meliùs referabis, quæ nescio per speciem aliquam, aut certe in spiritu vidisti.* Quibus verbis author ille quisquis est, plurima profert, quæ ne capillô quidem gravem S. Hieronymi eloquentiam sapiant. Quis enim ferat Canticum Angelicum fescenninis obscœnis versibos assimilari? Quis existimabit S. Hieronymum Christianæ humilitati imprimis studentem, S. Paulæ, cui maximè sui demissionem in auribus instillabat, voluisse inanis gloriæ stimulos subiicere, propalando, ipsâ vivente, divinas revelationes ei factas? Quis in animum inducet virum prudentissimum sibi commissa in aure secreta evulgare voluisse? Nec certè minùs appareot falsa quæ subiicit, cùm, ait: *Omnia Salvatoris gesta & B. Mariæ obsequia, nec-non & actus vitæ ex Evangelio didicistis*: Vellem enim proferret ille ex quo Evangelista actus vitæ B. Virginis deprompserit?

XXXIX. Nec si verus esset, quidquam assertæ veritati obsisteret.

Verùm ut interdum veritas suos etiam oppugnatores ad sui tutelam & patrocinium cogit, inde factum est, ut ipse Pseudo-Hieronymus, qui impugnandæ corporalis Assumptionis partes acceperat, illius fuerit assertor; enimverò festum in honorem assumptæ Virginis ab Ecclesia celebrari solitum sub nomine *Assumptionis* testatur, cùm ait circa initium: *De Assumptione tamen ejus qualiter assumpta est (quia vestra id deposcit intentio) præsentiâ absens scribere vobis curavi, quâ absentiâ præsens devotus obtuli: ut habeat sanctum Collegium vestrum in die tanta solemnitatis munus Latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare: qualiter favente Deô, per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur*: Subdit autem illam sententiam de corporali Assumptione etiam suô tempore apud plu-

rimos moleviſſe: *Quamvis*, inquit, *nonnulli adſtruere velint eam jam reſſuſcitatam & beatà cum Chriſto immortalitate in cœleſtibus veſtiri.*

XL. *Varus momentis probare nituntur Adverſarii hunc ſermonem eſſe S. Hieronymi:*

Inſtant adverſarii: Sermonem iſtum pro genuino S. Hieronymi fœtu dudum babuit Eccleſia, quæ partem illius in Breviarium induxit pro lectionibus recitandis illô ipsô die feſtô Aſſumptionis; ut videre eſt in Breviariis antiquis non ſolùm particularium Eccleſiarum & Ordinum, ſed etiam in Breviariis Romanis, in quibus ab eo tempore quô celebrari cœpit feſtum Aſſumptionis etiam cœperunt legi lectiones decerptæ ex illo ſermone ſub nomine S. Hieronymi.

Deinde cùm tempore Caroli Magni ſuborta fuiſſet aliqua de aſſumpto in cœlum Virginis corpore controverſia, & nonnulli negarent Virginem aſſumptam in corpore, freti authoritate ipſius ſermonis, qui vulgabatur ſub nomine ſancti Hieronymi, eúmque Monachus quidam Corbienſis cœpiſſet impugnare ſermonem iſtum, ac demonſtrare illum reverà non eſſe S. Hieronymi, ipſi obſtitit Hincmarus; ſcribit namque Flodoardus Rhemenſis Hiſtor. lib. 3. cap. 8. *Item ſcripſit pro libello hiſtoriæ de ortu ſanctæ Mariæ, & homil. B. Hieronymi de Aſſumptione ipſius genitricis, quæ quidam Monachus Corbienſis non eſſe recipienda contendebat. Ad quæ reſpondit idem Domnus præfatum hiſtoriam habere nos ad lectionem, non ad proferendam authoritatem; homiliam verò eandem aſſerit à Hieronymo Catholicè dictatam, ſicut & ſtylus, & cautela ſensûs, & intellectûs & alia certa indicia demonſtrant. Et certè perſonæ, per quas de partibus Orientalibus tempore certò delata ad Regiones noſtras pervenit, fidem faciunt.* Nec Hincmarus duntaxat, ſed & plurimi alii præfatum ſermonem eſſe S. Hieronymi teſtati ſunt: ſic enim Odilo Cluniacenſis Abbas in ſermone de Aſſumptione Virginis manuſcripto, quem habet Cluniacenſis Bibliotheca: *De ejus*, inquit, *meritis & glorioſiſſima hodierna ejus Aſſumptione divinæ legis Interpres S. Hieronymus, & alii egregii Doctores tanta & talia potuerunt, & noluerunt dicere, quibus nos non debemus aliquid adjicere.*

Aut ſaltem veritatem profeſſe.

Similiter *Durandus Epiſcopus Mimatenſis* lib. 7. de divinis Officiis cap. 24. ſic ſcribit, Hieronymus dicit: Quemadmodum B. Virgo aſſumpta fuerit, ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio; Deus ſcit: Auguſtinus verò dicit quòd in corpore. Veritas tamen eſt quòd primò aſſumpta eſt in anima: utrum verò corpus remanſit in terra, incertum habemus; & meliùs eſt piè dubitare, quàm aliquid temerè definire; piè tamen credendum eſt eam fuiſſe totaliter aſſumptam.

His adſtipulatur *Ado Viennenſis* Epiſcopus, qui in libello de feſtivitatibus ſub finem ad VII. Idus Septembris; ita ſcribit: Cujus (Sanctiſſimæ Dei genitricis) dormitionem XVIII. Kalend. Septembris omnis celebrat Eccleſia, cujus & ſacrum corpus non invenitur ſupra terram, ſicut nec B. Moyſis ſepulchrum, quem ſacra Scriptura dicit à Domino ſepultum: tamen pia mater Eccleſia, quæ ſuis obſervationibus integerrimâ fide fundata conſiſtit, ejus venerabilem memoriam, ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet, ubi venerabilis Spiritûs ſancti templum illud, id eſt, caro ipſius beatiſſimæ Virginis Mariæ divinô nutu & conſiliô occultatum ſit, magis elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.

Similia fermè habet *Vſuardus*, quem Voſſius A lib. 2. de hiſt. Latinis, dicit eſſe *Monachum cœnobii Fuldenſis Ordinis D. Benedicti, auditorem Alcuini.* Philippus verò Labbe in Bibliotheca Chronologica, aſſerit fuiſſe Monachum Ordinis S. Benedicti, & *S. Salvatoris Vicecomitis Abbatem* in inferiori Normania: Cæteri verò exiſtimant eum fuiſſe *Monachum cœnobii S. Germani apud Pariſios*, hôc nixi fundamentô, quòd in pervetuſto Martyrologio Manuſcripto a Petro Pithoeo S. Germani Monaſterii Patribus donata, hæc in fine prologi legantor: *Explicit prologus Vſuardi Monachi S. Germani Pariſienſis.* Ille inquam, in ſuo Martyrologio hæc habet: *Decimò octavò Kalend.* B *Septembris. Dormitio ſanctæ Dei genitricis* MARIÆ *cujus ſacratiſſimum corpus, etſi non invenitur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia quæ venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quò autem venerabile illud Spiritûs ſancti templum nutu & conſiliô divinò occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Igitur his omnibus momentis conſtat tum præfatum ſermonem eſſe S. Hieronymi, tum Eccleſiam non habere pro certo B. Virginem in corpore ſimul & animâ eſſe receptam in cœlo.

XLI. *Verùm ſit ſatis eis omnibus.*

Nego conſequentiam, & ad primum caput dico, non eſſe mirum quòd plurimi authores hunc ſermonem laudaverint, & aliquot Eccleſiæ lectio- C nes ex eo in ſuis Breviariis inſcripſerint, cùm diu exiſtimatum fuerit hunc ſermonem eſſe reverà S. Hieronymi, & præterea plurima in eo in Deiparæ Virginis commendationem & gloriam non ſolùm eleganter ſed & piè ſcripta habeantur; unde non mirum quòd Eccleſia Romana aliquando ex eo ſermone Lectiones deprompſerit, nam ut obſervat Pius V. in ſua conſtitutione præfixa Breviariô à ſe editô, & à pluribus nævis, quibus ſcatebat, repurgatô, in antiquis Breviariis plurima erant aliena & incerta, quæ omninò expuncta fuere; ſicut & pridem jam reſciſſus fuit à Breviario Romano ille Pſeudo-Hieronymi ſermo; ac ſubinde ei nulla acceſſitur authoritas & com- D mendatio, quòd vel quædam illius pars aliquando fuerit inſerta Breviariis; vel quòd plurimos habuerit laudatores. Quibus curæ ac cordi non fuit inveſtigare & perſcrutari, an reverà ſermo ille qui vulgabatur ſub nomine S. Hieronymi, illius eſſet, nec-ne; cùm de eo nulla tunc moveretur controverſia.

1. Quod fuerit inſertus in Breviariis.

XLII. *2. Quòd Hincmarus illius patrocinium aſſumpſerit.*

Nam quòd Hincmarus illius ſermonis defenſionem ſuſceperit adverſus Monachum Corbienſem, non eâ ratione fecit, quaſi ipſe corporalem Deiparæ Virginis Aſſumptionem in dubium revocaret: quâ fide enim id fuiſſet aggreſſus, cùm paucis antè annis à Patribus Concilii Moguntini aſſerta fuiſſet Aſſumptio corporea: quod utique Hincmarum latere non potuit? Nil igitur aliud præſtitit Hincmarus, quàm ſermonem E illum quem exiſtimabat eſſe S. Hieronymi, benignè interpretari, ne illius ratione S. Hieronymus apud Catholicos ſiniſtrè audiret; iſtud enim innuere videtur Flodoardus cùm ait: *Homiliam verò eandem aſſerere* (Hincmarum) *ab Hieronymo Catholicè dictatam ſicut & ſtylus & cautela ſensûs & intellectûs, & alia certa indicia demonſtrant.*

XLIII. *3. Quod idem proferant Ado & Vſuardus.*

Quantùm autem ſpectat ad Adonem & Uſuardum, jure meritô eos carpit Baronius ad annum 48. *num.* 15. his verbis: Uſuardus & Ado in ſuis Martyrologiis, putantes ſcriptionem il-

illam de transitu B. Mariæ, Hieronymi esse germanam, rursumque id esse ratum io Ecclesia, quòd ille sensisset, existimaores; quasi ex sententia Ecclesiæ, hæc in hunc modum descripta posuetuot 18. Kal. Septembr. Dormitio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sacratissimum corpus, etsi non inveniatur super terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ot pro conditione carnis eam migrasse non dubitet? Quò autem venerabile illud Spiritûs sancti templum nutu & consiliô divinô collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire; quàm quid frivolum & apocryphum inde tenendo docere. Hæc ipsi. Sed dum se apocryphum vitare putant, in deterius lapsi sunt. At unde tandem hæc ab eis accepta, unde deducta? Non aliunde certè, quàm ex illo non dicam tantùm apocrypho libro, sed impostura, Hieronymi oomine pervulgata, vel recèns à quibusdam, ut Erasmo, falsò adscripta Sophronio: ibi enim hæc eadem ferè verba, vel quæ eandem prorsus sententiam reddant, habentur: Propter cautelam, salvâ fide, piò magis desideriô opinari oporteat, quàm inconsultè definire, quod sine periculo nescitur. Hæc ibi, & alia plura in eandem sententiam; ut illud suprà: Quid horum verius censeatur, ambigimus, anima-ne tantùm, vel juncta corpori sit in cœlum recepta. Laudanda fortè modestia, nisi esset labefactata mendaciô. *Si* enim sententia Domini, qui à semetipso loquitur, mendax est; quantò magis qui falsò quò aliquam aucuparetur fidem, sese Hieronymom simulavit; ut quem constat post Nestorii vixisse tempore, tam familiariter Paolam & Eustochium allocutus videatur? Ex his itaqoe vides, quales sint ejus merces, quas nonnisi hisce offusas tenebris licuerit venditare, cum sincera veritas luce gaudeat.

Paulò post: Sed Usuardum & Adonem ad institutam semel orationem iterum revocemus. Unde, qoæso, vobis ista nomenclatura noviter osurpata, ut Dormitionem, non Assumptionem dicatis, cùm præsertim pridiè ejus diei ambo dixisseris, *Vigilia Assumptionis*? Cur oon potius vestra sententia, Vigilia dormitionis? Cur hæc incoostantia sermonis? Cogor equidem cum Apostolo dicere: *Currebatis bene; quis vos impedivit?* An fortassè moti estis exemplò Græcorum, qui item Dormitionem dixerunt? Sed nec vobis hujusmodi suffragatur exemplom: cùm alioqui Joannes Damascenus & alii qui dormitionem dixerunt, eam tamen unà cum corpore in cœlum esse assumptam, apertè testati sint; nec, ut vos, id affirmare dubitaverint. At sanè (ut liquidò apparet) nihil ad hæc vos impulit, nisi Hieronymi, quam putabatis authoritas. Hinc excusatione aliquâ digni essetis, quòd Hieronymi oomine decepti estis, si Romanæ Ecclesiæ, quod sequeremini, exemplum defuisset. Ao non præcedebant quæ sectari debuisseris, Romani Martyrologii vestigia antiquissima, in quo non Dormitio, sed Assumptio dicitur? Quâ voce semper Romana Ecclesia usa est, ut est videre in Ordine Romano, Sacramentario S. Gregorii aliisque antiquis Ritualibus, & Missalibus libris. Ecquid, rogo vos, sibi vult, quòd dum aliorum omnium recolit Ecclesia Sanctorum Nativitatis, nempe migrationis ex hac vita celebritatem, natalem diem nominare consuevit, vel migrationem, vel aliquando dormitionem, hanc nec migrationem vocat, sed Assumptionem appellat? Nisi quoniam non solius A animæ ad Deum transitum, sed & corporis simul evectionem voluit significare. Sicut enim cùm Christi anima unà cum carne cœlos propriâ, non alienâ virtute conscendit, Ascensionem vocat; ita Dei Genitricis migrationem, quòd non suâpte virtute, sed filii gratiâ à mortuis resurrexerit, & in cœlum evecta fuerit, proprietate loquendi maluit Assumptionem Ecclesia appellare.

Porrò non hi tantùm eâ epistolâ commentitiâ, Hierooymi nomine scriptâ, vel Sophronio falsò attributâ, sed & alii complures eorundem authoritate decepti sont, quòd dixerint: *Plus elegit sobrietas Ecclesia nescire cum pietate, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere*; ut inter alios author ille sermonis, qui hactenus Augustini nomine latuit (Est autem trigesimus qointus de Sanctis) sed falsò: cùm enim citetur ab eo Isidorus, alium ab Augustino esse auctorem, certum est: Ille, inquam, eâdem Hieronymi authoritate perculsus, nec verbum proferre de Assumptione cum corpore ausus est. Sed dicant, velim, ubinam, aut quando, vel quô saltem levi signô id quod dicunt, Ecclesia professa sit se nescire, cùm alioqui licèt nullum de ea re decretum ediderit, in ipsis sacris Ecclesiasticis precibus, quas eâ die publicè recitare consuevit, id affirmasse sæpiùs videatur, Versibus, Responsoriis, Antiphonis & Lectionibus; In quam sententiam C cùm Patres omnes, qui de ea re egerunt, æquè conspirent, & Scholasticorum classis & procacis sit animi indicium, Ecclesiæ universalis usoi, & tot Patrum sententiis non acquiescere, maximamque omnium esse temeritatem his omnibus contradicere, cùm præsertim, quæ Hieronymi vel Sopbronii nomine scripta est epistola, quam refellimus, ac proinde Augustino sermones de Assumptione falso adscripti, quos meritò Lovaniensis Schola rejicit in angulum, vel quæ id genus sunt aliæ apocryphorum quisquiliæ, quæ potiùs detrahant, quam probent veritatem, eadem omnia alia adhuc confitemur ratione, ut manifestæ arguantur falsitatis. Hæc Baronius, quæ idcirco, D quamquam paulò longiora, voluimus hîc inserere, quoniam compendiosè omnia ferè perstringit quæ fusiùs huc usque disseruimus.

Petes quô tempore existimetur concinnatus suprà dictus sermo Pseudo-Hieronymi?

XLIV. Quo tempore & à quo concinnatus fuerit ille sermo.

Respondeo mihi non improbabile videri libellum istum fuisse editum & vulgatum post annum 680. quô celebrata est sexta Oecumenica Synodus, in qua damnata fuit Monothelitarum hæresis, quippe acriter pugnat pro duabus operationibus Christi, ait enim: *Constat igitur unum eundemque Christum secundùm utrasque formas operatum, humanitatis scilicet ac Divinitatis; ac per hoc duas exercuisse operationes: operata est enim utraque forma vel natura cum alterius communione, id quod proprium habuit: Verbô siquidem operante quod Verbi est, & carne quod proprium habuit.* Quæ verba videntur mutuata ex sexta Synodo. Adde quòd si libellus iste vulgatus fuisset sub nomine sancti Hieronymi ante Præfatam Synodum; haud dubiè omnes sacri præsules & Doctores, qui acerrimè congestis SS. Patrum Oraculis adversus Monothelitas pugnaverunt, eorum aliquis laudasset præfatum libellum sancti Hieronymi: at oullus quem viderim, illius ævi Scriptor, ipsius mentionem facit; ac subinde non videtur iste libellus tunc temporis in lucem editus: igitur conjicere licet eum fuisse vulgatum circa finem sæculi septimi; cùm videlicet Arculphus in Gallis rever-

ſus narrare cœpit ea quæ audiverat à Monacho de ſublato corpore Virginis ; occaſione namque illius narrationis aliquis novitate hujus ſententiæ delectatus iſtum ſermonem edidit, cui ut fidem aliquam conciliaret, ſub nomine ſancti Hieronymi illum evulgavit.

§. VI.

Sententia ſacræ Facultatis Pariſienſis pro Aſſumptione corporea B. Virginis.

.XLV. Sacra Facultas Pariſienſis corpoream B. Virginis Aſſumptionem animosè & religioſiſſimè propugnat.

HIs omnibus accedit ſacræ Facultatis Pariſienſis de Aſſumptione corporali Virginis Deiparæ ſententia ac doctrina, quæ utique apertiſſimè enituit circa annum Chriſti 1497. gravi editâ cenſurâ adverſus *F. Ioannem Morcellum* Dominicanum, qui cùm inter concionandum quatuor in Eccleſia S. Benedicto ſacra propoſitiones de B. Maria Virgine inſulsè protuliſſet, id ubi ad ſacram Pariſienſem Facultatem relatum fuit, duo ſtatim præſtitit. *Primum* Comitiis habitis die 23. menſis Auguſti, juſſit propoſitiones revocari ab eodem fratre Morcello, quem ſibi eo conſiliô ſiſti voluit. *Deinde* habitô conſenſu D. Joannis Simonis qui tum Pariſienſi Eccleſiæ præerat Epiſcopus, mandavit eidem Morcello, ut in Concione quam habiturus erat eadem in Baſilica feſto die Nativitatis S. Mariæ, tum propoſitiones à ſe temerè editas revocaret, tum cenſuram coram populo legeret, quâ ſacra Facultas ſingulas ex illis propoſitionibus notaverat. Quod utrumque à Morcello præſtitum. Hujus autem cenſuræ, ſacræ Facultatis Pariſienſis, tenor ſequitur: Anno Domini 1497. Auguſti 26. qualificavit Facultas approbando omnem Deputatorum ſententiam, propoſitiones Fratris Joannis Morcelli Prædicatoris modô qui ſequitur.

Prima propoſitio. Deus poteſt producere creaturam puram in majori gloria, quàm ſit Virgo Maria de potentia abſoluta, licèt non de potentia ordinaria. *Cenſura.* Quoad primam partem, licèt ſit vera, tamen ineptè, indiſcretè, infructuosè & ſine ædificatione populi taliter prædicanda. Quoad ſecundam partem, ſi comparare intendat Virginem ad humanitatem Chriſti, vel animam ejus quoad gloriam, falsa eſt, erronea in fide, & ſic revocanda.

Secunda propoſitio. Problema eſt Virginem Mariam pulchriorem eſſe corporaliter Evâ *Cenſura.* Eſt temeraria, laudis & dignitatis Virginis detractiva, falſa, dictis Sanctorum diſſona, Scripturæ ſacræ veriſimiliter contraria, de hæreſi ſuſpecta; ideo revocanda.

Tertia propoſitio. Chriſtum occurriſſe Virgini Mariæ in ſua Aſſumptione apocryphum eſt. *Cenſura.* Falſa eſt, contra ſcripta Doctorum, impietati favens, piarum aurium offenſiva, retractiva populi à devotione, quam habet ad Virginem Dei Genitricem ; ideo revocanda.

Quarta propoſitio. Nos non tenemur credere ſub pœna peccati mortalis, quòd Virgo fuit aſſumpta in corpore & anima, quia non eſt Articulus Fidei. *Cenſura.* Ut patet, temeraria, ſcandaloſa, impia, devotionis populi ad Virginem diminutiva, falſa & hæretica; ideo revocanda publicè. Revocatæ ſunt 23. per Prædicatorem Fratrem Joannem Morcelle, in præſentia Facultatis, revocabitque coram popolo in die Nativitatis Virginis Mariæ proximè ventura in Eccleſia ſancti Benedicti, ubi propoſitiones prædicaverat in die Aſſumptionis, cujus revocationis copia, & ſchedæ per Facultatem Theologiæ confectæ, de conſenſu reverendi in Chriſto Patris & Domini Epiſcopi Pariſienſis, datæ per prædictam Facultatem Fratri Joanni Morcelle ad pronunciandum in ſuo ſermone, quem fecit in die Nativitatis B. Mariæ in Eccleſia *S. Benedicti benè verſi*, Pariſiis annô, die, menſe prædictis.

Ex quibus apparet quàm religioſa ſit ſacra Facultas Pariſienſis erga Deiparæ Virginis cultum & obſervantiam ; quippe nedum immaculatam ejus Conceptionem, ſed & corporalem in cœlum Aſſumptionem ſtrenuiſſimè propugnat.

Cujus ſententia vindicatur.

Repones cenſuram illam videri ſuppoſititiam. *Primo* quia ſupponitur facta 7. Kalend. Septemb. ann. 1417. at Robertus Guaguinus Ordinis S. Trinitatis de Redemptione Captivorum miniſter generalis, ac Pontificii juris Interpres, qui eôdem annô Kalend. Octob. concertationem habuit de puritate Conceptionis Virginis Mariæ adverſus Vincentium Caſtranovanum, in qua nomine Thologorum Pariſienſium apparere voluit; In ea autem refert omnes Deiparæ Virginis gloriæ detractores, quos ſacra Facultas ſuis cenſuris mulctaverat, ac proſcripſerat : at ne verbum quidem in illa accuſatoria narratione de damnato Joanne Morcello pronuntiat. Signum eſt igitur illam cenſuram ſuppoſititiam eſſe ; nam ſi quâ veritate niteretur, illam procul dubio, ut egregium ſuæ narrationis argumentum non ſiluiſſet, ait enim : Quandoquidem tota ſtudii atque certaminis hæc diſceptatio eſt, veſtrum examen jure ſubibit, quô permulti olim aut ſteterunt, aut ceciderunt : quod enim veſtro libratum eſt ſcrutiniô, id ſine dubietate verum juſtumque à fideliſſimis quibuſque ſuſcipitur. Chriſtianæ nempe religioni non minùs firmamento, quàm arrogantiæ plurimorum formidini ſemper fuiſtis. Nam Theologicæ ſapientiæ & laudis veſtræ eſt Majorum veſtrorum gravis quondam in Joannem de Monteſono definitio, cujus defenſorem Ebroicanum Pontificem Guillermum pœna ſimilis complexa eſt. Quos ad parem errorem ſecutus Joannes Thomas, veſtro examine damnationem accepit. Eôdem exemplô Adam Sueſſionæus plexus eſt, nec veſtram Gaufridus de ſancto Martino cenſuram evaſit. Joanois Adæ temeritas erroris ſui perfidiam vobis inſequentibus abroegavit. Sed nunquid Petrus de Canchero, Joannes Nicolai, Petrus quoque de Cheriaco veſtris diſputationibus ſuperati, publicæ retractationis diffamatione ſe inſignes reddiderunt & famoſos.

Secundo, cenſura videtur nimis feſtinanter lata; ſiquidem intra prædicationem propoſitionum, & earumdem notationem dies tantùm 11. intercedunt, quô ſanè modicô tempore non potuerunt deputati cenſores inveſtigare ac revolvere Concilia ac SS. Patres, ut juxta eorum placita de prædictis propoſitionibus ſententiam ferrent.

Adde quòd propoſitiones revocatæ ſunt per F. Joannem Morcellum die 23. Auguſti, cùm tamen ſupponantur notatæ, ac damnatæ, ac cenſurâ proſcriptæ die 26. Auguſti.

Tertiò: Quarta propoſitio damnatur ut hæretica, cùm tamen fidei articulus non ſit Virginem in corpore & anima in cœlum aſſumptam eſſe, ac proinde id negare non eſt hæreticum.

Verùm quàm futilia, quamque levia ſint hæc momenta, quibus impetitur cenſura ſacræ Facultatis, facilè apparet. *Primum* quidem, quia Guaguinus ſignificat ſibi fuiſſe propoſitum in

medium adducere, non quidem quod heri vel nudius tertius actum esser; sed quud olim & à majoribus decretum à sacra Facultate adversus Novatores; ut apparet ex ejus verbis: ad quod certè institutum nil conferebat censura recens adversus Morcellum lata; quippe quæ adhuc omnium ore vulgabatur.

Ad secundum dico non diu laborandum fuisse Facultati ut deprehenderet quibus notis præfatas propositiones, maximè verò quartam proscriberet, quippe cùm receptissimum tunc temporis esser in Ecclesia, Deiparam Virginem corpore simul & animâ in cœlum esse assumptam. Quod utique fit vero similius, quia illæ propositiones F. Morcelli ita probos omnes offenderant, ut non expectatâ solemni Facultatis censurâ, quæ tantùm 26. Augusti edita est, easdem ipse privatim die 23. ejusdem mensis coram Facultate revocare coactus fuerit, donec videlicet per Facultatem sigillatim notatas in publica Concione eas revocaret, & ejuraret.

Ad tertium dico, quartam illam propositionem non idcirco damnari ut hæreticam, quòd Morcellus negaret Mariam Virginem corpore in cœlum evectam; sed quòd doceret ideo nos non teneri sub pœna peccati mortalis id credere, quia non est Articulus fidei: Plurima enim sunt quæ inter Articulos fidei non censentur, putà servandum esse quadragesimale jejunium & similia innumera, quæ si quis negaret, mortalis peccati labem incurreret; ac proinde hæreticum est asserere, posse citra peccatum mortale negari id quod inter Articulos fidei non censetur.

QUÆSTIO VI.

De cultu & invocatione Deiparæ Virginis.

I. Quare tanto impetu omnes hæretici, præsertim Recentiores, in B. Virginem insurgant.

NOtandum primò, quòd cùm Virgo Deipara per eximiam vitæ suæ integritatem ac sanctimoniam, non solùm caput, sed etiam corpus serpentis contriverit; hinc vaferrimus ille serpens omnes, quas potuit, movit artes, ut ei debitum cultum ac venerationem impendendam, vel prohiberet, vel pessundaret. Nam prætet quàm quòd aliquando extiterint hæretici, maximè verò mulierculæ quædam, vt narrat S. Epiphanius hæresi 78. & 79. quæ Virginem Deiparam velut Divinitatem aliquam venerabantur, & ei libationem & sacrificia deferebant; varii fuerunt quovis pene sæculô Mariani cultûs osores & impugnatores hæretici; cùm enim de beatissima Virgine meritò canat Ecclesia: *Cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*, nemini mirum videri debet, si omnes suborientes hæreses adversus ejus gloriam debacchari ac militare non cessent. Nam, ut alios taceam, Lutherani & Calvinistæ in B. Virginis cultores infensissimô odiô exarserunt. Hinc est quòd Lutherus in postilla Nativitatis & Annuntiationis Mariæ, non minùs mendaciter, quàm impudenter scribat, Papistas Mariam Deam fecisse, & plus recurrere ad illam, quam ad Christum, & plura ab ea petere & expectare. Melancthon in Apologia confessionis, ait: *Clarum esse apud Papistas Mariam successisse in locum Christi*; quia *plus fiducia ponunt in illa, quàm in Christo, & plus illam quàm Christum orant; quasi Christus esset solum Index, & non Propitiator.* Calvinus in harmonia in cap. 2. Joannis, ait: *Nos onerasse Mariam spoliis Christi, & non putare illam satis honorari, nisi Dea fiat.*

II. Longè efficacior ac præstantior est B. Virginis interpellatio quàm omnium Sanctorum.

Notandum secundò, impetrationem B. Virginis longè præstantiorem ac efficaciorem esse, quàcunque interpellatione Sanctorum, idque multiplici de causa: *Primò* quidem, quia est Mater Dei, ac proinde illius apud Deum postulatio efficacissima est; unde Seraphicus Bonaventura in speculo Mariæ cap. 8. non minùs devotè quàm præclarè ait: *Quia Dominus potentissimus tecum est, ideo & tu es potentissima secum, potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum*: ita ut verè dicere possit illud Eccles. 24. *In Ierusalem potestas mea.* Et cap. 5. ait, *abyssum invocare abyssum*, quando Mater Dei Filium pro nobis invocat: & refert ibidem Augustinum, de ea sic loquentem: *Sicut apud Deum es potentior, ita præ omnibus Sanctis es pro nobis sollicitior. Secundò*, quia est sanctior omnibus aliis Sanctis, non solùm hominibus, sed etiam Angelis, ut docet S. Ephrem de laudibus Virginis scribens: *Sanctior Cherubim, sanctior Seraphim, & nullâ comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior.* Unde Petrus Damianus serm. de Annuntiatione, ait: *Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus esse Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. Tertiò*, quia quamvis oret Deum per Christum, sicut & alii Sancti, tamen non est improbabile alios Sanctos Christum etiam orare mediante ipsâ B. Virgine: Unde S. Bernardus serm. de Nativitate Mariæ, ait: *Ad Patrem verebaris accedere, ille tibi dedit Mediatorem, scilicet Christum: sed forsitan & in ipso Majestatem vereare divinam, advocatum vis habere ad ipsum? ad Mariam recurre, &c.* Plures aliæ rationes ad eandem veritatem asserendam collineare possunt, quibus compertum fiat beatissimam Virginem peculiari devotione meritò jure à fidelibus celebrari, utpote quæ cum Deo longè præstantiorem, quàm cæteri Sancti, affinitatem habeat.

III. Quo sensu nonnulli tituli Christi D. Virgini Matri approprientur.

Notandum tertiò, quòd cùm plerique ex S. Patribus scribant B. Virginem esse apud Deum omnipotentem, mediatricem, humani generis reparatricem, & alia ejusmodi; hæc ita sunt accipienda per sensum accommodationis, ita quòd dicatur omnipotens secundùm quid, seu per quandam assistentiam divinam, quâ nempe creatura potest aliqua operari propter peculiarem assistentiam & concursum Dei operantis & producentis ea quæ ab ipsa creatura postulantur & exorantur: quem utique omnipotentiæ modum nonnulli è SS. Patribus tribuunt B. Virgini; præsertim sanctus Anselmus lib. de laudibus Virginis cap. 12. *Te sic Deus exaltavit, ut omnia secum possibilia donaverit.* Et infrà orans B. Virginem, *Tu velis*, inquit, *& nequaquam fieri non poterit.* Petrus Damianus serm. 2. de Nativitate Mariæ: *Fecit tibi magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare: quomodo enim ulla potestas potentia tua potuit obviare? &c.* Et statim post: *Accedit enim ad illud aureum reconciliationis altare, non solùm rogans, sed etiam imperans, Domina, non ancilla.* Simili ratione dicitur mediatrix & reparatrix generis humani, non quidem immediatè, sed mediante Christo D. quia nempe ejus beneficiò hunc potentissimum habuimus Mediatorem & Redemptorem.

His ita præmissis, duo supersunt determinanda:

da;

da: *Primum*, quòd Virgo Deipara longè nobiliori cultu, quam omnes alii Sancti, sit veneranda: *Secundum*, quòd longè potentior & efficacior sit illius ad Deum interpellatio, quam aliorum Sanctorum: quæ duo hâc unicâ conclusione SS. Patrum authoritate expendemus.

Conclusio Ultima.

IV. B. Virgo speciali cultu supra alios Sanctos est colenda.

Beatissima Virgo est colenda cultu hyperduliæ, & præ cateris Sanctis interpellanda. Probatur *prima pars*: Adoratio & cultus hyperduliæ ille est qui creaturæ rationali impenditur propter præcellentem ejus dignitatem & sanctitatem, divinâ quidem inferiorem, sed cæterarum creaturarum sanctitate sublimiorem: at talis est beatissimæ Virginis dignitas & sanctitas: Nam, inquit S. Anselmus de laudibus Mariæ cap. 9. *Pura enim sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendens incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditioribus benignissimè fieret.*

Idem habet Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in epist. ad Joannem Episcopum Synadensem, quæ probata est in septima Synodo actione 4. ubi inter cætera scribit: Ipsam propriè, veréque Matrem veri Dei colimus & magnificamus, & universâ visibili & invisibili creaturâ superiorem arbitramur.

Similia scripsit Theodorus Hierosolymitanus Patriarcha in epistola Synodica, quam probavit eadem septima Synodus actione 3. In ea namque epistola dicit: *Quæ reverà Dei Mater est, & tam ante quàm post partum Virgo permansit: atque omni tam intelligibili quàm sensibili natura facta est gloriâ & splendore præstantior.*

Hinc Basilius Seleuciensis oratione 33. ait: *Si de aliis Sanctis Paulus dixit, quibus dignus non erat mundus, quid de Dei Genitrice dicemus, quæ tantò splendidius Martyribus coruscat, quantò Sol stellas omnes fulgore vincit?* Quapropter meritò in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii p. 73. legimus hanc professionem: *Quisquis beatam super omnem creaturam, & naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semperque Virginem, Matrem scilicet Domini nostri non honorat, atque adorat, anathema sit.*

V. Et præ aliis est invocanda.

Probatur etiam 2. pars, nempe, quòd non solùm præ cæteris omnibus Sanctis venerandam, sed etiam interpellandam ac invocandam Deiparam Virginem sancti Patres certatim prædicant, cùm eam misericordiæ Matrem, miserorum, afflictorúmque spem, ac solarium; nec-non & salutis reparatricem, apud Deum mediatricem potentissimam appellant. Sic præ cæteris Basilius Seleuciensis oratione in Annuntiationem, *Ave gratiâ plena*, inquit, *mediatrix Deo & hominibus, ut inimicitiæ maceria diruatur, & cœlestibus terrena jungantur.*

Idem scribit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in sermone de dormitione B. Virginis, ubi inter cætera ait: *Nemo Dei cognitione repletur, nisi per te, Sanctissima: nemo salvatur nisi per te Dei genitrix; nemo à periculis liber nisi per te, dilecta Deo.* Demum subjicit: *Tu maternam vim apud Deum obtines, iis qui supra modum peccant, supra modum veniam conficis. Nec enim fieri potest ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus, tanquam veræ & immaculatæ Matri suæ obedit. Unde & afflictus meritò ad te confugit; imbecillus tibi adhæret: qui bellò petitur, te hostibus opponit. Indignationem, iram & afflictionem, immissionem per Angelos malos tu commutas: tu justam comminationem & sententiam æquæ condemnationis convertis, magnoperè amans populum illum, qui nomine Filii tui vocatur.*

His præclarè adstipulatur Arnoldus Carnotensis de laudibus Virginis, ubi inter cætera, in quibus maximè de Virginis mediatione & potentissima suffragatione disputat, hæc habet: *Dividunt coram Patre inter sese Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inviolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat; Filius impetrat, Pater condonat.*

Hinc S. Augustinus sermone 18. de Sanctis, qui est de Annuntiatione, quem aliqui S. Fulgentio tribuunt, Deiparam Virginem sic interpellat: *Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fidâ mente poscimus. Accipe quod offerimus: redona quod rogamus: quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, & in te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.*

His omnibus præclaram coronidem imponet Seraphicus Doctor *in Speculo B. Mariæ Virginis*; maximè verò lectione 5. ubi inter cætera hæc habet: Quis immensitatem Mariæ potest mensurare? Ecce quod dicitur in Ecclesiastico: *Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?* Cœlum est Maria, tum quia cœlesti puritate, cœlesti claritate, cœlestibus aliis virtutibus, abundavit. Tum quia sedes Dei altissima fuit teste Prophetâ, qui dicit: *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem Propheta ait: *Terra dedit fructus suos.* Abyssus etiam est Maria in bonitate & in misericordia profundissima. Unde etiam dum profundissimam misericordiam Filii sui pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum invocat. Cœlum ergo est Maria, terra est Maria, abyssus est Maria. Quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem; quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solùm in gratia & in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam sanctissimam, tam profundam operatus est? Unde specialiter de hujus misericordia ait B. Bernardus: Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta! longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut suâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra: Sed & sublimitas illius supernæ civitatis invenit restaurationem; & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem.

Et infra, cùm dixisset gratiam B. Virginis ipsi fuisse utilissimam, quia fuit ei delitiosa in animo, miraculosa in Filio, gloriosa in regno: deliciosa in mente spirituali, miraculosa in prole Virginali, gloriosa in diademate æternali; *subdit*: Sed certè charissimi, gratia Mariæ non solùm utilissima fuit sibi ipsi, sed etiam nobis; imò toti humano generi: Gratia enim Mariæ colligit malos,

„ impinguat bonos, liberat universos: colligit à culpa, impinguat gratia, liberat à morte æterna. Dico ergo quod gratia Mariæ colligit ad misericordiam, colligit ad Ecclesiam malos... O verè magna Mariæ gratia! quâ multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur; & ideo bene B. Bernardus ait: Maria tu peccatorem toti mundo despectum, maternô affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo Judici miserum reconcilias... Suffragante gratiâ Mariæ (boni) impinguantur unctionibus gratiæ, impinguantur, inquam, pinguedine Spiritûs sancti, quâ & ille impinguari cupiebat, qui dicebat: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*. O quis æstimare valeat, quàm multæ animæ opitulante gratiâ Mariæ, sint per gratiam impinguatæ; immò certè quis æstimare valeat, quanta in ipsa Maria fuit impinguatio gratiarum, cujus gratiâ impinguata sunt tot millia animarum? “

„ Item gratia Mariæ liberat à morte æterna universos qui liberantur..... Unde Anselmus ait: Quid, inquit, dignè referam Genitrici Dei, & Domini mei? Per cujus fœcunditatem captivus sum redemptus, per cujus partum de morte æterna sum exemptus, per cujus prolem, perditus restitutus sum, & de exilio miseriæ ad patriam æternæ beatudinis sum reductus? O ergo Mater gratiæ fac nos Filios gratiæ: fac, ut per gratiam tuam verissimam, colligamur ad veniam remissionis, impinguemur per gratiam devotionis, liberemur à morte damnationis. Per Dominum nostrum, &c. “

Finis Tractatûs de Verbo incarnato, eiusque Deipara Virgine Matre.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE DIVINO GRATIÆ BENEFICIO.

DIVINUM & inexhaustum Gratiæ cœlestis thesaurum ac effluvium investigare & reserare auspicor eò lubentiùs, quòd nulla Theologica materies ad docendum uberior, vel ad discendum utilior, vel jucundior sit ad audiendum. Quid enim debet esse jucundius, vel infirmis gratiâ quâ sanantur, vel pigris gratiâ quâ excitantur, vel volentibus gratia quâ adjuvantur? *Ait acerrimus gratiæ assertor & vindex S. Augustinus Epist. 106. Quænam captu conceptuque facilior & utilior doctrina;* quàm gratiæ Dei, quæ *(inquit S. Fulgentius lib. 1. de Prædestinatione cap. 16.)* priùs donatur homini non cognoscenti, non diligenti, non desideranti; ipsaque se faciat cognosci, diligi, postulari? *Nullum etiam est apud Theologos argumentum, cujus disceptatio sit laboriosior, quàm gratiæ Dei; pleraque enim tam ardua & recondita complectitur, ut meritò dubium sit, an ullâ parte Theologiæ difficiliora possint inveniri. Unde nulla prorsus occurrit, in qua Doctissimorum ingenia magis hucusque desudaverint; si enim gratiæ nimium tribuas, statim liberum læditur arbitrium: si libero quid nimis concedatur arbitrio, confestim gratiæ necessitas atque præsentia convelli videtur & imminui. Hinc fit, ut difficilimum sit hoc in stadio decurrendo, viâ regiâ semper incedere, non declinando ad dextram, neque ad sinistram. Hæc tamen ita justè & æquè libranda sunt, ut quæ libero arbitrio propria est cooperandi vis, non perimatur: atque vicissim ita liberi arbitrii cooperatio est asserenda, ut gratiæ efficacitati ac necessitati nihil detrahatur. Nam, ut perbellè ait S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio:* Tolle liberum arbitrium, non est quod salvetur: tolle gratiam, non est unde salvetur.

Quàm jucundum sit, quamque utile de Gratia sermonem facere.

Nulla tandem uberior est ac sublimior docendi dicendique seges, quàm genuinus iste divini in homines amoris fœtûs & partûs, quô terrena licèt labe concreti in Deum ipsum assurgimus, & depositâ peccati colluvie divinam illius pulchritudinem induimus. Gratia namque, ait S. Augustinus Epist. 85. est pictura Dei, *vel, ut inquit S. Gregorius Magnus Homil. 27. in Evangelia,* interioris hominis pulchritudo, & humanæ mentis candor. *Quapropter S. Ambrosius lib. 6. Hexameron cap. 8. eam præclarè appellat,* vestem cœlestis pulchritudinis: *& S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos;* inscriptionem Dei. *Hæc enim videtur divinæ pulchritudinis particula quædam, animæ cœlitùs infusa, eamque tam amabili luce perfundens, ut non solùm Deum in sui amorem rapiat, sed & supra omnes naturæ limites evecta, nec jam amplius humi repens & gentilitii luti vernacula, fiat divinæ consors & particeps naturæ.* Maxima namque, *ait S. Petrus*, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini

consortes divinæ naturæ. *Maxima, inquam, cùm naturam omnem, esto immortalem, antecellant; pretiosa verò, quæ non corruptibilibus aurô vel argentô, sed comparata sunt propriô sanguine Agni immaculati Christi Domini.*

Postremò: Per hæc divinæ simus consortes naturæ; *nobis enim in ordinem statumque divinum gratiæ beneficiô sublatis, vita ipsa Dei, divinæque illius dotes tantâ præcellentiâ conferuntur, ut quod in argumentum Divinitatis Deus ipse Exodi 3. assumpsit*: Ego sum qui sum; *hoc idem homo per gratiam in Deum transformatus, quantùm Divinitatis lineamenta fragile lutum capit, efferre audeat*, Gratiâ Dei sum id quod sum.

Totius præsentis Tractatûs delineatio. *Tanti igitur, tamque divini beneficii dignitas & fœcunditas, ut nobis aliquatenus innotescat, præsentem Tractatum tribus Disputationibus absolvemus: quarum* Prima *gratiæ existentiam ac necessitatem ad verum cognoscendum, bonum sectandum, & malum declinandum aperiet.* Secunda *ejusdem gratiæ essentiam, causas, & nobiliores illius divisiones ac species explicabit.* Tertia *tandem dispositiones ad gratiam sanctificantem excipiendam, nec-non & illius sanctificationis rationem ac fœcunditatem in bonis seu meritoriis operibus eliciendis, declarabit. Sed priùs prælibanda ac præmittenda sunt quædam præludia, quò securiori pede profundissimam gratiæ abyssum, variosque & abditissimos illius recessus scrutari ac perlustrare liceat.*

PRÆLUDIA THEOLOGICA.

In quibus omnia quæ de divina Gratia dicenda sunt, prævio lumine sequentibus in paragraphis illustrantur.

§. I.

Quæ sit propria ac genuina nominis Gratiæ significatio?

I. Gratiæ nomen varia significat. CUM varia sit & multiplex nominis gratiæ, quùm à sacris, tum à profanis Authoribus usorpatio, ne quis ob vocis ambiguitatem statim in limine hæreat, non ingratum fore arbitror illius variam significationem primâ fronte detegere.

1. corporis venustaté. *Primò* itaque, gratiæ nomen significat quandam venustatem, seu pulchritudinem corporis, juxta illud Proverb. ult. *Fallax gratia & vana est pulchritudo, &c.*

2. Sermonis elegantiam. Usurpatur itidem pro elegantia & concinnitate sermonis. Sic Eccles. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & lingua Euchari.* i. e. *gratiosa, in bono homine abundat*: Unde quotquot Christum Dominum oracula fundentem audiebant: *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus*: Hinc pronuntiaverat Vates Regius: *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

3. Benevolentiæ fœdus. Sumitur interdum gratiæ nomen pro effectu benevolentiæ, dicitur enim quis redire cum alio in gratiam, dum illius affectum promeretur, unde nihil in Scriptura frequentius, quàm *si inveni gratiam in oculis tuis, &c.*

Significat etiam gratitudinem, seu gratiarum actionem, sic 2. Reg. 2. David ait: *Ego reddam gratiam*; unde illud Sophoclis, *gratia gratiam paris*, id est, beneficium omne gratis collatum gratitudinem postulat. Verùm omnes hæ & aliæ similes gratiæ acceptiones impropriæ sunt, & ab instituto nostro alienæ. 4. Gratitudinem.

Itaque gratia magis propriè significat donum omne gratuitum ex mero Dei beneplacito & liberalitate proficiscens: sic enim rectè intelligitur, quomodo non reddatur meritis, sed gratis omnino tribuatur; quæ ratio est cur gratia nominetur. Namque nomen gratiæ suam originem habet, non ex eo quòd gratum faciat suum subjectum, sicuti parum accuratè aliqui dixerunt; sed ex eo quòd gratis detur; quemadmodum constat, tum ex Scriptura Rom. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* 5. Gratuitum Dei donum.

Quô locô Apostolus gratiam opponit debito: & clariùs adhuc c. 11. ejusdem epistolæ: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Tum ex S. Augustino pluribus locis passim, maximè lib. de natura & gratia c. 4. *Hæc*, inquit, *gratia sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nuncupatur.* Et II. Unde suam genuinam significationem, & Ethimologiam ducit.

in Pſal. 43. *Gratia*, inquit, *meritò nominatur; quia gratis datur.* Similia habet infinitis propè locis, maximè ubi diſputat adverſus Pelagianos.

Ipſi concinit S. Bernardus Serm. 2. de Reſurrectione, his verbis: *Gratia gratis datur; etiam cùm emitur, gratis emitur*, juxta illud Iſaiæ 55. *Venite, emite abſque argento vinum & lac.* Hinc S. Iſidorus Hiſpalenſis in lib. 1. Reg. cap. 10. præclarè obſervat gratiam rectè aſſimilari lacti; quia, inquit, *lac eſt in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, ſed ſatagit dare: hoc mater gratis dat, & contriſtatur, ſi deſit qui accipiat.* Ex quibus omnibus conſtat, gratiæ nomen, quatenus à Theologis uſurpatur, ſignificare bonum omnino gratuitum, quod citra debitum atque obligationem dantis, & citra jus recipientis tribuitur.

III.
Duplex eſt debitum.
Unum ex parte meriti.
Aliud ex parte conditionis naturæ.

Quæ ut clariùs innoteſcant, ſciendum eſt duplex (quantùm ad præſens attinet) intelligi & diſtingui debitum: unum quidem ex parte meriti, quod refertur ad perſonam cujus eſt exercere opera meritoria, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Alterum verò eſt ex parte conditionis naturæ: ſic dicimus debitum eſſe homini quòd habeat rationem, liberum arbitrium, & omnia alia quæ ſpectant ad integritatem & conditionem humanæ naturæ. Particula autem *(gratis)* in definitione gratiæ propriè ſumptæ, excludit utrumque debitum, videlicet meriti, ſive operis, & conditionis ſive integritatis naturalis. Hinc eſt quòd dona ſupernaturalia ſpecialiùs rationem gratiæ propriè dictæ ſibi vindicent, quàm dona naturalia: hæc enim carent equidem priore debitô, quippe cùm ſint indebita ratione meriti & operis, quia non cadunt ſub meritum; non carent autem debito ex parte conditionis, quia ſpectant ad naturæ integritatem. Supernaturalia verò ſpecialiùs ſibi gratiæ rationem & dignitatem vindicant, utpote cùm ſint indebita utrôque titulô, non tantùm ratione meriti, ſed etiam ratione conditionis & integritatis naturalis.

Ut autem facilior ac perſpicacior rerum dicendarum habeatur ratio, congruum judicavi, hoc in præludio attexere delineationem ac diſtributionem communem ipſius divinæ gratiæ, quatenus, dum ſermo fiet de aliquo ex illius membris dividentibus, aliqua illius effulgeat notitia, donec in ſecunda diſputatione fuſiùs de eis diſſeratur.

§. II.

Quotuplex ſit gratiæ diviſio ac diſtinctio?

IV.
Gratia generatim triplex.
1. Naturalis

GRatia generatim triplex diſtingui poteſt: nimirum naturalis, ſupernaturalis & divina: *Naturalis* eſt ipſa hominis creatio, nec-non & id omne quod ipſius naturam conſequitur: hominis enim formatio, donum eſt omnino gratuitum, & ſine illius præcedentibus meritis, ſed ex ſola Dei libertate ac liberalitate conceſſum, ut pluribus in locis præclarè docet ſanctus Auguſtinus, maximè verò Epiſt. 95. ad Innocentium, ubi cùm improbaſſet ſententiam Pelagii, quòd gratiam aliam non agnoſceret præter creationem, ſubdit: *Etſi*, inquit, *quâdam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus, ut nonnihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, & arbor quæ non ſentit, aut pecus quod non intelligit: ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus: & de hoc tantô beneficio Creatori noſtro gratias agere debeamus; unde meritò & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum bonorum meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt.* Et paulo poſt: *Illam verò gratiam, quâ creati ſumus homines, etiamſi ita appellandam non immeritò intelligimus, mirum eſt tamen ſi ita appellatam in ullis legitimis, Propheticis, Evangelicis, Apoſtolicisque litteris legimus.*

Et ſubſcribit S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. *Qui rectè ſapiunt*, inquit, *triplicem confitentur operationem, non quidem liberi* B *arbitrii, ſed divinæ gratiæ in ipſo, ſive de ipſo. Prima creatio: Secunda reformatio: Tertia conſummatio. Primo namque in Chriſto creati ſumus in libertatem voluntatis: Secundo reformamur per Chriſtum in ſpiritum libertatis, cum Chriſto deinde conſummandi in ſtatum æternitatis.*

Gratia divina dicitur, quoniam vel amorem ipſum divinum, fontem & originem omnium prorſus chariſmatum, quæ divinitùs in nos derivantur; vel divinas illas perſonas ad noſtram ſalutem à Deo emiſſas deſignat: quâ ratione Verbi divini Incarnatio, gratia dicitur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Sic etiam Spiritûs ſancti communicatio & infuſio; *Gratia quippe Dei donum eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini cap. 1. C *Donum autem maximum ipſe Spiritus ſanctus eſt, & ideo gratia dicitur.* 2. *Divina*,

Gratia ſupernaturalis eſt, eximia quædam qualitas, ſeu donum gratuitum naturæ captum & ſtatum ſuperans, propter merita Chriſti Redemptoris, nobis à Deo conceſſum, in ordine ad ſalutem conſequendam: quô ſenſu maximè gratia uſurpatur in Scriptura ſacra. Sic Actor. 15. *Per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari.* Et Epheſ. 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum eſt, ut ne quis glorietur.* Et ad Titum 3. *Ut juſtificati gratiâ ipſius hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Unde S. Auguſtinus Epiſt. 19. culpans Pelagium, quòd D ſolam gratiam naturalem admitteret, ait: *Omnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, quâ creati ſumus, ut homines eſſemus: ſed quâ juſtificati ſumus, ut homines juſti eſſemus; iſta eſt enim gratia per Ieſum Chriſtum D. noſtrum.* 3. *Supernaturalis*.

V.
Hæc iterum duplex.
Una quidē Externa.

Hæc autem gratia ſupernaturalis rurſus duplex diſtinguitur, externa videlicet, & interna. Externa dicitur extrinſecum Dei gratuitum donum conducens ad ſalutem, quod æquè ad omnes ſpectat, qualis eſt gratia legis & doctrinæ, ſeu prædicationis Evangelicæ. Quam utique gratiam admittebat Pelagius, ut plurimis locis meminit S. Aug. præſertim verò librô de gratia Chriſti cap. 10. ubi probat adverſus Pelagianos præter ejuſmodi gratias externas, aliam adhuc, videlicet interiorem eſſe admittendam: *Quid manifeſtiùs*, inquit, *nihil* E *aliud eum*, videlicet Pelagium, *dicere gratiam quâ Deus in nobis operatur velle, quod bonum eſt, quàm legem, atque doctrinam, &c. Sed nos eam gratiam volumus, iſti aliquando fateantur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm etiam perſuadetur.*

VI.
Alia verò interna.

Interna dicitur, omne donum gratis à Deo conceſſum, & conducens ad ſalutem æternam, quod proprium eſt uniuſcujuſque, cui conceditur &, interiùs eam afficit. Talis eſt gratia de qua loquitur Apoſtolus Rom. 5. cùm ait: *Charitas Dei dif-*

fusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 5. Et 2. Cor. 3. *epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta, non attramentò, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

Insuper interna dividitur in *Gratis datam.*

Iterum, gratia interna dividitur in gratiam gratis datam, & gratum facientem. *Gratia gratis data* ea dicitur, quæ primariò & per se ad salutem ejus, in quo est non conducit; sed per eam unus alteri cooperatur, ut reducatur ad Deum: seu est donum gratis & absque debito homini collatum per se ac primariò conferens ad procurandam salutem alterius; quæ utique definitio fundamentum habere videtur in istis verbis Apostoli 1. ad Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem*, videlicet aliorum.

Quanquam autem omnis gratia sit gratis data, ut diximus, *num.* 2. attamen gratiæ gratis datæ vocabulum ad hanc gratiæ speciem significandam restringitur: *Primò*, quia Christus D. ejusmodi gratias conferens Apostolis signanter admonet, eas ipsis gratuitò fuisse collatas, & ut ipsas gratis administrarent. Cùm enim dixisset Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*: subjungit: *Gratis accepistis, gratis date.* Secundò, quia vulgò receptum est, ut generis nomen minùs nobili speciei accommodetur: sic brutum designamus, cùm dicimus, *en animal*; gratia autem gratis data minùs est nobilis quam gratia gratum faciens, quia gratia gratum faciens conjungit hominem Deo immediatè; non sic autem gratia gratis data; unde Christus D. Lucæ 10. cùm audisset Discipulos referentes: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*; post pauca subjungit: *Veruntamen de hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Porro gratiæ gratis datæ novem species constituuntur ab Apostolo 1. ad Corinth. cap. 12. nimirum fides, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, Prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum: cujus quidem distributionis rationem subjiciemus disp. 2. dum ejusmodi singulas gratias expendemus.

Et in *gratum facientem.*

Gratia gratum faciens, ea est per quam creatura rationalis efficitur Deo grata & accepta, vel certè disponitur ad hoc, ut talis evadat; quia est donum supernaturale ad propriam uniuscujusque salutem primariò & per se concessum.

VII. Hæc subdividitur in *Habitualem.*

Rursus gratia gratum faciens subdividitur in habitualem & actualem. Gratia habitualis, ea est quæ confertur per modum habitûs seu qualitatis jugiter in nobis permanentis, cujus duplex est effectus: unus quidem formalis, nempe reddere hominem Deo gratum & acceptum, quia per eam formaliter justificamur, & sumus Deo grati: alius verò productus, quatenus ipsa gratia concurrit cum libero arbitrio tanquam principium effectivum ad eliciendos actus meritorios; quemadmodum calor duos habet effectus, primus est reddere subjectum calidum, cui adhæret: secundus verò est exterior calefactio. Hæc autem habitualis gratia significari videtur à Christo D. his verbis Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Donum enim quod posterioribus verbis significatur, quô Deus mansionem facit in nobis, est permanens & stabile. Eandem quoque gratiam designat S. Augustinus epist. 15. ad Dardanum; ubi docet in parvulis baptisatis, quantumvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Et Concilium Viennense, sicuti refertur in Clementina *de summa Trinitate & fide Catholica cap. unicò*, ubi ejusmodi gratiam parvulis conferri ait, juxta probabiliorem Theologorum tam veterum, quam recentiorum sententiam.

Et in *actualem.*

Gratia actualis illa est quæ per modum actûs conceditur, estque motio quædam Dei, per quam creatura rationalis movetur, & adjuvatur ad exercendas operationes supra naturæ vires, qualis est, v. g. sancta quædam inspiratio, sive cogitatio in mente; & pia affectio in voluntate divinitùs excitata atque immissa. De hac autem potissimùm agit S. Augustinus contra Pelagianos, maximè verò in lib. de gratia Christi cap. 12. ubi ait: *Hâc gratiâ agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut credita diligamus.* Ejusdem quoque meminit Concilium Arausicanum secundum Can. 9. ubi ait: *Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

VIII. Aliquid dicitur excedere vires naturæ tribus modis.

Observandum est nos scienter dixisse, auxilium istud esse necessarium ad operationem naturæ vires excedentem; potest autem tribus modis operatio aliqua naturæ vires superare: *Primò*, simpliciter & absolutè, ut si ex genere suo, & secundùm suam substantiam operatio illa sit altioris ordinis, nempe supernaturalis, quales sunt actus virtutum Theologicarum, fidei, spei & charitatis. *Secundò*, ratione dontaxat statûs corrupti per peccatum, non verò simpliciter & absolutè; quemadmodum enim homo ægrotus non potest se se ad actus solidos flectere, nisi adjuvetur ab aliquo, id verò facilè posset exequi, si sanus esset absque illius adjutorio: sic etiam homo per peccatum fractus viribus ac debilitatus, plura non potest efficere sine speciali auxilio, quæ in statu innocentiæ, nullô suffragante auxilio præstitisset. *Tertiò*, denique ratione vel modi, vel loci, vel temporis, vel personæ, aliarumve circunstantiarum; sæpè enim contingit, ut id quod nec ex se, nec ratione statûs vires excedit, easdem tamen superet ratione alicujus circunstantiæ: quemadmodum enim homo sanus, qui ex se sufficiens ac validus esset, ad movendum aliquod pondus, illud tamen movere non posset sine alterius auxilio, vel propter nimiam ipsius ponderis molem, vel quia esset in loco parum commodo constitutus: sic posset aliquis homo justus aliquod ex Decalogi præceptis facilè implere, si nulla necessitas urgeret; secùs verò si gravi tentatione jactatur, nisi aliquô juvetur auxilio speciali.

IX. Gratia actualis subdividitur in *Operantem seu excitantem.* Et in *Cooperantem seu concomitantem.*

Iterum gratia actualis subdividitur in operantem, & cooperantem. Gratia *operans*, quæ etiam *excitans* dicitur, definitur à S. Augustino lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. Per quam Deus in nobis operatur, in nobis sine nobis incipiens. Dicitur verò Deus illam sine nobis operari, non quòd ad illam nullomodò concurramus activè; non potest enim ulla inspiratio, quantumvis subita excitari in mente; vel ulla motio voluntatis tam promptè fieri, quin intellectus & voluntas operentur. Sunt enim actus vitales, qui proinde necessariò & essentialiter dependent a concursu potentiæ vitalis. Deus ergo gratiam operantem dicitur operari in nobis sine nobis, eò quod ad illam non concurramus liberè:

ipſorum enim duntaxat actuum operatores cenſeri debemus, qui ſunt in noſtra poteſtate libera, & quorum domini ſumus.

Et in Cooperantem ſeu Concomitantem.

Gratia cooperans, quæ etiam *concomitans* & *adjuvans* appellatur, ab eodem S. Auguſtino ibidem, definitur, Per quam Deus volentibus cooperatur perficiens: ſive per quam Deus cùm volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur. Gratia, inquam, operans, dicitur etiam *excitans*; quia fungitur quaſi munere illius, qui aliquem excitat à ſomno; nam voluntas torpens ſomnô & deſidiâ peccati, veluti clamore ac voce vocationis per ſanctam inſpirationem excitatur. Sicut autem excitatio fit ſine conſenſu dormientis, ſic etiam illa gratia excitatur in nobis ſine noſtro conſenſu, omnemque prævenit noſtræ voluntatis operationem & uſum: quod utique gratiæ munus deſignatur Apocalypſ. 3. per hæc verba: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; ſtare enim ad oſtium cordis humani, & pulſare per ſanctam inſpirationem, ſolius eſt Dei.

Vel adjuvantem.

Gratia etiam cooperans, meritò dicitur *adjuvans*, quia eô ipsô momentô, quô aliquis excitatus à ſomno & torpore peccati, vocanti Deo liberè reſpondet, atque per conſenſum aperit oſtium cordis ſui, Deus ipſi manus auxiliatrices porrigit, quô poſſit in actum bonum erumpere: quod utique etiam ſignificatur eodem cap. Apocalypſ. cùm poſt præfata verba ſubjungitur: *Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo* non ſolus, ſed *cum illo*. Idem etiam denotatur Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*: Ad hoc enim nos vocat & excitat gratia, ut a ſomno ſurgamus.

X. Operans diſtribuitur in *ſufficientem.*

Iterum gratia operans, ſive excitans vulgò ſubdividitur a Theologis in ſufficientem, & efficacem. *Sufficiens* conſiderari poteſt duobus modis, vel generatim, vel ſpeciatim. Generatim conſiderata dicitur, quæ dat potentiam agendi, vel declinabiliter, vel indeclinabiliter, hoc eſt, vel ita, ut non ſemper conſequatur effectum ſuum; vel ita ut cum eo ſemper conjungatur certò, & infallibiliter, quô ſenſu etiam gratia efficax reducitur ad ſufficientem. Speciatim vero conſiderata, & prout opponitur efficaci, deſcribi poteſt, quæ non ſemper obtinet effectum, vel quæ reipsâ caret, atque privatur effectu, ad quem ordinatur, quamvis eum habere poſſit.

Et Efficacem.

Efficax eſt illa, quæ ſemper obtinet effectum, per quam ſcilicet Deus indeclinabiliter & inſuperabiliter movet voluntatem, nihilque aliud eſt, quàm auxilium quô, cujus toties meminit S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia. Dicitur autem *indeclinabiliter & inſuperabiliter movere voluntatem*, non quòd ſuperari & declinari non poſſit; ſed quòd nunquam de facto ſuperetur & declinetur; non ſecus ac aliquis Imperator dicitur invincibilis, non quòd vinci non poſſit omnino & ſuperari, ſed quia nunquam victus eſt; nec vinci ſolet.

XI. Inſuper actualis dividitur in *prævenientem* & ſubſequentem.

Tandem gratia actualis ſobdividitur in *prævenientem & ſubſequentem*, quæ ſubdiviſio propter ſummam quam habet cum præcedenti, à pleriſque Theologis cum ea confunditur: ab ea tamen nonnihil differre exiſtimo, quod ut percipiatur, ſciendum eſt gratiam prævenientem & ſubſeqoentem poſſe comparari tribus modis, nimirùm vel ad liberum voluntatis conſenſum, vel in ordine ad ſe invicem, vel per reſpectum ad juſtificationem.

Quæ tribus modis poſſunt comparari.

Primò modò gratia præveniens ea dicitur, quæ liberam hominis voluntatem ita præcedit, ut eandem quoque comitetur & includat: ſubſequens verò quæ voluntatem iſtam conſequitur. Cujus quidem explicationis meminit S. Auguſtinus pluribi, maximè verò in Enchyridio cap. 32. his verbis: *Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei: ſed non omnia: nam utrumque legitur in ſacris Eloquiis, & miſericordia ejus præveniet, & miſericordia ejus ſubſequetur me: nolentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Vel præveniens dicitur, quia præcurrit omnem voluntatis conſenſum; ſubſequens verò, quæ ſupponit, & ſequitur ejuſmodi conſenſum, movendo hominem ad implendum, quod facere propoſuerat, darâ opportunitate illud implendi, eumque juvando, cùm de facto illud implet & exequitur. Quâ ratione gratia præveniens & ſubſequens coincidit cum excitante & adjuvante.

Secundò modò gratia præveniens & ſubſequens relativè & in ordine ad ſe invicem ita dicuntur, quod præveniens ſit ea gratia, per quam ad bonum excitamur: ſubſequens verò, quæ primam illam gratiam ſequitur: & in hoc ſenſu omnis gratia prior, dici poteſt præveniens in ordine ad poſteriorem. Sic utramque gratiam uſurpaſſe videtur ſanctus Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 31. *Miſericordia*, inquit, *ejus prævenit nos: prævenit autem ut ſanemur: & ſequitur ut ſanati vegetemur: Prævenit, ut vocemur; ſubſequitur, ut glorificemur: prævenit ut pie vivamus, ſubſequitur ut cum illo ſemper vivamus.* Tertiò tandem, ſunt aliqui Theologi, qui gratiam prævenientem & ſubſequentem explicant reſpectivè ad juſtificationem, itaut præveniens ea dicatur quæcunque præcedit juſtificationem; ut à peccato ſanemur: ſubſequens vero cenſeatur quælibet alia quæ confertur homini juſtificato, ut in accepta ſanctitate perſeveret, & promoveatur ad vitam æternam. Ita docet Vaſquez in primam partem diſp. 88. cap 10. Quod utique probat mox laudatô teſtimoniô S. Auguſtini, nec non & authoritate S. Fulgentii lib. 1. ad Monimum cap. 11. ubi ait: Prævenit impium ut fiat juſtus; ſubſequitur juſtum, ne fiat impius: prævenit eliſum ut ſurgat: ſubſequitur elevatum, ne cadat.

XII. Rurſus gratia diſtribuitur in gratiam Chriſti ut capitis.

Sunt etiam aliqui Theologi qui generatim gratiam diſtinguunt in gratiam Dei & gratiam Chriſti. *Gratiam Dei* appellant, non quòd ab eo donetur, ſic enim omnis gratia eſſet gratia Dei; nulla namque eſt quæ à Deo non conferatur: ſed ita volunt appellari, quòd ex pura Dei liberalitate donetur, non verò intuitu meritorum Chriſti, qualem exiſtimant fuiſſe gratiam collatam tum Angelis, tum homini innocenti. Verùm hæc à nobis probari non poſſunt, maximè cùm docuerimus, & infrà aſſerturi ſimus omnem omnino gratiam, nonniſi propter præviſa Chriſti merita tam Angelis, quam hominibus fuiſſe collatam.

Vel ut Redemptoris.

Unde cenſerem rectiùs dicendùm, gratiam diſtribui poſſe in gratiam Chriſti ut *Capitis* & ut *Redemptoris*. Prima eſt gratia, quæ deſtinata & collata fuit tam Angelis, quàm hominibus ante peccatum, propter præviſam Incarnationem Chriſti venturi, etiamſi Adamus non peccaſſet. Secunda verò quæ hominibus lapſis confertur beneficiô Paſſionis & Mortis Chriſti; quæ plurimis nominibus appellatur à S. Auguſtino, nempe *gratia liberationis*, lib. de correptione & gratia cap. 11. *Gratia liberatrix* epiſt. 105. *medicinale Salvatoris auxilium, medici gratia, adjutorium medici potentiſſimum, &c.* lib. de natura & gratia, cap. 34. 39. 48. &c.

Denique gratiã Christi dividunt in *gratiam simpliciter* & *gratiam pro gratia*. Cujus divisionis meminit S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 8. ubi ait: *Si vita nostra bona, nil aliud est quàm gratia Dei, sine dubio & vita æterna quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: ipsa enim gratis datur quia gratis data est illa, cui datur: sed illa cui datur tantummodò gratia est; hæc autem quæ illi datur; quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia.*

Denique in gratiam *simpliciter* & in gratiã pro gratia.

Juvaret hîc attexere omnium seriem hæreticorum, qui divinum gratiæ lumen suorum errorum fuligine conati sunt infuscare; nec-non & referre eos omnes zelantissimos Catholicæ veritatis Assertores, qui pro asserenda gratiæ genuina doctrina suis dictis & scriptis adversus eos omnes Errones acerrimè & gloriosissimè decertârunt. Verùm quoniam de his jam copiosissimè actum est in primo volumine, ubi sermo fuit de erroribus circa prædestinationem divinam; ne trita jam stadia iterum ad nauseam remetiamur, ab his supersedendum judico; sicut & à relatione & declaratione quinque statuum hominis, videlicet naturæ puræ, integræ, innocentis, lapsæ, & reparatæ: de quibus sufficienter egimus in secuudo volumine disp. de homine. Solùm igitur his in præludiis adscribenda censeo nonnulla, quæ enodandis de divina gratia controversiis facem ac lucem præferre possunt; qualis est præ cæteris S. Aogustini doctrina, nec-non & sanctio quorundam Conciliorum, quorum canones & decreta facilè in omnium manus oon veniunt. Sit itaque

Delineatio dicendorũ.

§. III.

Quanti præ cæteris facienda sit sancti Augustini doctrina in solvendis ac resolvendis de gratia supernaturali controversiis.

V. S. Augustinus quovis post eum sæculo egregios habuit præcones.

NEMINEM Theologorum latere arbitror S. AOGUSTINUM, præ cæteris Ecclesiæ Patribus ac Doctoribus, verum esse divinæ gratiæ aquilegem, strenuissimumque assertorem; cujus authoritas in solvendis fidei controversiis (maximè quæ ad divinam gratiam spectant,) summi semper fuit ponderis apud omnes quôvis post eum sæculô Catholicæ veritatis propugnatores. Quod utique manifestum fit ex illustribus encomiis quibus stupendum ejus ingenium, doctrinam cœlestem, & suavem eloquentiam celebrant, nedum summi Pontifices, sed & quotquot coævos habuit aut successores Ecclesiæ Patres ac Doctores: vix enim unum invenies, qui totus in sancti Augustini laudes non effervescat.

VI. Maximè summos Ecclesiæ Pontifices, Innocentium I.

Prodit imprimis *Innocentius primus* sanctissimus Pontifex, qui Augustini doctrinam non levi calculô commendat, dum utramque Synodum Carthaginensem, atque Milevitanam & Synodicas utriusque ad ipsum datas Epistolas (quarum omnium Augustinus dux & calamus fuit,) nec-non & librum ejus *de natura & gratia*, suis Apostolicis litteris & sanctionibus commendavit ac approbavit. Additque se à scribendo temperare, eò quòd *constet, eos cuncta dixisse, nihil ab eis esse prætermissum, nihil suppressum.* Et peculiaribus Augustini litteris respondens, magnificè laudat Epistolas à Conciliis missas, & ab Augustino scriptas, tanquam lineas *plenas fide, totôque religionis Catholicæ vigore firmatas, earumque contentionem esse in consideratione quotidiana gratiæ Dei, & in eorum correctione qui contra sentiunt integra ratione consistere; ita ut integrum possint præbere Doctorem.*

Zozimum.

Hæc etiam causa est cur *Zozimus* Pontifex omnes doctrinales Canones Carthaginensis Synodi, quos ex Augustini libris Aotistites Afri ad Pelagianam hæresim jugulandam deprompserant, suô calculô probaverit, & authoritate roboraverit, ut testatur sanctus Prosper librô *contra Collatorem*, scribens sancti Augustini obtrectatores & æmulos authoritate Apostolicâ prostratos: *Tunc*, inquit, *istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbia sociis ac principibus corruerunt; quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolicô mucrone percussit, quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozimus sententiæ suæ robur annexuit, & ad impiorum detruncationem gladiô Petri dexteras omnium armavit Antistitum.*

Cœlestinum.

Hæc pariter ratio est, cur *Cœlestinus* Pontifex omnium præcedentium Synodorum canones ex Augustini scriptis excerptos & authoritate conditos, approbaverit Epistolâ ad Episcopos Galliæ *Cap. 2.* in qua pariter Augustini scripta *de gratia Dei* magnificô hôc laudavit encomiô: *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra semper communione habuimus; nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit: Quem tantæ scientiæ olim fuisse semper meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis Prædecessoribus haberetur: Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis, & amori fuerit, & honori.*

Horsmisdam.

Hoc ipsum probavit *Horsmisda* Pontifex Epistolâ ad Possessorem Episcopum Africanum, in qua docens eum, qoid Catholica Ecclesia de Dei gratia & arbitrii libertate sentiret, ita scribit: *De arbitrio libero & gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica Ecclesia sequatur & asseveret, licèt in variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci, tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Hæc autem capitula non alia videntur, quam quæ ex libris sancti Augustini excerpta fuerunt, & Synodorum Africanorum ac Apostolicæ Sedis authoritate stabilita.

Et plures alios.

Missos facio alios summos Pontificem Sixtum III. Leonem I. Felicem IV. Booifacium II. Gregorium I. Adrianum I. Urbanum V. Martinum V. Pium II. Gregorium XIII. Sixtum V. Clementem VIII. Paulum V. & alios sommos Pootifices S. Augustini laodatores & probatores. Unus instar omnium sit Joanoes II. qui in Epistola ad Avicenum aliosque Senatores hoc de Augustino protulit elogium: *Sanctus Augustinus*, inquit, *cujus doctrinam secundùm Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & servat Ecclesia.* Unde Clemens VIII. non sine magna causa ait *doctrinam Augustini Ecclesiæ quasi dotem relictam esse.*

Etiam SS. Patres maximè S. Hieronymum.

Eandem veritatem comprobant clarissimi Ecclesiæ Doctores, qui ab Augustino ad oos usque tredecim sæculorum decursu vixerunt: primòque quintum sæculum, cujus initia ipsemet sanctus Augustinus illustravit, tot laudum ejus præcones, quot viros pietate & doctrina claros tulit. Imprimis verò sanctus Hieronymus sic cum magnificè prædicat Epistolâ, quæ est apud Augustinum 25. *Macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te authorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt: & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Et Epistolâ 30. *Quidquid dici potest de sublimi ingeniô de Scripturarum*

sanctarum

Qui nedum vivens, sed & moriens præclarè de S. Augustino sensit. *sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque descriptum est.... Mihi autem decretum est te amare, & suspicere, colere, mirari; tuaque dicta quasi mea defendere.* Quæ utique præclara encomia & amicitiæ fœdera morti jam proximus obsignavit: Narrat enim Eusebius Cremonensis ejus discipulus, epistolâ ad Aportunensem Episcopum Damasum. *Sanctus Hieronymus in obitu suo multa dicens narratione digna, de beato Augustino memoriam fecit in hunc modum: Gaudium & consolationem habeo, quod virum mirabilem & multa scientia ac bonitatis Augustinum Hipponensem Episcopum, omni veritate & perfectione redimitum post me relinquo: propter quem multam fiduciam habeo in Christo Iesu sustentandi fidem nostram: cui de me scribens rogato, ut tanquam fidelis miles pugnet, ne veniant (quod absit) mala genti nostra.*

S Paulinus. His pariter laudibus eum cumulat sanctus PAULINUS Epistolâ apud Augustinum, sic eum inter cætera alloquens: *O ver: sal terra quò pracordia nostra, ne possint saculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna digne supra candelabrum Ecclesia posita, qua latè Catholicis urbibus de septiformi lichno partum oleo latitia lumen effundens, densas licèt hareticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.... Os enim tuum fistulam operire & venam fontis aeterni meritò dixerim.*

Volusianus VOLOSIANUS in eadem elogia conspirat Epistolâ secundâ apud Augustinum scribens: *Utcumque absque detrimento cultûs divini in aliis Sacerdotibus toleratur inscitia: at cùm ad Antistitem Augustinum venitur, legi Dei deest, quidquid contigerit ignorari.*

Nebridius. NEBRIDIUS Epistolâ 71. apud eundem Augustinum prioribus concinit, scribens: *Epistolas tuas* (Augustine) *placet ita servare, ut oculos meos; sunt enim magna, non quantitate, sed rebus & magnarum rerum continent probationes: illa mihi Christum, illa Platonem, illa Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi, & ad audiendum propter eloquentiam dulces, & ad legendum propter brevitatem, faciles, & ad intelligendum propter sapientiam salubres.*

Consentius CONSENTIUS Epistolâ 221. ad Augustinum; sic eum eleganter bis elogus interpellat; *Tu vir admirabilis, cui Pater noster ille solus conscius secretorum, quia habet clavem David, serenissimô cordis obtutu cælorum machinam penetrare concessit, & revelata (ut scriptum est) facie gloriam Domini speculari: in quantum tibi ille qui hujusmodi cogitationem dedit, promendi dederit facultatem, enuntia nobis aliquam ineffabilis substantia portionem, & imaginem ac similitudinem, cujus ipsò adjuvante exprimere, in quantum potest verbis enitere: quoniam nisi tu tanta rei dux ac magister affulseris; velut lippientibus oculis prospicere in eam tanti luminis repercussa fulgore cogitatio nostra formidat.* Intra *ergo in illam (qua nostros arcet intuitus) mysteriorum Dei obscurissimam nubem: quastiunculas in quibus absolvendis me errare cognosco, qui authoritatem sanctitatis tua fide magis sequi volo, quàm rationis corde concepta falsâ imagine depravari.*

Audax. AUDAX Epistolâ 130. de eo egregiè affatur: *Augustinus sectator justitia, instaurator spiritualis gloria, dispensator salutis aterna, tam tibi mundanus orbis notus est, quàm notatus: tam tu ei cognitus quàm probatus. Opto itaque tua sapientia floribus pasci, & vivi fontis haustibus irrigari.*

Possidius. POSSIDIUS Episcopus Celamensis ad Maudonem, compendiosam, sed accuratam sancti Augustini laudem celebrat, scribens: *Augustinus Pater Patrum, Doctor Doctorum: par Angelis in fervore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione, par Apostolis in prædicatione, imago Divinitatis, abyssus sapientia.*

S. Prosper. Sanctus PROSPER, zelantissimus Augustini discipulus, in texendis illius elogiis omnem eloquentiæ suæ vim expromit, nunc illum appellans Epistolâ ad Ruffinum, præcipuam *portionem Domini sacerdotum & præstantissimum ministrum gratia*, quandoque ejus laudes copiosiùs celebrat, sic lib. 3. de vita contemplativa cap. 31. scribens: *Sanctus Augustinus Episcopus acer ingeniò, suavis eloquiò, secularis litteratura peritus; in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione fidei nostra Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus; & in revincendis hæreticis circumspectus; & in explicandis Scripturis canonicis cautus.*

Victor Uticensis. VICTOR UTICENSIS lib. 1. de persecutione Vvandalorum, non minori facundiâ eundem sanctum commendat: *Quâ tempestate* (ait) *Hippone Regiorum obsessa est civitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus librorum multorum confector Pontifex gubernabat: tunc illud eloquentia flumen, quod uberius per omnes campos Ecclesia decurrebat, propinata in amaritudinem absinthii versa est.*

S. Fulgentius. Sanctus FULGENTIUS Augustino præ cæteris addictissimus, ipsius libros magnificè prædicat lib. 2. de veritate prædestinationis cap. 18. ita scribens: *Hos legat omnis, qui salutem aternam adipisci desiderat.* Ipsi concinit

Cassiodorus. CASSIODORUS libro de divinis lectionibus cap. 22. ubi sic Augustini laudes mirum in modum effert: *Ipse etiam Doctor eximius beatissimus Augustinus*, inquit, *debellator hæreticorum, defensor fidelium & famosorum palma certaminum.* Et in Prologo super Psalterium addidit: *Augustinus litterarum omnium egregius magister, & quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator; decurrit quippe tanquam fons purissimus, nulla sorde pollutus, sed in integritate fidei perseverans, nescit hæreticis locum dare, unde sese possint aliquâ colluctatione defendere: totus catholicus, totus orthodoxus invenitur, & in Ecclesia Domini suavissimo nisore resplendens superni luminis claritate radiat.*

S. Gregorius. Sanctus GREGORIUS in registro lib. 8. Epist. 37. ad Innocentium Episcopum, ita scribit: *Si deliciosiori cupitis pabulò saginari, beati Augustini opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quaratis.*

ISIDORUS HISPALENSIS lib. 6. ethimolog. ait: *De nostris apud Græcos Origenes, in Scripturarum labore, tam Græcos, quàm Latinos, operum suorum numerò superavit. Denique Hieronymus sex millia librorum ejus legisse fatur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingeniò & scientiâ suâ vicit. Nam tanta scripsit, ut diebus ac noctibus non solùm scribere quisquam valeat libros ejus, sed nec legere quidem possit.*

Longum esset ire per singulos ejusdem sancti Augustini quòvis sæculò Præcones ardentissimos; Ex quibus liquet sanctissimum Doctorem (ut etiam aliqoid ex nostro penu ad illus gloriam promamus) apicem esse ingeniorum, homanæ intelligentiæ metam, naturæ miraculum, prædestinationis interpreterem, veritatis linguam, hæreticorum fulmen, errorum clavam, nodorum gladium, veterum Doctorum compendium, posterorum seminarium, linguam, ac lucernam. Cujus tanta

gratia fuerit, ut etiam scientia gratia fuerit; unde mirum nemini debet esse, quòd suam sapientiam ad gratiæ defensionem comparaverit, gratiæ namque gratia erat referenda.

Ex iis omnibus liquet S. Augustinum præ cæteris Ecclesiæ Patribus ac Doctoribus audiendum esse, maximè in controversiis de divina gratia; quæ tamen non ita dicta velim existimes, quasi omnia ipsius sanctissimi Doctoris dogmata, in iis maximè libris quos de divina gratia conscripsit, tantâ certitudine ac veritate librata sint, ut veluti fidei oracula sint excipienda. Certum enim quòd nec sancti Augustini, nec cujusvis alterius Patris & Ecclesiæ Doctoris peculiari assertioni ac privatæ doctrinæ ea tribuenda sit authoritas, quæ ad Catholicam fidem stabiliendam sacris Scripturis, Conciliorum ac summorum Pontificum oraculis, nec-non & conspiranti Patrum consensui deferri solet. Quod utique probatur ex ipsomet S. Augustino librô *de dono perseverantia cap.* 21. ubi eam ipse authoritatem liquidò respuit, scribens. *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus Opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.*

VIII. Non eadem peculiari Ecclesiæ Doctori tribuitur, authoritas ut ejus sancitum ad fidem sufficiat.

IX. Ut apertè affirmat S. Augustinus.

Qui eam suis scriptis deferendã authoritatem detrectat,

Ne quis autem obtrudat, hæc cum reverà dixisse de prioribus à se editis Opusculis, cùm junior esset, & in dirimendis fidei controversiis adhuc rudis, subdit: *Proficienter me existimo, Deô miserante scripsisse; non tamen à perfectione incepisse: Quandoquidem arogantiùs loquor, quàm veriùs, si vel nunc dico me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse.* Non igitur eam suis scriptis etiam in confecta ætate editis vindicare cupit authoritatem, ut omnis prorsus erroris vacua esse suspicari liceat.

Hoc ipsum liquidò demonstrat *epist.* 19. ad sanctum Hieronymum: *Solis* (inquit,) *eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum horum Authorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam, &c. Alios autem ita lego, ut quantàlibet sanctitate doctrinâque præpolleant; non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Authores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat; persuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, sentire aliud existimo: Prorsus (inquam) non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum, vel Apostolorum; de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium;* (& pluribus interjectis) *quanquam tantummodò Scripturis Canonicis hanc ingentem debeam servitutem; quâ eas solas ita sequar, ut Conscriptores earum nihil in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non dubitem.*

Utpote cùm nec sua, nec aliorum Ecclesiæ Doctorum scripta aliquo errore interdum infuscari censuerit.

Quæ in aliis passim operibus inculcat, ac præsertim lib. de natura & gratia cap. 60. lib. 2. contra Cresconium cap. 32. Epist. 48. lib. 2. contra Faustinum cap. 5. Fateri igitur debet quisque ex ipsomet sancto Augustino tantam illi authoritatem non esse tribuendam, ut ea unica ejus doctrina sufficiat ad fidei dogmata stabilienda: *Neque enim*, ait, Epist. 3. *quorumlibet disputationes, quantumvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, qua illis debetur hominibus; aliquod in eorum scriptis improbare atque respuere; si forte invenerimus quod aliter senserint, quàm veritas habet, divinô adjutoriô vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum.* Videant ergo quantùm ab ejus sententia exorbitent, qui volunt illius libros legi tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium sit.

Confirmatur hæc eadem veritas. *Primò* quidem, ex ipsomet sancto Augustino, qui sanctissimos Ecclesiæ Doctores, non in omnibus sequendos esse, suô exemplô comprobavit. Nam *lib. 6. de baptismo contra Donatistas cap.* 2. loquens de sancto Cypriano ait: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem quantùm valeo persolvens pacifico Episcopo, & glorioso martyri Cypriano; audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel Hæreticis baptisandis, quàm posteà veritas prodidit.* Ex lib. 2. contra Faustum cap. 5. de quorumcunque aliorum scriptis non Canonicis dicit, liberum esse Lectoris judicium, *quô vel approbet quod placuerit; vel improbet quod offenderit.* Non ergo censet sanctus Augustinus parem esse faciendam authoritatem sanctorum Ecclesiæ Doctorum ipsis Scripturarum & Conciliorum oraculis; ac subinde sufficienter indicat non omnia ab ipso tradita dogmata, omnimodam fidem promereri.

Quod maximè constat de scriptis S. Cypriani.

X. Proponitur Adversariorũ fundamentum.

Dices, sancti Augustini scripta, maximè *de gratia & libero arbitrio*, adversus Pelagianos speciali summorum Pontificum, & Ecclesiæ decretô esse probata; quod utique probatur: *Primò*, ex Epistola Hormisdæ ad Possessorem, ubi ait: *De arbitriô tamen liberô, & gratia Dei, quod Romana, hoc est, Apostolica sequatur & asseveret Ecclesia, licèt in variis libris S. Augustini, & maximè ad Hilarium, & Prosperum possit agnosci: tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur; quæ si desunt & necessaria creditis destinabimus. Secundò*, ex epistola Joannis II. superiori Paragrapho laudatâ, in qua scribit: S. Augustinus, *cujus doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia.* Quibus significat, quòd quidquid S. Augustinus in libris contra Pelagianos affirmavit, ab Apostolica sede probatum credi debet.

Verùm, nihil quidquam ex utroque præfato testimonio contra nostram assertionem evincitur; nam Pontifex Hormisdas nihil aliud significat, quàm quòd ex sancti Augustini operibus cognosci possit, quid de gratia & libero arbitrio Ecclesia sentiat: quia nimirum in iis acerrimè defenduntur hæc ipsa capitula, quæ in scriniis Ecclesiasticis continentur, quæque epistolæ suæ Cœlestinus Pontifex intexuit, de quibus erit sermo in Parag. sequenti.

Similiter Joannes Pontifex præfatis verbis nullatenus intendit probare sancti Augustini scripta contra Pelagianos; (siquidem in ea epistola de Pelagianis non agitur) sed potius de Nestorii sectatoribus, contra quos Catholicam de Christi divinitate, & Incarnatione fidem, sacræ Scripturæ, Patrumque testimoniis confirmat: Ac in ipsa quidem fronte S. Augustinum ponit cum hoc elogio. *Sanctus Augustinus, cujus doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & servat Ecclesia, in libro 11.° de civit. Dei sic dicit: Credimus, & tenemus, & fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum.* Alia quoque ejusdem testimonia subjungit ex *lib.* 2. *contra Maximinum*, & ex *lib.* 15. *de Trinit.* Cùm igitur in hac epistola, nec de S. Augustini doctrina contra Pelagianos agatur, nec ullus ex libris appelletur,

quibus eos impognavit, non est cur inde Aliqui speciatim colligant ita probari ab Apostolica sede quæcunque in Augustini contra Pelagianos operibus continentur, ut ab iis vel tantillum discedere sit nefas. Probabilius certè ex hoc loco suprema illa authoritas libris *de civit. Dei, de Trinit. & contra Maximinum*, qui hic laudantur, speciatim vindicari posset: quod tamen ab eorum mente alienissimum est.

XI. Quatuor confert Ecclesia dein alicujus sancti Doctoris scripta approbat.

Meritò igitur Tostatus in *defensorio p. 2. cap. 83.* admonet ex Ecclesiæ generali approbatione tum S. August. tum aliorum Patrum operibus auctoritatem & robur accedere, maximè tantùm quantùm ad quatuor capita. *Primum* est, quòd Ecclesia concedit expresè omnibus Christi Fidelibus, quòd legant ea, atque hâc perhonorificâ mentione non mediocrem eorum Authoribus splendorem impertitur. *Secundum* est, quòd dijudicat illa utilia ad doctrinam fidei & morum, & ob hoc laudat ea: quâ commendatione lectores quodammodo pelliciuntur & ad ea diligenter evoluenda invitantur. *Tertium*, ac præcipuum est, quòd Ecclesia tollit Opusculis approbatis suspectionem de hæresi voluntaria, quæ est verè hæresis: nam illa opera quæ approbantur, licèt non sint omnino discussa ab Ecclesia, sicut si deberent singulæ partes approbari, tamen quadam generali discussione cognoscuntur, & apparet ex eis, quomodo Auctor eorum in omnibus Catholicè sentiat, nolens dogmatisare expresè & scienter aliquem errorem, &c. Et ista fuit causa potissima, quare Ecclesia approbavit quorundam Doctorum opera: quia nimium ea secernere voluit à pestilentibus libris, quos ad corrumpendam fidem, vel mores depravandos hæretici spargere consueverant. *Quartum* est, quòd dat eis quandam authoritatem, quam aliàs non habebant: non eam quidem quam adversarii sancto Augustino tribuunt, sed aliam inferioris notæ, in eo positam, quòd quando aliquis allegaverit dictum alicujus libri approbati per Ecclesiam, facit probationem, etiamsi ipse auctor nullam causam dicti sui ostendat. Hinc S. Thomas asserit: Sacram doctrinam uti authoritatibus Doctorum Ecclesiæ quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter tantùm.

Qua ratione dictis & scriptis SS Patrum sit danda fides, egregie docet Vincentius Lirinensis.

Concludere ergo licet cum Vincentio Lirinensi contra hæreses cap. 39. *Quòd Patribus hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes, vel plures unô eôdemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, vel ut quôdam consentienti sibi Magistrorum consiliô accipiendo, tenendo, tradendo firmaverit, id pro indubitato certo, ratoque habeatur. Quidquid vero, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor, & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas à communis, publica, ac generalis sententia auctoritate secretum sit.*

§. IV.

In quibus maximè Sancti Augustini doctrina DE GRATIA, *ita ab Ecclesia probata sit, ut ne tantillum ab ea recedere liceat.*

XII. Quæ fuerit Summo Pontifici Cœlestino ad Episcopos Galliæ causa scribendi.

IN eis maximè capitulis, quæ Cœlestinus Pontifex famosâ illâ epistolâ ad Episcopos Galliæ digessit & probavit, ut ipsum S. Augustinum ab erroris suspicione hac in parte vendicaret. Cùm enim tumultuarentur in Galliis Massilienses Presbyteri, & post Augustini obitum, ejus *de gratia & libero arbitrio* doctrinam carperent acriter: illud imprimis invidiosissimè criminantes, quòd docuerat non bona tantùm opera, sed & bonæ voluntatis initia divinæ gratiæ esse tribuenda: hinc illi, *tanquam necessarium modum excessisset, obloquebantur.* Non tulerunt Hilarius & Prosper Doctoris gratiæ libros ab Semi-Catholicis hominibus impunè vellicari: sed eorum propulsare calumnias omni ope conati sunt; ac primò quidem libellos aliquot Prosper edidit, quibus *ad Capitula Gallorum, & ad objectiones Vincentianas* respondens, S. Augustini doctrinam ab æmulorum criminationibus accuratè vindicavit.

At cùm latiùs serperet malum, nec his remediis sedaretur, cum Hilario Romam venit, atque unà apud Cœlestinum supremum Pontificem egerunt, ut & Massiliensium frænaret audaciam, & S. Augustini doctrinam, quam hactenos Romani Pontifices amplexi fuerant, Apostolicâ authoritate comprobaret. Scripsit Cœlestinus ad Galliarum Episcopos, & ita scripsit, ut illis ac toti adeò Catholicæ Ecclesiæ significet quid in Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina Sedes Apostolica sanciverit: nam ubi Massilienses breviter perstrinxit, quòd S. Augustino obstreperent, singula ejus doctrinæ capita, quæ sibi Romanæque Ecclesiæ probarentur, sigillatim recenser, eaque superiorum Pontificum testimoniis confirmat.

XIII. Quæ sint capitula excerpta per Cœlestinũ ex sancti Augustini doctrina.

Porrò ea Capitula sunt: Primum, *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruina per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit.*

Secundum, *neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille det qui solus est bonus.*

Tertium, *neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

Quartum, *quòd nemo nisi per Christum liberô benè utatur arbitriô.*

Quintum, *quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donaverit.*

Sextum, *quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis & ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil boni possumus.*

Septimum: anathematisandum esse eum, *qui dixerit gratiam Dei, quâ justificatur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur.*

Octavum, anathematisandum eum, *qui dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus.*

Nonum: anathematisandum eum, *qui dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam: tanquam si gratia non daretur; non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa divina implere mandata.*

Ex his Augustini sententiis summorum Pontificum Innocentii & Zozimi authoritate firmatis, sequentem canonem Cœlestinus ita concinnat: *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis authoritate documentis, ita adjuvante Dominô confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur Deum profiteamur authorem: & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere: quô utique auxiliô & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de improvidente fit providum.*

Ac tandem ita concludit paulò post: *Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum quas latiùs pertractârunt, qui hæreticis* (Pelagianis scilicet & Semipelagianis) *restiterunt* (præcipuéque S. Augustinus) *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere, quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi, nihil pariter subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas Regulas, Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt: ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.*

§. V.

Quàm avidè omnes quotquot post S. Augustinum extiterunt hæretici, ipsius doctrinâ suos errores tueri ambierint.

XIV. Familiare est omnibus hæreticis sua nefaria dogmata, S. Augustini authoritate fulcire.

HAbet illud error omnis, inquit *Deschamps* lib. 3. disp. 1. cap. 1. ut cùm infirmus sit ipse per sese, & nativum colorem erubescat, non aute obrepat in lucem, quàm sibi & sacrarum litterarum præsidium asciverit, & sanctissimi, juxtà, ac eruditissimi viri nomen, sic tanquam larvam, induerit. Hinc certatim hæretici in *S. Augustini* nomen involant, quòd ex omnibus, qui nascente, vel adultâ Ecclesiâ, pietatis & doctrinæ laude floruerunt, nemo sit qui apud posteros plus authoritatis habeat ac fidei.

Pridem illud notavit *Hieronymus Torrensis* in præfatione confessionis Augustinianæ. Sectarii, *inquit*, cùm honorem nullum aut certè perexiguum Patribus deferant, eosdemque unô nomine omnes nihil nisi homines, fallacesque sæpe homines videri velint; unum ferè semper *Augustinum* excipiunt & honorant maximè, hunc tanquam piæ doctrinæ fidelem magistrum colunt observantque: eundem Apostolo Paulo vel proximum faciunt, & nunquam non suis partibus conantur adjungere. Ubi de *Iustificatione* disputatio incidit, nullum quàm *Augustinum*, in suæ partis patrocinium frequentiùs adducunt. Similiter ubi de Eucharistia, & sacro-sancto Christi corpore à Sacramentariis quæstio movetur, *Augustinus* semper primus atque ultimus in ore est. *Item* Claudius Sanctesius *repetitione 9. de Eucharistia:* Observare licet adversarios, inquit, sive nostra destruendo, sive sua asserendo, solidis & certis scripturis cavere, atque in omni controversia ad unum Augustinum tanquam ad sacram Anchoram refugere: non quòd ab eorum partibus stet, sed quoniam tam multa ac tam variè scripsit pro re nata, ut facile sit omnibus post illum hæreticis aliquid de ipso contorquere, atque aliorsùm quàm ipse dixerit avertere.

Hoc utique probari facilè potest calculô omnium prorsus hæreticorum, qui quôvis post S. Augustinum sæculô extiterunt. — *Id enim præ cæteris præstiterunt Prædestinatiani.*

Primò namque, *Prædestinatiani* tanti Doctoris auctoritate suos errores tegere conati sunt, ut testatur S. Prosper in Chronico: *Prædestinatorum hæresis*, inquit, *quæ ab Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa*. Baronius verò ad annum Christi 490. num. 17. *Post S. Augustini obitum*, inquit, *prodierunt quidam, qui ex ejus scriptis malè perceptis complures invexerunt errores, quos sancti Augustini nomine & auctoritate defendere conabantur.*

Iconoclastæ.

Vix compressa fuerat Prædestinatianorum hæresis, quùm altera octavô sæculô se se extulir, quæ sacris imaginibus bellum indixit, cujus præcipuus in Gallia instaurator fuit *Claudius Taurinensis* præsul, de quo ita scribit *Dungalus* in responsione adversus eum edita: *Augustinum assumit, à cujus subtilitate ingenii Christianique sensus rectitudine longissimè distat, alios quidem præter eum solùm penè omnes abjecit*. Et pluribus interpositis, *S. autem Augustino lascivè blanditur & adulatur singulari eum præferens laude, quasi suæ fautorem vecordiæ.* Item: *Claudius suam Augustini auctoritate sectam existimat posse esse sufflatam.* Quibus consentanea sunt, quæ in eundem hæreticum scribit *Ionas Aurelianensis* Episcopus lib. 1. de cultu imaginum; *Augustinum*, inquit, *inter cæteros magnarum laudum præconiis efferre solitus erat.*

Berengarius.

Eandem fraudem texuit *Berengarius*, ut contra divinum Eucharistiæ Sacramentum pugnaret; de eo namque scribit Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis librô *de Eucharistia Sacramento*, ubi eum sic interpellat: *In beati Augustini verbis exultas, hîc vicisse te & superiorem esse gloriaris, hic firmamentum tuæ defensionis te invenisse gratularis.* Algerus quoque lib. 1. de Sacramento cap. 10. sæpe istud inculcat ac præsertim eô capite, quod ita exorditur: *Sed ex hac beati Augustini sententia: non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis: nata est hæresis, &c.*

Vvicleffus.

Decimô quartô sæculô novus error prosilit ex inferis, duce ac parente *Ioanne Vviclefo*, qui quantâ proterviâ S. Augustini nomen atque auctoritatem asciscerer, cognosci facilè potest ex his Vviclefi verbis: *A multis extraneis & modernis dissentio, sed cum multis sanctis antiquis, & specialiter Augustino convenio.* Quæ ubi recitavit Thomas Vvaldensis tom. 1. lib. 1. art. 2. cap. 34. addit: *Hâc audaci pompâ confisi ejus discipuli vocabant eum famosô & elatô nomine*, JOANNEM AUGUSTINI.

Lutherus.

Pari studiô, similique artificiô Lutherus ac Calvinus, eorumque sequaces sanctum Augustinum in suas partes deducere, ac in ejus authoritate latebram quærere nisi sunt: Lutherus enim in librô *de servo arbitrio* petulanter scribebat: *Augustinus totus meus est.* Multò verò ambitiosiùs Augustinum sibi vindicat Calvinus pluribi; maximè verò lib. 3. contra Pighium: *Gloriatus sum*, inquit, *de Augustino, illum prorsus nostrum esse.* Et post multa, *nos nihil quàm Augustinum loquimur:* & tandem quasi re apertè demonstratâ sic concludit: *Ergo etiamsi crepat Pighius, nobis hoc extorquere non potest quin Augustinus sit noster:* Et lib. de æterna Dei Prædest. *Augustinus ipse*, inquit, *adeo totus noster est; ut si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abunde mihi sufficiat.* — *Calvinus.*

Melanchthon.

Pari impudentia *Melanchthon* in Apologia pro

Qui impudenter in Doctores Parisienses debacchatur.

Luthero contra Sorbonicos, ait: *An non Lutheri de libero arbitrio & gratia (si rectè rem æstimes) sententia tota Augustini est?* Eodem loci idem nebulo loquitur. *Quod si unquam dubitatum est in quo genere litterarum, aut artium versaretur Lutetia, id nunc declarat hic locus, in quo palam apparet, in tota ista Sorbonica Facultate neminem esse, qui Augustinum attigerit. In ipsa Scriptura quid possint facilè æstimari potest quando ne Augustinum quidem vulgarem alioqui inter Theologos Scriptorem viderint: O Theologos! ô Sorbonam!* Et paucis interjectis: *Sinite impetrari à vobis, ut Augustinum non dico relegatis, sed inspiciatis tantùm; nam errorem vestrum nulla pagina est quæ non coarguat.* Et universim de Lutheranis & Calvinistis affirmat *Bartholomæus Camerarius* lib. 1, de libero arbitrio cap. 3. *Hanc sæpe magnam esse illorum versutiam, ut palam coram miseranda plebe, Augustinum tanquam pallium errorum suorum præferant.*

Præclarum Vvaldensis dictum.

Quocirca doctissimus Vvaldensis libro 2. cap. 31. meritò scribit, *Anxius Augustinus de librorum suorum calumniatione hæretica, dicit illud Ecclesiastis: Odivi omnem* LABOREM MEUM, QUO EGO LABORAVI SUB SOLE, *quia ejus libri in manus stultorum pervenerunt, qui frequenter secundùm perversitatem cordis sui seminant inde hæreses.* Quanquam & illud solari sanctissimum Doctorem debet, quod Facundus Hærmianensis Episcopus, qui alterô post ipsum sæculô vixit, eleganter & ad rem nostram appositè observavit: *Quid autem*, inquit, *in hoc miremur? neque enim meliùs potuit loqui Augustinus quàm Propheta, quàm Apostoli, quàm Evangelista, quorum verbis similiter malè intellectis tam multi hæretici suos defendere conantur errores.*

Quanquam autem de sola sancti Augustini authoritate hic actum sit, nihilominus solus ipse in enodandis de divina gratia controversiis, non est arbiter audiendus; ad eas namq; difficultates enodandas & solvendas non modicum juvant celebres tractatus eorum omnium SS. Patrum qui S. Augustini ævô adversus nascentem vel renascentem Pelagianorum hæresim streouissimè decertârunt; maximè verò SS. Hieronymi, Prosperi, Hilarii, & eorum omnium quos in priori volumine, agendo de expugnatoribus hæresis Pelagianæ indicavimus & laudavimus.

Porrò, ut facilior & perspicacior rerum dicendarum habeatur ratio lectoribus, (maximè oostri Seraphici Ordinis junioribus Theologis, in quorum potissimùm gratiam hunc laborem suscepimus) consultum judicavimus hîc adscribere eorum Conciliorum decreta, in quibus distinctè & ex professo determinata est & asserta Catholica doctrina de divina gratia, quorum maximè canones facilè in omnium manus non veniunt. Ut autem missa faciam decreta Concilii Diospolitani, de quibus actum est in priori volumine, auspicabor hoc præludium à decretis Concilii Carthaginensis, quæ vulgò circunferuntur sub nomine Concilii Milevitani.

§. VI.

Decreta, seu canones Concilii Carthaginensis celebrati annô Christi 418. quibus proscribitur ac damnatur hæresis Pelagiana.

CONcilium istud Carthaginense, in quo convenerunt 217. Episcopi, ut narrat S. Prosper in Chronico, vel 214. ut ait in responsione 8. ad capitula Gallorum, nec-non & cap. 10. libri contra Collatorem, videtur idem esse cum illo Concilio totius Africæ plenario, cujus meminit S. Augustinus Epist. 47. ad Valentinum; & ad quod forsitan alludit lib. 3. contra Julianum cap. 7. his verbis: „Vestra verò apud competens judicium communium Episcoporum, modò causa finita est, nec amplius oobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini; quòd si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini. In hoc Concilio edita sunt decreta quædam adversus hæresim Pelagianam, quæ decreta sive capitula pluribus viris doctis videntur esse eadem, cum illis octo canonibus, qui vulgò circunferuntur sub nomine Concilii Milevitani, contra Pelagium. Verùm ista decreta non à Milevitano, sed à præfato Carthaginensi Concilio edita fuisse probabimus, ubi hæc decreta recensuerimus.

CAPUT I.

Contra Pelagianos qui dicunt etiam sine peccato mori potuisse Adam.

Primò placuit omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo constituere, quæ in præsenti Concilio definita suot, ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum; ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati meritô, sed necessitate naturæ, anathema sit.

CAPUT II.

Quòd omnes in peccatorum remissionem veraciter baptizentur.

Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptisandos negat; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptisari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacrô expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis; in remissionem peccatorum non vera, sed falsâ intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus; *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipso adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

CAPUT III.

Quod gratia Dei non solùm peccata dimittit, sed etiam adjuvat ne committantur.

Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jamjam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut ooo committantur, anathema sit.

Caput IV.

Quòd per gratiam Dei sciamus quid facere debeamus & diligere ut faciamus.

Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid apetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, charitas verò ædificat*: valde impium est, ut credamus, B ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat non habere; cùm sit donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus; ut ædificante charitate, scientia non possit inflare: sicut autem de Deo scriptum est, Psal. 63. *Qui docet hominem scientiam*: ita etiam scriptum est, Joan. 4. *Charitas ex Deo est.*

Caput V.

Quòd gratia Dei præstet, ut lex impleatur, non gratia (sicut ait Pelagius) facilè, quasi sine gratia Dei difficiliùs possit impleri.

Item placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis C gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit: de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficiliùs potestis facere: sed ait: Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

Caput VI.

Quòd juxta sententiam Ioannis Evangelistæ nemo sit, qui esse possit sine peccato.

Item placuit, quod ait S. Joan. Apostolus 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus & adjungit ibidem: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, & justus: qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici: poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cùm ait: *Nos ipsos decipimus, & veri-* E *tas in nobis non est*: satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Caput VII.

Quòd unicuique etiam Iusto dicere oporteat, Dimitte nobis debita nostra.

Item placuit, ut quicunque dixerit, in Oratione Dominica ideò dicere Sanctos, *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant: quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores: & ideò non dicere unumquemque Sanctorum: *Dimitte mihi* A *debita mea*; sed, *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius, quàm pro se Justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & Justus erat Apostolus Jacobus, cùm dicebat: *In multis enim offendimus omnes.* Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?* Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo qui non peccet.* Et in libro Job. 37. *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam?* Unde etiam Daniel, Sanctus & Justus cùm in oratione pluraliter diceret, *peccavimus, iniquitatem fecimus, &c.* quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, postea dixit: *Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro.* Noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua, quia futuros istos, qui tam malè intelligunt, tanquam Propheta prævidit.

Caput VIII.

Quòd à Sanctis veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra.

Item placuit, ut quicunque verba ipsa Dominicæ Orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur debita non habere?

Sunt insuper alii Canones 14. editi pro constituenda Ecclesiastica disciplina de quibus omnibus non levis est controversia apud Authores.

Petes: à quonam Africano Concilio emanârint?

Respondeo; Baronium ad *Annum* 416. existimare tantùm priores suprà recensitos octo Canones D esse Concilii Milevitani secundi; reliquos verò diversorum esse Conciliorum Africanorum; adeò ut unum videas corpus ex diversis membris esse compactum, cujus caput, pedes & reliqua membra sunt ex diversis membris compaginata.

Verùm probabiliùs dicendum arbitror præfatos Canones editos fuisse à Concilio Carthaginensi plenario, quæ controversia ut pro modulo nostro dirimatur.

Scıendum est, quatuor habitas fuisse in Africa Synodos circa Pelagii & Cœlestii errores: duas scilicet sub Innocentio primo Romano Pontifice, *Milevitanam & Carthaginensem*, Provinciales ambas: & alteras totidem sub illius successore Zozimo, primam quidem Carthaginensem *Annò* 417. cui aderant Episcopi Provinciæ Zugitanæ, cujus metropolis erat Carthago; alteram deinde pleniorem ducentorum & septemdecim Episcoporum *Annò* 418. inchoata nec absoluta, nisi postquàm à Zozimo Pelagius Cœlestiusque damnati sunt, quarum Synodorum meminit Augustinus *Epist.* 47. bis verbis: *Quod scriptum est ad Papam Romanæ urbis Innocentium de Concilio Carthaginensis Provinciæ, & de Concilio Numidiæ; & aliquantò diligentiùs à quinque Episcopis, & quæ ipse ad Africanos rescripsit. Item quod Papa Zozimo de Africano Concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad universos totius orbis Episcopos missum; & quod posteriori plenariò totius Africæ*

Tres fuerunt celebratæ Synodi Carthagine ad Pelagianismum extirpandum.

Conciliô contra ipsum errorem breviter constitui- mus.

Duo fuerût Milevitana Concilia.

OBSERVANOOM insuper duo celebrata fuisse concilia *Milevi* in Numidia. Unum quidem, *Annô* 402. initiô Pontificatûs Innocentii, Arcadiô & Honoriô Augustis V. Consulibus: Alterum *Anno* 419. ultimô Innocentii vitæ annô, Consulibus Theodosiô & Honoriô Arcadii filiis; quô pariter tempore celebrabatur Synodus Carthaginensis Provincialis, ad quam soli convenerant Proconsulares Provinciæ, aut pauci etiam vicinarum Provinciarum Episcopi. Censet autem Baronius præfatam Canonum collectionem dividendam in tres partes, & primam, hoc est, præfationem dedit primo Milevitano Concilio; secundam quæ continet octo anathematismos in hæresim Pelagii, Milevitano secundo: tertiam quæ reliqua omnia complectitur variis Conciliis Africanis tribuit. In antiqua autem collectione Conciliorum adscripti fuère præfati Canones Concilio Milevitano primo.

Præfati Canones perperam primæ Synodo Milevitanæ subscribuntur.

Verùm quisquis huic collectiooi nomen imposuit Concilii Milevitani, neque rerum, neque personarum, neque aliarum circunstantiarum aut rationem aut notitiam habuit: *Tum quia* Coocilium Milevitanum primum celebratum fuit *Anno Christi* 402. initiô Pontificatûs Innocentii; quô tempore oedum oborta erat hæresis Pelagii, quæ solùm evulgari ac propagari cœpit circa *Annum* 413. ut observat sanctus Prosper in Chronico ad illum annum: *Hâc tempestate* (inquit) *Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi Cœlestio & Iuliano adjutoribus exerit, multosque in suum trahit errorem.* Et benè dixit *hôc annô*, quia anno superiori, ut optimâ ratione probat Barooius ad annum Christi 412. Cœlestius discipulus Pelagii, à Paolino Diacono de capitibus hæresi Pelagianæ postulatus, Carthagine Synodali sententiâ damnatus fuerat. Non potuit ergo Pelagiana hæresis damnari in Concilio primo Milevitano, quæ nonnisi post integrum decennium cœpit publicari. Et ex consequenti, alterius Concilii esse oecessum est, octo priores Canones hujus collectionis, quibus capita hæresis Pelagianæ articulatim damnantur.

1. Quia nondum evulgatus fuerat Pelagianus error.

Insuper Concilium Milevitanum, ex quo ad Romanum Pontificem Innocentium de hæresi Pelagiana, tunc oriente Patres scripsere, fuit Provinciale Numidiæ, eique præsedit Silvaoos illius Provinciæ Primas. Hunc enim Concilii præsidem Epistola Patrum Milevitanorum ad Inoocentium in fronte gerit, his verbis: Domino beatissimo, meritóque venerabili, & in Christo honorando Papæ Innocentio, Silvanus, Valentinus, &c. & responsio Innocentii ad Concilium. Innocentius Silvano seni, Valentino & cæteris qui in Milevitana Synodo interfuerunt. Fuisse Provinciale Numidiæ, & non plenarium Africæ, scribunt Patres ipsi ad calcem Epistolæ suæ. Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Ecclesiæ, Carthaginiensis Provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. At Milevitanum primum non fuit Provinciale, sed universale Africæ. & præsidem habuit non Silvanum, sed Aurelium, ut habet præfatio, quare primum Milevitanum non est illud Concilium in quo de hæresi Pelagiana tractatum fuit.

2. Quia Concilium Milevitanû in quo damnati fuerunt Pelagiani erroris assertores fuit Provinciale. Primum autem erat generale.

Deinde. Capite XXVII. illius collationis Milevitanæ, decernuntur quidã Episcopi, qui cum Aurelio Episcopo seniore cuncta agant nomine omnium, & sunt. *De Provincia Carthaginis*, Vincentius, Fortunatianus, Clarus; *de Provincia Numidia*, Alipius, Augustinus, Restitutus. *De Provincia Bizancena*, Donatianus Primas, Cresconius, Jocundus, Aemilianus. *De Provincia Mauritania Sitifensis*, Severianus, Asiatius, Donatus. *De Provincia Tripolitana*, Plautius. Nomina verò Patrum Milevitanorum qui scripserunt ad Inocentium, ex eorum Epistola sunt hæc, Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alipius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novanus, Secundus, Maxentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malcus, Lictorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Processius, Cresconius secundus, Felix, Asiaticus, Rufioianus, Faustinianus, Servus, Terentius, Lucillius, Sabinius, Faustinus, Cresconius, Victor, Genantius, Possidonius, Antoninus, Innocentius, Præsidius, Crescentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delfinus.

3. Quia alii referuntur Patres dictorum Canonum conditores, quàm qui primæ Milevitanæ Synodo adfuerunt.

Quare Patres Milevitani, qui scripserunt ad Innocentium, non sunt illi quibus Arcadiô V. & Honoriô V. Consulibus commissæ fuerunt (si tamen commissæ fuerunt) res Concilii; non enim inter eos sunt Aurelius Primas, non Vincentius, Fortunatius & Clarus, non Jocundus & Æmilianus, non Severianus & Plautius: quomodo igitur illud, & istud unum itidem Concilium esse possunt? Fateor equidem quòd hæc collectio habet saltem præfationem, & aliquot capita saltem eorum Canonom, quæ disciplinam Ecclesiasticam spectant primæ Synodi Milevitanæ: at ad illud non pertinent Canones suprà scripti contra hæresioi Pelagianam, quæ nonnisi diu post dissaminari cœpit.

Non videntur etiam adscribendi dicti Canones Concilio Milevitano secundo.

Nec veritatem penitiùs & oculatiùs detexisse videntur, qui præfatos viginti septem Canones aut saltem octo priores, in Milevitanam secundam Synodum refundunt. Quod utique constat *primò* ex Canone nono, cujus verba sunt: *Item placuit ne diutiùs universi Episcopi qui ad Concilium congregati sunt, tenerentur, ternos judices de singulis Provinciis eligi: & electi sunt de Provincia Carthaginensi, Vincentius, Fortunatianus, & Clarus; de Provincia Numidiæ Alipius, Augustinus & Restitutus. De Provincia Bizancena cum sancto sene Donatiano Primate Cresconius, Iocundus & Æmilianus. De Mauritania Sitifensi, Severianus, Asiaticus & Donatus. De Provincia Tripolitana, Plautius, qui ex more legatus unus missus est, qui unà cum sancto sene Aurelio universa cognoscunt; à quo petiit universum Concilium, ut cunctis sive gestis, quæ confecta jam sunt, seu Epistolis ipse subscribat, & subscripserunt. Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis huic decreto consentit, & prælecto subscripsit, similiter & cæteri subscripserunt.* Constat, inquam, hunc Canonem non posse à secunda Milevitana Synodo censeri conditum; hæc enim Synodus fuit Provincialis Numidiæ, hic autem Canon (ut constat) est Concilii Nationalis plenarii, ex quinque Provinciis Africæ collecti.

1. Quia aliqui Canones ex illis fuerunt editi à Concilio Nationali: Milevitanum autem non fuit Nationale.

Insuper. Concilio Milevitano secundo oon interfuit Aurelius Episcopus Carthaginensis, qui tum Carthagine Synodum Provincialem celebrabat, ex qua scripsit ad Innocentium Romanum Pontificem, huic autem Synodo, in qua conditus est præfatus Canon, interfuit & præfuit.

2. Aliqui Præsules subscripserunt prædictis Canonibus, qui Synodi Milevitanæ non adfuerunt.

Denique, Concilio Milevitano secundo præsedit Silvanus qui litteras cum cæteris Episcopis Numidiæ scripsit ad Ionocentium; Silvanus quidem in hoc Canone, ne nominatur quidem; sed Aurelio Episcopo Carthaginensi scribendarum & subscribendarum Epistolarum datur facultas: quid ergo Concilium istud habet commune cum secundo Milevitano?

3. Quin Patres Milevitani in suis ad Innocentium Epistolis nullam Canonum mentionem faciunt.

Sed neque octo priores ab eodem Concilio constitutos esse verisimile est: *Tum quia* habemus litteras hujus Concilii ad Pontificem Innocentium, in quibus de Canonibus à se constitutis nulla fit mentio, nulla approbatio postulatur, res silentio non prætereunda, si facta fuisset: *Tum quia* Patres ejus Synodi communibus Epistolis, nec-non & quatuor Episcopi suis peculiaribus litteris ad Innocentium summum Pontificem directis postulant, ut Pelagianismum publicè damnet: nondum ergo publicè erat damnatus, nondum ejus assertores universim ab Ecclesiæ corpore erant separati, sed ut fieret à Romano Pontifice Milevitani Patres postulant: *Tum quia* sanctus Prosper in *Responsione ad Capitula Gallorum Cap.* 8. de iis Canonibus loquens, ait: *Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est veraci professione; quemadmodum eorum habet sermo*, DICAMUS GRATIAM DEI, *&c.* Et contra Collatorem: *Erraverunt* 214. *Sacerdotes, qui in Epistola, quam suis* CONSTITUTIONIBUS *prætulerunt, ita Apostolicæ Sedis B. Antistitem Zozimum sunt alloquuti:* CONSTITUIMUS, *&c.* Si Canones contra Pelagium quos *Constitutiones* appellat, decreti sunt tempore Zozimi & à 214. Episcopis, certè in secundo Milevitano decreti non fuere. Milevitanum scilicet secundum habitum est sub Innocentio, non sub Zozimo, eique interfuerunt Episcopi non 214. sed sexaginta tantùm, ut ipsi in Epistola sua ad Innocentium, editis singulorum nominibus profitentur.

4. quia prædicti Patres postulant condemnationem Pelagianismi; ergo nondū publicè proscriptus fuerat.

5. Quia eos cond tos esse à Carthagin. Nationali affirmat. S. Prosper.

Rursum carmine de ingratis idem Author de his Canonibus loquens, qui, ut ante dixerat, Romæ probati erant, subjicit:

Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere, undante metallo,
Et tercentenis Procerum sunt edita linguis

Ducentos & quatuordecim Patres per Synecdochen tercentenos dicere potuit; at sexaginta nequaquam.

Si hæresis Pelagiana constitutis Canonibus, prius Milevi, quàm Romæ damnata fuisset, falsò de illa Prosper eôdem librô dixisset.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Relligione tenet.

Cœlestinus

Cœlestinus primus *R. P.* Epistola ad Episcopos Galliarum, scribens contra Pelagianos cap. 10. ait: *Illud etiam quod intra Carthaginiensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectimur, quod scilicet tertiô capitulô definitum est. Vt quicunque dixerit gratiam Dei quâ justificamur, &c.* Refertque ad verbum Canonem 3. collectionis Milevitanæ, & subdit: *Et iterum* 4. *Capitulô, ut si quis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adjuvare, &c.* Et refert quartum Canonem illius collectionis, & tandem quintum, semperque Carthaginensis nomine, nunquam Milevitani: quùm verò Cœlestinus Pontificatum inierit Annô Christi 423. verisimile non est, quòd ignotaverit, verùm Authorem Canonum, quos citabat, sive constituti fuissent sub Zozimo, sive sub Innocentio; maximè quod habebat gesta utriusque Pontificis & utriusque Concilii in hac causa, eaque in eadem hac Epistola, ex eorum authenticis propriis illorum verbis, referebat.

Adrianus.

Concludamus hunc locum omnium antiquorum Codicum testimoniô. In Epitome Ecclesiæ Africanæ, quam Adrianus primus dedit Carolo Magno, octo Canones contra Pelagium habentur hâc notâ. « Octo capita quæ sequuntur in Carthaginensi Concilio sub anathemate statuta sunt. » In corpore Canonum Ecclesiæ Africanæ; quod lectum est Carthagine in Concilio Africæ plenario, post consulatum Honorii XII. & Theodosii XIII. habentur ad verbum in Concilio Carthaginensi anni præcedentis, non in aliquo Milevitano; ibi tamen referuntur cum decretis suis omnia Concilia, quæ in Africa habita fuerunt, tempore Aurelii Episcopi Carthaginensis. In collectione vulgata totidem verbis leguntur in Concilio Africæ plenario, Honoriô VII. & Theodosiô VIII. Coss. Photius in Bibliotheca hanc Synodum Carthaginensem legisse se dicit cum his Canonibus, contra Pelagium & Cœlestium. Binius *Tomô secundô Conciliorum*, asserit illos ad idem Concilium referri, in vetusto quodam Codice Monasterii sancti Bavonis Gandavi, & in codice impresso Moguntiæ an. 1651. juxta exemplar vetustissimum Monasterii Vintoniensis. Si quis ergo his consideratis, propter illam unam collectionem, Canones contra Pelagium, Milevitanos & non Carthaginenses appellare pergat, hunc ego dixerim humanam fidem pensi non habere.

Photius, &c.

§. VII.

Canones Concilii Arausicani II. celebrati anno 529. quibus maximè quæ de Gratia Fide tenenda sint, statuuntur.

PRÆFATIO.

CUm ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus Præfectus & Patricius Filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante & ipsô invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent; inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: pervenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non secundùm fidei Catholicæ regulam, sentire velint. Unde id nobis secundùm authoritatem & admonitionem Sedis Apostolicæ, justum & rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus collecta sunt: ad docendos eos, qui aliter quàm oporteat sentiunt ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus: quibus lectis qui huc usque, non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.

1. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est, secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium: Pelagii errore deceptus, adversatur Scripturæ dicenti: *Anima*

qua

quæ peccaverit ipsa morietur. Et: *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui subditi obeditis, & à quo quis superatur, ejus & servus addicitur.*

2. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, & non ejus propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis (quæ pœna peccati est) non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.*

3. Si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis: contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant.*

4. Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit: non autem ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infusionem & operationem in nobis fieri confitetur: resistit ipsi Spiritoi sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas*, &c. & Apostolo prædicanti. *Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.*

5. Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quô in eum credimus qui justificat impium, & ad generationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit: Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, S. Paulo dicente: *Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi.* Et illud: *Vobis datum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini:* Et, *Gratia salvi facti estis per fidem; non ex vobis, Dei enim donum est.* Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodò fideles esse definiunt.

6. Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam, dicit conferri divinitùs, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem & inspitationem S. Spiritûs in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* Et: *Gratiâ Dei sum id quod sum.*

7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spititûs S. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati: hæreticô fallitur spiritu; non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli: *Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

8. Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vi-

A tiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita illæsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos coonquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se venire posse testatur, nisi quem Pater attraxerit, sicut & Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Et Apostolos: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.*

B 9. Divini est muneris cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.

10. Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

11. Nemo quicquam Domino rectè voverit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur, *Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius donô, non quales sumus nostrô meritô.

13. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, C non potest reddi, unde ipsa veritas dicit: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

14. Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* Et illud: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

15. Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei: illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi: *hæc* (secundùm Psal.) *mutatio dexteræ excelsi.*

16. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur tanquam non acceperit, aut ideo se putet acce- D pisse, quia littera extrinsecùs velut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Porro autem si non gratis mortuus est, ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet quicumque habet: quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

17. Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium; quod est à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.

18. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

E 19. Natura bumana etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo oon adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei, salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quam perdidit?

20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, & faciat homo.

21. Sicut eis qui volentes in lege justificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus: *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est:*

Sie & his, qui gratiam quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur: Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hie enim erat lex, & non justificabat: Jam hîc erat natura & non justificabat: ideo Christus noo gratis mortuus est, ut & lex per ipsum impleretur qui dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere*: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, *venisse se quærere, & salvare quod perierat.*

22. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum: Si quid autem haber homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hae eremo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.

23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet: quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agaot quod agunt, illius tamen voluntas est à quo præparatur & jubetur quod volunt.

24. Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant: sic quippe vitis est in palmitibus ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac per hoc & manentem in se habere Christum & manere in Christo discipulis prodest, & non Christo. Nam præcisô palmite, potest de viva radice alius pullulare, qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

25. Prorsus donum Dei est, diligere Deum, ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit: displicentes, amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

Quàm necessaria sit gratia ad omne opus bonum & meritorii.

At si secundùm suprà scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deô propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitriom, ut nullus posteà, aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum aut operari propter Deum, qood bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerir. Uode Abel justo & Noë, & Abraham, & Isaac, & Jacob, omnique antiquorum Sanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat; sed per gratiam Dei eredimus fuisse collatam. Quam gratiam etiam post adventum Domini, omnibus qui baptisati desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi novimus, simul & credimus largitate conferri, secundùm illud quod jam supra dictum est, & prædicat Apostolus Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut pro illo patiamini.* Et illud: *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et quod de seipso ait Apost. *Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem.* Non dixit quia eram, *Sed ut essem.* Et illud: *Quid habes quod non accepisti?* Et illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et illud: *Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum Scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studiô prætermissa sunt, quia & reverà uti paoca non sufficiunt, plura non proderunt.

Præcepta Dei snut observatu possibilia.

Hoe etiam secundùm fidem Catholicam credidimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptisati, Christô auxiliaote & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Proscribitur impium dogma Calvinistarum de Prædestinatione ad malum.

Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantùm malum credere velint, eum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoe etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non oos incipimus; & posteà per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus: Unde manifestissimè credendom est, quòd & illius latroois, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum, &c. *ita Concilium.*

Nec-non & Semipelagianorum de initio fidei & bonorum operum.

Sub quo summo Pontifice celebratum fuerit Concilium Arausicanum.

Advertendum autem hîe, cootroversiam non levem moveri apud Doctores, & Ecclesiasticos Annalistas, à quo summo Pontifice selecti fuerint supradicti Canones, & ad Synodum Arausicanam directi. Plerique enim existimant cum Suare Prolog. 6. de Gratia cap. 1. eos fuisse concinnatos & missos à Leone, cujus vigore & diligentiâ contritam fuisse Pelagianam hæresim, & pœoè extinctam affirmat sanctus Prosper in dimidio temp. cap. 6. Baronius ad *Ann. Christ.* 462. censuit Synodum illam, non sub Leone Papa, sed sub Hilario ejus successore fuisse celebratam. Verùm in *Appendice tom.* 10. revocatâ priori sententiâ contendit eam Synodum celebratam fuisse sub Romano Pontifice Fœlice IV. *Ann. Christi* 526. Quam utique sententiam plurimi Recentiores sequuntur.

Præfati Canones non ex sola S. Augustini, sed etiam aliorum SS. Patrum doctrina excerpti fuerunt.

Advertendum insuper plerosque existimate præfatos Canones ex doctrina sancti Augustini passim decerptos, & conceptos à S. Prospero, eujos operâ summi Pontifices maximè adversus Semipelagianos plorimùm usi sunt. Certum tamen est Canones non ex unius S. Aug. doctrina fuisse concinnatos, sed & collectos *ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus*, ut legitur in præfatione, vel ut fert conclusio; *sunt definitiones antiquorum Patrum.* Quibus convincitur, Patres non eensuisse hane esse peculiarem S. Aug. sententiam, sed & illi cum cæteris antiquis Patribus communem; quod utique confirmat Bonifacius II. Epistolâ ad Cæsarium Arelatensem, quâ Synodum Arausicanam confirmat, eâ potissimùm parte, quâ fidem nos non habere definierat, nisi ex præcedenti gratia per Christum, sieut doctrinam *à multis Patribus traditam & consentaneam Catholicis Patrum regulis.*

Selecta ex decretis Concilii Senonensis.

Quanti faciendum sit Concilium Senonense.

VIx grassari latiùs ac propagari Lutherana pestis cœperat, cùm Cardinalis *à Prato* Archiep. Senonensis, & Galliæ Cancellarius, Parisiis Concilium convocavit, quod habetur tom. ultimô Conciliorum hôc titulô: *Concilum Senonense celebratum ann. D.* 1528. cujus tanta est authoritas, ut meritò scripserit noster Faventinus disp. 60. in t. cap. 4. *Licèt hoc Concilium Senonense sit Provinciale, est tamen magna authoritatis, & tota ejus doctrina videtur esse confirmata in Con-*

cilio Trident. Quod utique confirmat Suarez *pro-log.* 6. scribens *Concilium Trident. quod post* 10. *annos celebratum est, virtute approbat totam doctrinam de gratia, quam Concilium Senonense tradiderat; quia eandem ferè magis explicatam ac locupletatam docet ac definit.* Quamobrem quod universim Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 10. ex Catholicorum omnium sensu præscribit, *Concilium particulare non expressè confirmatum, facere argumentum adeo probabile, ut temerarium sit ei non acquiescere*, ad hanc maximè Synodum accommodari debet.

Inter cætera autem illius Concilii decreta quæ sunt numerô 18. placet hîc tantùm duo exscribere, quæ maximè doctrinam de *libero arbitrio*, nec non & *de fide*, ac *operibus bonis, merito & gratia* statuunt ac definiunt.

DECRETUM 16. *De libero Arbitrio.*

ETSI nulla penè sit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifestus sacræ Scripturæ locus, quem hæretici suis cavillis & tergiversationibus non eludant; in nulla tamen tam impudenter, tantaque rei Christianæ jactura debacchati sunt, quàm in exterminando profligandoque libero arbitrio. Nam quid Christi fidelibus perniciosius excogitare potuit hostis ille veritatis, quàm si vel a Pelagio seducti, omnia sine præsidio gratiæ sibi tumidius arrogent; vel fatiscenti pusillôque animô, cum Vvicleffo, necessitati fatisque committant omnia? Nihil profectò reliquum erit, tum divinis legibus, tum humanis, nullus consiliis aut electioni, nullus precibus aut objurgationi, cæterisque id genus, locus: nulla denique justitia futura est, quâ quibusdam pœnæ, quibusdam constituta sint præmia, si pro Vviclefi & Lutheranorum sententia, omnia de necessitate eveniant. Prodierat hîc error primùm apud Gentiles, sed summô omnium consensu mox explosus est; adeo liberum esse arbitrium, veluti evidenti quôdam experimentô cognitum, omnium mentibus se se inculcat. Cùm igitur reliquerit Deus hominem *in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam*; ne abs re, beatus ille dicatur, *qui potuit transgredi & non est transgressus, & facere mala & non fecit*; quòd sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti sacram Scripturam passim obvium sit, quòd liberum in utramvis partem hominis arbitrium assereret, satis esse visum est sacro Provinciali Concilio, libertatis hujusmodi vires & metas exponere.

Asseritur liberum arbitrium.

Neque enim liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam, quod ei falsò toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere: Sed juxta sacram Scripturam eò extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxiliô suffulta, & interiori quôdam & occultô secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, quâ tandem acceptâ, sit apta ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustrà certè Stephanus Judæos, duræ cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent; frustrà Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi, non uncô rapimur; prædestinat, eligit, vocat, sed eos demum adultos glorificat, qui in fide & charitate radicati, per bona opera, certam suam vocationem, electionemque fecerint. Et licèt attingat à fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter. Hanc igitur hæresim, arbitrii libertatem prorsus auferentem, non tam damnamus (quippe quæ jam olim) quam communi hominum conceptioni & apertis Scripturæ testimoniis declaramus esse contrariam.

Quod per gratiæ efficacitatem non solvitur, sed firmatur.

Gratiæ enim omni resisti potest.

DECRETUM XVII. *De Fide, & Operibus, Merito & Gratia.*

FREQUENS illud est apud imprudentes, & qui non tam animi moderatione, quam impetu feruntur, ut dum ab altero vitiorum incautè diffugiunt, in alterum prolabantur. Cujus rei Lutherus fidem facit, qui dum operum fiduciam nimis insectatur, nihil tandem operibus reliquum facit, atque ita unius fidei patrocinium suscipit, ut solam agnoscat, opera rejiciat & condemnet. Verùm si rectè perpendantur, quæ pro fide producit è Scripturis testimonia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ verò contra opera citat, ea omnia vel ad nimiam in operibus fiduciam, vel ad legales cæremonias pertinent. Fide quidem vivimus, & sine hac impossibile est placere Deo. Si quis nihilominus habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil est; fide justificamur, sed & spe salvi facti sumus. Et dimissa sunt Mariæ Magdalenæ peccata multa, quoniam dilexit multùm: *Si quis enim*, dicit Dominus, *dilexerit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nunc igitur manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas.* Et in vivificando, justificandoque potior, quandoquidem, *fides sine operibus mortua est:* Tum quia fides utilis est ad salutem, cum per dilectionem operatur; at charitas non est otiosa, sed per bona opera satagit, ut certam vocationem nostram electionemque faciat.

Sola fides ad salutem & satisfactionem non sufficit.

BVLLA SVMMORVM Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Vrbani VIII. quâ plurimæ Baji propositiones damnantur.

Vrbanus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

IN eminenti Ecclesiæ militantis sede, meritis licèt imparibus, constituti, sedulò meditamur, ut quæ ad fidei Catholicæ conservationem, à prædecessoribus nostris providè statuta & ordinata sunt, firmiter perpetuò observentur, & cùm opus sit nostræ authoritatis munimine firmentur. Dudum siquidem à fel. record. Pio Papa V. prædecessore nostro emanavit constitutio tenoris consequentis. videlicet. Pius Episcopus servus

ſervorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quod Eccleſia Chriſtiana tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie opinionibus propoſitis conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcuè deferatur: quantùm verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illa, ſimul atque proſiliunt, penitùs opprimantur: magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias ſententias offenſionis & periculi plenas, tum verbo, tum ſcriptis, prorumpunt, deque eis etiam in ſcholis, invicem controvertantur: cujuſmodi ſunt ſequentes.

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis & primo homini, ſi in ſtatu illo permanſiſſent uſque ad ultimum vitæ, fœlicitas eſſet merces & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In promiſſione facta Angelo & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus ſine alio reſpectu vita æterna juſtis promittitur.

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ, non rectè vocantur gratiæ; quô fit ut tantùm merita, non etiam gratiæ debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Chriſti nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro & Angelo, forſitan non improbanda ratione poſſunt dici gratia, ſed quia ſecundùm uſum Scripturæ nomine gratiæ tantùm ea munera intelliguntur quæ per Jeſum malè merentibus & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet.

10 Solutionem pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe manet, & corporis reſurrectionem, propriè non niſi meritis Chriſti adſcribendam eſſe.

11. Quod piè & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initiô creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt; nec in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali inſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt: opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non eſſe regni cœleſtis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quòd fiunt per ſpiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum A Dei, ſed tantùm ex eo quòd ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem quàm juſto Dei judicio mererentur accipere.

15. Dicit rationem meriti non conſiſtere in eo quòd qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum ſanctum, ſed in eo ſolùm quòd obedit divinæ legi: quam ſententiam ſæpius repetit & multis rationibus probat fere toto libro.

16. In eodem libro ſæpius repetit quod non eſt vera legis obedientia quæ fit ſine charitate.

17. Dicit ſentire cum Pelagio, qui dicunt eſſe B neceſſarium ad rationem meriti ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum deificum.

18. Dicit opera Catechumenorum ut fidem, & pœnitentiam ante remiſſionem peccatorum factam eſſe vitæ æternæ merita, quam vitam non conſequentur Catechumeni, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Videtur inſinuare quòd opera juſtitiæ & temperantiæ quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerint majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

C 21. Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda eſt & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt faciunt*, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono, quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe, charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

D 24. A vanis & otioſis hominibus, ſecundùm inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt illa ſententia: quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt hominem ab initio ſic conſtitutum ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & in Dei Filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio: quam ſententiam repetit & probat per plura capitula.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.

E 28. Pelagianus eſt error dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſolùm fures ii ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quàm per Chriſtum in viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe dicunt.

30. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.

31. Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quô Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti quô Deus amatur, ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel servus peccati, vel peccatum est.

36. Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injoria crucis Christi defenditur à nonnullis doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis a peccato.

42. Justitia quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in Filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps benè vivere & Dei mandatis obedire possit.

43. In omnibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque quæ à fidelibus fiunt, ut mandatis Dei pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto & à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientiæ, & veræ legis justitiæ, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium quàm generali illa, quâ omne opus quod fit ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium?

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, in eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento quando usum rationis consequutus erat actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria quibus ratio non consentit, A & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præceptô, non concupisces.

51. Concupiscentia sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus ejus est conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit quô infecit prima transgressio.

53. Quantùm est ex vi transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini B nihil præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministeriô Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo qui pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat eum & resuscitat; ministeriô autem Sacerdotis C solus reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant: nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

D 61. Celebris illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm, alterum quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum, quod moraliter bonum appellari consuevit; vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd sit à vivo E Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda putatur.

63. Similiter & illa distinctio duplicis justitiæ: alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem: alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis & in eo charitatem diffundentis, quæ divinâ legis justificatio impleatur, odiosissima & pertinacissima rejicitur.

64. Denique & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum & inchoatio per Dei gratiam inspiratur: alterius quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, commentitia judicatur & Scripturis minimè congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usos aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ quæ per eam justificatos facit implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi sacramentum, conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job & martyres quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo præter Christum est sine peccato originali, hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita sicut & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis, relapsis in peccatum mortale in quibus jam dominatur, peccatum est sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, non concupisces: unde homo sentiens & non consentiens transgreditur præceptum, non concupisces, quamvis transgressio peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent de condigno expiare pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias strictô coram nobis examine ponderatas, licèt nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, ac quocumque super iis verbo, scriptoque emissas, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus, deque eisdem, & similibus posthac, quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus, Romano Pontifico inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare, &c.

Observandum est autem *primò* harum propositionum condemnationem editam fuisse primùm à A summis Pontificibus absque illo ordine & propositionum numero præfixo, quem suprà designavimus, ut constat ex exemplaribus impressis Romæ 1579. quarto Februarii. *Deinde* tamen majoris claritatis gratiâ à Theologis transcripta fuit adjectis numeris, ut possent commodiùs citari propositiones, quas in disputationem adducerent. *Insuper*, plures sunt propositiones numeris disjunctæ quæ eandem prorsus doctrinam eundemque errorem videntur continere; cæterùm distinctæ numerantur, quia non uno & eodem modô, sed multiplici ac diversô, & interdum cum aliqua additione sententiam proponunt. *Denique* sciendum est aliquas propositiones ex suprà me- B moratis non reperiri in opusculis editis à Michaële Baiio; quia Pontifici non solùm exhibitæ fuerunt sententiæ quæ ex Baiio libellis impressis excerptæ, sed etiam quæ viva tantùm voce assertæ, aut discipulis in scholis dictatæ fuerant.

Præfata damnatio primùm non fuit numeris distincta & signata.

Non omnes illæ propositiones fuerunt à Baio scriptæ.

Notandum secundo, quòd etsi censura Pontificia harum propositionum, quoad singulas assertiones, indeterminata sit & ambigua (sex enim in genere censuras contra has propositiones ferunt summi Pontifices, pronuntiando Baii assertiones esse *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensiones immittentes*, quæ singulæ censoræ non cadunt in singulas propositiones, sed cum propositione accommoda, quo- C circa additur *(respectivè:)* nulla tamen harum propositionum est quæ Pontificiam censuram fugiat; siquidem Pontificum decreta disertè pronuntiant illas sententias in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, *hæreticas, erroneas, &c.* esse damnandas circumscribendas & abolendas & de eisdem & similibus posthac quocumque pacto, loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumqoe interdicunt; subindeque nulla earum propositionum propugnari potest ab Ecclesiæ Romanæ filio.

Omnes omnino proscriptæ sunt & damnatæ.

Notandum tertiò, quòd cùm ipse Michaël Baïus compertum habuisset has suas propositiones damnatas esse authoritate Apostolica, ut pius erat & D Ecclesiæ filius obsequentissimus, easdem revocavit ac damnavit actu publico, cujus damnationis exemplar propriâ munitum syngraphâ & sigillô misit Romam anno 1580. Maii 24. cujus tenor sequitur. *Ego Michael de Baii Cancellarius universitatis Lovaniensis agnosco & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum Reverendo Patre D. Francisco Toleto concionatore suæ sanctitatis, & ad hanc rem specialiter missô, super diversis sententiis & propositionibus jam olim à sanctissimo. D. N. Pio quinto fælicis recordationis, subdatâ Kalendis Octobris anno 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice maximo subdatâ 4. Kalend. Februarii anno 1579. iteratò damnatis &* E *prohibitis, ita motum & eo perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem atque prohibitionem jure meritoque ac non nisi maturo judicio & diligentissima discussione præmissis factam atque decretam esse fateor: insuper plurimas ex iisdem sententiis, in nonnullis libellis à me olim & ante emanatam sedis Apostolicæ super iis censuram, conscriptis & in lucem editis, contineri & defendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur. Denique declaro me impræsentiarum ab iis omnibus recedere & damnationi à sancta sede factæ aquiescere; neque posthac, illas docere, asserere aut defendere velle. Datum Lovanii, die 24. Martii, anno 1580.*

Etiam à Baïo qui eas revocavit & damnavit.

Optandum esset nihilominus ad omnes solvendas ac sedandas controversias circa censuram

singularum ejusmodi propositionum, ut Ecclesia designaret quæ unicuique propositioni particulari damnationis nota conveniat; quod utique donec præstetur, non ingratum erit arbitror hîc adscribere censuram sacræ Facultatis Parisiensis super quibusdam ex eis propositionibus ad eam delatis per duos ex nostro Ordine superiores Belgas, ut constabit ex ejusdem Censuræ præfatione.

CENSURA SACRÆ FACULTATIS *Parisiensis contra quasdam propositiones.*

ANNO DOMINI millesimo, quingentesimo, sexagesimo, die jovis vigesima septima mensis Junii, sacratissima Facultas Theologiæ Parisiensis, post Missam apud Collegium Sorbonæ ex more celebratam, in eodem Collegio per juramentum congregata est in materia fidei, super propositionibus infra scriptis, per eandem Facultatem cum matura deliberatione Magistrorum nostrorum Censurâ notatis, quas frater *Petrus de Quercu* Guardianus Conventûs Nivellensis, & frater *Ægidius de Querceto*, Guardianus Athiensis, prædictæ Facultati Theologiæ miserunt, sigillis prædictorum Conventuum signatas; rogantes obnixè ut super iis dicta Facultas censuram ferret, quarum propositionum tenor sequitur cum censura ad easdem.

I. *Propositio.*

Liberum Arbitrium hominis non habet potestatem ad opposita, nec illi convenit ea potestas ex ipsius naturali & intrinseca ratione.

Censura.

Prima pars hujus propositionis est hæretica: secunda est falsa, & erronea & Morali Philosophiæ adversa.

II. *Propositio.*

Libertas, & necessitas eidem conveniunt respectu ejusdem, & sola violentia repugnat libertati naturali hominis.

Censura.

Hujus propositionis prima pars includit contradictionem, & est hæretica, secunda est falsa.

III. *Propositio.*

Liberum Arbitrium ex sua ratione intrinseca non habet ut ex se & per se efficiat actum liberum.

Censura.

Hæc propositio est falsa, erronea & perniciosa.

IV. *Propositio.*

Liberum Arbitrium ex se non potest nisi peccare, & omne opus Liberi Arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, aut veniale.

Censura.

Hæc propositio pro utraque parte est hæretica.

V. *Propositio.*

Homo faciendo quod in se est peccat: & non potest non peccare faciendo quod in se est.

Censura.

Tota hæc propositio est hæretica.

VI. *Propositio.*

Posse peccare non est de ratione Liberi Arbitrii hominis, nec ejusmodi potentia peccandi homini data est à Deo.

Censura.

Hujus propositionis prima pars est falsa: secunda hæretica.

VII. *Propositio.*

Liberum Arbitrium hominis non potest absque A speciali gratia Dei vitare peccatum; unde fit ut omne opus hominis purè infidelis sit peccatum.

Censura.

Hujus propositionis secunda pars est falsa; & ex præcedenti malè infertur.

VIII. *Propositio.*

Liberum Arbitrium libere vult quidquid sponte suâ voluntariè fit: ita ut quod necessariò vult, idem liberè velit.

Censura.

Hujus propositionis secunda pars implicat contradictionem, & est hæretica.

IX. *Propositio.*

Hæreticus, Schismaticus, & homo purè infidelis meretur quandoque de congruo vitam æter- B nam.

Censura.

Hæc propositio est planè hæretica.

X. *Propositio.*

Homo existens in peccato mortali, sive ejus reatu ad æternam mortem, habet in se charitatem.

Censura.

Hæc propositio est hæretica.

XI. *Propositio.*

Per Contritionem, non adhibito realiter sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur Crimen extra casum Martyrii & necessitatis.

Censura.

Hæc propositio est hæretica.

C XII. *Propositio.*

Peccator si faciat quod mandatur per Contritionem & Confessionem factam Sacerdoti, non remittitur illi peccatum nisi Sacerdos absolvat; etiamsi per malitiam Sacerdos absque ratione illi neget absolutionem.

Censura.

Hæc propositio est hæretica.

XIII. *Propositio.*

Non nisi Pelagiano errore admitti potest ante primam justificationem in homine liberi arbitrii usus bonus; & qui se præparat ad eam, peccat, D ut is qui pessimè abutitur suis bonis naturalibus; nam ante eam, omnia opera hominis sunt peccata damnatione digna.

Censura.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica.

XIV. *Propositio.*

Non datur gratia nisi renitenti, perinde nec prima justificatio, quæ justificatio est ipsa fides; fides enim est, qua ex impio quis fit pius.

Censura.

Hujus propositionis duæ primæ partes sunt hæreticæ, & tertia est falsa.

XV. *Propositio.*

Homo necessariò peccat etiam damnabiliter, in E aliqua specie peccati, & actus ad quem necessariò fertur, est illi peccatum, quare ut liberè feratur in actum, non est conditio necessaria ad peccandum.

Censura.

Hæc propositio est hæretica pro omnibus partibus.

XVI. *Propositio.*

Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc beata Virgo mortua est propter peccatum quod contraxerat ex Adam: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, sunt ultiones peccati originalis vel actualis, unde & Job passus est, & martyres propter peccata sua.

Censura.

Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica, & beatæ Virgini Mariæ & Sanctis injuriosa.

XVII. *Propositio.*

Omnia in Dei gloriam facite: & dico vobis non resistere malo: sunt simpliciter ut præcepta accipienda.

Censura.

Hujus propositionis posterior pars, ut jacet, est hæretica.

XVIII. *Propositio.*

Omne opus bonum est meritorium vitæ æternæ; quod si aliquod remuneraretur temporaliter tantum, non dignum vita æterna, illud malum est, quia nullum est opus bonum meritorium nisi vitæ æternæ.

Censura.

Hæc tota propositio repugnat sacræ Scripturæ.

Aliæ sunt etiam hôc sæculô celebres editæ Censuræ tum à summis Pontificibus tum à sacra Facultate Parisiensi super aliis propositionibus ad divinam gratiam spectantibus; quæ quoniam omnium manibus feruntur, ac candidatorum etiam Theologorum præcordiis & memoriæ tenacitet inhærent, idcirco eas hîc attexendas esse non censui.

DISPUTATIO PRIMA.

De Existentia & necessitate Gratiæ.

I. Gratiæ Existentia patet, 1. Ex Scriptura sacra.

GRATIÆ existentiam innumera prædicant Scripturarum oracula, quæ passim testantur existere beneficium divinitùs homini concessum, in ordine ad elicienda opera meritoria, quibus gloriam æternam possit promereri. Sic Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Joan. 1. *De plenitudine ejus* (Christi) *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, &c.* hoc est, gloriam æternam nobis repromissam habemus pro bono usu gratiæ à Christo illius fonte in nos scaturientis & exundantis. Ephes. 2. *Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Et cap. 4. *Vnicuique autem vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.* Ex quibus aliisque similibus locis propè innumeris, patet gratiam reverà esse aliquid reale, veramque habere existentiam in rerum natura, eamque distingui ab ipsa hominis substantia, omnibusque illius bonis naturalibus, cujusmodi sunt potentiæ, sive facultates, accidentia & operationes naturales.

2. Ex Conciliis, & SS. Patribus.

Eamdem veritatem comprobant Oecumenica Concilia, atque unanimis SS. Patrum consensus, apud quos nihil frequentius occurrit, quàm crebra mentio & assertio gratiæ cœlestis seu auxilii divinitùs inditi, quô mortalis homo fretus, erumpere possit in operationes & actus imbecillis ac infirmantis naturæ suæ vires longè excedentes; ut constat non solùm ex dictis in prælusiis; sed etiam fusiùs constabit in hujus Tractatûs decursu.

II. 3. Ex ratione Theologica.

Id ipsum satis apertè comprobat etiam ratio Theologica, petenda tum ex parte Dei, tum ex parte ipsius hominis. *Ex parte quidem Dei*, maximè verò ex ejus immutabilitate, cùm enim certum

4. Ex immutabilitate ac suavi Providentia Dei.

sit Deum hominem interdum diligere, interdum verò odiô habere; quod utique accidere non potest, nisi aliqua mutatio contingat, aut in ipso homine qui diligitur, aut in voluntate Dei ipsum hominem diligentis: at certissimum est nullam apud Deum esse transmutationem, nec vicissitudinis obumbrationem, sicut dicitur Jacobi 3. Necesse est igitur mutationem illam repetendam esse ex parte ipsius hominis; ita nimirum, ut cùm singulari dilectione Dei prævenitur, peculiare quoddam bonum in se haberet, per quod formaliter evadat objectum & scopus istius amoris divini, & quô spolietur dum istius amoris amplius non est objectum, sed potius odii. Porrò ejusmodi donum singulare Dei benevolentiam & dilectionem terminans, illud ipsum est, quod gratiam appellamus.

Et ex indigentia & necessitate hominis.

Ex parte verò hominis; cùm enim Deus ex sapienti & suavi rerum administratione & ordinatione hominem Divinitatis capacem ad sui ipsius fruitionem æternam destinaverit, quæ cùm longè naturalem illius spiritum ac ingenitas vires excedat, necessum fuit ut divinum aliquid, ac naturam omnino superans inderetur auxilium, quô opitulante ea præstare posset, quæ ad ejusmodi finis assecutionem conducerent. Enimverò si Deus titulô creationis omnibus rebus à se conditis media necessaria subministrat, quibus pertingant finem, ad quem ex sapienti sua dispositione destinantur; hôc enim ipsô quô Deus illas creavit, tenetur eis, ut par est, providere: nam, ut optimè docet S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 19. *Quis operator negligit operis sui curam, aut quis deserit, quod ipse condendum putavit? Non fecisse nulla est injuria, non curare quod feceris, summa est inclementia.* Non minori certè liberalitate ac congruitate debet Deus ea homini præbere subsidia, quibus finem supernaturalem, ad quem destinatur, comparare valeat; quanquam illius auxilii subministratio ex summa illius liberalitate, ac pura munificentia & misericordia pendeat; unde efficaciori argumentô non potest probari gratiæ existentia, quàm ex summa illius necessitate, quæ maximè illam existere declarat & confirmat.

III. Necessitas duplex Absoluta & Relativa.

Porrò hoc in limine observandum est duobus modis, generatim loquendo, posse aliquid dici necessarium, nimirum per se & absolutè; vel relativè & in ordine ad aliquem finem. Priore sensu solus Deus est ens necessarium, ac subinde sic gratia non est dicenda necessaria; posteriore verò multa sunt & dicuntur necessaria per ordinem ad aliquos

aliquos fines, qui sine illis non possunt omnino, vel certè non ita commodè possunt obtineri. *Rursus*, ejusmodi necessitas relativa, quæ reperitur ex ordine ad finem, potest duplex distingui; Alia quidem *simplex*, sine qua simpliciter finis obtineri non potest: quô sensu navis necessaria est ex Gallia trajecturo in Angliam. Alia verò *secundùm quid* & ad melius esse, quæ magis propriè dicitur utilitas; quô sensu equus dicitur necessarius profecturo Romam, ei nimirum qui posset ire pedes.

Hæc iterum duplex, simplex, & secundum quid.

Certum est autem gratiam esse necessariam secundùm quid, sive utilem homini ad consecutionem finis ultimi; nam ad minùs aliquam facilitatem confert, si Deus eam largiri voluerit ad consequendum finem ultimum: idque adeo certum est, ut ejusmodi necessitatem admiserit Pelagius, sicuti constat ex dictis in primo volumine, ubi actum est de hæresi Pelagiana. Controversia igitur superest de necessitate simplici respectu finis, utrum nempe ad assequendum finem ultimum salutis æternæ, simpliciter necessaria sit homini gratia, quô tantùm sensu præsens controversia disceptatur à Theologis.

Cùm autem homo duntaxat per operationes morales ejusmodi finem supernaturalem possit assequi, inde fit, ut necessitas gratiæ in ordine ad ejusmodi finis ultimi consecutionem eadem sit cum ejusdem gratiæ necessitate ad exercenda bona opera, quibus illum finem possit promereri, & cavenda mala, quibus eum in æternum deperderet. Hinc fit quòd cùm omnis operatio hominis per intellectum & voluntatem ordinetur & dirigatur, vel in verum cognoscendum, vel in bonum prosequendum, vel tandem in malum fugiendum & aversandum; inde movetur difficultas an & qualiter ad triplicem hanc hominis operationem gratia videatur esse necessaria: quocirca triplicem in Articulum præsens disputatio distribuetur. Quorum *primus* gratiæ necessitatem ad verum cognoscendum: *Secundus* ad bonum faciendum: *Tertius* ad malum fugiendum explicabit.

Distributio Disputationis in suos Articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate Gratiæ ad Verum cognoscendum.

TRitum & vulgare est apud Theologos quintuplicem distingui posse hominis statum; de quibus dubium esset an gratia foret ei necessaria ad verum quodlibet insequendum & assequendum. Primus dicitur *natura pura*, in quo homo, nec per gratiam ad finem naturæ vires excedentem promovetur, nec per aliquod peccatum aut vitium à convenienti naturali fine revocatur, sed sub his viribus & dotibus ingenitis relinquitur; nullisque aliis defectibus subjacet, quàm iis qui ex corporis & animæ constitutione naturaliter oriuntur, quales sunt mortalitas, infirmitas, ignorantia, & partis inferioris adversus superiorem rebellio.

II. Quis sit status naturæ puræ?

Status *naturæ integræ*, dicitur ille qui præter naturales omnes perfectiones, includit specialem pacem internam, superiorem inter hominis partem & inferiorem; videlicet perfectam subjectionem appetitûs sensitivi sub rationali; ita ut appetitus sensitivus, nec præveniat imperium voluntatis, nec ei repugnet, sed ad ejus nutum suos motus, suasque passiones comprimat aut exerat, quô fit ut caro non concupiscat adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem; quod utique cùm fit, homo patitur quamdam ægritudinem & diminutionem in viribus suis, hoc modô distractis atque in contraria tendentibus: idcirco dum utraque pars concordat, dicitur habere quandam moralem integritatem, per illam potentiarum suarum concordiam, viribus nempe unitis, & in idem conspirantibus: quô fit, ut pars rationalis vegetior sit ad bene operandum, conformiterque rectæ rationi vivendum.

Quis naturæ integræ?

Tertius status est *naturæ innocentis*, seu justitiæ originalis, qui præter naturalem hominis perfectionem & integritatem, plura complectitur beneficia gratuita ad corpus & animam spectantia; nempe mortis & morbi carentiam, gratiæ sanctificantis & supernaturalem virtutum infusionem, nec-non & collationem eorum omnium cœlestium charismatum, quibus Protoparentes in ipsa sua formatione donati fuerunt.

Quis naturæ innocentis?

Quartus est *naturæ lapsæ*, ab illa scilicet integritate & justitia originali, quam acceperat in Adamo ad omnes ipsius posteros, si ille non peccasset, continuâ propagatione transmittendam. Quamquam autem tetertimus hic status omnino lugendus sit & execrandus, utpotè cùm omnium malorum, quæ in universum genus humanum derivantur, sit profluvium & lerna; nihilominus præcellentem hominis dotem demonstrat, libertatem nempe, quâ suæ ipsius fortunæ arbitrarius, honorariusque psaltes & fictor in quam maluent partem & sortem manus dederit.

Quis naturæ lapsæ?

Quintus tandem status, est naturæ, per Christi Domini gratiam restitutæ ac reparatæ. Hîc autem duntaxat movetur quæstio de statu naturæ lapsæ: num videlicet gratia nobis sit necessaria ad verum detegendum. Cùm autem verum sit triplex, aliud quidem *naturale* & speculativum; aliud verò *morale* & practicum, aliud denique *supernaturale* & divinum, resolvendum erit tribus in sequentibus quæstionibus, an & qualiter gratia desideretur ad illius veri notitiam.

Quis naturæ reparatæ?

QUÆSTIO PRIMA.

An possit homo in statu natura lapsa, absque speciali divina gratia auxilio, omnes veritates naturales speculativas cognoscere.

III. NOtandum primò, nomine *gratiæ*, nos hîc solùm intelligere gratiam actualem & auxiliantem, non verò habitualem & sanctificantem; quippe certum est gratiam habitualem ad veritates naturales cognoscendas non esse necessariam; plurimi namque infideles & Gentiles Philosophi eâ gratiâ destituti, ut Plato, Socrates, Aristoteles, multas veritates etiam ad Deum spectantes, putà ejus existentiam, veritatem, aliaque illius attributa ex creaturis agnoverunt. Quapropter sanctus Augustinus cùm librô primô Soliloquiorum cap. 1. dixisset, *Deus qui non nisi mundos verum scire voluisti*, hanc assertionem revocavit librô primô Retractationum his verbis, *Responderi enim potest*, inquit, *multos etiam non mundos multa scire:* solùm igitur movetur difficultas de gratia actuali seu operativa, quæ hominem reddit ab intrinseco potentem ad aliquos actus exercendos, quos solius naturæ viribus elicere non posset.

Gratia sanctificans non est necessaria ad veritates naturales detegendas.

IV. *Notandum secundò*, veritatem aliquam dici na-

Veritas dicitur naturalis vel ex parte objecti: vel ex parte medii: vel ex parte utriusque.

turalem triplici ex capite: nimirum vel ex parte luminis & medii, quô cognoscitur tantùm: vel duntaxat ex parte objecti & rei quæ cognoscitur, vel ex parte rei & luminis simul. Ex parte quidem *luminis* tantùm: sic Dei existentia & illius divina attributa, licèt sint ordinis divini ac proinde præternaturalis, tamen cognoscuntur per lumen naturale: Nam, inquit Apostolus ad Rom. 1. *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Ex parte *objecti* tantùm, quod nimirum ex se est ordinis & entitatis naturalis, sed per medium aliquod naturale & sensibile non potest cognosci, neque ex rebus sensibilibus sufficienter deduci. Tales sunt liberæ cordium cogitationes, quandiu non manifestantur exteriùs per voces, aut nutus, aut alia signa. Tertiò denique ex parte objecti & medii simul, qualia sunt ea omnia, quæ non solùm sunt ordinis & entitatis naturalis, sed prætereà sui speciem sensibus ingerunt; sicque mediante cognitione sensitivâ percipi possunt ab intellectu, cujusmodi sunt omnia elementa, nec-non & corpora multa, quæ nostris oculis obversantur. De hujusmodi autem triplici veritate præsens movetur quæstio, utrum absque speciali gratiæ actualis beneficio nobis possit innotescere.

Omnis veritas naturalis, est vel speculativa vel practica.

Notandum tertiò, omnem veritatem naturalem distribui, vel in speculativam, vel practicam. Speculativa est, in cujus sola cognitione conquiescit intellectus, putà cœlum esse incorruptibile, terram esse immobilem, &c. Practica verò ea est, quæ præter intellectûs cognitionem, etiam ordinatur & connotat aliquid faciendum, vel omittendum respectivè ad assecutionem finis. Porrò hac in præsenti quæstione duntaxat futurus est sermo de veritate speculativa: in sequenti verò movebitur controversia de veritate practica, utrum videlicet ad illius notitiam assequendam, opus sit aliquô specialigratiæ auxiliô. Hæc autem utraque veritas sumi potest vel distributivè, vel collectivè. *Collectivè* sumitur, cùm accipitur tota collectio omnium prorsus veritatum naturalium, sive dum omnes veritates simul accipiuntur: *Distributivè* autem, quando una aut plures earum sumuntur seorsim, & sine aliis: quemadmodum enim aliquis habens unicum denarium, potest illum omnibus pauperibus distributivè erogare, quia nullus est cui non possit illum tribuere; non potest autem eum dare omnibus simul collectivè, itaut singuli denarium integrum accipiant: Sic quæri potest, an possimus pro hac mortali vita omnes veritates naturales absque gratiæ beneficio cognoscere distributivè; ita quod ex eis nulla sit quæ naturaliter non possit innotescere; an verò omnes etiam collectivè sic deregere possimus.

Quæ considerantur, vel distributivè, vel collectivè.

Circa quod triplex potissimùm est Authorum sententia: *Prima* est Henrici quam refert & refellit Doctor in 1. dist. quæst. 4. num. 2. docentis nos nullatenus assequi posse notitiam certam ullius veritatis naturalis absque speciali illustratione gratiæ. Quam utique sententiam ex parte videtur instaurasse Vasquez disp. 188. cap. 2. ubi docet, notitiam cujusque veritatis naturalis moventis affectum ad rectè vivendum non posse haberi sine auxilio gratiæ per Christum: quæ verò ad virtutem non movet, posse quidem haberi sine ulla gratia Christi, non tamen sine aliquo auxilio gratiæ Dei. *Secunda sententia* eorum est, qui docent intellectum hominis lapsi, posse cum solo concursu generali Dei omne verum naturale speculabile deprehendere, non solùm divisim, sed & conjunctim. Sic sentire videtur Durandus in 2. dist. 28. quæst. 1. *Tertia sententia* est Theologorum utriusque scholæ, Angelicæ & Subtilis, affirmantium hominem lapsum posse quidem cognoscere virtutes naturales divisim, absque speciali gratiæ beneficio & subsidio, non verò conjunctim. Quapropter sit

CONCLUSIO PRIMA.

V.

Possunt aliquæ veritates naturales cognosci absque gratia.

P*Otest homo etiam in statu naturæ lapsæ cum solo generali Dei concursu, & absque speciali gratia subsidio & illustratione aliquas veritates speculativas naturalis ordinis certò cognoscere.* Hæc est communior & certior sententia apud Theologos; probaturque plurimis Scripturæ textibus, quibus constat homines posse non solùm rerum creatarum, sed etiam Dei ut authoris & administratoris naturæ certam notitiam habere: Sic Sapientiæ 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator eorum videri.* Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Similiter sanctus Paulus ad *Rom.* 1. perspicuè docet posse de Deo cognosci multa naturaliter, cùm ait: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles* (nempe Gentiles Philosophi, de quibus ibi sermo est) *quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt.*

Deus enim & ejus divinæ præcellentiæ cognosci possunt per creaturas.

Quibus Apostolus duo maximè significat, primum quidem, aliquid esse in Deo ita conspicuum, ut vel ipsô solô lumine naturali agnosci possit, quod idcirco appellat *notum Dei*; alioquin enim certum est in Deo nihil esse tam abstrusum, tamque humanis mentibus impervium, quod per gratiam & specialem revelationem non possit apprehendi: Sic enim personarum Trinitas, & æqualitas in unitate essentiæ, quæ naturaliter latet, per revelationem & gratiam patet & innotescit. Significat prætereà, his verbis: *Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, Gentiles Philosophos per naturalem discursum ex creaturis tanquam ex divinis effectibus aliquam Dei notitiam fuisse assecutos, & quidem tantam, ut idcirco fuerint inexcusabiles, quòd cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.

Ut optimè declarat S. Paulus,

Nec obest quòd ibidem dicat Apostolus *Deus enim illis manifestavit*: intelligit enim, manifestasse non speciali revelationis, aut gratiæ subsidiô, sed per creaturas à se conditas, ut significant sequentia verba, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Hîc revocanda sunt quæ diximus in priori volumine ad demonstrandum Dei notitiam naturali lumine nobis esse insitam.

Et docent S. Augustinus,

Probatur insuper hæc assertio authoritate SS. Patrum, Augustini, libro de spiritu & littera cap. 12. ubi eos de quibus loquitur Apostolus Roman. 1. *Qui veritatem Dei in injustitia detinent*, dicit per *invisibilia creaturæ pervenisse ad intelligentiam invisibilis Creatoris.* Et paulò post eos appellat *cognitores Creatoris per creaturam?* Plures ejusdem Authoritates ex Doctore subjiciemus infrà.

S. Prosper.

Ipsi subscribit fidelissimus ejus discipulus sanctus Prosper lib. contra Collatorem. *Cap.* 22. ubi Cassianum affirmantem posse nos per naturalem notitiam ad salutem reparari: sic carpit. *Quid ad*

renovationem miseræ vetustatis idoneam definit, prævaricatricis scientiæ nuditatem? Qu. si ista scientia vel ex natura opibus residua, vel ex legalis doctrina eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus. Quibus verbis fatetur in nobis superesse quandam scientiam, & certam veritatis deprehensionem ex reliquiis naturæ à Deo conditæ.

Et Subtilis Doctor.

Probat etiam hanc veritatem subtilis Doctor in 1. *dist.* 3. *quæst.* 4. contra Academicos & Henricum, qui contendebant, nullam à nobis comparari posse naturæ viribus certam cognitionem: Primò quidem ex Aristotele 2. Metaph. *Prima principia sunt omnibus nota, sicut janua in domo,* quia janua neminem latet, licèt interiora domûs lateant, inquit Doctor; unde sic arguit: Quod convenit omnibus alicujus speciei, sequitur naturam specificam: igitur cùm quisque habeat certitudinem infallibilem de principiis primis: & insuper, cuilibet sit naturaliter evidens forma syllogismi perfecti, sicut patet ex ejus definitione; cùmque scientia conclusionis non dependeat nisi ex evidentia principiorum, & ex evidentia syllogisticæ illationis; consequens est quòd cuilibet naturaliter scita potest esse quæcumque conclusio demonstrabilis ex præmissis per se notis.

Maximè côtra Henricum negantem nos posse aliquam veritatem certò scire naturæ viribus.

Secundò cùm Henricus maximè suam tueretur sententiam authoritate sancti Augustini; probat Doctor eundem sanctum Doctorem concedere nos posse naturaliter assequi certam cognitionem per experientiam sensuum; quod utique demonstrat primò, ex lib. 15. de Trinitat. cap. 12. ubi ait: *Absit à nobis ut ea quæ didicimus per sensus corporis vera esse dubitemus, per eos quippe didicimus cælum, terram, & ea quæ in eis nota sunt nobis, quantùm ille qui nos & ipsa condidit innotescere nobis voluit.* Ex quibus sic infert Doctor: Si igitur non dubitamus de veritate eorum & non fal-
„ limur: Ergo certi sumus de cognitis per viam sen-
„ sûs; nam certitudo habetur, quando excluditur
„ dubitatio & deceptio.

„ *Insuper* sanctus Augustinus concedit ibidem certitudinem de actibus nostris: *Sive quis dormiat,* inquit, *sive vigilet,* vivit: *quia etiam dormire & in somniis videre, viventis est.* Nec valet dicere, inquit Doctor, vivere non esse actum secundum, sed primum; quia subdit ibidem Augustinus. *Si aliquis dicat, Scio me vivere, falli non potest, etiam quotiescumque reflectendo supra primum scitum.* Et ibidem: *Si quispiam dicat, Volo esse beatus, quomodo non impudenter respondetur, Fortè falleris? Et si dicat, Scio me hoc velle, & hoc me scire scio, jam his duobus & tertium potest addere, quod hæc duo sciat: & quartum quòd hæc duo se scire sciat: & similiter in infinitum numerum pergere.* Et ibidem: *Sed quispiam dicat, errare nolo, nonne sive erret, sive non erret, eum errare nolle verum erit?* Et alia, inquit, reperiuntur quæ contra Academicos valent, qui nihil sciri posse ab homine contendunt. Et sequitur ibidem: *Sunt inde libri tres nostri, primò nostræ conversionis tempore scripti, quos qui poterit & voluerit legere, lectosque intellexerit, nihil eum profectò ab eis, quæ contra perceptionem veritatis argumenta multa inventa sunt, permovebunt.* Item eodem 15. cap. 15. *Illa quæ sciuntur, ut nunquam etiam excidere possint, quoniam præsentia sunt, & ad naturam ipsius animæ pertinent, cujusmodi est illud quod nos vivere scimus.* Constat igitur ex sancto Augustino haberi posse certam rerum naturalium notitiam, idque solis vel ingeniti, vel comparati luminis viribus, quò quisque experitur dum agit, se actum habere, & dum vivit se vitâ esse donatum.

VI. Idipsum ratione Theologica firmatur.

Probatur insuper conclusio ratione: Homo ex natura sua habet principia sufficientia ad comparandam notitiam speculativam rerum naturalium: Ergo ad id non est opus gratiæ subsidiô. Sequela manifesta est; non enim aliâ ratione gratia censetur esse necessaria ad rerum fide divina credibilium notitiam assequendam, quàm quia ad id naturæ vires deficiunt. Antecedens verò probatur; constat enim hominem per sensus internos & externos naturaliter percipere objecta sensibilia, ex quibus veritates naturales deducuntur: Deinde, per intellectum agentem fabricare potest species intelligibiles quæ talem sensuum apprehensionem exprimant; ac demum eandem formatam ab intellectu agente rerum per sensus perceptarum excussam imaginem in intellectu possibili percipere, sicque perfectam habere formalem illarum rerum notitiam: habet igitur homo ex natura sua sufficientem virtutem ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem; neque ad id ei opus est gratiæ auxiliô.

Quia intellectus habet ex se vires sufficientes ad illam veritatem comparandam.

Secundò, si gratia foret homini necessaria ad cognoscendas veritates naturales, maximè ut principium physicum, vel ut principium morale talis cognitionis: at neutrum rectè potest asseri. *Non quidem primum*, quia intellectus est sufficiens principium activum, ad eliciendam cognitionem, dummodo sit informatus specie intelligibili; quam (ut mox diximus) assequi potest naturæ viribus. *Non etiam ut principium morale;* nam hujusmodi principium dupliciter censeri potest esse necessarium ad cognitionem formandam, putà vel intrinsecè lumen ingerendo, aut phantasmata dirigendo; vel extrinsecè objecta videlicet convenientia applicando, aut impedimenta auferendo: sed neutrô modô gratia videtur esse necessaria ad cognitionem veritatum naturalium disjunctivè & in speciali sumptarum; interna enim illuminatio quæ ab objectis fieri nequit, quæque idcirco supernaturalis esse debet, non spectat ad modum cognoscendi veritates naturales, qui homini debet esse connaturalis: objecta verò sufficienter proponuntur sensibus ex vi ordinis naturalis, quem Deus inter causas Universi constituit, modò ipse suum concursum generalem eis non deneget: neque ad tollenda impedimenta opus est speciali providentiâ Dei; quia quæ reperiuntur in rei alicujus indagatione, ea facilè humanâ industriâ & labore superari possunt. Nullâ igitur ratione necessarium videtur gratiæ subsidium, ad veritatum naturalium divisim sumptarum notitiam assequendam.

Confirmatur Non potuisset absque aliqua imperfectionis nota, & naturaliter debitæ Providentiæ defectu, talis rerum ordo institui, ut nullus hominum veritatem aliquam naturaliter cognosceret: igitur ita factum esse non est judicandum; Deus siquidem sagaci providentiâ ac sapientiâ ordinatissimè cuncta constituit ac disposuit. Patet antecedens. Quemadmodum enim manca esset providentia, si talem instituisset ordinem, ut omnes homines vel cæci, vel surdi, vel elingues nascerentur: Ita & multò magis si omnes essent amentes, & usu rationis perpetuò destituti: positô autem usu rationis & objectis naturaliter occurrentibus, cum generali Dei concursu, non possunt non cognosci veritates multæ, maximè illæ quæ adeò manifestæ sunt, ut nullus sit rationis compos, qui non statim eas sine ulla

difficultate percipiat: cujusmodi sunt ignem esse calidum, hominem esse risibilem, totum esse majus suâ parte: Igitur ad id non videtur gratia esse necessaria.

Objicies primò nonnullos Scripturæ textus, quibus probari videtur gratiam esse necessariam ad veritatem detegendam: maximè verò illud Genes. 6. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum.* Item illud. 2. ad Cor. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*: Ergo sanctus Paulus censet nos nullam certam cogitationem formare posse absque divino auxilio.

Nego consequentiam, & ad primum textum: dico Cuncta cogitatio intenta est ad malum ut plurimùm, concedo: semper, nego: sic enim ibidem dicitur quòd *omnis caro corruperat viam suam*; & tamen ibidem legimus *Noë invenit gratiam coram Domino*: *Ad secundum* dico, ex textu sufficienter apparere S. Apostolum loqui non de qualibet cogitatione & cognitione veritatis, sed de cogitatione sancta, id est, ad veram sanctitatẽ & justitiam conferente; nec-non valente ad salutem & ad fiduciam illam excitandam, de qua immediatè dixerat: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum*; ut etiam interpretatur sanctus Augustinus, lib. de bono perseverantiæ cap. 13. ubi ait: *Quod attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*: tales autem cogitationes fatemur haberi non posse absque speciali gratiæ beneficio.

VII.
Scriptura sacra non requirit gratiam ad veritates naturales, sed duntaxat ad salutares cognoscendam.

Vel aliter *distinguo antecedens*: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, quod proficiat ad salutem, & conferat ad fidem persuadendam, concedo: simpliciter & absolutè, nego. Possumus enim asserere eam esse mentem Apostoli, ut patet ex textu; siquidem gratulatus fuerat Corinthiis, quòd essent *epistola Christi scripta, non attramentô, sed spiritu Dei vivi*: gratulatus etiam fuerat sibi, quòd hæc epistola ministeriô suô fuisset scripta. Ne ergo tantæ rei ministerium videretur sibi arrogantiùs adscripsisse, illud totum ad gratiam sui Domini refert, & in doni Authorem refundit. Unde subdit: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Ex quibus apparet Apostoli mentem duntaxat esse, ut profiteatur se non esse sufficientem cogitare aliquid ex se, quod pertineat ad fidem persuadendam.

Objicies secundò Concilium Milevitanum seu Carthaginense decernens Canone 4. *Utrumque Dei donum est, & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus.* Item illud Arausicani Canone 9. *Divini est muneris cùm rectè cogitamus.*

Nego consequentiam: loquuntur enim duntaxat Concilia de cogitationibus & veritatibus ad assecutionem æternæ vitæ spectantibus, ut colligere licet, tum ex eo quòd eadem Concilia apertè profitentur se contra, Pelagianorum & Semipelagianorum errorem, Catholicum dogma in suis Canonibus statuere; subindeque agere de cognitione veritatis ad salutem spectantis: Tum ex eo quòd Concilium Arausicanum præfatam limitationem explicet Canone 7. dicens: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritûs sancti, hæreticè fallitur.*

VIII.
Idem docent Concilia: maximè Arausicanum.

Instabis: Idem Concilium Can. 22. affirmat quòd *nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*: Ergo non potest quis de se & propriis viribus verum cognoscere.

Distinguo antecedens: Si *de suo*, accipiatur de ignorantia & concupiscentia quarum homo est author, quibus hominis facultates pessundantur & in deterius ruunt, concedo: Si, *de suo*, interpreteris, de natura & facultatibus hominis quibus potest verum deprehendere & bonum sectari, nego. Nam omnia quæ sunt in homine, duplicis sunt generis: quædam namque bona sunt & à Deo bonorum omnium conditore ac largitore conceduntur: quædam verò mala & hominem authorem habent, ut docet sanctus Augustinus, lib. de natura & gratia cap. 3. dicens. *Omnia bona quæ habet homo in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet Creatore & artifice suo: vitium verò quòd ista naturalia contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili Artifice contractum est, sed ex originali peccato quod commissum est liberô arbitriô.* Et lib. 1. de gratia Christi. Cap. 20. *Cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet authorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem.*

Cujus authoritas & doctrina objicitur: sed explicatur.

Vel dico, Concilium duntaxat loqui de cogitatione supernaturali, & ad salutem conferente; nam ait: *Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ ab illo fonte est quem debemus sitire in hac Eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via*: Hanc autem salutarem notitiam ultrò fatemur haberi non posse absque speciali divinæ gratiæ subsidio.

Urgebis: Eadem Concilia constanter edocent hominem ex se habere non posse aliquod initium suæ justificationis: sed si possit naturæ viribus veritatem assequi, & errorem detegere, aliquatenus posset sese ad conversionẽ & justificationem præparare; cognoscendo siquidem virtutis præcellentiam, & vitii fœditatem, absque negotio posset virtutem sectari & vitium abhorrere: Ergo, &c.

Nego majorem, cùm enim bona naturalia non sint proportionata gratiæ & justificationi, quæ supernaturale beneficium est, etiam ad eam disponere, vel eam comparare aut promereri nequeunt: sed duntaxat valent ad impetrandum, aut promerendum aliqua bona naturalia, sibi proportionata & convenientia.

IX.
Objicitur S. Augustinus.

Objicies tertiò, varias sancti Augustini sententias quibus insinuare videtur nos nullam certò veritatem cognoscere posse nisi in regulis æternis, quæ cùm in luce increata existant, humanæ mentis captum transcendunt: Sic lib. 9. de Trinitate cap. 6. *Sed intueamur*, inquit, *inviolabilem veritatem, ex qua perfectè quantùm possumus, definiamus, non qualis sit uniuscujusque mens hominis, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat.* Et ibidem: *Aliis omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare convincemur; cùm aliquid rectè approbamus vel improbamus.* Et ibidem: *Artem ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentiâ capientes.* Et ibidem. Cap. 7. *In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia omnia facta sunt, formam, secundum quam sumus.... aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus*: Item lib. 12. Cap. 2. & 3. *Sed sublimioris rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales & sempiternas*: Item eodem lib. cap. 14. *Non autem solùm rerum sensi-*

bilium in locis positarum, sine spatiis localibus, manent intelligibiles incorporalesque rationes. Item lib. 14. cap. 15. loquens de injusto, qui rectè multa laudat & vituperat in moribus hominum, ait: *Quibus ea tandem regulis judicant*: circa finem subdit, *Vbi ergo scripta sunt, nisi in libro illo lucis illius quæ* VERITAS, *dicitur?* Tandem lib. 12. Confessiooum, cap. 25. ait: *Si ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te: sed ambo in ea quæ supra mentem est incommutabili veritate*: Ergo censet sanctus Augustinus nullius veritatis haberi posse notitiam, absque speciali lucis increatæ illustratione; subindeque absque divinæ gratiæ subsidio.

Sed solvitur à subtili Doctore.

X.

Qui aperiat qualiter veritates naturales videri possint in regulis æternis quatuor modis.

Negat consequentiam Doctor, in *dist.* 3. *quæst.* 4. *num.* 18. ubi explicat præfatas authoritates, resolvitque veritates necessarias videri in regulis æternis alterutro ex his quatuor modis: *Primò* quidem, ut in objecto proximo, quia Divinus intellectus dat esse intelligibile creaturis ab æterno, in quo veritates necessariæ relucent immutabiliter; sicque intellectus omnis, qui eas veritates deprehendit, dici potest eas videre in luce æterna, hoc est in objecto secundario intellectûs divini quod est veritas vel lux æterna. *Secundò*, ut in continente objectum proximum; quia intellectus divinus continet illas veritates, quasi libet. *Tertiò*. sicut in aliquo, virtute cujus movet objectum; quia sicut intellectus divinus producit alia à se in esse intelligibili; ita dat rationem directè quia movet; & circa hoc Doctor profert quædam subtilia. *Quartò*, ut in objecto remoto cognito, quia Essentia divina est primum principium speculabilium, & ultimus finis practicabilium, & sic cognitio per principia desumpta ab ea est purior & eminentior.

XI.

Quid intelligat S. Augustinus per *regulas æternas*.

Crediderim igitur cum subtili Doctore, sanctum Augustinum per *regulas æternas rerum necessariarum*, intelligere, ideas, quas dicit existere in luce increata, tum quia Deus continet in se hujusmodi ideas; tum quia produxit illas ab æterno, producendo nimirum Creaturas in esse intelligibili: tum quia denique Deus est mensura omnium speculabilium, & partium inter speculabilia: Philosophi ergo cognoscunt veritates necessarias in regulis æternis, hoc est, in suis ideis, non quas videant in Verbo, sed quas participant ex Verbo; omnes enim ideæ quas habemus de veritatibus necessatiis, sunt participationes idearum divinarum.

Et hæc responsio confirmari potest ex eodem S. Augustino lib. de Trinitate cap. 16. ubi contendit Philolophos non cognoscere contingentia in regulis æternis; si enim per *regulas æternas*, intelligeret speciale auxilium gratiæ, non negaret contingentia posse cognosci in regulis æternis, quia non minori auxilio opus est ad cognoscenda contingentia, quàm necessaria: ergo ex eo quòd neget contingentia cognosci in regulis æternis, oportet per illas intelligamus ideas immutabiles & æternas, in quibus repræsentari non possint contingentia.

Instabis: Idem sanctus Augustinus, *lib.* 83. *quæst.* 146. requirit maximam puritatem in illis, qui veritatem capescere cupiunt: *Non nisi pura anima*, inquit, *ad eam pertingunt*: sed illa puritas haberi nequit absque gratia: ergo hæc necessaria est ad veritatis notitiam comparandam.

XII.

Quam puritatem requirat S. Augustinus ad verum naturale cognoscendum.

Distinguit majorem Doctor ibidem *num.* 22. Sanctus Augustinus requirit puritatem physicam seu Platonicam, quæ est depuratio & secessus à A sensibilibus, tum externis, tum internis, seu à phantasmatibus, concedit: requirit puritatem moralem, seu depurationem & separationem à vitiis, quæ duntaxat per gratiam potest obtineri, negat. Nam idem Augustinos suprà laudatus lib. 15. de Trinit. cap. 15. concedit, quod injustus videt in regulis æternis.

Objicies quartò: Deus est exorandus ut scientiam & notitiam concedat, quâ veritas deprehendatur: ergo hæc notitia comparari nequit naturæ viribus. Patet antecedens ex illo sancti Jacobi. cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo; qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Consequentia similiter est evi- B dens; nam inquit sanctus Augustinus epist. 95. *Oratio est clarissima gratiæ testificatio.* Et Epistolâ 107. dicit, *Gratiarum actio est certissimum signum beneficii gratuiti.*

XIII.

Deus est exorandus etiam pro iis quæ naturaliter eveniunt.

Respondeo, concessô antecedente, negando consequentiam; possumus enim pro auxilio generali Deum orare, & de eo obtento ipsi gratias agere, quando habet aliquid contingentiæ & fallibilitatis; nam ob talem contingentiam habet rationem beneficii, non specialis, quia debitom est, sed generalis quia contingens est & ex parte eventûs fallibilitatem habet; quapropter oramus Deum pro pluvia, serenitate, frugibus terræ; & illis obtentis, gratias agimus illi, quia C licèt pertineant ad providentiam generalem, tamen cootingentiam & fallibilitatem habent ex parte eventûs.

Objicies quartò. Non potest homo notitiam alicujus veritatis assequi, quin illi objecta sensibilia ita convenienter proponantur, ut eum in veram cognitionem, non in errorem inducant: sed id non est in hominis potestate ut taliter ab objectis excitetur, & ad cognitionem disponatur, siquidem pendet ex peculiari providentia Dei rerum ordinem ita statuentis: Ergo speciale Dei beneficium est, quòd homo verum aliquod cognoscere possit. Major constat. Minor probatur, Potuit Deus res creatas ita disponere, ut ex ea- D rum cursu & operatiooe, homo qui aliquando verum assequitur, semper in errorem impingeret: unde quòd reipsâ res ita disponantur ut hominem in veri cognitionem aliquando deducant, non provenit ex generali Dei providentia, quâ potuit res aliter disponere; sed ad specialem ejus providentiam, & ordinationem spectat, subindeque ad gratiam peculiarem à creationis beneficio distinctam: ergo potuit homo salvâ Dei creatione & providentiâ generali cujusque veritatis cognitione carere.

XIV.

Quòd homo veritatem naturalem inquirens non impingat in errorem, non est beneficium Dei ut Authoris gratiæ, sed ut Ordinatoris naturæ.

Nego minorem: licèt enim Deus de potentia absoluta sic potuisset universum instituere, ut objecta hinc inde occurrentia hominem in errorem E inducerent; qnod tamen aliter res disposuerit, non est propriè beneficium gratiæ, de qua hîc est sermo: sed beneficium ipsiusmet creationis, licèt priori (quæ institui poterat) dispositione favorabilius. Unde quidquid viâ ordinariâ per communem causarum fluxum, & concursum generalem Dei ex tali ordinatione sequitur, ad idem creationis beneficium spectat: alioqui certè quòd homo sit sanus corpore, membris integer, & cum apta sensuum dispositione nascatur, peculiari gratiæ & non beneficio creationis adscribendum esset; quia secùs potuisset contingere, si nimirum Deus alium in rebus ordinem statuisset: quod tamen nemo sanæ mentis dixerit.

Obiicies quintò cum Henrico: Objecta sensibilia perpetuo mutantur: ergo non possunt species ab ipsis desumptæ sufficere ad cognitionem certam. *Deinde*, Non potest quis babere certam & infallibilem veritatis notitiam, nisi habeat aliquid per quod possit verum à verisimili discernere: sed illud aliud esse non potest quàm gratiæ beneficium: ergo illud ad veritatem detegendam requiritur. Probatur minor: Si quid aliud sufficeret, maximè species accepta ab objectis: sed illa ad id est insufficiens, quia quandoque seipsam repræsentat, quandoque verò se repræsentat tanquam objectum quod exprimit: ubi verò seipsam duntaxat repræsentat, cognitio est vera: ubi verò repræsentat se tanquam objectum, est falsa: ergo illa species non sufficit, ut quis discernere possit an sua cognitio sit falsa, aut verisimilis, aut vera. *Denique*, Anima est de se mutabilis & subjecta errori: ergo non potest ab errore liberari per aliquid quod sit ipsa mutabilius: sed species creatæ sunt mutabiliores ipsâ animâ: ergo per ipsas non potest anima ab errore liberari.

XV. Quomodo de re incerta & mutabili potest haberi certa notitia.

Negat consequentiam Doctor in 1. *dist*. 3. *qu*. 4. *num*. 13. & ad *primum* quidem responder de re mutabili comparari posse immutabilem notitiam, sicut & de contingenti necessariam, quia quamvis objectum esset mutabile, tamen posset causare speciem quæ repræsentaret ipsum sub ratione immutabili; nam mutabilitas non est ratio gignendi speciem, sed ipsa natura objecti, quæ secundùm se, & prædicata sua intrinseca non est mutabilis, sed eodem modô semper se habet. Addit insuper, quòd quamvis species à re mutabili accepta esset mutabilis, posset tamen repræsentare rem sub ratione immutabili: sicut Deus licèt sit immutabilis, repræsentatur tamen per aliquid in se mutabile, puta per speciem infusam aut acquisitam.

Ad secundum dicit Doctor, rationem duntaxat valere contra negantes species intelligibiles, ut distinctas à phantasmatibus, & affirmantes sola phantasmata deservire ad determinandum intellectum: nam qui admittunt species intelligibiles, negare possunt quòd illæ aliquando repræsentent se ut seipsas, aliquando verò ut objectum; nam semper se repræsentant ut seipsas, nec unquam quis eis utitur dum dormit.

Ad tertium respondet, Reverà anima est mutabilis ab ignorantia ad scientiam, & à negatione intellectionis ad intellectionem, concedit: est mutabilis à recta cognitione ad cognitionem erroneam, maximè circa objecta quæ nata sunt causare evidentiam quando debitè applicantur, qualia sunt, v.g. prima principia & conclusiones ex eis deductæ, negat.

Objicies sextò: Plurimæ sunt veritates naturales hactenus ignotæ Philosophis, putà causa accessûs & recessûs maris, aliaque multa: igitur non potest homo eas omnes cognoscere distributivè. *Deinde*, si singulæ ejusmodi veritates naturalis ordinis & distributivè sumptæ cognosci possent sine gratia, cum solo concursu generali, quem Deus confert intra naturæ ordinem, possent à quolibet homine cognosci; cujus tamen rei contrarium experimur. *Denique*, ad habendam cognitionem veritatum purè naturalium, Deum oramus; inde Salomon Sapientiæ 9. ita Deum supplex affatur: *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, &c.* Igitur ad cognitionem ejusmodi veritatum, opus est divinâ liberalitate, ac subinde gratiæ beneficiô.

Nego consequentiam, & ad primum dico, istas veritates esse naturales ratione objecti tantùm, non verò ratione objecti & medii simul. Vel si sint naturales etiam ratione medii, earum ignorantia non provenit ex defectu virtutis in intellectu; sed vel ex defectu studii, applicationis & experientiæ, vel ex alio aliquo defectu; unde factum est, ut plurimæ veritates prioribus sæculis incognitæ, tandem posterioribus innotuerint.

Ad secundum, *nego sequelam* antecedentis; cujus ratio est quòd intellectus cujuslibet hominis considerari possit duobus modis: Primò quidem secundùm ea quæ ipsi conveniunt per se, essentialiter, & ex natura sua specifica: *Secundò*, penes particulares quasdam rationes & conditiones accidentales, quas habet ex diversitate temperamenti, & qualitatum corporis. Priori modô intellectus hominis, quantùm est de se, habet sufficientem virtutem Physicam ad cognoscendam quamlibet veritatem purè naturalem, ratione objecti & medii simul: sed quia intellectus in sua operatione pender à corpore & ejus temperamento, inde fit quòd ratione complexionis ejusmodi, illa virtus & sufficientia physica non possit reduci ad actum in aliquibus, quos constat hôc posteriori modô esse minùs aptos ad scientiam comparandam. Conclusio autem nostra intelligitur de virtute naturali priori modô spectata, non verò posteriori.

Ad tertium *distinguo antecedens*: Deum oramus, ad ejusmodi cognitionem faciliùs obtinendam, vel ut ipsa utamur, quemadmodum expedit ad salutem, concedo: ad eam habendam simpliciter, quasi hunc in finem necessaria sit absolutè quædam gratia, nego: nec enim aliter intelligenda est Salomonis deprecatio, si ad solas veritates naturalis ordinis restringatur; illa enim etiam ad veritates supernaturalis ordinis extendi potest.

Conclusio Secunda.

XVI. Quare homo nequeat omnes veritates naturales detegere.

Homo in statu naturæ lapsæ non potest omnes & singulas veritates naturales tam disjunctivè, quàm collectivè deprehendere, absque speciali divina gratiæ auxilio. Probatur primò. Licèt ad eas omnes veritates naturales collectivè percipiendas, habeat homo potentiam physicam, quia illæ continentur intra lineam entis sensibilis seu cognoscibilis per species à sensibus acceptas quod est objectum proportionatum nostro intellectui: non tamen ad id haber potentiam moralem absque speciali gratiæ subsidio: Ergo eo opus haber. Consequentia pater. Antecedens pariter, siquidem ad agendum requiritur non solùm potentia physica, sed etiam moralis & expedita, seu ab omnibus impedimentis libera. In hoc autem statu naturæ lapsæ intellectiva facultas hominia plurimis impedimentis irretitur & ligatur, ne possit in totum suum objectum collectivè sumptum sine errore & defectu prorumpere: *Primò* namque ab eo revocat vitæ brevitas, longissimo enim ac diuturno tempore opus est ad veritates omnes cognoscendas, utpote quæ sint innumeræ, & inter eas quædam intellectu difficillimæ, adeo ut maxima vitæ pars insumenda sit in alicujus ex illis veritatibus deprehensione.

Secundò. Longè imperfectum est sensuum ministerium, quorum beneficiô veritas deprehendi debet; magna siquidem eorum gravitas & ope-

tationis tarditas; magna pariter organorum, in quibus resident, debilitas, & in dies ingravescens infirmitas, propter nimiam in iteratis sæpius eorum actionibus spirituum animalium consumptionem. *Tertiò*, obstaculum est ipsa corporis mortalis hebetudo, & corruptibilitas; unde Galenus Aphoris. 2. *Ars longa, vita brevis, occasio praceps, experimentum periculosum, judicium difficile.*

His adde passionum insultus sensuumque ludibria, & exiguos limites, cùm circa sensibilia tantùm versentur, ex quibus alia per analogiam & discursum sunt eruenda non sine magno & frequenti periculo falsitatis. *Adde* pariter frequentem sollicitudinem, & occupationem circa temporalia, & necessaria ad victum, vestitum, incolatum, &c. Quæ omnia tempus ad veritatem deprehendendam aliunde assumunt.

Hæc omnia impedimenta luculenter annotavit & exaravit Sapiens, *cap. 9.* dicens: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Nam vitæ brevitas, & infirmitas corporis sensuumque hebetudo significantur per corpus quod corrumpitur; tarditas & pigritia addiscendi, judiciique difficultas per animam aggravatam: occupatio verò in rebus externis & ad victum necessariis, per habitationem terrenam: diversi tandem passionum motus animum conturbantes, & hinc inde pertrahentes, per sensum multa cogitantem.

XVII. Quàm turpiter veteres Philosophi à vero exorbitaverint.

Confirmatur prafata probatio. Quòd hactenos factum non est, merito judicatur fieri non posse naturæ viribus: at nullus hominum hactenus inventus est, qui omnes veritates speculativas comparaverit: quinimo quotquot extitêre inter Philosophos veteres, in his erraverunt; unde Aristoteles, 1. *Physicorum* multos veterum errores notavit circa naturæ principia: & ipsemet æternitatem mundi asseruit, atque de immortalitate animæ valde anceps fuit; vixque veterum Sapientum unus fuit qui Deum unicum mundi rectorem asseruerit & coluerit, adeoque nullus hactenus inventus est qui veritates omnes naturales sive divisim, sive conjunctim fuerit assecutus.

Dices primò: Appetitus naturalis non debet esse frustraneus; sed in aliquo saltem individuo assequitur id in quod tendit: at nobis insitus est naturalis appetitus ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem; igitur appetitus ille in aliquo saltem individuo humanæ naturæ expleri debet per assecutionem cognitionis omnium veritatum.

Appetitus ad veritates non est frustraneus, licèt non omnes cognoscantur.

Distinguo majorem: Appetitus assequitur in aliquo saltem individuo id in quod tendit, tam intensivè, quàm extensivè nego; intensivè saltem concedo: Ad minorem dico appetitum ad cognoscendas veritates non expleri quidem extensivè, quantùm videlicet ad cognitionem singularum earum, quia non omnes sub sensum cadunt, nec ad intellectum perveniunt: sed expletur saltem intensivè, quia videlicet agnoscit omnium rerum principia generalia, ex quibus peculiares conclusiones & veritates deduci possunt.

Dices secundò: Intellectus noster capax est omnium prorsus veritatum naturalium: ergo potest quaslibet cognoscere.

Distingno antecedens: Si debitè sensibus applicentur, concedo: secus nego. Non possumus autem omnes ejusmodi veritates nostris sensibus applicare; tum propter quarundam exilitatem: sunt enim res aliquæ exiliores, quàm ut possint nostris sensibus patere, qualia sunt indivisibilia: tum propter ingentem earum numerum, quis enim stellas cœli, arenam maris, arborum folia, &c. numero tenere potest?

XVIII. Possunt omnes veritates naturales cognosci divinitùs.

Petes, an saltem ejusmodi cognitio rerum omnium naturalium haberi possit per adjutorium & beneficium Dei extraordinarium.

Affirmo, tum quia nulla afferri potest repugnantiæ ratio: tum quia de facto ad posse valet consequentia; fatentur autem Theologi, sicut & Philosophi Christiani, Deum ejusmodi rerum omnium notitiam Adamo, nec non & Salomoni concessisse; quidni igitur idem beneficium alteri largiri posset?

Petes iterum, an istud beneficium foret ordinis naturalis, vel supernaturalis.

Respondeo fore supernaturale per accidens & ratione modi, quia scilicet naturæ viribus comparari non posset; foret autem naturale ratione objecti, quia nempe cognitio ejusmodi objectorum esset ejusdem speciei cum nostra notitia, sicut oculi quos Christus Dominus dedit cæco nato, fuerunt ejusdem speciei cum oculis, quos natura produxisset.

QUÆSTIO II.

An & qualiter gratia sit necessaria ad verum Morale detegendum.

I. Veritates practicæ aliæ sunt mechanicæ: aliæ morales.

NOtandum primò, veritates practicas esse in duplici differentia: nam aliæ sunt de operibus artis, & vocantur *mechanica*, de quibus eadem est ratio, ac de speculativis: aliæ verò dicuntur *morales* quæ videlicet hominum mores probè justequè instituendos spectant. *Rursus* veritates morales vel spectantur *ut universales*, qualia sunt principia generalia morum, puta, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Deus est colendus; parentes sunt honorandi, &c.* Vel *particulares*, ut quòd hîc & nunc sit honorandus parens, eleemosyna huic vel illi pauperi eroganda est. Hîc autem non est sermo de veritatibus universalibus, quia earum notitia eadem est cum cognitione veritatum speculativarum: sed tota difficultas versatur maximè circa veritates particulares, quatenus videlicet spectantur cum omnibus circunstantiis requisitis ad benè agendum moraliter.

II. Veritas practica cognoscitur, vel per *ingenitum*, vel per *comparatum* lumen.

Notandum secundò, veritatem practicam dupliciter posse cognosci naturaliter: videlicet vel per *lumen* singulis hominibus *ingenitum*, quô quisque naturâ duce ac docente & absque ullo ratiocinio vel emendicato aliunde lumine, novit hoc & illud esse bonum aut malum, sequendum vel fugiendum: Vel per *lumen comparatum* & acquisitum beneficiô ratiocinii aut studii, quô quisque potest deprehendere quid rectæ rationi conveniat, aut disconveniat, nedum in genere sed etiam in particulari. Hîc autem non est sermo de notitia ingenita; certum est enim illam naturæ sortem sequi, ita quòd ubi vegetior est intellectus, etiam præstantius affulget ingenitum lumen, quô clariùs appareat quid sequendum sit, quidvè fugiendum secundùm internum conscientiæ dictamen: proindeque sola difficultas solvenda restat, an quisque per comparatum naturale lumen possit quaslibet veritates practicas in speciali detegere, absque ullo gratiæ actualis subsidio.

III. *Quædam spectant ad hominem intra naturæ ordinē: aliæ intra ordinem gratiæ.*

Notandum tertiò, veritates practicas quasdam esse tantæ perfectionis ac sublimitatis, ut nonnisi Deo revelante possint agnosci, quales sunt illæ omnes, quæ hominem Christianum & Evangelicum informant, ac illustrant; dicunturque veritates & virtutes Evangelicæ, ut abnegatio suiipsius, voluntaria paupertas. *Alia* verò sunt inferioris gradûs & ordinis, quæ ad hominem spectant intra solam naturæ & rationis lineam consistentem, quæque, ut diximus, innotescere possunt per lumen ingenitum vel comparatum. Hîc non est difficultas de veritatibus primi ordinis, sed duntaxat de veritatibus practicis posterioris ordinis, de quibus quæritur an absque speciali gratiæ excitantis & adjuvantis beneficio possint deprehendi.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. *Possunt aliquæ veritates morales naturali lumine deprehendi.*

Potest homo in statu naturæ lapsæ cognoscere veritates aliquas morales, absque speciali gratiæ subsidio. Probatur primò ex Apostolo ad Romanos 1. dicente Gentiles Philosophos fuisse inexcusabiles in sua idololatria & morum depravatione, quia *cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt:* censet ergo Philosophos naturali lumine novisse Deum esse glorificandum, aliàs non peccassent ipsi gloriam & debitum honorem non rependendo; sicut enim peccatum quodlibet voluntarium est, ita supponit judicium & notitiam de re facienda. *Insuper* idem Apostolus, *cap. 2.* ait, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, id est ostendunt se naturæ viribus & per ingenitum lumen cognoscere quid agendum, quidque fugiendum sit dictante naturali lumine: Igitur quemadmodum lumen naturale intellectûs speculativi adhuc etiam in statu naturæ lapsæ viget & sufficit ad deprehendendas veritates speculativas; sic etiam viget & adhuc subsistit lumen naturale synderesis sive intellectûs practici ad cognoscendas veritates morum. *Nec refert* quòd S. Augustinus cap. 27. lib. de spiritu & littera referat hunc locum ad Gentiles pertinentes ad gratiam Mediatoris: Non enim ibidem improbat sententiam eorum, qui illum referunt ad Ethnicos infideles.

Ut Scriptura significat.

SS. Patres affirmant.

Probant eandem veritatem SS. Patres, nam sanctus Chrysostomus, hom. 50. in Genes. ait: *In natura nostra insita est scientia boni & mali, nullus igitur prætexat quod ignorans virtutem negligat, &c.* Et hom. 54. *Sufficientem*, inquit, *magistrum habemus conscientiam, & fieri non potest ut quis illô adjumentô privetur; nam simul cum formatione hominis insita est scientia faciendorum & non faciendorum.* Ipsi concinit sanctus Augustinus lib. 2. Confess. cap. 4. *Lex tua*, inquit, *scripta est in cordibus hominum, quam non ipsa quidem delet iniquitas: Quis enim fur æquo animô furem patitur?* Quam utique sententiam mirum in modum explicat sanctus Prosper, carmine de providentia Dei, versus medium, ita cavens.

Ite ipsi in vestra penetralia mentis, & intus
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, & genitam vobiscum agnoscite legem:
Nam quis erit, modò, non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeò stolidè oblectetur apertis,
Aut quod agit velit ipse pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios distringit adulter.

Ratio Theologica demonstrat.

Probatur insuper hæc assertio ratione: *Primò* quidem, Moralis & practica veritas est objectum proportionatum lumini naturali intellectûs humani: ergo naturaliter potest ab eo deprehendi. Sequela patet; omnis namque facultas naturalis propriis viribus percipere potest objectum sibi connaturale & proportionatum; neque enim oculus indiget speciali gratiâ, ut objectum coloratum deprehendat. Antecedens etiam constat; veritas enim moralis naturalis est intra lineam naturalis intellectûs; subindeque est objectum illi proportionatum.

Deinde, potest homo per lumen ingenitum, cognoscere principia universalia, quæ spectant ad mores probè justéque informandos, ut mox dictum est, tum ex Scriptura, tum ex sanctis Patribus: ergo iisdem viribus absque speciali gratiæ subsidio cognoscere potest conclusiones particulares ex illis principiis deductas: qui enim v. g. novit in genere eleemosynam esse egeno tribuendam; quotiescumque in particulari se offerret occasio erogandi eleemosynam, naturâ ipsâ dictante facilè judicabit eleemosynam tali pauperi esse tribuendam.

Denique, si non posset homo naturæ viribus aliquas veritates morales in particulari cognoscere, sequeretur eum non posse absque gratia circa easdem veritates peccare; sed falsum consequens: ergo & antecedens. Patet sequela majoris: Nam non esset in illius potestate habere talem cognitionem, unde ejusmodi ignorantia veritatum esset omnino invincibilis, atque adeò ad culpam ipsi non imputaretur; quidquid contra ipsas præstaret.

Dices primò: Ex notitia veritatum moralium comparatur habitus prudentiæ, quæ suo sinu virtutes omnes complectitur: sed virtutes omnes comparari non possunt absque speciali gratiæ beneficio: Ergo nec illarum veritatum notitia.

V. *Per notitiam naturalem comparatur habitus prudentiæ duntaxat imperfectus.*

Distinguo majorem, Comparatur habitus prudentiæ imperfectus & tantùm quoad quosdam levissimos gradus, transeat: comparatur habitus prudentiæ perfectus, quô quis dicitur verè prudens, & facilitatem permanentem habet quavis datâ occasione & dum gravissimæ difficultates occurrunt prudenter se gerendi, & sanum judicium de agendis proferendi, nego. Et similiter distinctâ minore, nego consequentiam; siquidem prudentia quæ suô sinu dicitur omnes virtutes complecti, non ea tantùm est imperfecta prudentia quâ quis exercet aliquem actum prudentiæ naturalis, aut semel & iterum rectè judicat de re agenda vel non agenda: sed est permanens affectus & sanum judicium ut plurimum benè judicandi de rebus agendis etiam in arduis: hæc autem absque gratiæ subsidio comparari non potest; prior verò solis naturæ viribus potest obtineri & exerceri.

VI. *Qualiter per peccatum originale inclinemur ad approbanda falsa pro veris.*

Dices secundò: Approbare falsa pro veris, est vulnus per peccatum originale contractum, ut pluribi docet sanctus Augustinus, maximè verò in iis, quæ ad veritates practicas spectant: ergo eas veritates deregere, est gratiæ beneficium.

Distinguo antecedens: Illa approbare approbatione efficaci, & quæ affectum moveat & pertrahat, est vulnus peccati originalis, concedo: approbatione inefficaci, nego. Consequentiam similiter distinguo: Non approbare omnia falsa pro veris, est beneficium gratiæ, concedo;

conedo: aliqua duntaxat, nego. Fatemur igitur rationem humanam plerumque cæcutire & a veto exorbitare in plurimis veritatibus moralibus detegendis; sic enim gentiles Philosophi plurium veritatum practicarum certam notitiam non fuerunt assecuti: qualiter enim affecti sumus, taliter judicium formamus de rebus: sæpissimè autem contingit homines esse malè affectos; subindequè certum est plerumque eos verum morale certò non apprehendere.

Instabis: Ex sanctis Patribus homo dicitur per originale peccatum nedum vulneratus, sed etiam excœcatus: ergo in statu naturæ lapsæ nullius veritatis, maximè practicæ & moralis, potest notitiam assequi absque divinæ gratiæ illustratione & beneficio. Patet antecedens, maximè ex sancto Gregorio Magno, *homil.* 11. in Evangelia, ubi loquens de cæco quem Christus *Luca* 18. illuminavit, hæc habet: *Quis juxta historiam cæcus ille fuerit ignoramus; sed tamen quid per mysterium significet novimus, cæcus quippe est genus humanum quod à parente primo à gaudiis Paradisi expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur, ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat.*

VII. Homo per originale peccatum non amisit vim cognitivam veritatis.

Distinguo antecedens. Homo per originale peccatum excœcatur, quantùm ad notitiam veritatum supernaturalium quam per jacturam fidei & scientiæ infusæ deperdidit, concedo; quantùm ad notitiam veritatum naturalium tam speculativarum quàm practicarum, nego; sicut enim rationis lumen per originale peccatum non extinguitur; ita nec deperditur innata illa vis & capacitas intellectûs ad quaslibet veritates percipiendas, quæ sunt intra latitudinem sui objecti naturalis. Quòd autem ea fuerit mens SS. Patrum & maximè S. Gregorii: patet ex eodem ibidem, ait enim: *Dum Redemptor noster appropinquaret Iericho cœcus ad lumen redit: quia dum Divinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus, lumen quod amiserat recepit; unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur*: quibus apparet eum duntaxat sermonem instituere de cœcitate spirituali quantùm ad notitiam veritatum supernaturalium quam Adamo peccante genus humanum unà cum innocentia deperdidit: quamque recuperavit adventante & radiante Sole justitiæ qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Dices 3. Plerumque homines ita gravi dæmonis tentatione urgentur, ut à veritatum moralium studio & contemplatione abducantur: ergo ut eas tentationes evincant & superent, eis opus est gratiæ auxilio.

Distinguo consequentiam, opus est gratiæ auxilio confortante voluntatem ut eas tentationes superet, nec animum ab earum veritatum studio revocet & distrahat, concedo: confortante ac roborante intellectum, ut illarum veritatum studio applicatus, earundem notitiam obtineat, nego: Hìc autem non est sermo de difficultate quam humana voluntas pati potest erga voluntatis studium, sicut patitur interdum erga aliud bonum opus: sed de virtute quam habet intellectus ad percipiendas veritates quæ sunt intra latitudinem sui objecti naturalis; quas utique dicimus percipi posse absque ullo gratiæ beneficio.

Nec propterea debet gloriari.

Dices denique: Si posset homo per solas naturæ vires assequi notitiam rerum agendarum, sequeretur eum habere aliquid necessarium ad bene agendum moraliter, quod sibi, non autem Deo referri deberet acceptum; talis siquidem cognitio necessaria est ad bene operandum: sed istud apertè militat in Apostolum 1. ad Corinth. 4. dicentem: *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo, &c.

Nego sequelam majoris: Exinde enim non habet homo ansam sibi gratulandi & gloriandi: *Primò* quia non potest certò sciri, qui ejusmodi cogitationem habet, utrum habuerit per solas naturæ vires, vel solò gratiæ divinæ beneficiò: contingit enim aliquando, ut Deus quasi divinitùs & miraculosè aliquos informet de illis rebus, quæ per solam rationem naturalem cognosci possent. Quamobrem nonnisi temerè & superbè potest quis gloriari de quacumque bona cogitatione, quasi illam non acceperit à Deo; cùm fortè de facto ex speciali Dei gratia & beneficio habuerit.

Deinde etiamsi certò sciret se habuisse ejusmodi cogitationem ex propriis viribus & industria sua, non deberet propterea inde gloriari: quia sicut rectè monet S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 4. *In nullo gloriandum est, quando nihil nostrum sit*: at omnia bona naturalia sunt à Deo; siquidem ab eo accepimus naturæ vires, omnemque agendi facultatem, nec sine generali saltem ejus concursu possumus quidquam facere.

Ad locum Apostoli dico, illum propriè debere intelligi de rebus pertinentibus ad pietatem & finem supernaturalem salutis æternæ, quò sensu illum exponit S. Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 4. & 5.

QUÆSTIO III.

An & qua gratia necessaria sit ad cognoscendas veritates supernaturales, seu ad assentiendum mysteriis fidei?

I. Veritas aliqua dicitur supernaturalis ex parte, vel objecti, vel motivi, vel utriusque simul.

NOtandum primò, veritatem aliquam triplici ratione dici posse supernaturalem: videlicet ex parte objecti, ex parte rationis, seu motivi assentiendi; & ex parte utriusque simul. Veritas aliqua supernaturalis dicitur *ex parte objecti* tantùm, quando ex se transcendit quidem captum naturalem intellectûs, nec percipi posset nisi fuisset divinitùs revelata: attamen attingitur ratione & motivo tantùm naturali; ut contingit in hæreticis, quoties humanâ fide, vel voluntate propriâ veritati alicui supernaturali, putà mysterio Trinitatis, & incarnationis Jesu Christi præbent assensum; licèt enim veritates istæ ex se sint supernaturales, motivum tamen seu ratio quâ hæreticus eis assentitur est purè naturalis: non enim eis assensum præbet propter motivum divinæ revelationis; aliàs pari ratione cætera mysteria revelata crederet: sed duntaxat movetur ad illa mysteria credenda propter rationem humanam errori obnoxiam.

Secundò, Veritas aliqua dicitur supernaturalis *ex parte motivi* tantùm, quando videlicet intellectus eas percipit, eisque assensum præbet per divinam revelationem: v.g. dum quis credit Isaac genuisse Jacob, hoc enim purè naturale est ex parte objecti: fit autem supernaturale ratione motivi, quando quis illud credit eò quòd ipsum

Deo revelante Scriptura sacra referat.

Tertiò tandem, veritas aliqua dicitur supernaturalis *ex parte objecti & motivi*, quando videlicet objectum cognitum & motivum quô cognoscitur, supernaturalia sunt, ut dum credimus Deum esse trinum, quia Christus istud revelavit.

II. Duo requiruntur ad notitiam veritatis supernaturalis.

Notandum secundò, veritatem aliquam supernaturalem ad sui cognitionem duo requirere; unum quidem ex parte objecti, nempe quòd proponatur intellectui & ipsi objiciatur percipiendum: alterum ex parte intellectûs; nimirum ut possit sibi propositum objectum credere ipsique assensum præbere. De utroque autem movetur difficultas; num videlicet requiratur gratia supernaturalis tam ut objectum proponatur intellectui, quàm ut intellectus ipsi præbeat assensum. Primum quidem admittebat Pelagius, concedendo requiri ad fidem de mysteriis habendam, quòd illa per Evangelii prædicationem proponerentur; negabat autem secundum, nempe gratiam interiorem esse necessariam ad credendum veritati revelatæ, aut saltem volebat eam tantùm desiderari ad faciliùs credendum, ut dictum est in primo volumine, referendo errores Pelagii.

IV. Quæ fuerit inter Pelagianos & Semipelagianos concordia & dissensio quantùm ad veritatum super naturalium notitiam.

Notandum tertiò, circa præsentem difficultatem in hoc maximè Semipelagianos à Pelagianis discrepasse, quòd eorum aliqui admitterent quidem gratiam esse necessariam ad perfectam fidem assequendam & exercendam, volebant tamen in nobis esse quædam fidei initia & semina, quibus possemus eam fidem perfectam promereri; de quibus S. Prosper Epist. ad S. Augustinum hæc habet. *Quidam verò horum in tantùm à Pelagianis semitis non declinant, ut cùm ad confitendum eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana cogantur, ne si meritis redditur, frustrà gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua cùm nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii & rationalis gratia instituat, ut per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei & ad obedientiam mandatorum ejus posset suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam quâ in Christo renascimur pervenire: per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Pelagiani verò volebant liberum arbitrium per se sufficere ad assentiendum veritatibus revelatis, nec ad id ulla opus esse gratia. Contra quos sit.

CONCLUSIO UNICA.

V. Veritates supernaturales cognosci nequeunt absque gratiæ auxilio.

NOn potest homo ullam veritatem supernaturalem certò nosse absque speciali gratia quæ illustret intellectum & moveat affectum: nec proinde absque tali gratia credere sicut oportet ad salutem.

Probatur primò, ex Scriptura sacra, nam Joannis 6. Christus Dominus testatur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Etenim *venire ad Christum*, nihil aliud est quàm in Christum credere ut ipsemet adorandus Salvator indicat his sequentibus verbis: *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me*: Et infrà: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, &c.* Unde sanctus Augustinus lib. de prædest. Sanctorum, cap. 8. *Quid est*, inquit, AD ME VENIET, *nisi credit in me?* Et infra: *Ergo trahi à Patre ad Christum.... nihil aliud est quàm donum accipere à Patre quô*

Ut affirmat sacra Scriptura.

A *credat in Christum.* Insuper Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Isaias*: EXCÆCA COR POPULI HUJUS ET AURES EJUS AGGRAVA, &c. Nam cùm excæcatio fiat per substractionem divini luminis, & non possint credere qui eô lumine carent, apertè sequitur neminem credere posse sine divinæ gratiæ speciali auxilio.

Eandem veritatem pluribi inculcat sanctus Apostolus, maximè verò. 1. Cor. cap. 4. *Quid habes quod non accepisti?* quô testimonio fatetur sanctus Augustinus locô suprà laudatô. Cap. 3. se omnino fuisse convictum, fidem esse donum Dei, cùm antea putaret illam esse in nobis à nobis, & nos B per illam impetrare Dei dona quibus temperanter, piè & justè vivamus in hoc sæculo.

Item cap. 7. *Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem*; unde meritò advertit sanctus Augustinus lib. de gratia & libero arb. cap. 7 *Non enim dixit* MISERICORDIAM CONSECUTUS SUM, QUIA FIDELIS ERAM, *sed* UT FIDELIS ESSEM; hinc *ostendens eam ipsam fidem haberi, nisi Deò miserante non posse, & esse donum Dei.* Item, 2. Cor. cap. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; unde S. Augustinus lib. de prædest. Sanctorum cap. 2. infert hanc veritatem: *Credere*, inquit, *nihil aliud est quàm cum assensione cogitare; & cogitat omnis qui credit, & credendo* C *cogitat, & cogitando credit.* Item Ephes. 2. cap. *Gratia estis salvati per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Quô locô utitur Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 7. & de prædest. sanctorum cap. 7. Est inquit & quod dixi per fidem, non ex nobis sed Dei donum est. Phil. 1. *Vobis donatum est non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini.* Unde August. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. *Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium: quia utramque dixit esse donatum.*

Probatur secundò, ex Concilio Carthaginensi Canone 4. ubi habetur quòd *donum Dei est &* Concilia definiunt.
D *scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Arausicano Canone 7. definiente eos hæretico falli spiritu qui putant absque illuminatione, & inspiratione Spiritûs sancti homines posse per naturæ vires aliquid quod ad salutem pertinet cogitare: Et Can. 9. *Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus*, Tridentino Sessione 6. Canone 3. anathema dicente asserentibus sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere posse, &c.

Probatur tertiò, ex sanctis Patribus citatis à Docent SS. Patres
sancto Augustino lib. de bono perseverantiæ E cap. 17. & 19. *Cypriano* lib. 3. ad Quirinum cap. 4. scribente, *in nullo gloriandum quando nostrum nihil sit.* Ambrosio, lib. de fuga sæculi, cap. 1. *Non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes, &c.*

Probatur etiam rationibus; maximè iis quibus utitur S. Augustinus: quarum PRIMA petitur ex orationibus & gratiarum actionibus: nemo enim orat nisi postulaturus ab eo quem orat id, quod est indebitum & præter captum; atqui fideles orant Dominum pro infidelibus, ut convertat eos ab infidelitate ad fidem: ergo fides ista est donum indebitum & ex gratia. Item gratiæ non aguntur Deo, nisi pro dono aliquo & gratia propriè dicta: aguntur autem pro conversione infidelium, ita S. Augustinus Epist. 17. *Inaniter*, inquit, *& per-*

functoriè potius quàm veraciter pro eis ut doctrina cui adversantur credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctoriè potius quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus. Prorsus non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos non illum credimus facere quod oramus: prorsus non Deo gratias agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.

2. Quia illa notitia quibusdam datur ex misericordia, aliis negatur ex justitia.

SECUNDA RATIO. Quod convenit quibusdam ex Dei misericordia, & aliis non convenit ex justo Dei judicio, est gratia & donum propriè dictum: atqui fides convenit quibusdam hominibus ex Dei misericordia; & aliis non convenit ex justo judicio. Ergo, &c. Argumentum est sancti Augustini lib. de Prædest. cap. 6. *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cùm aliis præparetur voluntas à Domino, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Etc. 8. *Cùm Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credunt prædicatori forinsecus insonante, à Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt, hoc est; illis datur ut credant; illis non datur, quia (inquit)* NEMO VENIT AD ME, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM. Et posteà: *Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam non dari omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet qui credit ex uno omnes isse in condemnationem justissimam; itaut nulla esset Dei justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in iis qui non liberantur, agnoscunt, ut qui gloriantur, non in suis meritis quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur.*

Nota.

3. Quia fides est propriè donum supernaturale.

TERTIA RATIO. Aut fides est gratia, vel nulla datur gratia propriè dicta: sed falsum est consequens: Ergo verum antecedens. Major probatur: Id unde incipiunt omnia bona merita, est gratia, vel quod illi datur propter ejus merita datur: si propter merita datur, gratia non est: *Si enim gratia*, inquit Apostolus, *jam non ex operibus*: ergo id unde incipiunt bona merita, vel gratia est, vel nulla est gratia propriè dicta. Hæc ratio est sancti Augustini Epist. 105. ubi ait: *Restat ut ipsam fidem non humano, quò isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita: sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram id est sine meritis cogitamus.*

Objicies 1. Quidquid exigitur ab homine, in illius potestate est: atqui fides exigitur ab homine: ergo debet esse in illius potestate: sed id quod est in hominis potestate, non est gratia propriè dicta, nec donum Dei præter naturæ debitum: ergo, &c. Major patet: frustra namque Deus à nobis aliquid exigeret, nisi in nostra esset potestate illud implere posse; Minor pariter constat ex illo Marci 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Et Rom. 10. *Si credideris salvus eris.*

VI. Quidquid exigitur ab homine non est semper in illius potestate naturali.

Respondeo 1. hoc argumentum excogitatum fuisse à Semipelagianis; ut constat ex Epist. S. Hilarii ad sanctum Augostinum lib. de Prædest. Sanct. cap. 11. ubi ait, *Si credideris, salvus eris, quemadmodum dicitur,* SI SPIRITU FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS VIVETIS: *nam & hic, ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. Vt ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem vivamus offertur. Non igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur: quoniam exigi audivimus à nobis, præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato:* Unde colligit quòd cùm Semipelagiani facta carnis mortificare, admitterent esse opus gratiæ, etiam & concedere debebant assensum fidei formari non posse absque gratiæ subsidio.

Respondeo 2. distinguendo majorem: Quidquid exigitur ab homine in illius potestate est, vel per Dei gratiam, vel per naturam, concedo: per naturam semper & sine gratia, nego: *Vtrumque autem Dei est*, inquit ibidem Augustinus, *& quod jubetur & quod offertur: rogatur enim, ut det quod jubet, rogant credentes ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis & in suis initiis Dei donum sit fides.*

VII. Qualiter homo à Deo vocatus ipsi respondeat & cooperetur.

Objicies 2. varios Scripturæ textus, quibus apparet in nobis esse quoddam initium bonæ voluntatis, per quod fides petatur, desideretur. Sic Isaïæ 3. *Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi.* Lucæ 12. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio:* Constat igitur quòd volenti, desideranti, quærenti præmia proposita sint atque præparata.

Ac cor suū præparet.

Distinguo consequens: Præmia præparata sunt propter opus solis naturæ viribus elicitum, nego: elicitum cùm gratiæ subsidio, concedo. Fateor igitur quòd volenti, desideranti, quærenti, præmia sint præparata: sed ut velit, desideret, quærat, misericordiæ Dei est. Nam ex ipsa divina Scriptura constat quòd *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*: & quòd *Deus sit qui operatur in nobis velle & perficere*: & *quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus.* Hinc sanctus Augustinus l. 2. ad Bonifacium cap. 9. conferens illa verba Proverbiorum: *Hominis est præparare cor*, cum his verbis 2. Cor. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare, &c.* ait: *Homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, quisi tangit cor, homo præparat cor.* Et rursus: *Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus dictum est,* MISERICORDIA EIUS PRÆVENIET ME: *ut perficiamus dictum est*, MISERICORDIA EIUS SUBSEQUETUR ME.

Objicies 3. Hæretici, quibusdam fidei mysteriis, putà Trinitatis, Incarnationis & Resurrectionis credunt; atqui hæreticis non confertur Dei donum sive gratia quâ credant: ergo sine fidei dono, & gratiæ subsidio potest aliquis assentiri veritatibus supernaturalibus.

VIII. Quomodò & quâ fide hæretici divina mysteria credant.

Distinguo majorem: Credunt, vel propter quasdam naturales conjecturas, vel propter revelationem divinam, concedo: propter rationem naturalem certam ac demonstrativam, nego. Similiter distinguo minorem: Non confertur hæreticis gratia Dei, quando credunt veritatibus supernaturalibus propter humanam tantùm conjecturam, vel per habitum fidei acquisitum, concedo: quando credunt propter authoritatem & revelationem divinam, & ob motivum purè supernaturale, non datur eis gratia saltem inchoata

& imperfecta fidei, nego: est enim in illis fides A ista *quoddam Dei donum, sed exharedatorum*, ut loquitur sanctus Augustinus lib. de Patientia cap. 28. & ut fusiùs declarabimus in Tractatu de Fide. *Vel* breviùs & clariùs distinguo majorē: Credunt fide humanâ & acquisitâ, concedo: divinâ & infusâ, nego: neque enim credunt propter authoritatem Dei revelantis: alioqui non aliquibus tantùm, sed omnibus omnino veritatibus revelatis assentirentur.

Objicies 4. Veritates supernaturales sunt intra lineam objecti specificativi nostri intellectûs: ergo naturæ viribus ab illo possunt attingi. Antecedens patet: enimverò si tales veritates non essent intra lineam objecti specificativi intellectûs, non posset ille etiam quôvis auxiliô adjutus illas deprehendere: sicut oculus non potest percipere sonum, eò quòd sit extra lineam sui objecti. Consequentia verò probatur: Quæcunque potentia potest viribus propriis attingere quidquid est intra suum objectum specificativum: ergo si veritates supernaturales & nostræ fidei mysteria, intra objectum specificativum nostri intellectûs contineantur, viribus naturæ poterunt ab eo attingi.

IX.

Veritates supernaturales sunt intra lineā objecti trascendentalis & improportionati nostri intellectus naturalis: non verò cathegorici & proportionati.

Distinguo antecedens: Veritates illæ sunt intra lineam objecti specificativi proportionati, nego: improportionati, concedo: & similiter distinguo consequentiam: & ad ejus probationem dico, quamcunque potentiam posse viribus propriis attingere quidquid est intra suum objectum specificativum, quod est ipsi proportionatum, non verò quod est improportionatum: ut constat de visu cujus objectum est omne corpus lucidum vel coloratum; quando, tamen nimio splendore fulget, apprehendi nequit ab oculo nisi virtute aliquâ speciali vegetetur ac roboretur. Igitur à pari quamvis veritates supernaturales sint intra lineam objecti adæquati & specificativi nostri intellectûs, quod est omne ens intelligibile abstrahens à naturali & supernaturali, creato & increato, spiritali & corporeo; quia tamen illa non continentur intra ipsius objectum proportionatum & connaturale, quod pro hoc statu est ens intelligibile per conversionem ad phantasmata, & per species à sensibus acceptas; idcirco non possunt veritates illæ supernaturales naturæ viribus percipi, nisi beneficiô luminis vegetantis & elevantis intellectum ad ordinem & statum supernaturalem.

Objicies 5. Actus fidei Christianæ potest imperari à voluntate propter malum finem, v. g. propter mundanam gloriam, sicuti docet sanctus Augustinus lib. de catechisandis Rudibus cap. 17. sed ad talem actum fidei, vel etiam ad voluntatem imperantem ejusmodi actum, non requiritur gratia: ergo, &c.

Respondeo, negando majorem: Fides enim illa non est Christiana, sed merè naturalis: unde idem sanctus Augustinus ait, homines qui malâ voluntate moventur ad credendum, simulatô corde Ecclesiam intrare, & Christiano nomini illudere.

ARTICULUS SECUNDUS.

De necessitate Gratia ad Bonum faciendum.

I.

Gratia maximè ordinatur ad regulandam & juvandā voluntatem in boni prosecutione.

CUM omnis gratiæ efficacitas & operatio consistat non solùm ad illustrandum intellectum in detegendo vero, sed & ad voluntatem & regulandam in efficaci prosecutione boni, & mali aversione; inde rectô ordine procedimus ab operatione illius gratiæ circa veri cognitionem, ad investigandam illius necessitatem & efficaciam circa voluntatem in boni prosecutione. Cùm autem bonū, quod est objectum voluntatis, aliud sit ordinis supernaturalis & conducens ad vitam æternam assequendam: aliud verò naturalis ordinis, quod ad finem purè naturalem comparandum confert: & insuper bonum naturalis ordinis aliud sit *simpliciter*, quod per naturam congruit appetenti; quod solitò statuitur triplex, nimirum purè *naturale*, ut videre, manducare, dormire, &c. aliud *artificiosum*, ut ædificare, pingere, &c. aliud denique B *civile*, seu *politicum*, ut mutua civium cohabitatio, coadunatio, &c. Aliud verò *morale* quod rectæ rationi & morum honestati consentaneum est: Hîc non est futurus sermo de bono simpliciter naturali; certum est enim omnes operationes, quibus bonum physicum, artificiosum & civile comparatur, fieri posse absque ullo speciali gratiæ auxilio.

Bonum autem aliud est *supernaturale* & aliud naturale.

Naturale aliud *simpliciter* & & aliud *morale*.

Solùm igitur præsens movetur controversia de bono morali, eoque tum supernaturalis, tum etiam naturalis ordinis, circa cujus resolutionem, maximè variatum est & diversimodè pugnatum ab hæreticis. *Primò* quidem à *Pelagio*; licèt enim illius error desultorius fuerit; & idcirco propter sinuosos illius flexus eum, *Colubrum Britannicum* C meritò appellaverit. S. Prosper, quòd in certa quadam sententia constringi non posset; quanquam plurimis verborum involucris suam hæresim obtegere ac dissimulare fuerit conatus; tamen in hoc unum omnia illius diverticula collineabant, ut assereret liberum arbitrium per se sufficiens esse ad bonum omne præstandum, quod ad salutem instituendam conferret: quanquam gratiæ beneficium tandem non recusaverit, quô faciliùs quisque probè rectéque viveret, & bonum sectaretur, ut pluribi refert sanctus Augustinus; maximè verò serm. 13. de verbis Apostoli cap. 12. ubi ait: *Iamverò* (Pelagiani) *dicunt adjutricem esse gratiam Dei ad faciliùs facienda: ista sunt enim verba eorum: ad hoc dedit, inquiunt, Deus gra-* D *tiam suam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam. Velô faciliùs, remô difficiliùs, tamen & remo itur: jumentô faciliùs, sed tamen pedibus pervenitur.*

Triplex errātot circa gratiæ necessitatem erga faciendum bonū salutare,

1. Pelagii.

Iulianus verò Pelagii discipulus, ut magistri damnationem declinaret, nec illius tamen hæreticam sententiam desereret, asserebat per naturæ vires nobis adesse voluntatem boni salutaris; illius faciendi vim ac potestatem solùm inesse per Dei gratiam & auxilium. Hinc sanctus Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. loquens de Ju- E liano, & ejus asseclis, ait: *Isti volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Et lib. 4. contra Julianum cap. 3. ait: *Studium sanctitatis sine adjutorio vultis in hominis voluntate pracedere, quod meritò Deus adjuvare debeat non gratis.*

2. Juliani.

Massilienses verò (quos S. Prosper epist. ad S. Augustinum appellat *Pelagianorum reliquias*; Theologi autem nominant Semipelagianos, quòd Pelagianorum hæresim aliqua ex parte linierint, in hoc potissimùm errore versabantur, quòd assererent, posse hominem absque præveniente gratia velle credere; non tamen credere posse, aut quodlibet aliud bonum velle vel facere: atque

3. Semipelagianorum

hôc naturali credendi affectu gratiæ sanantis auxilium promereri.

Huic autem triplici hæreticæ, & ab Ecclesia proscriptæ sententiæ triplex alia similiter ab Ecclesia damnata extremè repugnat: *Prima* est *Lutheri*, in assertione articuli 6. & 36. *Calvini* lib. 2. Institutionum cap. 3. & aliorum quos refert Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 4. affirmantium hominem in statu naturæ lapsæ, nequidem cum Dei gratia & auxilio speciali posse aliquid boni agere, & quantumvis sanctum & justum, posse quidquam operari quod peccatum non sit; quod tamen, loquiunt, non imputatur fidelibus in Christum credentibus. *Secunda* est *Ioannis Hus*, cujus ex variis erroribus in Concilio Constantiensi relatis & damnatis, unus hic erat, quòd assereret nullum bonum opus fieri posse absque gratia sanctificante, ac proinde omnia peccatoris opera esse peccata. *Tertia* tandem fuit Michaëlis Baii, qui inter varias propositiones, quas in præludiis à tribus summis Pontificibus damnatas expressimus, hanc habet n. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*; ac subinde censet fidei gratiam ita esse necessariam, ut nullum prorsus morale bonum fieri possit ab infidelibus.

Ut igitur his omnibus erroneis sententiis extremè pugnantibus Catholicâ veritate & doctrinâ occurramus, quoniam maximè de triplici gratia, actuali, habituali, & fidei movetur disceptatio: Hinc quinque sunt hoc in articulo statuenda, *Primò*, utrum gratia actualis absolutè sit necessaria ad bonum supernaturale conducens ad salutem promerendam. *Secundò*, utrum gratia sanctificans sit necessaria ad quodlibet opus moraliter bonum. *Tertiò*, utrum gratia fidei sit ad idem opus prærequisita. *Quartò*, quænam gratia desideretur ad amorem Dei, ut Authoris naturæ. *Quintò* denique, quæ sit gratia necessaria ad servanda Dei præcepta.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum homo possit sine ulla gratia velle & operari bonum supernaturalis ordinis?

NOtandum primò, nomine gratiæ nihil aliud hîc significari, quàm gratiam actualem, seu illud actuale subsidium & auxilium, quô excitatur, juvatur, ac promovetur homo ad eliciendа aliqua opera conducentia ad vitam æternam assequendam. Nec enim præsens movetur difficultas de gratia sanctificante: certum enim est eam non esse necessariam ad omne opus supernaturale conducens ad salutem; siquidem absque ea possumus velle & operari multa opera supernaturalis ordinis, & ad salutem conducentia: talia quippe sunt omnia opera, quibus peccatores disponuntur ad ipsammet gratiam sanctificantem, de quibus agit Conc. Trident. sess. 6. cap. 6. ut sunt maximè actus fidei, spei, timoris divini, *dum peccatores sese intelligentes, à divina justitia timore, quô utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, &c.* Qui profectò omnes actus conducunt ad justificationem, &

A proinde ad salutem æternam, nec consequenter ad eos prærequiritur gratia justificans, ad quam sunt dispositiones & præparationes.

VII. Quæ appellatur *gratia* licèt titulô justitiæ conferatur.

Notandum secundò, quòd etsi felicitas æterna sit bonis operibus promerenda, ut constat innumeris Scripturæ textibus, quibus illa repromittitur concedenda, vel per modum *mercedis* debitæ operatiis probè ac fideliter laborantibus: vel titulô *coronæ* pugnantibus ac viventibus repositæ; vel denique per modum *hæreditatis* Dei filiis adoptivis præparatæ; nam, inquit Apostolus Rom. 8. *Si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* Nihilominus, ut rectè docet sanctus Augustinus, illa æterna felicitas ab eodem B Apostolo appellatur *gratia*; quia, inquit idem lib. 3. de gratia libero arbitrio cap. 8. *Si vita nostra nihil aliud est, quàm Dei gratia: sine dubio & vita æterna, quæ bona vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodò gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia tanquam merces pro justitia.* Quam utique veritatem retexens, ait: *Vtrum autem legerimus in Scripturis sanctis,* GRATIA PRO GRATIA, *forsitan quæritis: sed habetis Evangelium secundum Ioannem tantâ luce clarissimum, ubi Ioannes Baptista de Domino Christo dicit*; NOS OMNES EX PLENITUDINE ACCIPIMUS ET GRATIAM PRO GRATIA. *Ex ejus itaque plenitudine accepimus pro* C *modulo nostro tanquam particulas nostras, ut bene vivamus; sicut Deus partitus est mensuram fidei, quia unusquisque proprium donum habet à Deo; alius sic, alius autem sic, & ipsa est gratia: sed insuper accipimus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus:* GRATIA AUTEM DEI VITA ÆTERNA IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO: *cùm priùs dixisset*, STIPENDIUM PECCATI MORS. *Meritò enim stipendiū, quia militia diabolica mortis æternæ debitum redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè dicere: stipendium autem justitiæ vita æterna, maluit dicere,* GRATIA AUTEM DEI VITA ÆTERNA; *ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro* D *sua miseratione perducere.* Ex quibus facilè erit colligere, eam felicitatem nonnisi auxiliô ac beneficiô gratiæ esse promerendam.

VIII. Eam humana ratio non novit nec appetitus optat, nisi fide prævia.

Notandum tertiò, quòd etsi nobis ingenitus sit ad felicitatem appetitus; proindeque certum sit illam posse obtineri; *Neque enim* (inquit sanctus Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3.) *naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus*: Non tamen ad æternam beatitudinem nos provocat, nec stimulat ille naturalis appetitus saltem elicitus, quo ferimur in bonum propositum, nisi illa reveletur; utpote cùm nec ingenitô, nec propriis viribus comparatô lumine talis fœlicitas appareat: Etenim, inquit Apostolus, *nec* E *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quod præparavit Deus diligentibus se.* Subindeque necessum est ut per aliquod supernaturale lumen revelationis aut illustrationis hæc beata fœlicitas innotescat. Quòd autem hæc externa & nuda revelatio non sufficiat, sed ultro desideretur auxilium aliquod supernaturale & divinum, quô possit comparari, hîc est determinandum adversus tam Pelagianos, quàm Semipelagianos.

Conclusio Prima.

IX. Nullum bonum ad salutem per se conferes fieri potest absque gratia.

NOn potest homo propriis viribus & sine auxilio supernaturali velle aut perficere ullum bonum opus quod ad æternam salutem conferat. Hæc est de fide contra Pelagianos.

Probatur primò ex Scriptura sacra iis videlicet omnibus locis, quibus utitur S. Augustinus ad convellendum erroneum Pelagianorum dogma. *Primò* quidem ex veteri Testamento, maximè verò ex Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et Psal. 29. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Et Psal. 36. *A Domino gressus hominis dirigentur.* Et Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et Sap. 8. *Scivi, quoniam non possum esse continens, nisi Deus det, &c.*

Apertiùs autem & clariùs hæc veritas innotescit ex novo Testamento innumeris propemodum oraculis; præsertim verò ex his verbis Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quem utrumque textum sic expendit sanctus Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. *Utrum jam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur, an potius ut credat ipsa voluntas, sicut Sauli desuper excitatur, etiamsi tam aversus sit à fide, ut credentes etiam persequatur..... ut quid enim nobis Dominus præcepit ut oremus pro eis qui nos persequuntur? Numquid hoc oramus ut eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur: ac non potius ut mala in bonum eorum voluntas mutetur?*

Ut apertè docet sacra Scriptura.

Item Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quam utique sententiam sic ponderat S. Augustinus, serm. 13. de verbis Apost. cap. 12. *Magister verus qui neminem palpat, neminem fallit, verax Doctor idemque salvator, ad quem nos duxit molestissimus Pædagogus cùm de bonis operibus, id est, de sarmentorum & palmitum fructibus loqueretur; non ait, sine me facere quidem potestis quid, sed facilius per me: non ait fructum vestrum sine me potestis quidem facere, sed uberiorem per me: non hoc dixit, legite quid dixerit...... sine me nihil potestis facere.*

Item, ad Philip. 13. *Deus enim est qui operatur in vobis velle & perficere.* Addit S. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 5. *Vel sicut in aliis & maximè Græcis codicibus legitur*, ET VELLE ET OPERARI. *Videte si non Apostolus gratia Dei futuros adversarios sancto Spiritu tantò ante prævidit, & hæc duo* ET VELLE ET OPERARI *quæ iste* (Pelagius) *ita nostra esse voluit, tanquam ipsa divina gratia non adjuvetur auxilio, Deum in nobis dicit operari.* Missos facio innumeros alios sacræ Scripturæ textus quos uberrimè passim colligit S. Augustinus, quibusve Pelagianum errorem rescindit.

X. Concilia definiunt.

Probatur secundò, authoritate ac decretis Conciliorum omnium in quibus proscripta ac damnata fuit Pelagiana hæresis. Primum quidem ex Concilio DIOSPOLITANO, in quo, ut dictum est in primo volumine, damnati sunt duodecim articuli a Pelagio ejusque asseclis disseminari, quorum hic septimus erat, *gratiam Dei absque adjutorio non ad singulos actus dari; sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* Similiter in Concilio MILLEVITANO seu Carthaginensi cap. 4. statuitur, *utrumque Dei donum est & scire quid facere debeamus & diligere ut faciamus.* Insuper ex Concilio ARAUSICANO 2. Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse sine salutari prædicatione, consentiri posse confirmat absque illuminatione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, fallitur hæretico spiritu.* Et Can. 9. *Divini est muneris cum rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & injustitia abstinemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Demum ex Concilio TRIDENTINO Sess. 6. Can. 3. statuitur. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs sancti operatione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Probatur tertiò, ex SS. Patribus, præsertim ex S. Augustino omnibus illis libris quos adversus Pelagianos edidit; ex quibus unam aut alteram sententiam hîc adscribendam censeo. Prima petitur ex libro 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. *Si quis*, inquit, *ad colendum rectè Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in omnibus hominibus liberum arbitrium, Celestianus & Pelagianus esse videtur.* Secunda depromitur ex libro de natura & gratia cap. 4. *Si*, inquit, *possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum quomodo vivere debeat & ad benè vivendum sibi sufficit, ergo Christus gratis mortuus est? Ergo evacuatum est scandalum crucis, &c.* Quam utique Catholicam & orthodoxam S. Augustini doctrinam amplexata est universa Ecclesia quæ Pelagianorum dogma tanquam hæreticum sub anathemate proscripsit. XI. SS. Patres affirmant.

Probatur denique ratione. Nulla facultas potest tendere ultra proprias vires nisi per formam aliquam superadditam vegetetur ac corroboretur: atqui omnis actus tendens in vitam æternam, est ultra vires & proprietatem naturalem intellectûs & voluntatis creatæ; est enim motus in finem supernaturalem: Ergo non potest actus ullus alterutrius facultatis tendens in vitam æternam fieri ab homine nisi per formam superadditam quæ sit ordinis supernaturalis, quæque hominem ad eundem statum supernaturalem sublevet & evehat. XII. Ratio Theologica suadet.

Deinde, eadem ratione, proportione servatâ, formari & operari debet Christianus in ordine ad vitam æternam quâ formatus & operatus est Christus: sed Christus Dominus formatus est per Spiritum sanctum; quod enim in Virgine natum est de Spiritu sancto est; omnesque suos actus nonnisi ex principio supernaturali & divino edidit; putà ex personalitate Verbi & intellectu divina sapientia informato, voluntate omnibus gratiæ charismatibus illustrata: debet igitur itidem operari homo Christianus (in iis maximè quæ ad salutem spectant) ex principio supernaturali. Quam utique rationem sic eleganter confirmat & expendit S. Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Christi, c. 20. *Forma, enim, quæ præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus: nam Christus Filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto factus ac natus est... Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus infundat & nutriat; ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus, &c.*

Denique, debet esse proportio quædam inter principium, medium, & finem consequendum: sed æterna fœlicitas longè naturæ vires excedit; cùm nec veniat in mentem nisi divinitùs reveletur; nec

comparari possit, oisi mens cœlitùs sublimetur: ergo ad eam obtinendam necessum est, ut sit aliqua proportio inter animam & ipsam beatitudinem: Sed nulla prorsus potest esse nisi per gratiæ beneficium, quô videlicet humana mens ad statum supernaturalem sublimatur; ergo hæc absolutè necessaria est ad salutem consequendam.

Objiciebant primò Pelagiani, exemplum Centurionis Cornelii, qui Actorum 10. dicitur fuisse *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi & deprecans Deum semper*; quocirca meruit in visu & raptu videre Angelum Dei introeuntem & dicentem; *Orationes tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini, &c.* Unde hinc argumentabantur, Religio, timor Dei, eleemosynæ & orationes Cornelii acceptæ fuerunt Deo, proindeque ad illius salutem contulerunt aliquid: atqui tunc nondum Cornelius fidelis erat; proindeque divinâ gratiâ nondum adjutus: didicit enim Cornelius fidem à Petro, ut testatur sanctus Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 8. Sed cùm locutus est ei Angelus nondum à Petro fide ac mysteriis imbutus fuerat, ut constat ex illa historia: ergo absque fide gratus erat Deo: igitur potest aliquis bonum opus aliquod facere ad vitam æternam conducens absque speciali gratiæ Dei beneficio, cujus primarius effectus est fides.

XIII.
Centurio fidem initialem habuit antequam à S. Petro instructus perfectè crederet.

Nego minorem: nam etsi Cornelius nondum explicitè credidisset Christo D. nec mysteriis fidei imbutus fuisset à S. Petro, non tamen omni fide carebat, ut testatur S. Augustinus libro de prædestinatione sanctorum cap. 7. ubi ait: *Quod de Cornelio dici potest, cujus accepta sunt eleemosynæ & exaudita orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat; nam quomodo invocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Unde concludit: *Quicquid igitur & antequam in Christum crederet & cùm credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.*

Unde quando S. Augustinus locô in objectione laudatô, dicit Centurionem à Petro fidem Christi didicisse, intelligendus est de fide explicita & perfecta per Christum: quando verò verbis mox laudatis ait illum non sine aliqua fide donasse & orasse, loquitur de fide inchoata, quæ tendit in Deum, qualis fuisse videtur in primis Gentilibus: Porrò hæc fides implicita dicitur, quia qui credunt in Deum, parati sunt etiam credere in Christum, quando ipsis revelabitur.

Objiciebant secundò: Opus quô præparamur ad gratiam sanctificantem & vitam æternam consequendam, est opus supernaturale: sed ejusmodi opus est a nobis, non autem à solo Deo specialiter concurrente per gratiam.

Probatur ex variis Scripturæ textibus, nam Proverb. 16. legimus; *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Igitur opus istud, quibus præparamur ad salutem æternam consequendam, & ad intimam unionem cum Deo, quæ fit per gratiam sanctificantem, est à nobis ac propriis viribus elicitum.

Nostra præparatio.

Nego minorem, & ad singulas partes illius probationis respondeo: *Ad primam* quidem, hominis reverà esse, ut animam suam præparet, quia Deus neminem ad se vocat, nisi volentem: at hæc præparatio fieri nequit sine speciali adjutorio Dei; enimverò non potest homo animam suam præparare sine bona cogitatione, quæ nonnisi à Deo donatur: non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, inquit Apostolus 2. ad Corinth. 3.

ad gratiam pendet à Deo.

Ad secundam dico, hominis quidem esse, ut se convertat ad Dominum, sed id sine auxilio Dei prævenientis, & ad conversionem stimulantis fieri non potest; unde quemadmodum Zachariæ 1. dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* Ita etiam Threnorum 5. legitur: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Unde, inquit, Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. *In sacris literis cùm dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus, Converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos præveniri gratiâ confitemur.*

Sicut & nostra ad Deum conversio.

Ad tertiam authoritatem dico, mandatorum observationem, pendere quidem à nostra voluntate, sed non sine præsidio gratiæ divinæ; quippe *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*, inquit Apostolus ad Philippenses 2.

Et Dei mandatorum observatio.

Objiciebant tertiò: Si bonum opus conducens ad salutem, penderet à gratia Dei, Deus diceretur personarum acceptor, quia daret uni gratiam potius quàm alteri. *Deinde* gratia illa esset quid fortuitum & casuale, quia conferretur nihil tale merenti; imò etiam sæpè repugnanti ac reluctanti: sed consequentiæ illæ prorsus absurdæ sunt: ergo, &c.

XIV.
Deus gratiam uni conferendo, non autem alteri, non est personarum acceptor.

Nego sequelam majoris; tunc enim solùm committitur personarum acceptio, cùm debitum intercedit; ita quod uni conferatur, quod alteri debetur; vel uni datur id quod debetur, alteri verò denegatur; non autem quando ille qui nihil debet, liberaliter & gratuitò aliquid erogat uni, quod alteri similiter non largitur.

Ad secundum dico, quòd etsi gratia conferatur nihil merenti, & sæpè reluctanti, non tamen dici debet esse quid fortuitum aut casuale, sed donum gratuitum omnino collatum à sapienti rerum Administratore, qui summa cum prudentia sua dona distribuit singulis prout vult.

Objiciebant quartò. Non est liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio: sed est liberum arbitrium: ergo Dei non eget auxilio ad ea præstanda quæ necessaria sunt ad salutem.

Gratiæ necessitas non destruit liberum arbitrium, sed astruit.

Nego majorem: gratia enim quantumvis efficax, liberum arbitrium non destruit, sed astruit, ut constabit infra, ubi humanæ libertatis cum divina gratia summam concordiam demonstrabimus: Unde Sanctus Augustinus libro 2. *de Nuptiis & concupiscentia cap.* 3. ut amoveret à se sannam & injuriam quâ afficiebat eum Julianus, ipsum Manichæum appellans, quòd dixisse crederet. *Si quis aut in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit Celestianus & Pelagianus vocatur*; postque subdit Julianus: *Ne igitur vocentur heretici, fiunt Manichæi; & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circundantur pennis, ut cogantur in retia.* Ut inquam hanc à se injuriam amoveret, ait: *Non itaque sicut te ubique alios fallens loqueris,* SI QUIS IN HOMINIBUS AUT LIBERUM ARBITRIUM, AUT DEUM ESSE NASCENTIUM CONDITOREM DIXERIT CELESTIANUS ET PELAGIANUS VOCATUR. Ista quippe Catholica

Conclusio Prima.

IX. Nullum bonum ad salutem per se conferēs fieri potest absque gratia.

NOn potest homo propriis viribus & sine auxilio supernaturali velle aut perficere ullum bonum opus quod ad æternam salutem conferat. Hæc est de fide contra Pelagianos.

Probatur primò ex Scriptura sacra iis videlicet omnibus locis, quibus utitur S. Augustinus ad convellendum erroneum Pelagianorum dogma. *Primò* quidem ex veteri Testamento, maximè verò ex Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et Psal. 29. *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Et Psal. 36. *A Domino gressus hominis dirigentur.* Et Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Et Sap. 8. *Scivi, quoniam non possum esse continens, nisi Deus det, &c.*

Apertiùs autem & clariùs hæc veritas innotescit ex novo Testamento innumeris propemodum oraculis; præsertim verò ex his verbis Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quem utrumque textum sic expendit sanctus Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. *Vtrum jam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur, an potius ut credat ipsa voluntas, sicut Sauli desuper excitatur, etiamsi tam aversus sit à fide, ut credentes etiam persequatur..... ut quid enim nobis Dominus præcepit ut oremus pro eis qui nos persequuntur? Numquid hoc oramus ut eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur; ac non potius ut mala in bonum eorum voluntas mutetur?*

Ut apertè docet sacra Scriptura.

Item Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quam utique sententiam sic ponderat S. Augustinus, serm. 13. de verbis Apost. cap. 12. *Magister verus qui neminem palpat, neminem fallit, verax Doctor idemque salvator, ad quem nos duxit molestissimus Pædagogus cùm de bonis operibus, id est, de sarmentorum & palmitum fructibus loqueretur: non ait, sine me facere quidem potestis quid, sed faciliùs per me: non ait fructum vestrum sine me potestis quidem facere, sed uberiorem per me: non hoc dixit, legite quid dixerit...... sine me nihil potestis facere.*

Item, ad Philip. 13. *Deus enim est qui operatur in vobis velle & perficere.* Addit S. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 5. *Vel sicut in aliis & maximè Græcis codicibus legitur,* ET VELLE ET OPERARI. *Videte si non Apostolus gratia Dei futuros adversarios sancto Spiritu tantò ante prævidit, & hæc duo* ET VELLE ET OPERARI *quæ iste* (Pelagius) *ita nostra esse voluit, tanquam ipsa divina gratia non adjuvetur auxilio. Deum in nobis dicit* E *operari.* Missos facio innumeros alios sacræ Scripturæ textus quos uberrimè passim colligit S. Augustinus, quibusve Pelagianum errorem rescindit.

X. Concilia definiunt.

Probatur secundò, authoritate ac decretis Conciliorum omnium in quibus proscripta ac damnata fuit Pelagiana hæresis. Primum quidem ex Concilio DIOSPOLITANO, in quo, ut dictum est in primo volumine, damnati sunt duodecim articuli à Pelagio ejusque asseclis disseminati, quorum hic septimus erat, *gratiam Dei absque adjutorio non ad singulos actus dari; sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina.* Similiter in Concilio MILLEVITANO seu Carthaginensi cap. 4. statuitur, *utrumque Dei donum est & scire quid facere de-* A *beamus & diligere ut faciamus.* Insuper ex Concilio ARAUSICANO 2. Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse sine salutari prædicatione, consentiri posse confirmat absque illuminatione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati, fallitur hæretico spiritu.* Et Can. 9. *Divini est muneris cùm rectè cogitamus & pedes nostros à falsitate & injustitia abstinemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Demum ex Concilio TRIDENTINO Sess. 6. Can. 3. statuitur. *Si quis dixerit sine prævenicente Spiritûs sancti operatione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

XI. SS. Patres affirmant.

Probatur tertiò, ex SS. Patribus, præsertim ex S. Augustino omnibus illis libris quos adversus Pelagianos edidit; ex quibus unam aut alteram sententiam hîc adscribendam censeo. Prima petitur ex libro 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. *Si quis*, inquit, *ad colendum rectè Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in omnibus hominibus liberum arbitrium, Celestianus & Pelagianus esse videtur.* Secunda depromitur ex libro de natura & gratia cap. 4. *Si*, inquit, *possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum quomodo vivere debeat & ad benè vivendum sibi sufficit, ergo Christus gratis mortuus est? Ergo evacuatum est scandalum crucis, &c.* Quam utique Catholicam & orthodoxam S. Augustini doctrinam amplexata est universa Ecclesia quæ Pelagianorum dogma tanquam hæreticum sub anathemate proscripsit.

XII. Ratio Theologica suadet.

Probatur denique ratione. Nulla facultas potest tendere ultra proprias vires nisi per formam aliquam superadditam vegetetur ac corroboretur: atqui omnis actus tendens in vitam æternam, est ultra vires & proprietatem naturalem intellectûs & voluntatis creatæ; est enim motus in finem supernaturalem: Ergo non potest actus ullus alterutrius facultatis tendens in vitam æternam fieri ab homine nisi per formam superadditam quæ sit ordinis supernaturalis, quæque hominem ad eundem statum supernaturalem sublevet & evehat.

Deinde, eadem ratione, proportione servatâ, formari & operari debet Christianus in ordine ad vitam æternam quâ formatus & operatus est Christus: sed Christus Dominus formatus est per Spiritum sanctum; quod enim in Virgine natum est de Spiritu sancto est; omnesque suos actus nonnisi ex principio supernaturali & divino edidit; putà ex personalitate Verbi & intellectu divina sapientia informato, voluntate omnibus gratiæ charismatibus illustrata: debet igitur itidem operari homo Christianus (in iis maximè quæ ad salutem spectant) ex principio supernaturali. Quam utique rationem sic eleganter confirmat & expendit S. Fulgentius libro de Incarnatione & gratia Christi, c. 10. *Forma, enim, quæ processit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscamus: nam Christus Filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto factus ac natus est... Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus infundat & nutriat: ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus, &c.*

Denique, debet esse proportio quædam inter principium, medium, & finem consequendum: sed æterna fœlicitas longè naturæ vires excedit; cùm nec veniat in mentem nisi divinitùs reveletur; nec

comparari possit, nisi mens cœlitùs sublimetur: ergo ad eam obtinendam necessumest, ut sit aliqua proportio inter animam & ipsam beatitudinem: Sed nulla prorsus potest esse nisi per gratiæ beneficium, quô videlicet humana mens ad statum supernaturalem sublimatur: ergo hæc absolutè oecessaria est ad salutem consequendam.

Objiciebant primò Pelagiani, exemplum Centurionis Cornelii, qui Actorum 10. dicitur fuisse *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi & deprecans Deum semper*; quocirca meruit in visu & raptu videre Angelum Dei introeuntem & dicentem; *Orationes tua ascenderunt in memoriam in conspectu Domini, &c.* Unde hinc argumentabantur, Religio, timor Dei, eleemosynæ & orationes Cornelii acceptæ fueruot Deo, proindeque ad illius salutem contulerunt aliquid: atqui tunc noodum Cornelius fidelis erat; proindeque divinâ gratiâ nondum adjutus: didicit enim Cornelius fideio à Petro, ut testatur sanctus Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 8. Sed cùm locutus est ei Angelus nondum à Petro fide ac mysteriis imbutus fuerat, ut constat ex illa historia: ergo absque fide gratus erat Deo: igitur potest aliquis bonum opus aliquod facere ad vitam æternam conducens absque speciali gratiæ Dei beneficio, cujus primarius effectus est fides.

XIII.
Centurio fidem initialem habuit antequam à S. Petro instructus perfectè crederet.

Nego minorem: nam etsi Coroelius nondum explicitè credidisset Christo D. nec mysteriis fidei imbutus fuisset à S. Petro, non tamen omni fide carebat, ut testatur S. Augustinus libro de prædestinatione sanctorum cap. 7. ubi ait: *Quod de Cornelio dici potest, cujus accepta sunt eleemosyna & exaudita orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat; nam quomodo invocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* Unde concludit: *Quicquid igitur & antequam in Christum crederet & cùm credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.*

Unde quando S. Augustinus loeô in objectione laudatô, dicit Centurionem à Petro fidem Christi didicisse, intelligendus est de fide explicita & perfecta per Christum: quando verò verbis mox laudatis ait illum non sine aliqua fide donasse & orasse, loquitur de fide inchoata, quæ tendit in Deum, qualis fuisse videtor in primis Gentilibus: Porrò hæc fides implicita dicitur, quia qui creduot in Deum, paratisunt etiam credere in Christom, quando ipsis revelabitur.

Objiciebant secundè: Opus quô præparamur ad gratiam sanctificantem & vitam æternam consequendam, est opus supernaturale: sed ejosmodi opus est a nobis, non autem à solo Deo specialiter concurrente per gratiam.

Probatur ex variis Scripturæ textibos, nam Proverb. 16. legimus: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Igitur opus istod, quibus præparamur ad salutem æternam consequendam, & ad intimam unionem cum Deo, quæ fit per gratiam sanctificantem, est à oobis ac propriis viribus elicitum.

Nostra præparatio

Nego minorem, & ad singulas partes illius probationis respondeo: *Ad primam* quidem, hominis

A reverà esse, ut animam suam præparet, quia Deus neminem ad se vocat, nisi volentem: at hæc præparatio fieri nequit sine speciali adjutorio Dei; enimverò non potest homo animam suam præparare sine bona cogitatione, quæ nonnisi à Deo donatur: non enim sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex oobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, inqoit Apostolus 2. ad Corinth. 3.

ad gratiam pendet à Deo.

Ad secundam dico, hominis quidem esse, ut se coovertat ad Dominum, sed id sine auxilio Dei prævenientis, & ad conversionem stimulantis fieri non potest; unde qoemadmodum Zachariæ 1. dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad*
B *vos*: Ita etiam Threnorum 5. legitur: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Unde, inquit, Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. *In sacris litteris cùm dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostra admonemur. Cùm respondemus, Converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos præveniri gratiâ confitemur.*

Sicut & nostra ad Deum conversio.

Ad tertiam authoritatem dico, mandatorum observatiooem, pendere quidem à nostra voluntate, sed non sine præsidio gratiæ divinæ; quippe *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*, inquit Apostolus ad Philippenses 2.

Et Dei mandatorum observatio.

Objiciebant tertiò: Si bonum opus condocens ad salutem, penderet à gratia Dei, Deus dicere-
C tur personarum acceptor, quia daret uni gratiam potius quàm alteri. *Deinde* gratia illa esset quid fortuitum & casuale, quia conferretur nihil tale merenti; imò etiam sæpè repugnanti ac reluctanti: sed consequentiæ illæ prorsus absurdæ sunt: ergo, &c.

Nego sequelam majoris; tunc enim solùm committitur personarum acceptio, cùm debitum intercedit; ita qoòd uni conferatur, quod alteri debetur; vel uni datur id quod debetur, alteri verò denegatur; oon autem quando ille qui nihil debet, liberaliter & gratuitò aliquid erogat uoi, quod alteri similiter non largitur.

XIV.
Deus gratiam uni conferendo, non autem alteri, non est personarum acceptor.

Ad secundùm dico, quòd etsi gratia conferatur
D nihil merenti, & sæpè reluctanti, non tamen dici debet esse quid fortuitum aut casuale, sed donum gratuitum omnino collatum à sapienti rerum Administratore, qui summa cum prudentia sua dona distribuit singulis prout vult.

Objiciebant quartò, Non est liberum arbitrium si Dei indigeat auxilio: sed est liberum arbitrium: ergo Dei non eget aoxilio ad ea præstanda quæ necessaria sunt ad salutem.

Gratiæ necessitas non destruit liberum arbitrium, sed astruit.

Nego majorem: gratia enim quantumvis efficax, liberum arbitrium non destruit, sed astruit, ut constabit iosra, obi huoanæ libertatis cum divina gratia summam coocordiam demonstrabimus: Unde Sanctus Augustinus libro 2. *de*
E *Nuptiis & concupiscentia cap.* 3. ut amoveret à se sannam & injuriam quâ afficiebat eum Julianus, ipsum Manichæum appellans, quòd dixisse crederet. *Si quis aut in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit Celestianus & Pelagianus vocatur*; postque subdit Julianus: *Ne igitur vocentur haretici, fiunt Manichæi; & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia.* Ut inquam hanc à se injuriam amoveret, ait: *Non itaque sicut te ubique alios fallens loqueris,* SI QUIS IN HOMINIBUS AUT LIBERUM ARBITRIUM, AUT DEUM ESSE NASCENTIUM CONDITOREM DIXERIT CELESTIANUS ET PELAGIANUS VOCATUR. Ista quippe Catholica

fides non dicit, sed dicit: *Si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium; & quisquis ita dicit Deum nascentium Conditorem ut parvulorum neget à potestate diaboli Redemptorem; ipse Celestianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque esse in hominibus arbitrium & Deum esse nascentium conditorem utique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani: liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei & non erui parvulos à potestate tenebrarum & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis: hinc estis Celestiani & Pelagiani.* Alias similes Pelagiani objectiones obtrudebant quas omnes fusè diluit S. Augustinus & earum aliquas referet & refellet.

CONCLUSIO SECUNDA.

XV. Absque divina gratia nullus nobis inesse potest bonus affectus fidei.

NOn potest homo habere ullum affectum bonum supernaturalem, seu fidei initium, absque divinæ gratiæ beneficio.* Hæc est contra Semipelagianos, & probatur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus in priori quæstione declaravimus fidem esse donum Dei & gratiam propriè dictam. Illis quippe utitur S. Augustinus in libris de Prædestinatione sanctorum ad probandum quòd ipsum fidei initium sit gratiæ beneficium, maximè verò *cap. 8.* ubi ait: *Cùm Evangelium prædicatur quidam credunt, quidam non credunt: Sed qui credunt prædicatore forinsecus intonante, intus à Patre audiunt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neque discunt: hoc est: illis datur ut credant, illis non datur; quia* NEMO, *inquit,* VENIT AD ME, NISI PATER QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM....... *Ergo trahi à Patre ad Christum & audire ac discere à Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre quo credat in Christum: neque enim audientes Evangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat; Nemo venit ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo; Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est; & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sacris Scripturis repugnare.*

Ut egregiè probat S. Augustinus.

Unde *capite 2.* dicit quòd sententia, quæ asserit initium fidei non esse à Deo, hominem cum Deo componit, ut partem fidei sibi vendicet, partem verò Deo relinquat: & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem Deo cedit. *Si non pertinet, inquit,* AD DEI GRATIAM *quod credere* COEPIMUS, *sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs perfectiùsque credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ priores damus Deo ut retribuatur nobis & supplementum ejus: ..... Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam; veraciter intelligat dictum quod Apostolus ait:* VOBIS DONATUM EST PRO CHRISTO, NON SOLUM UT CREDATIS IN EUM, VERUM ETIAM UT PATIAMINI PRO EO. *Vtrumque enim ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait ut pleniùs & perfectiùs credatis in eum, sed ut credatis in eum: nec seipsum misericordiam consecutum dixit ut fidelior, sed ut fidelis esset, quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo & retributum sibi ab illo ejus augmentum, sed ab eo se factum fidelem à quo & Apostolus factus est.*

XVI. Nec non & Patres Arausicani Concilii.

Probatur secundò, ex Concilio Arausicano Canone 5. *Si quis ut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium & ad generationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritûs sancti corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem: sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur beato Apostolo Petro dicente:* QUIA QUI COEPIT IN VOBIS OPUS BONUM, IPSE PERFICIET IN DIEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Suadet & idipsum etiam ratio; nam actus quô voluntas movet efficaciter intellectum ad assentiendum rebus fidei, est supernaturalis: ergo non potest haberi naturaliter. Consequentia patet, antecedens verò probatur: Actus credendi est effectus à voluntate imperatus; illa enim movet intellectum efficaciter ad assentiendum veritati revelatæ: Similiter objectum illius est: siquidem voluntas amat honestatem & bonitatem quæ reperitur in tali actu; atqui ex supernaturalitate effectûs & objecti colligitur supernaturalitas actûs qui debet circa illa versari: necessaria est enim proportio inter actum & objectum: ergo actus voluntatis quô homo inducitur ad credendum, est supernaturalis, atque adeo elici non potest absque auxilio gratiæ.

Proponuntur ac solvuntur objectiones Semipelagianorum.

Objicis 1. Cassianus pro Semipelagianis. Zachæus & Latro suis desideriis ac votis Dei gratiam prævenerunt & impetrârunt. Zachæus enim Lucæ 19. cùm quæreret videre Jesum quis esset; meruit ab eo audire: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Latro verò Lucæ 23. cùm Christo dixisset: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum,* audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ergo potest quis naturaliter desiderare gratiam Christi, eamque impetrare, ac proinde bonum aliquod facere, aut saltem velle quod pertineat ad salutem.

XVII. « Zachæus & Latro pœnitens gratia præventi sunt ut in Christum Dominum crederent.

Nego Antecedens. Zachæus enim & Latro gratiâ Dei præventi sunt, ait S. Prosper adversus Collatorem cap. 15. qui enim illuxit in corde Publicani, Matthæi & Pauli tunc Ecclesiam persequentis, ipse & in corde Zachæi & in corde crucifixi Latronis cum Domino illuxit: nisi Domini vox fortè otiosa fuit cùm Zachæum qui quærebat videre eum quis esset, compellare dignatus est Dominus: *Zachæe festinans descende quoniam hodie in domo tua oportet me manere,* & non præparavit sibi animum cujus elegit hospitium. In Latronis quoque justificatione, etiamsi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia, nonne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum dicente Domino: Cùm exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. Ita S. Prosper.

Objicis 2. Cassianus apud sanctum Prosperum cap. 8. Apostolus apertè testatur Romanorum 7. nonnunquam per naturæ bonum bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt; ait enim *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio:* Ergo reverà censet nobis inditum initium fidei à natura insitum.

XVIII. « Quamquam natura ad bonū stimulet, tamen illud absque gratiæ auxilio non potest assequi.

Nego consequentiam: nam, inquit ibidem sanctus Prosper, dixit quidem beatus Apostolus, velle enim adjacet mihi, perficere autem non invenio. Sed idem dixit 2. Cor. 3. *Non quòd idonei simus cogitare aliquid ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* Et ad Philip. 2. idem dixit: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Non ergo Apostolus sibi contrarius est, sed cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non statim invenimus & facere, nisi

quærentibus,

quærentibus, petentibus atque pulsantibus qui dedit desiderium præbet effectum; vox namque ista dicentis: Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio; vocati est, sub gratia constituti, qui condelectatur quidem legi Dei secundùm interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis captivantem se in lege peccati: & quamvis acceperit scientiam rectè volendi; virtutem tamen in se non invenit eorum, quæ obstant operandi; donec pro bona voluntate quam sumpsit, mereatur invenire qui faciat.

Objicit 3. Deus cùm viderit nos ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat. *Ad vocem enim clamoris tui* (inquit Isaias c. 30.) *statim ut audierit respondebit tibi:* Et Psal 29. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis & eripiam te & glorificabis me.* Ergo reverà homo ex se potest habere affectum boni quod gratiam præveniat & alliciat.

XIX.

Qui asserit Deum moveri ad conferendam gratiam infallibiliter, ubi videt humanam voluntatem ad bonū paratam, sapit Pelagianismum.

Nego consequentiam, & ad antecedens respondet sanctus Prosper *cap.* 7. illam propositionem sapere Pelagianismum. Quis enim, inquit, non videat quòd hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quô præveniatur gratia, quæ ei famuletur, reddens debitum conferens donum? quæ definitio in Episcoporum Palæstinæ Synodo etiam à Pelagio anathemare damnata. In eo enim qui bonum incipit velle & cupit ab iniquitate, atque errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari, quoniam à Domino gressus homini diriguntur, & viam ejus volet.

Objicit 4. Christus Dominus increpans Pharisæos, dixit Lucæ 12. *Quid autem ex vobis ipsis*, inquit, *etiam non judicatis quod bonum est?* At hoc non dixisset eis, nisi eos judiciô naturali scivisset quod æquum est posse discernere. Ergo reverà censet homines posse naturali virtute quod æquum est nosse vel facere.

XX.

Homines possunt discernere quæ conferunt ad æquitatem naturalem absque gratia; non verò quæ ad æquitatem supernaturalem conducunt.

Distinguo minorem. Possunt homines naturali judicio discernere quod æquum est æquitate naturali & morali, concedo: æquitate supernaturali & conducente ad salutem, nec-non ad instituendam justitiam Christianam, nego. Unde sanctus Prosper *cap.* 23. huic objectioni respondens ait, Collatorem non solùm in præfata objectione, *boni voluntatem; sed etiam possibilitatem libero adscribere arbitrio: tanquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo justitia reposcatur, quia possim hæc sine Dei donis de natura proferre bonis.* Quibus significat non posse homines judicare naturaliter quæ spectant ad salutem instituendam, ac Evangelicam justitiam formandam.

Objicit tandem Cassianus illa verba 3. *Reg. cap.* 6. quibus Salomon declarat Deo qualiter David volens ædificare domum nomini Domini Dei Israël, ab eo tamen ne votum & desiderium impleret, prohibitus fuit. Unde sic ratiocinatur. Hæc cogitatio, atque iste tractatus regis David, utrumne bonus ex Deo, an malus, & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, à quo inspirata est eidem negatur effectus? Si autem mala, & ex homine fuit, cur laudatur ab Domino? Restat ergo ut bona, & ex homine fuisse credatur: in quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus judicare. Neque enim aut soli David bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni unquam sapere, aut cogitare possemus, naturaliter denegatur: Ita Cassianus.

XXI.

Solet interdū Deus ad aliqua facienda stimulare, quæ tamē non vult impleri.

Respondet sanctus Prosper *cap.* 25. hôc testimoniô atque argumentô non probari quòd piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex Dei inspiratione nascantur. Non enim ideò voluntas David, quæ utique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia templum sibi Dominus non ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit. *Solet enim interdum Dominus nolle fieri quæ tamen hominibus inspiraverat*; licèt enim Dominus Apostolis præceperit, ut docerent & baptizarent omnes Gentes; tamen Actor. 16. *vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.* Et rursus, *cùm tentarent ire in Bythiniam, prohibiti sunt à Spiritu Jesu.* Unde subdit sanctus Prosper: Numquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quod etiam istorum optabant ad fidem corda convertere, quos occultô judiciô Deus Evangelium tunc nolebat audire? Aut quod Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat: id est, pro his qui nondum crediderunt, numquid non ex Spiritu Dei facit? Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei? Et tamen quod pro omnibus petitur, non pro omnibus obtinetur: Nec est iniquitas apud Deum, qui sæpe postulata non tribuit; quæ postulare donavit.

Nota.

QUÆSTIO II.

An gratia sanctificans necessaria sit & sufficient ad quodlibet opus bonum eliciendum?

I.

Lutherani & Calvinistæ asserunt hominem cum quavis gratia non posse aliquod bonum opus elicere: Joannes Hus verò nullum bonum opus fieri posse absque gratia sanctificante.

NOtandum primò, circa præsentem quæstionem, duas ut diximus, esset pugnantes sententias. *Prima* quidem Lutheri, Calvini & aliorum hæreticorum nostri temporis, qui docent hominem quantumvis sanctum & justum nihil boni in hoc naturæ lapsæ ac reparatæ statu posse operari, etiam cum ipso auxilio gratiæ; imò omnia illius opera esse inquinata, ac vera censeri peccata; ipsi tamen non nocere nec ad damnationem imputari, si firmiter credat ea sibi à Deo relaxari nec ad pœnam deputari. *Secunda* verò est *Joannis Hus*; cui subscripsisse videtur Michaël Baius docens gratiam sanctificantem adeò necessariam esse ad bonum aliquod exercendum, ut eâ absente omnia hominis opera essent peccata: Nam inter erroneas propositiones ab ejus scriptis aut dictis assertas, & à summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proscriptas & damnatas hæc est num. 27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Ibidem quoque damnatur illa propositio num. 37. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Item hæc num. 39. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Ex quibus apparet eum voluisse, non modò neminem posse vitare peccatum absque gratia sanctificante, & omnia opera quæ eâ absente fieri possunt esse peccata: sed etiam quod quidquid ex principio & motivo charitatis non fit, reverà inter peccata deputari: Unde propositio quæ est num. 25. fert, *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

II.

Actiones humanæ possunt esse bonæ bonitate naturali, morali

Notandum secundò, præsentem difficultatem non moveri de actionibus hominis, sed de actionibus humanis, hoc est de iis quæ ex rationis judicio & deliberata voluntate procedunt: quæ actiones (ut probavimus in nostra morali Philosophia) sunt bonæ, aut indifferentes aut vitiosæ.

& supernaturali.

Bonæ quidem esse possunt alterutra bonitate, morali videlicet & naturali, aut meritoria & supernaturali. Quæ in hoc potissimùm invicem distinguuntur, quòd *prima* constituatur per solam conformitatem quam habet actus cum recta ratione & prudentia: *Secunda* verò procedit ex influxu gratiæ & charitatis referentis actus nostros in finem supernaturalem. Ex præcedenti quæstione liquet non posse hominem ullum opus supernaturalis ordinis & meritorium vitæ æternæ elicere absque gratia sanctificante; Ao verò câ absente non possit exercere quosdam actus oaturaliter & muraliter booos, hîc erit determinandum.

III.
Actionum humana si bonitas peti potest ex objecto, fine, & circunstantiis.

Notandum tertiò, actuum bonitatem moralem ex triplici potissimùm capite repeti; videlicet objecto, fine & circunstantiis. *Ex objecto* quidem, non prout spectatur in se & secundùm suam entitatem; sed prout est rectæ rationi conforme; hoc enim est discrimen inter virtutes intellectuales & Morales, quod intellectuales intendant objectum quatenus in se est; morales autem versentur circa objectum quatenus rectæ rationi coocordat. *Ex fine* verò duoi videlicet actus tendit io finem congruum & recto conscientiæ ac rationis dictamini conforme; idque per media licita & ordinata; fieri namque potest ut actus tendat in finem optimum, qui nihilominus erit vitiosus, putà si proponatur per vitiata ac perversa media obtinendus: sic sanitas comparanda propter actus charitatis exercendos & Deo liberiùs ac faciliùs inserviendum, actus est bonus ex fine; tamen pessimus esse potest, si nempe illa sanitatis restitutio procuraretur per sortilegia & dæmonum opem; unde ut actus aliquis censeatur bonus ex fine, necessum est quòd in eum tendat per media congrua. Tandem ex *Circunstantiis* actus censetur bonus, quando eis afficitur circunstantiis & conditionibus quas recta ratio videtur postulare ex parte persooæ, loci, temporis, &c. His ita præmissis duo sunt hæc in quæstione statuenda. *Primum*, quòd opera fidelium in gratia sanctificante existentium non sint peccata. *Secundum*, quòd fideles mortali peccato inquinati possint interdum elicere opera moraliter bona.

Conclusio Prima.

IV.
Hæreticus est qui asserit omnia hominis justi opera esse mala.

H*Æreticum est asserere omnia hominis justi & in gratia sanctificante existentis opera esse peccata.* Patet hujus conclusionis veritas ex Coocilio Tridentino sess. 6. can. 25. decernente; *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare, dixerit; aut quod intolerabilius est, mortaliter*, &c. *anathema sit.*

Probaturque primò. Scriptura sacra sæpissimè ad bona opera sectanda nos cohortatur, & hominum justorum opera commendat: at impium est asserere illam ad patranda opera vitiosa nos inducere & peccata hominum laudibus efferre: Ergo, &c. M jor patet ex variis ejus sacræ Scripturæ textibus. Sic Matth. 5. Christus Dominus suos discipulos ac sectatores alloquens ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc sæculo*, &c. Similiter justorum opera commendat. Nam Job. 2. *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.* Quæ verba expendens S. Gregorius ait: *Beato Iob, & oris testimonium perhibetur & cordis, quia & culpam à lingua compescuit, & à corde restrinxit.* Sic etiam 3. Reg. cap. 15. Deus impietatem Jeroboam increpans per Angelum, ait: *Non fecisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & sequutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum erat in conspectu meo.* Et Matth. 26. *Quid molesti estis huic mulieri? bonam opus operata est in me.* Unde Matth. 25. Justus judex Electos ad regnum cœleste evocat, *Esurivi enim*, inquit, *& dedistis mihi manducare*, &c. quibus significat idcirco eos æterna mercede donati, quòd misericordiæ opera exercuerint. Unde sanctus Petrus fideles monebat 1. cap. 1. *Satagite ut per opera vestra bona certam vestram vocationem faciatis, hoc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Patet etiam ratione. Homo justus tenetur divinâ præcepta sibi præscripta servare & ad id præstandum habet vires divinô sibi affulgente auxilio necessarias: *Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis & petere quod non possis; & adjuvat ut possis*, sicut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. sed homo divina implens mandata non potest censeri quidpiam mali agere; alioqui Deus quod malum est, præciperet censereturque author peccati; quod utique asserere impium est: ergo fatendum est hominem justum bona opera exercere.

Objiciunt hæretici illud Psalm. 13. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ergo nullus est quovis in statu, qui bonum aliquod opus exequatur. *Insuper* Psal. 142. regius Vates orat, *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* Nullus igitur est peccati & culpæ expers, ut ex operibus non habeat quòd damnetur. *Denique* opponunt illud Isaiæ 64. *Facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Ergo reverà nullus est hominum culpâ vacuus, & omnia justorum opera quantumvis appareant sancta, vera sunt peccata.

V.
Quo sensu in Scriptura dicatur quòd nullus sit qui bonum faciat.

Nego consequentiam: Longè enim alius est præfatorum sacræ Scripturæ textuum sensus, quàm qui ab hæreticis intenditur. *Ad primum* enim dico, sermonem ibi fieri de Atheis, de quibus dictum fuerat versu præcedenti: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Vel si latiùs extendatur, dici potest Psalmistam locutum fuisse, non in rigore sermonis, sed per methonomiam, quâ plerique, pro omnibus usurpari solent: quod utique non est infrequens nec insolitum in Scriptura: Sic enim Genesis 6. legimus quòd *Omnis caro corruperat viam suam:* Cùm tamen ibidem dicatur Noë fuisse justus, atque perfectus in generationibus suis, & cum Deo ambulasse & invenisse gratiam coram Domino.

VI.
Et quòd nullus in conspectu Dei possit justificari.

Ad secundum dico, per ea verba significari non posse hominem omni ex parte justum apparere in conspectu Dei, id est, si ad Deum comparetur: non quòd reverà in se justus non sit: sed quòd justitia illius, si cum divina conferatur, vix mereatur justitiæ nomen: eô videlicet modô, quô stellæ, etsi in se lucidissimæ sint, tamen ubi cum sole conferuntur, omni lumine videntur destitui: quô sensu dixit Job cap. 4. *Nunquid homo Dei comparatione justificabitur?*

VII.
Denique quòd omnes sint immundi.

Ad tertium verò dico, illud esse dictum de Judæis tunc temporis sceleratissimis, quorum justitiæ legales non solùm erant gratiæ ac meritis vacuæ, sed & pluribus peccatis inquinatæ. Nec obstat quòd Isaias voce communi loquatur, quasi

suam cum cæterorum Judæorum depravatam justitiam censeret : id enim fecit more Prophetarum, qui etsi justi, dum scelera hominum deplorant, sibi ipsis ob humilitatis studium, aut charitatis affectum solent accensere, ut sic Deum faciliùs & efficaciùs ad clementiam flectant.

Conclusio Secunda.

VIII. *Potest peccator aliquod opus moraliter bonum exercere.*

Potest peccator gratiâ sanctificante destitutus, aliquod bonum opus morale seu honestum exercere ; subindeque omnia ejus opera ante justificationem, non sunt peccata : Ita Doctor subtilis in 2. dist. 28. & Seraphicus, ibidem. Probatur primò authoritate Conciliorum, maximè verò Concilii Constantiensis sess. 15. in qua referuntur & damnantur errores *Ioannis Hus*, qui art. 10. censuit: *Sine gratia sanctificante nullum bonum opus fieri posse*, ac proinde omnia peccatoris opera esse peccata. *Similiter* Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 7. decernit : *Si quis dixeris opera omnia quæ ante justificationem fiunt... vera esse peccata, anathema sit.* Et Canone 8. damnatur ille, *qui dixerit metum gehennæ esse malum :* Sed hic metus reperitur in peccatoribus ante adeptam gratiam justificationis : Censet ergo Concilium quòd quæcunque fiunt à peccatoribus ante adeptam justificationem non sint peccata.

Ut probatur 1. ex Conciliis.

2. Ex definitionibus summorum Pontificum. *Probatur* etiam ex definitione summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. damnantium propositiones Michaëlis Baii ut dictum est in 1. *Notabili.*

3. Ex sacra Scriptura. *Tertiò* patet hujus assertionis veritas ex Scriptura sacra : Nam Lucæ 11. Christus hortatur peccatores ad erogandam eleemosynam, & misericordiam erga pauperes exercendam, dicens: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis:* Hortaretur autem ad aliquid impium, si eleemosyna ab homine peccatore fieri non posset absque peccato : Censet igitur Christus Dominus peccatorem ante adeptam justificationis gratiam, posse aliquod bonum opus morale elicere. *Similiter* Daniel Regi Nabuchodonosori suadebat, ut peccata sua eleemosynis redimeret : Sed pravis operibus & peccaminosis nullatenus possunt peccata redimi. Ergo eleemosyna à peccatore facta, cum intentione sublevandi miseriam alienam, non est opus peccaminosum, sed moraliter bonum & honestum.

Confirmatur hæc eadem veritas illis omnibus SS. Patrum oraculis quibus quæstione sequenti patebit, eos docere naturam ad bonum valere, & infideles morale bonum interdum exercere nec non & veras habere virtutes : si enim id possint infideles, multò magis peccatores qui fide illustrantur.

Suadetur insuper hæc veritas ratione. Jure naturali & divino virtutum justitiæ, religionis, misericordiæ, &c. opera præcipiuntur hominibus etiam injustis: sed illa non præciperentur, nisi ea possent exequi absque admixtione peccati & nisi essent ex omni parte honesta: Ergo oportet quòd illa opera à peccatore elicita sint honesta.

Addit subtilis Doctor in 2. *dist.* 28. *num.* 4. quod qui asserit peccatorem nullum bonum facere posse, dicere non videtur aliud, quàm pervertere omnes qui semel commiserunt peccatum mortale, ut nullum bonum opus ex genere postea faciant ; ad quod tamen aliàs sunt adstricti: cùm tamen suadendi sint & movendi ad oppositum, ut scilicet faciant bona opera ex genere, quia eos disponunt ad gratiam citiùs & faciliùs obtinendam.

Nota.

IX. *Quo sensu peccatorum orationes & sacrificia Deus aversetur.*

Dices 1. Deus aversatur laudes, orationes & sacrificia quæ fiunt à peccatoribus. Ergo omnia peccatorum opera fiunt mala. Antecedens patet ex illo Psalm. 4. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas & assumis testamentum meum per os tuum.* Et ex illo Isaiæ 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ? dicit Dominus, &c. Ne offeratis sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi.... Cùm multiplicaveritis orationes vestras non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Distinguo antecedens. Deus illa aversatur & execratur, eò quod irreligiosè fiant & contra legis præscriptum & Dei placitum, concedo : præcisè quia offeruntur à peccatoribus, nego. *Vel aliter:* Quæ à peccatoribus offeruntur timore pœnæ cum intentione perseverandi in peccatis, Deo sunt ingrata, concedo : simpliciter & præcisè quia offeruntur ab hominibus in peccato existentibus, nego. *His adde* quòd Propheta maximè loquatur de Judæis hæc omnia non ex affectu religionis & honesti, sed animo simulatorio & profano exequentibus, omnemque suam justitiam in illo cultu externo constituentibus ; unde cap. 20. de eis conqueritur dicens, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

X. *Quis peccator per malam arborem significetur.*

Dices 2. Ex S. Matth. cap. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere :* Sed illa mala arbor peccatorem designat : ergo ille non potest bonorum operum fructus facere.

Distinguo minorem. Designatur peccator ex mala intentione & perversa voluntate agens, concedo. Simpliciter & absolutè quia peccator est, nego: Sic enim præfatum contextum interpretatur S. Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Non itaque*, inquit, *inquantùm homo est, quod est opus Dei : sed in quantùm mala voluntatis est quisque, arbor mala est & bonos fructus facere non potest.*

Instabis : Si per arborem malam intelligatur peccator malâ voluntate agens, non poterit peccator per opera discerni ac cognosci, quia bonum ratione officii potest malo fine & mala voluntate fieri: Consequens autem adversatur intentioni Christi dicentis *à fructibus eorum cognoscetis eos :* igitur per malam arborem, peccator simpliciter intelligitur.

Nego sequelam majoris. Nam etsi peccator quædam opera bona ratione objecti possit interdum malâ voluntate facere ; nihilominus tamen rarò illud efficit, & ab ordinariis illius operibus non solùm intentione & fine, sed etiam objecto mali facilè cognosci potest qualis ille sit. Hoc autem significare tantùm intendit Christus Dominus, nempe quòd ex conversatione quotidiana cujusque mores facilè detegi possint & agnosci.

Urgebis, Sicut opera mala contaminant voluntatem à qua procedunt, etsi illa in se substantialiter bona sint ; ita vice versâ voluntas prava inquinat omnia opera quæ ex ea ortum habent, licèt aliunde in se bona sint: Atqui voluntas peccatoris est prava : Ergo, &c.

Nego paritatem: & ratio disparitatis est, quòd idcirco voluntas inquinatur omnibus actibus malis, quia per se est eorum causa : licèt autem opera voluntatis malæ sint effectus illius, non tamen ab ea inquinantur, quia sunt ejus effectus ut bonaest per se ; licèt per accidens sit mala. Sic dum homo superbus eleemosynam largitur, actus ille

per se est hominis misericordis, & per accidens hominis superbi.

Dices tertiò: Omnes actus hominis in peccato mortali existentis referuntur ad malum finem ex parte operantis: Ergo sunt motaliter mali. Consequentia patet, finis enim perversus, actum vitiat & deordinat: Probatur antecedens. Peccator omnia quæ appetit ordinat ad bonum privatum; ultimus enim finis peccatoris, est vel ipse peccator, vel bonum ipsius peccatoris: at finis ille perversus est & vitiosus: Ergo, &c.

Distinguo antecedens. Omnes actus mali qui sunt revera peccata mortalia, concedo: qui sunt, vel peccata duntaxat venialia, vel honesta opera, nego. Per illa enim duntaxat opera censetur peccator seipsum aut suum bonum privatum tanquam finem ultimum constituere & appetere, per quæ destruitur & eliminatur gratia ac charitas quæ omnia hominis opera ad eum finem debent dirigere: at hæc privativè destruuntur tantùm per peccata mortalia: nam peccata venialia, aut opera honesta, à peccatore elicita, non pugnant privativè cum charitate & gratia, sed duntaxat ab ea præscindunt, in quantùm videlicet non referuntur ad Deum tanquam ad finem ultimum: ergo per hæc peccator positivè non se spectat ut finem ultimum.

Dices quartò, Quidquid fit ab homine, aut charitate fit aut cupiditate, ut pluribus docet S. Augustinus, maximè lib. 9. de Trinit. cap. 7. & 8. Sed charitas à gratia sanctificante non distinguitur: Ergo quod gratiâ sanctificante non fit, necessum est fiat cupiditate, quam omnium malorum radicem appellat sanctus Paulus.

Distinguo minorem. Charitas perfecta à gratia sanctificante non distinguitur, concedo: Charitas inchoata, nego: Charitas enim duplex est ex S. Augustino librô de natura & gratia cap. 70. *Charitas*, inquit *inchoata, inchoata justitia est: Charitas provecta, provecta justitia est: Charitas perfecta, perfecta justitia est.* Insuper Charitas inchoata est duplex? *Una* quidem ratione motivi, quando Deus diligitur quidem, sed magis propter nostram utilitatem, quàm propter suam gloriam: *Altera* ratione gradûs, quando scilicet Deus propter se diligitur, sed remissiùs, & minori æstu: Charitas autem imperfecta priori modo non est gratia sanctificans: sed tantùm Charitas perfecta saltem ratione motivi, quando videlicet Deus propter se diligitur.

Urgebis. Ergo saltem sine hâc inchoata Charitate nullum opus bonum fieri potest: at illa non est in peccatoribus: Ergo illi nullum bonum opus possunt exercere. *Distinguo minorem*, peccatores non habent Charitatem inchoatam ratione statûs, & quæ sit supernaturalis, concedo: Ratione motivi & quæ sit purè naturalis ac moralis, nego; nam ut probabitur infrà, possunt homines absque ullo gratiæ supernaturalis ordinis auxilio Deum diligere super omnia, ut naturæ Authorem & suum liberalissimum benefactorem ac conservatorem, qui amor videtur initialis quædam Charitas naturalis. Cætera quæ solent contra nostram assertionem objici, solvet

---

QUÆSTIO TERTIA.

An gratia fidei ita sit necessaria ad bonum faciendum, ut omnia Infidelium opera censeri debeant esse peccata?

I. Quæ fuerit Pelagianorum sententia de virtutibus infidelium.

NOtandum primò, circa præsentis quæstionis resolutionem, gravissimam aliquando inter S. Augustinum & Julianũ, extitisse controversiam, ut constat ex *c.* 3. *lib.* 4. quem adversus eundem Julianum S. ille Doctor scripsit. Julianus enim tria contendebat. PRIMUM quidem quod in Infidelibus veræ fuerint virtutes quibus rectè censentur vivere. Quod sanctus Augustinus negabat. *Soletis enim* (inquit S. August. initiô capitis) *negantes Dei dona, virtutes quibus rectè vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnunquam habeant Infideles: ita conantes evacuare quod dicimus neminem rectè vivere nisi ex fide per Iesum Christum.* SECUNDÒ Julianus volebat actus earum virtutum naturalium sufficere ad justificandos Infideles. Quod utique falsum esse pluribus argumentis ibidem demonstrat S. Augustinus: maximè verò argumento ad hominem; nam Julianus alibi docuerat initium quidem justitiæ esse in homine, sed consummationem esse à Deo: at verò loquens de infidelium operibus, à sua sententia discedens, non tantùm affectum virtutis, sed etiam effectum homini tribuit. *Hæc dicens*, ait S. Augustinus, *ecce jam & illud quod gratiæ Dei tribueras, abstulisti: ipsum scilicet voluntatis effectum: non enim aisti eos velle esse misericordes, modestos & castos & sobrios, & ideo non esse quod nondum per gratiam fuerint consecuti bona hujus voluntatis effectum: sed & si esse voluerunt & sunt, jam in eis voluntatem & effectum abundare virtutibus.* Unde concludit. *Sed absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: Absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit. Quis porrò eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum?* TERTIÒ tandem Julianus volebat, eam esse veram virtutem ex quâ opus aliquod prodiret, sive interim finis esset vitiosus sive honestus; cum hoc tamen discrimine quòd ubi finis erat honestus & virtus tendebat ad æterna, tunc opus fructuosum erat & meritorium; ubi autem spectabat temporalia & finis vitiosus erat, tunc opus erat sterile & ad salutem inutile. Quam absurdam sententiam sic carpit S. Augustinus. *Ergo virtutes istæ, tali fine turpes atque deformes, & ideò nullo modo germanæ, veræque virtutes, tamen ita veræ videntur & pulchræ,* UT NEC NOMINIS SUI, inquis POSSINT, NEC GENERIS SUSTINERE DISPENDIUM, SED SOLIUS QUOD APETIVERINT PRÆMII EXILITATE FRUSTRENTUR, *id est terrenorum commodum fructu, non cœlestium præmiorum, &c.* quibus patet S. Augustinum non aliter negare veras virtutes in infidelibus quàm asserebat Julianus, nempe eas sufficere ad hominis justificationem & beatitudinem.

II. Quæ sit vera virtus & quid requirat.

III. Opus potest esse bonum ratione vel officii, vel finis.

Notandum secundò, ex eodem sancto Augustino *ibidem*, veram virtutem seu bonum opus morale, posse dici duobus modis, nempe vel ratione officii, vel ratione finis. *Officium*, inquit, *est id quod faciendum est; finis verò est id propter quod*

faciendum. Unde opus bonum ratione officii dicitur, id quod bonum est ex objecto; sic dare eleemosynam pauperi, bonum est ratione officii; eam verò largiri propter Deum, vel Christum moraliter in paupere existentem, bonum est non solùm ratione officii, sed etiam ratione finis. Insuper idem S. Doctor ibidem observat, quod ut opus aliquod sit simpliciter bonum, non sufficiat quòd sit tale ratione officii; sed etiam requiri, ut tale sit ratione finis: nam si bonum sit duntaxat ratione officii, reverà malum erit propter defectum circunstantiæ mali finis; unde Julianum alloquens ait: *Noveris non officiis, sed finibus discernendas esse virtutes..... Quidquid boni fit ab homine, propter quod fieri debere Sapientia vera præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso tamen non rectè fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri non benefacientibus à quibus fiunt; bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum, magis quàm Dei facit, non benè facit, quia non bonus facit, quod non bonâ voluntate facit.* Quod utique dictum quadrat vulgati huic Philosophorum placito, *bonum ex integra causa, malum ex minimo defectu.*

Notandum tertiò, circa præsentem quæstionem maximam esse controversiam: conveniunt enim omnes posse fieri absque fide aliquod bonum opus ratione officii tantùm; dissentiunt verò circa opus bonum ratione officii & finis simul: negativam autem partem propugnant non modò Lutherus, Melancthon, Calvinus, Petrus Martyr, & plures alii hæretici; sed etiam nonnulli ex Catholicis, ut *Gregorius Ariminensis* in 2. dist. 28. *Capreolus* ibidem, *Marsilius* in 3. quæst. 20. quibus subscribunt aliqui Recentiores, asserentes Philosophorum Gentilium virtutes esse vitia, solamque fidei absentiam sufficere, ut omnia infidelium opera vera sint peccata. Quoniam autem hæc quæstio affinitatem habet cum ea quâ quæritur utrum homo in statu naturæ lapsæ propriis viribus & sine auxilio gratiæ actualis possit producere aliquod bonum opus morale; ideo utramque simul enodabit

(Sensus quæstionis.) (Nota.)

CONCLUSIO UNICA.

IV. (Omnia infidelium opera non sunt peccata.)

GRatia fidei non adeò necessaria est ad rectè operandum, ut sine ea non possit fieri aliquod bonum opus morale; subindeque omnia infidelium opera non sunt absolutè censenda peccata. Hæc est communior & tutior assertio apud Doctores Catholicos. Cujus probationes ut fiant evidentiores, & efficaciores appareant, claritatis gratiâ, placet eas sub diversis titulis, unà cum Adversariorum responsionibus proponere & expendere.

PROBATUR PRIMÒ,

Ex Scriptura sacra.

(1. Quia sacra Scriptura eos hortatur ad bona opera exercenda: non hortatur autem ad malum.)

DIVINA Scriptura sæpius peccatores, etiam infideles, hortatur ad jejunium, orationem & eleemosynam: ergo supponit illa opera posse ab illis rectè fieri. Patet consequentia, impium namque esset asserere eam ad aliquod pravum opus exhortari. Probatur antecedens ex illo Danielis 4. ubi Propheta Regem Nabuchodonosor alloquens, ait: *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime:* Sed peccata non rediмuntur pravis operibus & aliis peccatis: Ergo eleemosynæ Regis, licèt infidelis, non erant peccata; imò poterant esse gratæ Deo & aptæ ad impetrandam illius misericordiam & imminentem ultionem avertendam.

Item Ezechiel 29. Nabuchodonosor dicitur mercedem accepturus pro servitute quâ servivit Deo in expugnatione Tyri. *Ecce ego*, inquit Deus, *dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem ejus & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus: & erit merces exercitui illius, & servitii quo servivit adversus eam, dedi enim ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi: ait Dominus Deus.* Ex quibus licet argumentari. Nulla peccata remuneratur Deus mercede: Sed aliqua opera infidelium mercede remuneratur, ut constat ex præfato textu nec non aliis; nam præstitum Israëlitis beneficium ab obstetricibus Ægyptiis Deus remuneratus est ædificando eis domos quia timuerunt Deum, ut legimus *Exodi* 21: Et gratia à Rahab facta exploratoribus Israëlitarum, compensata fuit à Josue juxta Dei voluntatem sine dubio: ergo aliqua opera infidelium non sunt peccata. Ideoque meritò S. Hieronymus in cap. 29. Ezechielis versu 18 sic ratiocinatur. *Ex eo*, inquit, *quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.*

(Et asserit eos propter illa opera fuisse remuneratos.)

Reponunt adversarii, infideles illos mercedem accepisse propter opera quæ erant bona, ratione quidem officii, non autem ratione finis, & consequenter inde non esse inferendum, quòd ea opera non fuerint peccaminosa.

Contrà, Semper recurrit & urget eadem vis argumenti, nempe quòd non sit credibile Deum illos propter peccata laudasse & remunerasse: si autem ejusmodi opera duntaxat ex officio bona fuerunt; malà verò ex perverso fine, sequeretur illos propter peccata laudatos fuisse & remuneratos à Deo.

Urgent: Ex cap. 1. Exodi, obstetrices Ægyptiæ quæ contra præceptum Regis servabant masculos infantes Hebræorum, mercedem accipiunt propter mendacium, dixerunt enim Regi: *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptia mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt;* quod utique falsum est, & tamen subditur: *Benè ergo fecit Deus obstetricibus.* Igitur Deus potest aliquô temporali præmiô donare actionem peccaminosam, quæ habet quandam speciem virtutis ratione officii.

Nego consequentiam: Duplex quippe distingui debet actio in obstetricibus istis Ægyptiis, una quâ ex compassione & humanitatis sensu ac timoris Dei servaverunt pueros Hebræorum; alia verò quâ mentitæ sunt Regi crudeliter imperanti: Prior fuit bona non solùm ex objecto, sed etiam ex fine. Dicitur enim ibidem v. 7. *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares.* Posterior verò actio, nempe mendacium, fuit intrinsecè mala: Priorem autem actionem laudavit Deus & remuneravit, non autem posteriorem; unde ibidem v. 21. scribitur: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.*

Reponunt secundò: Ista opera infidelium fuisse ex gratia actuali & supernaturali, & idcirco fuisse bona, & à Deo laudata.

Contrà: Istud gratis & absque fundamento fingitur, cùm sit sufficiens proportio inter natura-

2. Quia infideles sequendo dictamé conscientiæ naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.

les vires hominis, & opera naturalis ordinis; maximè quando est propensio & inclinatio naturalis ad ejusmodi; nec ulla sunt, nisi levia impedimenta, quæ facilè possint superari. *Adde quòd*, si valeret hæc responsio, fides non esset amplius prima gratia, sicut volunt adversarii, quippe Gentiles in quibus non erat fides, habuissent gratiam ad ejusmodi opera bona elicienda.

Probatur insuper ex Apostolo ad Romanos 2. versu 14. ubi dicit Apostolus *Gentes quæ legem non habent, facere naturaliter ea, quæ legis sunt*, id est facere naturali instinctu & ductu, aliqua contenta in lege scripta, & vi legis ipsius naturalis necessaria, rationisque lumine satis nota, hunc enim sensum præ se ferunt, ut sonant Pauli verba, junctis præsertim sequentibus: *Ipsi sibi sunt lex. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, &c.* Quæ quidem interpretatio & expositio probatur à Patribus: nam Origenes libro 2. in Epistolam ad Romanos sic habet: *Sed & Græcus, id est, gentilis, qui cùm legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & ratione naturali motus (sicut videmus nonnullos in gentibus) vel justitiam teneat, vel castitatem, vel prudentiam, temperantiam, modestiamque custodiat: iste licèt à vita alienus videatur æterna, quia non credit Christo, & intrare non possit in regnum cœlorum, quia renatus non est ex aqua & Spiritu sancto; videtur quòd per ea quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam & honorem, & pacem perdere penitus non posset.* Et à Tertulliano libro de Corona militis capite 6. ubi sic ait: *Apostolus ad Romanos dicens, naturâ facere nationes ea quæ legis sunt; & legem naturalem suggerit, & naturam legalem.* Et Hieronymus loco suprà citato: *Perspicuum est*, inquit, *condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus, de quo plenissimè ad Romanos Paulus Apostolus disputat.*

V.

Quam sententiam non improbat, sed approbat S. Augustinus. Licèt etiam aliter Apostoli dictum interpretetur.

Reponunt Adversarii sanctum Augustinum libro de Spiritu & Litera cap. 27. & 28. præfatum textum Apostoli interpretari de gentibus, *quæ ex naturali excisæ oleastro insertæ erant in bonam olivam*: hoc est, quæ ex gentilitate ad fidem Christi translatæ erant. Istam interpretationem secuti sunt illius discipuli, putà S. Prosper contra Collatorem cap. 22. & S. Fulgentius libro de gratia Christi cap. 25. & 26. ergo expositio favens assertioni nostræ subsistere non potest.

Nego consequentiam: quia ejusdem textûs possunt esse plures sensus Catholici etiam litterales, ut docent Theologi in præludiis Theologiæ: idcirco ipsemet S. Augustinus qui præfatorum Patrum interpretationem refert eodem libro capite 27. illam non improbat; imò videtur approbare: ait enim: *Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia; sed in eorum potius quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justéque colentium, quædam tamen facta vel legimus vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò rectéque laudamus: quanquam si discutiatur quò fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Censet ergo S. Augustinus etiam gentiles in infidelitate persistentes interdum quædam bona elicere opera, quæ secundùm justitiæ regulam vituperari non possunt: imò quæ meritò laudantur.

Vrgent: S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratia Christi cap.* 25. ait eos Dei gratiæ contradicere, qui præfatum Apostoli textum gentibus incredulis assignant: ergo Apostolus duntaxat loquitur de gentibus ad fidem conversis.

Nec etiam contradicit S. Fulgentius.

Distinguo antecedens: S. Fulgentius putat eos gratiæ contradicere qui locum hunc Apostoli gentibus incredulis assignant, juxta sensum Pelagianorum adhibentium hunc Apostoli locum, tum ut ostenderent ex naturæ viribus gentes implere posse totam legem; tum ut probarent gentes justificari posse sine fide Christi, concedo: juxta sensum orthodoxorum Patrum utentium eo loco, ut suaderent posse aliqua opera moraliter bona esse in infidelibus, nego: idem enim sanctus Fulgentius sequenti capite ejusdem libri ait: *Hominibus illis, quorum mentio facta est ab Apostolo, aliqua quidem bona opera quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse posse: sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non posse*, ad salutem videlicet & vitam æternam.

VI.

3. Quia etiam ipse Christus D. supponit aliquod bonum opus morale fieri posse ab infidelibus.

His adde quòd damnata fuerit à summis Pontificibus hæc propositio 22. Baii. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Confirmari etiam potest hæc eadem nostra assertio iis Christi verbis quibus supponit bonum aliquod opus morale fieri posse ab Ethnicis & infidelibus, purà cùm ait Matthæi 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantùm quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt?* ubi loquitur Christus de dilectione & salutatione moraliter bona; nemo enim adeo stultus est, ut mercedem speret à Deo pro mala: & Lucæ 11. *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*: ex bono scilicet affectu: nam alioqui non esset mirum, quòd donatio mala producat à malis hominibus.

PROBATUR SECUNDÒ

Ex decretis summorum Pontificum.

VII.

4. Quia id docent summi Pontifices qui Baii propositiones damnarunt.

NAm Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. in bulla contra Michaelem Baium edita damnant hanc propositionem n. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

Reponunt Adversarii propositionem illam non fuisse damnatam eô sensu, quô asseritur; siquidem prædictæ propositionis deprehendi possunt quinque alii sensus propter quos illa meritò damnari debuit: *Primus* est, quòd Baius diceret omnia infidelium opera esse peccata, etiam illa quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, quales sunt omnes motus primò primi concupiscentiæ. *Secundus* est, quòd assereret omnia infidelium opera, etiam illorum qui non habent fidem in Christum distinctam & explicitam, quantumvis habeant aliquam fidem Dei, ac proinde implicitam de Christo, esse peccata. *Tertius* est, quòd ex mente Baii omnia opera infidelium non habentium fidem charitate perfectâ formatam, sint peccata. *Quartus* est, quòd omnia opera infidelium, qui non habent infusum habitum fidei Theologicæ sint peccata. *Quintus* est, quòd in sententia Baii omnia infidelium opera sint peccata, non tantùm ratione finis, sed etiam ratione objecti & officii. Igitur non fuit damnata illa

propositio 25. quòd assereret, omnia infidelium opera esse peccata propter absentiam fidei, ex cujus defectu fit, ut illa opera fiant semper malâ intentione, & ex perverso fine operantis.

Contra: Quanquam meritò præfata propositio damnari potuerit, juxta quinque sensus propositos, id tamen non impedit quominus etiam fuerit damnata in eo sensu quem intendimus. *Primò*, quia constat illam Baii propositionem universim, & sine ulla explicatione ab ipso prolatam, generaliter quoque, & sine ulla explicatione, aut limitatione fuisse damnatam à summis Pontificibus, ac proinde sensu à nobis intento. *Secundò*, quia certum est prædictam propositionem assertam fuisse à Baio in sensu à nobis intento. *Tertiò*, quia sensus ille, quem intendimus; est naturalis & genuinus propositionis prædictæ sensus. Alii vero, licèt ei fortitan accommodati possint, sunt tamen minùs naturales. Certum est autem propositionem aliquam, quando damnatur, semper exponendam esse in sensu magis naturali & genuino: igitur, &c.

PROBATUR TERTIÒ

Ex sanctis Patribus.

VIII. Hanc veritatem constantes docent SS. Patres.

IN primis prodit *S. Clemens* libro 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 34. ubi ait, *Abraham progenitorem nostrum viam veritatis ex ipsa naturæ facultate capescentem cùm ei appareres, tanquam Dux deduxisti, eumque, quid tandem esset hoc sæculum docuisti, ac fidem ejus antegressa est cognitio, cognitioni vero consequens fuit fides: fidem autem insecuta pactio*; igitur Abraham ex ipsa naturæ facultate & ante fidem supernaturalem infusam à Deo authore naturæ viam veritatis capessivit, & sæculum sprevit; bonum ergo operatus est propriis naturæ viribus ante susceptum fidei supernaturalis donum.

Irenæus libro 4. adversus hæreses c. 72. *Omnes homines ejusdem sunt naturæ potentes retinere & operari bonum; & potentes rursus amittere id & non facere.* Quibus verbis affirmat in hominis natura potestatem operandi bonum, & ideo omnibus hominibus etiam infidelibus eam esse communem pronuntiat; quam utique potestatem bonum naturalem toto capite confirmat: adversarii autem non concedunt gratiam singulis hominibus communem; subindeque etiam in eorum sententia Irenæus non loquitur de potestate faciendi bonum quæ provenit ex gratia; quippe cùm illam hominibus communem pronuntiet.

Tertullianus libro contra Judæos, *Ante legem Moysis scriptam in tabulis lapideis*, inquit, *legem contendo fuisse non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Nam unde Noë justus inventus, nisi naturalis illum legis justitia præcedebat?* Itaque ante legem scriptam, lex naturalis sicut ab omnibus intelligebatur solo ingenito lumine, ita à Patribus custodiebatur affectu naturali qui naturalem justitiam faciebat.

Athanasius Oratione contra Idola; *Vires suas occupat mens*, inquit, *iisque ad eas quas commenta est voluptates, abutitur, ideo quod libera sit & sui arbitrii: potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari.* Igitur menti humanæ, titulo libertatis naturalis, vires proprias adscribit, quibus bona æquè sectetur ac aversetur, subindeque negat naturales arbitrii humani vires solùm ad peccandum valere.

Basilius homilia 9. in Hexameron; *Sunt apud nos*, inquit, *ipsæ virtutes secundum naturam; ad quas habendas affinitas animæ, non ex humana doctrina, sed ex ipsa natura nobis inesse videtur.*

Nazianzenus Oratione 19. in laudem Patris demortui, ipsum egregiè commendat, quòd ante fidem ex sola institutione naturæ virtutes morales naturales, prudentiam, temperantiam præclarè fuerit sectatus; maximè verò justitiam usque adeo incorruptam; *ut quamvis*, inquit, *in magnis Reipublicæ muneribus administrationibusque versaretur, ne teruncio quidem facultates suas auxerit.* Quod etiam de aliis permultis à fidei illustratione remotis præmiserat: *Quemadmodum*, inquit, *ex nostris plerique nobiscum non sunt, quos scilicet à communi corpore flagitiosa vitæ ratio separat: Sic contrà permulti cæterorum à nobis stant, quia cum ii nimirum fidem moribus anteverterunt, ac solo nomine Christiani carent, cum rem ipsam habeant; quo in numero meus quoque pater erat; ramus quidem alienus, cæterum morum honestate ad nos propendens.* Admittit igitur veras virtutes in infidelibus.

Nyssenus libro in beatitudem 5. ait: *Qui juxta sui imaginem hominem fecit, omnium bonorum materias atque subsidia in natura sui operis deposuit, ut nulla res bona atque honesta extrinsecus in nos se ingerat & insinuet, sed in potestate nostra sit ut habeamus quod velimus tanquam ex illa quadam penuaria, ex natura bonum promentes*: Concedit igitur ipsi naturæ insertam esse omnis virtutis & honestatis facultatem, ut ex ipsa natura tanquam ex nostra penu bonum prometemus.

Hieronymus explicans illud ad Galatas 1. *Ut revelaret Filium suum in me*, ait, *Perspicuum sit naturâ omnibus Dei inesse notitiam & habere in se semina justitiæ, reliquarumque virtutum; unde multi absque fide & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè ut parentibus obsequantur.* Unde de his infidelibus colligit, *Magis judicio obnoxios fieri eò quòd habentes in se principia virtutum & Dei semina, non credunt in eo sine quo esse non possunt.* Si autem naturæ vires solùm valerent ad peccandum, quomodo perspicuum esset semina justitiæ omniumque virtutum naturâ omnibus inesse; quomodo infideles habentes semina virtutum, non forent innoxii earum fructus non edendo, si ad id vires non haberent?

Chrysostomus homilia 22. in 1. ad Corinthios: *Qui vult bonus fieri*, inquit, *ei nihil est impedimento & si ex pessimorum numero antea fuerit: atque id nobis etiam opportunius accidit, quod secundùm naturam est nobis virtus, præter naturam malitia; non aliter quàm bona & adversa valetudo.* Quomodo autem secundùm naturam est virtus, si naturalis non est? quomodo præter naturam malitia, si ejus inclinatio & facultas solùm ad peccandum valet? quomodo tandem pessimis & infidelibus nihil est impedimento, ut boni fiant, si gratia eis desit, nec adsint naturæ vires ut bonitatem assequantur?

Damascenus libro 3. de Fide cap. 14. *Naturales sunt virtutes*, inquit, *& naturaliter & æque in omnibus insunt, etsi non omnes æque operemur ea quæ sunt naturæ: nam ex eo quòd secundùm naturam in id quod præter naturam, per transgressionem lapsi sumus.* Quibus apertè fatetur nobis inesse facultatem naturalem ad virtutes sectandas atque assequendas. Igitur concors est SS. Patrum sententia; & nobis naturales vires inesse ad bonum morale, & eas in infidelibus non esse ita detritas & dissipatas ut in actum & fructum erumpere non possint,

PROBATUR QOARTÒ,

Ex S. Augustino ejusque Discipulis.

IX. INNUMERA sunt quæ ex S. Augustino congeri possunt ad demonstrandum Deum ita hominibus concessisse facultatem naturalem ad bonum sectandum & virtutes morales capescendas, ut etiam in infidelibus vigeant: sed ex istis selectiora profero.

Maximè S. Augustinus.

Qui eam sententiam & ratione probat.

Primò quidem lib. 8. de libero arbitrio capite 23. sic habet. *Profectum in studiis optimis atque pietate quorum ei facultas non negata est, si propria voluntate neglexeris, justè in graviorem, qua in aliis est ignorantiam difficultatemque pracipitatur.* Facultatem autem naturæ concessam ad proficiendum in studiis optimis virtutis naturalem esse hac ratione ibi demonstrat: *Non enim quod naturaliter nescit & naturaliter non potest, hoc anima deputatur ad reatum; sed quod scire non studuit, & quod dignam facilitati comparanda ad rectè faciendum operam non dedit.* Censer igitot non posse neglectum studium virtutis deputari in reatum animæ, si naturaliter ea aut scientia, aut amore prosequi ooo potest atque naturalem habet facultatem, quod utique hoc exemplo probat: *Loqui enim*, inquit, *non nosse atque non posse, infanti naturale est: qua difficultas ignorantiaque sermonis, non modò inculpabilis, sed etiam humanis affectibus blanda, & grata est.* Igitur cùm desertio virtutis non sit inculpabilis homini, consequens est quòd ad eam sectandam potentiam naturalem habeat. Hinc toties contra Manichæos demonstrat naturam esse bonam ex eo quòd vitia sint contra naturam. *Ipsa quoque vitia*, inquit, lib. 1. contra adversarium legis & Propheratum cap. 5. *testimonium perhibent bonitati naturarum: quod enim malum est per vitium, profectò bonum est per naturam; vitium quippe contra naturam est, quia naturæ nocet, nec noceret nisi bonum ejus minueret: non est ergo malum nisi privatio boni*: bona autem quibus animos vitia privant, sunt perfectiones morales virtutum: Ergo virtutes sunt animis naturales. Similia habet in Enchyridio cap. 11. & lib. 4. contra Julianum capite 8. & libro de duabus animabus capite 14.

Apertiùs hanc veritatem declarat lib. de *spiritu & littera cap.* 27. ubi agens de operibus infidelium sic habet: *Si autem, si qui naturaliter quæ legis sunt, faciunt; nondum tamen habendi sunt in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium: quædam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus. Quanquam si discutiatur quô fine fiant, vix invenientur qui justitiâ debitam, defensionemque mereantur*, quô locô particula (*vix*) evidenter probat in mente S. Doctoris, tametsi raro, attamen interdum infideles facere posse opera bona, tum ex officio, tum ex fine. Quamobrem cap. 28. subjungit: *Non usque adeò in anima hominis imaginem Dei terrenorum affectuum labe detritam esse, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde meritò dici potest in ipsa etiam impietate vita sua facere aliqua legis & sapere.* Quamobrem rursus eòdem cap. ait, *quod sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam* A *nihil prosunt impio opera quædam bona, sine quibus difficillimè vita cujuslibet hominis etiam pessimi invenitur.*

X. Et Exemplo.

His maximè suffragatur id qood habet *Epistola* 150. ubi ait: Xenocrates Polemonem ut scribitis, & nos ex illius litteris recordamur, de fruge temperantiæ disputando, non solùm Ebriosum, verùm etiam tunc Ebrium ad mores alios repente convertit. Quanquam ergo ille sicut prudenter & veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipsum quòd melius in eo factum est humano operi tribuerim sed divino. Ipsius B namque corporis, quod est in fineni nostrum, si quæ bona sunt, sicut forma & vires & salus & si quid ejusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore & perfectore naturæ. Quantò magis animi dona donare, nullus alius potest? Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana vecordia si putaverit, cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri? Hoc in libro Sapientiæ sic scriptum est. *Cùm scirent*, inquit, *quia nemo potest esse continens nisi Deus det.* Polemo ergo si ex loxurioso continens factus ita sciret, cujus esset hoc donum, & cum abjectis superstitionibus Gentium piè coleret, non solùm continens sed etiam veraciter sapiens & salubriter Religiosus existeret; quod ei non tantùm C ad præsentis vitæ honestatem; verùm & ad futuræ immortalitatem valeret. Hæc S. Augustinus.

Ex quo testimonio duo præsentem nostram assertionem maximè confirmant. *Primum* quòd S. Augustinus opera Polemonis, non solùm materialiter & ex objecto, sed etiam formaliter & ex fine, bona apellet. *Tum quia* simpliciter nominat *animi bona & Dei dona*, qualia non sunt opera duntaxat materialiter bona, & ex fine intrinseco mala: *Tum quia* ea refert in Deum, in quem opera formaliter mala referri non debent: *Tum quia* ait illa valere ad vitæ honestatem, ad quam nil prorsus conferre possunt ea quæ ex pravo D fine fiunt: *Tum denique quia* docet quòd si Polemo integrè converteretur in Deum, eumque piè coleret, valerent ad immortalitatem vitæ futuræ, ad quam sola opera formaliter bona prodesse possunt.

Secundum est quòd illa opera Polemonis non fuerint supernaturalia & elicita auxilio gratiæ, sed naturalia, edita cum solo concursu generali Dei: Tum quia S. Augustinus refert illam continentiam Polemonis in Deum ut Creatorem & perfectorem naturæ, in quem vires, fortitudo & cætera corporis dona referuntur; opera autem supernaturalia & concepta auxiliô gratiæ, non referuntur ad Deum ut naturæ authorem, sed E in ipsius gratiæ largitorem: Tum quia Adversarii nonnulli negant auxilia gratiæ concedi his qui extra fidem sunt, qualis erat Polemo.

Adversarii nituntur declinare textum S. Augustini, sed frustrà.

Reponunt Adversarii, bona quidem fieri ab infidelibus solis viribus naturæ; sed ratione objecti non ratione circunstantiarum & finis.

Contrà sanctus Aug. libro de spirito & littera cap. 27. concedit ab infidelibus aliqoando fieri bona opera etiam ratione finis, quamquam hoc fiat rarissimè, ut observatum est num. 9.

Insuper opera quæ malô fine fiunt, non possunt dici bona simpliciter: sed ea opera quæ interdum exercent infideles, dicuntur ibidem cap. 28. à sancto Augustino bona simpliciter: *Sicut enim*, inquit, *non impediunt à vita æterna justum, quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur,*

dicitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi invenitur. Sed hæc oppositio peccatorum venialium in justis & bonorum operum in infidelibus; non esset bona, si hæc opera ratione finis pravi, vel defectu finis debiti, essent peccata venialia, vel quod pejus, est, mortalia. Nec rectè diceret Augustinus, ea non prodesse impio ad vitam æternam: nam si illa essent mala & vera peccata, non solùm non prodessent ad vitam æternam, sed etiam obessent, ut patet: ergo sentit opera illa infidelium non fuisse mala ex fine operantis, sed absolutè esse moraliter bona.

Sanctissimo Doctori subscribunt ejus fidelissimi discipuli, imprimis sanctus Fulgentius librô de Incarnatione cap. 25. ubi docet ante fidem esse opera moraliter bona, quæ æternam gloriam non merentur: *Quod etiam illi*, inquit, *qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum, & vitæ societatem pertinent, naturali quâdam lege servant:* Admittit ergo in infidelibus opera moraliter bona ad vitæ societatem spectantia; quod utique confirmat cap. 26. ubi loquens de iis, qui sine gratia fidei Deum cognoverunt, ait: *In ipsis aliqua quidem bona quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inveniri possunt: sed quia sine Charitate Dei fiunt, prodesse non possunt.*

XI. S. Augustino subscribunt S. Fulgentius.

Concinit ipsi sanctus Prosper librô contra Collatorem cap. 26. ubi docet quòd quamvis infideles plures actus moraliter bonos, quippe legibus rationique consentaneos, exerceant, tamen quia supernaturalia non sunt, nec ex gratia prodeunt, idcirco ad veram nequeunt perducere vitam: *Natura quippe humana*, inquiunt, *cujus Creator Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, forma, vita, sensus, & ratio, cæteraque corporis atque animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt, sed non illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam autem conferre non possunt.* Idipsum eleganter cecinit Epigrammate 81.

Et sanctus Prosper.

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus;
Si tamen ingenio claro & probitatis amori
Fons desit fidei . . . .
Cunctarum frugum marcescit inutile germen.

PROBATUR QUINTÒ,

Ratione Theologica.

5. Ratio Theologica idipsum demonstrat.

Si infidelis non posset elicere aliquem actum moraliter bonum, id reperiretur, vel ex parte personæ, quia est infidelis, vel ex conditione objecti, vel ex circumstantia finis: sed ex nullo horum id obstat. Non quidem ex *primo capite*; quia infidelitas tantùm materialiter & concomitanter se habet ad operationem: infidelis enim non tenetur, nec necessitatur ad agendum ut infidelis.

Non etiam ex *secundo capite*, nil enim vetat cur infidelis non possit ferri circa rem ex objecto suo bonam: nam colere Parentes, dare eleemosynam pauperibus, & alia id genus, sunt bona ex objecto & ratione officii, quæ reverà ab infidelibus exerceri possunt, & ab eorum plurimis præstita referunt historiæ Nationum.

Quia infidelis potest elicere actum ex fine

Non denique *ex tertio*: potest enim homo destitutus cognitione fidei exercere aliquod bonum opus ratione officii, putà colere Parentes, dare

A eleemosynam; quod quidem opus ex natura sua ordinabitur ad Deum virtualiter & implicitè; siquidem actus bonus per se & ex natura sua, nisi ex malo fine vitietur ab operante, essentialem habet ordinem ad rectam rationem; quæ recta ratio essentialem ordinem dicit ad Deum, divinamque rationem, cujus est participatio quædam. Sicut enim lapis ex natura sua tendit ad centrum, nisi violenter detineatur; ita quodlibet opus ex objecto, & ex natura sua bonum & honestum, tendit in Deum, ut in luminis rationis, ac totius boni honesti fontem, nisi violenter ab homine in pravum finem referatur: at infidelis potest ejusmodi actum elicere, qui ad malum finem non

& circumstantiis bonum.

B referatur, puta dare eleemosynam ex affectu misericordiæ, non autem ex affectu inanis gloriæ.

Quod autem hæc implicita & virtualis relatio operis ad Deum tanquam ad finem ultimum, sufficiat ad illius honestatem, inde apparet, nam alioqui si id non sufficeret, sequeretur aliquod bonum opus exercitum ab homine etiam fideli & justo esse peccatum, quod absurdum est. Sequela declaratur: nam contingere potest fidelem & justum hominem, nihil de Deo cogitantem, dare eleemosynam pauperi ex solo motivo naturali sublevandi ejus miseriam; quo in casu, cùm de Deo non cogitet, non potest eleemosynam in

C ipsum referre formaliter & expressè; ac proinde in ipsum peccabit, si non sufficiat relatio implicita.

Dices, tunc hominem istum fidelem & justum ejusmodi eleemosynam referre habitualiter ad Deum per habitum Charitatis, quô instructus est.

Verùm contra. Habitus nihil ponit in actu, nisi cùm ad eum operandum concurrit; alias enim qui habet habitum justitiæ, si posteà peccet per intemperantiam, peccaret etiam peccatô injustitiæ, propter ejusmodi habitum injustitiæ quem contraxit.

Secundò natura humana per peccatum non est totaliter corrupta: ergo superest illi vis quædam

D licèt exigua, respectu boni sibi connaturalis. Antecedens patet authoritate Concilii Tridentini sess. 6. cap. 1. asserentis, *Liberum arbitrium in hominibus minimè extinctum esse; viribus licèt attenuatum & infirmatum.* Consequentia est S. Aug. libro de perfectione justitiæ. Cap. 2. ubi ad quæstionem an peccatum naturale sit, vel accidens, respondet *naturale non esse peccatum, sed accidens naturæ præsertim vitiatæ: nu le facti sumus naturâ filii iræ, parumque esse ad non peccandum, voluntatis arbitrium nisi adjutum sanetur gratiâ Dei.* Ubi concedit liberum arbitrium habere quidem potestatem, licèt modicam, ad non peccandum:

XII. Insuper liberum arbitrium virtus ad bonum, non est penitus per peccatum destructum.

E quod utique declaratur similitudine hominis infirmi qui per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè moveri potest motu hominis sani, nisi sanetur auxilio & beneficio medicinæ.

Tertiò, lumen naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis; ergo potest appetitus rationalis hominis ejusmodi ductum rationis sequi, maximè ubi nulla aut saltem levis tantùm tentatio officit. Antecedens confirmari potest authoritate S. Prosperi adversus Collatorem cap. 22. ubi ait: *Quis ambigat hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura à Deo condita superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationis animi vigeret ingenium, non vitiata esset; sed extincta natura.* Consequentia etiam patet; appetitus enim

XIII. Rursus, ratio naturalis potest bonum morale nosse; Ergo & appetitus naturalis potest illud insequi.

tendere potest in bonum sibi proportionatum si cognitum fuerit & impedimentum non offendat.

XIV. Aliqua opera dici possunt bona tripliciter; scilicet *meritoriè, dispositivè & honestè.*

Addo ex sancta Bonaventura in 2. *dist.* 28. *art.* 3. *quæst.* 3. ubi hanc veritatem declarat & probat luculenter. Postquam enim præmisit, quòd opus aliquod tripliciter dici potest bonum: Primò *meritoriè* respectu beatitudinis æternæ. 2. *Dispositivè* quatenus nempè de congruo disponit ad boonm gratiæ & gloriæ consequendum 3. *honestè*, quatenus oempè actus ordinabilis est ad finem honestum: Tandem concludit boonm hôc ultimô modô fieri posse absque ullo gratiæ auxilio. Liberum arbitrium, inquit, solà Dei operatiooe absque aliquo munere gratiæ, licèt difficulter, potest exire in aliquod boonm morale: per illud tamen nec disponitur ad gratiam, nec ad gloriam, quia non est in finem ultimum ordinatum, sed taotum ordinabile: Illud bonum autem qood ducit ad bonum perfectum, sive meritô congrui, sive meritô condigni, non potest absque auxilio Dei, sicut expressè dicunt authoritates Sanctorum. Et quòd istô modô debeant intelligi, planum est. Nam si liberum arbitrium in solis naturalibus suis relinquatur; adhuc remanebit ei rationis judicium, per quod cognoscit parentes esse honorandos: Et constat quòd si habet hoc naturale judicatorium, per illud per qood potest nosse parentes esse hooorandos, per illud potest cogitare; & cum habeat naturalem instinctum, potest etiam id velle: & cùm habeat exteriora organa subservientia, potest opere implere: sed prout illud facit jodicium rationis rectæ absque munere gratiæ, ooo dirigit ad obtinendum finem, qui Deus est, & mercedem æternæ beatitudinis, quam nosse non potest nisi Deus revelet. Et propterea dicunt Sancti, quod oec cogitare, nec velle, nec facere potest bonum absque jovamine divinæ gratiæ, quia loquuntur de bono secundùm quod est ordinatum ad esse quandam beatitudinem.

Confirmabuntur præfatæ rationes & simul nostra assertio solidabitur ex solutione eorum omnium qoæ objiciunt Adversarii, qoorum argumenta & fundamenta, sub certis quibusdam capitibus distribuemus, sigillatimque expendemus.

Primum Argumentum capitale Adversariorum petitum ex infirmitate Liberi Arbitrii & legis inutilitate ad bonum, nisi affulgeat gratiæ subsidium.

O*Bjiciunt* igitur. Si infideles qoidquam boni operari possent, maximè viribus Liberi Arbitrii: at id nequeunt; enimverò liberum hominis arbitrium io statu naturæ lapsæ sub terrenarum cupiditatum vinculis ita captivum tenetur, ut nisi divinâ fulciatur gratiâ, ad bonum sectandum prorsus infirmum sit & invalidum: Igitur naturæ viribus nullum fieri potest opus moraliter bonum. Probatur antecedens: *Primò* quidem ex illis verbis Christi Domini Joannis 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis:* Ergo sine gratia liberatrice Christi, oulla potest esse ad bonum libertas. *Secundò* ex Concilio Arausicano Canone 13. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi.* *Tertiò* ex sancto Augustino hoc ipsum affirmante pluribus in locis; maximè verò librô 2. ad Bonifacium cap. 5. ubi ait: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.*

XV. Videtur liberum arbitrium per peccatum esse detritum.

Distinguo antecedens, Liberum Arbitrium in statu naturæ lapsæ nullis viribus potest ad bonum supernaturale, salutare, & beatificum, concedo: Ad bonum naturale, morale, & ad societatis humanæ honestatem pertinens, prorsus est invalidum & infirmum, nego. Nam diximus suprà ex Concilio Tridentioo & sancto Augustino, liberum arbitrium in hominibus non omnino extinctum esse; licèt attenuatum sit & infirmatum. Dico igitur equidem liberum arbitrium peccatô Adæ extinctum fuisse respectu boni pertinentis ad salutem, nisi cupiditatum vinculis, quibus irretitur & premitur vegetante ac liberante gratiâ liberetur: Unde sanctus Augustinus librô primô ad Bonifacium: *Quis nostrum*, inquit, *dicat quod primi hominis peccatò perierit liberum arbitrium. e humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratiâ, dicente Dominò, si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Respectu autem bonorum naturalium, etiamsi liberum arbitrium infirmum sit ac vulneratum, noo tamen propterea censetur extioctum & ad illud bonum sectandum omnino impotens, ut suprà probatum est.

Verùm ita non est, quamquam infirmum sit.

Instant. S. Augustinos apertè fatetur liberum arbitrium nihil nisi ad peccandum valere: nam librô de spiritu & littera capite 8. ait: *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via:* Ergo omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum.

Nec solùm ad peccandum valet absque gratia, sed etiã ad bonum.

Distinguo: Nil quidquam nisi ad peccandum valet quod parum valeat ad bonum sectandum propriis viribus, concedo: quod oihil omnino valeat, oego: nam idem sanctus Augustinus eôdem librô capite 27. agnoscit liberum arbitrium in infidelibus posse aliquod bonum operari.

Aliter distinguo: Liberum arbitrium nihil quidquam, nisi ad peccandũ valet quatenus peccatum dicitur id omne quod non conducit ad vitam æternam obtinendam, concedo; quod rectæ rationis dictamini opponitur, nego: Hanc autem esse mentem sancti Augustini patet ibidem, subdit enim: *Et cum id quod agendum & quò nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur; ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Objiciunt secundò, varios Scripturæ textus, quibus insinuari videtur, homines non posse quidquam boni operari, nisi juvante gratiæ auxiliô: Sic Joanois 15. *Sine me nihil potestis facere.* 2. ad Corinthios 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.* Ad Philip. 2. *Deus est qui operatur velle & perficere.* Item 1. ad Corinthios 6. *Quid habes quod non accepisti?* Igitur sine Dei auxilio non possumus quidquam boni facere, nec ullum bonum opus velle & perficere.

Homines absque gratia possunt aliquid boni facere.

Distinguo: Nisi divinum nobis affulgeat auxilium non possumos quidquam booi præstare, quod ad salutem æternam pertineat concedo: quod sit bonum honestum moraliter nego. Nihil

Non tamen conducens ad salutem.

autem aliud voluit significare Christus Dominus & Apostolus. Nam Christus Dominus paulò antè dixerat : *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manseris in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis :* Quibus verbis ostendit discipulos non posse fructum ullum facere quod prosit ad salutem, sine illius auxilio : qualiter etiam Concilium Arausicanum Canone septimô præfatum Oraculum usurpat, ad insinuandum per naturæ vigorem, non posse fieri ullum bonum quod sufficiat ad salutem. Apostolus pariter significat nos non posse quidquam boni facere, & perficere quod pertineat ad salutem, nisi juvante Deô authore gratiæ : non autem negat Apostolus nos posse aliquid velle & perficere quod sit bonum morale & naturale juvante Deô authore & moderatore naturæ.

XVI. *Quomodo lex iram operetur & mortem.*

Objiciunt 3. Reverà liberi arbitrii ac naturæ vires, nihil prorsus juvant ad bonum sectandum, si lex ipsa & scientia boni faciendi, ubi non adest gratia, nihil prosit ad vitanda peccata, sed potius ad gravius delinquendum : at ita est : ergo, &c. Major patet. Minor probatur ex Apostolo passim, maximè in Epistola ad Romanos, ait enim cap. 4. *Lex iram operatur :* Et *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et capite 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Et cap. 7. *Sine lege peccatum mortuum erat.* Et primæ Corinthiorum 15. lex dicitur *virus peccati.* Et secundæ Corinthiorum 3. lex appellatur *littera occidens, ministratio mortis & ministratio damnationis :* atqui non aliâ ratione lex dicitur iram operari, augere delictum, suscitare peccatum, ministrare mortem, &c. quam quia sine gratia nullatenus dirigi potest ad bonum, sed potius ad delinquendum excitat : ergo homo solis arbitrii liberi viribus non potest ullatenus bonum sectari.

Distinguo minorem : Lex absque gratia iram operatur, auget delictum, &c. per se, & ex sua institutione, nego : per accidens, & occasione acceptâ ab eo cui imponitur, nempe ratione concupiscentiæ reluctantis, quâ fit ut plurimùm, non autē semper, legis mandato homo non obtemperet, concedo : *Dico* igitur omnes istos effectus malos, qui ab Apostolo legi adscribuntur, per se & ex institutione legis non effici : *Primò*, quia idem Apostolus cap. 7. ait : *Lex quidem sancta est & mandatum sanctum & justum & bonum : Secundò*, quia idem Apostolus eodem capite cavendum monet ne bonum factum dicatur, mors seu causa mortis. *Tertiò*, quia finis legis bonus est, nempe cognitio peccati ; *per legem enim cognitio peccati*, ait ibidem cap. 3. Unde S. Augustinus librô de Spiritu & Littera ait : *Lex ostendit homini infirmitatem suam, ut ad Dei misericordiam per fidem confugiens, per fidem sanetur.* Et sermone 13. de verbis Apostoli cap. 3. ait : *Bona*, inquit, *est lex, si quis ea legitimè utatur. Quid est ergo legitimè uti lege? per legem agnoscere morbum suum & quærere sanitatem, & currere ad divinum adjutorium.*

Dico secundò legem dici causam esse iræ, mortis, peccati, &c. per accidens & occasione sumptâ, eô sensu quô Christus Dominus Lucæ 2. dicitur, *Positus in ruinam & resurrectionem multorum.* Et 2. ad Corinthios 6. Apostoli dicuntur esse *Authores mortis in mortem, videlicet per occasionem :* Tribus autē de causis lex dicitur causa mortis, iræ, & peccati : ex occasione, & per accidens. *Primò*, quia si non esset lex, non esset prævaricatio, cùm scientia notificans obligationem, majorem ingerat pœnam : unde sanctus Augustinus librô de Spiritu & Littera capite 14. *Littera*, inquit, *prohibens peccatum non justificat hominem, sed potius occidit augendo concupiscentiam & iniquitatem prævaricatione cumulando. Secundò*, quia ut docet idem sanctus Augustinus ibidem cap. 4. *Lex quamvis bona, auget desiderium prohibendo mala : sicut aquæ impetus si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cum evicerit majore cumulo præcipitatus, violentiùs per plana provolvitur : nescio quô enim modô hoc ipsum quod concupiscitur, fit jucundius, dum vetatur. Tertiò* denique, lex dicitur esse causa peccati occasionaliter, quia plerumque ex lege, homines quibus datur, superbiæ occasionem assumunt, ut testatur sanctus Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. *Littera*, inquit, *occidit aut apertè sibi reos non faciendo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate : ita remanent aut aperte iniqui aut fallaciter justi ; in aperta iniquitate evidenter elisi, in fallaci insipienter elati.* Nota.

Secundum argumentum capitale, quô probare nituntur, Adversarii illud omne peccatum esse quod ex charitate non procedit.

XVII. *Aliquis actus mediare potest inter vitiosam cupiditatem & sanctam charitatem.*

Objiciunt primò. Nullus datur actus medius inter culpabilem cupiditatem & sanctam charitatem : ergo nullum datur opus bonum moraliter ex omnibus suis circunstantiis sine gratia ; ac proinde sine fide quæ est prima gratia : etenim si talis actus daretur, medius foret inter charitatem & culpabilem cupiditatem. Probant antecedens ex sancto Augustino pluribi, maximè lib. 9. de Trinitate cap. 8. ubi ait verbum quodlibet aut cupiditate aut charitate concipi : *Nemo volens*, inquit, *aliquid facit quod non in corde suo priùs dixerit : quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris ; id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis.* Et in Psalm. 18. *Qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati :* Et in Enchyridio ad Laurentium capite 17. *Regnat*, inquit, *carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas.*

Respondeo primò, distinguendo antecedens : Nullus est actus medius inter sanctam charitatem & culpabilem cupiditatem concomitanter & ratione subjecti, concedo : quia nullus ut plurimum fit ab homine, nisi in quo dominetur aut cupiditas aut charitas : formaliter & spectatâ solâ ratione actûs ipsius, nego : nam reverà potest aliquis esse actus indifferens, imò & moraliter bonus, ubi charitas non adest, seu affectus ille, qui omnia per se in Deum ordinat & dirigit.

Respondeo secundò, negari posse antecedens ; nam ipsemet sanctus Augustinus agnoscit actum aliquem medium inter charitatem & vitiosam cupiditatem, qui non sit malus : ait enim librô de Patientia cap. 26. *Si quis non habens charitatem & in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, &c. nullo modo culpanda ista sunt ; imò verò & hæc laudanda patientia est.* Et librô de Spiritu & Littera dicit impios aliqua facere quæ non solùm vituperari nequeunt, verùm etiam quæ meritò laudantur. Non ergo censet omnes actus qui non procedunt ex charitate, à vitiosa cupiditate derivari. *Vel* ne sibi contrarius appareat, dicendum est eum cupiditatis nomen hîc usurpare in latiori significatione, pro eo affectu qui non est perfecta charitas, nec ad Deum per se ordinatur.

Instant: Idem S. Augustinus primò affirmat sine charitate & Dei dilectione nil per se fieri posse, nisi peccatum, ait enim lib. de Spiritu & Littera cap. 14. *Non est fructus bonus, qui de charitatis radice non surgit.*

Non tamen erit sufficiens ad salutem.

Distinguo: Non est fructus bonus sine charitate qui sufficiens sit ad salutem consequendam, concedo: qui sit moraliter bonus & conferat ad honestatem societatis humanæ, nego: quoties enim sanctus Augustinus ait charitatem desiderari ad actum bonum, toties loquitur de bono opere ad vitam æternam conducente: sic intelligendum est quod ait librô 1. de Gratia Christi cap. 26. *Quid boni faceremus nisi diligeremus?* Et paulò post: *Vbi non est dilectio, nullum opus imputatur.* Scilicet ad meritum vitæ æternæ.

XVIII. Quidquid fit timore pœnæ non est semper vitiosum.

Vrgent denique ex eodem sancto Augustino librô de Spiritu & Littera capite 4. *Mandatum si fit timore pœna, non amore justitia, serviliter & non liberaliter fit, & ideo non fit:* Sed ex eodem S. Augustino cap. 8. *Quicumque* (ex Judæis) *faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant non amore justitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo renitebantur, quòd eos noverat Deus mallesi fieri posset, impunè committere.* Ergo non potest aliquod præceptum impleri, nec bonum fieri sine gratia & charitate.

Distinguo minorem: Id fit ut plurimùm, concedo: semper & omni datâ occasione, nego: non enim ea est sancti Augustini sententia: quòd quidquid fit timore pœnæ, vitiosum sit; nam ipsemet pluribi timorem Dei etiam servilem commendat, maximè verò librô 1. contra Adversarium legis & Prophetarum c. 16. *Salubriter*, inquit, *non solum bonitatem, verùm etiam severitatem Dei sacra Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus utiliter & timetur.* Et in Psalmum 127. explicans illa verba: *Beatus vir qui timet Dominum*, ait, *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit. Non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi: sed timet ne mittatur in gehennam: bonus est & iste timor, utilis est,* Et librô de gratia & libero arbitrio cap. 18. Spiritum istum timoris, magnum donum Dei appellat; non quòd timore Petrus Christum negârit, sed de quo dixit Dominus Christus: Timete eum qui habet potestatem & animam & corpus mittere in gehennam. Et Tractatu 9. in Epist. Joannis dicit, timorem Domini priùs mentem occupare, ut posteà ingrediatur charitas: & timorem esse medicamentum animæ; charitatem verò esse illius sanitatem.

Timorem servilem commendat S. Aug.

Et alii SS. Patres.

Ipsi adstipulantur cæteri SS. Patres; nam S. Cyprianus librô de Laude Martyrii ait: *Nos ad hunc gloriæ titulum* (Martyrii scilicet) *metus excitat futurorum; etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt quæ metuenda esse illis videantur.* Et sanctus Basilius in Psalmum 9. exponens illa verba: *Divites eguerunt*, ait: *Si quando senseris ad unum aliquod cieri ac prosilire peccatum; ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium.* Ibidemque affirmat timorem illum salutarem esse, & sanctitatis operatorium, animamque velut frænum quoddam à peccando compescere. Et S. Chrysostomus homilia 15. ad populum Antiochenum ait: *Quid gehenna gravius, sed hujus metu nihil utilius; gehenna namque timor regni nobis affert coronam: nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de illa pœna & supplicio loquens.* Similia habent S. Ambrosius in Psalmum 118. & Hieronymus in cap. 1. Malachiæ.

Tertium Argumentum capitale petitum ex eo quod omnia infidelium opera dicantur peccata, & eorum virtutes falsæ ac ementitæ.

XIX. Qualiter & quando id quod non est ex fide, sit peccatum.

OBjiciunt primò Apostolum 14. ad Rom. dicentem: *Quod non est ex fide peccatum est:* sed infidelium opera nequeunt ex fide derivari: ergo sunt peccata.

Distingue minorem: Quod non est ex fide & regula agendi, peccatum est, concedo: quod non est ex fide & ex principio seu regula credendi, nego: Duobus enim modis (quantùm ad præsens attinet) usurpari potest fidei nomen: *Primò* quidem pro persuasione quâ quis existimat aliquid sibi licitum esse, hoc est, pro dictamine conscientiæ; quô sensu vulgò dicimus nos id bonâ fide agere, quod ex conscientia, & rationis dictamine operamur; sic fidei nomen usurpàrunt Patres Concilii Lateranensis Can. 41. ubi legimus: *quoniam omne quòd non est ex fide, peccatum est, Synodali judiciô definimus; ut nulla valeat absque bona fide præscriptio.* Id est absque bona conscientia. *Secundò* fidei nomen significat habitum & actum quô credimus alicui veritati propter authoritatem dicentis. Apostolus autem hic fidem usurpat priori modo, loquitur enim de Judæis ad fidem conversis, qui per conscientiam erroneam judicârunt non esse licitum vesci cibis lege Mosaica prohibitis, qui cùm discernant cibum à cibo & nihilominus eo vescantur quem illicitum putant, reverà peccant, quia non ex fide, id est ex dictamine conscientiæ judicantis licere, eo utuntur. Omne autem quod ex tali fide non procedit, hoc est, id quod secundùm illam regulam non fit, peccatum est. Ita interpretatur S. Chrysostomus homil 26. in Epistolam ad Rom. dicens: *Hic fidem non dogmatum, sed propositi argumenti intelligi*, hoc est persuasionem de re quæ proponitur agenda; cui concinunt Oecumenius, Theophilactus & nonnulli alii Recentiores interpretes cum Estio.

Vrgent. Plerique SS. Patres fidem hic usurpant pro fide credendi, ita enim sentit Augustinus pluribi, maximè *lib. 4. contra Iulianum cap. 3.* ergo præfata solutio est nulla. Subindeque quod fit à non habente habitum fidei infusæ peccatum est.

XX. Fides non est absolutè necessaria ad bonum opus morale.

Distinguo consequentiam: Quod non est ex fide contrariè & positivè, hoc est, quod fit infideliter & contra id quod fides suadet esse faciendum, est peccatum, concedo: quod fit negativè id est absente fide, peccatum est per se & præcisè quia fit à non habente fidem, nego: Priori autem modô (si loquatur de fide divina) eam usurpat: eam enim propositionem format de Judæo qui existimat abstinendum esse à quibusdam cibis, & nihilominus contra fidem quàm habet, cibos manducat; cujus actio haud dubiè peccatum est, utpotè quæ fiat contra lumen ac dictamen fidei; hunc autem esse genuinum Apostoli sensum patet ex antecedentibus verbis; ait enim, *Qui autem discernit* (hoc est discretionem quamdam ciborum facit, alios mundos, alios immundos judicando) *si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est.*

Instant: Atqui Apostolus nedum ait opera quæ

non sunt fide contrariè, sed etiam negativè, esse peccata: Ergo solutio nulla. Probant antecedens ex illo ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo:* Ergo nullum opus infidelium potest esse bonum & Deo gratum.

Nego antecedens; Et primum Apostoli textum distinguo, sine fide impossibile est placere Deo ratione operantis, concedo: Ratione operis, nego: Fateor equidem infidelem quandiu in infidelitate permanet, non posse Deo placere ratione sui, etsi placeat interdum ratione operis; non quidem illâ complacentiâ de qua ibidem agit Apostolus, quæque provenit ex justitia & sanctitate supernaturali, per quam Deo placuerunt Sancti de quibus deinceps agit toto capite, consequenter ad id quod dixerat in fine capitis præcedentis *Iustus meus ex fide vivit.*

Vrgent denique. Non solùm ratione operantis, sed etiam ratione operis omnia infidelium opera, peccata sunt & ingrata Deo: Ergo, &c. Probatur antecedens ex eodem Apostolo ad Titum 1. *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum.*

XXI. Hinc omnia infidelium opera non sunt peccata, nec immunditia.

Distinguo antecedent: Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum munditiâ perfectâ & supernaturali, concedo: Imperfectâ & morali, nego. Duplex enim potest esse operis munditia: perfecta videlicet & ordinis supernaturalis, quæ proveniat à gratia sanctificante, quâ fit ut omnia justi opera reverà munda sint, Deo grata & acceptata ad beatitudinem supernaturalem; alia verò est mundities moralis & ordinis naturalis, quâ fit ut opus elicitum circa bonum honestum, & debitis circunstantiis moralibus illustratum censeatur mundum, & objectum divinæ complacentiæ naturalis, quâ videlicet Deus approbat omnes naturæ partus, & fructus qui fiunt secundùm ordinem à Providentia naturali præscriptum. Etenim si fructus arborum, & plantarum germina Deo placeant, ut colligitur ex his verbis Genesis 1. *Protulit terra herbam virentem & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam: Et vidit Deus quòd esset bonum:* Multò magis actus & fructus voluntatis, in qua remanent quædam, licèt extrema, divinæ imaginis lineamenta, nobiliori modô Deo placere possunt.

Vel aliter distinguo: Coinquinatis & infidelibus, qui per immunditiam cordis, aut per infidelitatem vel abutuntur Dei creaturis, vel quasi illæ essent impuræ, eis non utuntur, nihil est mundum, concedo: Infidelibus simpliciter & ratione duntaxat eorum infidelitatis, nego. Aliàs pari consequentia concludendum esset, omnia etiam mundorum opera esse munda; ait enim Apostolus: *Omnia munda mundis.* Quod tamen absolutè falsum est, alioqui nusquam quis peccare posset ubi semel justitiam fuisset adeptus: Sic sanctus Augustinus *lib. 21. contra Faustum Manichæum,* hunc Apostoli textum explicat tum de fidelibus cùm de infidelibus, qui creaturis Dei v. g. cibis, per immunditiam abutuntur, non servatô scilicet tempore, modô, & ratione; idque usurpat tum contra Judæos qui post abrogatam legem cibos adhuc immundos existimabant: tum contra Manichæos qui omnes prorsus cibos censebant immundos, & à malo principio productos.

Vel denique dico, Apostolum loqui de iis immundis qui perversam & depravatam habent conscientiam, quorum omnia opera ideo prorsus immunda sunt, quia scilicèt malam suis in operibus habent intentionem. Quæ utique genuina videtur Apostoli mens, ait enim: *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia; confitentur se nosse Deum, factis autem negant: Cùm sint abominati & incredibiles & ad omne bonum opus reprobi.*

Objiciunt secundò sanctum Augustinum, qui pluribi declarat & probat opera infidelium esse peccata, & in eis nullas esse veras virtutes, maximè verò lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 3. *Absit ergo,* inquit, *pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.* Et capite sequenti. *Qui non hâc intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi, sed infideles Parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit observantia, ut secundùm matrimoniales tabulas nonnisi procreandorum liberorum causâ concubant, non est in eis vera pudicitia conjugalis. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudentia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur in animo habitent; quomodo verâ ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille Psalmus accusat, ubi dicit: Ecce enim qui longè se faciunt à te peribunt: perdisti omnem qui fornicatur abs te. Vera igitur pudicitia sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.* At potissimùm rem profundè tractat & discutit cap. 4. contra Julianum cap. 3. ita scribens: *Sed acerbissima gratia hujus inimici, exempla nobis opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide, abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ, solum est naturæ bonum, licèt superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus & misericordes crebrò & modesti, & casti inveniuntur & sobrii.*

XXII. An infideles veras habeant virtutes morales? Negare videtur S. Augustinus.

Quem utique errorem refellit sanctus Augustinus tribus potissimùm argumentis: *Primò* quidem argumentô ad hominem, quia Julianus alibi docuerat initium quidem justitiæ esse in homine, sed consummationem esse à Deo, videlicet voluntatem seu cupiditatem boni esse à nobis; effectum autem esse à Deo: at verò loquens de operibus infidelium, non solùm voluntatem, sed etiam bonum voluntatis effectum tribuit arbitrii liberi viribus; unde sic eum interpellat sanctus Augustinus, *Sed si & esse voluerunt & sunt, jam in eis voluntatem & effectum voluntatis invenimus, quid remansit quod gratiæ reservemus in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare virtutibus?* Secundò eum impugnat argumentô peritô ex Proverbiorum, 24. *Qui dicis impium justum esse, maledictus erit in populo & odibilis in Gentibus.* Tertiò ipsum urget authoritate Apostoli ad Roman. 1. JUSTUS EX FIDE VIVIT. *Absit autem,* inquit, *ut sit justus verè, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit.* Ex quibus locis sic Adversarii argumentantur. Ibi non potest esse ullum opus bonum, ubi vera virtus reperiri nequit: Sed sanctus Augustinus apertè fatetur in infidelibus nullam reperiri veram virtutem: Ergo negat pariter in eis esse ullum bonum opus.

Distinguo minorem: Fatetur sanctus Augustinus infidelibus nullas inesse veras virtutes, id est nullum habitum, quô homo censeatur rectè vivere, & per quem justificationis gratiam & vitam æternam obtineat, ut volebat Julianus, sicut advertimus in tertio notabili, concedo: Nullus est ha-

bitus virtutis quô homo ad aliquod bonum opus, morale naturalis ordinis inclinetur, saltem ubi gravis non urget tentatio, nego. Fateor igitur in infidelibus non esse ullam veram virtutem simpliciter, quæ videlicet hominem ordinet ad salutem: quô sensu veram virtutem duntaxat usurpat sanctus Augustinus, ut constat eôdem *capite tertiô*, ait enim. *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo vera possunt esse virtutes.* Sicque eâ ratione negat esse virtutes infidelibus, quia nullus infidelis justus esse potest: Quia, ut pluries ibidem repetit. Justus ex fide vivit: Quis porrò, *inquit*, qui se Christianos haberi volunt nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum? Sit licèt ille Fabricius, sit licèt Fabius, sit licèt Scipio, sit licèt Regulus, quorum me nominibus, tanquam in antiqua Romana Curia loqueremur, putasti esse terrendum. Verùm in hac causa etsi ad Scholam Pythagoræ provoces vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri multò excellentiore cæteris Philosophiâ nobilitati, veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quôdam modô imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ quod est Deus; etiam illic adversus te quantùm donat, qui nos vocavit pietatis libertate, clamabo: Nec in istis vera est justitia quia justus ex fide vivit; fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi: Finis legis Christus ad justitiam omni credenti: Quomodo sunt verè justi, quibus vilis est humilitas veri justi? Quò enim propinquaverunt intelligentiâ, inde superbiâ recesserunt: quâ cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c. *unde concludit:* Si per naturam voluntatemque justitia: Ergo Christus gratis mortuus est: si per doctrinas hominum qualescumque justitia: Ergo Christus gratis mortuus est, per quod enim vera justitia, per hoc etiam regnum Dei: Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus, &c.

At non ea est illius sententia.

Hæc S. Augustinus, quibus satis superque constat eatenus sanctum Augustinum negare in infidelibus veras esse virtutes, quatenus illæ virtutes infidelium nequeunt quidquam ad salutem conferre.

Vrgent: Si aliquæ infidelibus inessent virtutes veræ, & duntaxat bonæ moraliter, dici possent steriles per respectum ad beatitudinem: Sed sanctus Augustinus negat apertè aliquas virtutes posse dici steriles; sic enim circa medium ejusdem capitis tertii Julianum carpit, *Dici non potest quantùm te fallat ista opinio, quia dixisti omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus: Fieri enim non potest; ut steriliter boni simus: Sed boni non sumus quidquid steriliter sumus: Arbor enim bona bonos fructus facit; absit autem ut Deus bonus à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas: Nullô modô igitur homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minùs alii magis mali.* Ergo ex S. Augustino nulla potest virtus esse sterilis.

Distinguo minorem: Nulla potest esse virtus sterilis respectu boni naturalis aut supernaturalis consequendi, concedo: Nulla potest esse fœcunda respectu boni naturalis & sterilis respectu boni supernaturalis, nego. Nam ipsemet S. Augustinus librô 5. de civitate Dei cap. 15. affirmat A Deum dedisse Romanis Imperium in tot Gentes, & regna in remunerationem ipsorum virtutum civilium, & moralium. Censet ergo virtutes illas morales aliquam temporalem mercedem promereri; subindeque etiamsi steriles appareant respectu fœlicitatis æternæ, possunt tamen reverà esse fœcundæ respectu boni temporalis, quod in mercedem Deus ipsis repromittit & retribuit.

Quô sensu S. Augustinus neget homines esse steriliter bonos.

Vrgent: S. Augustinus *ibidem* negat homines posse esse *steriliter bonos*, ibi enim Julianum arguit, quòd dixerit omnes virtutes esse quosdam affectus per quos aut fructuosè, aut steriliter boni simus; *Fieri non potest* (inquit S. Doctor) *ut steriliter boni simus, sed boni non sumus quidquid steriliter sumus.* Et paulò post ibidem: *Nullô modô homines steriliter boni sunt.* Et adhuc aliquantò post, Julianum sic increpat: *Quomodo igitur, obsecro, aut jocaris in iis disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas, qui utique aut nulli sunt; aut si mali sunt, laudandi non sunt; aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt; imò & bona sunt, quoniam fructus boni sunt: & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere.* Et tandem in fine capitis prædicti declarat, bonum non esse id quod est sterile, his verbis: *Dicantur, inquit, secundùm te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quòd apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ.* Ex quibus omnibus sic inferre licet: Si aliquod esset opus moraliter bonum in infidelibus, illud esset sterile & non conducens ad finem salutis æternæ: at ex suprà dictis S. Augustini locis, nullum datur bonum sterile: Ergo nullum datur in infidelibus opus moraliter bonum.

Respondeo distinguendo minorem: Nullum datur bonum sterile, à quo dicantur homines boni simpliciter & perfectè, concedo: à quo dicantur boni secundùm quid, & minùs perfectè, nego. *Iterum distinguo:* Non datur bonum sterile ad sensum Juliani, quem ibi impugnat S. Augustinus, concedo: Aliô sensu quem vulgò propugnant Theologi, nego. Certum enim est dari aliquod bonum sterile, eô sensu, quem vulgò propugnant Theologi; nempe bonum illud, quod ex objectô, fine & circunstantiis bonum est morale, nihil tamen prodest ad salutem, quia fit absque gratia. Ejusmodi enim bonum sterile agnoscunt SS. Patres. Inter cæteros S. Ambrosius in eum Psalmi 1. versiculum: *Et bonum ejus non defluet*, ubi ejusmodi bona moralia appellat *moralis ornamenta decoris, non subsidia redemptionis.*

Et S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Christi cap. 26. ubi ait: *Quibusdam aliqua quidem bona quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem inesse posse: sed quia charitate Dei non fiunt, prodesse non posse.*

Instant. Ex S. Augustino locô mox citatô, sterilium fructus arborum non sunt laudandi: at infideles sunt arbores steriles: igitur eorum fructus, id est actus, non sunt laudandi.

Respondeo, distinguendo majorem: Sterilium arborum steriliter & infideliter operantium, concedo: secus, nego.

Vrgent, ex eodem S. Augustino: Si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt: Ergo si bona sunt opera infidelium, infideles non sunt dicendi arbores steriles, quod est contra S. Augustinum.

Respondeo, distinguendo antecedens: Si fructus sint boni simpliciter, concedo: Si boni sunt duntaxat secundùm quid, nego.

Instant iterum ex eodem Augustino: *Voluntas sterilis non est bona*: igitur opus sterile non est bonum.

Respondeo distinguendo antecedens: Non est bona omnimodè, concedo: non est bona secundùm quid, nego; hoc est, non est bona in ordine ad salutem æternam consequendam, quæ est supremum hominis bonum: sed in ordine ad honestatem moralem, & ad rectam naturalem hominis institutionem.

XXIII. Et significaverit omnia infidelium opera esse peccata.

Objiciunt 3. plures alias S. Augustini sententias, quibus videtur apertè fateri omnia infidelium opera esse peccata, eo quòd quidquid interdum boni agere videntur, malô fine id exequantur. Idque præsertim asserit librô primô de Nuptiis & Concupiscentia capite 3. *Cùm igitur*, inquit, *faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes vel sibi vel aliis, sive in his rebus, quas vitiosè concupiscant, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coercentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum vel aliter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.* Similiter lib. 4. contra Julianum cap. 3. Julianô interrogante: *Si gentilis nudum operierit, numquid quia non est ex fide peccatum est?* sic respondet, *Prorsus inquantùm non est ex fide peccatum est.* Et iterum circa ejusdem capitis finem, eundem Julianum sic alloquitur: *Intellige*, inquit, *quod ait Dominus*, SI OCULUS TUUS NEQUAM EST, TOTUM CORPUS TUUM TENEBROSUM ERIT: SI AUTEM OCULUS TUUS SIMPLEX EST, TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT: *& hunc oculum agnosce intentionem, quâ facit quisque quod facit: & disce eum qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certe, quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum, dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum Mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet hoc scio, quia ea non facit voluntas bona: Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona: dicuntur secundùm te hujusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quòd apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ.*

Respondeo 1. S. Augustinum, dum infidelium opera appellat peccata, sumere nomen *peccati* generatim & pro omni actu qui ad vitam æternam prodesse non potest, utpote facto in statu pessimo; non verò peccati nomen usurpat in strictâ & propria significatione, quatenus nempe significat actum dictamini rectæ rationis ac præscriptis legibus difformem ac contrarium.

Respondeo 2. ut plurimum quidem infidelium opera esse peccata, quia raró contingit ut reverà non sint actus regulis bene vivendi & rectæ rationi difformes; nam agere solent ex infidelitate, quæ cùm sit regula erronea, haud dubium est, quidquid ex ea procedit, vitiatum esse & peccaminosum.

Respondeo 3. idcirco infidelium opera ut plurimùm esse peccata, quia raró sibi in suis proponunt operibus rectum aliquem finem, ut ad Dei gloriam obedientiam ipsius mandatis præstent; imò plerumque agunt propter finem pessimum; quia, ut dicit sanctus Augustinus verbis suprà laudatis, vel sibi, vel aliis placere quærunt. Unde capite 3. libri 4. contra Julianum ubi pronuntiavit, operire nudum inquantùm non est ex fide, peccatum esse, statim subjicit: *Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, peccatum est; gloriari enim non in Domino est aliquid quod infideliter fit superbum, scilicet ac præsumptionem redolens*: Unde eôdem capite rationem reddens cur infideles bona malè faciant, ait: *Quia scilicet ea non fideli, sed infideli & noxiâ faciunt voluntate.* Denique dum eôdem capite ait: *Vbi non est intentio bona fidei quæ per dilectionem operatur, totum corpus plenum est nigredine peccatorum*: solùm voluit peccatum in infidelibus regnare & esse concomitanter, propter absentiam & defectum fidei, quæ est principium justificationis.

Vrgent: Quidquid infideles ex infidelitate operantur, peccatum est formaliter, & non solùm concomitanter: sed S. Augustinus testatur infideles, omnia etiam quæ videntur bona opera facere, semper agere ex infidelitate; nam lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 4. ait: *Infideles cum pudicitiæ conjugalis bonum habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt.* Ergo, &c.

Distinguo majorem: Quidquid infideles agunt formaliter ex infidelitate peccatum est, concedo: quia nempe ipsa infidelitas est mala arbor, quæ non potest bonos fructus facere: quidquid agunt in statu infidelitatis, formaliter peccatum est, nego: nec aliud voluit sanctus Augustinus; nam eôdem locô subjicit: *Eò modò ergo & illam concupiscentiam carnis quâ caro concupiscit adversus spiritum in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ:* Certum est autem fidelium nuptias non convertere, nisi dum fideliter & ex fide operantur: unde subjungit: *Habent quippe intentionem generandi regenerandos: ut qui ex iis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur.*

Vrgent: Si quòd non est ex fide, peccatum esset duntaxat concomitanter, & non formaliter, vana esset & inutilis S. Augustini adversus Julianum ratiocinatio; siquidem Julianus absque negotio admisisset reverà quidquid formaliter ab infidelitate procedit, peccatum esse: secus autem esse de cæteris operibus infidelium, quæ non sunt formaliter actus infidelitatis, sed actus virtutis, vel misericordiæ, vel justitiæ, vel temperantiæ: ergo sanctus Augustinus non solùm censet opera infidelium peccata, quatenus proveniunt ab ipsa infidelitate, sed etiam prout fiunt in ipsa infidelitate.

XXIV. Quæ fuerit sententia Juliani de operibus & virtutibus infidelium.

Nego antecedens: Julianus enim non solùm existimabat infidelium opera esse bona moraliter; sed etiam sufficere ad gratiam sanctificantem, & gloriam æternam promerendam; existimabat etiam posse hominem studiô sanctitatis accedente gratia adhærere non posse peccatis, ut testatur sanctus Augustinus præfato capite 3. lib. 4. *Contra*, inquit, *subditis atque conceditis dicentes, perfacilè igitur studio sanctitatis, quod Deus adjuvat potest carere peccatis*, hunc autem errorem impugnat illis Apostoli verbis, *Quod non est ex fide, peccatum est.*

Insuper existimabat Julianus ea opera, quæ bo-

na sunt ex objecto, etsi fierent ex fine perverso, nihilominus esse bona; quod ipsi exprobrat ibidem sanctus Augustinus, tanquam dogma pessimum & viris Christianis prorsus indignum. *Vnde*, inquit, *nisi videar calumniari ipsa tua verba, jam ponam*: (Cunctarum, *inquis*, origo virtutum in rationabili anima sita est, & affectus omnes per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus in subjectu sunt mentis nostræ: prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cùm insit omnibus naturaliter, *inquis*, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm fit in eo quod sunt, non in eo quòd aguot, sed in eo solo variant quod merentur: Nec nominis igitur sui, *inquis*, possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiverunt præmii aut amplitudine ditantur aut exilitate frustrantur. Quam Juliani sententiam velut insulsam sic refellit sancti Augustinus: *Hæc ubi didiceris nescio, jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse ut vera sit virtus avarorum prudentia, quâ excogitant genera lucellorum: & avarorum justitia, quâ graviorum damnorum metu, faciliùs sua nonnunquam contemnunt, quàm usurpant aliquid alienum: & avarorum temperantia, quâ luxuria, quoniam sumptuosa est, prohibent appetitum, sol*ò*que necessariò victu tegumentòque contenti sunt: & avarorum fortitudo, quâ, ut ait Horatius* lib. 1. Epist. 1. PER MARE PAUPERIEM FUGIUNT PER SAXA, PER IGNES: *quâ denique cognovimus quàdam irruptione barbarica ad ea prodenda quæ habebant nullis hostium tormentis potuisse compelli.* Unde concludit: *Ergo virtutes ista tali fine turpes atque deformes, & ideo nullomodò germanæ,* VERÆQUÆ VIRTUTES; *tibi tamen ita vere videntur & pulchræ, ut nec nominis sui possent, nec generis sustinere dispendium; sed solius quod appetiverunt præmii exilitate frustrentur, id est terrenorum commodorumque fructu, non cœlestium præmiorum.* Adversus autem hunc posteriorem errorem plurima alia congerit S. Augustinus, quibus significat id malum esse quod malâ, noxiâ, & infideli voluntate fit.

XXV. S. Prosper eodem modò explicandus est de operibus infidelium ac S. Augustinus.

Instant iterum: Quæ fuerit S. Augustini mens de infidelium operibus, evidentiùs patere non potest, quàm ex doctrina ejus Discipulorum, maximè S. Prosperi: sed S. Prosper apertè fatetur infidelium opera, quatenus fiunt in statu infide'itatis, esse peccata: ergo, &c. Probatur minor ex libro contra Collatorem cap. 22. *Natura*, inquit, *bonis suis malè utitur, in quibus sine cultu veri Dei, impietatibus immunditiisque vincitur: & unde se defendi existimat accusatur.* Et lib. 1. de vocatione Gentium cap. 7. *Sine cultu veri Dei*, inquit, *etiam quod videtur virtus esse, peccatum est: nec placere illud Deo sine Deo potest: qui vero Deo non placet, cui nisi sibi & diabolo placet?* Denique lib. de ingratis cap. 16.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Nomine autem hujus gloriæ sterilis quæ sibi pœnam accumulat, significat opera infidelium in statu infidelitatis elicita. Igitur, &c.

Respondeo S. Prosperum eò modò explicandum esse, quò S. Augustinum exposuimus; nimirum de opere moraliter bono, quod fit infideliter & cum aliqua præsumptione comparandæ per illud gratiæ. Siquidem Semipelagiani, adversus quos militat S. Prosper, existimabant posse hominem naturali studio ac desiderio fidei tum fidem ipsam, tum cætera dona Dei, quibus ad vitam pervenitur æternam promereri. S. verò Prosper ex adverso docet hæc opera illô superbiæ typhô ac spiritu concepta, peccata esse, in reatum verti, pœnamque potius cumulare, quàm gratiam promereri; quod evidenter explicat capite 37. supra laudata.

Si tamen hac propriâ virtute capescere quemquam
Posse putant, sitve dignus labor iste juvari
Ingenium meruisse, aiunt, bona vera petentis:
Crescere concipiunt, minuuntur; proficiendo
Deficiunt; fulgendo cadunt; currendo recedunt.

Eòdem prorsus modò explicandus est alter locus ejusdem S. Prosperi ex libro de vita contemplativa capite 3. ubi ait: *Apostolum dicendo* OMNE QUOD NON EST EX FIDE PECCATUM EST, *declarasse quod omnia bona aut ex fide gesta virtutes sint, aut si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona credenda sed vitia, quæ non juvant suos operarios, sed condemnant infestosque præcipitant atque à finibus æternæ salutis eliminant*: Loquitur enim ibi S. Prosper de intentionibus infidelium, quas non sola fidei absentia sed infidelis & noxia voluntas culpabiles reddit. S. enim Prosper satis innuit illa opera spiritûs superbiæ elici, dum ait, *Illa præcipitare inflatos*: Similiter dum addit, quod de infidelibus dixit, etiam adversus fideles torqueri posset, qui non secundùm Deum, sed secundùm hominem vivunt: tandem ejus mens luculentiùs apparet circa finem capitis, ubi insinuat se agere de Dei operibus, quæ malâ intentione ab infidelibus fiunt, dum ait: *Itaque si utcunque etiam claruit, quòd virtutes veras non videntur habere qui simulant; & illi simulant, qui non ex fide aut non propter Deum, sed propter homines tantùm boni aliquid operantur, eleemosynis ac jejuniis vel abstinentia cæterisque bonis serviendo, non ut boni fiant, sed ut se bonos hominibus fingant, nec ad recipiendam sempiternam mercedem, sed ad comparandam gloriam popularem.* Dicendum igitur eum nomine illius gloriæ sterilis quæ sibi pœnam accumulat, non aliud intelligere quàm vanam gloriam quâ infideles undique exundabant; maximè verò Philosophi, quòs idcirco *animalia gloriæ* Tertullianus appellat.

Congerunt adversarii varias aliorum sancti Augustini discipulorum sententias, quibus probare nituntur reverà infidelium opera esse formaliter peccata. Imprimis namque rem apertè definire videtur sanctus Fulgentius lib. de veritate prædestinationis cap. 18. ubi ait: *Priusquam accipiat humana voluntas fidem, punitionem per se ipsam potest mereri, non fidem;* OMNE ENIM QUOD NON EST EX FIDE PECCATUM EST, & SINE FIDE IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO. *Qui autem Deo non placet, sine dubio Deo displicet, non Deum mitigat, sed potius exacerbat.* Et lib. 2. cap. 5. *Deo non placemus, nisi velimus: sed ab ipso nobis tribuitur, ut velimus, à quo nisi voluntas hominis mutetur ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam bene appetit bonum; ac sic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero & bono nullatenus placet.* XXVI. Nec non & alii SS. Patres qui eandem materiam tractant.

Primasius ad hæc verba 14. capitis ad Romanos *Quod non est ex fide*, ait, *Non ex fide quæ per charitatem operatur; omne autem quod non est ex fide peccatum est; quicquid non ædificat non est ex fide, & ideo peccatum est.*

Beda ad caput citatum: *Omnis infidelium vita peccatum*

peccatum est, & nihil bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio æterna & incommutabilis veritatis, falsa virtus etiam est in optimis moribus.

Prudentius librô contra Joannem Scotum, cap. 4. habet. *Homo post illam damnationem habet liberum arbitrium, quò propriâ voluntate inclinari potest, & inclinatur ad malum: habet liberum arbitrium quò possit assurgere ad bonum. Ut autem assurgat ad bonum, non est propria virtutis, sed gratia Dei miserantis. Habet liberum arbitrium ut possit benè velle, ut possit benè vivere, ut possit Deo adhærere: sed ut benè velit, ut benè vivat, ut Deo adhæreat, non est sua virtutis, sed gratia Dei miserantis.*

Sanctus Remigius, & Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus epistolis cap. 22. *Verè mortua sunt opera infidelium, non solùm quando apertè vitiis & peccatis serviunt, sed etiam quando naturali bono in quantùm omnipotens Creator tribuit instigati, vel naturali lege commoniti, quadam bona opera, & velut quasdam virtutes habere atque exercere videntur; quia fidem Dei & Christi ejus vel ignorantes, vel odiô habentes, aut etiam persequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus, nec vera virtus esse potest, qua non procedit ex radice veritatis & bonitatis: dum enim illa ista qua secundùm hominem videntur esse bona opera, nequaquam verâ fide ad Dominum referuntur quem ignorant, nec propter eum agunt, sed propter quandam honestatem, quâ inter homines magni videantur, vel propter cupiditatem alicujus commodi temporalis, ipsâ impietate infidelitatis, ipsâ inflatione elationis, ipsâ perversitate cupiditatis, ita immunda & inquinata sunt omnia, ut apud Deum non virtutes, sed vitia judicentur.*

Sanctus Bernardus sermone primô de Annunciatione: *Certum est*, inquit, *ad suam originem universa quantùm in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora: Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, labimur.*

Respondeo, illos sanctos Patres intelligendos esse eô modô, quô sanctus Augustinus, nempe in infidelibus nullum esse bonum, nullasque virtutes, veras, & eorum opera esse peccata, vel quia cupiditatum pondere gravati & victi sæpissime in vitia ruunt: *vel* quia verum Deum non agnoscentes non solùm non operantur propter ejus gloriam, sed propter cupiditatem alicujus temporalis aut inanis vanitatis, quò fit, sicut mox loquebatur Ecclesia Lugdunensis, *ipsâ impietate infidelitatis, ipsâ inflatione elationis, ipsâ perversitate cupiditatis ita immunda & inquinata sunt omnia, ut apud Deum non virtutes, sed vitia judicentur. Vel* denique, dico infidelium virtutes & opera moraliter bona, dici peccata comparativè ad virtutes Theologicas & morales infusas: virtutes enim morales acquisitæ mediare videntur inter illas virtutes Theologicas ac morales infusas & vitia seu peccata. Unde cùm medium comparatum ad extremum perfectius, censeatur imperfectum; è contra verò videatur perfectum, dum confertur cum alio extremo minùs perfecto: sic tepidum comparatum calido videtur frigidum, & comparatum frigido, videtur calidum; similiter fuscum comparatum ad nigrum apparet album, videtur autem nigrum, dum juxta album apponitur: hinc est quòd virtutes morales acquisitæ, per ordinem & comparationem ad Theologicas & morales infusas, vel quæ operantur ex principio gratiæ & charitatis, dicuntur imperfectæ; è contrà verò censeri possunt perfectæ, si comparentur ad vitia quibus opponuntur. Quoniam igitur sanctus Augustinus & ejus Discipuli considerant virtutes infidelium per ordinem ad virtutes perfectas Christianorum, illasque cum istis comparant; ideo dicunt eas non esse veras virtutes, sed ementitas; & illas vera peccata, ac virtutum umbras, & similitudines apellant.

Argumentum ultimum petitum ex ratione.

XXVII

Objiciunt primò: Nullum dari potest bonum opus sine recta & perfecta intentione: Sed in infidelibus nulla potest esse recta intentio: Ergo nec ullum opus moraliter bonum. Major patet ex illo sancti Ambrosii, lib. 1. de officiis, cap. 3. *Affectus tuus nomen ponit operi tuo.* Probatur minor. Ibi non potest esse intentio recta, ubi non est fides, quæ est mentis oculus, intentionem dirigens. *Nemo enim*, inquit sanctus Augustinus super Psalmum 31. *computet opera sua bona ante fidem, ubi enim fides non erat, bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.*

Duplex esse potest intentio recta, alia in finem ultimum: alia in finem subalternum.

Respondeo, concessâ majore distinguendo minorem: Ubi non est fides, ibi non potest esse recta intentio, nec operis directio in finem ultimum supernaturalem, concedo: In finem honestum subalternum naturalem & moralem, nego: Sicut enim fides dirigit hominis intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sic etiam rationis lumen dirigere potest intentionem respectu alicujus boni honesti connaturalis homini.

Instant: Omne opus quod in finem aliquem creatum refertur, nec in Deum dirigitur, peccatum est; sed ubi non est vera Dei fides & cognitio, opus in Deum dirigi nequit: Ergo cùm in infidelibus non sit vera Dei fides & notitia, consequens est eorum opera esse peccata. Probant majorem ex sancto Augustino, lib. 4. contra Julianum lib. 3. *Quidquid boni fit ab homine*, inquit, *& non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officiô videatur bonum, ipsô non rectô fine peccatum est.*

Distinguo majorem: Quod in Deum non refertur vel explicitè, vel implicitè; actualiter aut virtualiter, aut habitualiter, peccatum est, concedo: Quod refertur implicitè, habitualiter & virtualiter, scilicet per relationem intrinsecam, quæ identificatur & velut imbibitur in ipsa entitate actûs, peccatum est, nego: Potest enim actus ad Deum referri tribus modis, ut notat sanctus Bonaventura in 2. *dist.* 41. scilicet actualiter, virtualiter, & habitudinaliter: *Primò modô*, quando quis de Deo cogitans, illum amat & in ipsius gloriam suum opus dirigit. *Secundò modô*, quô quis refert aliquod opus in Deum habens initiô operis ejus gloriam pro fine, licèt de eo non cogitet in operis successu: *Tertius modus*, est quando non præcogitatô fine ultimô, sive Deô, ex sola boni operis natura fit illius in Deum directio. Infideles autem, qui nullatenus Deum agnoscunt, non possunt equidem explicitè & actualiter suum opus in ejus gloriam dirigere; id verò possunt implicitè; nam cùm agant propter finem particularem virtutis, sicut reverà agere possunt; putà cùm eleemosynas erogant, quia ratio naturalis dictat honestum esse egenti subvenire, implicitè & virtualiter aut habitualiter opus illud referunt ad Deum; agunt quippe propter finem à Deo institutum.

XXVIII.

Potest aliquis actus in Deum referri tribus modis.

Vrgent: Si liceret agere propter aliquem alium finem, præter Dei gloriam, & actus aliquis creaturæ referri posset licitè ad aliquem finem creatum, maximè ad ipsius virtutis honestatem; atqui ex sancto Augustino, lib. 19. de civitate Dei, non licet agere propter solum finem virtutis: *Licèt enim*, inquit, *à quibusdam tunc vera & honesta putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, etiam tunc inflata aut superba sunt: & ideò non virtutes, sed vitia judicanda sunt:* Ergo nullatenus actus potest esse bonus qui ad alium finem quàm ad Deum refertur.

XXIX. Quidquid in Deum non refertur, vel immediatè, vel mediatè peccatum est.

Distinguo minorem: Non licet agere propter honestatem virtutis, tanquam propter ultimum finem, concedo: tanquam propter finem subalternum, & ordinabilem ad ultimum finem, sive virtualiter, sive habitudinaliter, nego: Priori autem sensu sanctus Augustinus ait virtutes, cùm ad seipsas referuntur, esse superbas & inflatas, quales plurimùm fuère virtutes plurium Gentilium; maximè Philosophorum, nec-non & virorum fortium, qui suis in virtutibus vel præclarè gestis, nil nisi humanam ac fugacem gloriam sapiebant: Unde sanctus Augustinus, lib. 1. operis imperfecti contra Julianum: *Audite & intelligite, fortitudinem Gentilium mundana cupiditas: fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est à nobis: sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis:* Vel ut lib. de vera religione, cap. 38. luculentiùs explicat: *Serviunt infideles*, inquit, *cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi; ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit, nolit: namquocumque duxerunt sequitur, & quisquis eas visus fuerit auferre, metuitur.*

XXX. Quàm diversæ sint Christianorum & Gentilium virtutes.

Objiciunt secundò: Si posset aliquis actus esse bonus absque gratia, sequeretur Deum non aliter concurrere ad actum malum & peccaminosum, quàm ad actum virtutis, quia ad utrumque concursu duntaxat generali, & ut naturæ Author concurreret: Sed consequens est contra doctrinam orthodoxam & Catholicam, quam acerrimè tuetur sanctus Augustinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 18. ubi probat Deum esse authorem boni operis in nobis, non verò mali: *Voluntas*, inquit, *aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo: restat ergo, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.... quocirca quòd à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc voluntas mala: quòd verò ad Deum nos convertimus, nisi ipsò excitante atque adjuvante non possumus, & hæc voluntas bona:* Ergo nullum opus bonum morale fieri potest absque gratia.

XXXI. Deus non est dicendus malæ voluntatis & operis pravi author, licèt ad ipsum concurrat.

Nego sequelam majoris: Deus enim concurrit ad actum bonum, per se, & intendendo illum directè; quia generalem suum concursum creaturis præbet, eâ intentione, ut bene eô utantur: Cùm verò actum malum nullatenus intendat, sed tantùm ejus concursus generalis determinetur ad malum finem per voluntatem creatam, quæ ipsô sibi impensô concursu generali abutitur, eum detorquendo in pravum finem à Deo non intentum; idcircò tantùm per accidens Deus ad istum malum actum concurrere dicendus est.

Instabis: Si hæc ita essent, sequeretur dæmones posse efficere opus moraliter bonum; quia vires naturæ non sunt minùs perfectæ in dæmonibus, quàm in hominibus; sed absurdum est consequens: Ergo & antecedens.

Nego sequelam majoris, & ad ejus probationem dico, vires naturales non esse quidem minùs perfectas in dæmonibus, quàm in hominibus, secundùm substantiam, ac principium physicum, transeat: secundùm statum miseriæ, in quo sunt dæmones, nego: Hic enim status prohibet ne bonum aliquod morale naturalis ordinis, ex omni parte possint efficere, quia in eo statu obstinati sunt in malo; unde fit, ut nullum actum possint elicere, quin fiat ex aliqua mala circumstantia, & ex affectu pravi finis.

Corollarium I.

XXXII. Ad actum moraliter boni exercendam voluntas non eget prævio speciali auxilio physico, ut vult, Ariminensis.

EX tribus præfatis quæstionibus, *sequitur primò* hominem lapsum sine ullo speciali actuali auxilio supernaturalis ordinis posse aliquod bonum morale exercere; subindeque minùs probabilem apparere sententiam Gregorii Ariminensis in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. ubi docet ultra omnem cogitationem & præviam motionem quæ per causas naturales fieri possit, necessarium esse aliquod auxilium speciale transiens quô physicè juvetur voluntas ut actum suum ad Deum finem ultimum referat, sine quâ relatione & habitudine actus ille nequit esse moraliter bonus.

Verùm ex dictis abundè liquet neque necessariam esse actualem illam relationem universim ad opus moraliter bonum, sed interdum virtualem & habitualem sufficere; neque opus esse ullo supernaturali subsidio, ut actus ille exeratur.

Cujus sententia expugnatur.

Primò, quia ad id sufficiunt quantumvis debilis & infirmantis humani arbitrii vires. *Quia* (ut docet sanctus Augustinus libro de spiritu & littera cap. 28.) *non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis vel sapere.* Et pauló post loquens de Gentibus, quæ cùm legem non habeant, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ait: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit: Sed pietas quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam convertentem animas.* Unde Author libri Hypognosticon, qui totus ex S. Augustini sententiis confectus est, ait, cap. 4. *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent* (id est ad beatitudinem æternam) *sine Deo inchoare aut certò peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis quàm etiam malis; bonis dico quæ de bonis naturæ oriuntur.* His adde à summis Pontificibus damnatam hanc Baii propositionem num. 61. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.* Unde meritò Lessius *lib. de auxiliis cap. 10. nu. 5.* constanter affirmat sententiam Gregorii Ariminensis unà cum Michaëlis Baii erronea doctrina, ab his Pontificibus esse damnatam. *His ad /e* ea omnia quibus in secunda quæstione probavimus gratiam non desiderari ad bonum opus morale naturalis ordinis.

XXXIII. 1. Liberum arbitrium vitiatum quidè fuit per originale peccatum, non tamen extinctum.

2. Quia sequeretur ex ea quòd actus moraliter bonus non fieret liberè.

Insuper. Si ad quodlibet bonum opus desideraretur speciale auxilium antecedens præviam motionem quæ per causas naturales fieri possit; ita quòd sine eo nullus fieri possit actus bonus, &

eò positò, non possit non fieri, ut idem Gregorius docet, sequeretur. *Primò* actum bonum non fieri liberè, quia non fieret cum indifferentia & potestate antecedente ad appetitum; siquidem voluntas præventa illô auxiliô non potest non operari. Sequeretur *secundò* eos omnes, qui benè non operantur moraliter, esse omnino impotentes ad rectè operandum, quia carent aliquô absolutè necessariô & antecedente; quod neque reipsâ habent, neque est in eorum libera potestate, ut illud obtineant: nam si possent illud habere & promereri, maximè mediante aliquô actu moraliter bonô: sed ad illum actum bonum prærequiritur tale auxilium, ut contendit Gregorius. Quapropter vel ante omnem actum bonû deberet præcedere aliquis actus bonus, quod implicat; vel tale auxilium non est in potestate operantis, nec pendet ab aliquo actu bono ejus qui eô privatur.

1. Cùm actus ille sit naturalis ordinis supponit potentiam physicè cōpletam.

Denique cùm talis actus moraliter bonus, sit naturalis ordinis, immeritò negatur vis physica completa & sufficienter potens sine illo auxilio speciali transeunte, ut voluntas possit eum actum exercere: Si quid enim illum actum improportionatum voluntati redderet, maximè bonitas moralis: sed illa non officit; imò actum reddit proportionatum voluntati; quippe cùm ejus objectum proportionatum, sit bonum morale seu rationi consonum. *Præterea* liberum arbitrium in homine lapso non est prorsus extinctum, sed duntaxat infirmum, ut suprà dictum est ex Concilio Tridentino: Ergo sicut in infirmo aliquæ supersunt vires ad actum sufficientes, licèt imperfectum: ita & in voluntate hominis lapsi manent vires sufficientes ad aliquod opus bonum & honestum moraliter faciendum: v. g. ad colendos parentes, subveniendum egenis, &c. Fundamenta Gregorii unà cum fundamentis Vasquesii infrà solventur.

Corollarium II.

XXXIV. Nec etiam ad id requiritur auxilium speciale per modum cogitationis honestæ, & congruæ, ut vult Vasquez.

Sequitur *secundò*, minùs etiam esse probabilem sententiam Vasquesii, qui *disputatione* 190. docet ad opus bonum moraliter prærequiri aliquod auxilium, non ut det posse, sed actu agere, illudque consistere censet in quadam cogitatione honesta & congrua, hoc est, attemperata genio, complexioni seu temperamento hominis, vel à Deo immissa in circumstantiis illis & occasionibus, in quibus prævidit ab æterno per scientiam mediam liberum arbitrium per illam piam cogitationem excitatum illi consensurum. Hoc autem speciale auxilium dicit esse gratiam per Christum concessam.

Cujus sententiæ fundamenta proponuntur.

Quod sit gratia sic probat: Omne donum Dei non debitum vi creationis est specialis favor & gratia, sive donum gratuitum: sed omnis cogitatio congrua, cum qua moraliter benè agitur, est ita indebita; quia homo ex natura sua non magis unam cogitationem, quàm aliam exigit: nec magis expostulat hunc verum ordinem ex quo sequitur illa cogitatio, alioqui quotiescumque aliquis malè operatur, fuisset privatus congruâ cogitatione debitâ connaturaliter. *Adde quod* illa cogitatio congrua non omnibus detur; subindéque non est connaturalis; sed ultra naturæ sortem. Quod enim est naturæ debitum, omnibus conceditur; ac proinde est gratia, quatenus *gratia* significat omne donum naturæ non debitum, sive interim donum illud sit supra naturæ ordinem; sive non. *Denique* si Deus daret homini cogitationem tantùm sufficientem, naturæ debito satisfaceret; ergo ubi præparat congruam & efficacem ad bonum moraliter honestum exercendum, facit ultra naturæ debitum: & consequenter donum illud dici debet gratuitum beneficium.

Quòd autem illud speciale beneficium ad honestatem juvans, sit *per Christum*; probat, quia ab Adami lapsu relicti fuimus in eo statu in quo non debebatur ulla cogitatio congrua: & insuper propter peccatum originale debuimus omnes illâ privari; subindeque Deus illam non concedit nisi intuitu meritorum Christi Domini Reparatoris.

Et impugnantur ac solvuntur.

Verùm impugnatur hæc sententia: *Primò*, quia cogitatio aliqua practica de bono actu moraliter, haberi potest solis naturæ viribus, ut probatum est in secunda quæstione primi articuli: Ergo & bonus affectus. Quod autem affectus ad quem inducit illa pia cogitatio sequatur vel non sequatur, illud pendet à voluntate, quæ seipsam pro libito determinat ad sequendum vel non sequendum dictamen rationis; ac proinde ad eum non opus est aliquô speciali divinæ gratiæ subsidio; quippe ad id sufficiunt liberi arbitrii vires.

1. Quia potest formari bonus affectus naturaliter sicut & recta cogitatio.

Secundò, cogitatio illa congrua de aliquo actu honesto, duo solùm dicit, nempe quòd sit cogitatio boni honesti, & quòd sit congrua seu efficax: sed ex neutro capite necessum est quòd illa sit gratia specialis Dei: Ergo, &c. Major constat. Minor verò probatur quantùm ad utramque partem: Quia illa cogitatio censeri non debet gratia, ex eo præcisè quòd fit de actu & objecto honesto; non enim adeo vitiata est humana libertas & natura, ut non possit homo propriis viribus aliquam piam & rectæ rationi consentaneam cogitationem formare, putà de honorandis parentibus, de fide servanda amicis, de colendo Deo, quem naturâ duce ac docente novit primum rerum omnium principium. Sicut enim ab objectis & phantasmatibus potest quasdam abstrahere species mali: ita & boni moralis & honesti; quia non solùm proponuntur objecta delectabilia sensibus, sed etiam honor in patentes, & observantia in amicos: ubi enim homo educatur, sustentatur, protegitur & convivit inter homines ejusdem naturæ, exinde plures habere potest cogitationes inducentes ad cultum parentum & observantiam amicorum. Quòd verò cogitatio illa de bono honesto considerata ut congrua sive ut efficax, non sit gratia specialis, etiam patet; tum quia censet idem Vasquez cognitionem sufficientem de actu & objecto honesto non esse gratiam specialem: Ergo idem sentire debet de cogitatione congrua sive efficaci. *Consequentia patet*: etenim auxilium efficax & sufficiens sunt intra eundem ordinem gratiæ: Ergo si cogitatio sufficiens de actu honesto, non censeatur vera gratia; nec pariter cogitatio efficax intra gratiæ ordinem est reponenda.

2. Pia cogitatio illa dici non debet gratia, neque quia est cogitatio boni honesti, neque quia est cogitatio congrua seu efficax.

Tertiò, peccatum originale non constituit homines obstinatos in malo, & moraliter ad bonum inflexibiles; neque omnino impedit cursum generalem & concursum rerum ac causarum secundarum tum naturaliter, tum liberè agentium unà cum generali concursu primæ causæ; ergo eô non obstante potest homo habere affectum bonæ cogitationis; quippe qui non transcendat illius vires.

3. Quia per originale peccatum homines non sunt necessariò determinati ad malum.

Nec obstat quòd peccatum originale mereri potuerit ut homines bonis naturalibus, & fortè etiam cogitationibus congruis privarentur, nec-

non & omni actione honestâ: cùm enim id reipsà non meruerit, exinde non sequitur omnem nostram piam cogitationem esse donum Dei gratuitum; alioqui etiam vita naturalis & cæteræ naturales & ingenitæ dotes dici deberent pariter gratiæ, quia eis propter, originale peccatum à Deo privari potuimus: Ergo sicut illa naturalia beneficia propriè non dicuntur gratiæ, qualiter gratiam hîc usurpat Vasquez; ita nec gratia censenda est illa cogitatio honesta, quamvis eâ propter peccatum originale meritò sicut & vita potuissemus privari.

XXXV. Cogitatio congrua ex eo non est dicenda gratia quod hîc & nunc potius quã alio tempore donetur.

Nec refert etiam quòd cogitatio congrua sequatur hîc & nunc potius quam aliô tempore & locô; aut in hoc individuo potius quàm in illo; hoc enim non semper oritur ex aliqua speciali gratia, vel causalitate Dei: sed etiam procedit aliquando ex vi ordinis causarum secundarum, suppositâ naturali earum dispositione, & adjunctô liberô usu voluntatis humanæ cum solo generali Dei concursu causis hujusmodi naturaliter debito: Hoc autem beneficium non transcendit donum creationis, nec naturalem rerum dispositionem & statum. Quia alioqui gratiæ beneficium etiam censeretur quod quilibet hominum non nasceretur cæcus, claudus, &c. erat enim possibilis alia causarum dispositio ex qua id sequeretur; sicut possibilis erat alia series ex qua non orirentur illæ cogitationes piæ. Quin etiam ipsa cogitatio duntaxat sufficiens appellanda esset gratia, quia potuit esse alius rerum ordo in quo illa cogitatio non occurreret huic & illi, cui nunc de facto contingit. Similiter ipsa generatio & naturalis complexio & indoles talis vel talis, gratia reputaretur, quia potuit esse alia rerum series, in qua vel iste non nasceretur, vel pejorem haberet complexionem & indolem: Sicque nihil prorsus esset in homine quod gratia non censeretur.

Objiciunt primò illos Scripturæ textus, quibus insinuari videtur hominem in statu naturæ lapsæ sine speciali Dei auxilio nullum opus moraliter bonum efficere posse, nec ullam congruam cogitationem habere, cujusmodi est illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et 2. Corinth. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; unde sanctus Augustinus tractatu 8. in Joannem ait: *Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

Respondeo, hos & similes Scripturæ textus intelligendos esse (ut jam sæpiùs diximus) de operibus ad salutem pertinentibus, propter quæ necessum est, ut Christo adhæreamus tanquam palmites viti, juxta illud quod eodem capite Joannis ait: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in illo hic fert fructum multum* in vitam æternam; *quia sine me nihil potestis facere*, quod scilicet ad illam proficiat.

Objiciunt secundò nonnulla Conciliorum & sanctorum Patrum oracula: *Primò* namque in Concilio Diospolitano Pelagius coactus est fateri *gratiam Dei ad singulos actus dari.* Similiter in Concilio Arausicano secundô, Canone nonô: *Quoties bona agimus Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*; id est gratia sua nos prævenit & inducit ad bene operandum: Et Canone 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia præcedit, ut fiant*: Et Canone 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: si quis autem homo habet veritatem, ab illo fonte est, quem debemus sitire.* Id ipsum sancti Patres apertè edocent; unprimis verò sanctus Ambrosius, lib. 1. de vocatione Gentium cap. 3. ait: *Si Deus non operatur in nobis, nullius possumus participes esse virtutis.* Sanctus Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli cap. 11. loquens de auxilio Spiritûs sancti quòd Pelagiani solùm ad faciliùs operandum necessarium esse volebant, ait: si illud non effudit nihil boni omnino agere nos posse: *Agis quidem* (inquit) *illô non adjuvante, liberâ voluntate: sed malè.* Et infrà: *Cùm dico tibi, sine auxilio Dei nihil agis, nihil boni dico; nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.* Ex his itaque sequitur nos nihil quidquam posse operari, absque Dei subsidio.

XXXVI. Scriptura sacra & Concilia ac SS. Patres meritò docent nos nil quidquam posse absque auxilio Dei, vel ut Authoris naturæ, vel ut Authoris gratiæ.

Distinguo consequentiam: Nihil quidquam possumus absque Dei subsidio, vel ut Authoris naturæ; vel ut Authoris gratiæ, concedo: nihil possumus absque auxilio Dei, ut Authoris gratiæ, nego; vel aliter distinguo, Nihil possumus absque subsidio Dei, ut Authoris gratiæ quod prosit ad vitam æternam, concedo: quod prosit ad honestatem societatis humanæ & morum rectitudinem, nego.

Igitur dum Concilia & sancti Patres exigunt divinum auxilium ad rectam & justam hominis operationem, loquuntur de operibus conducentibus ad salutem; sic enim Patres Concilii Carthaginensis suam mentem exprimunt in epistola Synodica, quam scribunt ad Zozimum summum Pontificem, ubi hæc inter cætera habent, *Dicamus gratiâ Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendum verum; sed etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine gratia Dei nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere & agere valeamus.* Simili modô Concilii mentem interpretatus est sanctus Prosper in responsione octava ad capitula Gallorum; *cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus gratiam Dei, &c.*

Ad Canonem autem 22. ejusdem Concilii jam respondimus, neminem de suo habere nisi mendacium & peccatum; ut plurimum, eò quòd parùm veritatis possit cognoscere & boni agere, concedo: quòd nihil omnino, nego.

XXXVII. Ecclesia ritè hortatur ut postulemus gratiã ad singulos actus.

Objiciunt tertiò: Suadet Ecclesia ut gratiam Dei expostulemus ad singulos actus bonos exercendos: Ergo ad id censet illam esse necessariam. Patet antecedens ex variis orationibus Ecclesiæ, in quibus pro omnibus nostris actionibus gratia Dei postulatur. Sic in oratione Dominicæ 6. post Epiphaniam dicitur: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita & dictis exequamur & factis.* Et in oratione Dominicæ 8. post Pentecosten: *Largire quæsumus nobis Domine, semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt, &c.* Et in illa celebri Collecta: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere.* Idipsum patet in duabus Collectis, quæ recitantur diebus singulis ad officium Primæ. Consequentia verò probatur ex sanctis Patribus, qui ex utilitate orationis, passim colligunt gratiæ necessitatem, frustràque à nobis orari dicunt; si id quod postulamus in nostra potestate situm sit; hoc enim modô ratiocinantur Patres Concilii Carthaginensis Epist. ad Innocentium seu Zozimum, nam Pelagianos asserentes ad operandam perficiendamque justitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam

sufficere posse naturam; sic arguebant: *Si enim* A *possibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis in potestate nostra sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti & fallaciter orari?*

Non ut boni fiant moraliter, sed ut proficiant ad salutem.

Respondeo primò: Idcirco nos exorare divinum auxilium ad singulos nostros actus, non solùm ut boni fiant moraliter & honesti, sed etiam ut proficiant ad salutem; ita ut ad nullum declinemus peccatum; sed semper ad Dei justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera.

Vel ut fiant perfectiùs, faciliùs & diutiùs.

Respondeo secundò, quòd licèt fiant aliqua bona opera per naturam, tamen possumus Deum exorare ut adjuvet ad illa exercenda: *Primò* quidem ut perfectiùs illa fiant intra naturæ ordinem: *Secundò*, quia non est infallibile nos ho- B nestè & benè moraliter operaturos: *Tertiò*, quia etiam non sumus diu perseveraturi sine peccato solis naturæ viribus, & fortè sumus peccaturi leviter aut graviter, nisi Deus peccandi occasiones amoveat. Nec mirum videri debet, quòd Deum exoremus pro opere naturali; nam etiam monet Ecclesia, ut Deum exoremus; & certas præscribit orationes pro consequendis terræ fructibus, aëris serenitate & amovendis tempestatibus; quæ omnia licèt eveniant secundùm cursum providentiæ naturalis, non tamen ita constanter, ut non possint aliter evenire.

Objiciunt denique: Deo gratiarum actiones rependimus pro singulis bonis operibus: sed gra- C tiarum actio est gratiæ acceptæ agnitio: Ergo supponit gratiam in omnibus nostris bonis actibus collaborantem.

Distinguo majorem: Deo rependimus gratiarum actiones pro quolibet opere bono, vel communes quæ rependuntur pro bonis naturalibus, ut pluvia, serenitate temporis, &c. vel speciales, quæ Deo debentur pro donis supernaturalibus, concedo; speciales tantùm, nego.

Corollarium III.

Non contendimus quodlibet bonū morale fieri posse, nec quovis tempore absque gratia.

Vt omnes præfatas & similes objectiones faciliùs diluantur, sciendum est quòd etsi D fateamur liberum arbitrium interdum sufficere ad aliquod bonum opus morale exercendum, nostra tamen mens non est, absque Dei auxilio quodlibet bonum opus morale fieri posse sigillatim & distributivè: plurima namque bona naturalia gravibus obsidentur tentationibus & ardua videntur, sed absque auxilio quodam divino, graves tentationes superari nequeunt, ut sequenti articulò probabitur, nec propter liberi arbitrii imbecillitatem & infirmitatem possumus aliquid arduum tentare & aggredi, nisi juvante & divinitùs auxiliante Deò: subindeque etiamsi interdum valeat liberum arbitrium ad aliquod bonum opus morale & naturale sectandum, inferendum non E est illud idem posse quodlibet bonum aggredi & exequi; nec similiter in alicujus boni exercitio diu perseverare, propter ingentes tentationes, & assiduam concupiscentiæ luctam, sensimque in prava & perversa declinantium corruptionem.

Quæstio IV.

An & quomodo gratia necessaria sit ad diligendum Deum, ut Authorem naturæ?

I. Duplex est dilectio Dei: nempe naturalis & voluntaria.

Notandum primò, Dei dilectionem esse duplicem, nempe *naturalem* & *voluntariam*. Prior est ipsa naturæ in Deum propensio ut in finem ultimum & summum bonum; quælibet enim creatura in Deum velut in suum authorem, moderatorem & finem, quodam amoris pondere propendens, insensibilia quidem motu naturali, bruta verò animantia sensitivô, creaturæ autem rationales amore intellectuali, qui propriè dicitur dilectio, eò quòd fiat cum advertentia & electione; posterior verò est ipsius rationalis creaturæ in Deum tanquam in finem ultimum & summum bonum libera & effectiva propensio.

Voluntaria dilectio alia est amicitiæ: alia concupiscentiæ, hæcque est vel licita, vel vitiosa.

Rursus, dilectio voluntaria duplex est: alia nempe *amicitiæ*, alia *concupiscentiæ*. Prior est quâ dicimur amare amicum propter ipsum, volendo ipsi bonum ipsius tantùm gratiâ: posterior verò dum id amamus quod nobis convenit: sic amore concupiscentiæ dicimur amare Deum, quando nobis eum adesse optamus, vel gaudemus. Atque hic amor concupiscentiæ duplex iterum constituitur unus *licitus*, quô Deus ut ultimus finis à nobis diligitur; alter *vitiosus* quô Deus diligitur à nobis instar medii cujusdam, propter bona temporalia, ut nempe cupiditates nostras expleat.

Insuper alia est dilectio Absoluta, alia Conditionata.

Rursus, Uterque amor tam benevolentiæ quàm concupiscentiæ adhuc est duplex, nimirum *absolutus* & *conditionatus*. Prior procedit ex absoluta voluntate diligendi Deum, dum scilicet homo sic in animo suo constituit, Volo diligere Deum: conditionatus verò qui & inefficax appellatur, procedit ex conditionata voluntate tantùm; v. g. dum homo sic statuit in corde; Vellem Deum diligere totô corde, totisque viribus, si propter id voluptatibus, delitiis ac divitiis, ut Christus Dominus indicat, non esset renuntiandum. *Denique*, absolutus amor adhuc duplex est: perfectus unus, *imperfectus* alter. *Perfectus* est quô Deus sic diligitur, ut omnibus omnino rebus præferatur cum proposito placendi ei in omnibus, etiam cum omnium aliorum bonorum jactura, qualis erat amor Pauli sic in animo suo constituentis, Romanorum 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Domino nostro Iesu Christo*; imperfectus verò est quô Deus velut naturæ author, vel justitiæ fons ac largitor diligitur, non tamen super omnia nec cæteris præfertur. Prior dicitur amor Dei super omnia, posterior verò amor Dei cum omnibus.

II. Amor Dei alius est naturalis,

Hic autem uterque amor Dei iterum est duplex: nimirum naturalis & supernaturalis. *Naturalis* est qui non solùm procedit à principio & voluntate solis viribus agente, sed etiam fertur in Deum ut Authorem naturæ ac bonorum omnium largitorem: sic Deum diligimus, quia nobis, esse vivere & vitæ bona largitus est: *Supernaturalis* pariter is est, qui non solùm cum auxilio gratiæ exercetur, sed etiam tendit in Deum ut ipsius gratiæ largitorem & gloriæ munificum datorem. *Insuper*, hæc utraque dilectio

Alius supernaturalis.

Uterque iterum duplex nempe super omnia, vel non super omnia.

dividitur in dilectionem Dei super omnia, & eam quæ non est super omnia. *Prior* est quæ Deum rebus omnibus anteponit, ita quòd paratus sit omnium potius bonorum jacturam pati, quàm quidquam Deo ingratum facere: *Posterior* verò oempe dilectio naturalis Dei super omnia, est quâ afficitur quidem bomo erga D.um, magis quàm erga cætera, propter summam ejus clementiam, sed non est paratus cætera abjicere propter servandam Dei legem, omni datâ occasione.

Amor Dei super omnia est vel simpliciter, vel secundùm quid.

Rursus, dilectio Dei naturalis super omnia est duplex: alia quidem *secundùm quid*, alia verò *simpliciter*: Prior est quâ Deus amatur ab homine in ratione boni communis præcisè; quod ut B tale debet potius amari quàm quælibet creatura, nam recta ratio præscribit, ut plus diligatur totum & booum commune, quàm pars & bonum particulare, quæ utique dilectio communis est homini cum belluis & rebus inanimatis; oec non & dæmonibus ac damnatis, unaquæque enim pars naturali quadam inclinatione operatur propter bonum commune totius, etiam cum periculo aut detrimento proprio. Manifestum est autem quòd Deus est bonum commune totius Universi & omnium partium ejus, unde quælibet creatura suô modô plus amat Deum quàm seipsam. Dilectio verò Dei naturalis super omnia C simpliciter, ea est quâ amatur sub omni ratione & perfectione quàm habet intra ordinem naturæ, ita quòd creatura rationalis propter integritatem omnium perfectionum quam in Deo deprehendit, eum plus diligat quàm cætera quæque creata, in quibus minorem perfectionem cognoscit.

Insuper est affectivus vel Effectivus.

Denique amor Dei tam naturalis quàm supernaturalis iterum duplex est, nimirum *affectivus* & *effectivus*. Affectivus est propositum voluntatis statuentis Deum super omnia diligere, ei in omnibus placere, & vitare omnia quæ possunt ei displicere. Effectivus verò est quô bomo Deum ita rebus omnibus anteponit in quibuslibet occasionibus, ut ejus mandata & præcepta impleat. D

III.

Deus amari potest super omnia tribus modis.

Notandum secundò. Deum amari posse super omnia tribus modis: nimirum vel intensivè, vel extensivè, vel æstimativè seu appretiativè. *Intensivè* quidem, quando summô voluntatis nisu diligitur, & actu ferventiore ac intensiore, quàm sit quilibet amor quô diligitur creatura. *Extensivè* autem, in ordioe ad durationem & perseverantiam amoris, dum videlicet diutiùs durat dilectio Dei, quàm dilectio cujuslibet alterius boni. *Appretiativè* tandem & æstimativè, quando ita Deus diligitur, ut pluris fiat quàm cætera bona, & eis anteponatur: sive interim cum bonis creatis comparetur in particulari, eisque præferatur, sive diligatur absolutè tanquam infini- E tum bonum, & quibuslibet aliis bonis longè præstantius. Hìc autem amor exerceri potest dupliciter, nimirum vel volendo duntaxat Deo suam inesse bonitatem & perfectionem: vel prætereà volendo ei bona creata exhiberi, putà honorem, cultum & reverentiam ab omnibus creaturis, quanquam ille bonorum nostrorum oon indigeat.

Porrò hìc non est quæstio, utrum per solas naturæ vires Deus diligi possit super omnia tam intensivè, quàm extensivè: Tum quia neuter ex istis modis diligendi Deum super omnia exigitur à nobis; etenim modus intensionis aut extensionis actûs non cadit sub præceptum: Tum quia neuter quidquam confert ad præsentis quæstio- A nis determinationem, siquidem diversa ratio intensionis aut extensionis non inducit diversitatem ordinis, atque speciei in actu: etenim actus remissior aut levioris durationis ejusdem est naturæ & ordinis cum intensiore aut diuturniore, quando maximè cætera sunt paria.

In quibus amor naturalis à supernaturali differat.

Notandum tertiò, amorem Dei naturalem à supernaturali in multis discrepare. *Primò* quidem ratione connexionis, quâ supernaturalis amor nectitur cum gratia habituali sive existenti, sive futura, sive possibili: cujus connexionis expers est amor purè naturalis: *Secundò*, quia supernaturalis amor præter activitatem naturalem liberi arbitrii requirit infusum habitum charitatis, tanquam principium efficiens ipsius cum auxiliis gratiæ in entitate supernaturalibus: naturalis verò ultra vires activas naturæ & principia naturæ debita, oon exigit principium aliquid, nec efficiens, nec formale, quod suâpte naturâ infusum sit ac supernaturale. *Tertiò*, quia ad amorem supernaturalem præcurrit oecessariò cognitio supernaturalis: ad naturalem verò oaturalis. *Quartò* denique, quia amor supernaturalis elicitus à peccatore coofert ad ejus justificationem, elicitus autem à justo ad ampliorem beatitudinem: naturalis verò oec ad justificationem, nec ad gloriam quidquam positivè juvat, sed solùm oegativè removendo obstacula & occasiones peccati. Præsens autem controversia non movetur de dilectione quæ sit quædam naturæ in Deum propensio, cùm enim hæc tam irrationalibus & insensibilibus quàm ratione utentibus creaturis sit communis, certissimum est eam absque gratia posse baberi. *Nec* de dilectione Dei ut Authoris gratiæ; nemo oamque dubitat ad eam dilectionem utpote naturæ vires excedentem opus esse gratiæ subsidio. *Nec* de amore coocupiscentiæ vitioso quo Deus diligitur tanquam medium ad obtinenda booa temporalia & quia eorum est largitor; hic enim amor inordinatus est & culpabilis, ut docet sanctus Augustinus in Psalm. 77. ubi ait, *Qui propter beneficia terrena Deum quærunt, non utique Deum, sed esse quærunt.* Solùm igitur in disputatiooem veniunt cæteri Dei amores, nempe appretiativus & intensivus, coocupiscentiæ & benevolentiæ. Hic itaque tria maximè veniunt solvenda: *Primum*, an præceptum de amando Deo naturæ viribus possit impleri. *Secundum*, quônam amore perfecto Deus amari possit naturaliter. *Tertium*, an æqualiter cætera præcepta legis divinæ ad proximum spectantia, absque ullo gratiæ auxilio impleri possint.

IV.

De qua dilectione Dei hic sit futurus sermo.

CONCLUSIO PRIMA.

V.

Deus amari potest amore purè naturali absque ullo gratiæ auxilio ut docet S. Paulus.

Deus diligi potest amore benevolentiæ naturali absque ullo gratiæ auxilio. Probatur *primò* ex illo ad Rom. 1. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Quibus sanctus Paulus Gentiles, maximè Philosophos, impietatis & injustitiæ accusat, ita *ut sint inexcusabiles* quòd verum Deum non colant, amore videlicet & observantiâ; cultus enim præcipuè in ejus amore consistit, juxta illud sancti Augustini Epist. 120. *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Si eis autem esset impossi-

bilis talis cultus atque justitia, jure possent excusari & immeritò accusarentur quòd deseruerint amorem justitiæ & verum Dei cultum: nulla enim major est excusationis ratio, quam impossibilitas: ergo manifeste supponit sanctus Paulus Gentiles posse Deum diligere: at hæc potestas, quam in eis supponit Apostolus, purè naturalis est, siquidem oritur ex notione naturali Dei, quam ex visibilibus creaturis mutuari possunt; amor autem ex notione naturali possibilis, purè naturalis est; notio enim naturalis non potest movere ad amorem supernaturalem: igitur, &c.

Confirmatur hæc nostra ratiocinatio testimoniô sancti Ambrosii, qui expendens præfatum contextum, ait: *Ex ipsa cæli fabrica iratus illi videtur Deus; ideirco enim tam pulchra astra condidit, ut ex his quantus & quàm admirabilis est Creator eorum possit agnosci; & solus adorari; per naturalem ergo legem reum facit genus humanum: potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi testificante, authorem solum Deum diligendum, quod Moïses litteris tradidit.* Quibus verbis sanctus Ambrosius significat infidelem, qui Deum non colit, idcirco reum injustitiæ accusari; quia notione naturali hausta ex fabrica creaturarum potuit apprehendere authorem solum Deum amandum, & lege naturali obligatur ad ejusmodi dilectionem & amorem justitiæ.

Ipsi concinit sanctus Prosper lib. 1. de vocatione Gentium cap. 5. scribens: *Secundum Scripturam credimus & piissimè confitemur, quòd nunquam universitati hominum divina Providentiæ cura defuerit. Quæ licèt exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut Propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde & inexcusabiles facti sunt, qui Deos sibi dona fecerunt, & quæ creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum.* Censet igitur sanctus Prosper cum sancto Paulo inexcusabiles infideles, qui creaturis deferunt cultum Creatoris; cum ex creaturarum naturali testimonio sufficientia habeant principia ad verum Dei atque justitiæ cultum & amorem, ad quem promovent populum fidelem Propheticæ voces & eloquia Scripturarum.

Eadem veritas denuò insinuatur ab eodem Apostolo Act. 14. ubi sermonem faciens de Gentibus, ait: *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibò & lætitiâ corda nostra.* Ubi per *testimonium*, quod Deus Gentibus reliquit interiùs movens corda & ad obligationem orationis & dilectionis obsignans, significat rationem, quæ ex creaturis veritatem & beneficentiam Creatoris colligit, ut exinde ad ejus amorem & cultum stimulet. Quò etiam pertinet illud. Act. 17. *Definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Deum si fortè attrectent eum aut inveniant.* Quibus sanctus Apostolus declarat ex dispositione naturali temporum & rerum posse Gentiles, non solùm Deum quærere; sed etiam amore & cultu velut attrectare atque invenire: *Nam*, inquit sanctus Prorsper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 4. *Cælum cunctaque cælestia, mare & terra, omniaque quæ in eis sunt consonò speciei suæ ordinationisque concentu protestantur gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ majestatem sui loquuntur authoris.*

VI.
Concilia decernunt,

PROBATUR SECUNDÒ authoritate Conciliorum, quæ dum definiunt gratiam necessariam ad diligendum Deum, non absque consilio, sed notanter adjungunt has particulas (*prout opportet ad salutem*, aut *ad vitam æternam*, aut *ad justificationem*) quibus significant possibilem esse dilectionem Dei, quæ non conferat ad salutem, quæque purè sit naturalis, & fiat absque ullo gratiæ auxilio. Sic autem loquitur Concilium Arausicanum secundum, maximè Can. 25. *Nullus*, inquit, *diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, potest, nisi gratia eum aut misericordia divina prævenerit:* Similí modô loquuntur Patres Concilii Africani apud Prosperum in Responsione ad cap. 8. Gallorum: Sic pariter Tridentinum Sessione 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ex quibus sic argumentari licet: Phrases Theologicæ, quæ in definitionibus Conciliorum inveniuntur, eô modô eôque sensu intelligendæ sunt, quô communiter à Theologis accipiuntur: At hæc phrasis (*prout oportet*) sic accipitur à Theologis, ut significet possibiles actus moraliter bonos naturales, qui non fiunt sicut oportet, nec gratiam requirunt, & à quibus actus salutares, qui gratiam vendicant discernuntur: ergo Concilia supponunt possibiles actus dilectionis Dei naturalis.

VII.
Su : mi Pontifices definiunt,

PROBATUR TERTIÒ, ex definitione summorum Pontificum, qui has propositiones Baii damnârunt, nempe hanc numerô 34. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quô Deus diligitur, ut author naturæ, & gratuiti quô Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia.* Item propositionem 37. *Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria crucis Christi, defenditur à nonnullis authoribus.* Rursus propositionem 39. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Constat ergo admittendum esse aliquem amorem Dei naturalem & solis liberi arbitrii viribus conceptum.

VIII.
SS. Patres 'affi : mant : maximè S. Basilius.

PROBATUR QUARTÒ hæc eadem veritas authoritate sanctorum Patrum; nam sanctus Basilius homil. 9. *Quòd Deus non sit Author malorum*, ait: *Unde iniquus est homo? Ex ipsius liberâ voluntate. Unde malus diabolus? Ex eadem pœnitus causa: habebat enim & ipse liberam vitam & insitam sibi potestatem aut Deum sequendi, aut à bono discedendi:* Quibus significat oobis insitam esse naturaliter potestatem Deum sequendi; sequimur autem Deum diligendo & colendo.

S. Gregorius Nyssenus.

Ipsi concinit sanctus Gregorius Nyssenus Cathec. 5. *Opportebat omnino nostræ naturæ constructionem*, inquit, *ut per vim sibi insitam cognosceret id quod est supremum, ut teneretur desideriô divinæ æternitatis.* Quibus refert in ipsam constructionem naturæ & vim ei insitam Dei notionem & desiderium æternitatis.

S. Augustinus qui docet homini inesse naturalem & innatum appetitum ad amorem Dei.

Huic potissimùm veritati adstipulatur sanctus Augustinus: *Primò* namque docet homini inesse naturalem inclinationem & innatum appetitum in amorem Dei: sed innatus appetitus non potest ferri in amorem supernaturalem; subindeque versatur circa amorem & dilectionem Dei naturalem. Minorem admittunt adversarii. Major autem probatur ex illo libri 1. Confessionum cap. 1. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor*

nostrum, donec requiescat in te. Quæ inquietudo nascitur ex ipsa creatione & conditione naturæ rationalis, quæ sicut ad amandum Deum creata est, ita nec potest in ullius rei creatæ amore conquiescere, non magis ac lapis extra suum centrum.

2. Homini esse naturale ut Deo per dilectionem adhæreat.

Secundò, juxta sancti Augustini doctrinam, naturale est rationali creaturæ adhærere Deo per dilectionem; sed ita adhærere non optaret, nisi talis amor ei esset naturalis: ergo, &c. Patet major illis omnibus locis, quibus significat vitium idcirco esse naturæ malum, quia ipsam separat à Deo, cui adhærere conveniebat. Sic maximè lib. 12. de civitate Dei, cap. 1. *Cùm vitium creaturæ rationalis dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertè declaratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat convenire.* Igitur cùm recedere à Deo sit vitium naturæ, ipsius naturæ perfectio est Deo per dilectionem adhærere.

3. Quia approbat sententiã Platonicorum asserentiũ beatitudinẽ constituendam esse in amore & cognitione naturali Dei.

Denique, mens sancti Augustini potissimùm deprehenditur, quia probat celebre Philosophorum Platonicorum placitum, qui docebant beatitudinem naturalem hominis in hac vita, constitutam esse in contemplatione & amore Dei: sed illi Philosophi non alium Dei amorem, quàm naturalem & ex solis naturæ viribus oriundum agnoscebant: ergo cum eis supponit sanctus Augustinus amorem Dei in entitate naturalem, & ex solis principiis naturæ possibilem. Major patet, illi namque Philosophi omnis fidei infusæ & gratiæ in entitate supernaturalis ignorantes fuerunt. Probatur minor ex eodem sancto Augustino l. 8. de civitate Dei cap. 5. *Si ergo*, inquit, *Plato Dei hujus imitatorem, cognitorem amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione beatus fit, quid opus est excutere cæteros? quorum nulli nobis quàm isti propiùs accesserunt:* Et lib. 10. cap. 1. de iisdem Platonicis sermonem faciens, ait, eos negare *quemquam futurum beatum, qui non illi uni optimo, qui est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhæserit:* Ergo menti & doctrinæ sancti Augustini conforme est possibilem esse amorem Dei in entitate naturalem.

Reponunt adversarii, illum amorem, in quem beatitudinem hujus vitæ retulerunt Philosophi, ab eodem Augustino supernaturalem censeri; quippe in ipsam gratiam illum revocat, nam lib. 11. cap. 25. ex Platonis mente Deum prædicat *amoris, quò bene beatéque vivitur, inspiratorem & suavitatis intimæ largitorem.* Et lib. 22. cap. 22. refert ex Tullio *nullum datum à diis esse donum majus, nec potuisse dari quàm hunc amorem.*

Contrà Beneficium in quod hunc amorem revocârunt Philosophi non est ordinis supernaturalis, sed naturalis pertinens ad creationis gratiam, & Deum ut authorem & provisorem naturæ: Quod utique colligitur

Non enim agit de amore supernaturali.

Primò, quia eôdem modô locuti sunt Platonici de sapientia & cognitione Dei, ac de ejus amore; Sapientia autem & cognitio Dei quam habuerunt, fuit in entitate naturalis, ut pote vel per ingenitum lumen, vel per discursum naturalem, à creaturis comparata. *Secundò*, hoc ipsum docet sanctus Augustinus eôdem cap. 25. ubi ait: *Quia natura nostra ut esset, Deum habet Authorem; proculdubio ut vera sapiamus, ipsum debemus habere Doctorem; ipsum etiam ut beati simus, suavitatis intimæ largitorem.* Quibus significat nos eôdem modô accipere à Deo ipsius amorem & notitiam, quô habuimus naturam: at natura collata fuit à Deo ut Authore naturæ: ergo ab eodem proficiscitur ille amor, quem A Platonici ad beatitudinem requirebant.

Et consentiunt S. Fulgentius,

Sanctissimo Doctori subscribunt ejus discipuli, nam sanctus Fulgentius lib. de fide cap. 3. *Deus*, inquit, *diligendi ac cognoscendi se nonnisi Angelis & hominibus indidit facultatem. Quibus propter arbitrii libertatem, quæ maximè debuit intellectuali creaturæ conferri, ita cognoscendi ac diligendi se facultatem voluntatemque donavit, ut eam unusquisque & habere posset & perdere.* Quibus verbis declarat potestatem concessam à Deo diligendi se eôdem modô, quô concessa fuerat potestas se cognoscendi: sed potestas cognoscendi Deum competit solis naturæ viribus, ergo & potestas eum diligendi.

S. Prosper,

Concinit sanctus Prosper lib. 2. de vocatione B Gentium cap. 4. ubi ait: *Cœlum quippe, ac terra, & mare omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot donorum, de perceptione tot munerum, ad cultum, & dilectionem sui imbueretur authoris:* Igitur sanctus Prosper existimat finem præcipuum condendi creaturas corporeas, non esse hominis utilitatem temporalem, sed spiritualem, & honestam, quæ de cultu & dilectione authoris naturæ, quam omnia creata provocant, percipitur.

S. Anselmus.

Subscribit sanctus Anselmus in Monologio cap. 66. *Nil aptius*, inquit, *quàm rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam, & C super omnia bona amet, sicut ipsa est summum bonum, immò ut nil amet nisi illam aut propter illam:* Igitur amor Dei & creaturarum propter Deum, est finis naturalis ipsius animæ rationalis, subindéque per amorem naturalem, tanquam medium congruum obtinendus.

IX. Suadet etiam Ratio Theologica.

1. Quia id homo potest amare naturaliter, quod naturali ratione potest nosse.

PROBATUR DENIQUE RATIONE THEOLOGICA: Illud voluntas amare potest naturaliter, quod intellectus naturæ viribus potest cognoscere: sed intellectus potest cognoscere Deum solis arbitrii viribus: ergo & voluntas potest illum amare. Major constat authoritate sanctorum Patrum, D nam sanctus Athanasius tractatu de definitionibus columnâ 3. *Quidquid intelligit*, inquit, *constat quod etiam voluntate ducatur.* Sanctus Fulgentius ad Monimum cap. 18. *Nec inesse potest ullatenus ratio, nisi ei posset inesse creatoris dilectio.* Sanctus Damasc. de duabus voluntatibus Christi: *Homo*, inquit, *quâ rationis particeps est, rationem ducem in appetendo sequitur. Est igitur voluntas naturalis quadam appetitio rationis sensuique consentanea, quæ solùm naturalibus accommodatur, natura autem voluntates, sunt primùm ut Dei legibus pareamus; naturâ enim homo Dei servus est.* Constat igitur potestati intelligendi annecti potestatem naturalem volendi bonum quod intelligitur.

2. Quia Deus rationi naturali apparet magis diligibilis quã cætera bona.

Secundò, Lex naturalis præcipit & consulit di- E lectionem Dei præ omnibus bonis creatis, quia Deus innotescit naturali ratione præ illis omnibus amore dignus: sed nativa lex non potest præcipere nec consulere amorem impossibilem, qualis esset amor Dei seclusô gratiæ beneficiô, si ille non esset naturalis: ergo reverà talis Dei amor naturalis concedendus est.

3. Quia naturale est amore prosequi parentes, amicos, benefactores.

Tertiò, Amore benevolentiæ naturali prosequimur parentes, benefactores & amicos: ergo pari jure possumus Deum diligere. Consequentia patet; siquidem ratio purè naturalis motiva potest suggerere voluntati, quibus efficaciùs excitetur ad diligendum Deum, quàm ad amorem parentum, benefactorum & amicorum: sive enim naturalia

beneficia prætendas, sive bonorum communionem spectes, sive vincula, quibus aliis hominibus adstringimur observes; altiora multò sunt quæ ratio naturalis, in Deo ad provocandum ejus amorem, investigare & assequi potest. Ergo si motiva humana possunt à voluntate creata amorem benevolentiæ adeo efficacem obtinere, ut interdum commoda temporalia, immò etiam & vitam ipsam interdum pro parentibus & benefactoribus contemnamus, cur negabimus motiva divina ratione naturali proposita eundem amorem obtinere posse?

Objicies primò. Scriptura sacra nullius amoris Dei meminit, nisi illius, qui ex charitate est, quique ad æternam vitam perducit: sed ille non est naturalis: ergo nullus Dei naturalis amor ex sacra Scriptura admittendus est.

X. Scriptura sacra non meminit solius amoris Dei supernaturalis: sed etiã naturalis.

Respondeo primò, negando majorem; nam ex prima hujusce conclusionis probatione constat, sanctum Apostolum sufficienter amorem Dei naturalem designasse, dum ait Gentes esse inexcusabiles, quòd Deum naturaliter noverint, non autem coluerint adorando & amando.

Respondeo secundò, distinguendo majorem: Scriptura sacra illius amoris Dei naturalis, non meminit, explicitè & expressè, concedo; implicitè & virtualiter, nego: *Adde quòd* Scripturæ sacræ finis ac scopus præcipuus sit, amorem Dei supernaturalem hominibus commendare; propterea quòd ille solus Deo sit dignus, solusque ad ejus possessionem & fruitionem perducat, unde solius illius amoris supernaturalis expressè meminit.

XI. Quid senserit S. Augustinus de Amore Dei.

Objicies secundò varia sancti Augustini testimonia, quibus quinque præcipuè capita videtur astruere. PRIMUM quidem est quòd amor benevolentiæ Dei sit purus & castus, quô Deus gratis & absque spe ullius lucri diligitur: sed iste amor solis viribus naturæ impossibilis est: quia ad eum spiritum gratiæ desiderat sanctus Augustinus, ut constat ex Commentario in Psalmum 118. sermone 3. & lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Ipse Deus*, inquit, *adest & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ & molestiæ perferendæ; hoc enim totum rectè fit quando fit propter ipsum; id est, quando gratis amatur ipse; qualis amor nobis esse non potest, nisi ab ipso.*

SECUNDUM est, quia qui diligit Deum, diligit veritatem & rectitudinem: Deus enim est omnis virtutis rectitudo & veritas, ex sancto Augustino lib. 2. de libero arbitrio, cap. 10. veritas autem & rectitudo moralis diligi non potest absque spiritu gratiæ; ut idem docet pluribi; maximè lib. de correpr. & gratia cap. 2. *Quando id agunt homines sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem, quam dedit Dominus se accepisse gaudeant.*

TERTIUM est, quòd quidquid non fit ex timore pœnæ, fit ex amore justitiæ & veritatis, qui amor charitas est ex Deo, ut docet lib. de spiritu & littera cap. 14. ubi postquam dixit necessarium esse homini Spiritum sanctum, quô fiat in animo ejus delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni quod Deus est à quo habet ut sit, subjungit: *Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via, & cùm id quod agendum & quò nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.* Posteà ostendit hunc amorem esse charitatem quæ est ex Deo: *Vt autem*, inquit, *diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per*

A *liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

QUARTUM est quòd secundùm ejus doctrinam omnis voluntas aut bona sit aut mala: & omnis voluntas bona sit ex gratia. Ita docet lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Si ergo*, inquit, *voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non habemus à Deo; restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.*

QUINTUM, quia una ex capitalibus inter Pelagium & Ecclesiam Catholicam controversia fuit, utrum diligi possit Deus super omnia per solas naturæ vires; quod utique negabat sanctus Au-
B gustinus lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 18. *Vnde*, inquit, *est in hominibus charitas Dei & proximi nisi ex ipso Deo? nam si non est ex Deo sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos:* Ergo ex sancto Augustino nullus est amor Dei naturalis.

Nego consequentiam, & ad omnes illos præfatos contextus dico sanctum Augustinum nihil aliud intendere, quàm omnem Dei amorem conducentem ad salutem, non nisi Deô conferente & inspirante haberi posse; ibi enim solùm agit de amore salutari, ut colligere est: *Tum quia*, de aliis virtutum actibus, ad quos gratiam auxiliantem desiderat, semper in ea acceptione contra Pelagianos disseruit; illi namque non aliô sensu virtutum actus solis naturæ viribus tribuebant,
C quàm salutares & meritorios vitæ æternæ: ergo multò magis sermonem faciens de amore benevolentiæ divinæ, qui omnium perfectissimus est, solùm censendus est loqui de amore salutari. *Tum quia* Pelagiani nullum agnoverunt amorem Dei non salutarem & meritorium, quantumvis solis naturæ viribus elicitum; sed omnem etiam naturalem amorem profitebantur salutarem: idcirco totus Augustini scopus fuit stabilire necessitatem gratiæ ad omnem actum salutarem & meritorium. *Tum denique quia* sanctus Augustinus duntaxat sermonem facit de amore, quem Scriptura sacra commendat; hic autem supernaturalis est; utpote ducens ad Dei possessionem; unde idem
D Augustinus sui ipsius interpres, lib. 4. contra Julianum, cap. 3. ait: Amor, quô pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre, per Jesum Christum cum Spiritu sancto.

Vrgebis: Sanctus Augustinus charitatem infusam & amorem Dei continuò reciprocat, charitatem definiens solùm per amorem Dei, ut constat ex sermone 13. & 15. de verbis Apostoli; charitas autem amor supernaturalis est: ergo nullum alium sanctus Augustinus agnovit.

Respondeo, sanctum Augustinum idcirco charitatem, per amorem Dei definire, quia nempe cùm solùm dissereret de amore salutari, non distinguebat amorem Dei in naturalem & supernaturalem; sed solùm supernaturalem commendabat, qui reverà à charitate non distin-
E guitur, adeoque meritò possunt per invicem definiri.

XII. Quare S. Aug. charitatem per amorem Dei reciprocaverit.

Objicies tertiò; Si bonitas Dei posset amari amore naturali & supernaturali, etiam veritas revelans Dei posset credi fide naturali & supernaturali, cùm sit par utriusque ratio: at veritas Dei revelans non potest credi fide naturali: ergo nec bonitas amari amore naturali.

XIII. Possumus assentiri divinæ revelationi, assensu duntaxat naturali.

Nego minorem: Primæ namque veritati revelanti possumus assentiri, non solùm assensu supernaturali, sed etiam naturali; & reipsà ita assentiuntur hæretici mysteriis fidei non controver-

sis à se creditis; illi namque non habent habitum fidei supernaturalem, ut patebit in tractatu de fide.

Objicies quartò: Si possibilis amor esset Dei naturalis, posset ille haberi absque gratia habituali justificante; siquidem talis gratia non est principium elicitivum amoris naturalis: sed consequens est falsum, quia si potest esse amor benevolentiæ naturalis hominis ad Deum, etiam posset peccator in peccato manens amicus Dei fieri; hoc autem absurdum est: Deus enim peccatores non diligit, sed odiô habet.

XVI. Peccator potest esse amicus Dei imperfectè, si Deum amore naturali diligat.

Distinguo minorem: Homo in peccato manens est amicus Dei, secundùm quid & imperfectè, quatenus nempe Deus diligeret bonum aliquod naturale prout est *naturæ* author, concedo: Amicus perfectè & absolutè, itaut Deus velit ipsi suam fruitionem & possessionem, nego. *Adde quod* absurdum non sit hominem Deum diligere amore naturali, qui sufficiat ad amorem amicitiæ illius cum Deo, quin homo redametur à Deo eodem amore amicitiæ propter maculam & fœditatem peccati; non enim raro inter homines contingit, ut qui graviter alium offendit, offensum amore amicitiæ diligat, quin offensus eum redamare velit.

XV. Qualiter amor amicitiæ possit esse inter Deum & homines.

Objicies quintò: Nullus amor amicitiæ potest esse inter Deum & hominem, ut docet Aristoteles 8. Ethic. atqui omnis amor benevolentiæ est amor amicitiæ: ergo nullus potest esse amor benevolentiæ, inter Deum & homines.

Respondeo primò, distinguendo majorem: Nullus potest esse amor amicitiæ inter Deum & homines, si amicitia sumatur strictè, pro benevolentia mutua & aperta & inter pares, concedo: si sumatur in latiori significatione pro amore, quô quis alteri bene vult propter ipsum, nego: siquidem Deo velle possumus omnia bona, quæ sunt illi interna, & naturalia per complacentiam, nec-non externa ei desiderare, putà gloriam, laudem & cultum.

XVI. Amicitia & benevolentia interdum discrepant.

Respondeo secundò, negari posse minorem: Etsi enim benevolentia & amicitia interdum pro uno eodemque usurpentur: inter illa tamen hoc discrimen intercedit, quòd amicitia includit unionem aliquam affectûs erga rem amatam; unde amans tendit in amatum, tanquam in aliquid sui & ad se pertinens, sive tanquam alterum ad se; hinc tritum illud, *Amicus est alter ego*: at verò benevolentia dicit tantùm simplicem affectum erga alium, quô ei bonum aliquod optamus; quod utique contingere potest, etsi inter nos & illum verus amor non intercedat, quô eum secundùm se diligamus; sic v. g. dum histrionem meliùs partes suas exequentem conspicimus, amplius ei præmium optamos; quamvis tamen nullô verô amore illum secundùm se diligamus; imò etiam eum hominem infamem contemptui habeamus.

Objicies sextò: Natura inclinat tantùm ad bonum, ut sibi conveniens & unicuique proprium, ut docet Aristoteles suprà laudatô locô: atqui amor quem haberemus circa Deum, non esset circa bonum proprium, sed commune: ergo iste amor non est naturalis homini.

XVII. Natura fertur etiam circa bonũ commune, quatenus conveniens est particulari.

Distinguo majorem: Natura inclinat ad bonum cuique proprium, hôc sensu quòd nihil ametur, nisi sit nobis aliquâ ratione conjunctum & ad nos pertinens, concedo: quasi nobis esset particulare & in usum proprium tantummodò cedere deberet, nego: nam & matres filios suos honestà di-

A lectione prosequuntur, etiamsi ab eis nihil utilitatis sperent vel expectent.

Objicies denique: Si posset esse amor benevolentiæ naturalis hominis ad Deum, posset peccator in peccato remanens esse amicus Dei: sed falsum consequens: ergo & antecedens.

Distinguo majorem: Poterit esse amicus Dei secundùm quid, & imperfectè, inquantùm Deus diliget in eo bonum quoddam naturale, concedo: amicus Dei perfectè, & itaut Deus velit ipsi bonum supernaturale, nego: Nam hanc amicitiam Dei perfectam nemo habet, nisi justus & sanctus.

B

Conclusio Secunda.

XVIII. Potest homo naturaliter diligere Deum super omnia.

Potest homo naturæ viribus diligere Deum super omnia: Non quidem amore efficaci & effectivo perfectè & in quibuslibet occasionibus: sed affectivo & per aliquod breve temporis intervallum omni gravium perturbationum motu vacuum.

Quod egregiè probat Doctor subtilis rationibus.

Probatur prima pars à Doctore *in* 3. *dist.* 27. *num.* 13. Primò quidem, ratio naturalis dictat inter intelligibilia esse unum summè diligibile; & consequenter diligibile plusquam cætera omnia: sed eadem ratio dictat illud summè diligibile esse Deum: ergo eadem ratio dictat Deum esse diligendum super omnia: atqui voluntas potest naturaliter & absque ullo habitu supernaturali C super omnia diligere id quod per rationem naturalem proponitur summè diligibile: ergo voluntas potest naturaliter Deum diligere super omnia. Major argumenti constat. Cùm enim in objectis diligibilibus sit ordo quidam & gradus perfectionis; ita quòd unum altero censeatur perfectius diligibile; ne fiat progressus in infinitum, debet admitti aliquod summè diligibile & omnem in se diligibilitatem & perfectionem continens. Minor etiam est evidens: nempe quòd illud objectum, quod ratio naturalis demonstrat esse summè diligibile, sit Deus; quia aliàs sequeretur quòd charitas inclinaret ad summè diligendum illud quod D ratio naturalis dictaret non esse summè diligendum. Probatur autem subsumptum: Si voluntas non posset diligere quidquid per intellectum proponitur diligendum eô modô quô diligendum exhibetur, sequeretur quòd non haberet libertatem ad illam dilectionem formandam, & consequenter, quòd non esset malum si naturaliter diligeret aliquid aliud plusquam Deum; non enim peccatum ipsi deputaretur quòd diligat se plusquàm Deum, si non posset Deum naturæ viribus plusquàm se diligere.

Probatur secundò: Si non posset quis absque habitu infuso Deum super omnia diligere, sequeretur quòd aliquis ubi experiretur se Deum plusquam cætera diligere, posset deprehendere, E se habere habitum charitatis infusæ; & consequenter quòd sit in statu gratiæ: sed hoc apertè militat in Scripturam sacram pluribi significantem; quòd *nemo sciat utrum amore vel odio dignus sit*: adeoque opportet quòd dilectione naturali & absque ullo habitu infuso, creata voluntas possit Deum super omnia diligere.

Probat tertiò: Quia secundùm Philosophum 9. *Ethicorum cap.* 9. fortis politicus debet se morti exponere pro salute reipublicæ, cujus est membrum; & consequenter debet magis amare rempublicam quàm seipsum; sed recta ratio non magis dictat, quòd aliquis debeat se morti exponere propter salutem Reipublicæ, aut quòd debeat

illam diligere plusquam se, quàm quòd debeat exponere se mortis periculo propter Deum, & eum magis amare quàm seipsum: ergo ratio naturalis dictat Deum esse amandum plusquam seipsum. Sequela patet: Neque enim certa ratio poterit dictare voluntati id esse faciendum, quod ipsa voluntas nequit facere. Major etiam constat: Nam recta ratio suadet partem esse exponendam periculo pro obtinenda salute totius, membrum amputandum pro conservanda sanitate aliarum partium corporis: igitur etiam hominem fortem stimulat ut morti sese constanter objiciat pro conservanda republica & ejus pace ac incolumitate tuenda.

Probatur quartò: Duobus modis auxilium gratiæ necessarium cogitari potest ad aliquem actum eliciendum. *Primò*, ut principium illius physicum; quando voluntas ex se intrinsecè non habet vires sufficientes ad ejusmodi actum, sed est illi improportionata. *Secundò*, ut principium morale impedimenta removens: quando voluntas ex se quidem habet sufficientes vires naturales ad effectum illum: quoad usum tamen, sive exercitium operis, non potest illas veluti explicare propter impedimenta occurrentia, quæ ut tollantur aut vincantur, eget auxiliô. Neutrum autem hîc dici potest: tum quia ille actus est in se naturalis, & non superat internam facultatem liberi arbitrii; tum quia in usu illius non semper occurrunt difficultates, quæ gratiam postulent ad eas superandas: ut v. g. in amore concupiscentiæ, quô Deus amatur ut bonum nostrum per modum simplicis complacentiæ, aut desiderii efficacis, aut conditionati, vel sine consideratione difficultatum, quæ in illius boni efficaci prosecutione occurrunt; hic enim amor nullam habet difficultatem, quæ gratiam requirat. Idemque dico de amore benevolentiæ sive amicitiæ, quô Deus amatur, ut in se bonus ratione sui, atque etiam ut summè bonus & excellens super omnia: complacendo sibi in bonis divinis, ac ideo volendo suam summam excellentiam, & omnia bona interna & externa expectata confusè & abstractè à difficultatibus, atque etiam aliquatenus volendo illi placere in omnibus, infirmâ quâdam & imperfectâ tacitéque limitatâ voluntate. His incommodis potest veluti obiter amari Deus etiam aliquatenus super omnia confusè, absque difficultate naturaliter insuperabili.

XIX. *Potest aliquis naturæ viribus velle diligere Deum super omnia, quavis in occasione, etsi illud non possit implere.*

Objicies primò: Non potest voluntas per vires suas naturales efficaciter velle id quod præstare per easdem vires non potest: atqui non potest voluntas in effectu Deum diligere super omnia, ut authorem naturæ propriis viribus in statu naturæ lapsæ: ergo neque potest concipere per naturæ vires propositum diligendi Deum super omnia.

Respondeo negando majorem: Nam sicut Rex aliquis potest velle efficaciter, seu habere propositum efficax consequendi victoriam per seipsum, licèt non possit reverà victoriam obtinere, sine militum suorum auxilio, vel alicujus principis potentioris: ita potest homo naturaliter velle semper diligere Deum super omnia secundùm affectum, etsi nequeat in effectu sine gratia Dei diligere Deum super omnia, atque eum rebus omnibus in quibusvis occasionibus præferre.

Objicies secundò: Actus præstantissimus humanæ voluntatis propriis ejus viribus fieri nequit: atqui dilectio Dei super omnia, est actus præstantissimus humanæ voluntatis: ergo naturali ejus

A voluntate fieri non potest.

Distinguo minorem: Dilectio Dei ut authoris gratiæ & gloriæ, est actus præstantissimus humanæ voluntatis, concedo: ut authoris naturæ, nego: *Vel aliter*, est præstantissimus inter actus naturales, concedo: inter omnes ejusdem voluntatis actus cujuscunque sint ordinis, nego.

Instabis: Plerique actus inferiores dilectione Dei sine gratia fieri nequeunt: v. g. actus fortitudinis cujusdam heroicæ, dilectio inimicorum, &c. ergo multò minùs dilectio Dei potest absque gratia elici.

XX. *Qualiter amor Dei sit actus præstantissimus.*

Distinguo antecedens: Illi actus fieri nequeunt propter difficultates illis annexas, concedo: ob rationem objecti, nego: sublatis enim difficultatibus emergentibus ab extrinseco, naturalius est, proindéque facilius Deum diligere, quàm cætera omnia; quia quò plus aliquid habet veritatis, & ad nos aliquatenus pertineat, in id naturali & majori impetu voluntas tendit.

Objicies 3. Si posset quis naturæ viribus Deum diligere, posset etiam eâdem virtute omnia ejus præcepta observare: siquidem mandatorum observantia, dilectionis est argumentum: sed nullus potest omnia divina præcepta observare naturæ viribus: ergo nec ita Deum diligere.

XXI. *Amor affectivus Dei super omnia non semper infert præceptorum impletionem sed tantùm effectivus.*

Distinguo majorem: Si Deum super omnia diligeret amore tam affectivô, quàm effectivô constanter, perfectè, & omni datâ occasione, concedo: si tantùm Deum diligat amore affectivô, nec-non & effectivô duntaxat imperfectô, nego: Deus autem naturæ viribus diligi non potest effectivè, constanter, in quibuslibet occasionibus, ut probabit.

XXII. *Deus non potest diligi super omnia constanter amore naturali.*

Secunda pars conclusionis: Nam ut Deus constanter & efficaciter diligatur, oportet ut contra quævis impedimenta & quascunque difficultates amor ille firmiter teneatur; ita quòd voluntas parata sit absolutè & efficaciter quantum est de se, Deo in omnibus placere, omniaque ei displicentia devitare; sed talis amor haberi nequit naturæ viribus; sicut enim homo in statu naturæ corruptæ habet D moralem impotentiam ad diu servanda divina mandata, & tentationes supernaturaliter vitandas; sic & ad diligendum Deum efficaciter & constanter; atque etiam tam perfectô affectu, ut vi illius affectûs super omnia illi adhæreat, tanta enim perfectio superat naturæ corruptæ fragilitatem & propensionem ad bona sensibilia, à quibus non potest sine auxilio gratiæ suum affectum removere.

Adde quòd amor ille effectivus super omnia, vincere debeat omnia peccata mortalia, vel in effectu si occurrunt, dum ipse actualis est: vel in affectu, quia includit propositum de se efficax vitandi id omne quod tali amori est contrarium: at E verò impossibile est homini lapso vincere omnia peccata, etiam quæ legi naturali adversantur, sine speciali gratiæ subsidio: ergo etiam impossibile est, ut habeat Dei dilectionem victricem omnium talium peccatorum per propositum efficax illa cavendi.

Conclusio Tertia.

XXIII. *Deus ut Author gratiæ diligi non potest absque gratia.*

D*Eus amari nequit ut author gratiæ & gloriæ benevolentiâ perfectâ vel imperfectâ, sine speciali gratiæ beneficio.* Patet hæc veritas sufficienter ex iis quæ diximus, probaturque illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Dei perfectus amor divinum reputatur beneficium. Sic Romanorum 5.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ephesiorum 6. *Pax Fratribus & charitas cum fide à Deo Patre.* 1. Joannis 4. *Charitas ex Deo est*, quos textus expendens sanctus Augustinus librô de gratia & libero arbitrio capite 18. ait: *Magna bona, sed dicat omnis à Deo*, inquit, *Patre & Domino Iesu Christo: Ergo magna hæc bona sunt Dei dona.*

Probatur itidem ex Conciliis, maximè autem Millevitano decernente Canone 4. *Cùm dicat Apostolus: Scientia inflat, charitas ædificat, valde impium est, ut credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere, cùm utrumque sit Dei donum, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Similiter Concilium Tridentinum sess. 6. Canone 3. sic statuit: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Suffragatur etiam ratio. Cùm enim amor Dei, ut authoris gratiæ, habeat objectum formale ordinis supernaturalis, necessum est ut ipse amor sit ejusdem ordinis; actus enim specificantur ab objectis formalibus in quæ tendunt. *Insuper*, prædictus amor est effectus perfectæ pietatis, Deus enim præcipuè amore colitur, ut docet sanctus Augustinus Epistolâ 29. *Pietas*, inquit, *est cultus Dei, qui præcipuè diligendo exhibetur.* Actus autem pietatis perfectè fieri non potest absque gratia: ergo, &c.

Denique, Amor Dei super omnia ut authoris gratiæ, est ultima dispositio ad justificationem, ut probabimus infrà: hæreticum autem est asserere, hominem posse viribus propriis sese disponere proximè ad justificationem, ut docet sanctus Augustinus librô 1. ad Bonifacium capite ultimô: ergo pari ratione hæreticum est dicere Deum gratiæ largitorem posse super omnia ab homine lapso sola liberi arbitrii virtute diligi. Quam utique veritatem fusiùs explanabimus & confirmabimus efficaciùs in disputatione de charitate divina.

QUÆSTIO V.

Quomodo gratia necessaria sit ad servanda præcepta?

I. Præcepta sunt vel *naturalia*, vel *supernaturalia*.

NOtandum primò, præcepta divina (quantùm ad præsens attinet) duplicis esse generis; quædam enim sunt *naturalia*, quæ lumine naturali cognosci possunt, & duabus Decalogi tabulis continentur; illaque comprehendunt observantiam, vel erga Deum, vel proximum: quædam verò sunt *supernaturalia*, quæ suppositâ hominis elevatione & ordinatione ad finem supernaturalem, necessaria ipsi præscribunt media, & ad ea applicanda hominem obligant, quatenus finem illum possit assequi, qualia sunt præcepta de tribus virtutibus Theologicis exercendis, necnon & ea, quæ ad Sacramentorum frequentationem, administrationem, & dignam receptionem spectant: suppositô enim quòd homo sit ordinatus ad finem supernaturalem consequendum, ex Dei præcepto tenetur virtutum supernaturalium actus elicere, & sacramenta frequentare.

Controversia autem non movetur inter Theologos de præceptis supernaturalibus: Certum
A enim est ea non posse servari sine gratiæ auxilio: sed difficultas est de præceptis legis naturæ, circa cujus quæstionem multifariàm variant Authores. *Quidam* enim contendunt omnia illa præcepta servari posse ab homine lapso secundùm substantiam; non verò secundùm modum, absque gratia, idque constanter, & omni datâ occasione, modò non urgeat gravissima tentatio. *Aliqui* verò censent hominem lapsum posse quidem omnia mandata legis naturæ observare, pro brevi tempore idque negativè tantùm, quando videlicet intra breve illud tempus nihil occurrit quod nos moveat ad agendum contra præceptum negativum. *Alii* denique putant hominem in statu na-
B turæ lapsæ constitutum nullatenus posse absque gratiæ auxilio aliqua mandata legis naturæ sic servare, ut in eorum observatione, etiam quoad substantiam, non peccet non apponendo circumstantiam finis, quem Legislator intendit.

II. Præceptorũ divinorum observantia, alia est secundùm substantiã *operis*: alia secundùm *intentionem imperantis*.

Notandum secundò, observationem præceptorum duplicem esse: alia enim est quantùm ad substantiam operis, alia verò quantùm ad intentionem & modum imperantis. Præcepta dicuntur observari quantùm ad substantiam, dum scilicet homo exequitur id quod præceptum est propter bonitatem & honestatem actûs; dicuntur verò servari quantùm ad modum imperantis, quatenus fiunt eô modô, quô Deus præscripsit, ut nempe illa præcepta serventur ex charitate, & operan-
C tem ordinent ad vitam æternam. Quæ utique distinctio adeo certa est, ut S. Pius V. summus Pontifex censuerit damnandam esse hanc Baii propositionem num. 6. *Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, alterò modô quantùm ad præceptorum operum substantiam tantùm; alterò quantùm ad certum quendam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum cælorum, hoc est, ad modum meritorum, commentitia & explodenda.* Facit autem homo id quod præcipitur, quantùm ad substantiam operis, quando præceptum implet propter finem operis, & illius honestatem: facit autem quantùm ad modum, quando rem præceptam exequitur propter finem, propter quem Legislator intendit
D illam fieri.

Servari non possunt præcepta naturalia quoad modum sine gratia.

Certum est autem nec præcepta supernaturalia quoad substantiam, neque etiam naturalia quoad modum servari posse sine gratiæ auxilio, ut constat ex Canone 5. Concilii Carthaginensis; ubi anathema dicitur ei qui asseveraverit hominem sine gratia posse implere divina mandata: necnon ex Concilio Arausicano Canone 23. his verbis: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet: quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius*
E *tamen voluntas est à quo præparatur & jubetur, quod volunt.* Et Canone 25. definitur Deum nobis fidem & amorem sui priùs inspirare, ut cum ipsius adjutorio quæ sibi sunt placita implere possimus. Quæ utique decreta maximè de observantia præceptorum supernaturalium quoad substantiam, nec-non & quantùm ad modum intelligenda sunt. Unde superest tantùm difficultas, an citra gratiæ auxilium illa præcepta servari possint, quantùm ad substantiam operis.

Notandum tertiò, observationem præceptorum, quantùm ad substantiam adhuc spectari posse bifariam; nempe vel collectivè pro omnibus scilicet præceptis generatim spectatis, vel tantùm III.

distributivè, pro aliquo præceptorum sigillatim & seorsim ab aliis considerato. *Rursus*, illa præceptorum observatio quoad substantiam, vel spectatur præcisè ut apprehenditur tantùm opus ipsum factum cum suis circunstantiis intrinsecis & ad ejus honestatem & integritatem moralem spectantibus : vel quatenus apprehenditur cum carentia circunstantiæ extrinsecæ finis operantis, quem legislator intendit, quemque ipse operans in illa præceptorum impletione attendere debet.

Conclusio Prima.

NOn potest homo solis arbitrii liberi viribus, & absque gratia aaxilio omnia legis naturæ præcepta servare collectivè, nec secundum substantiam operis; nec secundum modum imperantis. Hæc est communis inter Catholicos contra Pelagianos; eamque tuetur subtilis Doctor in 2. dist. 28. nu. 8. ubi respondens objectioni, quòd Gentiles ex Apostolo ad Romanos dicuntur servare legem naturaliter, ait. *Gentiles potuerunt justè vivere servando legem naturæ. & tam ipsi facti sunt sibi ipsis lex: id est per legem aaturæ scriptam in cordibus eorum, interius direxerunt se rectè vivendo sicut Iudæi per legem scriptam: sed isti non beae vixerunt fiae gratia. quia gratia potuit esse in eis, supposità hypothesi absque observatione legis Mosaïcæ.*

Hinc apparet quantùm hallucinentur quidam, recentiores Thomistæ, dum asserunt subtilem Doctorem docuisse omnia legis naturæ præcepta solis liberi arbitrii viribus servari posse; eumque idcirco Pelagiani erroris audaciùs insimulant.

Probatur igitur conclusio: *primò* quidem, ex sacra Scriptura illis omnibus videlicet locis, quibus Apostolus significat legem Mosaicam infirmam, imbecillem, impotentem, ac insufficientem ad justificandum, imò concludentem hominem arctiùs sub peccato: *Quia*, inquit Romanorum 7. *occasione acceptâ peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: Sine lege enim peccatum in me mortuum erat: sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit.* Quod utique hâc eleganti similitudine explicat S. Augustinus librô de spiritu & littera capite 4. *Sicut*, inquit, *aqua impetus si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice posito, cujus molem cùm evicerit, majore cumulò præcipitatus vehementiùs per prona provolvitur: nescio quò enim modò hoc ipsum, quod concupiscitur fit jucundius cùm vetatur.* Unde ibidem Apostolus ait: *(Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Est postmodum quærens: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Respondet; *Gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum.* Quibus significat gratiam Dei necessariam esse, ut præceptum *non concupisces* impleatur.

Probatur eadem veritas ex Concilio Carthaginensi, in quo, ut constat ex Synodica ad Innocentium, damnati sunt Pelagiani asserentes, *quod Deus talem hominis instituit creavitque naturam, quæ per popriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* Lex enim naturalis significatur per legem *in corde naturaliter conscriptam.* Similiter ex altero Carthaginensi Canone 5. anathema dicitur ei, qui asseruerit hominem sine gratia posse implere divina mandata: suamque doctrinam confirmat ex illo Christi Joannis 15. *Sine me nihil potestis facere.* Concordat Arausicano 2. Canone 25. his verbis. *Suam voluntatem faciunt homines, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet: quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est à quo præparatur & jubetur quod volunt.* Si autem possent homines legem naturæ sine gratia servare, divinæ servirent voluntati absque gratia, quod ibi damnat. Et Canone 25. definitur Deum nobis fidem & amorem sui priùs inspirare, ut cum ipsius adjutorio quæ sibi sunt placita implere possimus.

Probatur tertiò, ex SS. Patribus, maximè verò ex S. Augustino, qui passim in omnibus operibus contra Pelagianos editis, præsertim librô de spiritu & littera, totus est, ut ostendat legem servari non posse sine gratia. Unde *capite* 10. ejusdem libri, profitetur disertè justum credere nullomodò posse infirmitati suæ ad implenda quæ factorum lex jubet, nisi divina gratia subveniat. Hinc librô de gratia Christi capite 8. *Usque adeo*, inquit, *aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solùm nihil prosit, verùm etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia: & hac ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit fugere ad gratiam liberandos, & ut concupiscentias malas superent adjuvandos: jubet enim magis quàm juvat, docet morbum esse, non sanat: imò ab eo potius quod non sanatur augetur, ut attentiùs & sollicitiùs gratiæ medicina quæratur.* Et sermone 13. de verbis Apostoli capite 2. *Data est lex, ut inveniret se homo, ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbò crescente medicus quæreretur.*

Nota.

IV.

Lex quàm sit infirma sine gratia.

Subscribit S. Prosper librô contra Collatorem capite 7. *Ecce*, inquit, *potest, ne quid mali fiat, jubere; à malo autem non potest liberare. Novum facit mandatum, sol obediendi non præstat affectum, nisi quod est occidens per imperium litteræ, fiat vivificans per spiritum gratiæ.* Adstipulatur etiam S. Fulgentius librô de prædestinatione capite 20. *Lex*, inquit, *sine gratia ostendere potest ægritudinem, non saaare: Vulaera monstrat, medicamina non ministrat; ut autem legis impleatur præceptum, gratia ministrat auxilium: ac sic lex revelat cuncta, gratia confert indulgentiam: legis est igitur quod peccata cognoscimus, gratiæ quod vitamus.... natura itaque vitiata vitium est. ut homo peccet, legis auxilium ut homini præceptum quod ignorat demonstret; gratia autem donum est, ut hominis vitium sanet quod sibi culpa intulit, & legis agaitio cumulavit.*

V.

Infirmiores sunt hominis lapsi vires ut legẽ naturalem absque gratia servare possit.

Suadetur etiam ratione, Homo namque lapsus, gravibus ut plurimum tentationibus commovetur, dum lex naturalis obligat; & diris concupiscentiæ motibus ac stimulis ab ejus observantia retrahitur: sed (ut dicemus infra) non potest homo graves tentationes superare absque gratiæ beneficio: ergo nec omnia legis naturæ præcepta adimplere: *Deinde*, ad omnem legem adimplendam desideratur summum propositum nusquam peccandi; nec illam legem quàvis datâ occasione transgrediendi, alioqui sæpissimè ab illa deflectet: sed tale propositum firmari non potest propter ingruentes undique tentationum illecebras ad bonum sensibile vetitum allicientes, nisi divinæ gratiæ auxiliô fulciatur: ergo tale auxilium ad legis observantiam requiritur. *Tandem*, Ut servaretur ex integro lex naturæ, oporteret hominem propriis viribus nusquam peccare: sed id insigne est gratiæ beneficium: Nam, inquit

Doctor in 2. dist. 28. num. 7. *Liberum arbitrium non potest ex se cavere omne peccatum mortale pro statu isto, quia anima sine gratia aliquo peccato maculatur vel originali, vel actuali à quo non liberatur nisi per gratiam:* Subindeque eâ seclusâ non possunt omnia præcepta observari.

Objicies primò, S. Apostolus ad Romanos cap. 2. dicit quòd, *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* ergo possunt naturæ viribus legis præcepta observari.

Distinguo consequentiam: Possuot aliqua & pro modico tempore, ubi non adsunt graves occasiones ab illa observatione removentes, concedo: possunt omnia voluntate constanti, & quàvis datâ occasione, nego;

Objicies secundò, illud Deuteronomii 5. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te:* Ergo ejus observantia vires naturales non excedit.

VI.

Divina lex est cognitionia facilis, sed difficilis observationis.

Respondeo, legem non esse sopra hominis captum ratione cognitionis, quia videlicet notitiam illius non oportet petere à regionibus longinquis, concedo: ratione illius observantiæ, nego. Favet autem huic distinctioni sequens textus, *neque procul positum est, nec in cælo situm*, &c.

Objicies tertiò, illud Ecclesi. 15. *Si volueris mandata observare, conservabunt te.*

Unde ut illam servemus opus est gratiâ.

Respondet sanctus Augustinus librô de gratia & libero arbitrio, capite 16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servaro si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantùm velimus, quantùm sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus; sed ille facit, ut velimus bonum de quo dictum est, quod paulò ante posui*, PRÆPARATUR VOLUNTAS A DOMINO; *de quo dictum est* A DOMINO, GRESSUS HOMINIS DIRIGENTUR ET VIAM EJUS VOLET: *De quo dictum est*, DEUS EST QUI OPERATUR IN VOBIS ET VELLE ET PERFICERE. *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit Ezechiel. 36.* FACIAM UT IN JUSTIFICATIONIBUS MEIS AMBULETIS, ET JUDICIA MEA OBSERVETIS ET FACIATIS.

Objicies quartò. Plurimi absque gratiæ subsidio leguntur in sacra Scriptura Dei mandata observasse: ergo hæc ita servari possuot. Probatur antecedens: *Primò*, namque Cyrus, à gratia fidei alienus legem naturalem servabat; ei siquidem dixit Deus Isaïæ 44. *Omnem voluntatem meam complebis.* Et capite 46. Eum oominat *virum voluntatis suæ*. Insuper Matthæi 19. quidam princeps nondum fide Christi & doctrinâ imbutus, ab ipso audiens. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Respondit, *Omnia hæc custodivi à juventute mea.* Denique Apostolus ad Philippenses 6. de se loquens, cùm nondum esset ad Christi fidem conversus, testatur quòd secundùm justitiam, quæ ex lege est, conversatus fuerit sine querela in lege. Hoc est, ex integro & sine illa repræhensione observavi: Ergo, &c.

VII.

Nullusque hactenus est inventus qui illam ex integro servaverit absque gratiæ subsidio.

Respondeo primò, Cyrum voluntatem Dei complevisse, non quantùm ad observationem præceptorum legis naturæ, utpote cùm fuerit idololatra, sanguinarius & aliorum regnorum deprædator ac invasor; ut constat ex ejus historia; & rectè advertit sanctus Hieronymus in primum caput Zachariæ: sed idcircò dicitur voluntatem Dei complevisse; quia fecit quod ipsi jussum fuerat à Deo, nempe ut Israëliticum populum à captivitate solveret, & templum ac civitatem Jerusa- A lem ex integro restaurari curaret. Quod quidem genus voluotatis divinæ servari potest à quolibet impio; eâ quippe ratione dæmones hominum damnatorum tortores, dici possunt voluntatem Dei implere.

Ad secundum Respondeo, principem illum vel illustratum fuisse divinâ gratiâ in servandis præceptis, cùm aliunde Judæus esset & ex populo Dei, sicque non est dicendus propriis viribus legem implevisse. Vel quod probabilius est, larvatô duntaxat ac hypocritô animô videbatur legem servare; quod utique verum apparet ex illa nimia sois divitiis adhæsione; notat siquidem sacer textus, quòd cùm Christus Dominus ei suasisset, B ut venderet omnia quæ habebat in proprietate & dominio, ac eorum pretium pauperibus erogaret: his ille auditis contristatus est, quia dives erat valde, ut narrat sanctus Lucas, cap. 18. illa autem nimia in divitias propensio, peccatum erat contra legem naturæ, radix enim malorum est cupiditas.

Ad tertium, autem dico; idcirco Apostolum dixisse se conversatum fuisse sine querela in Judaïsmo, quod Judaïcô more probè vixerit, abstinens se ab actionibus manifestam Dei vel proximi injuriam continentibus; qualia sunt perjuria, homicidia, adulteria & cætera aperta crimina, quæ lex prohibet: non autem significare vult C Apostolus, se prorsus innocentem fuisse; nam primæ ad Timothæum primô, dicit se fuisse blasphemum & contumeliosum, appellatque se primum, hoc est præcipuum peccatorum: Et ad Titum, 3. *Eramus enim*, inquit, *aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis.*

Objicies quintò: Nemo tenetur ad impossibile: Nam, inquit sanctus Augustinus, lib. de natura & gratia, cap. 43. *Deus impossibilia non jubet:* sed hominum quilibet, etiam Gentilis, obligatur ad universam legem implendam; ergo ipsam servare potest.

VIII.

Non propterea est observatu impossibilis absolutè.

Distinguo majorem: Nemo tenetur ad id quod D est impossibile, absolutè & simpliciter, concedo: quod est impossibile secundùm solitarias naturæ vires, sed possibile fit cùm divino auxilio, nego: Sic enim sanctus Augustinus solvit simile argumentum Cœlestii, lib. de perfectione justitiæ, c. 2. ubi cùm sibi ex Cœlestio objecisset: *Quodcumque peccatum est, vel quod vitari potest, vel quod vitari non potest. Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest, potest homo sine peccato esse quod vitari potest: nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullô modô potest.* Quod argumentum ut solvat sanctus Augustinus, ait: *Respondemus vitari posse peccatum,* E *si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: in tantùm enim sana non est, in quantùm, id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet.* Quam utique solutionem explicat hâc eleganti similitudine capite sequenti: *Cùm videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione, & si debet, potest: nec tamen cùm vult continuò potest, sed cùm fuerit adhibitâ curatione sanatus, & medecina adjuverit voluntatem.* Et infrà ait: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambules, ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat ad sanandam peccati claudicationem.*

Unde cap. 43. lib. de natura & gratia & ex eo Concilium Tridentinum, Sessione 6. c. 11. *Deus*

impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.

CONCLUSIO SECUNDA.

IX.
Gratia sanctificans non requiritur absolutè ad servandam totam naturæ legem.

VT impleantur omnia legis naturæ præcepta, non requiritur absolutè gratia sanctificans, sed tantùm ex ordinaria Dei dispositione.

Probatur prima pars: Nihil impedit observationem præceptorum naturalium, præter ignorantiam, quæ est in intellectu, & infirmitatem, quæ est in apetitu, ut docet sanctus Augustinus lib. 2. de remissione peccatorum cap. 17. ubi ait: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat: tanto enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat, quod latebat & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates:* Atqui ut innotescat bonum quod latet, & suave fiat quod non delectat, sufficit actualis gratia sanans ab ignorantia & infirmitate, etiamsi non sanet à peccato: ergo absolutè & ex natura rei non requiritur gratia habitualis, sed sufficere posset actualis ad servanda omnia naturæ legis præcepta.

Nota.

X.
Sed tantùm ex ordinaria Dei dispositione.
Nempe propter hominum infirmitatem & inconstantiam.

Secunda pars probatur, nempe quòd gratia habitualis sive sanctificans necessaria sit ex ordinatione Dei, ad servandam ex integro legem naturalem. Probatur, inquam; Primò ex modo loquendi Scripturæ sacræ, designantis hominum inconstantiam & infirmitatem ad quodlibet bonum, nisi divinò spiritu firmetur, sublimetur & roboretur. Hinc Psal. 34. de peccatoribus dicitur: *Via illorum tenebræ & lubricum & Angelus Domini persequens eos.* Quibus significatur necessum esse, ut aliquando homines aberrent, offendant & præcipites ruant in peccatum; non secus ac qui per lubrica, & in tenebris ambulant, nisi solvatur peccatorum caligo, per irradiantem gratiæ sanctificantis lucem. Huc spectat etiam illud Eccles. 27. *Qui non in timore Domini continuerit se, cito corruet domus ejus.* Tren. 1. *Peccatum peccavit Hierusalem propterea instabilis facta est.* Isaiæ. 57. *Abscondi à te faciem meam, & indignatus sum; & abiit vagus in via cordis sui.* Et posteà, *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundans fluctus qui in conculcationem & lutum.*

Et inclinationem ad prava & ad vetita, ut egregiè docent SS Patres.

Probatur secundo, ex SS. Patribus, Chrysostomo docente quòd, *Sicut fracto gubernaculo navis, non quò vult vadit, sed quò tempestas impellit; ita homo gratia Dei destitutus in præcipitia peccatorum defertur.* Consentit sanctus Augustinus librô de catechisandis rudibus cap. ultimô, ubi docet *eum non implere legem, nisi qui divinum acceperit Spiritum sanctum, Patri Filioque æqualem.* Et librô de spiritu & litera cap. 26. ubi ait: *Cum dictum est,* FACTORES LEGIS JUSTIFICABUNTUR, *quid aliud dictum est, quam justificabuntur? factores enim legis utique justi sunt.* Sanctus Gregorius 12. Moralium cap. 12. *Peccatum quod per pœnitentiam mox non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Ergo non potest diu peccator cum quavis actuali gratia in præceptorum observantia permanere: subindeque ad perseverantem & constantem naturæ legis impletionem necessum est quòd homo peccatum exuat: sed non potest de via ordinaria peccatum elui, nisi per gratiam habitualem & sanctificantem: Ergo hæc necessaria est ad implenda legis naturalis præcepta.

XI.
Charitas tamen non per se, sed ratione vincendorum impedimentorum requiritur ad legis naturalis observantiam.

Dices: Habitus non est necessarius, nisi ad actus sibi proprios, v. g. habitus temperantiæ ad actus temperantiæ, & sic de cæteris: ergo charitas sive gratia sanctificans, non requiritur ad actus virtutum naturalium.

Distinguo antecedens. Non requiritur per se, concedo: per accidens & ratione impedimentorum removendorum; nego. Temperantia enim requiritur ut actus justitiæ constanter exerceatur, impediendo videlicet ne voluptatibus corporeis ad prava homo illiciatur, & à jure cuique reddendo avertatur.

Dices secundò: Si peccator non potest sine gratia habituali totam legem naturalem implere, quisque tenebitur confiteri statim atque se cognoverit mortali peccatô infectum: sed consequens est contra communem Theologorum sententiam: ergo & antecedens. Probatur sequela majoris; Tenetur quilibet proximam peccandi occasionem vitare: at si homo existens in peccato, non possit totam legem naturalem implere, semper erit in proxima occasione peccandi: Ergo, &c.

XII
Potest tamen homo per solum actuale auxilium interdum tentationes vincere.

Nego sequelam majoris: & ejus probationis, nego minorem: Nam qui in peccato est, etsi non possit omnino & per totam vitam abstinere à peccato; potest tamen aliquamdiu ab eo removeri cum auxiliis actualibus, etiam quando tentationes ingruunt: qui verò est in proxima peccandi occasione, ordinariè succumbit, statim atque illa occasio peccandi occurrit.

Dices secundò: Si fides & gratia habitualis ex lege Dei ordinaria requireretur ad implendam totam legem naturalem, non posset ullus infidelis eam implere; quippe cùm fide & gratia sanctificante careat: sed consequens est falsum; alioqui cùm debeat illam legem implere, teneretur ad impossibile: ergo, &c.

Resp. Jam in superiori conclusione factum fuisse satis huic objectioni. Nihilominus insuper. *Distinguo sequelam majoris:* Non poterit infidelis totam legem naturalem implere, quamdiu in infidelitate permanebit, concedo: si infidelitatem deseruerit, nego: Nemo enim infidelis est qui non habeat media, per quæ perduci possit ad fidem, ut in progressu hujus Tractatûs patebit.

CONCLUSIO TERTIA.

XIII.
Illud etiam cum gratia sanctificante requiritur ad illam observandam.

PRæter gratiam habitualem, necessarium est etiam auxilium actuale Dei ad servandam totam legem naturalem. Probatur primò ex Scriptura sacra; Nam Joan. 17. Christus Dominus pro Apostolis suis jam justis & mundis auxilium à Patre supplex exorat; *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo:* id est, auxilio tuo, ut interpretatur S. Chrysost. homiliâ 80. in Joan.

Ut docent 1. sacræ literæ.

Probatur similiter ex Concilio Carthaginensi, his verbis à Celestino ad Episcopos Galliæ cap. 8. relatis: *Preparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium:* & Arausicanô Canone 10. *Adjutorium Dei & renatis ac Sanctis est semper implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.*

2. Summi Pontifices,

Probatur tertio, ex sententia summorum Pontificum: *Primo* quidem Innocentius primus rescriptô ad Concilium Carthaginense ait: *Adjutoriô quotidianô nos egere, negare non possumus: hoc enim*

seu bene vivimus, precamur ut meliùs sanctiùsque vivamus, seu pravè sentientes à bonis avertimur, ut ad certam redeamus viam, ejus auxilii plus egemus. Huic adde *Cælestinum* cap. 6. & 8. ad Episcopos Galliæ, *Zozimum* ad universos orbis Episcopos. *Fœlicem* secundum Arausicani Concilii Canonum conditorem & *Bonifacium* secundum eorundem approbatorem.

§. S. Augustinus.

Probatur quartò ex SS. Patribus; maximè verò S. Augustino, qui hanc veritatem pluribi inculcat, præsertim librô de natura & gratia, cap. 26. *Ipse Deus*, inquit, *cùm per mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur: sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanatus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Et librô de libero arbitrio, capite 6. explicans hæc verba Canticorum. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata incumbens super fratruelem suum?* ait, *Quando dealbata est, nihil boni merebatur: jam verò alba facta bene ambulat, sed si super eum à quo dealbata est perseveranter incumbat: propter quod & ipse Iesus, super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis, Sine me nihil potestis facere.*

Et ratio suadet.

Firmatur etiam hæc veritas ratione. *Primò* quidem, licèt gratia habitualis sanet animam totaliter in ordine ad culpam, non tamen sanat omnem infirmitatem ex peccato originali oriundam; ita quòd diu perseverare possit in bono & à malo deflectere; nisi divinitùs adjuvetur; subindeque præter illam gratiam habitualem, opus est etiam actuali ad illam infirmitatem sublevandam, & sanitatem restituendam ac corroborandam.

Deinde, Constat justos sæpe in peccatum labi, dum Deus illis actuale auxilium denegat: unde David, *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*: ergo gratia habitualis ad vitandum peccatum & præceptum servandum non sufficit.

Denique, Justi debent grates Deo rependere, pro quolibet opere bono & ejus operis Deo gloriam & honorem ascribere, ac proinde opus illud Deum præcipuum habet Authorem: talis autem non esset censendus, si specialiter & per auxilium particulare actuale ad illud opus bonum exercendum non concurreret: ergo Deus præter gratiam habitualem, etiam confert actuales homini justo ad vitanda peccata, & præcepta adimplenda.

Nec contradicit Concilium Arausic.

Objicies primò: Canonem 6. Concilii Milevitani seu Carthaginensis, in quô definitur gratiam Dei, quâ justificamur per Dominum Jesum Christum, non ad solam remissionem peccatorum quæ jam commissa sunt, valere: sed etiam ad adjutorium, ut non admittantur: ergo non est opus gratiâ Dei actuali justificato, ut legem Dei impleat.

Distinguo antecedens: Quatenus gratia Dei quâ justificamur, sumitur pro gratia habituali simul cum appendicibus suis, id est, cum auxiliis actualibus eam concomitantibus, concedo: quatenus præcisè sumitur pro gratia habituali separata ab auxiliis actualibus, nego.

Objicies secundò: Deus ad hoc homini gratiam habitualem concedit, ut possit bene agere & vitare peccata: ergo supervacaneum est aliud auxilium. Probatur antecedens: Si per gratiam habitualem justus non foret potens ad bene vivendum, non est potior ejus conditio, nec major virtus ad bonum quam peccatoris; siquidem peccator etiam cum gratia actuali potest interdum servare legem: sed consequens est absurdum: ergo & id unde sequitur.

Nego antecedens: Similiter & majorem illius probationis: justificatus enim majori virtute ac dispositione pollet ad servandam legem, quàm peccator; tum quia nemo nisi justificatus illam ex integro servare potest, tum quia gratia sanctificans sacramentalis habet annexum illi jus ad quædam auxilia actualia, tempore, & datâ occasione concedenda, per quæ universa lex naturæ facilè potest observari.

ARTICULUS TERTIUS.

De necessitate gratiæ ad malum vincendum & vitandum.

1. Pelagiani superbè docebant vires naturales ad quaslibet tentationes pugnandas sufficere.

NON unus fuit, sed multiplex Pelagianorum error: qui enim existimabant sufficientes esse, ac validas liberi arbitrii vires ad bonum quodlibet exercendum, censebant pariter eas esse vi potentes ad quodlibet malum expugnandum, & hinc affirmabant non opus esse gratiâ ad vincendas quascunque tentationes, & occasiones peccati, non modò sigillatim, sed etiam collectivè sumptas, ut videre est apud sanctum Augustinum Epist. 99. ubi ait, Pelagianos solitò docere *cavendis futuris vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis sine ullo deinceps adjutorio gratiæ Dei, naturali possibilitate, humanam sufficere voluntatem*: eaque de causa docebant Deum non esse orandum; *Ne nos inducat in tentationem*; siquidem hoc esse in hominis potestate, ut tentationes quantumvis graves absque ullo Dei auxilio vincere, ac superare possit; ut testatur idem Sanctus Doctor librô 1. operis imperfecti contra Julianum, ubi Pelagianos sic interpellat: *Nec donum Dei poscitis, ne intretis in tentationem, hoc est, ne peccetis: in vestra enim virtute confiditis.* Cùmque illis objiceretur illa particula Dominicæ Orationis, quam Christus usurpare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem*: reponebant illam ad corporales casus avertendos pertinere, ut refert idem S. August. Epist. 94. *Illud verò*, inquit, *quod sequitur*, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, *non sic accipiunt, tanquam Deus orandus sit, quò nos ad superandas tentationes adjuvat peccatorum: sed ne quisquam irruens corporaliter, nos humanus casus affligat: quoniam tentationes vincere, ita sit in nostra positum potestate possibilitate natura, ut hoc inaniter impetrandum orationibus arbitremur.*

Huic autem erroneæ deviantium Hæreticorum sententiæ, alia plurimorum Catholicorum tum veterum, tum Recentiorum Doctorum extremè repugnat, nempe quòd gratia ita sit necessaria ad superandas quascunque tam graves quam leves peccati occasiones & illecebras, ut ne modicæ quidem ac levissimæ eô absente divinô auxiliô vinci & removeri queant. *Verùm* tutiùs ac securiùs procedit has inter extremas altera medians sententia, quâ utriusque subtilis & Angelici Doctoris fidelissimi Discipuli, contendunt gratiam desi-

deran

derari quidem ad graves quasque peccati occasiones removendas, non ita ad leves, quæ plerumque solis liberi arbitrii viribus facilè superantur. Quocirca tres proponimus sequentes quæstiones solvendas: An & qualiter gratia sit necessaria; *Primò*, ad vincendas peccati tentationes & illecebras. *Secundò*, ad resurgendum & abstinendum à peccato. *Tertiò*, ad constanter perseverandum in aversione mali & boni prosecutione.

QUÆSTIO PRIMA.

Qualiter opus sit divina Gratia auxilio ad tentationes superandas.

III. *Tentatio est duplex, gravis & levis.* NOtandum primò, nomine *tentationis* intelligi provocationem ad peccatum, quæ est duplex; una quidem *ab extrinseco*; alia *ab intrinseco*. Prior quidem ea est, quâ homines persuasione vel exemplô pravô seu provocatione alliciuntur ad peccandum. Posterior est quâ homo per unam sui partem, scilicet inferiorem adversus superiorem rebellantem, ad id quod vetitum est stimulatur: quæ tentationes ratione principii solitò dicuntur carnis, mundi & dæmonis. Una quæque autem illarum tentationum levis est aut gravis; levis ea dicitur, quæ hominem leviter ad peccandum sollicitat; gravis verò, quâ vehementer ad peccatum impellitur.

IV. *Unde colligenda sit tentationis levitas & gravitas.* *Notandum secundò*, gravitatem aut levitatem tentationis non esse metiendam ex gravitate vel levitate peccati, ad quod allicit: sed ex modo alliciendi vel trahendi voluntatem ad consensum; itaut gravis illa sit, quæ vehementer animam concutit: levis verò quæ leviter allicit. Quod præterea respectivè intelligendum est: nam eadem res quæ leviter sollicitat hominem avaritiæ minimè deditum, ea graviter avarum provocat. *Denique*, gravitas illa non solùm est metienda ex intensione, sed etiam diuturnitate, propter quam tentationes alioqui leves & remissæ, solent propter frequentiam & importunitatem esse graves: è contrario verò tentationes licèt valdè intensæ si momentaneæ sint, non adeo graves & periculosæ solent esse; ut illis resisti non possit absque summa difficultate.

V. *Tribus modis superari potest tentatio.* *Notandum tertiò*, tribus modis posse tentationem aliquam superari: *Primò* quidem per aliam vitiosam tentationem, cujus rei plurima profert exempla sanctus Augustinus, unde librô 1. de Nuptiis cap. 3. affirmat modum istum superandi tentationes, esse frequentem apud infideles: *Et tunc*, inquit, *non peccata coercentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur*: Ex lib. 21. de Civitate cap. 16. *Nonnunquam apertissimè vitia aliis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia*. Secundò, tentatio superatur *cum victoria*, quando videlicet ex amore Dei, vel inhabitantis, vel saltem moventis, superatur. Unde sanctus Augustinus eodem lib. 21. de civitate Dei: *Tunc*, inquit, *victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur: nec aliter nisi per mediatorem Dei & hominum; hominem Iesum Christum*. Tertiò denique, tentatio superatur *per resistentiam*, quando scilicet tentatione impellente ad peccatum, neque tentatus succumbit, neque proficit in ordine ad vitam æternam; sed ex odio peccati & amore tecti non peccat, vel suspendendo actum suum, si possibilis sit hujusmodi actûs suspensio; vel faciendo bonum opus morale, à quo faciendo per tentationem avocabatur.

Conveniunt omnes Theologi, gratiam non desiderari ad vincendam tentationem priori modô; hæc enim tentationis victoria nonnisi alteri tentationi succumbendo, proindeque peccando reportatur; Deus autem non juvat ad peccandum. Certum etiam est sine gratia non posse vinci tentationes secundò modô; quia ad id necessarius est Dei sincerus & verus amor charitatis, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Igitur tota difficultas est de tentatione superanda Tertiò modô, an videlicet qualibet, tam gravis quàm levis, absque gratiæ subsidio possit superari. *Status quæstionis.*

CONCLUSIO PRIMA.

VI. *Gratia necessaria est ad tentationes superandas.* GRatia subsidio opus est ad vincendas; & eliminandas graves tentationes.

Probatur primò variis Scripturæ sacræ oraculis, quibus significatur hominem tentationibus impulsum stare non posse, sed præcipitem in peccatum ruere, nisi divinô fulciatur ac protegatur auxiliô. Sic Psalmô 17. *In te eripiar à tentatione*. Psalmô 28. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Psalmô 117. *Impulsus, eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Et in oratione Dominica Christus inter cætera monuit Patrem cælestem orandum, *Ne nos inducas in tentationem*. Quibus omnibus oraculis apertè constat divinô opus esse auxiliô, ad superandas ingruentes undique tentationes; maximè ubi ingravescunt & acriter animum ad peccandum stimulant & pertrahunt; ita quòd si Deus non opituletur homini per gratiæ auxilium, necessum sit hominem in peccatum labi. *Ut docent S. litteræ.*

Probatur secundò ex Conciliorum decretis: *Primò* namque in Concilio *Diospolitano* cap 15. reprobatur & anathemathisatur quod dictum fuerat à Pelagio victoriam nostram non esse ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio. *Secundò* Patres *Carthaginensis Concilii* Epistolâ Synodicâ, quæ est 19. inter Augustinianas, docent quòd si non sit gratia necessaria ad hoc, ut non succumbamus tentationi, inaniter oramus. Consideret ergo sanctitas tua *(inquiunt) Innocentium summum Pontificem alloquentes*, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum (Pelagianorum) disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, *Ne intremus in tentationem*, quod Dominus & discipulos monuit & posuit in oratione quam docuit: aut ne deficiat fides nostra quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse testatus est; si enim possibilitate naturæ, & arbitriô voluntatis in potestate sunt constituta, quis non videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari cùm orando poscuntur quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur, nec debuisse dicere Dominum Jesum, *Vigilate & orate*: sed tantummodò, *Vigilate ne intretis in tentationem*; nec beatissimo Petro primo Apostolorum *rogavi pro te*; sed moneo te, vel impero ac præcipio ne deficiat fides tua. *Concilia decernunt: 1. Diospolitanum. 2. Carthaginense.*

Eôdem argumentô utuntur Patres *Millevitani* Epistolâ Synodicâ ad eundem Innocentium, quæ est numerô 92. inter Augustinianas, ubi sic postquam ita conquesti sunt de hæresi Pelagiana, his verbis: Nova hæresis, *inquiunt*, & nimium per- *3. Millevitanum.*

nieiosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam Orationem impiis disputationibus conantur auferre. *(Subjungunt:* Ne *nos inferas in tentationem)* non ita intelligendum, tanquam diuinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum sufficere voluntatem hominis.

4. Arausicanum. Idem determinatum fuit in Concilio *Arausicano*, Canone 9. ubi decernitur, *Divini muneris est cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus.* Et Canone 14. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur.*

VII. Summi Pontifices definiunt. Innocentius. *Probatur tertiò*, ex decretis summorum Pontificum, primò quidem INNOCENTII Epistolâ ad Concilium Carthaginense, ubi inter cætera hæc habet: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrena labis & mundani corporis vincere conamur errores, cùm paret nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et infrà: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quò auxiliante vincimus, eò iterum non adjuvante vincamur.*

Zoaimus ZOZIMUS Epist. ad universos orbis Episcopos, hæc habet: *Quod tempus intervenit, quò ejus non egeamus auxiliô? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est: superbum est enim, ut sibi quidquam humana natura præsumat clamante Apostolò,* NON EST NOBIR COLLUCTATIO ADVERSUS CARNEM ET SANGUINEM, &c.

Cœlestinus. COELESTINOS Epist. ad Episcopos Galliæ, affirmat neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.

Gregorius. GREGORIUS MAGNUS, lib. 9. Moralium cap. 7. exponens hæc Jobi verba: *In pulverem reduces me*, scribit: *Qui à te reduci in pulvere dicitur, quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aura rapiatur.* Et in Expositione *Psal.* 3. Pœnitentialis, explicans hæc verba. *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, ait: *Illos procul dubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit; necessariò enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.*

VIII. Docent SS. Patres. *Probatur quartò* ex doctrina sanctorum Patrum, qui universim affirmant & docent tentationum nostrarum victoriam divino tribuendam esse auxilio; **Cyprianus.** sic sanctus *Cyprianus* tractatu de oratione Dominica: *Quando oramus*, inquit, *ne in tentationem inducamur, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ: dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat.*

Ambrosius. *Ambrosius* in Psalmum 43. *Quis est tam fortis*, inquit, *ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat?*

Chrysostomus. *Chrysostomus*, homil. 24. in priorem ad Corinth. exponens hæc Apostoli verba: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, ait: *Sunt ergo tentationes quæ ferri non possunt: & quæ hæ sunt? omnes ut semel dicam; posse enim ferri situm est in Dei nutu.*

Hieronymus. *Hieronymus*, lib. 2. contra Pelagianos, quibus cùm opposuisset ista Christi Domini verba: *Surgite, vigilate & orate, ne intretis in tentationem:* subjungit: *Debuisset dicere juxta vos, surgite, resistite, liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessâ à Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.*

Augustinus. *Augustinus* hôc validô argumentô utitur, ut gratiæ necessitatem adversus Pelagianos evincat, sic lib. de perfectione justitiæ circa finem, ait: *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium; sed solâ lege acceptâ humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematisandum esse non dubito.* Insignis est etiam iste locus quem habet lib. 50. hom. 23. ubi sic scribit: *Si adulter non fuisti, hec tibi dicit Dominus Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut non adulterium committeres: suasor defuit, & ut suasor deesset ego feci; locus & tempus defuit; & ut hæc deessent ego feci: adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes quod non amisisti.* **Nota.**

Prosper. *Sanctus Prosper* cap. 35. contra Collatorem; *Quisquis igitur*, inquit, *in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet juvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant, Ne nos inducas in tentationem.*

Fulgentius. *Sanctus Fulgentius* Epist. 4. ad Probam. cap. 4. ait: *Nec est aliquod vitæ hujus tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cujus laqueos nemo potest propriis viribus evadere.*

Dices: Quâcumque positâ tentatione gravi, cum advertentia rationis, homo consentiendo peccat, & quidem mortaliter, quando materia gravis est & magni momenti: Ergo potest & physicè & moraliter ex vi liberi arbitrii non consentire tentationi, saltem non peccando. Consequentia patet: *Nam*, inquit Richardus à sancto Victore, lib. de statu primi hominis, cap. 3. *liberum arbitrium Dominum non patitur, nec pati potest, quia violentiam inferre ei nec Creatorem decet, nec creatura potest: totus infernus, totus mundus, totus denique militia cœlestis exercitus, in unum concurrat, in hoc unum conjuret, unus ex libero arbitrio consensus in qualicumque re invitò extorqueri non potest.*

VII. Idem ratione suadetur. *Confirmatur*, quia tentatio non infert voluntati necessitatem quoad speciem, nec quoad exercitium: ergo potest vel suspendere actum consensûs, vel elicere actum contrarium.

Respondeo ad antecedens, non requiri quidem auxilium gratiæ, ut homo possit physicè non peccare: sed ut de facto non peccet: nemo enim peccat qui non sit liber ad non peccandum. Et tamen cum illa potentia physica potest reperiri impotentia moralis ad resistendum, ratione cujus homo vehementi tentationi succumberet, nisi speciali auxiliô juvaretur. Unde licèt resistentia tentationi non sit quid supernaturale, quoad substantiam, nec excedat potentiam physicam agentis naturalis; tamen quia superat vires agentis liberi ex peccato & concupiscentia fractas & infirmas, idcireo opus est divinô fulciatur auxiliô, ne sub tentationis pondere gravatus succumbat.

Ad confirmationem, dico, gravem tentationem inferre voluntati moralem quandam necessitatem, modô jam explicatô: nimirum propter infirmitatem naturæ lapsæ, & inclinationem ad bona sensibilia rectæ rationi repugnantia, magnamque debilitatem intellectûs in apprehendendis fortiter rationibus bonum amplexandum

suadentibus; & voluntatis in iisdem seqnendis contra sensum.

Dices secundo: Non majores nec ampliores tequiruntur vires ad resistendum gravi tentationi, quàm ad subcunda difficiliora quæque propter honores assequendos, divitias comparandas, & concopiscentias explendas: sed hæc plerumque sustinent homines cupidi propriis naturæ viribus: ergo pari ratione possumus resistere gravi cuique tentationi, absque ullo gratiæ subsidio.

VIII. Cur facibùs homines duriora sustineant pro cupiditatibus explendis, quàm pro vincendis tentationibus.

Nego majorem, & ratio disparitatis est, quòd motiva sensibilia & humana, quibus incitaotur pleruoiqne homines ad superandas graves difficultates, pro suis cupiditatibns explendis, sensui & cupiditati ipsi grata sint & jucunda; nnde multò fortiùs movent quàm motiva honesta & purè spiritalia, quæ interdum sensuum voluptati adversantur. Unde sanctus Augustinus lib. de patientia cap. 17. simili objectiooi respondens, ait: *Qui hac dicunt, non intelligunt & quemque iniquorum tantò esse ad quacumque mala perferenda duriorem, quantò in eo major est cupiditas mundi: & quemque justorum tantò esse ad quacumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo est major charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Dices tertiò: Bonum potentius est quàm quodlibet malum: sed liberum arbitrium secundùm se, bonum est naturale: ergo potentius est concupiscentiâ, & omni tentatione ad malum inclinante.

IX. Inclinatio prava movet efficaciùs ad malum, quàm recta ad bonum.

Respondet seraphicus Doctor in 2. *dist.* 28. *quæst.* 2. *ad.* 3. qnòd bonum est quidem potentius malô secundùm se; non verò quando bonum subjicit se malo: voluntas autem quantumvis libera & potens ad resistendum, tamen ubi alliciente appetitu sensitivô pellicitur in vetitum, tunc urgente tentatione voluntariè cedit, & sese malo subjicit, ratione cujus subjectionis, dicitur serva & ancilla peccati, nam *qui facit peccatum servus est peccati.*

X. Quomodo mortis metus possit naturæ viribus superari.

Dices quartò: Nulla videtur gravior tentatio, quàm metus mortis; nam, ut inquit Tertullianus librô de anima capite 52. *Et si varii sint exitus vitæ, nullus ita levis est, ut non vi agatur:* atqui ex sancto Augustino librô de patientia capite 27. potest quis ab Ecclesia separatus, non pro errore qui eum separavit, sed pro veritate sacramenti, quæ apud eum remansit qualecumqne supplicium perperi; is antem tunc naturæ viribus solummodò & humanis motivis inductus, mortis supplicium sustineret: ergo potest naturæ viribus gravis tentatio superari.

Distinguo minorem: Potest separatus ab Ecclesia pro veritate fidei aliqua, mortem perperi, per donum Dei, quod sanctus Augostinus ejusdem libri capite 29. *Donum exhæredatorum* appellat, concedo: Per naturæ vires, distinguo rursus; Si dominetur in illius animo passio aliqua vehementior, v. g. studium conservandæ apud sectarios famæ, concedo: Si secus, nego: sic idem S. Doctor fortitudinem Gentilium quâ ad asserendam patriæ libertatem & incolnmitatem mortem appetierunt, appellat *donum Dei*; diversum tamen à donis filiorum cœlestis Jerusalem.

CONCLUSIO SECUNDA.

XII. Possunt vinci leves tentationes naturæ viribus.

HOmo lapsus vincere potest leves tentationes absque ullo gratiæ auxilio. Hæc est communior apud Theologos, eamque apertè tradit seraphicus Doctor suprà laudatus; ubi enim in responsiooe ad argumenta præmisit duas opiniones extremè pugnantes; *primam* quidem Pelagianorum asserentium hominem, per naturales liberi arbitrii vires posse cuilibet tentationi resistere: *Alteram* verò, eorum qui dicunt liberum arbitrium nulli tentationi propriis viribus resistere posse, tandem concludit: *Sed quia illud valdè durum videtur dicere, quod liberum arbitrium in statu tali nulli possit tentationi resistere, cùm naturale habeat judicatorium & quendam instinctum naturalem remurmurantem contra malum, cùm non sit etiam in malo confirmatum; ideo est tertia via medium tenens inter hæc duo extrema quòd liberum arbitrium omni gratiâ destitutum, nec omni possit tentationi resistere, nec necesse habeat omni tentationi succumbere.* Ipsi adstipulantur plurimi è veteribus tum è recentioribus Theologis, quos laudat Suarez librô 1. capite 23. numerô 13.

Ut docet seraphicus Doctor.

Colligitur ex sancto Paulo.

Probari primò potest conclusio ex illo 1. ad Corinthios 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis*; quia nimirum succurrit per gratiam, ubi natura non sufficit: ergo sanctus Paulus censet saltem minores & leves tentationes arbitrii liberi viribus posse superari; frustrà namque dixisset *ultra id quod potestis*, si reverà nullas à nobis ad repugnandum haberemus vires.

Ex summis Pontificibus.

Hinc meritò Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. inter proscriptas Baïi propositiones hanc trigesimam damnârunt, *Non solùm fures hi sunt & latrones, qui Christum viam & ostium virtutis & vitæ negant, sed & quicumque aliunde quàm per Christum viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt, aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat aut ab ea superetur.* Censent ergo prædicti summi Pontifices liberum arbitrium resistere posse alicui tentationi, absque gratiæ auxilio, neque hanc assertionem ad Pelagianismum pertinere.

Et ex SS. Patribus.

Confirmari etiam potest ex SS. Patribus; nam Chrysostomus homiliâ 14. in 1. ad Corinthios, ubi interrogans an ad aliquas tentationes necessaria sit gratia? Respondet, *ad omnes, ut ita dicam:* quæ correctio aliquas excipit & exaggerationem aliquam innuit. Et paulò post, rem apertiùs declarans, præsuppositâ distinctione tentationum in graves & leves, quas cum Apostolo *humanas* appellat, de prioribus asserit non posse vinci sine auxilio gratiæ: de posterioribus verò sic ait: *Neque humanas licet facilè ferre absque divino auxilio*; quibus significat non deesse potestatem libero arbitrio, ad resistendum aliquando tentationibus levibus atque humanis; licèt non ita facilè, ac eis resistitur cum gratiæ subsidio.

Chrysostomo.

Hieronymo.

Ipsi concinit sanctus Hieronymus librô 5. contra Pelagianos, qui dicebant post peccatum in homine remansisse libertatem, quâ posset ad bonum & malum pro libito manum extendere, sic respondet: *Hoc & nos dicimus hominem posse peccare pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus........ humana conditio, si paululum se remiserit, dicit fragilitatem suam, & multa se non cognoscit.* Non censet ergo

liberum arbitrium nihil omnino posse.

Nam licèt viribus non valeat ad regnandum semper adversus infensissimum hostem; tamen pro tempore & loco aliquid leve & fragilitati accommodatum illi concedit; quod iterum significat, infrà dicens: *Sed hoc pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ, nec quia ad breve possum cogis me ut possim jugiter.* Quasi diceret, perperam à Pelagianis inferri ex eo quòd homo possit aliquo tempore quibusdam tentationibus resistere, quòd idipsum possit jugiter omnibus tum gravibus, tum levibus repugnare.

Augustino. *Denique* S. Aug. quem sibi totum & devotum clamant adversarii, hanc veritatem non obscurè tradit & explicat librô de perfectione justitiæ cap. 2. dicens: *In natura vitiata parùm esse ad non peccandum voluntatis arbitrium:* Ubi per particulam *parùm* limitare videtur id quod alibi dixerat, *liberum arbitrium hominis lapsi, non nisi ad peccandum valere:* Indicareque illam propositionem non esse in rigore intelligendam de singulis peccandi occasionibus, tentationibus & actibus: sed ideò dicere *parùm valere*, quia non in multis actibus potest tentationem levem ita vincere, ut non peccet.

XII. Ratione suadetur. *Probatur denique ratione:* Liberum arbitrium non est ita viribus fractum in statu naturæ lapsæ, quin aliquod bonum morale absque gratiæ subsidio possit exercere: sed tentatio levis solam addit difficultatem, quæ sine divino supernaturali auxilio vinci potest: ergo hoc ad illam victoriam non semper desideratur. Major constat ex dictis in præcedenti articulo. Minor probatur; nam si alicui proponatur pater honorandus v. g. propter beneficia ab ipso recepta, & simul occurrat tentatio levis, v. g. pater paululum iratus Filio & ipsi minas & verbera intentans, ratione cujus videretur filius removeri ab impendendo honore debito parenti: licèt filius levem in ipsa observantia patiatur tentationem & difficultatem; nihilominus eam solis naturæ viribus vincere poterit; considerando nempe quòd si parentem offendat, nec debitum rependat obsequium, peccabit in ipsas naturæ leges, ut filius degener infamiâ notabitur, & diris conscientiæ stimulis cruciabitur: quæ omnia & alia similia motiva naturalia per se sufficere ad illam repugnantiam vincendam, nemo est qui non videat.

Deinde, victoria tentationis præcisè, quantùm necessarium est ad non peccandum, purè est naturalis in se; maximè verò quando tentatio levis est, nec addit difficultatem moraliter insuperabilem; subindeque solis etiam naturæ viribus vinci potest, præsertim quando tentationes illæ leves aliquid nefarium suggerunt & ipsi naturæ horrendum, putà præcipitium, incœstum, & alia ad quæ ne bruta quidem, nisi vi maximè ad acta protrumpant: adeo ut potius videretur desiderari quoddam auxilium ad consentiendum de re tam nefaria, quàm ad dissentiendum. *Adde quòd* nonnullæ interdum passiones aliis passionibus & levibus illis tentationibus repugnent, ita ut ratio & voluntas in sua potestate habeat eligendi quod rectum est: sic verbi gratiâ ubi stimulat levis tentatio furti, vel fornicationis, etiam pariter interdum urget metus supplicii, & amor unius contra odium alterius, adeo ut affectus unus impellat, alius retrahat, quo in casu facilè poterit voluntas sequi dictamen rectæ rationis; suadentis non esse furandum nec fornicandum.

Denique, si aliquod auxilium videretur necessarium ad vincendas leves tentationes, maximè (ut vult Vasques) cogitatio congrua, sed illa cogitatio nec est gratia, nec semper requiritur eô modô, quô illam Vasques censet desiderari: ergo nullum ad id necessarium videtur gratiæ auxilium. Minor patet quantùm ad primam partem, nam ubi homo negativè resistit tentationi non præbendo ei consensum, habet illam cogitationem congruam, quæ tamen non est gratia, ut ipsemet Vasques concedit, qui cogitationem congruam duntaxat gratiam appellat, quando voluntatem ad actum excitat & promovet: ergo neque quando resistit tentationi per actum positivum, cogitatio illa censenda est gratiæ beneficium. Consequentia patet; Infideles siquidem resistere possunt levi tentationi solô rationis & naturæ ductu: etenim si ut diximus, possint absque ullo gratiæ supernaturalis auxilio aliquod bonum morale interdum exercere, quidni eisdem viribus liberi arbitrii poterunt vincere leves concupiscentias, huic bono exercendo repugnantes?

Objiciunt adversarii omnia illa, tum sacræ Scripturæ, tum Conciliorum, tum SS. Patrum oracula, in asserenda & stabilienda priori conclusione à nobis laudata, quibus significari videtur divinum auxilium absolutè necessarium ad vincendas etiam quaslibet tentationes, quarum victoria soli Deo sit adscribenda. XIII. Fit satis authoritatibus objectis.

Respondeo primò omnibus istis testimoniis, ideo tentationum victoriam Deo adscribi, non quòd levissima aliqua tentatio viribus naturæ superari nequeat: sed quia universum tentationum agmen sine speciali Dei illustratione & subsidio non possit superari.

Respondeo secundò, Concilium & SS. Patres, loqui de resistentia, quæ fiat per victoriam provenientem ex affectu divini amoris, & conducentem ad gloriam æternam assequendam; non verò de resistentia morali & naturali ad solam honestatem conducentem.

Respondeo tertiò, eos omnes textus intelligendos esse maximè de tentationibus gravibus, ad quas vincendas & eliminandas necessariò desiderari divinum auxilium ultrò fatemur. *Vel* si de levibus tentationibus in eis fit sermo; patet eosdem solis naturæ viribus resisti non posse omnibus catervatim & collectivè sumptis; imò neque alicui divisim ac particulatim jugiter resisti posse absque levi saltem peccato, nisi divinum adsit auxilium.

Instabis, Deum orare nos docuit Christus, ne nos inducat in tentationem: ergo Dei beneficium deputanda est omnis tentationum victoria; non enim oramus, quod in omni potestate nostra est positum.

Respondeo, nos rectè quidem Deum orare, non solùm, ut resistere valeamus tentationibus propter honestatem moralem, sed etiam tentationes vincere possimus cum proventu in ordine ad vitam æternam. Si quis enim tentationum victoriam à Deo peteret excludendo proventum illum, non censeretur rectè orare. *Secundò* dico nos idcirco congruè à Deo tentationum victoriam petere, quoniam non possumus diu absque ejus auxilio resistere: quô sensu S. Gregorius in Psalmum 5. Pœnitentialem sub finem ait: *Quoniam sancta anima omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secura: & ideo Deum precatur, ut nec ad horam ab illa recedat.* XIV. Quare Deum oremus ut tentationum victoriam conferat.

Quæstio II.

An & qualiter gratia sit necessaria homini lapso, ut resurgat & abstineat à peccato?

I. Triplex circa hanc veritatem opposita sententia. NOtandum primò ex seraphico Doctore in 2. *distinct.* 28. *art.* 10. *quæst.* 1. quòd circa primam quæstionis partem aliter senserunt Philosophi, aliter hæretici, aliter Tractatores Catholici. *Philosophi* enim ignorantes, qualiter peccato offendatur divina majestas, & qualiter per ipsum adimatur potentiarum habilitas, dixerunt quòd homo per exercitationem justus poterat effici, sicut per inordinationem à recta ratione factus erat injustus. Unde & Philosophus dicit, quòd pravus ad meliores exercitationes deductus ad multum proficiet, aut perfectè in contrarium habitum restituitur. *Hæretici* verò aliquod lumen fidei habentes cognoverunt, quòd per peccatum offenditur majestas divina, & quòdam modò damnificatur voluntas vel liberum arbitrium. Excœcati tamen non consideraverunt, qualiter ex culpa natura infirmatur: Et ideo dixerunt quòd ad hoc quòd liberum arbitrium à culpa resurgat, non est sibi necessaria aliqua gratia curans, sed sufficit sola gratuita Dei misericordia, quæ inclinatur ad remittendum peccata nostra propter satisfactionem, quam Christus sibi facere voluit, dum se in cruce pro nobis obtulit: sed hæc positio non tantùm à veritate deficit, sed etiam dom contraria implicat, seipsam destruit. Dicit enim: Ad hoc quòd liberum arbitrium à culpa resurgat, necesse est quòd Deus sibi remittat culpam, & tamen non est necesse, quòd aliquid sibi tribuat vel circa ipsum faciat. Si enim Deus non mutatur, & iterum ipse justus judex est, ut nihil accepter, nisi tantùm, quantùm valet ad hoc quòd culpa remittatur, & peccator Deo reconcilietur, necesse est quòd aliquid ipsi peccatori tribuatur, per quod morbus peccati sanetur. *Catholici* verò Tractatores, luce fidei & authoritate Scripturæ cognoverunt, quòd peccatum Dei est offensivum & quodammodò damnificativum, dum homo se transfert de servitio Dei ad servitutem diaboli, & etiam imaginis deformativum. Et ideo dixerunt quòd ad hoc qoòd liberũ arbitrium resurgat à culpa, necessaria est gratia non solùm secundùm quod gratia dicitur gratuita voluntas Dei, nec etiam secundùm quod dicitur liberalis Passio Christi, sed etiam secundùm quod dicitur habitus animi. Gratuita enim voluntas Dei concurrit ad hoc quòd fiat offensæ remissio: voluntariè enim nobis condonat offensam: liberalis autem Passio Christi concurrit ad hoc, quòd fiat morbi curatio, & gratia ut fiat imaginis reformatio, & ideo ad hoc quòd homo resurgat à culpa, multùm per omnem modum necessaria est sibi gratia.

II. Omne peccatum mortale carentia veri non potest absque gratia. *Notandum secundò*, peccatum generaliter duplex distingui, nempe mortale & veniale. *Mortale* est quod hominem non solùm omni gratia sanctificante, quæ est animæ vita; sed etiam omni jure ad beatitudinem & vitam æternam homínem spoliat: *Veniale* autem est levis & facili venia à divinis mandatis exorbitatio. *Certum* est autem, hominem absque divino gratiæ auxilio non posse peccata mortalia vitare; quippe cùm, ut diximus, ad servandam universam naturæ legem, necessaria sit gratia; subindeque etiam ad vitanda peccata, quæ ex ipsius legis transgressione oriun-A tur: *Certum* est pariter hominem per totam vitam naturæ viribus non posse omnia prorsus vitare peccata, etiam venialia, nam ut rectè cecinit S. Prosper carmine de Ingratis capite 9.

Posse hominem sine peccato decurrere vitam
Si velit,..... ut potuit nullo delinquere primus
Libertate suâ, nempe hac damnata fuere
Conciliis undique manu.

Controversia itaque tantùm hîc instituitur de peccato veniali: *Primum* an videlicet homo justus per auxilia actualia ordinaria, quæ conferri solent hominibus justis, vitare possit per totam vitam aut saltem per longum, vel breve tempus non mortalia solùm, sed etiam venialia peccata, idque vel collectivè, vel distributivè: *Secundum*, an B aliquis præter Christum Dominum ab omni peccato veniali Dei affulgente gratiâ immunis fuerit.

III. Gratia necessaria ad vitãda peccata tripliciter potest spectari. *Notandum tertiò*, circa præsentis quæstionis resolutionem, triplicem distinguendam esse gratiam justificantem: *Prima* quidem spectatur cum actualibus auxiliis, quæ de lege ordinaria omnibus adultis justificatis conceduntur: *Secunda* verò consideratur cum quibusdam efficacioribus ac præstantioribus auxiliis, quæ non quidem omnibus justis, sed duntaxat quibusdam potiori Dei amoris privilegio præventis tribuuntur. *Tertia* denique dicitur ea, quæ cum aliquibus actualibus auxiliis tam raro conceditur, ut uni vel paucis admodum videatur concessa: Quapropter singulare beneficium appellatur. C

Conclusio Prima.

IV. Nemo potest resurgere à peccato sine gratia. NOn potest homo à peccato mortali resurgere sine speciali gratia auxilio. Hæc est communis inter Catholicos: *Et probatur primò*, ex Scriptura sacra, Psalmo 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Jeremiæ 30. *Insanabilis fractura tua:* hoc est viribus naturæ. Joannis 8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis:* Et Matthæi 6. *Dimitte nobis debita nostra:* Nemo autem petit ab alio quod habet in sua potestate, ait S. Bonaventura locô citatô. Roman. 5. *Ex operibus legis non justi-D ficatur omnis caro.* Et ibidem: *Justificati gratis per gratiam ejus:* Non justificatur autem gratis, qui per solas naturæ vires à peccato potest resurgere & habet in se unde glorietur. Ad Titum. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Denique ad Galatas 2. Si per legem justitia: Ergo Christus gratis mortuus est. Nam similiter possumus colligere: Si per naturæ vires justitia & peccati remissio: Ergo Christus gratis mortuus est, quod impium est asserere, inquit seraphicus Doctor. Ut probatur 1. Ex S. Scriptura.

Probatur secundò, ex Conciliis supponentibus gratiam esse necessariam ad peccatorum remissionem, quam etiam ipsemet Pelagius non negabat. E Unum præ cæteris laudo Concilium Arausicanum, Canone 14. quod præsentem veritatem his verbis definit: *Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur.* Et canone 19. *Cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quam perdidit?* His adstipulatur Tridentinum sessione 6. Canone 1. *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humana natura, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Iesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* 2. Ex Conciliis.

Suffragantur etiam summi Pontifices quotquot Pelagianum dogma proscripserunt. Omnium in- 3. Ex summis Pontificibus.

stat sit Innocentius primus, in rescripto ad Concilium Carthaginense, ubi ait: *Liberum arbitrium olim perfectius, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda, demersus est, & nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit, suâque in æternum libertate deceptus ruinâ jacuisset oppressus, nisi eum post Christi sua gratia relevasset adventus.*

4. Ex S. August. Hanc veritatem plurimis tradit & commendat sanctus Augustinus, maximè lib. 1. operis imperfecti, contra Julianum: *Quomodo manet libertas in his qui ut liberentur à servitute, qua victori diabolo addicti divinâ indigent gratiâ*: Et eodem iterum librô: *Nunc in ruina sua liber est homo justitiæ servusque peccati, nec potest esse servus justitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum filius liberaverit.*

V. 5. Ratione Seraphici Doctoris. *Probatur denique ratione*: Peccatum, ait Seraphicus Doctor, est privatio vitæ spiritualis & lucis: sed vita spiritualis non potest animæ restitui, nisi à fonte vitæ; nec lux, nisi à fonte lucis: ergo impossibile est quòd anima resurgat à culpa, nisi Deus qui est fons vitæ, & lux perennis suâ benignitate eam vivificet & illuminet. Hoc autem non fit, nisi per donum gratiæ.

Et Angelici *Insuper*, ait S. Thomas, homo peccando triplex incurrit detrimentum: scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. *Maculam* quidem incurrit, in quantùm privatur decore gratiæ ex deformitate peccati; bonum autem naturæ corrumpitur in quantùm natura hominis deordinatur voluntate hominis Deo non subjectâ: hôc enim ordine sublatô, consequens est, ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus verò pœnæ est, per quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam. Manifestum autem est de singulis horum trium, quòd non possunt reparari nisi per Deum. Cùm enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari, nisi Deo denuò illustrante: unde requiritur habituale donum quod est gratiæ lumen. Similiter ordo naturæ reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deô voluntatem hominis trahente, sicut dictum est. Similiter etiam reatus pœnæ æternæ remitti non potest, nisi ab eo in quem est offensa commissa, & qui est hominum judex, & ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc quòd homo à peccato resurgat, & quantùm ad habituale donum & quantùm ad Dei motionem.

VI. Faciliùs restitui potest sanitas corporis quàm animæ. *Dices primò*: Major est virtus liberi arbitrii, quàm naturæ; sed natura cùm infirmatur, sanari potest absque auxilio medicinæ: ergo multò meliùs dum liberum arbitrium infirmatur per culpam, sanari poterit absque auxilio gratiæ.

Respondet Seraphicus Doctor, negando paritatem; nam, inquit, sanitas corporalis est in potestate naturæ; sanitas verò spiritalis, est per aliquid quod est supra naturam. Cùm autem aliquid infirmatur corporaliter, non omnino naturæ perimitur virtus quæ est principium sanitatis, & ideo à tali infirmitate ad sanitatem naturaliter fieri potest regressus; in peccato verò deperditur ipsa gratia Dei, & justitia quâ constabat spiritalis sanitas; peccatum enim grave mortale dicitur, quia aufert homini principium vitæ; unde sicut homo non potest à morte ad vitam transire, nisi virtute mirabili & naturæ vires excedente; sic nec peccator potest evadere justus naturaliter vel voluntariè, sed duntaxat per gratiæ beneficium & miraculum.

A *Dices secundò*: Faciliùs est unicuique rei moveri secundùm naturam, quàm præter naturam: sed ex sancto Damasceno lib. 2. de Fide cap. 30. peccatum est præter naturam, virtus verò secundùm naturam: ergo si liberum arbitrium propriis viribus moveri possit ad peccatum præter naturã, iisdem poterit ad virtutem redire & à peccato resurgere secundùm naturæ inclinationem.

Respondet idem Seraphicus Doctor, majorem esse veram de illo motu, qui est secundùm naturam, & per quem non corrumpitur nec diminuitur naturæ potestas, sicut est in motu lapidis sursum, idcirco enim facilè deorsum labitur, quia B dum sursum projicitur suam gravitatem & pondus non amittit; quò fit ut facilè deorsum labatur: non sic autem est in proposito, tum quia movere ad justitiam est per virtutem supra naturam, tum etiam quia motus ad culpam, diminuit habilitatem & actualitatem liberi arbitrii; per peccatum enim non solùm homo spoliatur gratuitis; sed etiam vulneratur in naturalibus. VII. Cur propriis viribus possimus ruere in peccatũ, non autem ab eo resurgere.

Dices tertiò: Peccator quivis etiam in peccato mortali existens potest desiderare & velle justitiam; sed nihil est esse justum quàm velle justitiam, justitia enim est rectitudo voluntatis, tunc enim voluntas recta est, cùm vult justitiam: ergo peccator absque gratia gratum faciente justificari C potest.

Respondet idem Seraphicus Doctor, quòd aliquid velle est dupliciter, vel exiliter & semiplenè, sicut dicitur, *Vult & non vult piger*: vel plenè & sufficienter, sicut dicit Apostolus: *Deus operatur in nobis velle & perficere.* Primô modô potest esse in peccatore: & talis voluntas non facit aliquem justum: Secundô modô non potest esse sine gratia præveniente & adjuvante voluntatem: hoc autem secundô modô tantùm potest esse voluntas justitiæ & reddere animam justam.

Conclusio Secunda.

D **P***Otest homo justus absolutè loquendo, cum auxiliis actualibus ordinariis impetrare gratiam, quâ peccata omnia tam mortalia, quàm venialia vitentur.* Hanc veritatem expressè docet sanctus Augustinus pluribi, sed maximè lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 6. ubi rem sic accuratè expendit: *Qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuò incautâ temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* Et posteà: *Si à me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum arbitrium*: E Et circa finem capitis: *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quò fiat quod jubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo si velit esse sine peccato adjutus à Deo*: Et lib. de Spiritu & Littera cap. 1. *Fieri posse dixi ut sit homo sine peccato, si voluntas ei non desit ope divinâ adjuvante: sed tamen præter unum in quo omnes vivificabuntur neminem fuisse vel fore, in quo hic vivente esset ista perfectio.* VIII. Homo justus absolutè potest cavere ab omni peccato.

Cùm verò ea sancti Augustini doctrina visa fuisset absurda Marcellino, cui libros tres de peccatorum meritis & remissione direxerat; absurdum enim putabat id fieri posse, cujus nullum apparebat exemplum. Sanctus Augustinus, eôdem capite mox laudatô, ostendit multa esse possibilia,

quæ tamen nunquam facta sunt: *Absurdum enim tibi videtur* (inquit Marcellinum alloquens) *aliquid fieri posse, cujus desit exemplum, cum sicut credo non dubites nunquam esse factum, ut per foramen acûs Camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit. Deo esse possibile: legas etiam duodecim millia legionum Angelorum pro Christo ne pateretur pugnasse potuisse, nec tamen factum; legas fieri potuisse, ut semel gentes exterminarentur à terra, quæ dabatur filiis Israel, Deum tamen id paulatim fieri voluisse: & alia sexcenta posse occurrere, quæ fieri potuisse, vel posse fateamur, & eorum tamen exempla quod facta sint proferre nequeamus; unde non ideo negare debemus fieri posse, ut homo sine peccato sit, quia nullus est hominum, præter illum qui non tantum homo, sed etiam naturâ Deus est, in quo id perfectum esse demonstrare possimus.* Igitur ex mente sancti Augustini stat veritas nostræ assertionis.

Conclusio Tertia.

IX. Attamen id non fit de lege ordinaria.

De lege ordinaria & absque singulari Dei privilegio nullus hominum quatenus justus immunis est ab omnibus peccatis. Hæc est omnium Catholicorum cum sancto Augustino pluribi, maximè verò, librô de Naturâ & Gratiâ; & lib. de Spiritu & Littera, nec-non & librô de peccatorum meritis & remissione, ubi hanc veritatem plurimis probat Scripturæ sacræ textibus: Primò quidem ex illo 3. Regum capite 8. *Non est homo, qui non peccet.* Psal. 31. *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei, pro hac orabit omnis Sanctus in tempore opportuno.* Hinc S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione capite 5. *Non omnis ergo peccator, sed omnis Sanctus.* Et Psalmô 142. *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Unde sanctus Augustinus ibidem: *Ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat judicium.* Proverbiorum 58. *Iustus prior est accusator sui.* Addit S. Augustinus ibidem: *Cum in sermone [blot]ordio accusator sui est, non utique mentitur.* Ecclesiastici 7. *Non est homo justus in terra qui faciat bonum & qui non peccet.* Matthæi 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quod utique justi etiam non frustrà dicunt, inquit sanctus Augustinus librô de Natura & Gratia capite 35. Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Joannis 11. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Ut Probatur 1. ex S. Scriptura.

2. Ex Conciliis.

Hinc Concilium Milevitanum aut Carthaginense Canone 2. definit: *Quod ait S. Ioannes Apostolus,* SI DIXERIMUS QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS IPSI NOS SEDUCIMUS, *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quod verè est, anathema sit.* Similiter in Concilio Carthaginensi c. 7. & 8. anathemate feriuntur qui dixerint Sanctos in oratione Dominica dicere, *Dimitte nobis debita nostra, non pro seipsis, quia non eis ista petitio necessaria, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, non veraciter sed humiliter.* Item ex Tridentino, sessione 6. Canone 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit in tota vita posse etiam peccata venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

X. Probatur etiam ratione, quam profert sanctus Augustinus librô de peccatorum meritis cap. 10. Si aliqui homines justi hanc vitam sine peccatis vixissent, maximè Noë, Job, Daniel: Nam, inquit sanctus Augustinus, non facilè cuiquam Scriptura Dei tam magnum perhibet testimonium, quàm tribus famulis ejus: Noë, Daniel, & Job, quos Ezechiel Propheta capite 14. dicit, ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari: in tribus utique illis viris tria quædam hominum liberanda genera præfigurans. In Noë, quantùm arbitror, justos plebium præpositos, propter arcæ tanquam Ecclesiæ gubernationem: in Daniele justos continentes: in Job justos conjugatos: atqui tres isti viri laudatissimi non fuerunt sine peccato: Nam Noë, sicut legimus, fuit aliquando ebrius quamvis non fuerit ebriosus; Daniel verò post orationem quam fudit Deo de seipso dicit capite 9. Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo, ubi sua sicut & populi peccata commemorat. Job autem pluribus locis, quos ibidem refert & expendit sanctus Augustinus, se peccatorem pronuntiat.

3. Ratione S. August.

Objicies id quod de eodem Jobo capite 1. dicitur: Nullus esse ei similis super terram, sine querela, justus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo: ergo revera immunis erat à peccato.

Qui optimè soluit Pelagianorum objecta.

Respondet S. Augustinus ibidem c. 12. Quòd Job primis verbis ex hominum qui sunt in terra, comparatione laudatur, proinde omnibus qui tunc in terra justi esse potuerunt excellebat: Non ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu justitiæ cæteros anteibat. Deinde adjungitur: *Sine querela*: de cujus vita nemo justè quereretur. *Iustus* qui tantâ morum probitate profecerat, ut nullus ei esset æquandus, *Verus Dei cultor*; quippe etiam suorum peccatorum verax humilisque confessor. *Abstinens se ab omni opere malo*, mirum si ab omni etiam verbo & cogitatu malo. Hæc S. Augustinus.

Objicies secundo illud 1. Joannis capite 3: *Omnis qui in Deo manet, non peccat, & omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit:* ergo sunt aliqui justi sine peccatis.

Respondet S. Augustinus Epistolâ 95. illud dictum fuisse de statu charitatis & perfectæ virtutis, ad quem potest homo per singulare Dei privilegium evehi: Quia, inquit ibidem, etsi non invenitur homo in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiæ & Spiritûs Dei: quod ut fiat conandum atque poscendum est ..... nobis autem sufficit quòd nullus in Ecclesia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu excellentiæ atque justitiæ, qui sibi audeat dicere non necessariam precationem orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra.* Hanc autem esse mentem S. Evangelistæ sufficienter apparet ex eo quòd capite 1. ejusdem Epistolæ apertè fatetur: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Respondet secundò librô de gratia Christi capite 21. Apostolum his verbis præcludere quod asserebat Pelagius, nempe habere in se principium boni & mali. Quod ut falsum demonstret Apostolus, docet eum solum non peccare qui ex Deo est, hoc est, qui ejus gratiâ & charitate illustratur ac prævenitur. Non enim, inquit sanctus Augustinus ibidem cap. 20. una eademque radix est, bonorum & malorum; aliud enim est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tan-

tùmque inter se differunt, quantùm virtus & vitium, sed planè illa possibilitas utriusque radicis est capax, qoia non solùm potest homo habere charitatem, quâ sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, quâ sit arbor mala. Sed cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet authorem, vel hominis deceptorem, ouo hominis creatorem.

Objicies tertiò illud Lucæ 1. obi de S. Zacharia & Elizabeth conjuge legimus: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela:* ergo illi sine peccato vixerunt; proindéque alii possunt vivere.

Respondet 1. sanctus Augustinus librô 2. de peccatorum meritis cap. 13. nihil aliud sigoificari hoc loco, nisi eminenti justitiâ fuisse Zachariam in principibus Sacerdotum ad offerenda veteris Testamenti sacrificia pertinentia; nam Hebræorum 7. legimus solùm Christum esse principem Sacerdotum, qui non habet necessitatem sicut illi qui Sacerdutum priocipes dicebantur, sacrificium pro suis primùm offerre peccatis quotidie, deinde pro populo. Nil autem hoc elogio contineri docet, quod noo in eo comprehendatur quod de se Apostolus ad Philippenses 3. scribit dicens: *Se secundùm justitiam quæ in lege est fuisse sine querela,* qoi tameo cådem Epistolâ scribit, se justitiam istam existimare; non solùm detrimenta, verùm etiam stercora in comparatiooe justitiæ.

Respondet 2. librô de gratia Christi capite 48. Illud dictum esse secundùm quandam iuter homioes conversatiooem probabilem atqoe laudabilem, quam nullus bominum justè posset in accusationis & eliminationis querelam vocare: quam propterea in Dei conspectu Zacharias, & ejus uxor habuisse referuntur; quia in ea bomines nullâ dissimulatione fallebant, sed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei: Noo autem dictum est boc secundùm illam perfectionem justitiæ, in qua verè atque omnimodè immaculati perfectique vivemus: Nam & Apostolus Paulus dixit, secundùm justitiam, quæ ex lege est, se fuisse sine querela; in qua lege etiam Zacharias sine querela conversabatur: sed hanc Apostolus justitiam in stercoribus & detrimentis deputavit, in comparatione justitiæ quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, ot eâ quandoque saturemor in specie, quæ nunc est in fide, quamdio justus ex fide vivit.

Instabis. Saoctus Ambrosius librô 1. in Lucam ex præfato elogio de Zacharia & Elizabeth, infert posse hominem esse sine peccato: ergo, &c.

Respondet idem sanctus Augustinus capite 49. ejusdem libri de gratia Christi, posse homioem esse sine peccato secundùm quemdam modum probabilem; itaut ab hominibus non possit in accusationis & criminis querelam vocari: non autem secundùm modom minoriùs excussum, id est, ot ab omni cujuscumque levissimi peccati macula homo sit exemptus. Addit sanctus Augustinus, quód si ea tunc fuit sancti Ambrosii mens, ut existimaverit Zachariam & Elizabeth summæ atque omnino perfectæ justitiæ fuisse, eam postea sententiam ab eo fuisse correctam.

Objicies quartò: Apostolum 2. ad Timoth. 4. scribentem: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ:* hoc autem non diceret, si haberet ullum peccatum: ergo reverà erat immunis à peccato.

Respondet sanctus Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis* & remissione *cap. 6.* Apostolum locutum fuisse non secundùm statum præsentem in quo erat, sed secundùm statum futurum, qoem prævidebat ex Dei misericordia, ideo talibus verbis certus securusqoe gaudebat, inquit S. Augustinus, quia de victoria futuri tanti certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eandem passionem jam illi revelaverat imminere: Non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit, & quod futurum esse præsumpsit, tanquam factum fuerit indicavit...... quâ Domini pollicitatione certissimus erat in illo fine, quem adhuc futurum jam fidendo dicebat impletum, nullum se habiturum fuisse peccatum; nam ut alia omittam, miror si cùm verba sua dicebat, per quæ istis visus est nullum baboisse peccatum, jam fuerat ab illo ablatus ille stimulus carnis, de quo à se auferendo Dominum interrogaverat, responsumque acceperat, Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur. Huic tanto viro perficiendo necessarium fuit ut ab illo Angelus sathanæ non auferretur, à qoo propterea colaphisabatur, ne magnitudine revelationum extolleretur: & aodet quisquam, quemquam vel putare vel dicere positum sub oore hujus vitæ ab omni omnino mundum esse peccatu?

Objicies quintò illud Christi Domini Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater cœlestis perfectus est;* quæ utique perfectio consistit in generali abstinentia ab omni peccato, sed hæc Christus non præciperet, nisi sciret fieri posse quod præcipit: ergo, &c.

Respondeo primò quidem homines esse posse sine peccato non propriis viribus, nec cum ordinario Dei auxilio, sed speciali Dei beneficiô, quod utique non negamus, ut cooclusione sequenti patebit.

Respondet 2. S. Augustinus ibidem cap. 15. illis verbis nobis præcipit, ut simus perfecti in aliquo genere perfectionis, non autem in genere quô Pater cœlestis perfectus est; nam idem Apostolus ad Philipp. 3. dicit se perfectum: *Quotquot autem perfecti hoc sapiamus:* Et ibidem cap. 12. fatetur se nundum esse perfectum: *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim.* Quod utrumque, inquit S. Augustinus, non diceret, nisi in aliqua re perfectus esset, in alia verò non esset; unde colligit S. Augustinus cap. 15. Non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. Quanquam & in hoc possit ita dici, ot non quia jam ooo est quo proficiat, sed quia ex parte profecit, hoc oomine dignus habeatur.

Objicies sextò: Deus non præcipit homini id quod moraliter loquendo impossibile est; at si noo possit quisquam vitare omnia peccata, erit saltem homini moraliter impossibile vitare omnia peccata: ergo non præcipit Deus ut homo ab omnibos peccatis abstineat.

Respondet seraphicus Doctor *in 2. dist. 28. dubiô 5.* quòd aliquid vitare vel facere dupliciter intelligitur: unô modô potest aliqois facere aliquid, quia per seipsum sine aliquo alieno auxilio potest illud implere; sic aliqois potest comedere qoando sanus est, & habet cibum: aliô modô dicitur aliquis aliquid posse, non solùm quia potest illud per se & in se, sed quia potest cum alio, qui sibi præsto est: & hôc modô accipiendo posse, omne quod Deus præcipit in oostra potestate est, quia ipse qui præcipit præsto est præbere gratiam

re gratiam adjuvantem efficacem, quam quilibet justorum impetrare potest.

XI. Quomodo sit moraliter in hominis potestate omnia vitare peccata.

Unde sanctus Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. profitetur culpam esse hominum, si peccata non vitent. Cùm voluntate humana,
» *ait*, gratiâ adjuvante divinâ sine peccatô in hac
» vita possit homo esse, cur non sit, possem facilli-
» mè ac veracissimè respondere, quia homines no-
» lunt: sed si ex me quæritur quare nolint: breviter
» dicam, nolunt homines facere quod justum est,
» sive quia latet an justum sit, sive quia non dele-
» ctat: tantò enim quidque vehementiùs volumus,
» quantò certiùs quod bonum sit novimus, eoque
» delectamur ardentiùs.

Respondeo secundò, rerum moraliter impossibilium duo esse genera. Quædam sunt, quæ licèt absolutè fieri possint, nunquam tamen fient, etiam adhibitis quibuscumque viribus voluntatis, ut describere perfectum circulum digitô: quædam sunt quæ adhibitis totis & maximis viribus voluntatis fieri possunt, nunquam tamen fient, eò quòd illæ magnæ voluntatis vires non adhibentur. Illa quæ sunt moraliter impossibilia prioris generis, nusquam Deus præcipit: quæ verò sunt possibilia posterioris generis, præcipere potest, qualis est abstinentia a peccatis etiam venialibus; nam homo cum ordinariis auxiliis, si eis consentiret, & totas voluntatis vires adhiberet, impetraret uberiora auxilia, quibus immunis à quibus-
» cumque peccatis redderetur: Sed quia, inquit
» sanctus Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis
» cap. 3. ad nonnulla superanda, quæ vel malè cu-
» piuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis ali-
» quando & totis viribus opus est voluntatis, quas
» nos non perfectè in omnibus adhibituros prævi-
» dit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, *non*
» *justificabitur inconspectu tuo omnis vivens*. Ta-
» les itaque nos Dominus futuros prævidens, quæ-
» dam salubria remedia contra reatum & vincula
» peccatorum, etiam post baptismum dare ac va-
» lere dignatus est, opera scilicet misericordiæ,
» cùm ait: Dimittite & dimittetur vobis.

Conclusio Quarta.

XII. Posset homo divinô fretus auxilio omnia vitare peccata venialia.

Per extraordinaria gratiæ auxilia. & ex singulari Dei privilegio pura creatura vitare potest omnia peccata venialia. Hæc est communis inter Catholicos piè existimantes Deiparam Virginem hoc illustri ac singulari privilegio fuisse donatam, ut tradit Concilium Tridentinum sess. 6. Canone 23. priori conclusione laudatô, ubi anathema dixit in eum, qui dixerit *posse hominem justificatum in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia.* Subscribit sanctus Augustinus lib. de natura & gratia cap. 36.
» ubi ait: Exceptâ sanctâ Virgine Mariâ, de qua
» propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm
» de peccatis agitur, habere volo quæstionem: in-
» de enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fue-
» rit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd
» concipere ac parere meruit eum quem nullum
» constat habuisse peccatum. Hâc ergo Virgine ex-
» ceptâ, si omnes illos Sanctos & Sanctas cùm hîc
» viverent, congregare possemus, & interrogare
» utrum essent sine peccato, quid fuisse responsu-
» ros putamus? utrum hoc quod iste Pelagius dixit,
» nempe sine peccato & justè vixisse, an quod Joan-
» nes Apostolus? Rogo vos? quantâlibet fuerint in
» hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc inter-
A rogari potuissent, nonne unâ voce clamassent: *Si* «
dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos «
seducimus, & veritas in nobis non est. «

Ratione etiam firmari potest præsens conclusio. Nam Deus talem gratiam humanæ voluntati in quibuslibet occasionibus conferre potest, qualem S. Augustinus describit libro de Corrept. & Gratia cap. 12. his verbis, *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Atqui si talis gratia conferretur homini in omnibus peccandi occasionibus, nusquam peccaret, licèt peccare posset, eò quòd ejus voluntas indeclinabiliter & insuperabiliter ad bonum ageretur & averteretur a malo: Ergo fieri B posset ex singulari Dei privilegio ut homo omnia peccata vitaret.

Quæstio III.

An & quali homo indigeat gratia ad perseverandum in fuga mali, & boni prosecutione?

I. Perseverantia considerari potest, *vel* absolutè, *vel* secundùm quid.

Notandum primò, ex sancto Augustino, lib. de bono perseverantiæ, cap. 1. perseverantiam duobus modis posse considerari: *Primò* quidem *absolutè*, prout eam ibidem sanctus Augustinus definit: *Asserimus*, inquit, *donum Dei esse perseverantiam, quâ usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico, quò vita ista finitur, in* C *qua tantummodo periculum est ne cadatur.* Secundò perseverantia accipitur *secundùm quid*, quâ scilicet aliquandiu justus perseverat in boni prosecutione & aversione mali, sed urgente tentatione in peccatum labitur; hæc autem perseverantia dicitur tantùm *secundùm quid*, quia non ad ipsius vitæ terminum duravit: perseverantia verò simpliciter, omnis ea dicitur quæ morte coronatur, quantumcùmque brevis fuerit temporis: *Nam*, inquit ibidem S. Augustinus, *perseverantiam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, nullo modò habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem, potiusque hanc habuit unius anni fidelis, &* D *quantùm infrà cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.*

II. Perseverantia fit vel *indeliberatè* vel *liberè*,

Notandum secundò, duobus iterum modis aliquem perseverare usque in finem: *Primò*, quidem, *indeliberatè* cùm post acceptam gratiam sanctificantem, & antequam ullum actum liberum exerceat, moritur; ut dum infantes moriuntur post susceptum baptismum ante usum rationis: similiter, dum adulti post acceptam justificationis gratiam diem extremum claudunt, antequam ullum liberum actum exerceant. *Secundò*, perseverantia usque in finem fit *liberè*, cùm post acceptam sanctificantem gratiam justus aliquandiu vivit & in observantia mandatorum Dei, ten- E tationum victoria, ac virtutum exercitio ad mortem usque jugiter perseverat. Quæritur itaque an hæc utraque perseverantia sit speciale Dei donum à gratia habituali & sanctificante distinctum.

III. Auxilium divinum est duplex, *commune* & *speciale*.

Notandum tertiò. auxilium supernaturale hominibus à Deo concessum, ut declinent à malo & faciant bonum, esse duplicis generis; aliud enim commune est, aliud autem speciale. *Commune*, est illud quod Deus largiri solet omnibus, cùm præceptum aliquod implendum aut superanda tentatio occurrit; cujus meminit sanctus Augustinus, lib. de Gratia & libero Arbitrio, cap. 18. *Liberum*

arbitrium, inquit, *fine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret:* Speciale verò auxilium est, per quod, ut idem sanctus Augustinus loquitur lib. de Correptione & Gratia, cap. 11. *in bono recipiendo & perseveranter tenendo datur nobis non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.* Tria igitur hîc sunt determinanda: *Primum* quidem quòd non sufficiat homini gratia justificationis ad perseverandum, sed præterea requiratur actuale aliquod supernaturale auxilium: *Secundum* quòd illud auxilium sit vel internum, vel externum. *Tertium*, an & qualiter possimus illud auxilium promereri.

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

IV.

Nullus perseverare potest sine speciali auxilio.

Præter gratiam sanctificantem, necessarium est aliquod Dei donum actuale supernaturale, quò homo perseverare possit simpliciter usque in finem.

Probatur primò ex Scriptura sacra illis omnibus textibus, quibus significatur hominem justum divinô egere auxiliô ad perseverandum: Sic Psal. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Et Psal. 79. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te.* Unde sanctus Augustinus de bono perseverantiæ, cap. 7. Manus igitur Dei est ista, non nostra, ut non discedamus à Deo; manus, inquam, ejus est ista qui dixit Jeremiæ 32. *Timorem meum dabo in cor eorum ut non recedant à me.* Psal. 126. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* Joan. 17. *Pater serva eos in nomine tuo.* Quibus verbis Christus Patrem rogat, ut Apostolos jam justificatos auxiliô suô fulciat, ac protegat. Primæ Petri 5. *Deus omnis gratiæ qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.*

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Egregiè hanc veritatem colligit & probat sanctus Augustinus *lib. de dono persever.* ex oratione Dominica: Si enim alia documenta non essent, *inquit, c. 7.* hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nobis linquit in quo tanquam in nostro gloriemur. *Et cap. 2.* An verò quisquam eorum est, qui non sibi poscat à Deo ut perseveret in eo cum ipsa oratione, quæ Dominica nuncupatur; quia eandem Dominus docuit, quando oratur à Sanctis, nihil penè aliud quàm perseverantia possit intelligatur.

2. Ex S. Augustino.

Quod utique demonstrat ex expositione beati Cypriani ad singulas ejusdem orationis particulas: *Primò* namque orando Deum; *sanctificetur nomen tuum*, id petimus & rogamus, inquit beatus Cyprianus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quòd esse cœpimus, perseveremus. Quid cùm dicimus, *Veniat regnum tuum?* Non aliud poscimus, inquit sanctus Augustinus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus Sanctis: Ergo & hi qui jam Sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate, quæ illis data est, perseverent? neque enim aliter eis veniret regnum Dei, quod non aliis sed his qui perseverant usque in finem certum est esse venturum. *Fiat voluntas tua*, cùm jam facta sit, inquit sanctus Augustinus cap. 3. in eis (scilicet Sanctis) cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse cœperunt? *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hæc verba, inquit sanctus Augustinus cap. 4. postquam protulit expositionem sancti Cypriani) perseverantiam prorsus à Domino Sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Ne à Christi corpore separentur, sed in eadem sanctitate permaneant, quâ nullum quò inde separari mereantur, crimen admittant. Jam verò, *inquit ibidem cap. 5.* cùm dicunt Sancti, *Ne nos inducas in tentationem*, quid aliud quàm ut in sanctitate perseverent precantur? Nam profectò concessô sibi istô Dei donô...... Ne inferantur in tentationem; nemo Sanctorum est, qui non teneat usque in finem perseverantiam sanctitatis: neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desistit, nisi in tentationem penitùs inferatur: Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur in tentationem; in sanctificatione utique quam Deô donante percepit, Deô donante persistit.

Probatur secundò ex Conciliis: Arausicano canone 10. *Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Tridentino, pariter sessione 6. cap. 13. ait: *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet; & eum qui cadit, restituere.* Unde Canone 16. perseverantiam appellat: *Magnum donum.* Et Canone 22. sic decernit. *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

3. Ex Conciliis.

Probatur tertiò ex summis Pontificibus; maximè verò Innocentio primo, in rescripto ad Concilium Carthaginense; in quo hæc habet: *Quamvis hominem redemerit à præteritis peccatis, tamen sciens iterum illum posse peccare, ad reparationem sibi, sic ut posset illum & post ista corrigere multa servavit, atque quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Item ex Cœlestini Epistola, cap. 6. ubi ex præfatis verbis Innocentii infert, *Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

4. Ex summis Pontificibus.

Dices primò, Homo justus vitare potest omne malum, quò amicitiam Dei perderet: Ergo speciale donum quò perseveret usque in finem, minimè requiritur. Patet antecedens: Homo namque justus habet gratiam sanctificantem, quæ ipsum in statu & ordine supernaturali constituit; ac subinde potentem efficit ad omnes tentationes vincendas, & solvenda omnia salutis offendicula.

V.

Non sufficit gratia habitualis ad perseverandum.

Nego antecedens: ad id namque non sufficit sola habitualis gratia, sed præterea requiruntur etiam actualia auxilia, ut actu perseveret usque in finem: Nam, ut verbis sancti Augustini cap. 7. de bono Perseverantiæ, utar; *De illa perseverantia loquimur quâ perseveratur usque in finem, quæ si data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Non itaque dicant homines, perseverantiam cuiquam datam usque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseverasse, cui data est, expertus fuerit usque in finem.*

Dices secundò. Fieri potest ut homo justus statim post acceptam justitiam moriatur: sed in eo casu

non eget aliquô auxiliô actuali à gratia habituali distincto: ergo præter illam nihil ad perseverandum desideratur.

Respondeo primò; hîc non esse sermonem, ut diximus, de perseverantia illa indeliberata, sed de voluntaria; quâ nempe homo paratus est ad vincendas omnes tentationes & superanda omnia offendicula, quæ à salute removerent.

Respondeo secundò, hanc præmaturam mortem non esse equidem aliud gratiæ actualis donum, sed saltem est aliud donum externæ protectionis, quô unus præ alio seligitur & rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, aut ne fictio decipiat animam ejus: quod sanè singulare divinæ misericordiæ beneficium est, si non internum, saltem externum.

VI. Quomodo Christus D. dicatur plua restituisse quàm per Adami peccatum fuerat deperditum.

Dices tertiò: Christus Dominus copiosè restituit omnia, quæ per Adami peccatum fuerant adempta; est enim apud Deum *copiosa redemptio, & ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: at si non peccasset Adam, perseverantia concessa fuisset ejus posteris per solam gratiam habitualem: ergo nunc etiam omnibus justis conceditur.

Distinguo majorem: Plus restitutum fuit homini per Christum, quàm per Adam fuerat amissum, in quantùm homo nunc habet non solùm potentiam ad perseverandum, quam habebat Adamus; sed etiam donum quô de facto perseveret; quod Adam non habebat, ut docet sanctus Augustinus librô de Correptione & Gratia cap. 11. concedo: plus restitutum est hôc sensu, quod singulis hominibus fuerit concessum, ut haberet omnia necessaria ex parte Dei ad perseverandum, nego: hoc enim perseverantiæ donum quod omnibus hominibus in statu innocentiæ fortè fuisset concessum, nunc paucioribus tribuitur; multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Dices quartò: Gratia est excellens divinæ naturæ participatio, quæ vires sufficientes confert ad omnes virtutum actus exercendos: Ergo cum gratia habituali & generali Dei concursu illi debito potest aliquis perseverare. Confirmatur antecedens his verbis Concilii Milevitani, Canone 8. "Si quis dixerit gratiam per quam justificamur per "Christum, valere ad solam remissionem peccatorum, quæ commissa sunt, & non in adjutorium, ne iterum committantur, anathema sit."

VII. Gratia habitualis ex se potest sufficere ad perseverantiam: at non ita ratione subjecti.

Respondeo distinguendo antecedens: Gratia habitualis sufficiens est cum concursu generali, ex se & spectata secundùm propriam virtutem, concedo: sufficiens est ex parte subjecti & hominis lapsi, nego: licèt enim gratia habitualis efficacitatem sufficientem habeat, ut quodlibet peccatum & ejus occasiones expellat; tamen ad id in homine lapso non est sufficiens, nisi speciali auxiliô fulciatur ac roboretur: Etenim etsi gratia sanet animam eluendo culpam, non tamen ejus sanitatem ex integro restituit auferendo infirmitatem, quæ ex parte concupiscentiæ suboritur. Ad Concilium autem dico, gratiam quâ justificamur, valere in adjutorium, ne peccata committantur, ubi graves non urgent tentationes & occasiones peccati, concedo: ubi verò tales sunt ad peccandum illecebræ, præter gratiam habitualem, necessaria sunt auxilia specialia, quibus animus in aversione mali & boni prosecutione roboretur.

Dices quintò: Gratia habitualis confert jus ad gloriam, quæ in gratia velut fructus in semine virtualiter continetur, juxta illud Joannis: *Semen Dei est in illo*: Ergo continuatio gratiæ cum gloria ex debito, & non ex speciali gratia contingit; subindéque perseverantia faciens conjunctionem gratiæ cum gloria, non est speciale donum a gratia habituali distinctum.

Licèt quandiu in eo est, ei conferat jus ad hæreditatē.

Nego consequentiam: Licèt enim homo justus habeat jus ad gloriam, quandiu gratia habituali illustratur: non tamen habet jus ut usque ad mortem in gratia perseveret; quippe cùm ratione liberi arbitrii ad bonum & malum quandiu vivit deflectere possit: Unde quando quis a Deo ita liberaliter protegitur, ut non amittat gratiam instante morte, maximum est & specialissimum beneficium ac præcipuus effectus prædestinationis: sicut è contra quòd aliquis permittatur mori in peccato, seu peccatum illius cum morte conjungi, est ultimus effectus reprobationis, ut docet sanctus Augustinus librô de bono perseverantiæ, capite 9. Ex duobus piis, inquit, cur huic donetur perseverantia usque in finem; illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum hunc esse ex prædestinatis, illum non esse: nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat secretum, mansissent utique nobiscum.

Dices denique: Deus suâ gratiâ justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur, ut docet Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 2. his verbis: *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*: quæ verba desumpta sunt ex sancto Augustino librô de Natura & Gratia capite 26. Atqui si non daretur omnibus gratia necessaria ad perseverandum usque in finem vitæ, Deus desereret aliquos justificatos priusquam ab eis desereretur: ergo gratia perseverandi, necessariò debet esse connexa cum gratia habituali.

VIII. Quomodo Deus nullum deserat, nisi ab eo priùs deseratur.

Nego minorem: Deus enim nemini denegat gratiam ad perseverandum, nisi illi qui priùs ipsum deseruerit sive desertione propriâ, sive impropriâ. Duplex enim distingui potest desertio Dei, nempe propria, quâ Deus deserit animam quam per gratiam sanctificantem inhabitabat, velut sanctuarium & templum suum, juxta illud Christi oraculum: Joannis 14. *Si quis diligit me diligetur à Patre meo ad eum veniemus & mansionem apud eum faciamus*. Quod utique templum dicitur deserere dum ratione mortalis peccati illam sanctificantem gratiam ab anima removet: altera autem dicitur impropria, quâ Deus equidem non solvit amicitiam quam habet cum anima justa, nec sanctificantem gratiam ab ea tollit, sed ob justas licèt occultas rationes suæ providentiæ, ipsi animæ quam inhabitat non confert gratias quasdam actuales, quæ videntur esse necessariæ ad actus virtutum eliciendos: hæc autem auxilii denegatio dicitur desertio, sicut amicus amicum deserere dicitur, dum illi denegat subsidia, quibus indiget. Hujusmodi autem desertio est impropriè dicta, quia Deus animam suâ patientiâ, amicitiâ & gratiâ sanctificante non destituit, quandiu in mortale peccatum non labitur.

Possunt igitur præfata Concilii verba exponi de hac duplici desertione; nam verum est Deum non removere ab anima gratiam sanctificantem, quandiu homo justus perseverat, nec per mortale peccatum Deum deserit. Similiter Deus nunquam denegat auxilia specialia homini, quibus perseverare possit usque in finem, nisi anteà homo Deum deseruisse videatur, vel ipsum non orando, vel de se præsumendo; ordo namque Divinæ providentiæ est, ut homo consequatur

perseverantiam per orationem & assiduam bonorum operum productionem. Unde qui non perseverat usque in finem in bonu, ideo non perseverat, quia deficit ab oratione, & humilitate, ratione cujus defectionis homo priùs Deum deserit superbiendo, & ab oratione cessandu, quàm Deus hominem deserat non largiendo auxilia specialia, quibus bonum prosequatur & aversetur malum.

Conclusio Secunda.

IX.
Quid donũ perseverantiæ importat.

Donum perseverantia duo connotat & importat: nempe vel collationem interni auxilii actualis efficacis in justis, qui diu perseverant: vel externam Dei protectionem & singularem misericordiam in iis qui citò moriuntur. Hæc cuuclusio duas involvit partes, quarum prima definitur à Concilio Tridentino sessione 6. Canone 22. ubi ait: *Si quis dixerit justificatum vel sine auxilio speciali Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Quibus verbis Concilium non solùm denotat gratiam aliquam præter sanctificantem & habitualem esse necessariam ad perseverandum, sed etiam significat esse aliquod actuale auxilium, quô homo in accepta justitia perseveret.

Nempe vel internum auxilium.

Eandem veritatem disertè tradit sanctus Augustinus librô *de Correptione & Gratia cap.* 12. Si, *inquit*, in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter electionem retinendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorium Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec in iis Deus operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes in infirmitate sua voluntas succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.

Dixerat autem antea, hoc esse discrimen inter gratiam datam Adamo ad perseverandum, & nobis concessam: quòd *primo Homini*, inquit, *qui à Deo bonum, quô factus fuerat rectus acceperat posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adjutorium perseverantia, non quò fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei & gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantia datur, sed tale ut eis ipsa perseverantia donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Quibus apertè significat non solùm auxilium speciale à gratia habituali distinctum, necessarium esse ad perseverandum in iis, qui adversus tentationes, & peccati illecebras, ad mortem usque pugnant, verùm etiam illud auxilium esse efficax & effectum sortiri.

Vel externã protectionem.

Secunda pars etiam constat; nempe quòd adulti qui post acceptam gratiam citò moriuntur, habeant perseverantiæ donum, per modum protectionis à gratia habituali & auxiliis ei adjunctis distinctum. Nam perseverantia propriè dicta, est donum proveniens ex speciali Dei misericordia, & providentia: sed illi qui post gratiam acceptam citò moriuntur, habent perseverantiæ donum propriè dictum; si non internum, saltem externum protectionis Dei eos ex misericordia in eo statu ex hac vita mortali eripientis: ergo in eis etiam perseverantia est donum à gratia habituali distinctum. Major constat ex prima conclusione. Minorem verò expressè tradit sanctus Augustinus capite 1. de bono Perseverantiæ: *Hanc verò*, inquit, *de qua nunc agimus, perseverantiam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, nullò modò habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem: potiusque hanc habuit unius anni fidelis & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à fidei stabilitate defecit.* Quibus significat illam perseverantiam, de qua contra Semipelagianos disputat, negantes esse speciale Dei donum; illam, inquam, consistere in hoc, quòd fideliter aliquis moriatur, etiamsi sit unius anni fidelis aut unius mensis, diei vel horæ vel quadrantis, modò scilicet in statu gratiæ sanctificantis mortem obierit.

X.
Quomodo dicuntur perseverare qui præmaturè moriuntur.

Unde cap. 17. ejusdem libri scribit: *Videte à veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cùm vitæ huic quando voluerit ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem: sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hac gratia.* Quibus apertè docet etiam parvulis usum rationis ante descedentibus concedi donum perseverantiæ finalis; non quidem internum & actuale efficax, cujus illi sunt incapaces, sed externum & ex singulari protectione & providentia Dei disponentis eorum mortem pro tempore, quô sunt in gratia; & non sinentis eos diutiùs vivere, ne gravioribus tentationibus & peccatorum illecebris ac liberi arbitrii vertibilitati expositi, gratiam ante mortem deperdant: Juxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.* Quare licèt illud perseverantiæ donum non sit internum aliquid à gratia sanctificante distinctum, saltem est donum externæ protectionis & singularis misericordiæ Dei.

Dices: In eo casu, quô quis post acceptam gratiam statim moritur, tempus non habet deliberandi, & actus voluntarius eliciendi; sed solùm requiritur quòd conservetur gratia, & eâ perseverante mors adveniat: at mortis eventus, naturalis est, nec censeri potest donum Dei; imò potius pœna peccati; siquidem *per peccatum mors intravit in mundum*, ait Apostolus ad Romanos 5. gratiæ autem conservatio, est beneficium generale ordinis supernaturalis: ergo utriusque conjunctio non debet reputari gratia singularis.

Respondeo, quòd etsi gratiæ infusio secundùm se spectata, sit beneficium commune aut generale; tamen illius infusio & conservatio eô fine, ut cum morte conjungatur, speciale Dei beneficium est; quia huic conjunctioni annexa est gratia infallibiliter, & ex illius efficaci intentione procedit. Similiter etiam si mors considerata quatenus omnibus hominibus communis est, non sit donum Dei, sed pœna peccati; prout tamen est conditio quædam requisita ad habendum statum immobilem in gratia, & ad gloriam æternam obtinendam, ex speciali Dei gratia conceditur, & est speciale ejus beneficium, sicut est ista beatitudo ad quam perducit. Quod utique egregiè explicat sanctus Augustinus librô 13. de Civitate Dei: *Tantùm*, inquit, *Deus gratiam fidei præstitit, ut mors quam constat vitæ esse contrariam fieret, instrumentum, per quod transitur ad vitam.*

Conclusio Tertia.

XI. Donum perseverantiæ potest quis promereri non de condigno.

Donum perseverantiæ, ita gratuitum est, ut nullus illud de condigno possit promereri, sed tantum ex congruo.

Prima pars conclusionis patet ex dictis, quibus perserverantiæ donum specialem Dei gatiam esse ac gratis & non ex meritis concedi sufficienter probatur; illudque totô librô de bono perseverantiæ probat sanctus Augustinus; nec-non & librô de Correptione & Gratia, ubi illius eximii doni uni præ alio collationem aut fatetur se causam ignorare, aut illam in solam Dei misericordiam & bonitatem refundit. Sic enim ait cap. 8.
B *Si hîc etiam à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus etiam quâ Christianè viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo.* Et infra: *Mirandum est quidem multùmque mirandum, quòd filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos.* Et posteà Pelagianos alloquens ait: Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus: *Quanquam inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scri-
C ptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis justi ait: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus; *apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum*, & in cujus potestate est quandiu quisque in hac vita maneat, quæ *Tentatio dicta est super terram?* Sicut ergo coguntur fateri donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono motetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas, de quibus testimonia mol-
D ta jam posui, fateantur nobiscum; & cor aliis detur, aliis non detur sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.

Dices: Concilium Tridentinum, Canone 22. suprà citato anathemate ferit eum, qui dixerit justificatum cum auxilio speciali Dei in accepta justitia perseverare non posse: at hoc esset falsum; si justificatus non posset gratiam perseverantiæ promereri; siquidem illa extra illius captum & vires esset: ergo potest illam promereri.

Distinguo minorem: Si non posset illam promereri, vel de condigno, vel de congruo, concedo: meritô de condigno solùm, nego. Fateor igitur justificatum posse, cum subministratis sibi divi-
E nitùs auxiliis, ita fidelem sese erga Deum famulum, ac ministrum exhibere, ut in dies nova suscipiat auxilia, quibus procedat de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion; non tamen ita potest agere suis meritis, ut Deus ex justitia, vel ex fidelitate teneatur ad perseverandum ipsi gratiam subministrare.

XII. Sed tantùm de congruo.

Probatur secunda pars; nempe quòd possimus meritô de congruo illam perseverantiæ gratiam promereri; hanc enim veritatem apertè tradit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13. ubi hæc habet: *De perseverantiæ munere, dequo scriptum est,* Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit: *Quod quidem aliundè haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat sta-
A tuere ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere.* Post pauca: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere; veruntamen qui se existimat stare, videat ne cadat, & cum timore salutem suam operetur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate.* Ut docet Concil. Tridentin.

Hanc ipsam veritatem etiam commendat sanctus Augustinus librô de bono perseverantiæ capite 6. ubi affirmat illam posse emereri; *Hoc ergo Dei donum*, inquit, *emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Et cap. 7. etiam significat Deum perseverantiæ be-
B neficium concedere orantibus: *Poterat*, inquit, *nobis etiam non orantibus dari, sed oratione nostrâ nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia.* Et cap. 16. *Cùm constet Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam: profectò qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat.* Et cap. 20. *Quando oratur à Sanctis, nihil penè aliud quàm perseverantia posci intelligitur,* Igitur tam assiduo bonorum operum exercitio, quàm jugi, ac frequenti orationi Deus immensum illud perseverantiæ finalis beneficium largiri solet: Oportet ergo ut unusquisque nostrum fi-
C delis sit usque ad mortem, & ut repromissam nobis coronam vitæ Deus retribuat, teneamus quod habemus, ut nemo accipiat coronam nostram. S. August.

Denique sanctum Bernardum monentem audiamus: *Tene quod tenes, hostiæque caudam junge capiti, & tunicam Dei gratiâ jam polymitam; cura facere, & talarem, quoniam cœpisse nihil proderit, si quod absit, perseverare non contigerit: sola enim perseverantia informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum ducit navigantem: sola æternitatis quandam speciem præ se fert: sola est cui æternitas redditur, vel quæ æterni-
D tati hominem reddit.* Et S. Bern.

XIII. Qualiter perseverantiæ donum à confirmatione in gratia discrepat.

Petes: An & qualiter donum perseverantiæ finalis à confirmatione in gratia distinguatur?

Respondeo probabilius videri, utrumque donum non essentialiter discrepare: *Tum quia* donum confirmationis in gratia, sicut & donum perseverantiæ finalis, hominem cui conceditur, ad æternitatis portum deducit: *Tum quia* pro uno eodemque indiscriminatim; hoc utrumque donum Scriptura sacra usurpat. Sic Psalmô 36. *Confirmat autem justos Dominus.* 2. ad Thessalonicenses 3. *Fidelis autem Dominus est qui confirmet & custodiat à malo.* Hinc sanctus Augustinus librô de Correptione, & Gratia cap. 11. & 12. utrumque donum pro unô eodemque usurpat; dum ait Apo-
E stolos habuisse donum perseverantiæ; quos tamen certum est confirmatos fuisse in gratia.

Differunt tamen accidentariò, in hoc maximè quòd perseverantiæ donum commune sit omnibus prædestinatis: aliud verò sit specialissimum, solis personis eximiis, putà beatæ Virgini, Apostolis, & aliis paucis concessum. *Insuper* donum confirmationis addit supra perseverantiam quandam singularem excellentiam, & copiam auxiliorum; nam etsi sint graviores, & difficiliores tentationes, facilior, & suavior est victoria in confirmatis, quàm in perseverantibus. *Addunt* aliqui, quòd habens donum perseverantiæ potest tentari, et de facto tentabitur ad peccandum mortaliter, etiamsi tentationi nusquam succumbat: confirmatus verò in gratia, talibus tentationibus

stimulari, ac infestari non possit; hoc enim videtur fuisse Deiparæ Virginis privilegium, ut ad peccandum mortaliter, imò etiam venialiter, tentata non fuerit, nec incitata.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Essentia, Causis, & variis Gratiæ Divisionibus.

Disputationis distributio.

EXPLICATA Gratiæ necessitate ad verum cognoscendum, bonum faciendum & malum fugiendum; jam investiganda est ejus essentiæ dignitas, causæ detegendæ, & variæ illius divisiones ac species declarandæ, quod utiqoe pro modulo nostro præstabimus tribus in sequentibus Articulis: quorum *primus*, Gratiæ essentiam: *Secundus*, illius causas: *Tertius* verò ejusdem varias ac multiplices species reserabit & explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Essentia gratiæ.

HIc non est futurus sermo de essentia gratiæ actualis, quia in tertio articulo, explicando, varias ipsius gratiæ actualis divisiones, explicabimus: sed solùm præsens dissertatio agit de gratia habituali, quæ nobilissima est gratiæ species. Est enim, inquit S. Gregorius, *radix bonorum operum.* Quippe, ait S. Chrysostomus, *rubiginem peccatorum tollit, animum splendentem atque ignitum reddit, Solisque radiis pulchriorem facit, ex deformi formosum, & ex infirmo sanum.* Ipsa enim teste Augustino, *interioris hominis pulchritudo est, & humanæ mentis candor.* Siquidem ait Nazianzenus, *irradiat animam ac Deo similem reddit.* Etenim, inquit S. Petrus: *maxima & pretiosa nobis Deus promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ:* Et ut commendabat Christus Dominus, evadimus *perfecti, sicut Pater noster cœlestis perfectus est.* Et per eam consequimur *potestatem filios Dei fieri*, ait S. Joannes, et enim addit S. Paulus: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Illa est quâ cætera in nobis divina charismata fulgent, fides radiat, spes firmatur, charitas ignescit, & tota illustris virtutum corona bonorum operum fructibus coronatur. Illa tandem est quâ ducente & lucente securi ambulamus, quâ juvante feliciter ac fortiter dimicamus; quâ protegente vincimus, quâ conservante coronamur.

S. Greg. hom. 17 in Evang. S. Chrysost. 9 ad Cor. hom. 40. S. August. lib de Spir. & L. c. 30. & 1. ad Simplic. q. 2. Nazianz. orat. in S. Lavacrum. 2 Petri 1.

Quàm præclare sint gratiæ sanctificantis elogia.

Hujus itaque præstantissimi ac verè divini muneris ut essentiam, quantùm humanitùs datur, deprehendamus, tria hoc in Articulo determinanda sunt. *Primum*, An gratia sit quid increatum vel creatum, habitus jugiter perseverans, an actus leviter & citò transiens. *Secundum*. An eadem sit cum charitate, vel quid ab ea formaliter aut realiter distinctum. *Tertium*. An & quomodo augeri possit & minui, conservari & corrumpi.

QUÆSTIO PRIMA.

An gratia sit quid increatum vel creatum, intrinsecum vel extrinsecum, substantia vel accidens?

I. Triplex erronea sententia circa Gratiæ sanctificantis naturam. 1. Videtur esse Magistri sententiarum.

NOtandum primò, circa præsentis quæstionis resolutionem tres fuisse erroneas sententias: quarum prima tribuitur Magistro sententiarum in 1. *dist.* 17. per totam, maximè verò *cap. penultimô*, ubi asserere videtur charitatem (quam infrà probabimus eandem esse realiter cum gratia sanctificante) non esse habitum creatum, sed ipsammet S. Spiritûs personam nobis substantialiter communicatam, quæ nullò mediò habitu creatô sit immediatum principium dilectionis, quâ Deum & proximum diligimus: idque propter excellentiam charitatis, quæ in recto de Deo prædicatur, juxta illud 1. Joan. 25. *Deus charitas est.* Idem enim de cæteris virtutibus non legimus; quippe nusquam Scriptura dixit; Deus est fides, Deus est spes; subindéque licèt hæ virtutes sint habitus nobis infusi à Deo distincti, atque adeò immediata principia actuum supernaturalium: Charitas tamen non videtur habitus infusus à Deo distinctus, sed Deus ipse inhabitans animam justi, qui per se ipsum immediatè est principium actûs charitatis in nobis.

2. Calvini.

Secundus error fuit Calvini lib. 3. Institutionum cap. 11. ubi negat in homine omnem interiorem justitiam: faceturque hominem equidem dici justum, sed per extrinsecam duntaxat imputationem justitiæ Christi aut Dei: quem utique errorem tuetur illô Pauli 2. Corinth. 5. cap. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit; ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Vides, inquit, Calvinus, non in nobis, sed in Christo esse justitiam nostram; nobis tantum eô jure competere, quia Christi sumus participes? *Tertia*, denique sententia erronea, fuit Osiandri in sua Harmonia Evangelica, ubi asserit gratiam sanctificantem esse potius substantiam, quàm qualitatem; quia, inquit, gratia nihil aliud est, quàm justitia & sanctitas ipsius Dei constituens hominem justum & sanctum: sicut lux solaris nihil est aliud, præter præsentiam ipsius Solis super totum hemisphærium. Quam utique triplicem erroneam assertionem tribus in sequentibus conclusionibus suscipimus explodendam:

3. Osiandri.

II. Duplex est gratia justificans: *Efficiens & formalis.*

Notandum secundò, omnes Catholicos convenire quòd homo justificatus duplicem habeat gratiam: creatam unam per quam justificatur formaliter; increatam alteram per quam efficienter justus efficitur; quam utique veritatem luculen-

ter explicuit S. Paulus Roman. 5. dicens, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* His namque verbis significat, justis concedi non solùm charitatem quæ quid creatum est, sed etiam Spiritum sanctum, qui in justis velut in sanctuario habitat: quamquam enim tres simul adorandæ Trinitatis personæ justum suâ divinâ præsentiâ illustrent ac consecrent, juxta illud Christi Domini Joan. 4. *Si quis diligit me.... ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*; attamen speciali ratione Spiritus sanctus dicitur *gratia*: quia, inquit Alensis noster *quæst. 61. membro 2. art. 2.* dicitur gratia secundùm quod dicitur donum; & dicitur donum secundùm quod dicitur amor; ipse enim Spiritus sanctus secundùm suam proprietatem amor est, & ut amor procedit à Patre & Filio: & ideo quia donum est, ideo amor est, quia nihil est donum nisi ratione amoris; nam si aliquid ex timore, non est donum propriè, imò redemptio; similiter si detur ex cupiditate, non est donum sed quæstus: sed donum propriè est ex amore & liberalitate & sine coactione: ut in omni dono primo donatur amor; & sic Spiritus sanctus dicitur gratia, quia donum, & donum, quia amor. Quibus constat Spiritum sanctum peculiari ratione animam justi inhabitare ac consecrare. Sed difficultas est num id præstet suâ divinâ præsentiâ immediatè; an verò mediante aliquô dono creatô.

Quare Spiritus S. dicatur gratia.

Notandum tertiò, ex eodem Alensi *ibidem art. 3.* gratiam comparari posse ad animam dupliciter, scilicet vel ad primum illius esse naturale; vel ad illius esse secundum & supernaturale. Priori modo spectata gratia, proculdubio est accidens, quippe animæ advenit post illius esse omnimodè perfectum & completum: sed difficultas est an considerata per ordinem ad animam in ordine sopernaturali subsistentem, dici possit modus aliquis substantialis, an verò purum accidens. Quæ difficultas conclusione sequenti solvetur.

III. Duplex gratiæ cō paratio cū anima.

Conclusio Prima.

Gratia habitualis non est quid increatum, sed creatum. Hæc est communis inter Catholicos. Et probatur primò ex Scriptura sacra, illis videlicet omnibus locis quibus significat nos justificari formaliter per donum à Deo nobis concessum. Sic S. Paulus Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quæ verba sic expendit S. Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 32. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris: non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei quâ justi ejus munere efficimur.* His concordant illa verba S. Petri 2. cap. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ:* His enim Apostolorum Princeps declarat, nos divinam similitudinem induere, dum per maxima ac pretiosa gratiæ munera nobis à Deo concessa evadimus divinæ consortes naturæ: subindeque censet nos justificari per aliquid à Deo distinctum: donum enim à datore solitò distinguitur; quamquam non inficier verbum divinum & Spiritum sanctum seipsos dedisse; dum ille à Patre, hic à Patre unà cum Filio nobis datus est. Eandem veritatem illostrant ac confirmant omnes alii textus sacri, quibus infrà suadebimus gratiam habitualem in nobis jugiter permanere.

Conclusionem probat Doctor *in 1. dist. 17. qu. 3.* octo rationibus quas omnes ad tria capita revoco. *Prima* ratio deducitur ex justificatione peccatoris, qui ante pœnitentiam *injustus* dicitur; post pœnitentiam verò *justus* appellatur, ex quo sic argumentatur Doctor *num. 18.* Injustitia cùm sit formaliter privatio, non potest ab aliquo auferri, nisi per habitum oppositum; quia privatio non tollitur nisi per formam quâ subjectum per privationem carebat: ergo ille justificatus qui de injusto factus est justus, necessariò debuit recipere habitum oppositum illi privationi significatæ per nomen injustitiæ. Quæ utique ratio urget quidem secundùm legem ordinariam, nam de potentia extraordinaria & absoluta, tolli posset injustitia per solam condonationem extrinsecam, & absque ullo habitu positivo infuso, ut cum eodem Doctore docebimus infrà.

IV. Gratia sanctificans est aliquid creatum.

Ut optimè probat Doctor.

1 Quis per aliquid receptum homo de injusto fit justus.

Confirmat *num. 19.* Si nihil aliud est in anima post pœnitentiam, quàm ante, non videtur quòd aliquô aliô modô se habeat homo justus ad Deum, nec Deus ad ipsum, quàm dum erat injustus, quia non videtur ibi esse diversitas ex parte Dei, si Deus in ipso nihil infundat & producat: sed falsum est quòd homo justus non aliter se habeat ad Deum, nec Deus ad ipsum, quàm dum erat peccator; siquidem Deus justum diligit, peccatorem odiô habet: ergo necessum est quòd illa diversitas petatur ex parte gratiæ sanctificantis & charitatis in homine justificato productæ.

Probatur secundò. Deus justum acceptat & ordinat ad vitam æternam: sed illa acceptatio non est voluntas ipsum pro tunc beatificandi: hanc enim voluntatem si haberet Deus, de facto hominem justum ad æternam fœlicitatem sublimaret: ergo voluntas ipsa nihil aliud est, quàm judicium quô scilicet Deus judicat hominem justum dignum beatitudine, cujus erat indignus dum erat injustus: atqui Deus non potest habere talem voluntatem, nisi interveniat aliqua mutatio vel ex parte Dei, vel ex parte peccatoris: non quidem ex parte Dei, quia voluntas ejus est intrinsecè immutabilis: ergo necessum est quòd illa mutatio repetatur ex parte peccatoris, subindeque oportet ut homo justificatus formam aliquam accipiat, qua carebat dum erat peccator.

2. Quia Deus aliter afficitur erga hominem justū quàm ante.

Confirmat istam rationem; Quia, inquit, volitio divina, quæ est omnino unus actus in se, non habet rationem oppositorum actuum, sive distinctorum absque omni distinctione objectorum; velle namque & vel non velle divinum non accidunt, nisi propter objectorum diversitatem; alioquin contradictoria essent vera absque omni distinctione causante istam veritatem: ergo cùm Deus velit justum ordinare ad beatitudinem, ad quam peccatorem similiter non ordinat, necessum est quòd ista divinæ volitionis mutatio supponat aliquam diversitatem in objecto, alioqui Deus eôdem modô se haberet erga peccatorem, ac erga justum.

Probatur tertiò, ex ratione actûs meritorii, ad quem necessariò requiritur charitas inhærens; quia nihil agit formaliter aliqua actione, nisi principium illius actionis sit formaliter in agente: sed voluntas agit actione meritoria de condigno: ergo habet in se formam, quæ sit principium istius actionis; atqui ista forma non est fides neque spes, quia aliàs peccator habens fidem & spem posset mereri de condigno, quod est absurdum: insuper nulla actio est in potestate agentis, nisi agens habeat formam secundùm quam possit agere; si enim

3. Quia gratia sanctificās est principium operativum.

ageret per aliquid tantùm extrinsecum coassistens sibi, in quod potestatem non haberet, talis actio non esset in ejus potestate; sed actio meritoria debet esse in potestate merentis, utpote cùm debeat esse voluntaria: ergo necessum est quòd agens meritoriè habeat in se formam & principium actûs meritorii, quo liberè possit talem actum exercere; subindeque principium talis actûs meritorii non potest esse ipse Spiritus S. assistens, & concurrens particulariter cum voluntate ad actum meritorium; quippe divinus ille Spiritus non esset in libera dispositione voluntatis. Denique Spiritus sanctus non movet specialiter voluntatem ad actum meritorium, nisi producendo aliquid in ipsa: sed illud quod produceret in ipsa, aut esset actus ille meritorius, & sic voluntas non concurreret ad ipsum producendum, sed tantùm ad eum recipiendum passivè: aut esset aliquid aliud distinctum ab actu, ac proinde esset charitas aut gratia, nec enim aliud excogitari potest.

V. Idem optimè confirmat Alensis.

Hanc pariter veritatem probat Alensis noster hâc ratione: Sanctitas & gratia increata, quæ Deus est, facit nos esse gratos, aut per ipsam, aut per aliud à seipsa distinctum. Non per se ipsam, quia ipsa est in peccatore, sicut & in justo per essentiam, præsentiam & potentiam: ergo necessum est quod animam gratam efficiat Deo per gratiam à seipsa distinctam. *Insuper* dum simus Deo grati cùm propter peccatum essemus ingrati, aut aliquid de novo accipimus aut non. Si non: ergo idem in nobis est esse gratum aut ingratum Deo: si sic; ergo oportet quòd in justificatione aliquid creatum accipiamus. *Denique* ita Deus se habet ad animam justificando, sicut anima animat corpus vivificando: Deus est enim vita animæ, sicut anima est vita corporis: sed anima non vivificat corpus, nisi largiendo vitam; si enim anima teneret suum vivere in se, ita quòd non influeret aliquam dispositionem in corpus, nunquam corpus viveret: ergo quemadmodum est aliqua dispositio & principium vitæ in corpore quod vivit; similiter necessum est quòd sit aliqua dispositio vitalis in ipsa anima à Deo infusa adhoc ut vitâ spirituali dicatur vivere.

Objicies primò illud 1. ad Corinth. 14. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in illo.* Unde sanctus Augustinus 8. de Trin. cap. 7. infert quòd *qui diligit proximum, consequens est ut ipsam præcipuè dilectionem diligat:* nempe Deus qui est dilectio & charitas.

VI. Deus est charitas efficiens non formalis respectu nostri.

Respondet Doctor, num. 13. Sanctum Augustinum loqui de dilectione efficienti, non verò formali, ita quòd Deus equidem dicatur dilectio, quatenus dilectionem & amorem supernaturalem in nobis producit; non verò quòd sit ipsemet formaliter nostra dilectio, sicque rectè currit ratio sancti Augustini, quòd qui proximum diligit, debet etiam diligere Deum, qui est author illius dilectionis, quia ordinatè diligens minus bonum, magis debet diligere aliud majus bonum, præcipuè quando in minori non est ratio diligibilitatis, nisi à majori bono.

Objicies secundò. Nullum bonum (secundùm sanctum Augustinum, lib. 15. de Trin. cap. 18. *est Dei dono,* (nempe charitate) *excellentius:* sed nullum donum Dei est excellentius Spiritu sancto: ergo Spiritus sanctus est charitas; ac proinde gratia quâ sanctificamur.

Quamquã Spiritus S. talis sit respectu sui.

Respondet Doctor negando ultimam consequentiam: Spiritus enim sanctus potest equidem dici charitas, non tantùm effectivè, sicut Deus dicitur *spes* vel *patientia mea*, quia efficit patientiam & spem in me, quam in se non habet formaliter; sed dicitur etiam charitas formaliter; quia cùm charitas sit perfectio simpliciter simplex, ipsi convenit formaliter; non tamen inde sequitur quòd sit formaliter charitas & gratia quâ justificamur; sicut nec formaliter est vita quâ vivimus; licèt aliunde habeat in se vitam formaliter & illam in nobis producat.

Objicies tertiò. Omnis creatura potest intelligi non bona; sed charitas nequit intelligi non bona: ergo non est aliquid creatum.

Negat minorem Doctor: nam eo sensu quò quævis creatura potest intelligi non bona, nempe quatenus est defectibilis & corruptibilis, charitas etiam potest dici non bona, quippe minui potest, & per peccatum mortale penitus extingui.

Objicies quartò. Perfectioris virtutis est producere effectum sine medio, quàm cum medio: sed divina virtus sanctificans est perfectissima: ergo sanctificationem efficit absque ullo medio.

Distinguo majorem. Perfectioris est virtutis ex parte agentis, concedo: ex parte recipientis, nego; agens quidem nobilius censetur, dum propriâ ac solâ suâ virtute effectum suum producit; secus verò est de cooperante & actum recipiente, siquidem nobilius est coagere ad productionem actûs, quàm eum duntaxat passivè ab alio productum recipere.

Objicies denique: Omne quod agit in aliud, nobilius est eô in quod agit; agens enim dominium quoddam habet in passum, & illud suæ virtuti & activitati subjicit: ergo cùm gratia agat in spiritum creatum, debet esse spiritu creatô nobilior: sed nihil est nobilius spiritu creato, nisi Spiritus increatus: ergo gratia sanctificans est quid increatum.

VII. Quomodo gratia est nobilior & ignobilior animâ.

Respondet Alensis noster, locô suprà laudatô, gratiam esse nobiliorem spiritu creatô, non quidem simpliciter, sed secundùm quid; inquantùm enim, *inquit*, gratia comparatur ad animam ut agens in eam, nobilior est: sed secundum quòd comparatur ad animam velut dispositio ipsius, sic est ignobilior; & habet rationem ignobilioris, quia dispositio non est nobilior substantia, quam disponit, quia cedit in ipsam: sed in quantùm est movens, nobilior est. Exemplum patet in lumine; secundùm quod est in aëre ab ipso Sole, illud lumen dispositio est aëris: sed ex hypothesi quòd aër videret Solem, tunc lumen illud compararetur aëri in ratione moventis vel immutantis, quia lux immutat visum: sed illa ratio immutantis non se teneret ex parte aëris in quo esset, sed ex parte Solis à quo esset.

Petes, an reverà Magister Sententiarum docuerit gratiam sanctificantem non esse aliquid creatum.

VIII. Quæ fuerit sententia Magistri Sententiarum.

Respondet Doctor, *num.* 30. non eam fuisse illius sententiam, quippe *dist.* 37. apertè docet charitatem esse quid creatum, utpote cùm sit in puero, quem Deus inhabitat, qui tamen nullum potest habere actum elicitum circa Deum. Similiter in 2. *dist.* 26. admittit gratiam creatam in anima. Unde nihil aliud velle videtur locô suprà laudatô, quàm quòd peculiari ratione Charitas tribuatur Spiritui sancto; cui non tribuuntur cæteri habitus infusi, quia per habitum charitatis Spiritus sanctus inhabitat animam justi & simul per illum influit in actum dilectionis; quod utique non præstat per cæteros habitus fidei & spei: siquidem

ſiquidem per illum habitum, quô inhabitat animam juſti, non influit in actus fidei & ſpei reliquarumque virtutum, ſed mediantibus habitibus diſtinctis.

Conclusio Secunda.

VIII. *Gratia ſanctificans jugiter perſeverat.*

Gratia habitualis eſt donum ſupernaturale jugiter ac permanenter in homine perſeverans.

Probatur. Primò quidem ex Concilio Viennenſi; Clementinâ de ſancta Trinitate & fide Catholica, his verbis: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſmum applicatur pariter omnibus baptiſatis, opinionem ſecundam quæ dicit tam parvulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum modernorum Theologia magis conſonam & concordem, ſacrò approbante Conciliò, duximus eligendam.* Item ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. *Veram & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam ſeu primam ſtolam pro illa quam Adam ſuâ inobedientiâ ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam candidam & immaculatam jubentur ſtatim renati conſervare, ut eam perferant ante tribunal Ieſu Chriſti Domini noſtri; & habeant vitam æternam.* Unde ſic diſputo: Gratia quam percipiunt infantes in baptiſmo, quamqoe conſervare debent ac perferre ante tribunal Chriſti ut habeant vitam æternam, eſt intrinſeca & permanens: ergo, &c.

Ut colligitur ex Concilio Tridentino.

Et ex SS. Patribus.

Probatur ſecundò authoritate SS. Patrum. Primò qnidem *S. Dionyſii* lib. de Hierarchia Eccl. cap. 2. obi ait *per divinam generationem effici in nobis divinum ſtatum*: ſtatus autem eſt quid perſeverans ac ſubſiſtens. *S. Irenæi* lib. 5. adverſus hæreſes cap. 6. nbi ait *eos eſſe perfectos qui ſpiritum Dei perſeverantem habent.* S. Cypriani, Epiſt. 2. ad Dooatum, obi gratiam collatam in baptiſmo vocat *ſecundam è cœlo nobis infuſam animam.*

Ipſis concinit S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 26. ubi gratiam ſanctificantem comparat virtuti videndi exiſtenti in oculo, & arti habituali exiſtenti in artifice: *Sicut*, inquit, *cernendi vis eſt in oculo ſano, in anima purgata, &c. & ſicut ars eſt in eo qui illam nactus eſt; ita gratia Spiritûs ſancti eſt in eo qui illam recepit; ſemper quidem præſens, etſi non perpetuò operans.*

Eis adſtipulantur omnes illi ſancti Patres qui per gratiam ſanctificantem in nobis divinam imaginem ac pulchritudinem adumbrari & delineari docent. Sic S. Ambroſius l. 6. Hexam. c. 8. poſtquam dixiſſet joſtificationem fieri non in corpore, ſed in anima quæ Dei ſanctitatis imaginem refert, ait: *Pictus es ergo ô homo & pictus à Domino Deo tuo: bonum habes artificem atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fucô, ſed veritate fulgentem; non cerâ expreſſam, ſed gratiâ.* Ipſi conſentit ſanctus Aoguſtinus pluribi, maximè Epiſt. 85. ad Conſentium non longè à fine dicens, *Quid eſt aliud juſtitia, cùm in nobis eſt, vel qualibet virtus, quâ rectè ſapienterque vivitur, quàm interioris hominis pulchritudo?* pulchritudo autem eſt quid permanens, ſubindéque & gratia.

Eandem cœleſtem imaginem, divinamque pulchritudinem per ſanctificantem gratiam in nobis mirificè delineatam; ſic eleganter commendat S. Chryſoſtomus homil. 1. in Epiſt. ad Epheſ. nbi exponens illa verba: *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, ait: *Gratioſos nos reddidit, hoc eſt, non ſolùm peccatis liberavit, ſed dilectos & amicos nos effecit: quemadmodum enim ſi quis ſcabioſum quendam peſte, morbô, ſeniô, paupertate pariter ac fame corruptum nactus, formoſum mox adoleſcentem reddat, qui quoſvis venuſtate ſuperet, vehementem ſplendorem ex genis emittat, ipſaque fulgura oculorum repercuſſionibus obſcuret, quem deinde & in ipſo ætatis flore conſtituat, atque inſuper & purpura & omnigenô mundô veſtiat atque exornet, non aliter animam noſtram Deus & elaboratam & deſiderabilem & delectabilem reddidit: cupiunt Angeli eam aſpicere; & Deus ipſe, juxta illud, Concupivit Rex ſpeciem tuam.* Quibus verbis manifeſtè ſignificat hominem conſtitui juſtum per formas intrinſecas & permanentes, quibus renovatur, & ornatur, & mirabiliter illuſtratur ejus anima, Deoque pariter & Angelis grata & amabilis redditur.

IX. *Suadent hanc veritatem Thomiſtæ duplici ratione.*

Hanc concluſionem probare ſolent Thomiſtæ cum Angelico Doctore hac duplici ratiooe. *Primò.* Noo eſt conveniens Deum minùs providere iis, quos ordinat & dirigit ad ſupernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit & ordinat ad naturale bonum: ſed creaturis naturalibus ſic providet, ut non ſolùm moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut per eas formas inclinentur ad hujuſmodi actuum productionem; igitur multò magis illis quos movet & ordinat ad conſequendum bonnm ſupernaturale æternum, inſundit aliquas formas ſeu qualitates ſupernaturales, per quas ſuavirer & promptè ab ipſo moveaotur ad bonum æternom conſequendum.

Secundò. Hominem eſſe in gratia Dei, eſt eum eſſe a Deo dilectum, ut etiam ſatentur hæretici; ſed hominem eſſe à Deo dilectum importat aliqoid ipſi intrinſecum, & in eo permanens, ratione cujus fiat Deo gratus & acceptus: ergo reverà admitti debet donum aliquod in homine juſto jugiter perſeverans, quandiu juſtus eſt, per quod Deo fiat gratus. Probatur minor; Cùm enim amoc ſit affectio quâ quis tendit in aliquod objectom propter ejus bonitatem, in hoc cooveniont amoc divinus & bumanus, quòd uterque objecti bonitatem reſpiciat; differunt verò in eo quòd amor humanus cùm ſit ſterilis & infimus, nec ſit effectivus, ſed duntaxat affectivus, ſupponit in objecto bonitatem à qua attrahitur & allicitur; amor autem Dei cùm ſit fœcundiſſimus & potentiſſimus, nec ſolùm ſit affectivus, ſed etiam effectivus, cauſat bonitatem in objecto qnod diligit: ergo ſicut Deus diligendo creaturas in ordine naturali, eis tribuit perfectiones naturales, quibus ſunt objectum congruum hujuſmodi dilectionis: ſic creaturam intellectualem diligendo in ordine ad finem ſupernaturalem, confert ipſi bonitatem & perfectionem ſupernaturalem, ratione cujus eam diligat: ſed illa ſpecialis boniras non aliunde quàm à gratia ſanctificante emanare poteſt: ergo quandoquidem juſti ſpeciali amore à Deo diliguntur, oeceſſariò debet admitti in eis aliqood donum intrinſecum, quod ſit ratio illius dilectionis.

Sed inefficaci.

Verùm hæc utraque ratio videtur infirma: *Prima* quidem, quia Deus ſufficienter provideret hominibus juſtis in ordine ad actus ſopernaturales eliciendos per ſolùm actuale auxilium, quod eis certis in occaſionibus præberet. *Secunda* pariter deficit: Tum quia, ot infrà dicemus, poteſt Deus condonare peccatum & hominem ex inimico amicum conſtitoere abſque ulla collatione doni intrinſeci; ſubindéque ad eum amorem

divinum conciliandum, non opus est quòd Deus conferat ipsi creaturæ aliquid intrinsecum: Tum quia odium Dei nihil ponit in homine quem odit, sed tantùm ad id sufficit quòd homo habeat peccatum & malè vivat; & quòd Deus ita afficiatur erga ipsum, ut velit ipsum punire pœna æterna, nec requiritur aliqua forma intrinseca: igitur ut Deus amet specialiter hominem justum, non requiritur etiam aliud quàm quòd homo bene vivat, & Deus velit ipsi vitam æternam conferre: subindéque ex eo quod Deus speciali amore prosequatur justum, non est absolutè necessarium, quòd ipsi conferat aliquam formam & bonitatem intrinsecam.

X.
Nulla enim ratione hoc evinci potest.

Concludendum est igitur cum Doctote subtili in 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. *num.* 21. nullâ ratione efficaciter probari posse dari in nobis habitum supernaturalem jugiter perseverantem: Id siquidem, inquit, colligi non potest ex actu quem experimur, nec ex substantia actûs, nec ex intensione actûs, nec ex delectatione sive facilitate in operando, neque ex bonitate sive rectitudine morali actûs, possumus concludere aliquem talem habitum supernaturalem inesse, quia quôcumque istorum datô, posset aliquis habens charitatem cognoscere certitudinaliter se esse in charitate; ex hoc scilicet quòd actum illum sibi experiretur inesse, vel actum sic intensum sibi inesse, vel sic delectabiliter vel faciliter inesse, vel rectæ rationi consonum esse.

Ut optimè declarat Doctor.

Ratio autem quare non potest concludi ex actu, vel aliqua conditione ipsius actûs talem habitum inesse; est quia vel actus potest ex sola potentia habere omnia prædicta concurrente ratione rectâ: vel si concurreret habitus aliquis propter aliquam conditionem prædictarum, posset iste esse aliquis habitus acquisitus; posset enim amicitia acquisita tantam intensionem actui dare, sicut causa secunda cum potentia, posset etiam tantam facilitatem & delectationem tribuere, posset etiam habitus ita esse consonus rationi rectæ, quòd actus elicitus nullam conditionem evidenter apparentem haberet, ex qua necessariò concluderetur ipsum elici secundùm habitum supernaturalem.

Quòd si dicas: Subitò mutatur voluntas, ut intensè & faciliter, & delectabiliter operetur, & hôc modô consonô supernaturali rationi, hoc est, ad dictamen fidei: & non potest ita subitò acquirere habitum amicitiæ ordinatæ consonum fidei: igitur habet habitum aliquem non acquisitum, quô ad subitò agendum non inclinatur.

Respondeo: Voluntas potest satis subitò movere quantùm ad actus naturales, qui subsunt totaliter potestati ejus, quia sicut dicit August. 1. retractationum cap. 22. *Nihil tam est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas:* igitur ex tali subitatione non potest concedi oppositum.

Nisi fortè petatur ex eo quòd Deus acceptet opera meritoria ad gloriam.

Unde infert Doctor quòd si aliqua ratio probet in nobis desiderari habitum aliquem supernaturalem, quô formaliter justi efficiamur, reperienda sit maximè ex eo quòd Deus acceptet aliquos actus ad gloriam tanquam meriti condigni ad præmium: Hôc enim modô, inquit, credimus naturam nostram beatificabilem justam esse habitualiter acceptam, hoc est, quando non actualiter operatur; quia voluntas divina eam ordinat ad vitam æternam, tanquam dignam tantô bonô secundùm dispositionem, quam habet habitualiter in se, propter hanc acceptationem habitualem naturæ beatificabilis. Etiam quando non operatur, & propter acceptationem actualem actûs eliciti à tali natura, oportet ponere unum habitum supernaturalem, quô habens formaliter acceptetur à Deo, & quô actus elicitus ejus acceptetur tanquam meritorius.

Si autem quæras quomodo habitus ille naturam dignificet, nec-non & actus ipsô actu mediante elicitos?

XI.
Quomodo gratia habitualis naturam dignificet.

Respondet Doctor *num.* 23. quòd dignificet naturam, quatenus est forma quædam perfecta reddens eam Deo placentem. Ratio enim, inquit, acceptanti naturam, videtur esse sicut quidam decor naturæ complacens voluntati divinæ; ita quòd sive habitus iste sit activus, sive non activus, ex hoc solo quòd est talis forma decorans & ornans animam, potest esse ratio acceptandi naturam: sed ad actûs acceptationem plus requiritur, quàm quod agens habeat hunc decorem spiritualem; alioquin habens talem habitum non posset habere actum indifferentem aliquem, nec peccare venialiter: quia neutrum istorum tollit istum decorem operantis, & ita utrumque esset acceptum; si actus acceptaretur ex solo decore operantis. Oportet igitur dicere quòd iste habitus, præter hoc quod est decor spiritualis, etiam est inclinans ad determinatos actus, hoc est, speciali modô concurrit effectivè, videlicet ipsos actus cum potentia physicè eliciendo, & moraliter suum eis decorem ingerendo. Ita Doctor quæ quoniam eximiam doctrinam continent & per se aperta sunt, idcirco fusiùs licuit ea exscribere.

Dices primò: Potest homo sine gratia habituali justificari, nimirum per dilectionem Dei actualem supernaturalem: ergo non requiritur gratia habitualis.

Distinguo consequens: Non requiritur habitualis gratia simpliciter & absolutè ad justificationem, concedo: secundùm quid & ad meliùs esse, nego: nam etsi possit aliquis per solam gratiam actualem justificari, nihilominus gratiæ actualis additur gratia habitualis justificans, non ex absoluta necessitate, sed ad majorem ornatum animæ, & ut opera omnia justitiæ connaturaliùs possit exercere.

QUÆRES, *An sit de fide gratiam illam quâ justificamur, esse quid habituale & permanens?*

Non tamen videtur esse de fide quòd gratia sanctificans sit habitualis.

RESPONDEO, quòd etsi valdè temerarium esset negare gratiam, quâ adulti justificantur, esse habitualem & permanentem; nihilominus non videtur apertè id esse de fide ab Ecclesia determinatum; quod utique sic demonstro: Si facta fuisset hujusce veritatis definitio, tanquam de fide colligeretur, maximè vel ex Innocentio III. c. *Majores* de baptismo; vel ex Clemente V. in Concilio Viennensi locô suprà citatô; vel ex Concilio Tridentino verbis etiam suprà laudatis: at ex neutro capite colligi potest.

Id enim non colligitur ex Innocentio III.

Non quidem ex *Innocentio III.* ait enim illam quæstionem esse controversam inter Theologos, ejus quippe sunt verba ista: *Illud verò quod opponentes inducunt fidem, aut charitatem, aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, à plerisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; non-

nullis dicentibus, dimitti peccatum, & infundi virtutes, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam. Ex quibus verbis constat, quæstionem tantùm procedere de pueris, non autem de omnibus hominibus simpliciter. Quod etiam patet ex ratione ipsa, quæ ibidem tangitur; ideo enim nonnulli existimabant, pueris in baptismo habitus non infundi, quia videbant illos ad virtutum actus omnino inhabiles esse, quod præter alios, qui hujus sententiæ meminerunt, advertit Doctor Angelicus 3. *parte quæstione 69. art. 6.* qui locus citatur in margine allati capitis, *Majores.* Quis autem non videt, hanc rationem non habere locum in adultis, cùm ipsi virtutum actus exercere valeant?

Nec ex Clemente V. Non etiam ex *Clemente V.* quia illic solùm eorum opinionem, qui dicunt tam parvulis quàm adultis conferri in baptismo gratiam informantem, tanquam probabiliorem ex dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ consonam eligendam dicit, non verò absolutè tanquam de fide decernit. *Nec* ex Concilio Tridentino, quia definit quidem in cordibus eorum qui justificantur, charitatem diffundi atque iis inhærere: *Verùm* an per modum actûs, an par modum habitûs aut qualitatis permanentis inhæreat, non definit.

Nec ex Catechismo Romano. *Dices primò:* Catechismus Romanus S. Pii V. jussu editus conformiter doctrinæ Concilii Tridentini p. 2. c. 2. de baptismo, numerò 50. ubi de altero baptismi effectu agitur, sic ait: *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed diversa qualitas in anima inhærens, & veluti splendor quidam & lux, qua animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit.* Atque id Concilii Patres ex sacris litteris apertè concludunt, cùm gratiam effundi dicant, eamque Spiritûs sancti solcant appellare: ergo de fide est, gratiam sanctificantem qualitatem quandam esse.

Respondeo primò, Concilium Tridentinum, non usum fuisse nomine *qualitatis*, quanquam rem ipsam aliquetenus expresserit.

Respondeo secundò, etsi Concilium usum fuisset nomine *qualitatis*, adhuc dubium aliquod superfuturum, utrum qualitas strictè pro prædicamento distincto à cæteris, an latè pro omni accidente qood prædicatur in quale accidentariò, accipi deberet.

Dices secundò: Concilium Tridentinum gratiam justificationis distinguit ab actibus, quibus ad justificatiooem homo disponitur: nam sessione 6. capite 10. sic ait, *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur:* ergo gratia sanctificans est aliquid præter actus, idque propterea permanens.

Nego consequentiam: Quia actus illos, quibus, ad justificationem disponimur, consequi potest actus alius perfectior quò justificemur.

QVÆSTIO II.

Vtrum & qualiter gratia habitualis distinguatur à charitate?

I. Gratia habitualis à fide & spe distinguitur realiter.

NOtandum primò, extra controversiam esse, gratiam habitualem à fide & spe realiter distingui, utpote cùm seorsim existare possint; illæ namque duæ virtutes in homine peccatô mortali inquinato subsistunt, modò peccatum illud in eas directè non militet per infidelitatem aut desperationem & præsumptionem; habitualis verò gratia cujusvis mortalis peccati consortium ita abhorret, ut nullatenus eum eo, nisi fortè per extraordinariam Dei potentiam subsistere queat. Unde solùm movetur difficultas de distinctione vel identitate ejusdem gratiæ habitualis cum charitate. Circa cujus resolutionem multiplex est Authorum sententia; quidam enim cum Angelico Doctore, 1. 2. q. 110. *art.* 3. & Seraphico in 2. *dist.* 27. *art.* 1. *quæst.* 2. volunt gratiam & charitatem esse habitus realiter distinctos: plurimi verò cum subtili Doctore in 2. *dist.* 26. *num.* 3. affirmant utramque realiter esse indistinctam. *Cæteri* verò censent utramque opinionem esse probabilem, utpote cùm nullum stabile videantur habere fundamentum in sacris Scripturis, Conciliis & Patribus, quod tamen falsum esse constabit infrà.

II. Qualiter gratia & charitas invicem conveniant & discrepent.

Notandum secundò, omnes pariter Catholicos Doctores convenire quòd gratia sanctificans & charitas sint participationes quædam illustres Divinitatis, quarum virtute in Dei consortium assurgimus, & sublimamur, juxta illud sancti Petri 2. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Discrepant autem in eo quòd aliqui contendunt gratiam habitualem esse quidem participationem Deitatis, sed secundùm rationem naturæ & quatenus divina natura & essentia fons est & origo omnium Dei perfectionum: charitas verò sit ejusdem Deitatis participatio, non quatenus est natura, sed quatenus est operans per voluntatem & amorem; ita quòd illa Deitatem subsistentem, hæc verò operantem referat & exprimat. Alii verò contendunt charitatem & habitualem gratiam secundùm entitatem & rationem formalem consideratas, esse participationes divinæ naturæ: at dicuntur participare divinam virtutem & operationem, quatenus operativæ sunt & effectivæ.

III. Vtraque est præstantissimum Dei donum.

Notandum tertiò denique, invicem etiam Doctores concordare, gratiam habitualem & charitatem præstantissima esse Dei dona, quæ creaturis concedere soleat; ita quòd longè præstent & antecellant primò substantia creaturæ intellectualis & spiritualis, tàm humanæ quàm Angelicæ, utpote cùm præstantiori modò nos Deo assimilent, quàm quævis perfectiones naturalis ordinis: unde meritò August. lib. 2. ad Bonifacium, cap. 6. *Gratia non solùm omnia sidera, & omnes cœlos, verùm etiam omnes Angelos supergreditur;* subindeque etiam longè præstant cæteris creaturis corporeis quantumvis excellentibus; nam, inquit Sapiens 7. *Melior est possessio ejus aurò & argentò electò.* Hinc ibidem Sapiens ait: *Præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Imò etiam utrumque hoc præstantissimum Dei donum excedit dignitatem

maternitatis Dei; nobilius enim est Deum concipere mente, quàm ventre, sed per gratiam sanctificantem & charitatem mente Deum concipimus, imò tota Trinitas habitat in nobis, iuxta illud Joann. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* ; subindéque gratia sanctificans & charitas præstantiores apparent ipsâ maternitate Deiparæ Virginis, si hæc seorsim ab illis Dei donis consideretur; nam, ut ait August. cap. 4. de Virginitate: *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi: materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fælicius Christum corde quam carne gestasset.*

Status quæstionis. His ita prælibatis, duo maximè hîc statuenda sunt: *Primum*, quòd gratia sanctificans & charitas realiter invicem non distinguantur: *Secundum*, quod etiam non distinguantur formaliter, quatenus formalis distinctio diversas importat formalitates, & conceptus objectivos, seorsim ab invicem adæquatè conceptibiles.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Gratia habitualis & charitas sũt unus & idem habitus. *Charitas & gratia habitualis sunt unus & idem realiter habitus.* Ita Doctor locô laudatô.

Probatur 1. Habitus non sunt distinguendi realiter, quorum iidem omnino sunt effectus; atqui gratiæ & charitatis iidem prorsus sunt effectus ex Scriptura sacra: ergo, &c. Major apparet; diversitas enim habituum colligitur duntaxat ex diversitate actuum, ad quos designantur & ordinantur. Probatur minor. Sex præcipuè effectus ex divina Scriptura gratiæ sanctificanti tribuuntur, qui ibidem charitati conveniunt: *Primò* namque gratiæ sanctificanti tribuitur virtus adoptionis, & divinæ generationis, per quam filii Dei adoptivi consignamur: at hæc eadem virtus tribuitur charitati 1. Joann. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus.* Ubi particula (*ut*) quandam emphasim importans denotat aliquam causalitatem charitatis ad conferendum nobis esse spirituale & divinum; hinc cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Unde sanctus Dionysius lib. de Eccles. Hier. cap. 1. dicit charitatem esse, id *quò regeneramur & constituimur in esse divino.*

Quis eosdem habent actus.

Ut colligitur ex Scriptura.

Secundo, Tribuitur gratiæ sanctificanti quòd hominem Deo gratum & dilectum efficiat: at hoc etiam charitati congruit; nam Joann. 15. Christus Dominus ait: *Si quis diligit me diligetur à Patre meo.* Et cap. 19. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.*

Tertiò effectus gratiæ sanctificantis est, quòd vitam spiritualem conferat; at hoc etiam charitati competit, nam 1. Joann. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Et infrà: *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres:* Unde sanctus Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 13. charitatem appellat, *mortem criminum, vitam virtutum, animam sanctarum mentium.*

Quartus gratiæ sanctificantis effectus est, quòd sit fons & origo omnium virtutum, necnon omnium bonorum operum radix: hoc autem etiam charitati competit, ut apertè docet Apostolus 1. ad Cor. cap. 13. ubi tribuit omnia aliorum virtutum officia charitati, dicendo: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Hinc etiam charitatem, *legis plenitudinem* nominat. Unde S. Gregorius homil. 27. Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.

Quintus effectus gratiæ sanctificantis est, quòd nos Deo intimè conjungat: at idipsum charitati competit; nam 1. Joann. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; unde S. Bernardus sermone 8. in Cantica dicit, per charitatem animam nostram maritari Deo.

Sextus denique effectus est, quòd gratia sanctificans sit semen vitæ æternæ; at eadem est charitatis prærogativa; siquidem Jac. 1. *Coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se*: igitur omnes effectus qui gratiæ sanctificanti in Scriptura sacra tribuuntur, etiam charitati conveniunt.

Probatur 2. & simul *confirmatur* hæc inductio, ex Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 7.* ubi charitatem indiscriminatim pro gratia sanctificante usurpat & vim sanctificandi etiam ipsi charitati tribuit: assignans enim unicam causam formalem justificationis, dicit eam esse charitatem, his verbis: *Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur atque ipsis inhæret.* Quibus verbis nemo dubitabit nomine (*charitatis*) gratiam sanctificantem intelligi; tum quia omnes Catholici Doctores ex verbis *inhæret* & *diffunditur* hîc positis, colligunt gratiam sanctificantem esse formam intrinsecam ac permanentem; tum quia ibi Concilium agit de causa formali justificationis, quæ est ipsa gratia sanctificans. V. Et ex Concilio Tridentino.

Insuper: Hoc ipsum confirmat Concilium verbis sequentibus, subjicit enim: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem*: si enim aliqua alia forma præter charitatem, fidem & spem ad justificationem desideraretur, haud dubiè eam Concilium non tacuisset; maximè cùm propositum istius capitis non fuerit mentionem de illis tribus virtutibus facere, nisi quatenus vel omnes tres, vel aliqua ex illis erat forma justificans. Quod evidentiùs aperit *cap. 10.* dicens: *Hæc verò justitia incrementum petit sancta Ecclesia cùm orat, Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum.* Ubi procul dubio sermonem facit de incremento causæ formalis justificationis; subindéque fidem, spem & charitatem pro gratia sanctificante usurpat, quatenus videlicet fides & spes per charitatem vivificantur.

Denique, Concilii mens apertè colligitur ex Canone undecimo ejusdem sessionis, ubi damnans eum qui dixerit: *Homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate* (ne videretur gratiam à charitate discernere, subjungit numerô singulari:) *Quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.* Quibus significat se de uno eodemque habitu loqui; nullus namque Grammaticus diceret, *Petrus & Ioannes ambulat*, sed *ambulant*, quia sunt duo realiter distincti: ergo cùm Concilium in singulari de gratia & charitate loquatur, signum est quòd intendat eas non esse realiter distinctas.

Reponunt Thomistæ, omnia quæ sunt propria gratiæ tribui quidem charitati, sed diversô modô; gratiæ quidem tanquam causæ formali & radici; charitati verò tanquam fructui ipsius gratiæ & principio operativo: istamque mutuam

attributionem proprietatum fieri ob intimam & inseparabilem connexionem, quam illi duo habitus servant inter se.

VI. Refellitur Thomistarum responsio.

Verùm contrà: In sententia Adversariorum, eôdem modô gratia est radix aliarum supernaturalium virtutum non Theologicarum, ac est radix ipsius charitatis; & hæ virtutes intimam habent connexionem cum gratia sanctificante secundùm legem ordinariam Dei: sed propter illam connexionem omnes illi effectus, qui in sacris litteris gratiæ sanctificanti tribuuntur, non dicuntur itidem illis virtutibus convenire, sicut nec spei, & fidei: Ergo signum est hos effectus non tribui charitati, propter solam connexionem, quam haberet cum gratia sanctificante.

Adde quòd etiamsi interdum effectus unius causæ tribueretur alteri ipsi inseparabiliter conjunctæ, loquendo oratoriè & per quandam metonimiam; nunquam tamen id fieri putandum est, cùm agitur de tradenda doctrina rerum credendarum: non enim minùs vitiô verteretur Ecclesiæ, quàm Philosophis, si dum causa & proprietates rerum aperit, alias assignaret quæ rebus ipsis intimè conjunctis competerent: sed Concilium Tridentinum locis suprà citatis, colligendo ex Scriptura sacra doctrinam de dispositionibus, causis & effectibus justificationis, explicat hanc esse charitatem; & de illa simul sumpta cum gratia sanctificante loquitur in singulari tanquam de unico habitu: ergo censet Concilium reverà charitatem & gratiam sanctificantem eosdem habere effectus, non propter connexionem earum & inseparabilitatem, sed propter identitatem.

Reponunt secundò, quòd effectus gratiæ idcirco charitati tribuuntur, quia charitas est forma partialis justificationis, censent enim formam justificationis non esse unam simplicem qualitatem.

Contra. Hæc propositio directè militat in Concilium Tridentinum cap. 7. suprà laudatô, ubi ait unicam esse formalem causam nostræ justificationis: *Vnica*, inquit, *formalis causa justificationis est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit*: ergo Concilium non censet duplicem esse justificationis causam formalem distinctam; aliàs enim hanc duplicem causam formalem assignasset, sicut varias ibidem assignat causas finales ejusdem justificationis, nempe gloriam Dei & Christi, ac vitam æternam. Adde quòd etiam in causis formalibus partialibus unius effectûs non tribuitur alteri distinctæ, quemadmodum effectus gratiæ sanctificantis charitati assignantur: ergo, &c.

Confirmantur hæc omnia authoritate sancti Augustini lib. de Natura & Gratia cap. 62. ubi charitatem, rationem formalem justificationis esse ooo obscurè designat, his verbis: *Ipsa est enim charitas verissima, plenissima, perfectissimaque justitia*. Et Epist. 143. *Ad habendam bonam voluntatem, ubi est hoc ipsum quod juste vivimus, & ipsa charitas qua in omnibus Dei donis ita excellit ut etiam Deus dicta sit, quâ una adimpletur in nobis si quid divinæ legis & admonitionis implemus, &c.* Quibus designat charitatem esse quâ justè vivimus, subindéque quâ justi sumus.

VII. Idem suadet ratio.

Probatur denique assertio oostra ratione: *Primò* quidem quia, inquit subtilis Doctor, non sunt entia multiplicanda absque urgente necessitate: sed nulla necessitas apparet multiplicandi ac distinguendi habitus charitatis & gratiæ sanctificantis, quippe cùm omnes effectus, qui huic tribuuntur, etiam & illi soleant attribui, ut diximus in prima conclusionis probatione: ergo, &c.

Deinde, Si gratia & charitas realiter distinguerentur, possent ab invicem separari, saltem de potentia Dei extraordinaria & absoluta: sed hoc dici nequit: ergo nec illud. Major constat ex iis quæ Philosophi tradunt communiter de signo distinctionis realis; entia namque absoluta, quorum unum est prius alterô, & ab eo independens (quales essent gratia sanctificans & charitas, si reverà distinguerentur realiter) possunt seorsim existere & conservari. Minor verò probatur: Si aliquis homo gratiam habere posset, sine charitate esset Deo gratus & acceptus, imò & ejus filius adoptivus, nec tamen foret ejus amicus, quod est absurdum.

Insuper: Si alicui infunderetur gratia sanctificans sine charitate & in eo statu moreretur, nec damnaretur, cùm nullum haberet peccatum, quia omne peccatum cum charitate impossibile est; nec salvaretur, quia cùm gratiâ sanctificante careret, non esset Filius Dei adoptivus, ac subinde esset incapax hæreditatis solis Dei filiis repromissæ: sed hoc utrumque consequens prorsus inconveniens est: igitur & illud unde sequitur. *Denique*, nulla prorsus apparet ratio sufficiens distinctionis realis inter gratiam & charitatem, ut patebit ex solutione objectionum.

VIII. Forma aliqua eadem realiter potest esse operans & non operans.

Objicies primò: Principium essendi realiter distinguitur a principio operandi: atqui gratia sanctificans est principium essendi supernaturaliter; charitas verò principium operandi: ergo distinguuntur realiter.

Confirmatur: Non minùs ad Deum spectat cumulatè & perfectè complere naturam, eamque perficere in ordine supernaturali, quàm in ordine naturali: sed in ordine naturali ita naturam perficit, ut priùs det ipsi formam substantialem, & deinde potentias & formas accidentales, quæ sunt instrumenta agendi: ergo in ordine supernaturali debet priùs conferre animæ formam, per quam constituatur in esse supernaturali, quàm formas activas; gratia autem sanctificans est forma conferens esse supernaturale: charitas autem conferens modum operandi supernaturaliter: ergo illa prior est, hæc posterior.

Respondeo primò, negari posse majorem: Siquidem formæ substantiales sunt etiam activæ, ut docuimus in Physicis, imò etiam & accidentales; calor enim calorem producit; nec necesse est ut conferatur semper aliqua forma prævia, quæ det esse priusquam tribuatur altera, quæ det virtutem operandi: nam calor sine aliqua forma prævia ipsum exigente, producitur ab igne in aqua, & sic productus alterum calorem in manum aquam tangentem producit; similiter albedo confertur subjecto, & habet vim disgregandi visum absque aliqua forma prævia: igitur quando confertur alicui principium agendi supernaturaliter, non opus est quòd ipsi conferatur aliqua forma prævia, quæ tale principium exigat.

Adde quòd etiamsi forma quæ est principium operandi, præexigeret alteram, per quam natura constitueretur priùs in ratione absoluti quàm in ratione principii activi, non inde sequeretur quòd utraque forma deberet distingui realiter: nam in probabiliori sententia intellectus & voluntas non distinguuntur realiter ab anima, quæ est earum facultatum principium & radix; subindeque licèt charitas gratiam sanctificantem præexigeret,

tanquam radicem & fontem, à qua promanaret, noo esset consequens quòd ab ea distingueretur realiter, sicut proprietates, quæ ab essentia fluont eamque præsupponuot, ab illa realiter non distinguuntur.

Objiciunt secundò, Charitas supponit in anima gratiam habitualem: Ergo realiter ab illa distinguitur. Probatur antecedens; De ratione virtutis in communi est dsponere subjectum ad operandum convenienter ad naturam præexistentem; nam virtus dat posse bene operari, hoc est posse exercere operationem naturæ convenientem & proportionatam: Unde Aristoteles 7. Phy. cap. 3. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Et subdit: *Perfectam autem dico, quod est dispositam secundum suam naturam*; sed charitas est virtus supernaturalis; subindeque supponit naturam in esse supernaturali perfecto per aliquam etiam formam distinctam ab ea: at illa forma oon est alia qoam gratia sanctificans: ergo hæc præsupponitur ad charitatem.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, esse universaliter falsam, maximè verò in præsenti difficultate: nam si qualibet virtus deberet præsupponere naturam sibi proportionatam, sequeretur nec fidem, nec spem esse veras virtutes in peccatore fideli; siquidem in eo nullam supponunt gratiam sanctificantem, per quam constituatur in esse & statu supernaturali.

Objicies tertiò, Scripturam sacram & Concilia quæ de gratia & charitate tanquam de duobus distinctis loquuntur: Ergo reverà sunt distinctæ. Probatur antecedens ex illo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; ubi per Spiritum sanctum gratia sanctificans intelligitur, ut explicat sanctus Augustinus lib. de gratia Christi cap. 30. *Per gratiam quâ justificamur*, inquit, *diffunditur charitas Dei in cordibus nostris*: proindeque gratia sanctificans alia est à charitate. *Similiter* 1. ad Thim. 1. *Superabundavit gratia Domini nostri Iesu Christi cum fide & dilectione*: Et 2. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi; & charitas Dei & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Quibus verbis gratiam à charitate distinguit Apostolus, ut pote cùm utramque commemoret, quod utique non faceret, si unum idemque habitum realem esse existimaret.

Similiter Concilium Viennense de charitate & gratia sanctificante loquitur, tanquam de distinctis. Nam Clementina de summa Trinitate ait, gratiam & virtutes infundi in baptismo: ubi per virtutes tres Theologicas, nempe fidem, spem, & charitatem intelligit. Ipsi concordat Tridentinum *sessione 6. cap. 10.* quando ait, sanctificationem esse justificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Et *Canone* 11. exprimit charitatem & gratiam seorsim; quibus apertè denotat eas esse distinctas, alioqui ineptam batologiam committeret, plurima nomina ad eandem rem significandam assumendo, cùm ad id unicum sufficeret.

IX. *Fit satis authoritatibus sacræ Scripturæ & Conciliorum, quibus suadere videtur*

Nego consequentiam, & ad primum Scripturæ textum dico, Spiritum, per quem Apostolus dicit charitatem esse diffusam, esse ipsam Spiritus sancti personam, cui charitatis diffusio specialiter attribuitur; quia est præcipous effectus amoris divini erga homines, quique per charitatem dicitur dari, eò quòd divina Trinitas specialiter inhabitet animam charitate flagrantem, juxta

A illud Christi Domini oraculum: *Si quis diligit me ad eum veniemus, &c.* Nec refert quòd sanctus Augustinus per (*Spiritum*) gratiam sanctificantem intelligat. Nam præter quàm quòd cæteri Patres reverà hoc nomine *Spiritus* ibidem, sancti Spiritus personam designari significaot, exinde non sequitur, quòd censeant charitatem à gratia sanctificante distingui, ut pote cùm doceant lo- eis à nobis suprà laudatis, charitatem esse causam formalem nostræ justificationis, sed fortè indicare voluit unam eandemque qualitatem esse simul gratiam, quatenus ad statum supernaturalem nos evehit; & charitatem in cordibus diffusam prout ad Deum & proximum actu diligendum ordinat & stimulat. *gratiam sanctificantem à charitate distingui.*

B Ad alios ejusdem Apostoli contextus dico, Apostolum nomioe *dilectionis* aut *charitatis*, vel intelligere charitatem increatam, quâ videlicet Deus Pater sic nos dilexit, ut Filium suum unigenitum daret: vel dilectionem actualem seu actum amoris, quô de facto Deum diligimus, qui reverà non est idem realiter cum gratia sanctificante, sed actus ab ea velut à suo principio distinctus.

Ad Concilium Viennense, dico istud quidem dicere Conjunctim gratiam & virtutes infundi in baptismo, sed non dicere charitatem esse distinctam à gratia, unde oomine virtutum ibi solùm intelligit alias virtutes per se infusas, quales sunt fides & spes, quæ non identificantur cum gratia

C sanctificante. Eòdem modò explicandi sunt textus Concilii Tridentini: Non enim exprimit nomina gratiæ & charitatis ut designet eas esse invicem distinctas; hoc enim falsum apparet ex probatione Conclusionis, sed duntaxat ut significet id quod appellamus gratiam & charitatem reverà esse causam justificationis.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. *Charitas & gratia sanctificans non etiam distinguuntur formaliter ex omnimodè.*

GRatia sanctificans neque tem formaliter à charitate distinguitur, ea scilicet distinctione, qua

D intercedit inter diversas formalitates seorsim conceptibiles: sed tantum videntur distingui penes diversa munera. Hæc videtur genuina Doctoris subtilis sententia in secundum distinctione 26. num. 3. ubi probat illam sententiam, quæ dicit, *Quòd gratia formaliter est virtus, quæ est charitas & quacumque excellentia tribuuntur gratiæ & charitati, & è converso; utraque enim formaliter æqualiter divi it inter filios regni & perditionis.* Et suaderi potest conclusio ratione ejusdem Doctoris, nam sicut non sunt multiplicandæ entitates absque urgente necessitate, ita nec distinguendæ sunt formalitates: sed nulla apparet necessitas distinguendi gratiam sanctificantem & charitatem, tanquam diversas formalitates, utpote cùm, ut

E ut diximus, eidem effectus, qui tribuuntur uni, etiam tribuuntur alteri, subindeque non videntur esse formalitates distinctæ.

Dices: Charitas est perfectio simpliciter simplex, quæ idcirco Deo convenit; Deus enim charitas est: quod utique gratiæ non competit; siquidem Deum dedecet, nec ipsi tribuitur, subindeque non est perfectio simpliciter simplex; ac proinde gratia à charitate necessariò distinguitur, si non realiter, faltem formaliter.

Respondet Doctor ibidem *num.* 4. charitatem posse considerari vel *transcendentaliter*, vel *categoricè*, hoc est quatenus, vel significat & complectitur charitatem tam creatam, quàm increa-

tam, vel quatenus duntaxat solam charitatem A creatam designat: Priori modô fatetur gratiam sanctificantem & charitatem distingui formaliter, sicut sapientia ut sic distinguitur à sapientia creata; & sicut animal ut sic, distinguitur formaliter ab hoc rationali: charitas autem creata & gratia non ita distinguuntur, ut charitas creata dicat aliquam formalitatem absolutam, quam non dicit gratia sanctificans aut vice versâ; idcirco dum Doctor numerô 4. supra laudatô dicit, gratiam à charitate esse distinctam formaliter, loquitur solùm de charitate transcendentaliter accepta, quam utique ibidem concedit formaliter à gratia distingui; non verò comparat charitatem creatam cum gratia sanctificante, qua- B propter ibidem ait, quòd omnis gratia est charitas, licèt non è conversô.

Quòd autem non solo nomine, ut vult Durandus, charitas creata & gratia sanctificans distinguantur, apparet ex eo quòd illa quæ solô nomine differunt, habent duntaxat diversas appellationes, non verò diversa munia, ut culter & gladius: at charitas & gratia connotant diversa munia & res distinctas. Nam gratia significat esse gratum & acceptum Deo, acceptatione supernaturali in Filium adoptivum, & ut sic non significat aliquod principium supernaturale diligendi Deum connaturaliter, qood tamen charitas C sumpta præcisô conceptu charitatis significat: ergo gratia sanctificans & charitas distinguuntur plusquam solô nomine.

Quæstio Tertia.

An & qualiter gratia habitualis augeri possit & minui: corrumpi, & deperdi.

NOtandum primò, circa primam hujusce propositæ quæstionis partem, tres capitales fuisse erroneas hæreticorum sententias. *Primus* error fuit Joviniani, qui docuit olim homines in- D cepta Dei gratia crescere non posse, ot testatur sanctus Hieronymus, lib. 2. adversus eundem hæreticum. *Secundus* tribuitur Kemnitio, qui licèt docuerit justitiam & sanctitatem aliquod accipere posse incrementum, negavit tamen id provenire ex bonis operibus; sed duntaxat ex fide promissionum divinarum, subindeque potius ex beneplacito Dei, quàm ex merito operantis. *Tertius* denique error fuit Beguardorum & Beguinarum, qui existimabant homines ad talem sanctitatis & justitiæ gradum posse in hac vita pertingere, ut ad ulteriorem perfectionem progredi non liceret. Adversus quem triplicem errorem in prima conclusione pugnandum erit.

II. Gratia sanctificans deperditur per quodlibet peccatum mortale.

Notandum secundò, apud Catholicos extra controversiam esse quòd gratia habitualis & sanctificans possit deperdi per mortale peccatum, dicente Dominô per Ezechielem cap. 18. *Si autem averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur*; sed difficultas est, utrum gratia sanctificans, quam eandem realiter cum charitate esse probatum est suprà, per singulos actus peccaminosos destrui possit & corrumpi, an verò duntaxat per actum odii & aversionis Dei charitati directè oppositum; sicut fides, spes ac cæteræ virtutes non deperduntur, nisi per actus contrarios & oppositos.

III. Sensus quæstionis de augmento & diminutione gratiæ.

Notandum tertiò, hîc difficultatem non moveri an gratia habitualis augeri possit & minui per extraordinariam Dei virtutem & dispositionem, penes intensionem graduum qui in illa sunt; idque pro libito & absque ullo respectu ad opera meritoria vel demeritoria; sed quæritur an de facto & ex communi lege, gratia sanctificans augeri possit per quoslibet actus meritorios, non solùm charitatis, sed etiam aliarum virtutum, tam supernaturalium, quàm moralium; idque non solùm per intensiores, sed etiam per remissiores earum virtutum actus: an etiam minuatur per quodlibet veniale peccatum. Igitur tria maximè veniunt hîc resolvenda: *Primum*, an gratia habitualis augeri possit, quamdiu hoc in mortali statu vivimus per qoælibet bona opera. *Secundum*, an reverà per quodlibet peccatum mortale habitualis gratia destruatur. *Tertium* denique, an per singula venialia gratia habitualis minuatur.

Conclusio Prima.

GRatia habitualis ex natura sua augeri potest: & de facto in hominibus augetur per singula eorum bona opera, quamdiu in hoc statu mortali vivunt; ita ut nullus adeo sanctus & perfectus sit, qui in sanctitate ulteriores gradus facere non possit: etiam per actus remissos aut minus intensos. Hæc conclusio quatuor continet partes adversus totidem errores in primo notabili declaratos;

IV. Gratia habitualis augeri potest.

Probatur primò; quidem ex Scriptura sacra pluribi adhortante ad progressum ex justitia & sanctitate: Sic Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, id est, in justitia progressus facere. Proverb. 4. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Ad Philip. 1. *Hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Apocalyp. 22. *Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Et 2. Corinth. 4. *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui justus est renovatur de die in diem.*

Eadem veritas definita fuit in Concilio Viennensi in Clementina *ad nostrum de hæreticis*; & Tridentino sessione 6. cap. 10. ubi ait: *Sic ergo justificati & amici Dei ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est mortificando membra carnis suæ & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis justificantur..... quod justitiæ incrementum* E *petit sancta Ecclesia cùm orat, Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Hinc can. 24. ita statuit: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causa, anathema sit.*

Huic veritati adstipulantur omnes sancti Patres, maximè *Hieronymus* in cap. 4. ad Ephes. explicando hæc verba, *Unicuique donata est gratia, &c. Augustinus* Epist. 57. ad Dardanum, *Basilius* in scholiis ad illa verba Psalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Bernardus, ser. 9. in Psal. *Qui habitat, &c.* Suadetur etiam ratione. Gratia est qualitas supernaturalis & participatio quædam naturæ divinæ: Ergo non repugnat eam augeri.

tanquam radicem & fontem, à qua promanaret, non esset consequens quòd ab ea distingneretur realiter, sicut proprietates, quæ ab essentia fluunt eamque præsupponunt, ab illa realiter non distinguuntur.

Objiciunt secundò, Charitas supponit in anima gratiam habitualem: Ergo realiter ab illa distinguitur. Probatur antecedens; De ratione virtutis in communi est disponere subjectum ad operandum convenienter ad naturam præexistentem; nam virtus dat posse bene operari, hoc est posse exercere operationem naturæ convenientem & proportionatam: Unde Aristoteles 7. Phy. cap. 3. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* Et subdit: *Perfectum autem dico, quod est dispositum secundum suam naturam*; sed charitas est virtus supernaturalis; B subindeque supponit naturam in esse supernaturali perfecto per aliquam etiam formam distinctam ab ea: at illa forma non est alia quàm gratia sanctificans: ergo hæc præsupponitur ad charitatem.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico, esse universaliter falsam, maximè verò in præsenti difficultate: nam si quælibet virtus deberet præsupponere naturam sibi proportionatam, sequeretur nec fidem, nec spem esse veras virtutes in peccatore fideli; siquidem in eo nullam supponunt gratiam sanctificantem, per quam constituatur in esse & statu supernaturali.

Objicies tertiò, Scripturam sacram & Concilia C quæ de gratia & charitate tanquam de duobus distinctis loquuntur: Ergo revera sunt distinctæ. Probatur antecedens ex illo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; ubi per Spiritum sanctum gratia sanctificans intelligitur, ut explicat sanctus Augustinus lib. de gratia Christi cap. 30. *Per gratiam quâ justificamur*, inquit, *diffunditur charitas Dei in cordibus nostris*: proindeque gratia sanctificans alia est a charitate. *Similiter* 1. ad Thim. 1. *Superabundavit gratia Domini nostri Iesu Christi cum fide & dilectione*: Et 2. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi; & charitas Dei & communica-* D *tio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Quibus verbis gratiam à charitate distinguit Apostolus, utpote cùm utramque commemoret, quod utique non faceret, si unum idemque habitum realem esse existimaret.

Similiter Concilium Viennense de charitate & gratia sanctificante loquitur, tanquam de distinctis. Nam Clementina de summa Trinitate ait, gratiam & virtutes infundi in baptismo: ubi per virtutes tres Theologicas, nempe fidem, spem, & charitatem intelligit. Ipsi concordat Tridentinum *sessione 6. cap.* 10. quando ait, sanctificationem esse justificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Et *Canone* 11. exprimit chari- E tatem & gratiam seorsim; quibus apertè denotat eas esse distinctas, alioqui ineptam batologiam committeret, plurima nomina ad eandem rem significandam assumendo, cùm ad id unicum sufficeret.

IX. Fit satis authoritatibus sacræ Scripturæ & Conciliorum, quibus suaderi videtur gratiam sanctificantem à charitate distingui.

Nego consequentiam, & ad primum Scripturæ textum dico, Spiritum, per quem Apostolus dicit charitatem esse diffusam, esse ipsam Spiritûs sancti personam, cui charitatis diffusio speciatim attribuitur; quia est præcipuus effectus amoris divini erga homines, quique per charitatem dicitur dari, eò quòd divina Trinitas specialiter inhabitet animam charitate flagrantem, juxta A illud Christi Domini oraculum: *Si quis diligit me ad eum veniemus, &c.* Nec refert quòd sanctus Augustinus per *(Spiritum)* gratiam sanctificantem intelligat. Nam præter quàm quòd cæteri Patres reverà hoc nomine *spiritus* ibidem, sancti Spiritûs personam designari significant, exinde non sequitur, quòd censeant charitatem à gratia sanctificante distingui, utpote cùm doceant locis à nobis suprà laudatis, charitatem esse causam formalem nostræ justificationis, sed fortè indicare voluit unam eandemque qualitatem esse simul gratiam, quatenus ad statum supernaturalem nos evehit; & charitatem in cordibus diffusam prout ad Deum & proximum actu diligendum ordinat & stimulat.

B Ad alios ejusdem Apostoli contextus dico, Apostolum nomine *dilectionis* aut *charitatis*, vel intelligere charitatem increatam, quâ videlicet Deus Pater sic nos dilexit, ut Filium suum unigenitum daret: vel dilectionem actualem seu actum amoris, quô de facto Deum diligimus, qui reverà non est idem realiter cum gratia sanctificante, sed actus ab ea velut à suo principio distinctus.

Ad Concilium Viennense, dico istud quidem dicere Conjunctim gratiam & virtutes infundi in baptismo, sed non dicere charitatem esse distinctam à gratia, unde nomine virtutum ibi solùm intelligit alias virtutes per se infusas, quales sunt fides & spes, quæ non identificantur cum gratia C sanctificante. Eôdem modô explicandi sunt textus Concilii Tridentini: Non enim exprimit nomina gratiæ & charitatis ut designet eas esse invicem distinctas; hoc enim falsum apparet ex probatione Conclusionis, sed duntaxat ut significet id quod appellamus gratiam & charitatem reverà esse causam justificationis,

Conclusio Secunda.

XI. Charitas & gratia sanctificans non etiam distinguuntur formaliter omnimodè.

Gratia sanctificans nequidem formaliter à charitate distinguitur, eâ scilicet distinctione, quæ D *intercedit inter diversas formalitates seorsim conceptibiles: sed tantum videntur distingui penes diversa munera.* Hæc videtur genuina Doctoris subtilis sententia in secundum distinctione 26. num. 3. ubi probat illam sententiam, quæ dicit, *Quod gratia formaliter est virtus, quæ est charitas & quæcumque excellentia tribuuntur gratiæ & charitati, & è converso; utraque enim formaliter æqualiter dividit inter filios regni & perditionis.* Et suaderi potest conclusio ratione ejusdem Doctoris, nam sicut non sunt multiplicandæ entitates absque urgente necessitate, ita nec distinguendæ sunt formalitates: sed nulla apparet necessitas distinguendi gratiam sanctificantem & charitatem, tanquam diversas formalitates, utpote cùm, ut E ut diximus, iidem effectus, qui tribuuntur uni, etiam tribuuntur alteri, subindeque non videntur esse formalitates distinctæ.

Dices: Charitas est perfectio simpliciter simplex, quæ ideirco Deo convenit; Deus enim charitas est: quod utique gratiæ non competit; siquidem Deum dedecet, nec ipsi tribuitur, subindeque non est perfectio simpliciter simplex; ac proinde gratia à charitate necessariò distinguitur, si non realiter, saltem formaliter.

Respondet Doctor ibidem *num.* 4. charitatem posse considerari vel *transcendentaliter*, vel *categoricè*, hoc est quatenus, vel significat & complectitur charitatem tam creatam, quàm increa-

tam, vel quatenus duntaxat solam charitatem A creatam designat: Priori modò fatetur gratiam sanctificantem & charitatem distingui formaliter, sicut sapientia ut sic distinguitur à sapientia creata; & sicut animal ut sic, distinguitur formaliter ab hoc rationali: charitas autem creata & gratia non ita distinguuntur, ut charitas creata dicat aliquam formalitatem absolutam, quam non dicit gratia sanctificans aut vice versâ; idcirco dum Doctor numerò 4. suprà laudatô dicit, gratiam à charitate esse distinctam formaliter, loquitur solùm de charitate transcendentaliter accepta, quam utique ibidem concedit formaliter à gratia distingui; non verò comparat charitatem creatam cum gratia sanctificante, qua- B propter ibidem ait, quòd omnis gratia est charitas, licèt non è conversò.

Quòd autem non solo nomine, ut vult Durandus, charitas creata & gratia sanctificans distinguantur, apparet ex eo quòd illa quæ solò nomine differunt, habent duntaxat diversas appellationes, non verò diversa munia, ut culter & gladius: at charitas & gratia connotant diversa munia & res distinctas. Nam gratia significat esse gratum & acceptum Deo, acceptatione supernaturali in Filium adoptivum, & ut sic non significat aliquod principium supernaturale diligendi Deum connaturaliter, quod tamen charitas C sumpta præcisò conceptu charitatis significat: ergo gratia sanctificans & charitas distinguuntur plusquam solò nomine.

QUÆSTIO TERTIA.

An & qualiter gratia habitualis augeri possit & minui: corrumpi, & deperdi.

NOtandum primò, circa primam hujusce propositæ quæstionis partem, tres capitales fuisse erroneas hæreticorum sententias. *Primus* error fuit Joviniani, qui docuit olim homines in D cepta Dei gratia crescere non posse, ut testatur sanctus Hieronymus, lib. 2. adversus eundem hæreticum. *Secundus* tribuitur Kemnitio, qui licèt docuerit justitiam & sanctitatem aliquod accipere posse incrementum, negavit tamen id provenire ex bonis operibus; sed duntaxat ex fide promissionum divinarum, subindeque potius ex beneplacito Dei, quàm ex merito operantis. *Tertius* denique error fuit Beguardorum & Beguinarum, qui existimabant homines ad talem sanctitatis & justitiæ gradum posse in hac vita pertingere, ut ad ulteriorem perfectionem progredi non liceret. Adversus quem triplicem errorem in prima conclusione pugnandum erit.

II. Gratia sanctificans deperditur per quodlibet peccatum mortale. *Notandum secundò*, apud Catholicos extra controversiam esse quòd gratia habitualis & sanctificans possit deperdi per mortale peccatum, dicente Dominò per Ezechielem cap. 18. *Si autem averterit se justus à justitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? omnes justitia ejus quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione quâ prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur*; sed difficultas est, utrum gratia sanctificans, quam eandem realiter cum charitate esse probatum est suprà, per singulos actus peccaminosos destrui possit & corrumpi, an verò duntaxat per actum odii & aversionis Dei charitati directè oppositum; sicut fides, spes ac cæteræ virtutes non deperduntur, nisi per actus contrarios & oppositos.

III. Sensus quæstionis de augmento & diminutione gratiæ. *Notandum tertiò*, hîc difficultatem non moveri an gratia habitualis augeri possit & minui per extraordinariam Dei virtutem & dispositionem, penes intensionem graduum qui in illa sunt; idque pro libito & absque ullo respectu ad opera meritoria vel demeritoria; sed quæritur an de facto & ex communi lege, gratia sanctificans augeri possit per quoslibet actus meritorios, non solùm charitatis, sed etiam aliarum virtutum, tam supernaturalium, quàm moralium; idque non solùm per intensiores, sed etiam per remissiores earum virtutum actus: an etiam minuatur per quodlibet veniale peccatum. Igitur tria maximè veniunt hîc resolvenda: *Primum*, an gratia habitualis augeri possit, quamdiu hoc in mortali statu vivimus per quælibet bona opera. *Secundum*, an tevera per quodlibet peccatum mortale habitualis gratia destruatur. *Tertium* denique, an per singula venialia gratia habitualis minuatur.

CONCLUSIO PRIMA.

GRatia habitualis ex natura sua augeri potest: & de facto in hominibus augetur per singula eorum bona opera, quamdiu in hoc statu mortali vivunt; ita ut nullus adeò sanctus & perfectus sit, qui in sanctitate ulteriores gradus facere non possit; etiam per actus remissos aut minus intensos. Hæc conclusio quatuor continet partes adversus totidem errores in primo notabili declaratos;

IV. Gratia habitualis augeri potest. *Probatur primò*; quidem ex Scriptura sacra pluribi adhortante ad progressum ex justitia & sanctitate: Sic Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, id est, in justitia progressus facere. Proverb. 4. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Ad Philip. 1. *Hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Apocalyp. 22. *Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Et 2. Corinth. 4. *Licèt is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui justus est renovatur de die in diem.*

Eadem veritas definita fuit in Concilio Viennensi in Clementina *ad nostrum de hæreticis*; & Tridentino sessione 6. cap. 10. ubi ait: *Sic ergo justificati & amici Dei ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est mortificando membra carnis suæ & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis justificantur..... quod justitia incrementum* E *petit sancta Ecclesia cùm orat, Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Hinc can. 24. ita statuit: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò & signa esse justificationis adeptæ; non autem ipsius augendæ causa, anathema sit.*

Huic veritati adstipulantur omnes sancti Patres, maximè *Hieronymus* in cap. 4. ad Ephes. explicando hæc verba, *Vnicuique donata est gratia, &c. Augustinus* Epist. 57. ad Dardanum, *Basilius* in scholiis ad illa verba Psalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Bernardus, ser. 9. in Psal. *Qui habitat, &c.* Suadetur etiam ratione. Gratia est qualitas supernaturalis & participatio quædam naturæ divinæ: Ergo non repugnat eam augeri.

Probatur consequentia : Illa repugnantia si quæ esset, peteretur *vel* ex eo quòd sit qualitas, *vel* quia est supernaturalis, vel denique quia est participatio divinæ naturæ. *Non primum*, proprium enim est qualitati posse intendi: *Non etiam secundum*, nam inde sequeretur actus charitatis aut alterius virtutis infusæ, cùm sint supernaturales, non posse augeri, quod absurdum esse constat; quippe modò remissiùs, modò intensiùs, Deum ex motivo supernaturali diligimus: *Non denique tertium*. cùm enim illa participatio divinæ naturæ sit inadæquâta & imperfecta, non repugnat eam fieri magis vel minùs perfectam quoad gradus intensionis.

V. Per opera meritoria.

PROBATUR ETIAM SECUNDA PARS : Nempe quòd gratia sanctificans augeri possit, non solùm, per actum dilectionis Dei, sed etiam per opera bona auxiliô gratiæ procedentia. Hanc enim veritatem pluribi docet Apostolus, maximè verò ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Quibus verbis fideles Romanos hortatur, ut quemadmodum ante susceptam baptismi gratiam servierant iniquitati per mala ipsorum opera, ita post acceptum baptisma serviant justitiæ in sanctificationem, ut per bona opera evadant sanctiores. Sed apertiùs hanc veritatem demonstrat ad Coll. 1. dicens : *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, ut in omni virtute confortati.*

Confirmatur ex aliis Scripturæ locis, quibus bonis justorum operibus promittitur augmentum gloriæ, quæ est justitia consummata, & consequenter augmentum gratiæ sive justitiæ inchoatæ. Sic 1. Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino;* quia videlicet potus etiam aquæ frigidæ datus in nomine Christi aut ejus discipuli accipiet mercedem æternæ gloriæ, ut significatur Matth. 10. Similiter 2. ad Cor. 4. *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* His adde doctrinam & definitionem suprà laudatam Concilii Tridentini, quibus apertè significat, non solùm per actus charitatis, sed etiam per bona quælibet opera gratiam in nobis augeri.

VI. Idque per totam vitam.

PROBATUR TERTIA PARS : Nempe quòd justi per totam vitam in justitia accepta proficere valeant; ita ut numquam eò perveniant, quò ulteriùs progredi non possint quandiu sunt in via & mortalem vitam agunt, ita namque apertè docet Scriptura sacra, Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quia merces Dei manet in* E *æternum*: Quasi diceret, Non desistas quandiu vivis in justitia per novos gradus proficere, quia quò sanctior eris, ampliorem & abundantiorem gloriam excipies. Sic pariter Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion*, id est, in virtute crescent, donec ad beatam visionem perveniant : & ad Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suô metemus non deficientes.* Quibus verbis Apost. significat totum tempus hujus vitæ datum esse ad bene operandum & serendum quod metamus in altera, semen scilicet vitæ æternæ.

Eandem veritatem sua authoritate tuentur SS. Patres, præsertim S. Hieronymus super Psalm. 83. exponens illa verba *Ascensiones in corde suo dis-*A *posuit*, ubi ait, *Quicumque sanctus quotidie in priora extenditur & præteritorum obliviscitur.* S. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli: *Semper adde, semper ambula, semper profice. noli in via remanere.* S. Leo serm. 2. de Quadrag. *Hæc est*, inquit, *perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.* S. Prosper in collectione sententiarum S. Augustini, sententia 102. *In hac vita, quæ tota tentatio est, in sublimissimis sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* Hinc lib. Epigramm. in 26. eleganter ce-B cinit.

Semper enim sanctis superest quô crescere possint,
Et perfectorum gloria principium est.
Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.

Favet etiam ratio: nam quamdiu homo viator est, mereri potest, unde Christus Dominus hortabatur suos discipulos, *Ambulate dum lucem habetis ut non vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12. Ergo semper assequi potest novum gradum gratiæ qui sit novi gloriæ gradus semen. *Deinde*, Quandiu viator non est in termino potest ad eum continuis gressibus tendere : at quandiu homines sunt in mundo, non habent permanentem civitatem, ait S. Paulus sed futuram inquirunt; subindeque as-C siduo bonorum operum incremento possunt in patriam suam properare. *Denique*, licèt capacitas obedientialis hominis ad gratiam finita sit, tamen secundùm ordinationem divinæ providentiæ nunquam omnimodè impletur per media & auxilia à Deo subministrata, nec ullus unquam attinget eum gratiæ gradum quem Christus Dominus habuit; adeoque conveniens est ut quandiu viator est, cum ejus capacitas omnimodè non possit expleri, saltem tali modo promoveatur ac juvetur diviniùs per auxilia gratiæ, ut magis semper ac magis proficiat donec viæ suæ terminum assequatur.

PROBATUR DENIQUE QUARTA PARS. Nempe D quòd habitualis gratia augeri possit etiam per actus remissos & minùs intensos. *Tum quia* sacra Scriptura & Concilium Tridentinum apertè docent nostram sanctitatem augeri per quæcumque bona opera : sed actus remissi sunt bona opera: ergo per eos actus gratia sanctificans augetur. *Tum quia*, inquit Doctor in 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. si gratia sanctificans per actus remissos non augeretur, cum illa sit semen gloriæ, sequeretur quod adultus qui plures actus remissos exercuit post baptismum, non foret beatior nec ampliori beatitudine donaretur quàm parvulus, qui statim post baptismum moritur : at consequens pugnat in ipsam Dei remunerantem justitiam, quæ etiam minimum opus bonum, putà calicem aquæ frigidæ, ex misericordia donatum non finit esse absque mercede.

VII. Etiam per actus remissos.

Confirmatur, ex eo quod Deus nulla opera mala quantumvis remissa, finit esse impunita : nam venialia quæque plectentur in Purgatorio nisi hac in vita exsolvantur : Ergo pari ratione non debet ulla bona opera quantumvis minuta debet irremunerata deserere; Deus enim non proclivior ad vindictam mali quàm ad præmiationem boni. *Denique*, Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. postquam statuit conditiones ad merendum desideratas, scilicet quod sit opus honestum voluntarium à gratia procedens, ait, *Nihil ipsis justificatis amplius deesse, ut verè promeruisse censeantur;*

ficantur; ergo non requiritur actus intensior, cùm assignatæ istæ conditiones etiam in remisso can-dere possint.

Objicies contra primam partem. Tota nostra gratia ac justitia dimanat à Christo totius gratiæ fonte, *de cujus plenitudine omnes accipimus*: sed Christus gratias distribuit singulis prout vult, & non secundùm cujusque meritum, ut docet sanctus Paulus 1. ad Cor. 12. Ergo si aliquod sit gratiæ augmentum, non fit per bona opera.

VIII. Deus primam gratiam confert ex pura liberalitate, non ita illius augmentum.

Distinguo minorem. Dividit *singulis prout vult* primam gratiam & aliquando illius augmentum, concedo: dividit semper gratiæ augmentum pro ut vult, hoc est ex mera liberalitate, nec attendendo ad bona opera illud augmentum promerentia, nego. Contrarium namque suprà probatum est ex Scriptura: illa enim frustrà & illusoriè nos hortaretur ad novum accersendum gradum justitiæ per bona opera, si ille gradus ex sola Christi Domini liberalitate penderet. *Adde quòd* Apostolus, cujus authoritate nititur objectio, ibi duntaxat sermonem faciat de directione gratiarum gratis datarum.

Instabis. Quæcumque gratia datur gratis & ex pura liberalitate; nam si ex meritis, jam non est gratia, inquit Apostolus: Ergo cùm gratiæ augmentum veram habeat rationem gratiæ, gratis concedi debet & non ex merito & intuitu bonorum operum.

Distinguo antecedens. Gratia omnis gratis datur, vel ratione sui, vel ratione sui principii, concedo: semper ratione sui, nego. Duplex igitur distinguenda est gratuita collatio gratiæ; una quidem simplex, quæ fit nullo habito respectu ad opus meritorium; alia verò secundùm quid, videlicet ratione principii quod gratis datur; sic gloria æterna licèt sit corona vincentium, merces laborantium, & hæreditas filiorum, tamen dicitur gratia, quia nempe datur propter opera meritoria quæ fuerunt elicita per gratiam sanctificantem gratis concessam. Pari ratione augmentum gratiæ dicitur gratia, quia conceditur solùm ratione operis meritorii, quod per gratiam actualem & habitualem simpliciter gratis concessam fuit elicitum.

Objicies adversus secundam partem. Habitus non possunt augeri nisi per actus similes iis quos eliciunt; ergo gratia sanctificans, cùm eadem sit realiter cum charitate, non potest augeri per actus aliarum virtutum, sed duntaxat per actum amoris Dei?

IX. Habitus infusi non eodem modo augentur quò acquisiti.

Distinguo majorem. Habitus acquisiti & comparati per actus augeri nequeunt, nisi per actus similes iis quos eliciunt, & per quos producti fuerunt, concedo: habitus infusi & per solam Dei liberalitatem concessi, qualis est gratia sanctificans, non possunt augeri nisi per actus homogeneos, seu similes eis quos eliciunt, nego: Cùm enim actus meritorii non physicè, sed duntaxat moraliter concurrant ad augmentum habitûs, nempe movendo Deum per modum meriti ad conferendum illud augmentum; cùmque Deus moveatur ad compensandum servi fidelis obsequium, propter quamlibet ejus observantiam & obedientiam; inde fit quòd augmentum gratiæ sanctificantis fieri possit per quodlibet bonum opus. *Adde quòd* charitas sit virtus generalis, quæ suò veluti sinu cæteras virtutes complectitur; *plenitudo* namque *legis est dilectio*, inquit Apostolus; hinc est quòd facilè per quoslibet actus cæterarum virtutum moraliter augeri possit.

Objicies contra tertiam partem, sanctum Augustinum in Enchiridio cap. 121. dicentem, *Hic veniri ad tantam magnitudinem charitatis, quâ major esse non possit*: ergo censet sanctus Augustinus charitatem hac in mortali vita habere posse accressionis metam & terminum.

X. Charitas semper hic augeri potest secundùm habitum; non verò secundùm actum.

Nego conseq. ibi enim non agit de charitate secundùm intensionem habitûs, sed secundùm exhibitionem operis ex genere suo maximi, cujusmodi est omnia propter Deum contemnere, & mortem pro illo subire; juxta illud Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat, &c.* Quem utique præstantissimum effectum reverà potest homo fidelis hac in mortali vita exercere, uti fecerunt Martyres, & plurimi Reges & divites; necnon & innumeri Religiosi, qui venditis omnibus quæ possidebant, & largâ eleemosynarum largitione pauperibus erogatis, pauperem Christum sequuti sunt.

Objicies tandem contra ultimam partem, illud Apocal. 3. ubi Episcopus Sardis reprehenditur quia non erant plena ejus opera coram Deo; opera autem non plena alia non sunt quàm opera remissa: Ergo tantùm abest ut illa promereri possint augmentum gratiæ, quinimò Dei iram & indignationem provocant. *Deinde* secundùm sanctum Gregorium lib. Moral. cap. 16. in via Domini non progredi, regredi est: sed per opera remissa non progredimur: ergo retrogradimur. *Denique*, qui negligenter utitur donis acceptis, non meretur accipere augmentum doni: sed qui remissè operatur, negligenter utitur donis; igitur illius doni augmentum non meretur; ergo opera remissa nullatenus conferunt ad augmentum gratiæ.

XI. Ad virtutem itur celeriùs, aut tardiùs.

Nego consequentiam: & ad primum arg. nego minorem; nam per opera non plena non intelliguntur opera remissa, sed illa quæ sunt facta propter inanem gloriam, & vacua sunt omnino retributionis & mercedis.

Ad secundum nego pariter minorem; sicut enim ille qui exercuit actum charitatis, quæ est omnium virtutum præstantissima; non dicitur regredi, quando posteà exercet actum alterius virtutis minùs perfectæ: ita nec retrogredi dicendus est, qui postquàm exercuit actum perfectum & intensum alicujus virtutis, postmodum ejusdem, vel alterius virtutis actum minùs perfectum elicit; semper enim ambulare dicitur is qui motum facit versus terminum, licèt nunc celeriùs, nunc tardiùs gradiatur.

Ad tertium distinguo majorem: Qui negligenter, id est, peccaminosè utitur, seu potius abutitur bonis, non meretur eorum augmentum, concedo: qui negligenter, id est, remissè talibus donis utitur, nego: cùm enim nullum sit præceptum, quô jubeatur ut actus fiat modò intensô & perfectô, hinc non est dicendus quis peccare, dum remissè agit.

Petes quando-nam à Deo concedatur tale augmentum gratiæ propter opera remissa?

XII. Augmentum charitatis per actum remissum fit maximè in instanti mortis.

Respondeo, hoc in solvendo dubio variare Authores; sunt enim qui censeant illud augmentum statim concedi, ac opus meritorium elicitum fuit. Ita *Gabriel* in primum distinct. 17. quæst. 4. art. 3. *Vasquez* disp. 220. *Nonnulli* existimant cum sancto Thoma 1. 2. quæst 114. art. 8. tale augmentum non dari statim, sed duntaxat quando homo elicit actum intensiorem: *Cæteri* verò cum subtili Doctore in 4. d. 21. q. 1. docent augmentum illud conferri maximè in instanti mortis; cùm enim

actus remissus per se & physicè non augeat habitum infusum, sed solùm dispositivè & moraliter; conveniens videtur ut Deus, qui suavem modum augendi servat, non statim augeat, quia non est dispositio sufficiens, sed duntaxat io ultimo vitæ instanti, ne videlicet actus remissos relinquat sine præmio; & insuper anima in illô articulô propter perseverantiam in gratia, disposita est ut illi tale augmentum detur.

Dices. Justificati per bona opera, ex Concilio Tridentino, eunt de virtute in virtutem, & de die in diem in ipsa justitia bonis operibus crescunt, atque magis justificantur: ergo suæ justitiæ augmentum suscipere debent, oon solùm in fine vitæ, sed etiam statim ac opera bona, licèt remissa, exercuerunt.

Respondeo hoc equidem verum esse de operibus intensis, noo verò de remissis; nam magis congruit, ut Deus suavem modum operandi servet, tribuendo videlicet augmentum gratiæ, juxta dispositionem, quæ cùm non videatur aptior quàm in articulo mortis, idcirco congruentiori ordine tunc duntaxat illorum actuum remissorum augmentum gratiæ confert.

Instabis. Non videtur major dispositio in fine vitæ; quàm statim ac actus illi fuerunt eliciti; ergo ooo apparet ratio cur augmentum illud in finem vitæ differatur.

Nego antecedens: Nam ordinariè fit, ut in fine vitæ charitas sit intensior: deinde propter perseverantiam in gratia usque ad ultimum vitæ terminum videtur major dispositio ad illud augmentum gratiæ suscipiendum, quàm fuerat antea. Denique cùm merita remissa sine præmio remanere non debeant, oportet ut illud augmentum debitum persolvatur in eo statu, in quo non requiritur dispositio, sicut in via qui est status disponendi se & merendi.

Conclusio Secunda.

Gratia habitualis per quodlibet mortale peccatum destrui potest, & non duntaxat per actum odii & aversionis Dei.

Probatur hæc assertio illis omnibus Scripturæ textibus, quibus declaratur arcendos à regno cœlorum, non solùm qui Deum actuali odió prosequuntur, sed etiam eos qui quodlibet peccatum patrant. Sic ad Galat. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ubi absolutè dicit qui talia agunt regnum Dei non consequuturos: quod apertiùs declarat 1. Corinth. 6. cùm ait, *Sed vos injuriam facitis & fraudatis & hoc fratribus? An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c.* Ubi manifestum est eum loqui de quibuslibet peccatis. Similia habet Ephes. 5. Hinc ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quibus concordat, illud Apocalip. 3. ubi Episcopo justo dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

XIII. Gratia habitualis deperdi potest per quodlibet peccatum mortale.

Quapropter Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. *Asserendum est*, inquit, *non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti:* Eo quod omne peccatum mortale graviter Deum offendit, æternæ damnationi hominem adjudicat, Deoque invisum & inimicum reddit; & subinde gratiam sanctificantem expellit, quâ sumus Dei amici, filii, & hæredes. Quæ contra hanc veritatem solent objici ab hæreticis, solventur infrà.

Conclusio Tertia.

XIV. Non autem per venialia.

Gratia habitualis non destruitur, nec minuitur per venialia peccata. Prima pars hujus conclusionis patet ex Scriptura sacra, quæ peccantes venialiter, justos appellat. Sic Proverbiorum 24. *Ne insidieris & quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus, septies enim cadet justus, & resurget:* quasi diceret, Ne existimes te in illo deprehensurum impietatem aut gravem aliquam culpam & iniquitatem: si enim cadit aliquando, ut *viris* justis contingit, tamen, non nisi leviter cadit, & statim resurgit. Hinc Concilium Tridentinum sectione 6. cap. 11. ait: *Licèt in hac mortali vita, quantumvis sancti & justi in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea, desinunt esse justi; nam justorum illa vox est & humilis & verax: Dimitte nobis debita nostra.*

XV. Nec per illa minuitur.

Posterior pars Conclusionis, nempe quòd *gratia habitualis per peccata venialia non minuatur*, probatur ex eo quòd, si peccata venialia gratiæ intensionem minuerent, maximè quia illi repugnarent physicè aut moraliter; *vel* quia ejus diminutionem merentur: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia illa quæ sibi invicem repugnant physicè aut moraliter, non possunt simul subsistere secundùm legem ordinariam: peccatum autem veniale subsistere potest cum gratia etiam valdè intensa, putà cùm aliquis habens charitatem ardentissimam, idem peccatum veniale committit, cum eo qui charitatem duntaxat remissam habet. *Secundum* etiam dici nequit, nempe quòd veniale peccatum moveat Deum ad auferendos aliquos gradus gratiæ, qoia Deus non punit leviora peccata, qualia sunt venialia tam gravi pœnâ, quanta est amissio & privatio alicujus partis gratiæ; & gloriæ illi correspondentis. *Deinde*, si peccatum veoiale gratiam minueret, sequeretur tandem quòd multiplicatis peccatis venialibus, gratia posset omnino deperdi: nam cùm gradus illius gratiæ sint finiti, si quodlibet peccatum veniale unum aliquem gradum, vel partem ejus auferret, tot committi possent peccata venialia, ut tandem tota gratia periret & evanesceret: absurdum est autem quod per peccata venialia gratia possit deperdi, alioqui homo propter peccatum veniale damnari posset; quippe destitueretur gratiâ sanctificante, quæ ad salutem est absolutè necessaria.

Dices: Per veniale peccatum contrahitur quidam tepor, & animæ virtus hebetatur, præsertim quando frequentiùs & deliberatè fiunt: sed tepor ille & illa animæ imbecillitas aliundè non proveniunt, quàm ex diminutione gratiæ habitualis: ergo reverà per peccatum veniale diminuitur.

Nego minorem: Illa enim non proveniunt ex remissione & diminutione gratiæ sanctificantis in seipsa; sed ex substractione auxiliorum gratiæ, quibus indignus fit, qui liberiùs aut frequentiùs venialiter peccat.

Dices secundò: Sanctus Augustinus Epistola ad Seleucianum affirmat, quòd si venialia collecta

fuerint, ita nos oppriment & gravabunt, sicut unum aliquod grande peccatum: ergo venialia multiplicata eundem habere possunt effectum, quem haberet unum mortale: sed unum mortale peccatum sufficit non solùm ad minuendam, sed etiam ad destruendam gratiam sanctificantem: ergo pariter venialia peccata poterunt eandem gratiam destruere, aut saltem minuere.

Distinguo antecedens: Oppriment & gravabunt effectivè & formaliter, sicut opprimit & gravat peccatum mortale, nego: dispositivè & remotè, concedo: venialia enim multiplicata disponunt ad amissionem gratiæ & commissionem peccati mortalis, quatenus scilicet frequenter & ordinariè contingit, ut qui valde negligentes sunt in vitandis venialibus, labantur in aliquod peccatum mortale, quia destituuntur majoribus auxiliis gratiæ, quibus justi privantur; dum enim homines, inquit S. Augustinus *Sermone* 88. *de tempore*, negligentes imprimis despiciunt peccata sua, „ quia parva sunt; crescentibus minutis peccatis „ adduntur & crimina, & cumulum faciunt, & de„ mergunt.

Quæres qualiter gratia sanctificans per peccatum mortale expellatur, an physicè & ratione oppositionis naturalis, an verò moraliter tantùm & ratione dispositionis & ordinationis divinæ?

XVI. Qua ratione gratia opponatur peccato.

Respondeo, id fieri non physicè, sed moraliter, quia si peccatum mortale esset causa physica expulsionis gratiæ, id præstaret vel effectivè, vel formaliter, vel positivè.

Primum dici nequit, quia si peccatum mortale effectivè gratiam pelleret, deberet in anima efficere formam aliquam physicè ipsi gratiæ oppositam, & cum ea incompatibilem: sed hoc non præstat; etenim si sit peccatum puræ omissionis, nihil physicè efficit: si verò sit peccatum commissionis, non producit aliquam formam, quæ sit physicè opposita gratiæ; peccatum enim commissionis nihil producit, nisi fortè habitum vitiosum: sed ille nec physicè, nec moraliter pugnat cum gratia sanctificante, nam habitus vitiosi per assiduum peccatum contracti remanent in justificatis, & eos ad peccatum inclinant, ut experientiâ constat.

Secundum etiam dici nequit: tum quia id quod pellit aliud tanquam forma physicè opposita & incompatibilis, debet habere illam incompatibilitatem ex natura sua: sed peccatum mortale ex natura sua physica non habet talem incompatibilitatem: nam idem actus qui est peccatum mortale, si non fieret liberè, esset idem actus physicè, nec tamen gratiam pelleret, neque foret peccatum; subindeque illam expellendi vim non habet ex natura sua.

Tertium denique nequit pariter affirmari; forma enim quæ non pēdet à physicis dispositionibus neque illas prærequirit in subjecto, non potest physicè expelli per contrarias dispositiones, hæ namque non aliter expellunt formam, quàm destruendo formaliter dispositiones ad illam formam prærequisitas: sed gratia non pendet physicè ab ullis dispositionibus, ut patet in infantibus, qui sine ulla dispositione justificantur per baptismum: si verò in adultis requirantur aliqui actus, quibus disponantur ad gratiam sanctificantem, illæ dispositiones sunt tantùm morales ratione consti-

A tutionis & ordinationis divinæ; quæ eas præscripsit habendas: Restat igitur, ut mortale peccatum gratiam destruat tantùm moraliter: *vel* quatenus movet Deum ad gratiæ substractionem sicut ad alias pœnas inferendas: *vel* quia gratia est forma non bene conveniens cum peccato mortali; utpote cùm illa hominem Dei amicum faciat; hoc verò inimicum constituat: *vel* denique, quatenus peccatum avertit hominem à Deo, & convertit ad creaturas; gratia verò è contrario hominem à creaturis revocat, ut ad Deum convertat.

B Hic etiam quæri solet, an saltem per extraordinariam Dei dispositionem & virtutem gratia sanctificans unà cum mortali peccato subsistere possit: verùm hæc quæstio convenientiori ordine solvetur in disputatione de charitate.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Causis Gratiæ.

Explicata utcumque gratiæ habitualis naturâ, consequenter agendum est in hoc Articulo de causis illius, quas omnes Tridentinum sess. 6. cap. 7. apertè declarat his verbis: I. Quænam sint causæ gratiæ.

C *Hujus justificationis causæ sunt*, Finalis *quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna*: Efficiens *verò misericors Deus, qui gratuitè abluit, & sanctificat, signans & ungens Spiritu sanctò promissionis, qui est pignus hæreditatis nostræ*: Meritoria *autem dilectissimus Unigenitus Filius suus Dominus noster Jesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit*: Instrumentalis *item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio. Demum unica* Formalis *causa est justitia Dei: non quâ ipse justus est, sed*

D *quâ nos justos facit: quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justi nominamur & sumus.* Quanquam autem, ut ex præfatis verbis constat, plures sint causæ gratiæ, nihilominus hîc duntaxat nobis sermo erit de causa Efficiente & Materiali, necnon & subjectiva gratiæ habitualis, quæ præcipuum est analogatum sub hoc nomine *gratia.*

Quæstio Prima.

An & qualiter Deus sit causa efficiens gratiæ?

E *Notandum primò*, triplicem à Philosophis distingui causam productivam, nempe principalem, coagentem, & instrumentalem. *Principalis* est quæ prima est & independens à concursu superioris causæ ejusdem rationis in productione effectûs; ita quòd cæteræ causæ ab ejus influxu pendeant. *Coagens* seu minùs principalis ea dicitur, quæ reverâ quidem in effectum efficienter influit, sed cum dependentia à causa principali; ita quòd absque illius concursu nullatenus in effectum influeret. *Instrumentalis* denique, est ea quæ effectûs quidem productionem attingit, non tam per propriam virtutem intrinsecè sibi inexistentem, quàm per virtutem principalis agen- II. Triplex est causa productiva rei.

tis à quo movetur, & ad effectum producendum A assumitur.

III. Deus est causa magis principalis gratiæ.

Notandum secundò, omnes Theologos cum Concilio Tridentino locô mox laudatô, convenire, causam efficientem primam & supremam gratiæ esse Deum, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens spiritu promissionis, ut loquitur Concilium post Apostolum 1. Cor. 6. & ad Titum 3. Minùs verò principalem & meritoriam, esse Christum Dominum, qui per principale ministerium est executor gratiæ & gloriæ, & sacramentorum institutor, quique suâ passione sanctissimâ nobis justificationem meruit, & pro peccatis hominum Deo Patri satisfecit. *Denique*, efficiens instrumentalis, sunt ipsa sacramenta à Christo instituta, quibus Deus utitur velut instrumentis ad gratiam producendam, non physicè, ut volunt Thomistæ, sed moraliter, ut subtilis Doctor & ejus Discipuli affirmant. Verùm difficultas est, an etiam aliqua creatura de lege ordinaria vel extraordinaria possit habere rationem causæ principalis productivæ gratiæ.

IV. Dubium movetur qualiter Christi humanitas ad gratiæ productionem concurrat.

Notandum tertio, maximè controversiam moveri de humanitate Christi, quæ cùm sit rerum creatarum præstantissima & potentissima, utpote cui donata fuerit omnis potestas in cœlo & in terra, etiam efficacissimam præ cæteris creaturis operandi virtutem habet in ordine naturæ, gratiæ & gloriæ; inde volunt aliqui Theologi eam non solùm esse causam meritoriam, sed etiam principalem effectivam gratiæ; ita quòd reverà concursu physicô ad ejus productionem concurrat. Sic tenent *Medina* in 3. part. quæst. 13. dubiô ultimô, & *Cabrera* ibidem disp. 2. ubi docent humanitatem Christi, seu Christum D. in quantùm hominem, esse causam principalem gratiæ sanctificantis in omnibus justis, secundariam tamen & Deo subordinatam. Verùm quàm improbabilis sit eorum sententia, aperiet

CONCLUSIO UNICA.

V. Deus solus gratiam producit ut causa princeps.

Deus ita solus est causa efficiens principalis gratiæ, ut nullum dari possit agens creatum adeò perfectum, quod eandem causa principalis gratiæ productivam virtutem obtineat. Hæc est communis in utraque schola Angelica & Subtili.

Probatur primò: Ille solus producere potest ut causa principalis gratiam justificantem, qui solus potest justificare: sed solus Deus homines justificare potest, & à peccato mundare: ergo productio gratiæ justificantis soli Deo, ut causæ principali competit. Major constat. Gratiæ namque sanctificantis infusio, est peccatorum condonatio & absolutio. Minor verò probatur ex Scriptura sacra. Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Isaiæ 45. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, narra si quid E habes ut justificeris.* Rom. 3. *Quoniam unus est Deus qui justificat.* Et 8. *Deus est qui justificat? quis est qui condemnet:* Ex quibus verbis clarè colligitur gratiam habitualem, quæ est causa formalis justificationis & remissionis peccatorum, ita à solo Deo ut à causa principali pendere, ut nulli alteri, vis illius productiva competere possit. Unde meritò S. Aug. l. 1. de peccatorum meritis cap. 14. ait: *Quisquis ergo ausus fuerit dicere: Justifico te.* (nempe ut causa principalis) *consequens est ut etiam dicas, Crede in me:* Inde concludit quòd sicut non est credendum nisi in solum Deum, ita sentiendum est nullam creaturam, sed solùm Deum, ut causam principalem justificare posse. Cujus veritatis ratio est, quia offensa Dei ab illius jure absolutè pendet, de quo nullus alius disponere potest, nisi per delegatam sibi tanquam ministro & dispensatori ab ipso Deo vicariam potestatem.

Nec valet reponere, illa testimonia intelligenda esse de causa principali quæ sit prima & independens à superioris concursu, non autem de principali secundaria. Hæc, inquam, replica nulla prorsus est; quia cùm Dei proprium sit esse causam primam & independentem ab omni alia superiori, non tantùm respectu divinæ gratiæ; sed etiam per ordinem ad quemcumque effectum; B evidens est quòd illis locis Scriptura nihil assereret quod esset speciale productioni gratiæ & peccatorum justificationi, si nihil aliud intenderet.

Probatur secundò: Ille solus potest esse causa principalis gratiæ, qui solus potest dare Spiritum sanctum, ut causa princeps; sed nulla creatura, etiam Christus Dominus in quantùm homo, habet potestatem physicam, & principalem dandi Spiritum sanctum: ergo neque conferendi & producendi gratiam habitualem. Major patet ex illo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est, &c.* Minor verò probatur: opportet donum esse aliquó modó in potestate ipsius dantis, vel per originem, vel per possessionem: sed nullò istorum C modorum Spiritus sanctus potest esse Christi, ut hominis aut alicujus puræ creaturæ: ergo nullus Spiritum sanctum præter Deum dare potest; subindeque nec gratiam sanctificantem conferre. Hinc meritò sanctus Augustinus lib. de Trinit. cap. 12. distinguens ea quæ conveniunt Christo, ut Deo, ab his quæ ipsi competunt ut homini, docet Christum Dominum quatenus Deum. Joan. 16. Apostolis dixisse, de Spiritu sancto: *Si autem abiero mittam eum ad vos:* in quantùm verò erat homo, dixisse. Joan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*, quò significaret se ut hominem non posse principaliter, & ex sua authoritate dare Apostolis Spiritum sanctum, sed D quatenus erat homo debere ipsum precibus à Deo impetrare.

VI. Christus D. autem tantùm ut causa minùs principalis.

VII. Creatura non potest producere gratiam.

Probatur tertiò; Si aliqua creatura gratiam producere posset, maximè id præstaret, vel eam creando, vel ex potentia obedientiali animæ educendo: sed neutrum præstare potest creatura: ergo nec gratiam physicè ut causa principalis producere. Major constat: gratia enim non potest produci, nisi *vel* ex nihilo per creationem; *vel* ex potentia subjecti per eductionem. Minor verò probatur: primò quoad *creationem*, quia cùm creatio sit productio entis ex nihilo, opportet ut ille qui creat, tanquam causa principalis, dominium habeat supra ens producibile ut sic, atque adeo quòd sit Dominus omnis entitatis producibilis: sed hoc, ut manifestum est, alicui creaturæ competere nequit: ergo, &c. Constat etiam quoad *eductionem*; tum quia, ut sequenti quæstione probabimus, gratia non educitur sed creatur: tum quia etiamsi educeretur, illa vis educendi creaturæ competere non posset; sicut enim virtus eductiva naturalis habet dominium supra potentiam naturalem subjecti, ex quo educit formam: ita qui educit aliquid de potentia obedientiali, debet habere dominium in talem potentiam: sed nulla creatura potest habere tale dominium; siquidem potentia obedientialis est ea, quâ creatura quælibet subditur absoluto Dei dominio ad obediendum in iis omnibus, quæ contradictio-

nem non implicant; absolutè autem illud Dei A dominium nulli creaturæ tribui potest: ergo nec illa virtus gratiæ eductiva.

Objicies primò: illos Scripturæ textus, quibus significari videtur Christum Dominum ut hominem esse causam physicam principalem gratiæ, & justificationis nostræ: Sic Joannis 1. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Et Joannis 10. ipsemet Christus Dominus ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur:* sed per ostium significatur principalis authoritas: ergo Christus habet principalem authoritatem & virtutem productivam gratiæ.

Distinguo consequentiam: Christus habet principalem virtutem productivam gratiæ, vel quatenus Deus vel quatenus homo, concedo: quatenus homo, nego: Sicut enim in Christo duplex est natura, B divina scilicet & humana; ita pariter in eo duplex est virtus circa communicationē & productionem gratiæ. Etenim quatenus homo habet virtutem meritoriam respectu productionis gratiæ, necnon & potestatem excellentiæ seu ministerii principalis respectu communicationis illius, in quantum videlicet ejus humanitas est instrumentum conjunctum divinitati personaliter, ratione cujus unionis est caput totius Ecclesiæ, vitam gratiæ influens in singulos Fideles illius mystici capitis membra: quatenus autem Deus, habet potestatem principalem producendi gratiam: Unde C præfati Scripturæ textus de alterutra hac potestate veniunt intelligendi; subindéque nihil adversus conclusionem urgent.

Objicies secundò: Qui producit principaliter ultimam dispositionem ad formam aliquam, ipsam quoque formam producere potest; sed homo producit ultimam dispositionem ad gratiam principaliter: ergo illam ut causa principalis etiam producere potest. Major constat, etenim qui producit calorem ut octo, & in proximo gradu ad formam ignis suscipiendam, eandem ignis formam producit. Minor verò probatur: homo principaliter elicit actus contritionis & charitatis: sed illi sunt ultimæ dispositiones ad gratiam: ergo, &c.

Quanquam conferat ad ponendam ultimam dispositionem. *Respondeo primò* distinguendo majorem: Agens quod ultimam dispositionem ad aliquam formam principaliter producit, ipsam quoque formam producere potest, quando illa educitur de potentia subjecti naturalis, concedo: quando educitur de potentia ejus obedientiali, nego: cùm enim potentia obedientialis soli Deo subjiciatur, nec ullius creaturæ dominio subsit, consequens est quòd nulla creatura possit formam illam producere, si illa reverà educatur: multò minùs quando illa creatur, sicut de facto creatur gratia sanctificans, ut mox probabimus.

Respondeo secundò majorem esse veram, quando forma productiva sequitur naturaliter & necessariò ad productionem ultimæ dispositionis; secus verò quando præter positionem ultimæ dis- E positionis requiritur aliqua conditio ex parte agentis extrinseci, quam causare nequit ille, qui ultimam dispositionem introducit: sed ita est in præsenti; nam præter actum charitatis & contritionis, qui est dispositio ad gratiam, adhuc requiritur ex parte Dei specialis benevolentia, & acceptatio ac condonatio, quâ velit peccatum remittere & hominem priùs infensum in suam amicitiam acceptare: subindéque illa peccati remissio & gratiæ sanctificantis collatio, non sequitur naturaliter & necessariò positionem ultimæ dispositionis seu actûs amoris & contritionis; sicut forma ignis sequitur positionem octavi & ultimi gradûs caloris: sed tantùm gratia sanctificans sequitur actum charitatis & contritionis ex mero Dei beneplacito, & voluntaria ejus acceptatione.

Objicies tertiò: Deus potest producere qualitatem tantæ perfectionis, ut ea vim habeat producendi gratiam principaliter: ergo reverà potest illa virtus alicui creaturæ competere. Probatur antecedens: si quid obstaret quominus illa qualitas esset producibilis, maximè quia gratia, cùm sit ordinis supernaturalis, requirit causam quæ habeat ex se & in se activitatem omnino supernaturalem: sed hæc virtus creaturæ non repugnat; nam lumen gloriæ propriâ virtute, & sibi intrinsecâ hominem elevat ad statum supernaturalem, & cum eo efficienter ut causa principalis concurrit ad actum visionis Dei, sicut & ipsa gratia habitualis ita concurrit ad actus meritorios supernaturales: ergo, &c. VIII. Nulla qualitas infundi potest quæ ad gratiam producendam conferat virtutem.

Nego antecedens: Qualitas enim illa, aut esset perfectior gratiâ aut æquè, aut minùs perfecta: *Si minus perfecta*, haud dubium est quòd non posset gratiam producere; causa enim minùs perfecta non potest principaliter producere effectum præstantiorem se; quippe nemo dat quod non habet, subindéque illa causa minùs perfecta non posset illam eminentem perfectionem tribuere effectui, quam ipsa non habet. *Non etiam æquè perfecta*, alioquin etiam gratia sanctificans posset alteram sanctificantem gratiam producere ejusdem gradûs & perfectionis, quod nullus admittit. *Non denique perfectior*, nam gratia est perfectior, qualitas supernaturalium, ac nobilissima Dei participatio; subindéque non est excogitabilis aliqua alia qualitas ipsâ gratiâ sanctificante præstantior & perfectior pro hoc statu.

Ad probationem autem antecedentis dico, non esse paritatem, nam plura requiruntur ad producendum habitum supernaturalem, quàm actum, quia habitus supernaturalis magis habet rationem potentiæ quàm habitus, cùm non solùm facilitès, D sed etiam simpliciter det operari: actus autem non potest producere potentiam, neque id quod dat simpliciter operari, actus enim visionis non producit nec auget facultatem visivam: ergo illa gratia sanctificans non potest produci per ullum actum creaturæ. *Adde quòd* gratia sanctificans creari debeat, nulla autem creatura creare potest.

Objicies 4. Ex actibus supernaturalibus generari possunt habitus supernaturales de facto, ut aliqui Scotistæ probabiliter censent: ergo de potentia Dei absoluta, tales actus possent etiam producere habitum gratiæ. Patet consequentia, nam actus sunt perfectiores habitibus: ergo si actus illi producuntur à creatura, de facto etiam habitus poterunt produci de potentia Dei absoluta per aliquam creaturam.

Nego consequentiam: Nam etiamsi illi habitus essent supernaturales (ut nunc gratis suppono) attamen sunt acquisiti per actus supernaturales, qui cùm sint vitales, requirunt principium creatum; at verò gratia est habitus infusus, & per creationem producibilis, & ideo nequit ab alio quàm à Deo produci.

Quæstio Secunda.

An Gratia creetur, vel educatur de potentia animæ.

I. Quid sit creatio. NOtandum primò, cum Doctore in 2. dist. 1. quæst. 2. num. 3. creationem esse productionem totius rei in esse, nullâ ipsius parte præsuppositâ, seu *productionem rei ex nihilo subjecti & termini*; creatio enim fit ex nihilo non solùm *termini* producendi, quia hoc pariter generationi congruit: sed etiam fit ex nihilo *subjecti*, ita ut, quemadmodum in generatione fit transitus à non esse formæ ad esse ejusdem dependenter à subjecto, sic in creatione fit transitus à non esse formæ & materiæ ad esse earumdem, seu potius ad esse totius compositi, si totum compositum producatur; vel ad esse materiæ, si sola materia fiat; vel ad esse formæ independenter à subjecto, si sola forma per creationem formetur.

II. Quid sit eductio. *Notandum secundò*, Eductionem esse speciem actionis creationi oppositam: sicut enim ratio formalis creationem constituens, est fieri independenter à subjecto & ex nihilo; ita ratio formalis constituens eductionem est fieri ex aliquo tanquam ex præjacente subjecto. Unde in eductione tria concipiuntur: Primum est illud *à quo* fit eductio: Secundum illud *cujus* fit eductio: Tertium illud *ex quo* fit eductio. Primum est agens, secundum est forma, tertium est subjectum. Hinc ad eductionem duæ causæ concurrunt, scilicet, efficiens & materialis; seu agens, & subjectum; illud quidem ut principium activum & productivum; hoc verò ut principium passivum & receptivum: illud producendo, hoc sustentando, & ita influendo in productionem formæ, ut sine tali influxu forma nec fieri, nec conservari possit naturaliter.

Notandum tertiò, hîc nos agere de productione connaturali gratiæ, seu de modo quô illa produci postulat ex natura sua: Etenim extra controversiam est quòd Deus de absoluta potentia possit gratiam creare, & eam independenter à subjecto producere; quia licèt illa sit accidens, & hac ratione videatur fieri cum aliqua dependentia subjecti, in quo recipitur, tamen posset Deus eam independenter ab omni subjecto producere & conservare; quemadmodum conservat accidentia independenter ab omni subjecto. Sed difficultas est an gratia ex natura sua postulet potiùs creari ex nihilo quàm educi de subjecto. Circa quam quæstionem triplex est sententia: *Prima* Thomistarum docentium gratiam educi de potentia animæ: *Secunda* verò Paludani, Ferrariensis, & Soti, & aliorum asserentium gratiam habitualem non creari absolutè, sed concreari ad creationem hominis justi: *Tertia* verò est subtilis Doctoris in 1. dist. 17. quæst. 6. num. 5. & in 2. dist. 7. num. 14. maximè vero in 4. dist. 1. quæst. 4. & 5. necnon & Alensis 2. part. quæst. 9. & S. Bonaventuræ in 2. dist. 26. art. 1. quæst. 2. quæ sententia utpote verior & tutior, ut evidentiùs appareat, sit

Status quæstionis.

Conclusio Unica.

III. Gratia propriè creatur. GRatia sanctificans producitur per veram & propriè dictam creationem. Probatur 1. ex Scriptura sacra, quæ quoties gratiæ productionis meminit, toties eam creari declarat. Sic Psal.

A 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Et Apostolus ad Gal. 6. Hominem justum appellat, *novam creaturam:* Et ad Ephes. 2. Fideles dicuntur *creati in Christo Iesu*; & cap. 4. eos monet *induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis:* qui omnes textus veram non haberent significationem si gratia non crearetur propriè: ergo reverà creari dicenda est. Probatur 1. ex Scriptura.

Reponunt Thomistæ, gratiam dici creari, non quia secundùm suum esse naturale & physicum producitur ex nihilo, quod requiritur ad rationem perfectæ creationis: sed quia infunditur à Deo nullis nostris meritis præcedentibus, quod habet quandam similitudinem cum creatione, potestque creatio moralis appellari.

B *Confirmant* ex eo quod in Scriptura homo justus dicatur per gratiam generari, juxta illud Pauli primæ ad Corinth. 4. *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* Et istud primæ Petri 2. *Sicut modo geniti infantes:* omnis autem generatio, demptâ humanâ, fit per formæ eductionem, non verò per creationem; subindeque etiam in Scriptura sacra gratia dicitur educi.

Contrà. Verba Scripturæ intelligenda sunt secundùm sensum litteralem, ut pluribi docet S. Augustinus, quando nulla exinde apparet repugnantia, nec aliquid contra pietatem & veritatem C emergit: sed quòd præfati Scripturæ textus intelligantur de vera creatione, nihil rationi nec veritati aut pietati repugnans emergit: subindeque de vera creatione intelligenda sunt. *Adde quòd* eorum ratio nulla prorsus sit; siquidem potest homo peccator remotè saltem sese disponere ad gratiam habitualem recipiendam, & illam de congruo mereri, adeoque absolutè non fit ex nulla prævia dispositione morali. *Insuper* concedunt Thomistæ gratiæ habitualis nullam esse causam moralem: ergo multò magis admittere debent nullam ipsius esse causam physicam, materialem & subjectivam; siquidem causalitas physica per modum materiæ, longè major est quàm moralis: ergo si hæc gratiæ productioni denegetur, D ut illa purum censeatur Dei beneficium, potiori jure denegari debet causalitas subjectiva, ut nempe gratiæ productio & collatio in solam Dei liberalitatem & fœcunditatem refundatur.

Ad confirmationem dico neutrum à Thomistis citatum Scripturæ textum ipsis favere; siquidem sanctus Paulus loquitur de ministerio Evangelicæ prædicationis quâ fideles Corinthios in Christo genuerat, hoc est, per gratiam baptismalem jam in novos homines formatos Evangelicis veritatibus illustraverat; non enim munus ipsius Apostoli fuerat eis gratiam sanctificantem largiri, nisi duntaxat ministerialiter; unde eorum genitor non poterat absolutè nominari. Hinc S. Petrus rem planiùs declarans, non dicit homines baptismate renovatos, esse absolutè *genitos*, sed *quasi genitos*.

IV. 2. Ratione.

Probatur secundò ratione. Gratia est omnium creaturarum præstantissima & nobilissima: igitur per actionem omnium perfectissimam exigit produci: sed creatio omnium actionum est præstantissima & longè nobilior eductione: ergo gratia sanctificans non educitur sed creatur. Major constat: Tum quia gratia est ordinis supernaturalis, subindeque universam totius naturæ perfectionem transcendit: Tum quia ordinat & conducit ad finem longè præstantiorem, nempè ad Deum, ut authorem & largitorem gloriæ; cætera verò creata Deum duntaxat spectant ut authorem naturæ: Tum denique quia est præstantissima Divinitatis

1. Quia gratia produci debet per actionem nobilissimam.

participatio, quæ longè nobiliùs homines quàm dona quæcumque creata illustrat, ut pote cùm eos Dei Filios adoptivos, & ipsius hæredes constituat. Sequela etiam majoris patet, nam idcirco anima rationalis producitur per creationem, quia videlicet præstantissima est inter creaturas ordinis naturalis; igitur pari ratione gratia sanctificans, cùm sit omnium rerum creatarum præstantissima, potius per creationem, quam per eductionem produci postulat.

a Quia desinit per annihilationem, igitur debet incipere per creationem.

Probatur tertiò. Illud per creationem incipit, quod desinit per annihilationem: sed gratia desinit per annihilationem: igitur incipit per creationem. Major constat; illud enim quod annihilatur, corrumpitur per totum suum esse; ita quòd nihil ipsius remaneat, nec ratione formæ, nec ratione materiæ ex qua & in qua, hoc est, ratione subjecti ex quo concipi posset formari, ac proinde quod in nihilum abit, etiam ex nihilo debet procedere; si enim resolveretur in aliquid, maximè in subjectum ex quo oriretur, & consequenter, cùm in sui annihilatione non resolvatur in aliquid, etiam in sui productione non formatur ex aliquo. Minor etiam constat tum authoritate ipsius sancti Thomæ in 2. dist. 26. quæst. unicâ articulo 1. ad 5. ubi expressè dicit quòd cùm gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit; tum ratione, quia si gratia dum esse desinit, resolveretur in aliquid, maximè in substantiam aut facultates animæ, quibus inhæret: sed illud videtur improbabile; nam ens supernaturale, quale est gratia, non videtur posse resolvi in ens purè naturale, qualis est facultas animæ & substantia.

Dices primò. Creatio est entium per se subsistentium: sed gratia cùm sit accidens à subjecto dependens, per se non subsistit: ergo nec producitur per creationem.

V.
In justificatione hominis duplex distinguitur actio.

Distinguo majorem: Creatio est entium per se subsistentium & independentium à subjecto, ex quo producantur per eductionem, concedo: independentium à subjecto in quo recipiantur, dum producta sunt, nego. Itaque in hominis justificatione, ut advertit Doctor in 1. *distinct.* 17. *quæst.* 6. *num.* 5. duplex intervenit actio: una quâ gratia creatur, altera quâ unitur subjecto, quæ unio formaliter vocatur justificatio seu regeneratio hominis, sicut anima rationalis unâ actione creatur, alterâ unitur materiæ, quæ unio est hominis generatio. Unde *prima actio* est propriè dicta creatio; nam est actio à non esse gratiæ ad esse ejusdem; *secunda* verò non est propriè dicta creatio, sed dici posset transmutatio quia per eam mutatur anima à non esse grato, ad esse Deo gratum; vel, ut loquitur Doctor, *duplex est ibi mutatio, una à non esse charitatis vel gratiæ, ad esse gratiæ, & hæc est verè mutatio, quæ est creatio, & non est mutatio propriè dicta: quia nihil præsupponit, nec naturam, nec subjectum ejus susceptivum. Alia est mutatio à subjecto non charo ad esse charum, & sic mutatur anima à non esse charo, ad esse charum: & ista mutatio non est simpliciter creatio: quia præsupponit susceptivum, & ideo hæc mutatio secundùm quid potest dici generatio, & totum compositum secundum quid generatur tale, & non simpliciter; quia substantia quæ est terminus generationis, & præfuit vel præsupponitur in infusione gratiæ, generatur secundùm esse gratum & accidentale.*

Instabis. In illo primo instanti, quô formatur gratia, *vel* producitur extra subjectum, *vel* in subjecto. Non primum, alioqui naturaliter accidens esset sine subjecto, quod est absurdum, cùm inhærentia sit ipsi naturalis. *Si* secundum: ergo gratia non creatur, sed educitur, quia subjectum concurrit ad ejus productionem in genere causæ materialis.

Respondeo, gratiam in instanti temporis *in quô*, creari in subjecto; at verò in instanti naturæ neque est in subjecto, neque extra subjectum; quia ut sic consideratur duntaxat secundùm suum esse gratiæ simpliciter, non verò secundùm rationem inhærentiæ, vel non inhærentiæ: sicut essentia hominis consideratur duntaxat ut essentia hominis, non verò ut visibilis nec ut invisibilis. VI. In instanti naturæ gratia, nec dicitur educi, nec creari.

Urgebis: Ideo colliguntur formæ substantiales præter animam rationalem, nec non & accidentales educi de potentia materiæ & non creari; quia in fieri & conservari dependent à subjecto: & ideo colliguntur sic dependere, quia naturaliter non producuntur, nec conservantur absque subjecto, nisi miraculum interveniat: ergo cùm gratia nec producatur, nec conservetur, nisi in subjecto, citra miraculum, rectè infertur quòd dependeat à subjecto in esse, & conservari, & consequenter quòd non creetur, sed educatur de potentia subjecti.

VII. Dependentia à subjecto inhæsionis non semper denotat eductionem formæ accidentalis.

Nego antecedens: Nam ideo præcitè colligitur formas illas pendere a subjecto, non quia in eo producuntur; sed vel quia sunt illius perfectiones connaturales, subindeque ordinatæ ad ejus complementum naturale; vel quia sunt productæ à causa effectiva secunda agente dependenter à concursu & influxu subjecti: quia cùm causa secunda creare non possit, necessariò requirit subjectum cum quo & in quo agat; subindeque formæ illæ tum substantiales, cùm accidentales necessariò educuntur de potentia subjecti, quia subjectum ad earum productionem concurrit & influit. Secus autem est de gratia, quæ cùm producatur immediatè à Deo, necessariò non requirit influxum subjecti: non producitur tamen, nec conservatur extra subjectum, quia cùm non habeat operationes particulares, quas posset extra subjectum exercere, inutiliter & frustra extra subjectum produceretur & conservaretur.

Dices 2. Anima dicit inclinationem naturalem ad gratiam: sed non aliâ ratione, quàm quia gratia ex ipsa educitur: Ergo, &c. *Nego minorem;* siquidem corpus habet etiam inclinationem ad animam rationalem; nec tamen illa ex ipso educitur, sed creatur.

Dices 3. Quod creatur non potest corrumpi per ullam causam secundam; nam anima rationalis quæ creatur, est naturaliter incorruptibilis: sed gratia corrumpitur per actionem peccaminosam causæ secundæ: Ergo non creatur, sed educitur.

Respondeo 1. *negando majorem:* Nam forma accidentalis, quæ crearetur, posset corrumpi physicè à causa secunda, si illa produceret formam incompatibilem cum forma creata & exigentem connaturaliter remotionem ejus à subjecto; cùm enim forma quæcumque substantialis aut accidentalis, non possit naturaliter conservari extra subjectum, eo ipsò quò causa secunda induceret in subjectum formam incompossibilem cum forma creata, necessariò hæc destrui deberet. *Respondeo* 2. distinguendo minorem. Aliqua causa secunda destruit gratiam physicè & per veram actionem illius corruptivam, nego; moraliter & ratione ordinationis Dei, qui statuit gratiam

non conservare in anima peccato mortali inquinata.

Dices denique: Creatio est productio totius entis: sed in justificatione hominis non producitur totum ens, cùm præsupponatur subjectum, scilicet homo: ergo gratia non creatur.

Respondeo distinguendo minorem. In justificatione hominis, quæ fit per unionem gratiæ cum subjecto, non producitur totum ens; quia nempe præsupponitur subjectum cui gratia unitur, concedo: non producitur totum esse gratiæ per illam priorem actionem, quâ gratia concipitur produci in instanti antecedente ad ejus unionem, nego: nam, ut suprà diximus ex Doctore, in justificatione hominis duæ concurrunt actiones realiter distinctæ; una quæ terminatur ad ipsum esse gratiæ quod producitur: altera quæ terminatur ad unionem ipsius cum subjecto, nempe anima vel voluntate: prior est omnino independens à subjecto, & sic est propriè dicta creatio: posterior verò necessarium subjectum connotat, sicut & gratiam, quæ cum ipso subjecto censetur uniri.

QUÆSTIO III.

An Gratia immediatè subjectetur in substantia, an verò in facultatibus animæ?

I. Animæ facultates ab ea non distinguuntur realiter.

NOtandum primò, animam triplici potissimùm pollere facultate, nempe intellectivâ, volitivâ & memorativâ, quæ ut docet Doctor in 2. d. 15. ab ea distinguuntur, non realiter, ut contendunt Thomistæ; sed formaliter, ut docent sancti Patres, maximè sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 11. *Hæc tria*, inquit, *memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ, sed una substantia.* Cui concinit sanctus Bernardus serm. 11. in Cantica, ubi ait: *Quædam in anima intueor, memoriam, intelligentiam & voluntatem, & hæc tria ipsam animam esse.* Sed hanc veritatem luculentiùs declarat sanctus Isidorus lib. 11. Ethimologiarum cap. 1. & ex eo, Hugo Victorinus lib. de spiritu & anima, ubi ait: *Anima secundùm sua opera variis nominibus nuncupatur: dicitur namque* ANIMA *dum vegetat*, SENSUS *dum sentit*, ANIMUS *dum sapit*, MENS *dum intelligit, ista verò non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia una essentia, proprietates quidem diversæ.* Hinc oritur difficultas an gratia immediatiùs animæ facultati, quàm ipsius substantiæ insit.

II. Quæ & qualis sit gratiæ entitas & activitas.

Notandum secundò, in gratia Nonnullos duo distinguere, nempe entitatem, & activitatem seu virtutem: quælibet enim gratia, inquiunt, etiam habitualis non solùm ad animæ decus & ornatum, sed etiam ad operationem & actum ordinatur; nec ornare ac illustrare censetur animam, nisi quatenus eam à naturali statu ad supernaturalem promovet, ita ut quæ propriis viribus duntaxat pollens solùm edere potest actus purè naturales, gratiæ beneficiô & virtute altiùs sublimatâ & fœcundatâ majori ac nobiliori activitate, possit etiam actus superioris ordinis elicere, quibus finem supernaturalem possit assequi; hæc autem duo, nempe gratiæ entitas & activitas solô nomine discrepant, quippe tota gratia secundùm se activa est, & ad vegetandam ac sublimandam animæ virtutem ordinata.

III. Gratia non facilitatem; sed virtutem confert.

Notandum tertiò, gratiam habitualem, de qua maximè hîc movetur quæstio, non tam animæ conferre facilitatem ad actus suos promptiùs & expeditiùs exercendos; quàm virtutem & activitatem, sine qua tales actus anima promere non posset. Nam, ut sæpiùs jam diximus, hoc discrimen intercedit inter habitus supernaturales & naturales, quòd hi facilitatem duntaxat conferant facultatibus ad actus suos exercendos per quandam assuetudinem, quâ removentur obstacula, quæ priores actiones remorabantur; illi verò etiam facultatem quandam conferant animam sublimando, & ad nobiliorem statum promovendo, in quo edere possit actus vires suas naturales omnimodè excedentes. Quibus prælibatis sit

CONCLUSIO UNICA.

GRatia immediatè inest voluntati, & eâ mediante in anima substantia subjectatur. *Ita Doctor in 2. dist. 26. quæst. unica, nec-non & sanctus Bonaventura eadem dist. art. 1. q. 5. contra Thomistas.*

IV. Immediatè inhæret voluntati.

Probatur primò, authoritate sancti Augustini, sermone 12. de verbis Apostoli cap. 12. ubi ait quòd, *Gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum*: sed liberum arbitrium immediatè voluntati inest: ergo & gratia.

Ut optimè probat Doctor.

Probatur secundò: Dispositio ad aliquam formam subjectatur in subjecto ipsius formæ: sed gratia est dispositio ad gloriam: ergo eidem subjecto inest, cui inesse debet gloria, & fœlicitas; sed beatitudo & fœlicitas immediatè inest voluntati, non verò ipsi substantiæ animæ: ergo idem dicendum de gratia: Probat majorem subsumpti Doctor *num.* 4. Beatitudo satiat beatum, sed impossibile est concipere quomodo satiaretur, nisi objecto beatifico conjungeretur per actum vitalem: non posset autem ita conjungi, nisi talem actum exercendo, subindéque objecto beatifico anima non conjungitur per suam substantiam, sed per operationes suarum facultatum; maximè verò per operationes voluntatis.

Deinde, Si anima immediatè per suam substantiam conjungeretur objecto beatifico, sequeretur quòd si per possibile vel impossibile circumscriberentur potentiæ animæ ab ipsa anima, quòd posset beatificari, & sic foret beata absque ullo actu secundo, quô attingeretur objectum: sed hoc est absurdum: igitur, &c.

Denique, Si beatitudo immediatè esset in essentia animæ, non verò actus secundus, illa nihil aliud censeri posset, quàm gratia habitualis: sed hoc dici nequit, alioquin justi in via essent beati, quia gratia & charitas habitualis viæ & patriæ sunt ejusdem speciei, juxta illud sancti Pauli, Charitas nunquam excidit: hoc autem consequens prorsus est absurdum.

Probat tertiò Doctor. Gratia perficit animam, quatenus est operativa actûs meritorii: ergo debet inesse animæ, quatenus sic est operativa: sed anima non est operativa actûs meritorii, nisi quatenus habet voluntatem; quippe actus meritorius necessariò debet esse liber: igitur, &c. Confirmat. Sapientia non debet poni in anima, quatenus essentia est, sed quatenus habet intellectum, quia est determinativa ad actus intellectûs: ergo pari ratione gratia, quæ ordinatur ad eliciendos actus meritorios, debet inesse animæ, quatenus habet voluntatem, seu ipsi voluntati immediatè inhærere.

Probat

Probat denique Doctor. Gratia & charitas non distinguuntur realiter; imò nec formaliter adæquatè, ut probatum est suprà: ergo idem subjectum immediatum habere debent: sed fatentur omnes charitatem immediatè inesse voluntati: ergo idem de gratia debent concedere. *Confirmat* authoritate S. Anselmi lib. de conceptu virginali cap. 3. ubi ait: Omnis justitia & injustitia est formaliter in voluntate: sed gratia est justititia; per eam enim formaliter efficimur justi: igitur immediatè in voluntate debet residere. *Confirmat* 2. Gratia & peccatum sunt formaliter opposita; si non ex oatura rei & physicè, saltem moraliter, & ex ordinatione divina: ergo spectant ad idem subjectum; opposita enim sunt circa idem: sed peccatum est in voluntate immediatè: ergo & gratia.

Objicies primò: Essentia est magis indeterminata, quàm potentia: ergo magis indiget determinativô, & consequenter gratia, quæ est determinativa, potiùs subjectari debet in essentia animæ, quàm in ejus potentia.

Distinguit antecedens Doctor *num.* 9. Essentia magis est indeterminata in ratione operativi proximè, negat: quia sic essentia non est operativa: in ratione operativi remotè, concedit antecedens, & negat conseqoentiam; gratia enim est determinativa illius, quod est proximè operativum, qualis est potentia, non verò ipsa animæ essentia.

Objicies secundò: Gratia semper est in actu suo, subindéque debet ei inesse quod semper est in actu: sed potentia non semper est in actu: ergo ipsi immediatè gratia non debet inesse. Major patet: actus enim gratiæ est gratum efficere: sed gratia habitualis, quandiu est in anima, eam semper actu reddit Deo gratam: igitur illa semper est in actu. Minor etiam constat: potentia enim non semper elicit actum, nec est in actu, sed ordinatur ad actum: igitur quod ipsi inest, non potest esse semper in actu; non enim posset esse in actu, nisi potentia pariter esser in actu.

Distinguit majorem Doctor. Gratia semper est io actu suo, quem effectivè producit, negat: in actu formali, concedit. Et similiter distinctâ ejus probatione, negat consequentiam; actus enim gratiæ, qui est gratificare, non est actus quem effectivè gratia prodocit, sed actus formalis proveniens ex unione ipsius cum anima.

Objicies tertiò: Forma quæ determinat ad agendum, magis debet poni in principali agente, quàm in instrumento: sed essentia est principale agens: potentia verò ejus instrumentum: ergo gratia magis inesse debet essentiæ, quàm potentiæ.

Distinguit majorem Doctor: Debet magis esse in essentia, quàm in instrumento separato, extrinseco, & realiter separato, concedit: quàm in instrumento conjuncto, intrinseco, & solùm ab essentia formaliter distincto, negat: aliàs habitus fidei, potius inesse deberet essentiæ animæ, quàm ipsius intellectui, nec ullos habitus virtutum in voluntate aut appetitu, sed in ipsa animæ essentia esset reponendus, quòd certè nullus admiserit.

Objicies quartò: Habitus qui immediatè recipiuntur in potentiis, solùm ordinantur ad actus hujusmodi potentiarum: atqui gratia ordinatur non solùm ad actus voluntatis: sed etiam ad actus omnium potentiarum: ergo non recipitur immediatè in aliqua potentia.

Distinguo majorem: Ordinantur tantùm ad actus ejusmodi potentiarum eliciendos & producendos, concedo; imperandos & ordinandos, nego: charitas enim & gratia solùm ordinantur ad eliciendos actus, qui à voluntate proficisci solent, non verò ab aliis facultatibus: siquidem non concurrunt effectivè & formaliter ad actum fidei, spei, &c. sed tantùm imperativè, movendo nempe voluntatem, ut tanquam domina cæteris facultatibus imperet, quatenus suos actus producant.

COROLLARIUM.

Ex his collige gratiam sanctificantem sic definiri posse: *Gratia habitualis & sanctificans, est qualitas supernaturalis animæ divinitùs infusa, per quam efficimur divinæ consortes naturæ; & movemur à Deo ad volendum & agendum id quod ad vitam æternam conducit.* Quam utique definitionem egregiè illustrat insignis ille locus sancti Chrysostomi homiliâ de baptismo, quem refert sanctus Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 6. ubi ait: *Quòd per gratiam istam homines fiunt non tantùm liberi, sed & justi: non solùm justi sed & sancti; non solùm sancti, sed & filii: non solùm filii, sed & hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres: non tantùm fratres, sed & cohæredes: non solùm cohæredes, sed & membra: non tantùm membra, sed & templum; non tantùm templum, sed & organa Spiritûs sancti.*

Definitio gratiæ sanctificantis expenditur.

ARTICULUS TERTIUS.

De divisione & multiplici specie Gratiæ.

I. DIVINUM Spiritum gratiarum largitorem eleganti similitudine fonti comparat Ecclesia, dum ab ea dicitur *fons vivus*, qui nempe fœcundissimos gratiæ latices in universos homines longè latèque derivat & exundat; sed paradisi fontis instar in quatuor veluti fluvios uberrima effluit, videlicet in quatuor capitales divinæ gratiæ effluxus: quorum primus est in *gratis datam & gratum facientem*: Secundus in gratiam *sanitatis & Medicinæ*: Tertius in *excitantem & assistentem*; quæ rursus distribuitur, in excitantem, & adjuvantem, hæc verò in operantem & adjuvantem: Quartus denique in *sufficientem & efficacem*: de quibus maximè hoc in articulo futurus est sermo sub totidem sectionibus diversis, quò res distinctiùs & clariùs innotescat. Hîc enim non sumus acturi de capitali ac primaria gratiæ divisione in *creatam & increatam*, quam ex hujusce tractatûs præludiis supponimus, apertè satis ac sufficienter delineatã; diximus enim in primo paragrapho gratiam aliam esse naturalem, aliam supernaturalem; insuper, supernaturalem, aliam esse creatam, aliam increatam; increatam verò gratiam appellari maximè Verbum divinum & Spiritum sanctum, siquidem propter nimiam charitatem quâ dilexit nos Deus Filium suum nobis dedit in redemptionem, Spiritum verò in sanctificationem. Hinc S. August. serm. 61. de verbis Domini cap. 5. *Gratia Dei*, inquit, *donum Dei est, donum autem maximum ipse Spiritus est, & ideo gratia dicitur.*

Quare Spiritus S. ut gratiæ largitor assimiletur fonti.

Quid sit gratia increata.

Sunt etiam, qui docent cum sancto Thoma, inter gratias increatas nuncupandum esse Dei amorem, ac prædestinationem, quibus nobis Deus benevolut; qoia Dei amor quo nos prædestinat, est præcipuum & maximum Dei beneficium gratis concessum saltem secundùm intentionem. Verùm sanctus Augustinus huic senten-

ventur in unum, Et Matthæi 7. *Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Ratio verò hujus rei est, quia quamvis homo respectu sui sit malus, non repugnat tamen illum aliis utilem esse: Unde sequitur quòd ex solis miraculis in hac mortali vita non potest certò concludi operantis sanctitas; quamvis non sit dubium gratiam miraculorum, atque cætera id genus sæpiùs concedi justis, quàm peccatoribus.

IV. Gratum faciens nobilior est gratis gratis datis.

Quæres 2. Quænam harum gratiarum sit dignior alterâ?

Respondeo absque dubio gratiam gratis facientem longè præstantiorem esse gratiis gratis datis; quod utique colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 12. ubi postquam Apostolus enumeravit varia gratiarum gratis datarum genera, volens loqui de gratia gratum faciente, seu de charitate subdit. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Hinc Fideles adhortatur: *æmulamini charismata meliora:* quæ verò sint illa charismata meliora capite sequenti declarat: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* Eandem veritatem significaverat Christus Lucæ 12. dicens Apostolis, *In hoc nolite gaudere quoniam spiritus subjiciuntur vobis, sed in hoc gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Hinc sanctus Augustinus librô 83. quæstionum. Quæstione 79. ait, gratias gratis datas non omnibus justis ac fidelibus concedi, ne in errorem perniciosissimum inducantur existimandi in talibus factis majora bona esse quàm in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.

Suffragatur etiam ratio, quia habitus qui immediatè refertur ad ultimum finem, & ipsi nos nullô mediô conjungit, præstantior est eô qui tantùm id mediatè præstat: atqui gratia sanctificans immediatè refertur ad ultimum finem, & immediatè nos Deo conjungit; gratia verò gratis data ad utilitatem proximi directè spectat, & non nisi mediante gratiâ gratum faciente ad ultimum finem nos ordinat, subindeque illa hâc est præstantior.

Porrò de gratiis gratis datis tantùm futurus est sermo in præsenti Sectione, quam majoris claritatis gratiâ distribuemus in sequentes §§.

§. I.

Quotuplex sit Gratia gratis data.

V. Gratiæ gratis datæ sunt novem. Quas Apostolus enumerat.

RESpondeo eam dividi vulgò in novem species, quas enumerat Apost. 1. ad Corinth. 12. ubi cùm dixisset: *Divisiones gratiarum sunt, unus autem spiritus.* Subdit; *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Illam distributionem egregiè explicat Alensis.

Cujus utique divisionis rationem infert Alensis noster *quæst.* 63. *membrô* 3. ex parte veritatis docendæ, 2. confirmandæ, 3. explicandæ ab eo qui tales gratias est assequutus. Veritas enim, *inquit,* aut est de credendis ac de operandis, aut de fine operandorum & credendorum: sive manifestiùs, aut est de fine, aut de his quæ sunt ad finem. *Insuper* ea quæ sunt ad finem, aut sunt operanda, aut sunt credenda, & secundùm hoc triplex requiritur gratia, ut *sapientia* sit de fine nempe de æternis: *scientia* de operandis, *fides* de credendis.

Quantùm ad confirmationem sermonis, quæ necessaria est ad doctrinam veritatis, secundùm quod dicitur Marci ultimô: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:* quia duplex requiritur gratia; nam confirmatio sermonis fit dupliciter: unô modô per mirabilia operationis, aliô modô per mirabilia cognitionis. *Insuper* mirabilia operationis fiunt duobus modis; unô modô quatenus excedunt actum naturæ, non tamen potentiam: aliô modô quatenus excedunt actum & potentiam, dicunturque naturæ impossibilia: *Similiter* mirabilia cognitionis fiunt duobus modis, unô modô per cognitionem veri, alterô autem per cognitionem boni; vel aliter, unô modô per cognitionem rerum, aliô modô per discretionem intentionum. Ad confirmationem doctrinæ veritatis in opere quod excedit actum naturæ, est *gratia sanitatum.* Est iterum gratia in opere quod excedit potentiam naturæ, videlicet *gratia operationis virtutum,* id est, miraculorum, quæ sunt supra naturam, ut interpretatur glossa: similiter est gratia in mirabili cognitione veritatis, sive rerum futurarum, ut *gratia prophetiæ.* Deinde est gratia in mirabili discretione boni sive intentionis, ut gratia *discretionis spirituum,* ut nempe discernat quod audit; quô spiritu bonô an malô dicatur, quia diabolus seductione dicit bona ut explicat glossa.

Denique quantùm ad *explicationem, sive expositionem veritatis,* duo requiruntur: unum ut fiat explicatio veritatis omnibus; aliud ut fiat de omnibus quæ pertinent ad eorum salutem. Gratia igitur explicationis veritatis duplex est. Gratia *generum linguarum,* per quam omnibus fiebat explicatio veritatis, & gratia *interpretationis sermonum,* per quam fieret de omnibus explicatio veritatis: gratia generum linguarum necessaria est ad explicationem veritatis sermonibus propriis, juxta proprietatem uniuscujusque idiomatis: interpretatio verò sermonum ad explicationem veritatis sermonibus manifestatis. *Hæc Alensis.*

Eandem distributionem hâc ratione colligit Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 111. art. 4. ex eo quòd gratia gratis data ordinetur ad hoc, ut homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non potest interiùs movendo, sed solùm exteriùs docendo, vel persuadendo: Et idcirco gratia gratis data sub se continet ea omnia, quibus homo indiget, ut alterum erudiat & informet de rebus divinis, quæ sunt supra rationem. VI. Et Angelicus Doctor.

Porrò ad id tria requiruntur: *Primum,* ut homo habeat plenam rerum divinarum cognitionem, quantùm pati potest humana conditio, ut erudire & informare possit alios: *Secundum,* ut possit probare & confirmare ea quæ dicit; aliàs enim non esset efficax ejus doctrina: *Tertium,* ut ea quæ concipit, convenienter possit proferre, & Auditoribus exponere.

Ad primum autem, ut scilicet homo habeat rerum divinarum notitiam, tria sunt necessaria. *Primò,* ut principia cognitionis rerum divinarum certissimè teneat; id verò fit per *fidem,* quæ numeratur inter gratias gratis datas, non quatenus est quædam virtus pertinens ad sanctificationem hominis in seipso, sed prout importat aliquam

eminentem certitudinem & convictionem fidei, ex qua homo fit idoneus ad informandum alios de rebus divinis. *Secundò*, ut principales conclusiones, quæ ex altissimis illis principiis deducuntur, perfectè calleat; id vero fit per *sapientiam*. *Tertiò*, ut abunder exemplis & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas: & quantùm ad hoc proponitur *scientia*, quæ est cognitio rerum humanarum; quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. In quantùm ergo sapientia & scientia plenitudinem & abundantiam important, ut homo non solùm in seipso possit rectè sapere de divinis, sed etiam alios instruere, & contradicentes arguere, hôc modô inter gratias gratis datas nomerantur. Aliæ verò secundùm aliam acceptationem enumerantur inter dona Spiritûs sancti, prout nempe mens hominis est planè mobilis per Spiritum sanctum, ad ea quæ sunt sapientiæ & scientiæ.

Ad secundum, nempe ad confirmationem eorum quæ sunt supra rationem divinitus rectè lata, requiritur ut Evangelicus Doctor interdum ea faciat, quæ suot divinæ potestati propria, & quæ naturali virtute fieri uon possunt. Ipsorum autem quatuot sunt generà, quorum duo priora pertinent ad operationem eorum, quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis, sive illa sint ad salutem corporum, & quantùm ad hoc ponitur *gratia sanitatum*, sive referantur ad solam divinæ potestatis manifestationem: sicuti quòd ster sol, quòd mare dividatur; & qoantùm ad hoc ponitur *operatio virtutum*. Duo posteriora pertinent ad manifestationem eorum, quæ Domini solius est scire. Hæc duo sunt vel contingentia; sic futura pro quibus dignoscendis ponitur Prophetia; vel occulta cordium, pro quibus ponitur *discretio spirituum*.

Ad tertium denique, nimitum ad facultatem proferendi ea quæ meritò percipiuntur, necessarium est, ut sacræ doctrinæ Prædicator eô loquatur idiomate, quô possit intelligi, & secundùm hoc ponitur *gratia linguarum*. Postremò requiritur, ut ea quæ revelata sunt, eô sensu exponat, quô dictata sunt à Spiritu sancto, atque debent intelligi, & propter hoc ponitur *interpretatio sermonum*.

Ex his patet eam gratiæ gratis datæ divisionem traditam ab Apostolo, nou esse in membra proxima & immediata.

VII. Quomodo fides sit gratia gratis data.

Objicies primò. Fides est gratia gratum faciens: ergo numerari non debet inter gratias gratis datas.

Distinguo antecedens. Est gratia gratum faciens, quatenus est donum, quô quis firmiter adhæret rebus revelatis propter authoritatem Dei revelantis, concedo: quatenus fides est singularis quædam illustratio Dei in concipiendis fidei mysteriis, nec-non, & supereminens certitudo rerum credendarum, per quam homo fit idoneus ad instruendos alios, & mysteria fidei aliis explicanda & persuadenda, nego.

Objicies 2. Dona Spiritûs sancti non debent numerari inter charismata gratis data; per se enim referuntur ad salutem eorum, quibus conferuntur: atqui sapientia & scientia sunt dona Spiritûs sancti: ergo non debent recenseri inter gratias gratis datas.

Distinguo minorem; Sunt dona Spiritûs sancti, quatenus per sapientiam & scientiam homo facilè redditur mobilis à Spiritu sancto, concedo: quatenus per utramque homo redditur idoneus ad instruendos alios, nego.

Objicies denique. Gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum ad idem caput, putà ad donum miraculorum, revocari possunt: ergo præfata divisio deficit.

VIII. Possunt numerari plures gratiæ gratis datæ quàm novem.

Distinguo consequentiam. Si examinetur hæc divisio ad rigorem Logicæ, cujus legibus divisio fieri debet in immediata membra, concedo: si moraliter, nego; vulgò enim à præterito & immediato membro ad mediata fit transitus.

Hæc autem etsi vera appareant, nihilominus probabiliùs dicendum arbitror plures esse quàm novem gratias gratis datas: nam idem Apostolus enumerat quoque *opitulationes & gubernationes*, quæ ad nullas è novem assignatis revocari possunt. Addi potest *clavis scientiæ* in summo Pontifice unà cum Concilio ad res fidei definiendas. Addi quoque potest *character Ordinis*, qui tametsi ad operationem virtutum revocari possit, tamen ab ea plus videtur distingui quàm sermo scientiæ à sermone sapientiæ.

Corollarium.

IX. Expenditur definitio gratiæ gratis datæ.

Ex his collige definitionem gratiæ gratis datæ rectè à nostro Alensi 3. *part. quæst.* 73. *memb.* 2. assignari his verbis. *Gratia gratis data, est donum hominibus divinitùs infusum, sine meritis, ad ædificationem alterius.* Dicitur *donum divinitùs infusum*, quia à Deo bonorum omnium largitore procedit; omne enim datum optimum & donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Additur *hominibus*, quia cùm detur gratia gratis data ad reducendos homines ad Deum, congruum fuit ut media ordinata ad hanc reductionem conferrentur etiam hominibus, quatenus ista reductio fiat modo convenienti eorum naturæ. Sequitur *non ex meritis*, tum quia non habetur ex debito naturæ, nec ad ejus naturale complementum spectat: Tum quia gratia gratis data etiam reperitur in peccatoribus, subindeque non propter eorum bona opera tribuitur. Dicitur ultimò *ad ædificationem alterius*, quia ubicumque Apostolus commemorat gratias gratis datas, subjungit eas concedi propter utilitatem aliorum: Sic 1. Corinth. 3. dicit se accepisse gratiam ad evangelisandum Gentibus. Et cap. 4. post assignatas gratias gratis datas, affirmat eas esse collatas *ad consummationem Sanctorum* (id est *fidelium*) *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*; quod est Ecclesia. Et 1. Petri 4. dicitur, *Vnusquique sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Quibus omnibus textibus satis apparet gratias omnes gratis datas, esse concessas à Deo ad ædificationem & utilitatem proximi. Quod ut evidentiùs constet, paucula hîc de singulis gratiis gratis datis speciatim sunt differenda.

§. II.

De sermone Sapientiæ *&* Scientiæ.

X. Quid sit Sermo *sapientiæ & scientiæ*.

Censent aliqui hanc utramque gratiam ad cognitionem duntaxat pertinere; ita tamen ut existiment sermonem sapientiæ esse cognitionem altiorum ac sublimiorum fidei mysteriorum, putà Trinitatis, Prædestinationis & Incarnationis: Sermonem verò scientiæ esse cognitionem eorum quæ ad mores pertinent, putà præceptorum Decalogi. Ita sentire videtur S. Augustinus libro 13. Confess. cap. 18. ubi priorem gratiam appellat *luminare majus*, posteriorem verò *luminare minus*.

Aliqui autem existimant cum S. Chrysost. Theophilacto & Theodoreto in c. 12. 1. ad Cor. sermonē scientiæ esse nodam cognitionem fidei mysteriorum, absque peritia erudiendi alios: sermonem verò sapientiæ esse eamdem cognitionem cum peritia erudiendi alios. *Verùm* neutra sententia apparet vera, nam inde sequeretur sermonem sapientiæ & scientiæ, quatenus sunt gratiæ gratis datæ, non distingui à sapientia & scientia, prout sunt dona Spiritus sancti. Sequeretur pariter quod sermo scientiæ non esset gratia gratis data, quia non conduceret ad aliorum salutem.

Igitur verius dicendum arbitror, sermonem sapientiæ & scientiæ esse gratias gratis datas ordinatas non solùm ad cognitionem mysteriorum fidei & præcepta moralia; sed etiam ad illa explicanda & prædicanda cæteris.

Sermones SAPIENTIÆ *&* SCIENTIÆ, *sunt gratiæ gratis data ordinata, non solùm ad cognoscendum, sed etiam ad prædicandum & explicandum aliis mysteria fidei.* Hæc veritas patet ex ipsamet Scriptura sacra, quæ has gratias gratis datas appellat sermonem sapientiæ & scientiæ; sermo autem non est nuda cognitio, sed alteri notificata per externam interni conceptûs manifestationem. Hinc sanctus Hieronymus præfatum explicans Apostoli locum, ubi has gratias gratis datas commemorat, ait: *Sermo sapientiæ est sapienter, aptè & rationabiliter loqui.* Suffragatur etiam ratio; nam prædicatio & explicatio manifesta mysteriorum fidei, est aptissimum medium ad reducendos homines ad Deum: ergo in hac potissimùm prædicatione & expositione constituenda est ratio sapientiæ & scientiæ, quatenus sunt gratiæ gratis datæ.

XI. Et qualiter invicem differant. Differunt autem invicem sermo *sapientiæ & scientiæ*, ut docet sanctus Augustinus lib. 12. de Trinitate cap. 14. his verbis: *Ubi Paulus dixit. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ. alii sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum, hac utique duo sine dubio distinguit; licèt non ibi explicet quid intersit & unde possit utrumque dignosci.* Differunt autem (meô judiciô) eô modô quô sapientia & scientia, prout sunt dona Spiritûs sancti proportione servatâ; unde quemadmodum *sapientia* est donum Spiritûs, quô cognoscuntur altissima fidei mysteria, & *scientia* aliud donum quô cognoscuntur ea quæ ad mores pertinent; ita sermo sapientiæ est gratia explicandi altissima fidei mysteria: sermo autem scientiæ est gratia explicandi ea quæ ad mores spectant, ut docet S. Augustinus locô suprà citatô. Vel, ut aliis placet, sermo sapientiæ est gratia explicandi fidei mysteria, per æternas ac divinas causas, & per propria ejusdem fidei principia; sermo autem scientiæ, est gratia explicandi eadem mysteria, per effectus, exempla, & alia sensibilia.

§. III.

De Fide, quæ est gratia gratis data.

XII. Quomodo fides sit gratia gratis data. Fides, prout est gratia gratis data, dicitur à quibusdam, *constans fiducia in Deum ad quidvis impetrandum, & ad miracula præsertim facienda.* Et probatur à S. Paulo 1. Corinthiorum c. 13. *Si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, &c.* Quibus verbis significatur montium translationem, & alia miracula fieri potuisse per fidem aliquam, quæ fides cùm talem habeat finem, videlicet utilitatem respiciat publicam, rationabiliter erit gratia gratis data. Ita censent S. Chrysostomus, & alii Patres.

Petes: Quâ ratione hôc pactô distinguatur fides ab operatione virtutum?

Respondeo distingui tanquam aliquam causam totalem ab aliquo effectu partiali, quia imprimis operatio virtutum juxta hanc sententiam est effectus aliquis externus dependens ab hac fide, tanquam à sua causa.

Præterea, fides hujusmodi habet alios effectus ab operatione virtutum, quæ ut diximos, est constans fiducia in Deum, non modo ad operandum miracula, sed etiam ad quidvis impetrandum, sive ad corpus sive ad animam, sive ad bona fortunæ spectans. Ita censent aliqui Doctores.

Verùm rectiùs fides, prout hic explicatur, dicitur *certissimus & firmissimus assensus, seu eximia quadam intelligentia mysteriorum Dei, qualis requiritur in Doctore, non modo ad illa concipienda, sed etiam ad ea aliis explicanda, nec-non & ad intrepidè & firmiter illa defendenda.* Sic docet Lyranus noster in 1. ad Cor. c. 12. quæ utique explicatio congruit menti sancti Pauli; nam Romanorum 12. dicit Prophetam & Doctorem debere docere *secundùm rationem fidei*, hoc est secundùm mensuram illius eximiæ intelligentiæ & cognitionis mysteriorum, quam Spiritu sancto largiente accepit. Quâ præ cæteris præclarè imbutus erat S. Stephanus; quem, ut legimus Act. 6. *Apostoli elegerunt plenum fide*, hoc est, plenum intelligentia mysteriorum Dei. Quare Judæi *non poterant resistere Spiritui & sapientia, qui loquebatur.* Hinc ibidem dicitur, *plenus gratia & fortitudine* propter firmitatem & intrepidam constantiam quâ pollebat ad fidem defendendam, & ejus explicanda mysteria etiam cum proprio vitæ dispendio.

§. IV.

Quid sint gratia sanitatum, & operatio virtutum?

Hic non est sermo de operatione virtutum, qualis in medico vel etiam dæmone reperiri potest, qui infirmitatem solvere possunt virtute medicamentorum, & applicando activa passivis, modô sensibili, ut faciunt medici, vel insensibili, ut interdum fieri contingit ope dæmonum: sed agimus de ea tantùm virtute, quæ procedit ex speciali concursu Spiritûs sancti, qualis fuit aliquando in Prophetis & Apostolis, & est etiam nunc in quibusdam Ecclesiæ filiis, licèt non ita frequenter. XIII. Quid sit gratia sanitatum.

Est autem gratia sanitatum *virtus supernaturalis sanandi corpora*; Operatio autem virtutum est *virtus quadam altior operandi miracula, & insignia prodigia, sive ad utilitatem, sive ad terrorem, sive ad punitionem incredulorum.* Sic in sancto Petro illa mirabilis sanitatum virtus extitit, quando jussit claudo ut ambolaret; extitit pariter in eo virtus operandi miracula, dum ad ejus verbum mortui ceciderunt Ananias & Saphira, &c. Et operatio virtutum.

Verùm difficultas est an illi, qui hac virtute donantur, concurrant moraliter aut physicè ad mirabiles illas operationes. Quam quidem difficultatem solvit Doctor in 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. & 4. dicendo eos duntaxat ad id concurrere, ut causas instrumentales & dispositivè, non quidem naturaliter, sed ex beneplacito Dei, qui est agens principale in hujus mirandi effectûs productione: quemadmodum enim positâ debitâ organisatione corporis humani Deus ex pacto infundit animam, Et qualiter exerceantur.

rationalem; ita positâ applicatione verborum, vel aliorum signorum sensibilium, ex pacto producit hunc vel alium effectum mirabilem

§. V.

De Prophetia

XIV. *Prophetia variè usurpatur.*

PRophetiæ nomen variam habet significationem in Scriptura sacra. *Primò* namque, interdum significat laudes æternas canere. Sic Reg. 10. Saül dicitur inter Prophetas, & cum eis prophetasse legimus, cùm *insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum*, nempe prophetarum, quorum cuneum obvium habuerat, hoc est, cum eis laudes divinas canebat. Significat etiam interdum agitationem à spiritu malo. Sic 1. Reg. cap. 18. de eodem Saüle legimus; *Post diem autem alteram invasit spiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus suæ*. 3. Significat miracula facere. Sic Ecclef. cap. 48. Elisei corpus mortuum dicitur prophetasse; *Et mortuum prophetavit corpus ejus*; quia nempe, ut legimus 4. Reg. c. 13. *quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos & projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi revixit homo, & stetit super pedes suos*. 4. Non rarò denotat prophetiæ nomen fidei mysteria interpretari. Sic 1. ad Cor. 14. *Propheta autem duo aut tres dicant & cæteri dijudicent: quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat: potestis enim omnes per singulos prophetare; ut omnes discant & omnes exhortentur: & Spiritus Prophetarum prophetis subjecti sunt.*

Quid propriè significet.

Verùm *Prophetia* nomen quatenus hîc usurpatur, propriè significat cognitionem eorum, quæ à sensibus remota sunt, & ordinariæ hominum apprehensioni impervia, qualia sunt futura contingentia, secreta cordium, divinæ voluntatis decreta; nec-non & ea quæ loco & tempore ita dissita sunt, ut nonnisi Deô revelante possint innotescere.

Ad hanc autem prophetiam duo maximè videntur necessariò requiri; nimirum apprehensionem & conceptionem veritatis revelandæ; & assensum quô intellectus Prophetæ certissimè judicat hanc rem esse veram: Primum causatur à revelatione: Secundum à lumine quodam supernaturali; cùm enim assensus ille sit supernaturalis, oportet ut per aliquod lumen supernaturale causetur: non quidem per lumen fidei; quia lumen Prophetiæ evidentius est lumine fidei, maximè quando Propheta cognoscit & distinctè percipit id quod aliis revelat: sed per quoddam aliud lumen ad hoc specialiter ordinatum, quod proinde dici potest lumen propheticum.

Ex his sequitur quòd prophetia, quatenus hîc usurpatur, nempe pro gratia gratis data, nihil aliud sit quàm *cognitio & prædictio eorum omnium, quæ naturaliter cognosci non possunt, & valde sunt à sensibus remota.*

Qualiter à gratia sermonis differat.

Petes: Qualiter Prophetia distinguatur à gratia prædicationis & sermonis; & quænam earum gratiarum sit altera præstantior?

Respondet Alensis noster; *quæst. 67. membrô 3.*
» quòd Prophetia est divina revelatio rerum even-
» tûs immobili veritate denuntians: In prophetia er-
» go, inquit, sunt duo, revelatio & denuntiatio.
» Quantùm ad revelationem quæ est in cognitione,
» dignior est gratia prophetiæ & actus prophetisan-
» di eminentior; & majus est prophetisare quàm
» prædicare: quantùm ad denuntiationem, gratia
» prædicationis est dignior, quia prædicare est ad
» salutem animarum, prophetare verò ad verita-
» tis denuntiationem, quod animarum salute minus est.

§. VI.

Quid sit discretio spirituum.

XV. *Quid sit discretio spirituum.*

NOn conveniunt sacri Doctores in hujus gratiæ gratis datæ explicatione; sunt enim, qui cum sancto Thoma affirmant discretionem spirituum nihil aliud esse quàm judicium quoddam supernaturale de internis cogitationibus mentis. Censent verò cæteri cum sancto Chrysostomo in explicatione gratiarum gratis datarum, discretionem spirituum esse notitiam motuum internorum vel consiliorum aut præceptorum traditorum à quibusdam hominibus, aut etiam apparitionum & locutionum sensibilium per Angelos bonos vel malos: subindéque juxta hanc sententiam, discretio spirituum sese extendit ad omnia, quæ vel interiùs vel exteriùs inducere possunt in malum, æquè ac in bonum.

Et quomodo exerceatur.

Hæc autem spirituum discretio fieri potest duobus modis, nimirum vel per prudentiam Christianam, utendo videlicet propriâ industriâ & principiis fidei, nec-non Scripturâ sacrâ admonente, maximè primæ Joan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.* 2. per specialem quendam instinctum & motionem spiritûs, quâ instigantur & moventur, præsertim viri spirituales, quibus maximè conceditur hæc gratia, juxta illud 1. Corinth. cap. 14. *Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* De esl postremâ discretione spirituum, quæ sola est gratia gratis data, maximè hîc agimus.

Unde discretio spirituum, quatenus est gratia gratis data, potest dici tam judicium de internis cogitationibus, quàm notitia motuum internorum, consiliorum, apparitionum & locutionum sensibilium per Angelos bonos vel malos; hîc enim uterque modus omnem prorsus rerum judicandarum notitiam continet, quæ maximè incertæ sunt & obscuræ; res enim quæ evidenter bonæ vel malæ sunt, discretione spirituum non indigent, ut ab invicem secernantur: ac proinde hâc spirituum discretione duntaxat opus est, quando res obscuræ sunt & cognitu difficiles, & quarenus judicio communi in errorem æquè ac in veritatem, in malum æquè ac in bonum, in superstitionem æquè ac in religionem sub prætextu pietatis, & per quædam prodigia, quæ putantur miracula, possunt inducere. Quâ ratione sanctus Anselmus dicit hanc spirituum discretionem esse difficillimam, tum quia sensus & cogitationes hominis sunt inextricabiles; tum quia Angelus malus plerumque se transfigurat in Angelum lucis; nihilominus hæc cognitio potest esse certa & facilis, ut ait Gerson, *per inspirationem intimam & internum saporem ac spiritualem dulcedinem, vel illustrationem à montibus æternis, per quam effugantur tenebræ omnis dubietatis.* Qualiter autem discerni possint vera prodigia ab ementitis & larvatis, nec-non & Angelorum bonorum loquutiones & apparitiones, ab his quæ fiunt per Angelos malos, jam diximus in Tractatu de Angelis, agendo de dæmonum infestatione.

§. VII.

Quid sit gratia generum linguarum.

XV. Genera linguarum qualiter accipiantur.

IMprimis observandum est *genera* seu *donum linguarum.* intelligi posse duobus modis. *Primo* nimirum ut Apostoli & Apostolici viri unicô duntaxat idiomatè utentes, ab omnibus nationibus audirentur & intelligerentur, spirito videlicet imprimente mentibus adjunctam verborum significationem, vel multiplicante voces in eorum auribus. *Secundo*, ut idem Apostoli, & Apostolici viri variis reverà idiomatibus loquerentur.

Non desunt inter sanctos Patres, & sacros Interpretes, qui priorem modum approbent posteriore relicto. Inter cæteros autem eminet Oecumenius in 2. caput Actum; nec-non & Basilius Seleuciensis Episcopus serm. de Innocentibus his elegantibus verbis: *Quando vero Spiritûs, qui è cælis fluxerunt in lingua Apostolorum accepto congregatarum gentium auribus distribuit auris operatione, uniuscujusque vocem ad omnium gentium sensus accommodante, & gratiâ adaptante, adeò ut fluentum sermonis, quod profundebatur ex labiis fieret familiare omnium auribus à spiritu transformato in id quod erat cognatum vocis uniuscujusque eorum, qui audiebant.* Hic pariter modus videtur confirmari posse ex illo Actorum 2. cap. *Quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?* Nec-non ex eo quòd sanctus Petrus unicà concione ibidem legatur convertisse tria millia hominum, qui tamen erant ex diversis nationibus.

Posteriorem modum approbant cæteri pene omnes sancti Patres; maximè Nazianzenus oratione 44. ubi postquam illos duos modos recensuit, posteriorem præfert priori, eumque probat ex his verbis Actuum 2. *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei:* nam, inquit, hæc verba (*nostris linguis*) non concordant solùm cum verbo *audivimus*, sed etiam cum participio *loquentes*, quasi non priùs auditæ fuerint variæ linguæ, quam illi Apostoli fuerint loquuti. Confirmat præterea ex illo 1. ad Corinth. 4. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquar.* Quibus verbis Apostolus significat se omnium idiomate loqui. Probat insuper ratione: Quia, inquit, juxta priorem modum, sequeretur donum linguarum non esse gratiam gratis datam Apostolis, sed duntaxat audientibus. His addi potest, quòd ad fidem disseminandam & Evangelium prædicandum non debebant Apostoli solùm ab aliis intelligi; sed debebant præterea alios intelligere, nimirum ut eorum objectionibus responderent, difficultates solverent, nec-non & dubia amoverent.

Hæc autem posterior sententia probabilior apparet, licèt prior tamen probabilitate non careat. Unde responderi posset ad præfatos textus Scripturæ pro confirmatione prioris sententiæ laudatos, vel non solùm Petrum concionatum fuisse his tribus hominum millibus, sed etiam alios Apostolos juxta illud ibidem: *Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?* Sicque fieri potuisse ut singuli propter varias nationes variis uterentur linguis: Vel eundem sanctum Petrum non unâ horâ, nec unô locô, sed diversis concionatum fuisse; & ita secundùm opportunitatem loci, temporis & nationis aliô & aliô idiomate uti potuisse.

Hinc genera linguarum nihil aliud sunt, quàm *Facultas supernaturaliter infusa, quâ cognosci possunt varia idiomata, & eorum significationes, & quibus illi qui habeant talem notitiam, uti possunt quoties volunt, & quoties sese offert occasio:* cujus definitionis particula omnis satis apparet ex mox dictis.

§. VIII.

Quid sit Interpretatio Sermonum?

XVI. Expenditur Interpretatio sermonum.

EST *quadam gratia specialis communicata, præsertim Doctoribus ad linguas interpretandas scriptò vel verbò.* Cujus definitionis particulæ constant, ex eo quòd, ut referunt historici, in exordio nascentis Ecclesiæ Spiritus sanctus providerit de quibusdam viris doctis, qui *Interpretes* dicebantur; propterea quòd interpretarentur linguas peregrinas, quibus aliqui Prophetæ vaticinabantur in Ecclesia.

Insuper; Postquam Apostoli conciones habuerant, eorum interpretabantur sermones iis, qui non callebant vel idioma quô fuerant usi; vel sensum verborum quæ dixerant, ne scilicet ipsimet Apostoli gravioribus dediti, hôc negotiô detinerentur, eôque labore gravarentur.

Denique, hujusmodi Interpretes solebant exponere plebi epistolas scriptas ab Apostolis, & eas in aliud idioma vertere, sicut septuaginta Interpretes in græcum idioma vetus Testamentum verterant.

Petes, ad quid fuerit utilis, vel necessaria prædicta sermonum interpretatiô in primitiva Ecclesia; cùm tunc familiare fuerit omnibus donum linguarum, qui invisibiliter suscipientes Spiritum sanctum per Baptisma & Confirmationem, etiam visibiliter donabantur ejusdem divini Spiritûs charismatibus; maximè verò donô linguarum? Legimus enim Actuum 19. quòd cùm Paulus venisset Ephesum, & fidelibus recenter conversis manus imposuisset: *venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Iterum cap. 20. legimus eundem Spiritum illapsum fuisse super omnes gentes congregatas cum Cornelio: *Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.*

Respondeo interpretationem sermonum ordinatam fuisse ad communem utilitatem fidelium; non enim donum linguarum omnibus erat familiare, ut patet ex his verbis 1. ad Cor. 14. *Nunquid omnes loquuntur linguis?* Id verò quod profertur ex Actuum 10. & 19. solùm probat in quibusdam occasionibus simul cum Baptismo & Confirmatione fuisse communicatum donum linguarum, ut scilicet magis appareret Baptismi virtus & efficacia, magisque fidei veritas confirmaretur.

Petes 2. cur Apostoli usi fuerint Interpretibus, cùm ipsi linguarum donô pollerent, nec-non & interpretatione sermonum? Refert enim sanctus Irenæus lib. 3. cap. 1. & sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, sanctum Petrum usum fuisse sanctô Magnô Interprete, & S. Paulum Titô.

Respondeo interpretationem sermonum, equidem habuisse Apostolos; nihilominus usos fuisse interdum ministeriô Interpretum, non ad suam propriam utilitatem, sed fidelium; postquam enim concionati fuerant Apostoli, necessum erat, ut aliquis peregrinas voces auditoribus eas non callentibus notas faceret, uniuscujusque audientium familiari idiomati utendo: opus etiam

erat; ut profundiora fidei mysteria, quæ paucioribus verbis expresserant Apostoli, fusiori discursu iis expooerentur, quos Apostolus vocat *Idiotas*.

Petes denique, quânam ratione distinguatur interpretatio sermonum à dnno linguarum?

Quid addat supra donum linguarum.

Respondeo interpretatiooem sermonum supra linguarum donum significare & importare assistentiam quandam specialem Spiritûs sancti pro servanda verborum fidelitate, habenda claritate sententiarum & assequendo sermoois interpretandi sensu: nam, ut pluribi conqueritur sanctus Hieronymus valde difficile est in versionibus linguarum peregrinarum obrinere hæc omnia, propter varias uniuscujusque idiomatis proprietates, nec enim sufficit de verbo ad verbum translatio, sed etiam requiritur certa assequotio sensûs. Præterea interpretatio sermonum addit supra donum linguarum, cognitionem profundiorum mysteriorum contentorum in verbis, quam quidem cognitionem S. Paulus sæpe designat latô oomine Prnphetiæ, eandemque tefert eum dono linguarum.

Quæres, utrum gratiæ gratis datæ sint habituales vel actuales?

VII. Non omnes gratiæ gratis datæ sunt habituales.

Respondeo quasdam earum esse habituales, eas scilicet, quæ permanenter insunt, cujusmodi sunt sapientia, scientia, fides, donum linguarum & interpretario sermonum: aliæ verò sunt actuales & sunt motiones & veluti impressiones instantaneæ & temporales, quæ cessante effectu deficiuot, cujusmodi sunt gratia sanitatum, operatio miraculurum, dooum Prophetiæ, & discretio spirituum. Cujus respoosionis ratio est; quia habitibûs utimur, quando volumus: atqui his gratiis gratis datis ooo utebantur Sancti ad arbitrium suum, sed tantùm quando movebantur à Deo; ideirco preces solebant ad Deum fundere, ut miraculum aliquod v. g. operarentur: Prioribus verò gratiis utebantur pro libito & datâ occasione, ac occurrente urilitate publicâ: igitur priores inhærent per modum habitûs; posteriores verò duntaxat per modum actûs.

Nec refert quòd Apostolus primæ ad Corinth. 4. dicat quòd *spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*; nam intelligendum est quoad enuociationem & locutinnem duntaxat eorum, quæ ipsis revelara sunt, non verò quoad istam revelationem, quam nnn prout volunt accipiunt; unde ibidem scribit Apostolus: *Propheta duo vel tres dicant, & cæteri dijudicent, quòd si aliis revelatum fuerit sedenti, prior taceat.*

Ssetio Secunoa.

De divisione gratia gratum facientis, in gratiam SANITATIS & MEOICINÆ.

I. Gratia fuit Adamo necessaria in statu innocentiæ & naturæ sanæ:

HAne gratiæ divisionem pluribi commendat sanctus Augustinus, sed nullibi pleniùs ac planiùs quàm libro *de correptione & gratia cap.* 11. nbi cùm præcedenti capire demonstrasset Adam per liberum arbitrium stare potuisse si voluisset, sequentem sic orditur. Quid ergo? Adam non habnit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem: ille in bonis erat, quæ bonitate sui Conditnris acceperat... Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, sed libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hæreditario & proprio illius Agni sanguis absolvit. Ille noo opus habebat coadjutorio quod implorant isti cùm dicunt, *Video aliam legem in membris meis, &c.* quoniam in eis *caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* Atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virturem per Christi gratiam poscunt; ille verò oulla tali rixa à seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, suâ secum pace fruebatur: Proinde etsi non interim LÆTIORE, nunc veruotamen POTENTIORE gratia indigent isti. *Et infrà.* Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, qnam reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad booum autem nihil, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit & desertus est. Tale quippe erat adjutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quô fieret ut vellet.

II. At longè potentior desideratur in statu culpæ & naturæ lapsæ.

Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: sed hæc POTENTIOR est in secundo Adam: Prima est enim quâ fit ut habeat homo justitiam si velit. Secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit, & tantum velit tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adjuvabatur ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet desereret: Hæc autem tanto MAJOR est, nt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.

III. Quia Adamus innocens cum gratia sanctificâte habituali, ac piâ motione & illustratione intellectûs poterat per liberû arbitrium in quodcumque bonû tendere, & in eo perseverare si voluisset.

Tunc ergo dederat Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea permanere non posset si vellet, ut autem vellet in ejus libero reliqnit arbitrio; posset autem permaoere, si vellet; quia non deerat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet: sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est; cujus meritum fuisset si permanere vnluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium steterunt, ipsi & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt; tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.

IV. Sicut per simile auxiliû sancti Angeli steterunt aliis cadentibus;

Si autem hoc adjutorium vel ANGELO, vel HOMINI, quàm primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, nt sine divino adjutorio posset manere ubi vellet, oon utique suâ culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere onn possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum, & tantò amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solùm adsit, sine quo permanere noo possumus etiam si velimus; verùm etiam tantùm ac tale sit ut velimus.

V. Non autem ege-

Est quippe in nobis hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod

bat suxi-lio participato, quo nostra voluntas ad bonū stimulari & juvari debet in hoc statu naturæ lapsæ.

quod possumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit; namque, ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat; ut autem in eo permanetet, egebat adjutoriô gratiæ, sine quo id omnino non posset, & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset: nam si habuisset, perseverasset; posset enim perseverare etiam si vellet; quod ut oollet de libero descendit arbittio, quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset & malè: quid autem etit liberius liberô arbitriô, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti; nunc autem per peccatum perditô bonô meritô, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. *Subdit capite sequenti.*

IV.

Discrimē inter gratiam sanitatis & medicinæ. Illa erat adjutorium sine quo: *hæc est etiam adjutorium* quò *aliquid fit.*

Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, *sine quo* aliquid non fit: & aliud est adjutorium *quò* aliquid fit: nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat, qui mori voluerit: Ergo adjutotium alimentorum est sine quo non fit, non quô fit ut vivamus: at verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm eriam quô fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quô fit est, & sine quo non fit; quia etsi data fuerit homini beatitudo continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit nunquam erit. Alimenta verò non consequentet faciunt, ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere.

Primo itaque homini (qui in eo bono, quô factus fuerat tectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere,) datum est adjutorium perseverantiæ, non quô fietet ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in tegnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale ut eis ipsa perseverantia donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum noo nisi perseverantes sint. *Post plura.*

Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam ptimus homo, sed perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales habebat vires ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccaro, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati, perseverandi committetetur liberum arbitrium: Deo quidem præsciente quid esser facturus injustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed simul sciente, quid de illo facetet justè. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati meritô amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo quò maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, ut non *glorietur omnis caro coram ipso*; id est, omnis homo. Unde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis quæ quidem potuit habere, sed perdidit; hoc est, per liberum arbitrium propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis? *Et infrà:* Qui eis oon solùm dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo perseverare non possunt si velint: sed in eis operatur etiam & velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint.

Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare oon possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentatiooes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.

Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vioceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virturem liberi arbitrii: quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo noo posset perseverare si vellet; non tamen tali quô in illa Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod veller; infirmis servavit, ut ipsô donante & invictissimè quod bonum est vellent, & hoc desetere invictissimè nollent. *Hæc sanctus Augustinus:* quæ paulò longiùs exscribenda duxi, ut inde appareat quæ fuerit S. Doctoris geouina mens de utriusque gratiæ, sanitatis videlicet & medicinalis differentia, quam apertiùs infrà declatabimus. Sed priùs ex hac abundantissima messe quædam veritaris segetes colligendæ sunt, de quibus inter Catholicos atque Hæreticos convenit.

Corollarium Primum, *ex præcedenti S. Augustini doctrina.*

Ex his igitur sequitur *primò* gratiam Adamo in statu innocentiæ fuisse necessariam, ut constat ex verbis sancti Augustini *numerô* 1. suprà laudatis. Hinc in Enchyridio capite 106. de primo hominis statu loquens pronuntiat in hunc modum. *Quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset, quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen justitia continenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Et capite sequenti: *Sic ergo factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine divino adjutorio.* Ipsi subscribunt ejus discipuli, maximè S. Prosper capite 18. contra Collatorem, Fulgentius de Incarnatione & gratia capite 12.

Dices: S. Augustinus disertè pronuntiat Adamum per naturæ & liberi arbitrii vires potuisse in bono perseverare, subindeque ad id opus non habebat gratiâ. Probatur antecedens ex libro de correptione & gratia capite 10. ubi asserit Adamum potuisse per liberum arbitrium stare. *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, steterunt ipsi:* Et capite sequenti dixerat: *Dederat adjutorium, sine quo permanere non posset; si vellet, ut autem vellet, in ejus reliquit libero arbitrio.* Hinc præclara illa sententia libri de bono perseverantiæ. *Qui non infertur in tentationem,* inquit, *non discedit à Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; infuerat homini antequam caderet, qua tamen*

AAaa

libertas voluntatis in illius prima conditionis præstantia quantùm valuerit apparuit in Angelis.

Respondeo S. Augustinum longè aliter in his & similibus sententiis usurpare verba, illa, *Natura, naturaliter, liberum arbitrium*, quam à nobis accipi solent. Etenim per *naturam* intelligit habituales omnes dotes, quas primus homo à Deo acceptas in posteros unà cum humanitate transfudisset per generationem. Sicut enim ab illa nativitate, quâ jam nascimur, dicimur ab Apostolo *naturâ filii iræ*, ita quòd *natura* nomen originalem culpam significet & complectatur; sic ab illa nativitate quâ (si Adamus non peccasset) omnes ejus exemplô Filii Dei & sancti nascerentur; unde ita *natura* nomen sumit, ut ipsam quoque sanctificantem gratiam comprehendat. Ita pluribi sese explicat ipsemet sanctus Augustinus: nam librô 1. Retractationum capite 15. *Propriè natura dicitur*, inquit, *in qua sine vitio creati sumus*: Et librô 3. de libero arbitrio capite 19. disputans cum Manichæis, ait: *Sic etiam ipsam naturam aliter dicimus, cùm propriè loquimur, naturam hominis, in qua primùm in suo genere inculpabilis factus est: aliter istam in qua ex illius damnati pœna & mortales & ignari, & carni subditi nascimur: juxta quem modum dicit Apostolus: fuimus enim & nos naturaliter filii iræ.* Hinc Epistolâ 107. ait: *Naturam ipsam perdidit in semetipso primus Adam.* Ad quæ verba respiciens Concilium Arausicanum Canone 21. affirmat *naturam per Adam esse perditam.* Sic denique naturalem possibilitatem appellat Cœlestinus Epistolâ ad Episcopos Galliæ capite 4. quæ voluntatem sine vitio & habituali gratia ornatam designat, dum ait. *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse.*

Nec non & vocabula *Liberum Arbitrium*, &c.

Simili planè sensu libertatis & liberi arbitrii nomina usurpavit sanctus Augustinus de Natura innocente sermonem faciens, ut constat tum ex citatis verbis in objectione; tum pariter ex Epistola 107. ubi ait: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: Et Sermone 2. de verbis Apostuli de primo homine, ait: *Magnas liberi arbitrii vires, homo cùm conderetur accepit: sed peccando amisit*: Quibus nomine *liberi arbitrii* significat voluntatem gratiâ sanctificante & cœlestibus dotibus ornatam, quæ naturali propagatione ad posteros, si ipse non peccasset, erant transfundendæ.

Corollarium Secundum.

VIII. Gratia sanitatis præcellit gratiam medicinalem.

Sequitur 2. Gratiam medicinalem gratiâ sanitatis potiorem esse, tribus maximè characteribus 1. Quòd illa sit abundantior. 2. quòd sit potentior. 3. Quòd sit magis determinativa voluntatis ad operationem. *Primum* patet ex illis verbis Christi Domini Joannis 10. *Ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant*: Unde Apostolus ad Romanos 5. ait: *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia*, quæ utique oracula luculenter expendit sanctus Bernardus in sermone super caput 12. Apocalypsis: *Vehementer*, inquit, *nobis vir unus & mulier una nocuere, sed gratias Deo, per unum nihilominus virum & mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem, beneficii magnitudo: Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed utilius omnino refecit, &c.*

1. Quia copiosior.

2. Quia efficacior.

Secundum pariter constat ex doctrina ipsius sancti Augustini, quam clarè expendit libro de correptione & gratia, verbis suprà laudatis, *numero* 1. & 2. ubi gratiam medicinalem vocat, *potentiorem, majorem & efficaciorem*: infirmanti siquidem & per peccatum vitiatæ ac vulneratæ humanæ naturæ remediô potentiore succurrendum fuit, ne tota carnalium rerum cupiditate prostrata jaceret: nam, ut suprà dicebat sanctus Augustinus: *Si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate non vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.*

Tertium denique significat ibidem sanctus Augustinus, subjungens: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*, quid autem significent verba, illa *indeclinabiliter & insuperabiliter agi*, declarabimur infra.

3. Quòd sit magis determinativa ad operationem.

Corollarium Tertium.

IX. In utroque statu naturæ innocentis, aut integræ duplex gratia fuit necessaria.

Sequitur 3. duplex adjutorium utroque in statu, naturæ videlicet innocentis & lapsæ, fuisse necessarium; nempe *intellectuale & habituale*, seu habitum gratiæ sanctificantis quô homo justus benè agere pergat ac perseveret, & cœlestem illuminationem intellectûs, quâ cognosceret bonum sectandum, malum fugiendum: de quibus duobus auxiliis convenit inter Catholicos & hæreticos: non ita de voluntaris adjutorio, seu delectatione cœlesti quâ afficitur & movetur voluntas ad bonum: de hac namque controvertitur, an utrique statui fuerit necessaria, ut expendemus infrà.

Dixi 1. Adjutorium habitualis gratiæ in utroque statu necessarium esse ad agendum & perseverandum, illâ scilicet perseverantiâ, quæ repetitis divinæ charitatis actibus continetur; non veró otiosâ quâdam ac veluti inerti perseverantiâ, quæ nullum actum comprehendat. Atque adeò non est sensus, habitualem gratiam esse necessariam ad permanendum in habituali gratia ut aliqui videntur explicare; hoc enim per se ridiculum apparet: sed potius habitualem gratiam esse necessariam ad perseverandum in actuali Dei amore, seu ad novos amoris actus exercendos: quô sensu præsens assertio nihil habet difficultatis & controversiæ, & toties à S. Augustino confirmatur, quoties prædicat *possibilitatem boni* Adamo concessam, & liberum arbitrium ad amandum Deum.

1. Gratia habitualis.

Dixi 2. Adjutorium cognitionis utroque in statu necessarium fuisse; quam assertionem docet S. Augustinus librô 3. de lib. arbitrio capite ultimô, ubi illius adjutorii necessitatem repetit ex ea causa, quæ integræ atque corruptæ naturæ communis est: *Voluntatem*, inquit, *non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum* (id est alicujus rei cognitio) *quid autem quisque vel sumat, vel respuat, est in hominis potestate: Sed quò visô tangatur, nulla potestas est*: quod etiam ad primum hominem & Angelos pertinere eôdem locô affirmat. Hinc libro de spiritu & littera, capite 53. universè pronontiat: *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem*: Loquitur autem de cognitione indeliberata, quam Adamus innocens, perinde

2. Intellectualis.

ac ejus posteri accipere à Deo debuit : non verò de libera quam in potestate sua habuerit.

Hoc utrumque donum habituale & actuale, tam naturæ integræ, quàm sanæ fuisse necessarium, apertè significat sanctus Augustinus librô de correptione & gratia, ubi Pelagio dicenti, *Non peccare nostrum est* ; ita respondet : *Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modò non habemus, nec sic rectè diceret. Quod non peccare nostrum tantummodò sit, quamvis peccare nostrum esset, nam ibi esset adjutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis ; quò adjuti videant se præbere volentibus.* Quibus verbis non dicit, quòd ibi esset adjutorium Dei tanquam lumen sanis oculis ; sed ut duo auxilia distingueret, signanter ait : *Ibi esset adjutorium Dei & tanquam lumen sanis oculis, &c.* Quia nimirum duo status innocentiæ adjutoria complectitur ; nempe habitualem gratiam, quam generali nomine *adjutorium Dei*, & cœlestem illumintionem, quam *lumen* quô adjuti videant, appellat. Debuit autem hôc locô istud utrumque adjutorium comprehendere ; quia demonstrare statuerat in statu innocentiæ, non peccare nostrum tantummodò non esse, quamvis peccare nostrum esset, atque adeo non actualis gratia tantùm commemoranda fuit, sed etiam habitualis, quæ in eo statu necessariò, simul cum libero arbitrio justum opus operante concurrebat ; hinc enim sequitur quidquid boni in eo statu fieret, non tantùm propter actuale adjutorium, sed etiam propter habituale ad Dei gratiam referendum esse.

Status controversiæ proponitur.

Cùm igitur hæc in confesso sint apud omnes tam Catholicos quàm hæreticos, aut saltem pauci sint qui adversus doctrinam in superioribus Corollariis traditam reclament : restat determinandum in quo maximè ac præcisè consistat gratiæ sanitatis à medicinali differentia. Circa quam assignandam triplex capitalis assignatur sententia. *Prima* contendit eas invicem in hoc differre quòd gratiæ sanitatis dissentiri possit, non ita medicinali. *Secunda* utriusque discrimen ex eo repetit, quòd gratia sanitatis præter auxilium habituale, solum habeat annexum auxilium intellectuale, non autem auxilium delectationis quô specialiter afficeretur voluntas & moveretur ad volendum. *Tertia* vero sententia triplex hoc auxilium in utroque statu desiderat, sed cum summa disparitate infrà assignanda. Quorum omnium ut evidentior & facilior habeatur notitia, placet hanc triplicem sententiam sub distinctis Paragraphis expendere.

§. I.

An gratia Medicinalis in hoc à sanitatis gratia differat, quòd huic dissentiri possit : illi verò necesse sit assentiri.

EA fuit pestilens & hæretica Lutheri sententia, hominem in statu naturæ lapsæ, non posse ullatenus gratiæ dissentire, ut pluribi docet ; maximè verò in libro *de servo arbitrio*. Quapropter Concilium Senonense meritò affirmat, illum in Manichæismum incidisse, quando Pelagianismũ vitare conatus est, ut non rarò contingit hæreticis ; solent enim ab uno extremo in alienum non minùs vitiosum declinare. Concilii verba sunt : *In errorem Manichæi incidit Lutherus, dum nimis anxiè & scrupulosè devitat Pelagium : mentiens namque liberum arbitrium cum Pelagio efferre, omne bonum opus, quod est in homine Deo* A *tribuit & divinæ gratiæ ; nil prorsus libero arbitrio. Sicque tollens omnino liberum arbitrium Lutherus factus est Manichæus, dum refugit esse Pelagianus.* Cui pessimæ doctrinæ subscripsit Calvinus pluribi ; sed maximè in Antidoto Tridentini ad Sessionem 6. art. 5. ubi de patribus illius Concilii sic loquitur : *In eo hallucinantur, quòd motum nobis auferri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo falluntur, quòd nullum observant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen: quod diligenter Augustinus exponit, dicens : istam gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus : tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, non quò fieret ut vellet : sed potentior est gratia in secundo Adam, quâ fit etiam ut velimus.* Hinc librô 2. B Institutionum capite 5. numero 10. de auxilio gratiæ in hoc statu naturæ lapsæ hominibus dato, sic loquitur : *Voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostra posteà sit electionis motioni obtemperare aut refragari : sed illam efficaciter afficiendo : illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est ; QUEM TRAHIT, VOLENTEM TRAHIT : quò insinuat Dominum porrecta tantum manu, expectare an suô auxiliô juvari nobis adlubescat. Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut posuerit ad alterutram partem inclinare : sed cum suo exemplo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit & possit : ut fiet nobis si* C *ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur.* Quam utique erroneam sententiam ut proscribamus, sit.

X. Hæretica Lutheri ac Calvini sententia de gratia medicinali.

ASSERTIO CATHOLICA. *Gratia medicinalis Christi nullatenus voluntatem necessitat ad consensum : sed in ea relinquit dissentiendi facultatem* ; subindeque fictitia est omnino illa differentia, quam hæretici inter gratiam sanitatis & medicinæ constituunt. Probatur hæc veritas illis omnibus Scripturæ textibus, quibus apertè declaratur in statu naturæ lapsæ resisti gratiæ auxiliis etiam completè sufficientibus ; ideoque ipsi motioni internæ voluntatis, ita ut qui benè operantur vel abstiD nent laudabiliter ab omni opere malo, potuerint contrarium præstare. Quam utique veritatem apertè legimus Ecclesiastici 1. ubi laudatur justus quòd *potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Additurque ad illius commendationem : *Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Si autem hæc omnia antecedenter necessitatus gratiâ medicinali, cui non posset resistere, faceret, nil ageret mirabile & singulare, quod quivis alius eâdem gratiâ præventus pari facilitate non exequeretur. *Deinde* falsum esset potuisse illum transgredi, quando non est transgressus, id est, mandatis paruisse cum potestate ad oppositum, si ita necessitari debuisset ; neque enim completè parere poE tuit, nisi quando gratiâ Medicinali præventus, & excitatus est ad parendum ; illâ autem positâ, in sensu hæreticorum, non potuisset non parere.

XI. Gratia non necessitat voluntatẽ, & ei resisti potest.

Probatur 1°. ex Scriptura S.

Eadem veritas apparet ex illo Isaiæ 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ & non feci? Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Quibus verbis Deus de Israëlitis conqueritur, quòd ejus divinis mandatis non paruerint : sed hæc querela nullam justitiæ speciem prætenderet, si gratia medicinalis ita ad bonum opus voluntatem determinaret, ut ab eo non posset ullatenus resilire. Nam meritò Judæi respondere potuissent, Deum

amplius vineæ suæ facere debuisse, ut expectatum fructum referret: nempe illi concedere gratiam necessitantem, sine qua nullus potest pietatis opera exercere: neque debuisset Deus illâ gratiâ non concessâ expectare, ut vinea faceret uvas, alioqoin expectaret aliquid impossibile, nec magis rationi congruum, quàm qui de spinis uvas & de tribulis ficus colligere prætenderet.

Verùm eandem assertionem apertissimè confirmat Christus Dominus Matth. 23. ubi similiter de Judæis conqueritur: *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti:* Hæc enim voluntas planè simulatoria esset, si eis opus fuisset gratiâ necessariâ, ut congregari vellent; quemadmodum docet Calvinus, & Deus illam non suppeditavit; ita ut Judæi antecedenter, neqoe velle congregari, neque parere vocanti potuerint. Item Actor. 7. *Vos semper Spiritui S. restitistis.* Jerem. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem.* Missos facio alios contextus idem insinuantes.

XII. 1. Ex Conciliis. Probatur eadem assertio authoritate Conciliorum; imprimis verò Concilii Senonensis decernentis contra Lutherum Decretô 15. auxilium gratiæ non esse tale, cui resisti non possit. Ait enim: *Nec tale est trahentis Dei auxilium cui resisti non possit: quoties enim Dominus voluit congregare filios Ierusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluit? Frustrà certè Stephanus Iudæos duræ cervicis & incircuncisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent; frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.*

Idem clarissimè docetur ex Conciliô Tridentinô sess. 6. Can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere merique passivè se habere, anathema sit.*

Ubi *advertendum* est 1. utrumque Concilium loqui de auxilio efficaci; nam Tridentinum loquitur de illo, cui homo reipsâ consentit & cooperatur, cujusque ope ad propriam justificationem se disponit: de eodemque loquitur Senonense in decreto citato, nimirum de auxilio reipsâ movente, & trahente liberum arbitrium ad consensum, & cujus ope currimus in odorem unguentorum ejus: ut addit ibidem paolò post.

Advertendum 2. Liberum homininis assensum, & cooperationem explicarià Tridentino per hoc, quòd possit inspirationem illam abjicere & dissentire si velit.

Advertendum 3. Juxta doctrinam utriusque Concilii, positô & stante auxiliô efficaci, posse esse dissensum & abjectionem: id est hominem reipsà præventum auxiliô efficaci, cui de facto consentit & cooperatur, posse si velit, non consentire & divinam inspirationem motionemque abjicere; id enim perspicuè significant verba illa Concilii Senonensis, Non est tale Dei trahentis auxiliom, cui resisti non possit: nec-non & ista Concilii Trident. Can. 4. Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, ita cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ut possit dissentiri, si velit.

XIII. 2. Ex Patribus Græcis. *Probatur* 2. authoritate sanctorum Patrum, qui clarissimè docent Deum ita vocare & juvare consentientes ad bene operandum, ut possint non consentire vocationi & auxilio gratiæ, cui reipsà consentiunt. Ita sentiunt Patres Græci, imprimis verò Origenes 1. Periarchon cap. 1. ubi postquam docuit omnem animam rationalem esse liberi arbitrii compotem: subjungit: *Si nostri arbitrii sumus, instigare fortè possunt aliqua virtutes diabolica ad peccatum: & alia juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur, vel agere rectè, vel malò.*

Subscribit Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 7. *Qui operantur illud*, inquit, *gloriàm & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud; hi autem qui illud non operantur, justum judicium recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud.* Irenæo.

Præ cæteris verò hanc veritatem declarat sanctus Chrysostomus pluribi; maximè hom. 19. in Genesim, ubi ait: *Quia liberi arbitrii esse nostram naturam fecit omnium Dominus, qua sua sunt, omnia pro sua misericordia semper exhibet: & sciens abscondita in profundo mentis, & arcana, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit: & necessitatem utique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum in ægrotantis sententia situm esse dimittit.* Et hom. 81. in cap. 26. Matth. *Dei vocatio*, inquit, *nullum cogit, nec mentem eorum qui virtutem volunt contemnere, ullò modô violentat: sed hortatur quidem ac consulit, & omnibus modis bonos esse persuadet: si verò aliqui reluctantur, nullô modô cogit, ut boni esse velint.* Ubi nomine *violentia, & coactionis* necessitatem à virtute divinæ gratiæ exclodit. Chrysost.

Simili modô loquuntur Latini Patres; præ cæteris autem, veritatem hanc apertè docet sanctus Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium, ubi ait: *Non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit, Nunquid & vos vultis abire? servans scilicet legem, quâ homo libertati sua relictus & in arbitrio proprio constitutus sibimet ipsô, vel mortem appetit, vel salutem:* adeoque ad unum illorum non adigitur antecedente aliquâ necessitate. XIV. Consentiunt Latini Patres, S. Cyprianus.

Concinit sanctus Ambrosius lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 3. ubi ait: *Qui habet suorum actuum potestatem, is profectò liber est:* eam autem potestatem non habet quisquis antecedenter necessitatur ad agendum; ita ot non possit non agere: subindéque S. Ambrosius ab homine libero agendi necessitatem proscribit. Ambrosius.

Adstipulantur sanctus Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, ubi ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Quam utique sententiam refert & approbat S. August. lib. de Natura & Gratia cap. 65. Hieronym.

Quapropter hic sanctissimus Doctor, cujus potissimùm authoritate suum erroneum dogma propugnare nititur Calvinus, pluribi declarat penes nostram volontatem esse gratiæ consentire, vel dissentire. Clarissimè verò, lib. de Spiritu & Littera cap. 34. ubi scribit: *Profectò ipsum velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus pravenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel dissentire ab ea, propriè voluntatis est.* Quibus verbis sanctus Augustinus duo inter se conciliat, quæ ab hæreticis nullâ arte sociari posse dicuntur. Alterum, Deum per gratiam suam efficacem operari in nobis velle & credere, id est, quidquid boni agimus: alterum, ita hæc operari, Augustinus

ut tamen gratiæ per quam ea facit dissentire possimus.

Quòd autem reipsà reprobi resistant gratiæ sibi oblatæ, atque per eos stet quòd non illi consentiant, docet idem sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. exemplô Esaü: *Noluit ergo Esaü*, inquit, *& non cucurrit: sed etsi voluisset Dei adjutoriò pervenisset, qui etiam velle & currere revocando præstaret; nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Ubi sermonem facit de vocatione interna, deque adjutorio ipsius voluntatis, sine quo non poterat currere & pervenire; nam alioqui non stetisset per ipsius voluntatem & contemptum gratiæ quod non curreret & perveniret; sed per defectum, & absentiam auxilii necessarii.

Cui subscribunt S. Prosper.

Et S. Anselmus.

Ei subscribunt ipsius Discipuli, maximè sanctus *Prosper* lib. 2. de vocatione gentium capite 28. *Deus*, inquit, *ad obediendum sibi ipsum velle sic donet, ut etiam perseveraturis illam potestatem, qua potest nolle non auferat.* Et sanctus *Anselmus* in cap. 6. Matth. *In Paulo*, inquit, *videtur cogens*, id est, necessitans, *Dei voluntas, sed non est, quia licèt sit percussus, tamen voluntas erat libera, ut resisteret si vellet.*

Objectiones petitæ ex Scriptura S.

OBjiciunt hæretici varios Scripturæ textus, quibus probare contendunt gratiam concessam in statu naturæ lapsæ, non subesse quoad usum libertati voluntatis; sed illam necessitare, ac determinare ad consensum. Sic 2. Paralip. 30. *In Judæa facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum Regis, & Principum verbum Domini.* Cui simile est illud Ezechielis 36. ubi Deus sic Judæos alloquitur: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Item illud ad Philip. 2. *Deus est qui in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate sua.*

XV. Explicantur Scripturæ textus quibus abuti solent Hæretici, contra liberum consensum gratiæ.

Respondeo ex his omnibus textibus, nihil aliud posse colligi, quàm quòd ad opera salutis ita egeamus gratiâ Dei præveniente, & cooperante, ut sine illa nullum tale opus fieri possit: ad illum finem sanctus Augustinus præcitatis, & mox citandis textibus utitur contra Pelagianos, & Semipelagianos lib. de bono perseverantiæ; & lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum.

Respondeo 2. quòd ex eis textibus non sequitur gratiam antecedenter necessitare voluntatem; quamvis enim Deus nobis tribuat cor novum, & spiritum novum, & faciat ut in præceptis ejus ambulemus, detque velle & perficere pro bona voluntate, efficiatque, ut velimus & faciamus exinde tamen non sequitur, quòd id faciat per auxilium antecedenter necessitans & tantæ efficaciæ, ut illi dissentiri non possit voluntas; Deus enim dupliciter facit, ut exerceamus opera supernaturalia, & ad salutem pertinentia. Primò quidem moraliter; illuminando intellectum, & alliciendo voluntatem per gratiam prævenientem. 2. physicè cooperando cum voluntate consentiente per gratiam concomitantem, non autem determinando per gratiam antecedenter necessitantem.

Objiciunt 2. alios varios textus, quibus significari videtur Deum ita efficaciter voluntatem nostram movere, & ad opus flectere, ut ab eo prorsus cessare non possit. Sic Esther c. 14. Deum rogat: *Transfer cor illius* (nempe Assueri Regis) *in odium hostis nostri:* Ergo, inquiunt, Esther intelligebat cor Assueri Regis divinô auxiliô in odium hostis Judæorum, ita posse transferri, ut eô positô, non posset aliter evenire. Illuc conspirant omnes illi textus, quibus significatur Dei voluntatem omnipotentissimam esse nec quemquam ei posse resistere. Sic Esther 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Isaïæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Ergo si Deus vult ut assentiar ejus gratiæ, non possum ei dissentire.

Respondeo, quòd etsi unica ac simplicissima sit Dei voluntas, tamen ratione divinæ operationis & deliberationis multiplex à Theologis distinguitur, nempe positiva & permissiva; antecedens & consequens; efficax & inefficax; absoluta & conditionata. Unde distinguo consequentiam. Non possum dissentire & reluctari voluntati Dei efficaci & absolutæ, de qua intelligendi sunt præfati Scripturæ textus, concedo: voluntati inefficaci, vel duntaxat efficaci sub conditione pendente à libero hominis arbitrio, cujusmodi est voluntas qua Deus nostrum consensum & opus intendit, nego.

XVI. Quomodo dicamur trahi à Deo.

Objiciunt 3. illos textus quibus voluntas dicitur à Deo trahi. Sic Cantic. 1. *Trahe me post te, curremus, &c.* Joan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Oportet igitur ut omnis qui ducitur ad Deum, trahatur auxilio aliquo ita potenti ac forti ut ei non resistat; nam si nos pro innata nostra libertate Deo vocanti respondemus & sequimur, potius nos Deum, ut nobiscum cooperetur trahimus, quàm ipse nos trahat.

Negò consequentiam. Et ad antecedens dico Deum nos trahere ad bene & salutariter operandum suâ gratiâ præveniente, sine qua nemo potest salutariter operari; ultra quod auxilium præveniens, aliud cooperans conceditur, quod non prævenit neque priùs operatur quàm voluntas consentiat; numquam tamen voluntas ita determinat auxilium cooperans, quin priùs ipsa fuerit à Deo tracta, id est mota & excitata auxilio præveniente inspirationis divinæ, de quo auxilio præfati textus sunt intelligendi; non autem de gratia antecedenter necessitante voluntatem ad agendum, & cui non possit resisti. Nec difficultatem facessit vox illa *trahere*, nam in moralibus & causis liberis non significat *necessitare*, sed *allicere*, juxta illud Poëtæ: *Trahit sua quemque voluptas*; voluptas, inquam, non necessitas; nec obligatio, sed delectatio, inquit sanctus Augustinus Tract. 26. in Joan.

Objectiones petitæ ab hæreticis ex S. Augustino pro gratia Medicinali necessitante.

XVII. Quid inferre præsumant Calvinistæ ex doctrina S. Augustini.

OBjicit 1. Calvinus lib. 2. Inst. cap. 3. num. 13. & aliqui ejus Sectatores varios sancti Augustini textus, in quibus asserit gratiam Christi operari, primò *ipsum velle, & efficere ut velimus*, secundò *largiri bonam voluntatem*, tertiò *dare omnia merita & virtutes*; & alia plurima id genus, ex quibus ille pessimus hæresiarcha infert *corda nostra Dei afficientis necessariò sequi motum:* Unde contumeliis, ut assolet, etiam sacram Facultatem Parisiensem impetit dicens: *Audiamus nunc Au-*

gustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est, Sorbonici Sophistæ totam vetustatem nobis adversum pro more suo criminentur.

Inferunt autem tam ille quàm ejus Asseclæ; PRIMUM ex Epistola 107. ad Vitalem ubi sanctus Augustinus ait: *Quapropter ut in Deum credamus & piè vivamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; non quia velle non debemus & currere, sed quia in nobis velle operatur & currere.* Et lib. de Gratia & Libero Arbitrio cap. 17. *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus.* Et lib. de Dono Perseverantiæ cap. 13. *Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.*

SECUNDUM colligunt ex eadem Ep. 107. *A Domino gressus hominis diriguntur & viam ejus volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam quâ incipimus velle credere, quoniam Dei via quid est nisi fides recta, illius esse donum qui gressus nostros propterea dirigit primitùs ut velimus.*

TERTIUM denique probare nititur ex Epist. 105. *Vita æterna etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis detur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Et Epist. 107. *Intelligendum est igitur*, inquit, *etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* Igitur verum ac germanum discrimen inter utramque gratiam, Medicinæ & Sanitatis ex hoc maximè capite colligendum est, quòd hæc hominem suæ voluntatis ac bonorum operum liberum artificem sinebat, illa verò necessariò ad bonum opus impellat.

XVIII. Licet Deus efficiat in nobis velle, non sequitur quod necessitemur ad assentiendum.

Nego consequentiam: Nam ex eo quòd Deus dicatur in nobis operari *velle, & bonam voluntatem* efficere, non sequitur, nos idcirco necessitari per gratiam effectricem ad operandum; aliàs idem affirmandum esset de Angelis & Adamo innocente; nam ipsemet sanctus Augustinus clarissimè docet ipsi Adamo & Angelis datam fuisse gratiam quæ in eis efficeret velle & bonam voluntatem operaretur, ut videre est lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. ubi postquam quæsisset; *An sancti Angeli quem habent creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis Authorem per Spiritum sanctum in eis charitate diffusâ*, proponit duas opiniones, quarum altera Angelos amore casto numquam caruisse; altera sine eo aliquandiu stetisse decernit: tum ex utraque certum esse demonstrat voluntatem bonam nonnisi à Deo potuisse concedi: *Porrò*, inquit, *quia facta est* (bona voluntas Angelorum) *utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? sed cum ipsis non dubium quòd ab illo facta sit à quo & ipsi, simulque ut facti sunt, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt adhæserunt eoque sunt isti* (boni) *ab illorum* (malorum) *societate discreti, quòd hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate ... & istam quis fecerit nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quò illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam & largiens gratiam?* Quibus verbis non de charitate habituali, sed de volitione bona & actuali charitate sermonem esse perspicuum fit ex disputationis scopo & contextu; postquam enim de mala voluntate, seu amore perverso disseruit; docuitque nullam illius esse *efficientem* causam, sed potius *deficientem*; ex hac quæstione ad alteram similem quæ bonæ voluntatis causam spectat, ita procedit: *Si dixerimus nullam esse efficientem causam etiam voluntatis bonæ, cavendum est ne voluntas bona bonorum Angelorum, non facta, sed Deo coæterna esse credatur.* Clarum est igitur utrobique disputari de voluntatis actu seu malo seu bono.

Evidens est ergo ad primam volitionem bonam eliciendam Angelos accepisse adjutorium gratiæ illi persimile quod in nobis operatur ipsum velle. Quid enim de Medicinalis gratiæ efficacia ad efficiendam bonam voluntatẽ asserit sanctus Augustinus locis in objectione scriptis, quod de isto Angelorum adjutorio pariter non affirmet? quippe tam ipsis quàm in nobis Deum bonam voluntatem, & ipsum velle efficere perspicuè docet.

Porro quod de Angelis sanctus Augustinus docuit, idipsum de homine primo innocente statuendum esse sæpius inculcat, nempe cum bona voluntate actuali fuisse conditum. Id clarè aperit lib. 14. de Civit. Dei cap. 11. *Fecit Deus*, inquit, *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus esset bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus est Dei*; cum ea quippe factus est homo. Et cap. 27. *Cur non permitteret ut ab illa primus homo, qui rectus, id est, cum bona voluntate creatus fuerit, tentaretur?* Et lib. de Corrept. & Gratia: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in ea quippe illum fecerat qui fecerat rectum.*

Alioqui idem dicendum esset de Angelis & Adamo.

Plura non profero sancti Augustini testimonia, ad eandem veritatem insinuandam, quippe sufficienter præfata demonstrant, adjutorium gratiæ quod Angelis & Adam Deus contulit ad primum amoris actum, ea prorsus omnia habuisse ex quibus Medicinali gratiæ vim illam necessitatis inferendæ hæretici prætendunt; per illud enim Deus bonam voluntatem contulit, atque ipsum velle operatus est. Subindéque meritò negamus consequentiam, quippe nihil aliud locis in objectione laudatis contendit sanctus Augustinus quàm quòd Deus præveniat voluntatem nostram gratiâ excitante, & cum ea concurrat per cooperantem gratiam ad bonam voluntatem formandam, & bonum velle exercendum.

Objicit 2. Calvinus *ibidem num.* 9. Sancti ac justi quique nunc Deum suppliciter exorant, ut eorum voluntates in bonum opus ac præceptorum observantiam inclinet, subindéque ut eos efficaciter ad bonum determinet: sed idipsum non opus habebat deprecari Adamus innocens; quippe ut docebat suprà sanctus Augustinus *num.* 1. in ejus liberrimè potestate erat velle bonum: igitur gratia Medicinalis à gratia sanitatis differt, quòd illa necessariò, hæc liberè in bonum inducebat.

XIX. Dum oratur ut gratia flectat voluntatẽ, non est signum quod necessitetur.

Respondeo 1. *negando minorem*; siquidem Gelasius summus Pontifex in dictis adversus Pelagianos, quæ habentur tomo 2. Concil. disertè pronuntiat etiam primos Parentes divinam gratiam debuisse exorare quæ eorum voluntatem in bonum flecteret & firmaret. *Si in ipsis primis hominibus*, inquit, *dum sua nimium fælicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes*, NON ORANDO, *quod utique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemeratam durares, suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt? quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam mali sui confidentiâ Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, absque divino munere suis viribus vel ægri stare non possunt sine quo nec integri persistere valuerunt?* Et infrà. *Hinc illa primæ conditionis integri-*

Aliàs Adamus fuisset pari ratione necessitatus.

tas, dum ita de se fidit, tanquam ipse qui condiderat non egeret; nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis qua sampserat poscit auxilium, nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessa devota concurrit & consalit suaque se credit inter prospera voluntati, sine praesi io Creatoris, patuit deceptoris insidiis. Quibus sanè nihil planius ac clarius dici potuit ad probandum orationem fuisse Adamo necessariam ut gratiæ firmitatem ac perseverantiam exoraret.

His juvat etiam sancti Augustini authoritatem attexere. Hic enim lib. 14. de civit. Dei cap. 27. *Cur Deus*, inquit, *non permitteret ut ab illo* (malo Angelo) *primus homo qui rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? Quando quidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret: si autem creatorem atque adjutorem Deum superbè sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta divinitùs voluntate recta, malum verò in deserente Deum voluntate perversa; quia & ipsum confidere de adjutorio Dei, non quidem posset sine adjutorio Dei.* Manifestum est igitur Adamum potuisse dæmonem vincere per divinum auxilium quod fiduciâ in Deum & oratione poterat obtinere.

Respondeo secundò, negando sequelam majoris, nam tametsi justi homines Deum cum Davide exorent ut inclinet eorum corda in testimonia sua, inde non est consequens quod hæc inclinatio & determinatio fiat necessariò; siquidem divina gratia potest liberè & complacenter hominum voluntates illectu morali, non autem physico ad bonum flectere & determinare.

Objicit 3. Calvinus *ibidem cap. 9. num.* 12. 13. 14. Sanctus Augustinus docet gratiam perseverantiæ Adamo concessam in hoc à perseverandi auxilio dato ipsius posteris discrepare, quòd illi duntaxat potestatem, his verò etiam voluntatem triboat: ergo reverà gratia medicinalis à gratia sanitatis discrepat; quod illa necessitatem inferat; hæc verò non ita. Probant antecedens ejus Sectatores ex variis ipsius sancti Doctoris textibus, maximè verò ex lib. de correptione & gratia cap. 11. ubi cùm de Adamo sæpiùs dixisset, quòd haberet adjutorium, sine quo non poterat perseverare si vellet, utriusque partis optione in ejus arbitrio collocata, tandem adjicit: *Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi:* Et lib. de bono perseverantiæ cap. 7. idipsum apertè tradit: *Non est hoc*, inquit, (videlicet non discedere à Deo, seu permanere cum Deo) *omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet.* Et in Enchiridio ad Laurentium 104. disputans de divina volontate, & asserens omnino fieri quodcumque ipsa vellet; cùm objiceret: Cur ergo primum hominem, quem bonum & rectum instituerat, non custodierit in ea salute, in qua creatus fuerat: Itemque, cur non eum ad meliorem immortalitatis beatitudinem transtulerit, ad quam eum condidisse & transferre velle videbatur? Utrumque ab Adami voluntate pependisse, respondet dicens: *Quapropter etiamsi primum hominem Deus in ea salute, in qua conditus fuerat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, ubi* A *jam non solùm peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi; si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse praescisset: quia verò eum malè usurum liberò arbitriò, hoc est peccaturum esse praescivit, ad hoc potius praeparavit voluntatem suam, ut penè ipsa faceret etiam de maleficiente.* Cujus dicti rationem reddit, quia tunc & velle & nolle, perseverare & non perseverare propter maximam status illius libertatem, relictum erat in libero voluntatis arbitrio: *Sic enim*, inquit, cap. 106. *opportebat priùs hominem fieri, ut & benè velle posset & malè: nunc verò*, ut statim addit, *voluntas sub servitute peccati detinetur, quâ* B *fit ut benè velle non possit*; sed voluntas per Christi gratiam debeat liberari & præparari.

XX. Perseverantia SS. Angelorũ fuit donum Dei.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico Angelorum perseverantiam fuisse speciale donum Dei, sicut & nunc est sanctorum hominum, ut disertè & clarissimè tradit sanctus Fulgentius, lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. ubi de Angelis sic loquitur: *Cùm verò quadam pars ejus, natura Angelica, de cœlesti beatitudinis culmine in imam perpetuamque cernitur devoluta miseriam; beatô Petro dicente; quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni tradidit in judicio puniendos reservari: profectò cognoscitur, uniformi cunctos opprimi potuisse ruina consortio, nisi quos vellet à casa pravitatis virtus illa de-* C *fenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarique non posset: ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria: quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodere, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit.*

Ut docent SS. Patres & Fulgentius.

Augustinus.

Hæc autem quæ copiosè quidem à S. Fulgentio Augustinianæ doctrinæ acerrimô deffensore & clarissimô interprete fusiùs explicata sunt, breviùs ab eodem sancto Augustino traduntur lib. 12. de civitate Dei, c. 9. ubi de Angelis bonis & malis disputans, hæc habet: *Istis malâ voluntate ca-* D *dentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem unde se nusquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ubi per vocabula *amplius adjuti*, haudubiè intelligit speciale auxilium Angelis bonis ad perseverandum concessum. Quod utique fusiùs ac clariùs tradit concione 2. in Psal. 32. ubi docet Angelicam naturam, quam *cœlorum* nomine designat, divinâ gratiâ indiguisse, quæ perseverantiam atque firmitatem illi conferret: *Cœli*, inquit, *ubi nulla est miseria, nunquid quia non indigent miseriâ, non indigent Dominò! omnia indigent Domino & misera & fœli-* E *cia; sine illo miseri non sublevantur, sine illo fœlix non regitur: ergo ne fortè de cœlis quæreres, cùm audires* MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA: *audi quia Domino & cœli indigent:* VERBÔ DOMINI CŒLI SOLIDATI SUNT: *Nam non à se sibi solidamentum fuerunt; nec ipsi cœli firmitatem sibi propriam praestiterunt.* VERBÔ DOMINI CŒLI FIRMATI SUNT, ET SPIRITU ORIS EJUS OMNIS VIRTUS EORUM, *non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt.* SPIRITU ENIM ORIS EJUS, *non pars*, SED OMNIS VIRTUS EORUM. Idem postmodum docet de sanctis Apostolis, ut nemini sit dubium, non solùm sanctos & justos homines in statu naturæ lapsæ; sed etiam hominem

innocentem, nec-non & Aogelos divinâ egere gratiâ ad perseverandum.

Bernardus.

Quam utique doctrinam clarissimè tradit & propugnat sanctus Bernardus lib. de libero arbitrio, ubi docet Angelis datam fuisse à Deo perseverantiam, non Adamo: *Superioribus*, inquit, *spiritibus datum est sine peccato & miseria perdurare, &c. Illa autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere.* Et Sermone 22. in Cant. *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens: & hâc ratione fuit aque utique redemptio, solvens illum & servans istum: liquet ergo sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem.* Hinc concludit: *Sic ergo omne quod erat Angelis factus est & nobis, quid? sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio.* Quibus verbis duo apertissimè docet: *Primum* quidem Deum Angelis dedisse non solùm, ut possent non labi, sed ne laberentur: *Secundum* verò, eôdem modô Angelorum redemptionem esse, quômodo est eorum sanctificatio: hæc autem dubiô procul speciale Dei beneficium est: igitur & illa.

Ex iis itaque constat & apertissimè sequitur; *Primò*, Angelis & homioi innocenti fuisse necessarium speciale Dei adjutorium ad perseverandum: *Secundò*, gratiam illam, quâ adjuvante Angeli steterunt, perseverandi necessitatem non attulisse; subindeque turpiter hallucinatur Calvinus, & cum eo omnes illius Sectatores cum gratiam medicinalem idcirco necessitatem imponere contendunt, quòd per illam Deus, quos vult certò erigat & à lapsu defendat: hoc enim utrique gratiæ, medicinali & sanitatis, commune est, ut per eam Deus, quos vult erigat, & à ruina protegat.

Instant: Sanctus Augustinus, lib. de correptione & gratia, verbis suprà in primo Paragrapho laudatis, gratiam medicinalem appellat adjutorium *quò*, gratiam verò sanitatis adjutorium *sine quo*. Quibus significat hominem innocentem habuisse quidem gratiam, quâ pro libito uti posset ad bonum faciendum, & in eo perseverandum; secus autem ejus posteri; quibus confertur adjutorium, quò determinantur ad volendum, & perseverandum: Sed (inquiunt) adjutorium *sine quo* liberum sinebat hominem; adjutorium autem *quô* eum necessitat ad agendum: Ergo gratia medicinalis in hoc à gratia sanitatis differt, quod illa necessariò, hæc liberè hominem afficiat & moveat.

XXI.

S. Augustinus videtur asserere quòd gratia medicinalis necessitatem inferat.

Probant majorem; Sanctus Augustinus *ibidem cap.* 12. utriusque auxilii naturæ lapsæ & sanæ concessi distinctionem explicans, ait: *Primò itaque homini, qui in eo bono, quò factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quò fieret ut perseveraret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint: verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

Probat minorem Calvinus lib. 6. de libero arbitrio circa finem, nempe quòd in hoc gratia medicinalis à gratia sanitatis discrepat, quòd illa hominem necessariò ad bonum determinet; hæc verò suæ libertatis compotem & in utramque partem flexibilem relinquat: hoc enim clarissimè indicare videtur sanctus Augustinus circa finem *ejusdem capitis* 12. ubi ait: *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per voluntatem Dei: cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo judicio Dei sine quo non posset perseverare si vellet; non tamen tali quô in illo Deus operaretur ut vellet: fortissimum quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmos servavit, ut ipsô donante invictissimè vellent.* Igitur gratia medicinalis hominem necessariò impellit ad opus bonum.

Verùm non ea est illius sententia.

Respondeo primò, duobus modis sumi posse *adjutorium quô aliquid fit*, nimirum *vel* pro causa efficiente, *vel* formali; sanctus autem Augustinus hîc usurpat *auxilium quò* tantùm in sensu formali; agit enim hic tantùm de gratia necessaria ad perseverandum tam primo homini innocenti quam ejus posteris prædestinatis; ut manifestè patet ex initio *cap.* 10. quod sic habet. *Hinc exoritur alia quæstio non sanè contemnenda.... quæritur enim à nobis, quantùm ad hoc donum Dei quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus.* Vides quæstionem tribus capitibus sequentibus tractandam, cujus occasione distinguit auxilium quod est primo homini datum ad perseverandum, quodque appellat auxilium *sine quo* non poterat perseverare, ab auxilio quod jam datur hominibus lapsis intestinô concupiscentiæ bellô laborantibus in tenebris ignorantiæ, quod dicit esse majus & fortius, & non tantùm auxilium *sine quo possint perseverare*, inquit, *sed auxilium quô nisi perseverantes sint*; nec aliud omnino tractat in prædictis capitibus. Hinc fit quod hoc *auxilium quò* dicat tantùm spectare ad prædestinatos; de ipsis namque duntaxat egerat *cap.* 9. Unde hac disputatione finitâ, *caput decimum tertium* sic incipit, *Hæc de his loquor qui prædestinati sunt in regnum Dei..... non de his, qui cum annuntiasset, & locutus esset, multiplicati sunt super numerum; ipsi autem* VOCATI, *dici possunt, non autem* ELECTI, *quia non secundùm propositum vocati*; quibus apertè significat non prædestinatos excludi ab auxilio de quo egerat in tribus prioribus capitibus. Falsum est igitur S. Augustinum per *auxilium quô*, quodlibet auxilium Adæ posteris concessum comprehendisse, sed duntaxat illud quô homo formaliter fit perseverans, quemadmodum per beatitudinem formaliter fit beatus: *Beatitudo*, enim inquit cap. 12. suprà, *quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus; adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quô fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit: quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit.* Negari non potest S. Augustinum hîc adjutorium quô illud appellare, non quo efficienter, sed quo formaliter aliquid fit; nam ita beatitudo nos beatos facit.

XXII.

Adjutoriū quò, in mente S. Augustini, non significat causam Efficientem sed formalem.

Clarissimè verò mentem suam exponit, cùm definitionem *adjutorii quò* tam perspicuis verbis & exemplô tam illostri explicatam ad propositam de adjutorio perseverantiæ quæstionem accommo-

commodat; neque enim illud efficienti causæ, quæ in nobis perseverantiam operatur; sed ipsi potius perseverantiæ, quâ formaliter perseverantes sumus, applicat, dum ait eodem cap. 12. *Primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quô fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ, datur; sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* En adjutorium quô respectu perseverantiæ, nempe perseverantia ipsa, seu donum per quod perseverantes sint.

Cùm autem Presbyteri Massilienses atrociter carperent illam sancti Augustini doctrinam, & ex ea colligerent perseverantiam amitti contumaciter non posse: sanctus Augustinus in lib. de bono perseverantiæ cap. 6. sic hanc mentem suam copiosè ac dilucidè exponit: Nolunt, *inquit*, (ut scribitis,) isti fratres, ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel simpliciter emereri, vel amitti contumaciter possit: ubi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseverantia loquimur, quâ perseveratur usque in finem, quæ cùm sic data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data, quod & jam superius satis egimus. Non itaque dicant homines, perseverantiam cuiquam datam esse usque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseverasse, cui data est, repertus fuerit in finem. Dicimus quippe castum quem novimus castum, sive fit, sive non fit in eadem castitate mansurus; & si quid aliud divini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quandiucumque habet, & si amiserit dicimus habuisse. Perseverantiam verò usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem: multi possunt eam habere, nullus amittere; neque enim metuendum est, ne fortè cùm perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem: Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit amitti contumaciter non potest; cùm enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, neque alia quæ poterat ante finem: quomodo enim potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti? Hæc sanctus Augustinus.

Hoc est donū gratiæ quâ quis reverà perseverat.

His verbis clarissimè docet 1. sanctus Doctor: Donum illud perseverantiæ, quod libro de correptione & gratia capitibus 11. & 12. describerat, esse ipsam perseverantiam, quâ formaliter perseveratur usque in finem: atque adeo apertè significat adjutorium quô; cujus ad hanc quæstionem illustrandam meminit, illud esse quô formaliter fit id propter quod datur: quemadmodum beatitudo quam in exemplum adducit, est id quô formaliter Beati efficimur. *Nec refert* quòd utatur voce illâ *(fit)*: Non enim hîc significat causam efficientem, sed duntaxat formalem: Nam eôdem modô hanc vocem usurpat in sensu formali, in Psalm. 147. cùm ait: *Calidus calore calescit, frigidus frigore frigescit, velox fit velocitate: quid calidius ipso calore, quid calet quidquid fit calidum? quid frigidius ipso frigore, quô frigescit quidquid frigidum fit? quid ergo velocius ipsâ velocitate, quâ velox fit, quidquid velociter currit?* Quibus verbis vocem *(fit)* non efficientem, sed formalem causam significare nemini dubium esse potest.

XXIII. Verbum Fio non significat sæpe actionem.

Docet 2. nullam in ea perseverantia necessitatem antecedentem, sed tantùm consequentem reperiri: quia asserit tunc tantùm amitti illam contumaciter non posse, cùm perseveratum est usque in finem: ergo non arbitratur donum illud ejusmodi adjutoriis comparari, quibus humana libertas reluctari non possit: aliàs enim etiam dum hîc vivimus, contumaciter amitti non posset: siquidem illa adjutoria ut antecedentem perseverandi necessitatem; ita quoque impossibilitatem non perseverandi inducerent. Habemus igitur ex sancti Augustini mente adjutorium *quô*, nullam antecedentem, sed tantùm consequentem necessitatem involvere, quod ut pleniùs pateat;

Respondeo 2. quòd etiamsi adjutorium *(quô)* sumatur in sensu efficienti; nullam necessitatem antecedentem inferre potest: quippe hâc ratione auxilium illud locum habebat in natura integra, quam hæretici nobiscum admittunt fuisse liberrimam, & omnis antecedentis necessitatis expertem: Nam si adjutorium *quô* sumatur pro gratia quæ ipsum velle certò & efficaciter operatur, negari non potest illud Adamo & Angelis concessum fuisse, ut Deum in ipso creationis articulo diligerent; siquidem sanctus Augustinus de primo illo Angelorum amore, seu de volitione bona, quam in ipsa creatione susceperunt, ita loquitur lib. 12. de civitate Dei cap. 9. *Et istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quô illi adhærent creavit?* Quin etiam docet eos ejusmodi bonam voluntatem, non nisi operante adjutoriô Creatoris habere potuisse; atque inde concludit, de Angelis proinde ac de nobis dici posse, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.

XXIV. Auxilium quô etiam efficaciter acceptum, non infert necessitatem.

Quod de Angelis sanctis ibi docet, idem de primo homine sentiendum esse profitetur lib. 14. cap. 11. his verbis: *Bona voluntas, opus est Dei, cum ea quippe ab eo factus est homo.* Et de correptione & gratia cap. 11. *Tunc ergo*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Ex his itaque patet hæreticos turpiter hallucinari, & toto ostio ab Augustini principiis aberrare, dum asserunt adjutorium *quô* sive efficax non fuisse collatum Angelis & primis Parentibus in statu innocentiæ: & quod Augustinus docet de Dei auxilio Adamo concesso ad perseverandum (quod utique non fuit efficax, sed tantùm sufficiens, ut lugendus & infœlix eventus nimium demonstrat) ad omnia gratiæ auxilia ipsi concessa volunt extendi.

Unde his ita præmissis ad argumentationem in forma: *Respondeo primò*, distinguendo majorem: Auxilium *quô* non fuit concessum Adamo innocenti, si sumatur formaliter, seu pro causa formali, concedo; sic enim non habuit illud auxilium *quô* seu donum perseverantiæ quô Prædestinati formaliter in finem usque perseverant: si sumatur efficienter & pro causa operante & effectiva, nego, sic enim Adamus habuit auxilium efficax ad formandam bonam voluntatem, & producendum amorem castum cum quo creatus est. Minorem similiter distinguo: Auxilium quô necessitatem infert, antecedentem, & quæ libertatem perimat nego: consequentem; quæ homi-

Ut hæretici perperam asserunt.

nem sui ipsius arbitrum & compotem relinquat, concedo. Non est igitur, cur tantopere hæretici ex hac sancti Augustini authoritate & doctrina patrocinium sibi affulgere jactitent pro astruenda gratiæ Medicinalis summa necessitante virtute, ex qua à gratia sanitatis censeatur discrepare; quippe longè aliud per auxilium *sine quo*, & auxilium *quo*, quàm hæretici communiscuntur, intellexit sanctus Augustinus; subindéque frustrà sui erroris ex hujus duplici auxilii distinctione tutelam usurpant.

Petes quare sanctus Augustinus hujus duplicis adjutorii, *sine quo*, & *quo* unò duntaxat locò, & solùm post debellatam Pelagii hæresim meminerit. Enimverò in diuturno cum Pelagianis conflictu, nunquam ad eos debellandos hanc distinctionem adhibuit.

Respondeo, hoc idcircò factum, quòd ei cum Pelagianis bellum non esset de necessitate gratiæ ad perseverandum: sed de auxiliò absolutè necessario ad quodlibet opus bonum meritorium exercendum: quod utique negabant Pelagiani, admittentes duntaxat adjutorium possibilitatis unà cum cæteris adjutoriis externis, de quibus sæpe meminimus: Nolebant autem aliquod auxilium absolutè desiderari ex parte voluntatis ad bonum absolutè faciendum, sed tantùm ad faciliùs illud exercendum; quod utique pessimum dogma à Pelagio invectum acerrimè oppugnavit sanctus Augustinus, demonstrans adjutorium absolutè esse necessarium ex parte voluntatis, sine quo nullum bonum opus nec esse nec velle posset.

XXV. Qualiter auxilium *sine quo* ab auxilio *quo* distinguat S. Augustinus.

Ubi autem explicandum habuit donum perseverantiæ in libris de correptione & gratia; opus fuit ipsi distinguere auxilium *sine quo*, ab auxilio *quo* aliquid fit, ut nempe significaret discrimen inter gratiam Adamo concessam ad perseverandum cum qua non perseveravit; & eam quæ conceditur Sanctis ac Prædestinatis in statu naturæ lapsæ: illius enim doctrinæ in libris de correptione & gratia, hæc summa est, ut demonstret qualiter Deus cum Sanctis agat circa eorum perseverantiam stabiliendam. Nam *cap.* 8. demonstrat ad Dei dona pertinere perseverantiam Sanctorum: sive otiosam illam quâ finit homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; sive actuosam alteram actualis gratiæ auxiliis, voluntati ut perseveret delectabilem perpetuitatem & inseparabilem fortitudinem tribuentibus comparatam: Tum *cap.* 10. agit de dono perseverantiæ primo homini concesso, demonstratque ipsum habere quidem potuisse perseverantiam, si voluisset; quia ad perseverandum sufficientes vires habebat; cùm enim ejus voluntas esset sana, ei opus non erat cœlesti delectatione, quâ Deus in nobis cum ipsa perseverandi voluntate activam illam perseverantiam efficit: sed eum potuisse cum adjutorio, quod in ipsa creatione acceperat, ita sibi perseverantiam comparare, ut hæc libertati potius, quàm divinæ gratiæ videretur tribuenda, ut fusè explicat *cap.* 11. postque *cap.* 12. adjutorium perseverantiæ Adamo concessum comparat cum ipsa perseverantia, quæ modò Sanctis omnibus, sive per improvisam mortem, sive per gratiam voluntatis, quæ ipsum velle in eis efficit tribuitur. Itaque ut rem planè definiat, duo adjutoriorum genera distinguit: alterum *sine quo*, aliquid non fit, & alterum *quo* aliquid fit. Tum docet Adamum accepisse tantùm adjutorium, sine quo non; quia non ipsam perseverantiam, sed id duntaxat sine quo perseverare non poterat accepit: Sanctos verò in hoc statu accipere adjutorium quô perseverant, quia ipsa perseverantia illis donatur; sive cum inopina morte, dum justi sunt opprimuntur; sive cum ad extremum usque spiritum motionem voluntatis accipiunt, quæ ipsum velle in illis operatur: Tandem ubi probavit Adamum, non indiguisse motione voluntatis ad perseverandum activè, ita concludit: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil ex seipsa concupiscentiali* B *resistebat, ut dignè tantæ bonitati & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.*

§. III.

In quo tandem consistat discrimen Gratiæ Sanitatis à Medicinali?

GEnuinum discrimen inter gratiam *sanitatis* & *medicinalem*, in eo maximè positum esse videtur, quòd Adamus cum sola habituali gratia & adjutorio cognitionis potuerit perseverare: Sanctis verò hoc in statu naturæ lapsæ, *præter illa duo*, etiam motio voluntatis necessaria sit.

Probatur ex sancto Augustino, qui pluribi docet discrimen utriusque status circa voluntatis adjutorium versari, in eo quòd Adamus & Angeli habituali gratiâ, & adjutoriô cognitionis instructi non egerent ad perseverandum motione voluntatis, seu delectatione cœlesti ad bonum supernaturale pelliciente: homines verò hoc in statu naturæ vitiatæ, præter habitualem gratiam & cœlestem illam incitationem, ulterius ad perseverandum requirant gratiam actualem ipsi voluntati impressam, eamque interiori suavitate demulcentem. XXVI. Adamus innocens cum gratia sanctificante & auxilio cognitionis, poterat bonum operari.

POSTERIOR PARS hujus doctrinæ toties à S. Augustino traditur, quoties adversus Pelagianos contendit, in hoc naturæ corruptæ statu, satis non esse ad bene agendum, ut mens cœlitùs illuminetur; sed requiri insuper, ut Spiritus sanctus delectationem seu internam motionem, & inspirationem charitatis voluntati imprimat. Sic lib. de Spiritu & Littera cap. 3. *Neque liberum arbitrium*, inquit, *quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cùm id quod agendum & quod vitandum est, cœperit non latere, nisi delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur: ut autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium quod surgit ex nobis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Et cap. sequenti docet mentis illustrationem, nihil ad bene agendum prodesse, ubi sanctus non adjuvat Spiritus, *inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam*, hoc est, charitatem diffundens in cordibus nostris: quapropter lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. Pelagianos reprehendit quòd vellent *nos à Domino Deo adjutorium cognitionis habere quô ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sanctò amore faciamus.*

Illud ipsum sic inculcat l. de Gratia Christi c. 13. *Hac gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deum cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs; sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam imper-*

tiat charitatem. Frustrà pluribus ejusdem sancti Doctoris textibus hæc veritas probaretur; quippe eam tam sæpe tradit, ut vix in ejus adversus Pelagianos lucubrationibus aliqua pagina occurrat, in qua præter adjutorium cognitionis, necessariam quoquead beneagendum delectationem cœlestem non contendat; neque huic veritati refragantur etiam hæretici, sed noo ita consentiunt prioti parti.

XXVII. S. Augustinus gratiam Adamo concessam non appellat auxilio voluntatis.

Probatur igitur prior illa pars assertionis, nempe quòd Adamus cum sola habituali gratia & adjutorio cognitionis potuerit perseverare, nec ad id ei necessaria fuerit pia motio voluntatis. *Probatur*, inquam, *primò* ex eo quòd sanctus Augustinus nusquam Adamo & Angelis gratiam concessam ad perseverandum, appellet his nominibus, quibus motiones voluntatis exprimit: quamvis autem hæc plurima sint ac propemodum innumera; tamen doctè ac dilucidè ad duodecim præcipua revocat *Antonius Deschamps* lib. 3. disput. 3. cap. 16. quorum priora sex, inquit, amotem, nempe indeliberatum manifestiùs exprimunt, reliqua verò totidem delectationem apertiùs significant.

Varia nomina quibus gratia sanctitatis & voluntatis appellatur.

Primò à charitate eam appellat *spiritum charitatis* lib. 1. ad Simplicianum quæst. 1. vel *inspirationem charitatis*, ut Epist. 147. versus finem: vel *infusionem charitatis*, ut lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. vel denique *gratiam quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, ut in omnibus passim operibus; maximè lib. de gratia Christi capite 26.

Secundò à *dilectione* nomen illi imponit, nam lib. de Spiritu & Littera cap. 3. vocat *delectationem dilectionemque summi boni*. Et lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. *inspirationem dilectionis*.

Tertiò, eam nuncupat amoris divini inspirationem, ut in disp. contra Fortunatum; atque, alia id genus nomine ab amore derivata frequenter illi attribuit.

Quartò *bonam concupiscentiam* oominat. Ita lib. de Spiritu & Littera cap. 4. ait: *Ubi sanctus non adjuvabat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam*.

Quinto cupiditatem boni eam dicit lib. 2. ad Bonifacium cap. 9.

Sextò *bonam voluntatem* appellat lib. de gratia Christi cap. 24.

Pari ratione totidem nominibus ex delectatione cœlesti eam voluntatis motionem significat. *Primò* namque illam appellat *suavitatem* pluribi, sed maximè in Psalmum 84. ubi fusissimè illam Davidis sententiam, *Dominus dabit suavitatem*, de gratia ipsi voluntati impressa exponit. *Secundò* eam nuncupat *dulcedinem* lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. dicens: *Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei*. *Tertiò* sæpissimè *delectationis* nomen illi imponit omnibus pene in libris, quos in divinæ gratiæ defensionem elucubravit. *Quartò* eam noncupat *condelectationem*. Sic lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 30. ait: *Gratiam Dei esse condelectationem legi Dei secundùm interiorem hominem*. *Quintò jucunditatem* oominat in Psal. 85. *Sextò* denique *voluptatem* appellat tractatu 22. in Joan. dicens: *Voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? delectari in Domino, &c. Est quædam voluptas cordis, &c.* Hæc sunt nomina, quibus sanctus Doctor motionem voluntatis ab intellectûs illuminatione distinctam exprimit; sed ex tot nominibus quibus sanctus Doctor piam illam voluntatis motionem exprimere solet, & quæ semper usurpat, & quasi acervàtim congerit, quoties de gratia medicinali verbum facit, ex tot, inquam, nominibus, ne unum quidem vel semel adhibet cùm de gratia Adamo & Angelis ad perseverandum concessa differit. Igitur signum est eum censuisse Adamum & Angelos non eguisse illâ gratiâ, quæ voluntatem movet, ut in bono sibi in creatione concesso perseverarent.

XXVIII. Gratia intellectûs dicitur lux; voluntatis autem suavitas.

Confirmatur ex eo quòd idem sanctus Doctor lib. 2. de peccatorum meritis c. 19. intellectûs & voluntatis gratias accuratè distinguens, illam appellat *lucem* ac *lumen*; alteram verò *suavitatem* & *delectationem*, ait enim: *Intelligamus si possumus Dominum Deum bonum ideò etiam Sanctis suis alicujus operis justi non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse* LUCEM, *quâ illuminantur tenebræ eorum, &* SUAVITATEM, *quâ det fructum terra eorum*. Quibus significat utramque gratiam *lucis* ac *delectationis* necessariam esse hominibus in statu naturæ lapsæ: at cùm de illa gratia differit, quam Adamus & Angeli ad perseverandum acceperunt, plerumque lucem ac lumen eam appellat, nusquam verò delectationem aut suavitatem: Censet igitur Angelis & Adamo satis fuisse ad perseverandum gratiâ habituali animam informante; & actuali intellectum irradiante; non verò voluntatem stimulante & moveote.

Adamus opus habuit priori ad bonum faciendum; non verò posteriori.

Probatur 2. ex eo quòd idem sanctus Doctor auxilium illud voluntatem ad bonum pelliciens & movens, censeat idcirco necessarium esse homini gratiâ habituali instructo, quia concupiscentiæ stimulis agitur in malum & à bono sectando revocatur: Unde sic argumentari licet: Docet S. Doctor idcirco hominem gratiâ habituali instructum & divinâ luce irradiatum, egere cœlesti delectatione voluntatem ad bonum pelliciente, propter vincendos concupiscentiæ motus, ab ejusmodi boni prosecutione removentes: sed Adamus innocens nullò amoris proprii appetitu seu delectatione noxiâ antecedente consensum stimulabatur: igitur ei non opus erat illâ motione & delectatione voluntatis ad bonum sectandum. Majorem simul & minorem apertè tradit sanctus Augustinus lib. de Correptione & Gratia c. 11. ubi de Adamo innocente ita scribit: Ille non „ opus habebat eô adjutoriô quod implorant isti, „ cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis „ repugnantem legi mentis meæ, & captivantem „ me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infœ- „ lix ego homo! quis me liberabit de corpore mor- „ tis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Domi- „ num. Quoniam in eis caro concupiscit adversus „ spiritum, & spiritus adversus carnem; atque in „ tali certamine laborantes ac periclitantes, dari „ sibi pugnandi, vincendique virtutem, per Chri- „ sti gratiam poscunt, ille verò nullâ tali rixâ à se- „ ipso, adversus seipsum tentatus atque turbatus, in „ illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. „ *Hæc S. Doctor*. Adjutorium autem illud quod adversus corporis atque animi concupiscentiam hoc in statu Sancti postulant, est delectatio cœlestis, ut infinitis propemodum in locis sanctus Augustinus docet: Ita homilia 19. dum quætit: *Quomodo te à te liberat Deus?* Respondet: *Dando tibi vires pugnandi adversùs concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando menti tuæ cœlestem delectationem*. Et lib. de Continent. cap. 3. *Contra suavitatem noxiam, quâ vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam*. Ex quibus

inferre licet, quòd adjutorium quod sancti in hoc adversus statu concupiscentiam postulant, est delectatio cœlestis; at primus homo & Angeli opus non habebant eô adjutoriô, quod Sancti adversus concupiscentiam postulant: igitur primus homo & Angeli opus non habebant delectatione cœlesti; nec proinde ulla motione voluntatis.

XXIX. Quia cum gratia illuminante liberum illius arbitrium poterat bonum facere.

Probatur 3. eis omnibus textibus, quibus sanctus Doctor affirmat primum hominem per liberum arbitrium potuisse bonum operari & sectari. Disertissimè id docet lib. de Natura & Gratia cap. 43. cùm de Pelagio ita loquitur: *Verum est quod ait, quòd Deus tam bonus quàm justus talem hominem fecerit, quo peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt.* Quibus verbis significat, quod de homine lapso Pelagius affirmabat, eum per vires naturæ bene agere posse, si vellet; hoc de Adamo verum esse S. Augustinus pronuntiat. Atque hoc sensu loquitur, cùm ait: *Agitur de illius mentis quadam valentia, usque rationis, quò præceptum Dei legemque mandati & docilis Adam caperet, & facilè posset custodire si vellet.* Sed non alia ratione S. Augustinus docet hominem per liberum arbitrium potuisse bonum sectari, quàm quia præter gratiam habitualem, & intellectûs illustrationem nullo egebat actuali auxilio voluntatem ad bonum stimulante: sed ipsa voluntas habituali gratiâ elevata per se poterat bonum ab intellectu manifestatum prosequi & amplecti; quod idem homini lapso non accidit: igitur gratia sanitatis in hoc à medicinali differt, quòd hæc necessariò requirat actuale auxilium movens voluntatem; illa verò non ita. Probatur minor. S. Augustinus docet Pelagianum dogma fore verum, si quod de homine lapso docebant, solùm de sano asseruissent: at Pelagiani docebant hominem lapsum indigere sola doctrina cœlitùs infusa, per quam voluntas agendi potestatem non acciperet, sed tantû ut eam exereret quam à natura habet quasi viâ demonstratâ quâ ambulare debeat: igitur in statu naturæ sanæ præter gratiam habitualem & intellectûs illuminationem quâ cognosceret homo innocens quid agendum, quidve fugiendum esset, ulteriori auxilio non egebat.

Dices 1. Sanctus Augustinus; ut notatum est *num.* 1. dicit gratiam Medicinalem à gratia Sanitatis discrepare duntaxat, quòd illa sit alterâ *major & potentior:* ergo censet illas gratias non distingui secundùm entitatem, sed tantùm penes majus & minus: & subinde præfatum discrimen à nobis assignatum est nullum.

XXX. Quomodo gratia medicinalis & gratia sanitatis dicantur eadē gratia.

Nego consequentiam: Nam si consequentia hæc foret legitima, sequeretur pariter gratiam creationis à gratia Christi, & intellectûs illuminationem à delectatione cœlesti voluntatem demulcente secundùm substantiam non distingui: Nam, ut sanctus Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli cap. 5. ait. *Exceptâ illâ gratiâ, quâ condita est humana natura, hæc enim Christianis Paganisque communis est: hæc est major gratia, non quod per Verbum homines creati sumus, sed quòd per Verbum carnem factum fideles facti sumus.* Eôdem modô loquitur de gratia voluntatis & intellectûs inter se comparatis: nam cùm dixisset de gratia Christi cap. 26. *Cogitationem & dilectionem esse discernendas*, addit *utramque esse gratiam & donum Dei: sed unum minus, alterum majus.* Quemadmodum igitur affirmari non potest cogitationem & dilectionem non distingui secundùm substantiam; quia sanctus Augustinus ait hanc esse *majus donum Dei;* ita neque concludi potest gratiam sanitatis à medicinali non distingui substantialiter, quia dixit hanc esse *majorem gratiam.*

Instabis: Ex sancto Fulgentio, illa ipsa gratia, quæ hominem erexit, Angelum stantem à casu defendit: *Una est*, inquit lib. 2. ad Trasimundum, *in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet.* At illa non solùm motionem intellectûs, sed etiam voluntatis includit: ergo & hæc utrumque auxilium complecti debet.

Distinguo majorem: Una & eadem gratia genericè sumpta, quatenus videlicet significat auxilium supernaturale naturæ meritis indebitum, operata est, tum in Angelo, tum in homine, quia uterque opus habuit illô cœlesti auxiliô, hic ut surgeret à lapsu, ille ne præceps rueret in reatum, concedo: eadem gratia specificè sumpta, quatenus significat auxilium non solùm intellectûs, sed etiam voluntatis, in utroque operata est, nego.

Dices 2. Sanctus Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 13. apertè docet Adamo concessum fuisse duplex auxilium, nempe quô intellectus illustraretur & voluntas accenderetur: ait enim: *Si voluntas* (Adami) *in amoris superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret & frigesceret.* Quæ voces accensionem voluntatis ab intellectûs illustratione distinctam fuisse in Adamo haud obscurè significant.

Respondeo primò, quòd si vox illa *accensio* significaret amorem indeliberatum, seu præviam delectationem in Adamo, sequeretur eum necessariò perseverasse; quia nulla esset in eo delectatio mala, quæ vim istius ad perseverantiam inclinantis frangeret; quod tamen apparet falsum. Quapropter

Respondeo secundò, longè aliam fuisse Augustini sententiam ab ea, quam prætendunt adversarii: ibi namque contendit sanctus Augustinus primum Evæ peccatum fuisse superbiam, quâ fecit ut illa serpentis insidias non viderit: Adamus verò peccaverit uxorem perversè diligendo, quem tamen perversum amorem antegressa est superbia; Porrò, inquit, malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia?

Atque ut clariùs ostendat externam illam primorum parentum prævaricationem non potuisse ante contingere, quàm per superbiam interiùs à Deo defecissent, subdit: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandatô uxoris præponeret voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in hac societate peccati: non ergo bonum opus factum est, id est, illa transgressio, ut cibô prohibitô vescerentur, nisi ab eis qui mali jam erant.* Non agit igitur sanctus Augustinus ibi de illustratione & accensione, quæ amorem Dei præcedant & ad eum provocent: sed de ipso potius amore Dei, à quo primi parentes illustrabantur & accendebantur ut cætera viderent, & rectè amarent: subindéque ex hoc contextu nullum affulget adversariorum doctrinæ patrocinium,

nec minimum quidem nostræ sententiæ præjudicium.

Dices 3. Illustratio intellectûs non dat posse voluntati, sed ad hoc ut possit voluntas id quod ante non poterat, debet dari aliquis influxus in illam: atqui gratia quam habuit Adamus inocens conferebat posse voluntati; per eam siquidem perseverare poterat si voluisset: ergo præter illustrationem intellectûs opus erat etiam auxiliô volontatem movente & adjuvante.

XXXI. Quomodo illustratio intellectûs hominis innocentis voluntati virtutem agendi contulerit.

Distingue majorem: Illustratio intellectûs non dat posse voluntati ad ordinem supernaturalem, per gratiam sanctificantem non sublimatæ, concedo: ita erectæ & sublimatæ, nego: talis enim erat Adami innocentis voluntas; siquidem habebat gratiam sanctificantem, per quam ejus anima cum suis facultatibus ad ordinem supernaturalem promovebatur; ac proinde illius voluntas cùm repugnantem concupiscentiam non haberet, aliô non egebat auxiliô ad bonum sectandum, quàm ut ipsi per illustrationem intellectûs monstraretur.

Dices denique: Actus supernaturalis entitativè non potest proficisci, nisi à potentia ad ordinem supernaturalem elevata: atqui per solam illustrationem intellectûs, voluntas minimè elevatur ad talem ordinem: ergo speciali ad id auxiliô Adami voluntas egebat.

Distingue majorem: Non potest proficisci, nisi à potentia ad ordinem supernaturalem elevata, vel per commune, vel per speciale auxilium, concedo: per speciale duntaxat, nego: Voluntas autem Adami elevabatur ad actum supernaturalem, per commune auxilium, nempe per habitum gratiæ sanctificantis in ipsa voluntate tanquam in subjecto immediato præcipuè residentem: igitur nullô ad id speciali auxiliô opus habebat.

SECTIO QUARTA.

De Divisione gratiæ actualis in Operantem & Cooperantem: Prævenientem & Subsequentem: Excitantem & Adjuvantem.

§. I.

De Gratia OPERANTE *&* COOPERANTE.

I. Quid sit Gratia operans & cooperans.

GRATIAM actualem in *Operantem* & *Cooperantem* meritò distribuit sanctus Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. his verbis; » Deus cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus ad Philipp. 1. Certus sum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: Ut ergo velimus sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus dictum est ad Philip. 2. *Deus est enim, qui operatur in nobis & velle & perficere*: Et de cooperante illo cùm jam volumus, & volendo facimus: *Scimus*, inquit, Rom. 8. *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.

II. Utraque ex Scriptura colligitur.

Ex quibus licet inferre: *Primùm*, quidem gratiam rectè dividi in operantem & cooperantem; hæc enim divisio fundamentum habet in Scriptura A sacra, quæ gratiam sub utraque appellatione operationis & cooperationis commendat. Gratia enim operans commendatur Isaiæ 26. his verbis: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: Et Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*. Et 1. ad Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*. Cooperans verò laudatur Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Et Marci ultimô: *Domino cooperante & sermonem confirmante, &c.* Et 1. ad Cor. 15. *Abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum*. Utramque etiam gratiam insinuat Concilium Arausicanum Can. 9. his verbis. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*: Et Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait, Deum suâ gratiâ B nos prævenire & excitare, deinde nobiscum ut ad eum convertamur operari; quorum prius ad gratiam operantem; posterius ad cooperantem pertinet.

III. Utriusque definitio expenditur.

Colligitur 2. utriusque gratiæ definitio: nam *gratia operans* ex sancto Augustino *est ea, per quam Deus ut velimus operatur incipiens*; qualis verò sit ille motus, quem Deus operator incipiens, declarat paulò post, dum ait: *Ut velimus*, inquit, *sine nobis operatur*; hinc enim concludere licet gratiam operantem esse motum primum & indeliberatum, vel intellectûs, vel voluntatis, quem Deus in nobis sine nobis efficit, ut scilicet C & bene velimus & agamus.

Iste autem motus in nobis sine nobis dicitur fieri; non quòd intellectus & voluntas in hunc motum nullatenus influant; nam (ut diximus in præludiis:) nullus actus vitalis in potentia vitali producitur de via ordinaria sine physico illius potentiæ influxu: sed is motus dicitur fieri in nobis sine nobis, quia liberè ad eum non concurrimus, eô scilicet sensu, quô malum concupiscentiæ quod patiebatur dolens Apostolus, dixit non se, sed quod habitabat in illo peccatum operatum fuisse.

Gratia verò *cooperans* definitur ab eodem S. Augustino: *Per quam Deus volentibus cooperatur* D *perficiens*: sive per quam Deus cùm volumus & sic volumus ut faciamus nobiscum cooperatur. Unde sequitur gratiam cooperantem esse concursum Dei supernaturalem, quô ad omnes actus supernaturales & liberos concurrit: sive illi fiant à voluntate vel imperante, vel exequente; sive ab aliis potentiis ex imperio voluntatis supernaturaliter agentibus: sive adhuc sit infirma voluntas, sive fortis & firma.

IV. Ratio Gratiæ operantis & cooperantis magis convenit Gratiæ actuali quàm habituali.

Colligitur 3. quòd quamvis hæc divisio gratiæ in operantem & cooperantem extendi possit ad gratiam habitualem; magis tamen propriè & communiter tribuitur gratiæ actuali. Cujus quidem assertionis prior pars suadetur; nempe quòd illa divisio adaptari possit gratiæ habituali, ratione videlicet duplicis illius effectûs, quorum alE ter est afficere subjectum illudque reddere formaliter gratum Deo; alter verò est esse causam efficientem operis meritorii. *Ratione prioris* gratia habitualis dici potest operans: Ratione verò posterioris dici potest cooperans; quia priorem effectum sola ipsa gratia operatur; non quidem effectivè, sed formaliter, eô modô quô albedo dicitur facere superficiem albam: *Ratione* verò *posterioris* dici potest cooperans, sive simul cum homine operans, quia gratia non producit opus meritorium se solâ, sed cum libero arbitrio & liberæ voluntatis concursu, quæ respectu illius

operis meritorii non se habet tantùm per modum moti, sed etiam per modum moventis & efficientis.

Magis tamen propriè, magisque communiter hæc divisio tribuitur gratiæ actuali; quia tam sanctus Augustinus (ex quo divisio illa desumitur) quàm Scriptura sacra in qua fundamentum habet, omnino videntur loqui de gratia actuali; siquidem sanctus Augustinus de ea gratia sermonem instituit, de qua ipsi lis erat cum Pelagianis: at hæc non erat alia ab actuali; quia de habituali conveniebant.

Nec refert quòd S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 13. gratiam cooperantem appellet gratiam *sanantem*, quod videtur esse proprium gratiæ habituali: nam *sanare* non solùm gratiæ habituali, sed etiam actuali convenit saltem inchoativè.

Colligitur 4. omissis variis Recentiorum sententiis, gratiam *operantem* apud sanctum Augustinum, ut rectè colligit Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 14. eam dici, quæ primam bonam voluntatem deliberatam sola operatur in homine, qualis est conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive ab aliis peccatis ad pœnitentiam: *cooperantem* verò eam esse, quæ homini jam volenti conantique cooperatur augendo, roborandoque voluntatem, ut efficiat, & perficiat quod vult atque conatur: Ita quòd gratia operans sit ea, quæ sola bonam voluntatem in hominibus operatur, seu quam Deus operatur in nobis sine nobis: cooperans verò, quæ operatur aliquid in nobis, non sola, sed nobis simul cooperantibus.

V. Qualiter utraque gratia in nobis operetur.

Gratiam autem operantem *solam in nobis operari*, nihil est aliud quàm operari nullâ prævià nostrâ voluntate, quâ petamus, quæramus, desideremus, pulsemus, atque adeo nihil boni meriti, ad illam bonam voluntatem tanquam mercedem afferendo: non verò quasi homo non simul in illam bonam voluntatem influat; nam actus vitalis ordinariè non fit, nisi cum influxu vitalis potentiæ. Gratiam autem *cooperantem* non solam in nobis operari, idem est ac non operari, nisi suppositò prævio influxu voluntatis, quò pulsaverimus, desideraverimus, aut aliquid simile fecerimus. Unò verbò gratia dicitur operans, quæ includit prævium influxum voluntatis, non simultaneum; gratia verò cooperans quæ includit simultaneum, & supponit prævium voluntatis influxum.

Itaque omnes illi motus supernaturales, quos Deus in nobis sine nobis liberè concurrentibus efficit, ad gratiam operantem pertinent, sive per eos ad primam bonam voluntatem, per quam incipimus converti, excitemur; sive provocemur ad bonam voluntatem, per quam in gratia jam accepta vel perseverare volumus, vel actu perseveramus.

Neque enim audiendi sunt Recentiores nonnulli, qui gratiam operantem restringunt ad solam gratiam actualem, quæ primam bonam voluntatem in homine operatur: *Tum quia* definitio allata à sancto Augustino convenit etiam his motibus, quibus Deus hominem justum ad opera pietatis invitat; hi enim motus fiunt in nobis etiam dum justi sumus: *Tum quia* eodem capite sanctus Augustinus ait, sine Deo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona opera pietatis nihil valemus: ergo nullum pietatis opus ab homine justo fieri potest, nisi Deus operetur ut velit & volenti cooperetur. *Tum*

A *denique*, quia idem sanctus Augustinus lib. de correp. & gratia cap. 11. ait: *Esse in nobis per hanc Dei gratiam* (operantem scilicet) *in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.*

VI. Gratia operans à cooperante videtur distingui realiter.

Petes, an gratia operans à cooperante realiter distinguatur?

Respondeo id probabiliùs videri: *Primò*, quia gratia operans nihil est aliud, quàm subitus & indeliberatus motus intellectûs, & voluntatis, quò homo excitatur ad bonum: cooperans verò est motus divinus per quem voluntas priori motui liberè acquiescit: atqui motus isti sunt actus realiter distincti. *Secundò* quia operans interdum se-
B paratur à cooperante, putà cùm inspirationi Dei homo resistit, sicut ostendemus infrà: ergo gratia operans realiter distinguitur à cooperante. *Tertiò*, quia gratia cooperans in potestate nostra est; operans verò nequaquam.

§. II.

De divisione gratiæ in PRÆVENIENTEM *&* SUBSEQUENTEM.

VII. Quid sit Gratia preveniens & subsequens.

HAnc divisionem commendat David Psal. 58. dicens: *Misericordia ejus præveniet me.* Et ibidem: *Misericordia ejus subsequetur me.* Utriusque etiam meminit Ecclesia in Collecta Dominicæ 16. post Pentecosten, his verbis: *Tuanos quæ-*
C *sumus, Domine, gratia semper præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Eandem tradit sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 32. ubi ait: *Prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur: prævenit ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur.* Et lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Si enim sine illo nihil possumus facere*, inquit, *profectò nec incipere nec perficere; quia ut incipiamus dictum est*, MISERICORDIA ejus PRÆVENIET ME; *ut perficiamus, dictum est*, MISERICORDIA ejus *subsequetur me.*

VIII. Utraque considera-tur vel in ordine ad volunta-tem.

Notandum est autem (ut jam præmonuimus in præludiis nu. 11.) gratiam prævenientem & subsequentem à sancto Augustino considerari posse vel per respectum *ad voluntatem*, vel per respectum *ad*
D *seipsas*. Per respectum quidem ad voluntatem, sive ad liberum hominis consensum; idque iterum duobus modis: *Primò* quidem ita ut gratia præveniens ea dicatur, quæ liberam hominis voluntatem, & præcedit & comitatur; subsequens verò quæ eandem hominis voluntatem sequitur. De gratia præveniente & subsequente eo sensu loquitur S. Augustinus pluribus in locis; sed clarissimè in Enchiridio cap. 3. *Præcedit*, inquit, *bona voluntas hominis multa Dei bona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. nam utrumque legitur in sacris eloquiis & misericordia* ejus PRÆVENIET ME, *& misericordia* ejus SUBSEQUETUR ME: *nolentem prævenit ut velit, volentem sequitur ne frustrà velit.* Sic pariter utram-
E que gratiam usurpat sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum; Ipse, inquit, gratis donat indigno gratiam, ut præveniente misericordiâ bonum velle incipiat, & subsequente misericordia, bonum quod vult facere valeat.

Secundò, respectivè ad eandem voluntatem utraque gratia sumitur aliò modò; ita quòd *præveniens* dicatur, quæ antecedit voluntatem bonam, nec dum tamen sit ipsa voluntas bona: sic eam usurpavit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi ait, virtutem bonam, quam Christus Jesus in justificatos jugiter influit, bona eorum

opera ſemper antecedere, comitari & ſubſequi; hinc gratia antecedens ſive præveniens non ſolùm dicitur reſpectu primæ bonæ voluntatis, quâ peccatores incipiunt ad Deum converti (ut volunt aliqui Recentiores:) ſed etiam reſpectu primæ bonæ voluntatis, quam juſtificati concipiunt de operibus bonis faciendis; onde ſanctus Auguſtinus lib. 2. contra 2. Epiſtolam Pelagii, ait: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum; quoniam miſericordia ejus præveniet me, & ipſe eſt cui fideliter veraciterque cantatur. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Quibus verbis ſignificat gratiam prævenientem eam appellari, quæ voluntatem humanam ad quodlibet opus bonum faciendum prævenit & excitat.

Vel in ordine ad ſeipſam.

Sumitur etiam gratia præveniens & ſubſequens reſpectivè *ad ſeipſum*; ita ut gratia præveniens ſit prima gratia, quâ ad bonum excitamur: ſubſequens verò quælibet gratia, quæ primam illam ſequitur. Sic utramque gratiam ſumpſit ſanctus Auguſtinus, lib. de natura & gratia, cap. 31. vel 32. Miſericordia ejus, inquit, prævenit nos: prævenit autem ut ſanemur, quia hæc ſubſequitur, ut etiam ſanati vegetemur: prævenit ut vocemur, ſubſequitur ut glorificemur: prævenit ut piè vivamus, ſubſequitur ut cum illo ſemper vivamus. Hinc nonnulli colligunt quinque eſſe effectus gratiæ: Primus eſt ut anima ſanetur ab infirmitate: ſecundus ut bonum velit: tertius ut bonum quod vult efficaciter operetur: quartus ut in bono perſeveret: quintus ut fœliciter ad gloriam æternam perveniat. Hinc ſanctus Bernardus lib. de diligendo Deo ipſum alloquens, dicit: *Hoc valde mirum quod nemo te quærere valet, niſi qui prius invenerit. Vis igitur inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris, potes enim quæri & inveniri, ſed non præveniri.*

IX. Quomodo gratia tam actualis quàm habitualis, dicatur præveniens & ſubſequens.

Petes utrum gratia habitualis, an actualis hîc dividatur?

Reſpondeo hanc diviſionem extendi poſſe ad gratiam habitualem, quatenus præveniens & ſubſequens conſiderantur reſpectivè ad ſeipſas, ita ut gratia habitualis prima dicatur præveniens reſpectu ſecundæ; & ſecunda ſubſequens reſpectu ipſius primæ. *Secundò*, in quantùm gratiæ habitualis unius ejuſdemque varii ſunt effectus, nimirum reddere hominem gratum Deo & conſtituere illum potentem ad actus meritorios eliciendos: ita ut præveniens dicatur in quantùm hominem gratum Deo conſtituit; & ſubſequens inquantùm dat illi virtutem ad meritoriè operandum. *Tertiò*, reſpectivè ad gloriam, gratia habitualis, quæ eſt in via, dici poteſt præveniens, & gratia habitualis quæ manet in patria, poteſt ſubſequens appellari: propriè tamen hîc gratia, actualis dividitur propter rationes in ſuperiori Paragrapho aſſignatas.

Petes 2. An illa diviſio ſit adæquata?

Reſpondeo primò, ſi gratia præveniens & ſubſequens conſiderentur reſpectivè ad ſeipſas, diviſionem ſuprà dictam adæquatam eſſe; quia quælibet actualis gratia, vel eſt illa prima gratia, quâ Deus animam illuminat pièque afficit; vel eſt gratia, quæ iſtam gratiam conſequitur.

Reſpondeo ſecundò quòd ſi ſpectetur gratia tum præveniens, tum ſubſequens, prout utraque diſtinguitur à gratia comitante voluntatem, diviſio gratiæ in prævenientem & ſubſequentem non eſt adæquata; nam præter illas admittenda eſt etiam gratia concomitans, quæ voluntatem jam divinâ gratiâ præventam adjuvat, ut opus impleat.

§. III.

De diviſione Gratiæ in EXCITANTEM *&* ADJUVANTEM.

X. Gratia Excitans & Adjuvans colligitur ex Scriptura ſacra.

DIviſio hæc fundamentum habet in Scriptura ſacra. Sic Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Epheſ. 2. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et Pſal. 118. *Adjuva me & ſalvus ero.* In Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. *Ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe diſponantur.* Idem habet c. 6. Item in orationibus Eccleſiæ: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere:* hanc gratiæ diviſionem ſimiliter commendat ſanctus Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus*, inquit, *niſi ipſo excitante & adjuvante non poſſumus.*

Quid ſit utraque.

Hinc gratia *excitans* apud ſanctum Auguſtinum ea eſt, quæ peccatorem excitat ut ſurgat, vel ab infidelitate, vel a peccato mortali, & moveatur de malo in bonum; vel juſtum non operantem, ut ad opus bonum ſeſe accingat. *Adjuvans* verò ea eſt quæ voluntatem jam converſam, & ad bonum opus paratam adjuvat ad volendum & faciendum. Quod luculenter declarat ſanctus Fulgentius, lib. 2. de veritate prædeſtinationis: *Prævenit*, inquit, *miſericordia liberum hominis arbitrium, dum in nondum bene volente ſola operatur exordium bonæ voluntatis: ſubſequitur dum bene volenti ſubminiſtrat auxilium, ut bene operando perveniat ad bonæ voluntatis affectum.*

XI. A præveniente & ſubſequente diſtinguuntur penes ſola munia.

Quapropter in mente ſancti Auguſtini & ejus Diſcipulorum, nihil eſt diſcriminis inter gratiam excitantem & prævenientem, adjuvantem & ſubſequentem, niſi penes diverſa officia; ita quòd eadem gratia ut prævenit voluntatem dicatur etiam excitans: ut eandem adjuvat ad opus, etiam adjuvans appelletur. Unde ſanctus Auguſtinus in Pſal. 52. *Non ego propria ex ſurrexi ad te voluntate: ſed tu ad me excitandum veniſti: nam miſericordia ejus præveniet me.* Et lib. de libero arbitrio cap. 17. has omnes gratias ſimul complectitur, dicens: *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Quod etiam probat ex illo ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate ſua.*

QUÆRES, *an gratia excitans etiam dividi poſſit in* congruam *&* non congruam?

XII. Reſpuitur diviſio gratiæ in congruam & non congruam.

AFfirmat Vaſquez 1. 2. *diſp.* 185. cui nonnulli Recentiores adſtipulantur. Verùm reclamant cæteri Theologi, eamque ſententiam Catholicis Doctoribus indignam abſolutè pronunciant. *Primò*, quia Deum crudelem eſſe: *Præterea* ipſum peccatoribus illudentem. *Denique* in Scripturis ſacris fallentem denuntiat.

Quia inducit Deum crudeliter ſævientem.

Primum patet, quia aperta videtur crudelitas æternos minari & inferre cruciatus his qui non convertuntur, in quorum tamen poteſtate non fuit illa converſio, utpote qui congruas gratias non habuerint; ſiquidem per gratias congruas intelligit Vaſquez quas Deus ea in occaſione,

eôqne tempore largitur, quando novit hominem eis consensurum: secus verò de gratiis incongruis, quæ eâdem oppurtunitate & hominis dispositione nun conferuntur: Igitur illa sententia in Dei bonitatem & paternam clementiam justè ac suaviter umnia dispunentem, apertè pugnat.

2. Peccatoribus illudentem. *Secundum* eriam ostenditur, quia variis sacræ Scripturæ textibus constat Deum omnes vocare ad pœnitentiam, velle omnes homines salvos fieri, &c. quod sane prutsus illusorium esset, si Deus non conferret gratiam congruam, per quam duntaxat homines eunverti pussent & salvari.

3. Falsa loquentem. *Tertium* denique patet; nam Scriptura sacra Deum introducit Israëlitas, & in eorum persona umnes prævaricatores alloquentem iis verbis Isaïæ: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quæru enim an illis collara fuerit gratia congrua nec-ne? Si collata fuit, quomodu non sunt conversi, cùm gratia cungrua semper sortiatur effectum? si collata non fuit, certè non fecit Deus vineæ suæ quidquid debuit: nec justè de illorum perduellione cunquereretur; nam reponere pussent quòd si dedisset illis gratiam cungruam, sicut & aliis, procul dubiù credidissent & pœnitentiam egissent.

4. Quia gratia non congrua, non est gratia. *Hic adde* quòd gratia *non congrua*, nun mereatur surtiri gratiæ nomen; quænam est enim illa gratia, quæ nullum habet effectum, nullum favurem præbet; quæve sulùm ad id conceditur, ut homines magis reos constituat? *Insuper* repugnat ista graria communi sententiæ Patrum, qui carentiam effectûs conversionis refundunt in solam pravam vuluntatem peccatoris, juxta illud Osee 13. *Perditio tua ex te Israël.* Docent insuper Deum sincerissimè nubiscum agere, & umnibus offerre gratiam, quâ possumus & deberemus cunverti: hocque illustrant exemplô solis ex æquu homines illuminantis. Ita præsertim *Origenes* lib. 3. Periarchon cap. 1. *Chrysostomus* homiliâ 7. in 1. cap. Joannis, *Theodoretus* q. 12. in Exodum.

Igitur asserendum est nullam esse gratiam incongruam: sed omnem planè gratiam excitantem esse congruentissimam ex parte Dei, & ex ejus intentione, quia eâ ratiune nos vocat semper ut cunsentiamus, & vocat modô congruentiori, quô potest. Stat enim ad ostium & pulsat, omniumque quasi expectat & explorat ingenia, temperamentum, mores & propensiones, ut juxta varias uniuscujusque nostrum dispusitiones & affectiones, etiam variam gratiam largiatur, quâ si velimus, possimus in ipsum converti. Contingit tamen plerumque, ut contra omnes mudos gratiæ vocantis etiam cungruissimæ mens obdurescat, ut patet in Judæis, quibus cum Christus Dominus tandiu conversatus est, missus quippe putissimùm fuerat ad oves quæ perierant domûs Israël; nihilominus fuerunt rebelles lumini, & Spiritui sancto restiterunt.

XIII. Quidquid contendat Vasquez. *Objicit* Vasquez nonnullas sancti Augustini sententias, maximè verò id quud sanctissimus Doctor habet lib. ad Simplicianum quæst. 2. ubi loquens *de gratia congrua*, sic ait: *An fortè illi qui hoc modò vocati non consentiunt, possent aliô modo vocati accommodare voluntatem fidei? & ut illud verum sit, multi* VOCATI PAUCI ELECTI, *ut quamvis multi unò modô vocati sint, tamen quia non omnes unò modô affecti sunt, illi soli vocationem sequantur, qui ei capienda reperiuntur idonei. Verum est quia* MULTI VOCATI, PAUCI VERÒ ELECTI; *illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non sequuti quamvis vocati.* Et infrà: *Quare etsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est ut sequantur.* Et iterum: *Cujus autem miseretur, sic eum vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Ita S. Doctor.* Hæc sunt præcipua testimonia quæ profert Vasquez, pru asserenda gratia cungrua.

Pru gratia autem *non congrua* pruferri possunt quæ paulù infrà ibidem dicit sanctus Augustinus: *Quare si vellet*, inquit, *etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent & sequerentur.* Et longè infrà: *Hic dicet aliquis, Cur ergo Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire?* Post multa respondendo subjungit: *Quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Iacob justificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos obdurescat mentis aversio. Quæritur etiam utrum de divina pœna sit ipsa duritia? Cùm enim Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest quis etiam si dicat modum quo ei persuaderetur ut crederer etiam omnipotenti defuisse?* Tandem concludit; non defuisse; attamen ipsum modum denegasse Esaü: quia *cui vult & miseretur, quem vult indurat*, neque propterea esse iniquitatem apud Deum. Quis autem non videat, inquit, iniquitatis argui neminem posse qui quod sibi debetur exegerit, nec eum certè qui quud ei debetur dunare voluerit. Quibus significat non injustè quibusdam denegari gratiam congruam, quia omnes ejus indigni sumus ratione peccati originalis.

Respondeo 1. sanctum Augustinum præfatis verbis, quæstionem nun tam definire, quàm ventilare; quippe nil resoluturiè & affirmativè profert.

Respondeo 2. illum valde obscurè luqui, nec ibidem videtur agere de gratia vocante interna, de qua sermonem instituimus; sed de externa: *Videmus enim*, inquit, *alios aliter demonstratis iisdem rebus vel significantibus ad credendum moveri.* Hinc profert miracula quæ post resurrectionem Christus patravit, quibus alii crediderunt alii non: profert & cicatrices quibus discipulum infidelem, vel saltem in fide titubantem ad fidem reduxit; quæ omnia ut apparet, non tam ad internam, quàm ad externam gratiam pertinent.

XIV. Cujus fundamenta convelluntur. *Respondeo* 3. sanctum Augustinum ibidem, videri refundere non congruitatem gratiæ, potius in obstinationem mentis & defectum vuluntatis, quàm in Deum ipsum: *Multi vocati*, inquit, *pauci verò electi: utique illi qui vocantem non contempserunt, sed credendo sequuti sunt.* Et infrà: *Non electi, quia non sequuti.* Et iterum: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutoriô pervenisset, qui ei etiam velle & currere præstaret vocando, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Quibus verbis apertè significat defectum conversionis & salutis, non gratiæ inefficacitati; sed voluntatis rebelliuni esse tribuendum.

XV. S. Augustinus docet duos homi- *His addo* nun esse judicandum de intentiune alicujus Authoris, ex aliqua particula illius doctrinæ: sed ejus mens spectanda est præcipuè ex aliis locis, inquibus difficultatem & quæstionem expresse

nes eadem gratiâ adjutos, unum posse consentire, & alterum dissentire.

expressè tractat: Certum est autem sanctum Augustinum aliud alibi sentire; maximè lib. 12. de Civitate Dei cap. 6. ubi ita loquitur: *Si enim aliqui æqualiter affecti in animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, in voluntate pudica alter perseveret, quid putas esse causam?* Deinde profert varias causas, quas variì possent afferre, contra quos tamen concludit: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alium noluisse à castitate deficere:* Et lib. de Prædestinatione Sanctorum sermonem faciens de Pharaone, & Nabuchodonosore, quorum fines diversi fuerunt, ita loquitur: *Quantùm ad naturam, ambo homines erant; quantùm ad conditionem, ambo Reges erant; quantùm ad causam, ambo populum Dei captivum persequentes; quantùm ad pœnam, ambo flagellis Dei clementer admoniti: quid ergo fecit fines eorum esse diversos, nisi quòd unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ infirmitatis ingemuit; alter liberò contra misericordissimam bonitatem pugnavit arbitriò?* Quibus verbis indicat sanctus Augustinus auxilia fuisse omnino paria ex parte Dei: & diversitatem finium harum rerum esse repetendam ex eorumdem libertate.

SECTIO QUINTA.

De divisione Gratiæ operantis in Sufficientem & Efficacem.

QUANQUAM præsens gratiæ distributio gravissimæ non ita pridem inter Doctores Catholicos divisionis ac disputationis fomes & seminarium fuerit; nihilominus, quoniam imperante ventis Christô Dominô per Ecclesiæ Præsules, sedata est hæc tempestas, & facta per universam Ecclesiam tranquillitas magna: idcirco duntaxat res nobis erit adversus ipsius Ecclesiæ hostes infensissimos Calvinistas, quorum antesignanus præsentem gratiæ divisionem non irridet solùm, sed acerrimè impugnat. Nam lib. 2. Instit. cap. 3. num. 11. cùm dixisset, voluntatem nostram moveri à Deo: *Non qualiter*, inquit, *multis sæculis creditum est & traditum, ut nostra posteà sit electionis motioni Dei aut obtemperare, aut repugnare: sed illam efficaciter afficiendo:* subdit insolentissimè. *Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: Quem trahit, volentem trahit: quò insinuat Dominum porrectâ tantùm manu expectare, an suô auxiliô juvari allubescat.* Igitur adversus hunc vesanum SS. Patrum oblocutorem, & Catholicæ doctrinæ detrectatorem, nobis pugnandum erit in sequentibus §§. demonstrandumque Primò, quid significet gratiæ sufficientis nomen, quæve sit illius energia: Secundò, quòd illa gratia necessariò sit admittenda: Tertiò, quòd omnibus adultis conferatur: Quartò denique, quòd ipsis etiam parvulis ante adultam ætatem ex hac vita migrantibus non denegetur auxilium sufficiens ad salutem.

§. I.

Quid sit Gratia Sufficiens, quidque hôc nomine significetur?

I. Quid significet nomen gratiæ sufficientis.

NE propter vocis ambiguitatem fiat æquivocatio, aut hallucinatio, advertendum est Gratiam Sufficientem, vel generatim, vel speciatim posse accipi. *Generatim* quidem sumpta, dicitur auxilium præter naturæ debitum divinitùs concessum, conferens potentiam agendi supernaturaliter quomodocumque, hoc est, declinabiliter, vel indeclinabiliter; quô sensu etiam gratia efficax dicitur sufficiens 2. ad Cor. 12. *Sufficit tibi* (Paule) *gratia mea.* Quidquid enim est efficax, censetur etiam sufficiens; quia non potest causâ efficienter operari, nisi sit sufficiens ad operandum eô modô quô causa est. *Speciatim* verò gratia sufficiens, prout ab efficaci distinguitur, rectè definitur ex Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 4. *Interna motio & excitatio à Deo immissa, cui liberum arbitrium potest dissentire si velit.*

Conveniunt autem gratia Sufficiens & Efficax, quod utraque non solùm det posse agere, & conferat potestatem ad operandum, sed etiam ordinentur ad ipsam operationem ex intentione Dei: non enim probare possum, id quod quidam affirmant; nempe gratiam sufficientem ordinari duntaxat ad potentiam operandi, non autem ad operationem ipsam, ut sentire videtur Bellarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 11. Enimverò gratia sufficiens in eo convenit cum efficaci, quòd utraque ordinetur ad actum; ab ea verò discrepat, quòd efficax semper habeat annexum sibi consensum voluntatis, sufficiens verò plerumque non sortiatur effectum: quod utique non provenit ex aliquo defectu virtutis, sed præsertim ex reluctatione & negligentia voluntatis, ut colligitur ex Concilio Trid. sess. 6. can. 11. ubi legimus: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quibus verbis Concilium statuit hominem excitatum moveri à Deo, ut faciat quod possit, hoc est, ut potentiam quam habet bene operandi, per gratiam sufficientem reducat ad opus: igitur Concilium censet gratiam sufficientem non tantùm ordinari ad potentiam operandi, sed etiam ad operationem ipsam. II. Qualiter cum efficaci conveniat & ab ea discrepet.

Suffragantur etiam rationes. *Primò*, quia omnis forma activa constituens potentiam in actu primo respicit immediatè actum secundum, ad quem ordinat potentiam quam perficit: sed gratia sufficiens est forma supernaturalis activa constituens nostram voluntatem, nostrumque intellectum in actu primo: ergo immediatè respicit actum secundum ad quem illas facultates ordinat: igitur gratia sufficiens non modò potentiam operandi, sed etiam operationem respicit. III. Gratia sufficiens ordinatur non solùm ad potentiam, sed etiam ad actum.

Deinde, Illud communi consensu censetur sufficiens quod excludit necessitatem cujuscumque alterius: ergo gratia ut verè sit sufficiens, debet excludere necessitatem alterius auxilii ad actum eliciendum.

Denique, Deus non præcipit, neque exigit à nobis solùm posse bene operari, quoties suâ gratiâ præveniente nos excitat: sed præcipit & exigit bene operari de facto: igitur omnis gratia excitans, quæcumque illa sit, datur à Deo, ut de facto bene operemur si velimus. Unde homini habenti gratiam sufficientem, nihil plane deest ex parte principii activi seu gratiæ, sed tantùm, ut diximus, ex parte reductionis principii activi ad actum; reductio autem illa fit per consensum liberi arbitrii: concludendum est igitur gratiam sufficientem eam esse quæ confert & posse, & operari si velimus: nam nulla est quæ conferat tantùm posse, & non operari, aliàs non esset sufficiens, imò nec gratia, utpote cùm foret frustraneum auxilium, si ad operationem ipsam non ordinaretur.

Dices. Sanctus Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 16. ait: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filii sui, non eâ vocatione, quâ vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias: illâ quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & Gentes quibus Christus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare se Dei virtutem & Dei sapientiam: sic enim ait,* IPSIS AUTEM VOCATIS: *ut illos ostenderet non vocatos; sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt.* Quibus verbis sanctus Augustinus duplicem videtur distinguere vocationem: unam quâ vocantur prædestinati, quæ non solùm ad potentiam, sed & ad actum ordinatur; eaque ex se est efficax: alteram verò quâ vocantur reprobi, quæ ex se quidem est sufficiens, sed non efficax: igitur censet gratiam sufficientem ex se non habere energiam & conferre virtutem ad opus.

Nego consequentiam: Licèt enim vocatis secundùm propositum Deus conferat gratiam quandam excitantem, specialem & singularem; quia prævidet eos gratiæ consensuros & vocationi non defuturos; quos autem tales futuros prævidet, ardentiùs amat & majoribus auxiliis prosequitur: inde tamen non sequitur quòd cæteris tantùm conferat gratiam inefficacem, & non congruam. *His adde* quòd etiam sunt aliqui eximiè prædestinati, quibus datur vocatio specialis, ut Apostolis, maximè sanctis Paulo, Mathiæ, &c.

IV. Auxilium collatum ad operationem intelligitur dupliciter. Ut autem res ipsa pateat evidentiùs, & exactiùs declaretur, *Observandum* est quòd cùm dicitur, *auxilium sufficiens dari homini, ut possit operari*, duo ibi sunt distinguenda. *Unum* est, id videlicet quod formaliter datur per auxilium: *aliud* verò, id quod est quasi terminus seu finis talis auxilii. Quod formaliter datur per auxilium sufficiens, est *posse*: terminus autem seu finis propter quem datur, est *velle* seu *perficere*. Cùm ergo dicitur *auxilium sufficiens dari propter posse*, illa assertio *vel* est de formali effectu auxilii; datur enim ut hominem constituat simpliciter potentem ad volendum; vel de fine propter quem datur: si autem intelligatur de fine seu termino propter quem datur, hæc expressio est falsa; nam potentia non datur propter posse tanquam propter ultimum terminum, sed propter operari: sic ergo auxilium sufficiens non solùm est ad posse, sed etiam ad operari: & ideo ut reverà sit sufficiens, non tantùm debet dare sufficientiam ad posse, sed etiam ad operari; ideo non potest dari primum sine secundo; nam potentia non potest simpliciter aliquem constituere potentem in aliquo genere, nisi in illo sit ad ipsum sufficiens. Neque S. Augustinus in eo sensu distinxit inter auxilium ad posse & ad velle, quòd unum est sufficiens ad actum & non aliud: sed quòd unum habeat actum conjunctum & non aliud. Potest autem esse sufficiens ad actum, & non habere illum conjunctum ob libertatem operantis.

Confirmatur hæc doctrina per sanctum Augustinum librô de Correptione & Gratia cap. 12. ubi distinguit duplex adjutorium, unum sufficiens & aliud deficiens: sufficiens tamen indicat non dari duntaxat propter potentiam operandi, sed etiam propter operationem; modò scilicet accedat consensus nostræ voluntatis; ait enim: *Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit* (quibus significat adjutorium sufficiens) *aliud est adjutorium quô aliquid fit* (quibus denotat adjutorium efficax seu efficiens) *nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta fit, ut qui mori voluerit vivat; ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit ut vivamus.* Quibus verbis sanctus Augustinus declarat gratiæ sufficienti nihil prorsus deesse, quô fieri possit bonum, præter consensum voluntatis, qui non complet equidem virtutem activam ejusdem voluntatis, sed reducendo illam ad actum, inde fit ut bene operemur. Itaque gratia sufficiens datur à Deo ad posse operari de facto tanquam ad terminum & finem, quô fine si frustratur, id non in Dei intentionem, sed in nostræ voluntatis vecordiam & perduellionem referendum est. Unde quòd gratia sufficiens interdum non producat effectum, non est sterilitatis innatæ, sed voluntatis perversæ.

§. II.

Datur Gratia Sufficiens cui humana voluntas interdum reluctatur.

PRobatur 1. hæc assertio illis omnibus Scripturæ, Conciliorum, & sanctorum Patrum oraculis, quibus in superiori Sectione probatum est, gratiam medicinalem à gratia sanitatis in eo non discrepare, quòd (ut volunt hæretici) hæc liberam omnimodè sineret voluntatem hominis innocentis; illa verò hominis lapsi voluntatem ita necessariò rapiat & impellat, ut ei nullatenus possit reluctari. Verùm quoniam hæretici hæc sacra præsidia suis cavillationibus & falsis interpretationibus ac responsis, nobis elevare tentant, hinc placet aliquos eorum sacrorum textus hîc repetere; unà cum erroneis adversariorum replicis, & illarum præclusionibus. Ne autem longior sim, omissis variis textibus qui proferri possent ex veteri Testamento, unum aut alterum duntaxat ex novo proferam & expendam.

V. Probatur gratia sufficiens ex Scripturâ S. Primus textus est Matth. 11. v. 20. 21. *Tunc cœpit exprobare civitatibus in quibus facta sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tiro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Ex his Christus D. exprobat Corozaitis, quod non egerint pœnitentiam ad aspectum tot miraculorum: ergo reverà pœnitentiam agere non tantùm remotè, sed & proximè potuerunt; ut enim exprobatio Christi valida sit, quæ certè est validissima, necesse est, ut quemadmodum Tirii, Sidoniique visis Christi miraculis non modò remotè, sed & proximè doluissent; ita Corozaïtæ iisdem instructi præsidiis pœnitentiam agere potuissent. Priores enim, hoc est Tirii, reverà fuissent dolore compuncti ex oraculo jam citato: ergo posteriores, videlicet Bethsaitæ, compungi proximè potuerunt; aliàs nulla vis in Christi paritate, nullumque robur extitisset: si enim illi proximè, hi remotè tantùm potuêre, cur hi severiùs, illi remissiùs, ut vult Christus D. *ibidem, versu* 12. in judicio punirentur? *Veruntamen dico vobis: Tiro & Sidoni remissius erit in die judicii quàm vobis?* An qui plus potuit, leviores; qui verò minùs, graviores pœnas daturus est? Atqui nemo pœnitentiam illam salutarem, (de qua Christus loquitur) agit aut agere potest, ex vi gratiæ tantùm

exterioris: qui enim hoc assereret, Pelagii errore notaretur. Potuerunt igitur Corozaitæ, ut & Sidonii ex vi gratiæ interioris pœnitentiam agere. Certum est autem hujusmodi homines non egisse pœnitentiam, ad quam intrinsecus impellebantur: ergo repulerunt illam interiorem pœnitentiæ gratiam per Christum oblatam: hujusmodi autem gratiam quæ repellitur, nos sufficientem vocamus: igitur est admittenda.

Repones 1. quòd quando dicitur, quòd factis virtutibus istis in Tiro & Sidone conversi fuissent urbium earum incolæ, vel sensus est quòd Deus convertisset illos ex gratia interiori necessaria, quam ipsis largitus fuisset, faciendo coram eis signa, quemadmodum contulit habitatoribus Bethsaidæ & Chorosaidæ, dum coram illis ista signa faciebat: vel sensus est, quòd Deus convertisset illos ex gratia, quam habebant independenter ab istis signis, & quæ ad præsentiam eorum suum operata fuissent effectum: Si primum; ergo verum est quòd Tirii & Sidonii non habuerunt gratiam necessariam ad conversionem; nihilominus tamen damnati sunt: si secundum, nihil præfatum nostrum argumentum evincit; nam deberet probare & non supponere, quod eadem gratia fuisset in Tiriis & Sidoniis, quæ in habitatoribus Chorosaim.

VI. Quâ ratione Tirii & Sidonii potuerint cõverti quâ vis signa & miracula Christi non viderint.

Contrà. Hæc responsio prorsus inanis est, nec ullatenus præfati argumenti vim infringit; falsò namque concludit ex eo quòd Tirii & Sidonii non viderint signa, quæ Christus operabatur in civitatibus Chorosaim & Bethsaida, nec habuerint gratias illas, quæ sufficienter ad intuitum illorum signorum voluntatem spectantium moverent ad pœnitentiam; inde sequi quòd non habuerint aliunde gratias sufficientes ad suam conversionem; siquidem Deus qui omnes homines vult salvos fieri & neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam converti, etiam facit solem suum justitiæ oriri super bonos & malos; quippe illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & pluit imbrem gratiæ super justos & injustos.

Reponet 2. quòd in illa Christi querimonia agitur tantùm de gratia exteriori & miraculorum, expressa per hanc vocem *virtutes*, dicique à Christo Domino quòd Tirii & Sidonii fuissent conversi, si hæc signa vidissent, quæ facta sunt in Chorosaida & Bethsaida; non quia hæc miracula sola potuissent illos convertere, id quippe nemo, nisi Pelagianus dixerit: neque etiam, quia habebant utrique isti populi eandem virtute gratiam interiorem, sicut prætendit objectio: sed quia Tirii ac Sidonii habuissent a Deo gratiam interiorem conversionis, quâ fuissent conversi, eamque gratiam Deô ita volente accepissent, suppositô quòd apud illos factæ fuissent istæ virtutes: Chorosaïtæ verò ac Bethsaitæ eam gratiam non acceperunt, quia rebelles fuerunt contradixeruntque maximè virtutibus istis: quâ rebellione & contradictione indigni facti sunt, quibus Deus gratiam conversionis adjungeret; sic autem non contradixissent Tyri & Sidonii. Quia, inquit S. Augustinus lib. de bono persever. cap. 14. habebant naturaliter divinum munus intelligentiæ, quô moverentur ad fidem si congrua suis mentibus vel audissent verba, vel signa conspexissent: *Vbi, inquit, Tiris relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent: sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quò moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen si Dei altiore judiciò, à perditionis massa non sunt gratia prædestinationis discreta, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Igitur, inquiunt hæretici, in Tiriis & Sidoniis habemus illustre exemplum ex Augustino, quia cùm illi haberent munus intelligentiæ, quô moverentur ad fidem, si vel audissent verba, vel signa vidissent, quia tamen non erant prædestinati, nec signa viderunt, nec audierunt verba, subindeque non habuerunt gratiam sufficientem ad agendum pœnitentiam.

VII. Christi D. exprobratio supponit virtutem pœnitendi.

Contrà. Christi exprobratio facta Chorosaïtis quod non egerint pœnitentiam ad aspectum tot miraculorum, futilis prorsus & injusta fuisset, si reverà Chorosaitæ pœnitentiam agere non tantùm remotè sed & proximè non potuissent; subindeque nisi habuissent gratiam proximè moventem ad pœnitendum. Ut enim exprobratio Christi valida sit & justa, necesse est quòd quemadmodum Tirii, Sidoniique visis Christi miraculis, non modò remotè, sed etiam proximè doluissent; ita Chorosaitæ eâdem sibi affulgente gratiâ pœnitentiam agere potuerunt: igitur falsum est quòd Chorosaitæ caruerint gratiâ sufficiente ad pœnitentiam agendam, propterea quòd ratione suæ rebellionis, illius gratiæ judicati fuerint indigni. Falsum pariter Tiriis ac Sidoniis negatum fuisse gratiæ convertentis beneficium, quod absolutè à Deo fuerint reprobati; licèt enim, ut diximus, non habuerint illam gratiam, quæ movet ad pœnitentiam visis Christi signis & auditis oraculis; inde non est consequens, eos non habuisse gratias sufficientes, quibus si ita voluissent penitere potuissent.

Secundum oraculum hanc veritatem confirmans, peti potest ex illo Matth. 23. ubi Christus de Judæis sub nomine Jerusalem ita conqueritur: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* Sed hæc voluntas planè simulatoria esset, si reverà cum vocante gratia interiore vel exteriore non habuissent sufficiens auxilium, quô possent congregari, sub alas Domini, & ad Christum per pœnitentiam confugere. Hinc Luc 19. Idem Salvator videns civitatem *flevit super eam, dicens, Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tuâ quæ ad pacem tibi, &c.* Nam judæi meritò reponere potuissent, frustrà hanc querimoniæ ansam prætendi; quippe cùm non habuissent sufficiens auxilium, quô vel se ad Christum recipere; vel quæ erant ad pacem, facere possent.

Repones 1. his & similibus textibus significari tantùm vocationem cui resistitur externam esse duntaxat, quæ fiat per voluntatem signi, non verò internam, quæ fiat per voluntatem beneplaciti: notum enim est in Deo duplicem esse voluntatem, nempe *signi* & *beneplaciti*. Prior est quâ Deus se habet ad modum volentis, in quantùm præcipit vel consulit, prohibet & permittit aliquid: posterior verò est quâ Deus propriè vult id quod sibi complacet: prior non semper impletur; posterior verò, inquiunt, suum semper sortitur effectum.

VII. Vocatio divina cui interdum resistitur, non

Contrà 1. Impia & indigna Deo est ista cogitatio, si quis existimet Deum externâ voce duntaxat excitare hominem ad pœnitentiam, nec reverà velle ei ullam inspirationem ut se conver-

tantùm externa est, sed etiam interna.

tat concedi, luderet enim homines, si quos vocat non eos vocaret cum intentione & animo ipsos convertendi: sed Deus non intenderet eos convertere, nisi vocationi suæ externæ aliquod auxilium internum conjungeret: Nam, ut docet S. August. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 18. *Liberum arbitrium sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret.*

VIII. Quando Deus ad aliquid vocat, aut dat vim implendi, aut monet ut illam vim petamus.

Secundò: finis legis, & per consequens vocationis cujuscumque exterioris, est ut si homo difficultatem patitur, poscat auxilium; si facilitatem, gratias Deo rependat, ut pluribus in locis docet S. August. præsertim epistolâ 89. *Iubet ideo ut facere jussa conati, & in nostra infirmitate sub lege fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei, qui adjuvat, non simus ingrati.* Lib. de spiritu & littera, cap. 19. *Lex data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex impleretur.* Item evidentissimè S. Prosper in epist. ad Demetriadem: *Nec*, inquit, *ob aliud datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium.* Ergo vel frustrà Deus adhibet vocationem: vel saltem cum ea secretam & interiorem inspirationem impertitur, per quam ad minùs admoneatur homo infirmitatis suæ, ut ad auxilium gratiæ confugiat.

Repones 1. Argumentum ex præfato textu Matth. 23. deductum; idem esse quod Julianus objiciebat S. Augustino, ut constat ex *opere imperfecto cap.* 93. Ubi ex eodem Evangelico textu colligit Julianus, voluntatem divinam ab humana interdum impediri: quod tanquam hæreticum ibidem explodit S. Augustinus, dicens: *Ignoscendum est, quia in re multùm abdita, ut homo falleris. Absit, ut impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio. Parum de re tanta cogitant, vel ei excogitandæ non sufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle & homine infirmo impediente non posse: sicut certum Ierusalem filios suos ab illo colligi noluisse; ita certum est eum, etiam ipsa nolente, quoscumque eorum voluit collegisse:* Igitur tantùm abest, ut argumentum nostrum Catholicæ veritati suffragetur, quinimò Pelagianum errorem sapit.

IX. Ex eodem textu Matth. longè aliter arguebant Pelagiani, quàm nos disputemus.

Contra 1. Si hæc ita sint: ergo Senonensis Concilii Patres Pelagianô errore notandi sunt, & Juliani arma, ut pestiferum Lutheranorum dogma exscinderent, collegerunt; nam decreto 15. eôdem argumentô quô nos utimur, probaverunt nos divinis inspirationibus inevitabiliter non rapi, ut constat ex apertis illius decreti verbis. *Secundò*, Nemo est, qui facilè non intelligat grande inter nos & Julianum cahos intercedere, si duas in Deo voluntates cum Theologis distinxerit, nempe voluntatem *signi*, per quam Deus hominem movet per media ordinaria ad faciendum quod jubet, eumque sollicitat ad quærendum Salvatoris præsidium. Cujus quidem voluntatis eodem *cap. operis imperfecti* meminit S. Aug. subdit enim post jam laudata verba: *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet & non potest, admonitus sentiat: & ab eo, à quo sunt bona omnia, indigens poscat.* Altera est *beneplaciti*, per quam efficaciter hominem provocat ad bonum. Priori voluntati resisti posse ibidem fatetur S. August. ait quippe: *Propterea per Prophetam,* Isai. 1. *dictum est: Si nolueritis & non audieritis me, gladius vos comedet:* Ex quo colligit S. Augustinus voluntatem signi, quoad effectum misericordiæ interdum impediri; licèt non impediatur quoad effectum justitiæ. Posterior autem voluntas, nempe beneplaciti non impeditur, ut ibidem declarat S. Augustinus contra Julian. *Si ut dicis*, inquit, *ab intentione propria utique mala, non debet homo ulla necessitate revocari, cur Apostolus, cædem spirans & sanguinem sitiens, violenta corporis cæcitate, & terribili de super voce à sua pessima intentione revocatur & ex persecutore prostrato, illius Evangelii quod oppugnabat, laboriosior cæteris futurus prædicator erigitur? Agnosce gratiam. Alium autem sic, Deus quem dignatur, vocat & Spiritus ubi vult spirat.* Julianus autem contendebat quamlibet voluntatem Dei, etiam voluntatem beneplaciti per humanam voluntatem, suô interdum frustrari effectu; nos autem contendimus solam voluntatem signi, quæ se per media sufficientia declarat ac significat, impediri posse quoad effectum misericordiæ; licèt semper impleatur quoad effectum justitiæ. Ergo longissimè nostra sententia à Julianica distat.

X. Scriptura pluribus testatur nos posse gratiæ interiori resistere.

Probari denique potest assertio iis omnibus Scripturæ textibus, quibus Deus homines invitat, & hortatur ad pœnitentiam & sectandam justitiam: Sic Cantic. 5. *Aperi mihi soror mea sponsa*, nec non & illud Prophetæ Joël 2. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Quibus verbis, inquit Tridentinum, sess. 6. cap. 5. libertatis nostræ admonemur; sicut & gratiæ necessitatem confitemur dum respondemus Thren. 5. *Converte nos Domine ad te & convertemur:* ex eis namque & similibus textibus colligitur, quòd sicut proprium est Dei prævenire nos pulsando, & excitando corda nostra per gratiam sufficientem: ita proprium est voluntatis aperire illi per liberum consensum suum, reddendo vocationem illius efficacem.

Probari potest etiam eadem veritas illis pariter Scripturæ textibus, quibus Deus hominum perduellionem, nec-non & continuam cum sua divina gratia reluctantiam & pugnam increpat & damnat. Sic Isaiæ 69. *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Proverb. 1. *Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Matth. 20. *Multi vocati, pauci verò electi.* Cap. 22. *Misit servos suos vocare ad nuptias & nolebant venire.* Joan. 15. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et posteà: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & oderunt, & me & Patrem meum.* Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Rom. 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 2. Corinth. 6. *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Apoc. 3. *Sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit, &c.* Ex quibus locis apertè satis colligi potest, quòd interdum pendeat ex humanâ voluntate, ut gratia suum sortiatur effectum.

XI. Duplex est vocatio, una interna; alia externa.

Verùm ut hæc sacra præsidia nobis elevent hæretici, varias in hos Scripturæ textus exceptiones comminiscuntur. *Reponunt enim* 1. iis sacris verbis significari vocationem externam, non internam: vel si de interna sit sermo, non ea spectanda est vocatio, quæ est secundùm propositum. Observant enim duplicem esse vocationem; *internam* nempe, quæ fiat per gratiam interiorem: & *externam*, quæ fiat per legem & doctrinam. Utriusque vocationis istius meminit S. Aug. epist.

167. his verbis: *Si ergo ita præpararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodò legem suam atque doctrinam liberò ejus adhiberet arbitriò* (ecce vocationem externam) *nec vocatione illâ altâ atque secretâ* (ecce vocationem internam) *sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum.* Et S. Prosper ad 5. capitulum Gall. *Si vocatio in Evangelii tantùm prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur quod aliis atque aliis aliter atque aliter prædicetur, si autem ad effectum plantationis & rigationis aspiciatur, aliud actum est cum iis, quorum exteriores aures corporali voce pulsatæ sunt: aliud in eis quorum interiorem sensum Deus aperuit.* Observant 2. vocationem interiorem duplicem esse, aliam *secundùm propositum*, aliam *non secundùm propositum*: Prior est propria solorum prædestinatorum; posterior est reproborum, qui eam crediderunt & Ecclesiæ membra fuerunt, Aug. lib. de prædest. Sanctor. cap. 16. *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filii sui, non eâ vocatione quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illâ quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est: & Gentes quibus Christus crucifixus stultitia est: sed eâ vocatione prædestinatos vocat quam distinxit Apostolus dicens, Ipsis Iudæis & Græcis, &c.* Et lib. 5. contra Julianum, cap. 4. *Non omnes qui vocati sunt, secundùm propositum, sunt vocati: multi enim vocati, pauci verò electi: qui ergo electi? Hi secundùm propositum vocati.* Cur autem quidam sint vocati non secundùm propositum, docet ibidem, quia scilicet ad utilitatem nascuntur prædestinatorum. Et locò præcedenti, *Non ut eis prosint vasa iræ, sed ut ipsò illis bene utente prosint vasis misericordiæ, ut videlicet intelligant de quàm profundo malo per gratiam Dei liberati fuerint.*

Duplex est iterum una *secundùm propositum*, & alia quæ *non est secundùm propositum*.

Verùm contrà. Nam, ut jam diximus, impium est asserere Deum externâ voce duntaxat excitare hominem peccatorem ad pœnitentiam, & justum ad sectanda pietatis opera, nec reverâ velle ei ullam inspirationem, ullumve auxilium internum ut se convertat & bona sectetur concedi. Propterea sanctus Prosper Epist. ad Demetriadem asserit *voces docentium & litteras paginarum, quæ ad eruditionem audientium, vel legentium Deo serviunt, non carere ejus virtute cui serviunt:* Subindeque censet internam vocationem semper annexam esse externæ. Quod pariter apertè docet sanctus Augustinus locis suprà laudatis, cùm ait lib. de Spiritu & littera, cap. 19. *Lex data est ut gratia quæreretur: gratia data est ut lex impleretur.* Et lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 18. *Liberum*, inquit, *arbitrium sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret.* Falsum est igitur in mente S. Augustini vocationem externam internæ non esse connexam.

XII. Deus nusquam exteriùs vocat ad pœnitentiam, quin interiùs vocet & adjuvet per gratiam.

Nec refert quòd duplicem vocationem sanctissimus ille Doctor adstruat, aliam *secundùm propositum*; aliam *non secundùm propositum*. Nam per vocationem secundùm non propositum, non intelligit vocationem purè externam, nudam & ex se insufficientem ad conversionem & justitiam; sed vocationem suo fructu carentem; idque non ex inefficacitate gratiæ vocantis, sed ex perduellione & malitia humanæ voluntatis reluctantis, ut significat idem sanctus Doctor verbis laudatis lib. de Præd. Sanctorum, cap. 16. dicens: Vocatione non secundùm propositum vocatos fuisse eos, qui noluerunt venire ad nuptias; certum enim est eos reverà à Patrefamilias fuisse sincerè, & cum intentione ut venirent, invitatos ac vocatos; ut constat ex Evangelico textu, ait enim sanctus Lucas cap. 14. Quòd Paterfamilias *misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Quorsum enim cœnam instrueret, multos invitaret, ad eos servos dirigeret, si animò sincerò ad cœnam non vocaret? Nec Evangelista cunctationem & repulsæ vocatorum causam profert ex parte vocantis; sed ex parte ipsorum vocatorum; ait enim: *Et cœperunt simul omnes excusare*: quam excusationem, puram nolitionem & reluctantiam voluntatis fuisse docet sanctus Matthæus, cap. 22. ubi eandem Parabolam referens, sub nomine *nuptiarum* ait, *misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.*

XIII. Quid sit vocatio secundùm propositum.

Quòd autem hæc fuerit mens sancti Augustini, nempe quòd per vocationem non secundùm propositum, solam externam vocationem noluerit significare; sed internam quoque voluntatis gratiam hôc nomine complecti, sufficienter colligitur ex lib. 1. Retractationum, cap. 1. ubi manifestè docet se de vera Christi gratia quæ *victrix* est & Prædestinatos *discernit* disputasse. *In cujus quæstionis solutione*, inquit, *laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ; sed vicit Dei gratia: nec nisi ad illud perveniri potuit ut liquidissimâ veritate dixisse intelligatur Apostolus: quis enim te discernit?* Hinc est quòd eò locò affirmat hujusmodi vocationem adesse debere, quia *voluntas hominis sola non sufficit, ut justè rectèque vivamus, nisi adjuvemur misericordiâ Dei.* Hinc est quòd ibidem sic illam describit: *vocatio ista est effectrix bonæ voluntatis*; quòd in libro de prædestinatione Sanctorum sic expressit: *Quâ vocatione fit credens.* Hinc denique quòd ad ejus necessitatem clariùs explicandam ait: *Voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullò modò potest.* Quæ omnia manifestè significant, vocationem illam de qua loquitur, ipsam quoque voluntatis gratiam complecti; siquidem illa est quæ delectat *animam*, quæ *efficit bonam voluntatem*, & quæ *misericordia Dei ad justè rectèque vivendum* necessaria appellatur.

Ex mente S. Augustini.

Repones 2. ad testimonia Scripturæ suprà citata, vocationi etiam internæ interdum resisti, sed à concupiscentia, quæ in ipsis etiam justis remanet; ac plerumque sanctissimis divini Spiritûs motionibus repugnat.

Verùm hæc responsio prorsus futilis est: aut enim concupiscentia resistit sine consensu voluntatis; aut voluntate consentiente: Si *primum*, ut contigit Apostolo, qui Rom. 7. dicebat: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est, *concupiscentia*, tunc rebellio illa carnis non est peccatum formaliter, sed duntaxat effectivè, seu peccati originalis effectus, ut pluribi docet sanctus Augustinus, maximè lib. 3. contra Julianum, cap. 26. ubi ait: *Concupiscentiam non consentiente spiritu ad opera damnanda non pervenire*: Si secundum; igitur voluntas reluctari potest gratiæ interiori. Quòd autem de hac posteriori resistentia sint intelligendi Scripturæ textus, patet quia damnantur in locis allatis Scripturæ sanctæ, qui vocationi Dei & Spiritui sancto resistunt: igitur, resistentia illa est culpabilis; ac proinde voluntaria.

Secunda probatio ex Conciliis.

XIV. Probatur gratia sufficiens ex Conciliis. Valentino:

Gratiam sufficientem admittendam esse statuerunt & definierunt Concilia; ac primò quidem *Concilium Valentinum* tertium celebratum in Gallia tempore Leonis IV. in quo Can. 2. decernitur, *Non ideo malos perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.* Hinc enim colligimus 1. gratiam malis conferri quâ boni esse possent, nam sine gratia tales esse non possunt: neque solùm gratiam quæ illuminet intellectum; nam per istiusmodi gratiam boni esse homines non possent. 2. gratiam ab iis repudiari; quia boni esse noluerunt: gratia autem repudiata, quâ homines potuissent esse boni, si voluissent, est gratia sufficiens: igitur admittenda.

Senonensi.

2. Eadem veritas statuitur in *Concilio Senonensi* celebrato tempore Clementis VII. sub illustrissimo Cardinale, & Franciæ Cancellario *Antonio à Prato*; illud enim decreto 15. sic nos divinis inspirationibus non semper efficaciter moveri statuit, & colligit ex Scriptura sacra: *Nec*, inquit, *tale est trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit; quoties enim Dominus voluit congregare filios Ierusalem, sicut Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Frustrà certe Stephanus Iudæos dura cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent. Frustrà Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ex quo oraculo colligitur gratiam interdum suô frustrari effectu; non ex defectu illius fœcunditatis & virtutis, sed ex defectu humanæ voluntatis reluctantis.

Coloniensi

Idipsum definitur in Concilio Coloniensi celebrato anno 1536. sub Hermanno part. 2. cap. 32. his verbis: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem; attamen nemo hîc excusationem prætexat quòd non trahatur, cùm ille semper stet ad ostium pulsans, nimirum per internum & externum verbum commonens ut convertamur à via nostra pessima, &c.* Quibus & similibus verbis tam apertè tradit admittendam esse gratiam sufficientem, ut hæc una sufficere videatur hujus Concilii definitio ad illam veritatem adstruendam. Neminem verò terreat quod Concilium ait: *Ne momentum quidem præterire in quo Deus non stet ad ostium & pulset*, quodque ejus interpres Clicthoveus cap. 23. sic explicat: *Deus interiore impulsa & inspiratione nos assiduè admonet*; neque enim, ut rectè Didacus Aluares annotat, sensus est quòd pro quolibet momento quilibet peccator recipiat in se auxilium sufficiens ad salutem; nam cùm dormit, certè non movetur actu sufficienti auxilio: sed hæc verba ex communi loquendi usu, explicanda sunt.

Tridentino

3. Denique, & potissimùm definitur ex *Concilio Tridentino* sess. 6. c. 11. ubi apertè docet nobis gratiam sufficientem adesse ad servanda divina præcepta; quam tamen interdum respuimus, ait enim: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quam sententiam videtur Concilium hausisse ex sancto Augustino, partim ex lib. de Natura & Gratia cap. 45. ubi iisdem propè verbis primam habet hujus sententiæ partem: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*: partem autem alteram ex aliis ejusdem sancti Doctoris locis, in quibus docet Deum petentibus annuere; præsertim lib. 4. ad Bonifacium cap. ultimô sub finem: *Vt petant*, inquit, *providenter instruis & petentes clementer exaudis*, quod utique concordat illis Christi Domini verbis, dicentis Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.*

Ex quibus gratia sufficiens manifestè adstruitur hôc argumentô: Iustificatus quilibet dum præceptum ei imponitur, monetur facere quod possit, aut petere quod non possit: igitur habet inspirationem internam ac secretam quâ sic monetur facere aut petere; nam exterior tantùm admonitio nisi comitem habeat gratiam, non arcet impossibilitatem implendi præcepti, sed potius illius difficultatem auget ex occasione; quia, inquit sanctus Augustinus, lib. de Spiritu & Littera cap. 3. *Vbi sanctus non adjuvat Spiritus, lex quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum, quod enim concupiscitur fit jucundius dum vetatur*: subidéque Concilium agit de interiori vocatione & motione voluntatis: at plerique justificati nec faciunt quod præcipitur, nec petunt auxilium ad istud faciendum: ergo alterutri saltem inspirationi resistunt.

Repones 1. ad *Concilium Valentinum*, illius sensum esse, quòd mali, non ex præscientia divina aut alio simili ad peccandum compulsi fuerint aut necessitati; sed suâ malâ voluntate originali vel actuali peccaverunt: hoc enim indicat idem Concilium, cùm ipsomet 2. Canone ait: *Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset.* Et posteà: *Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari, nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originalis vel etiam actualis permanserunt.* Confirmatur hæc responsio: Tum quia Concilium istud condemnavit quatuor capitula Carisiacæ Synodi; Tum quia hunc esse ejusdem sensum facilè colligi potest ex mente præsidis illius, scilicet Rhemigii Lugdunensis lib. de tribus Epistolis, & de tenenda veritate Scripturæ.

XV. Concilii Valentini decretum propugnatur.

Verùm hæc responsio prorsus est vana, quamvis enim reverà Concilium decernat malos non ex præscientia Dei necessitatos fuisse ad peccandum, sed ex mala sua voluntate per originale vel actuale peccatum vitiata; nihilominus apertè docet malos idcirco perire, non quia boni esse, non potuerunt, sed quia esse noluerunt: igitur Concilium concedit malos habuisse sufficiens auxilium, quô poterant salvari & esse boni si voluissent; quod tamen inutile prorsus & vanum effecerunt ex perduellione suæ malæ voluntatis.

XVI. Et Senonensis.

Repones 2. ad *Concilium Senonense*, illius authoritatem nullam aut modicam esse, quòd sit duntaxat Concilii Provincialis à nullo summo Pontifice approbati.

Deinde, Illius sanctio nihil confert ad adstruendam gratiam sufficientem: Quia, inquies, non loquitur de gratiis interioribus solis, sed abstrahit ab interioribus & exterioribus; loquitur enim de gratiis, quæ semper sunt in promptu, & quas quôlibet momentô habemus: atqui certum est, inquies, quòd non habeamus quôlibet momentô gratias interiores: igitur loquitur de gratiis abstrahendo ab interioribus & exterioribus.

Denique, distinguendum est maximè in Conciliis, quòd decreti seu definitionis locô ponitur ab eo qood tanquam ratio definitionis seu decreti profertur: nam quando definiunt Concilia, agunt ut cœtus sacri; quando verò ratiocinantur, agunt humanô more; subindéque interdum labuntur: atqui in hoc quod citatur decretum fidei; nempe qoòd *gratia necessitas libero arbitrio non præjudicat*, ratio illius definitionis est, *cùm illa semper sit in promptu nec momentum quidem prætereat*; quæ utique ratio minùs ptubanda videtur. Igitur nil quidquam juvat, nec ullatenus nobis suffragatur præfati Concilii Senonensis decretum.

Contra 1. Certum est, inquit *Canus* librô 5. de locis Theologicis cap. 4. quod Concilia Provincialia nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ scientiâ, vel etiam implicitô consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam pervenerint; non enim fit aliquô pactô verisimile, ut Concilii Provincialis toto orbe divulgati hæresim Ecclesia diu dissimulaverit. Foit autem istud Senonense Concilium non modò divulgatum toto orbe Christiano, sed etiam notissimum; nam persepe usurpatum fuit à Catholicis Doctoribus ad explicandas & solvendas controversias de auxiliis.

Insuper: Concilium Tridentinum (inquit *Suares* Prolegom. 6. de gratia cap. 5.) quod post viginti annos celebratum est, virtute approbat totam doctrinam de gratia quam Concilium Senonense tradiderat, quia eadem ferè magis explicata ac locupletata docet ac definit.

Denique, Non mediocrem huic Synodo authoritatem conciliat quòd Parisiis habita sit, illique præter Episcopos interfuerint celeberrimi quique sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores: quocirca eam Synodum *doctissimorum virorum cœtum* appellat Jodocus Clictoveus illius ætatis celeberrimus Doctor, & acerrimus Lutheri debellator in libro quem inscripsit. *Compendium veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum assertiones ex actis in Concilio Senonensi apud Parisios celebrato.*

XVII. Et Coloniensis.

Repones 3. ad Concilium *Coloniense*, illius authoritatem nobis nullatenus opitulari: *Tum quia* illi præfuit Hermannus, quem posteà propter hæresim, & ab obedientia Romanæ sedis apostasiam Pius III. Pontifex, & Carolus V. Cæsar Archiepiscopatu dejecerunt: *Tum quia* illô locô in nostra probatione laudatô, Concilium agit duntaxat de pœnitentia, non verò de gratia: *Tum denique quia* per *internum verbum*, per quod Deus ibi dicitur nos semper commonere, non potest intelligi nisi gratia intellectûs; qualem gratiam admittebant Pelagiani; unde fit consequens, quòd si hujus loci sensus sit, quemlibet hominem habere semper gratiam sufficientem ad suam conversionem, Concilium hoc Pelagii doctrinam approbavit.

Coi nihil officit quòd eius præses postmodù in hæresim lapsus fuerit.

Contra 1. Si ex Apostasia Hermanni aliquid ex Conc. Colon. authoritatis decederet, plurimû quoque Nicæno Concilio aliisque derogaretur, quòd illis præfuerit Osius Cordubensis, cujus posteà casus tam funestus extitit, ut de eo Cardinalis Baronius ad annum 357. num. 18. ita scribat: *Superavit lapsus Osii præteritorum omnium casum, sive Origenis, sive Tertulliani, vel quorumvis aliorum dixeris. Cui non Concilio hic interfuit, atque magna pars fuit, ut Elibertino, Arelatensi, Neocæsariensi, Alexandrino, Gangrensi, duobus magnis atque Oecumenicis Conciliis Nicæno ac Sardicensi, & aliis quorum memoria excidit? Hunc illum ipsum Osium, quem & Ariani Synodorum principem dicerent, & Nicæni formulam concepisse: hunc, inquam, in Conciliabulo Syrmiensi ignominiosè prostratum, turpissimè factum esse ejusdem Nicæni fidei proditorem.* Certè nemo sanæ mentis ex illo Osii lapsu occasionem sumpserit Nicænæ Syoodi rejiciendæ: igitur pari ratiooe non est, cur Hermanni Archiepiscopi casus Syoodum Coloniensem, cui Catholicus ante præfuerat, infamare nitantur adversarii.

Ad secundum dico, ludicram esse adversariorum responsionem, quanquam enim Concilium agat ex professo de providentia, non verò de gratia; nihilominus apertè significat neminem posse salutarem pœnitentiam agere, nisi ad id moveatur & adjuvetur per gratiam, quæ aliquando suô frustratur effectu, quando nempe humana voluntas pro sua libertate ipsi obluctatur, ut ibidem monet Concil.

Ad tertium dico, per internum verbum, quô Deus dicitur nos commonere, nedum significari illustrationem humani intellectûs, sed etiam voluntatis motionem, utpote cùm ibidem Concilium agat de salutari pœnitentia ad quam non solùm intellectûs illustratio, sed etiam voluntatis motio & cooperatio necessaria est.

XVIII. Et tandem Tridentini,

Repones 4. ad *Tridentinum*, hoc Concilii caput adversus Lutherum & Sectatores illius conditum fuisse, qui mandata Dei non solùm peccatoribus, sed & justis etiam cum actualibus auxiliis aiont esse impossibilia; non autem adversus eos, qui justis aiunt aliquando tum orandi tum operandi gratiam negari, unde mandata Dei fiant illis impossibilia.

Verùm, hæc responsio prorsus est futilis, quamvis enim hoc caput præsertim adversus Lutherum editum fuerit, sententiam tamen expositam supra præmiserunt Patres, tanquam efficacissimam ad errorem dictum Lutheri prorsus confutandum. Si enim justificatus vel gratiam habet, quâ possit mandata complere, nec-non concupiscentiæ delectationem vincere, vel saltem quâ possit auxilium istud implorare; qoid obesse potest quominus justificatus legem Dei possit implere? Et reverà Concilium ex hac sententia aliisque similibus idem colligit: unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri.

Nec valet dicere, verum esse quòd Dei præcepta non sunt impossibilia sub conditione, nempe si voluntas adjuvetur: sed inde non sequi quòd omnibus ad servanda Dei mandata detur gratia sufficiens.

Contra. Mandatum quod non est possibile, nisi sub aliqua conditione, censetur absolutè impossibile respectu ejus cui imponitur, nisi habeat conditionem necessariam, vel medium aliquod per quod illam conditionem necessariam possit assequi: sed mandata Dei sunt impossibilia respectu hominis justificati, nisi habeat gratiam sanantem, vel medium per quod illam possit obtinere: ergo justificato non sunt possibilia nisi habeat vel gratiam operandi, vel talem gratiam impetrandi & orandi.

Tertia probatio ex authoritate S. Augustini.

MISSAS facio omnium sanctorum Patrum, qui sanctum Augustinum præcesserunt, vel secuti sunt, sententias, quibus apertè significant humanam voluntatem divinæ gratiæ interdum obluctari; jam enim eas sufficienter recensuimus *sectione præcedenti*, referendo nempe eorumdem sanctorum Patrum testimonia ad evincendum gratiam Christi non necessariò & inevitabiliter humanam voluntatem ad bonum impellere: Unicum proferam sanctum Augustinum, cujus patrocinio maximè gloriantur hæretici: hic enim sanctissimus Doctor apertis verbis pluribi docet gratiam suô frustrari effectu, propter obluctationem humanæ voluntatis, in cujus libertate est gratiæ consentire, vel dissentire. Hîc tamen non exscribam omnia illius sanctissimi Doctoris testimonia; hoc enim tædiosum esset: sed præcipua duntaxat recensebo.

Primum itaque testimonium quô ex sancto Augustino probari potest hominem divinæ gratiæ interdum obluctari, ac proinde non omnem gratiam esse efficacem; petitur ex eo quòd doceat pluribi, hominis adulti peccatum in eo consistere, quòd Dei gratiam contemnat atque repudiet. Sic maximè lib. 3. cap. 19. libero arbitrio: *Cùm Deus*, inquit, *ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt. &c.* quibus certè nil evidentius ad gratiam sufficientem asserendum.

XIX.
S. Augustinus apertè docet posse, & de facto gratiæ resisti.

Nec valet reponere cum Davide Paræo lib. 2. de libero arbitrio cap. 5. hæc ante natam Pelagii hæresim fuisse scripta ab August. cùm adhuc errore Massiliensium detineretur. Nam eadem S. Aug. in lib. *de natura & gratia. cap. 67.* ubi Pelagianos acriùs oppugnat, totidem verbis descripsit. Ut autem omnem à se divinæ gratiæ irrogatam injuriam ablegaret, subdit ibidem. Ita & exhortatus
» sum quantùm potui ad rectè vivendum, & gra-
» tiam Dei non evacuavi, sine qua natura humana
» jam tenebrata atque vitiata illuminari non potest
» & sanari. Quibus verbis sufficienter denotat cùm scriberet illos libros de natura & gratia, se prorsus fuisse liberum ab omni errore circa gratiam; maximè verò à Semipelagianismo admittente initium fidei ex nobis esse; siquidem verbis mox laudatis apertè profitetur se Dei gratiam non evacuavisse: *Sine qua natura humana jam tenebrata atque vitiata illuminari non potest ac sanari.* Agnoscit ergo naturam non posse illuminari, nisi per gratiam, subindeque fatetur ad eam illuminationem fidem esse necessariam, tanquam ipsius gratiæ beneficium.

His adde omnia illius sanctissimi Doctoris testimonia, quibus asserit idcirco peccatores in extremo judicio damnandos esse, quòd oblatam à Christo redemptionem sint aspernati. Sic tract. 36 in Joan. *Venit Christus, sed primò salvare, posteà judicare; eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam qui credendo salutem non respuerunt.* Ex quibus colligere licet, quòd sicut illi tantùm in judicio coronabuntur, qui salutem non respuerunt: sic illi duntaxat con-

A demnabuntur, qui salvari noluerunt, adeoque gratiam sanantem respuerunt. Hinc præclarè lib. 2. de Symb. cap. 8. formidabilem Christi judicis vultum, &c. oratione in hæc verba describit: *Inimicis suis*, inquit, *vulnera sua demonstraturus est; propter quod dictum est per Prophetam: Videbunt in quem pupugerunt: non ut eis dicat sicut tum; Quia vidisti credidisti: sed ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum & hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis; agnoscitis latus quod pupugistis quoniam & per vos. & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

XX.
Quia Deus neminem deserit quin priùs deseratur.

B *Secundum momentum* petitur ex illo apud S. Augustinum frequenti axiomate, *Deus non deserit si non deseratur*. Sic librô de natura & gratia, cap. 26. ait: *Sicut vulnere claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus, quod quidem etiam sani nonnisi illô adjuvante poterimus. Nam medicus homo cùm sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque persistat, Deo dimittit, &c. Ipse autem Deus cùm per mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum, spiritaliter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est,* C *justificat impium: & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi externâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus non solùm, ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Quam utique sententiam refert & probat Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. ubi proferens causam, cur justi obligentur ad ambulandum in via justitiæ *quò liberati jam à peccato servi autem facti Deo sobriè, justè & piè viventes* D *proficere possint per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam.* Rationem hujus obligationis hanc profert; *Deus namque suâ gratiâ justificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur.* Ubi Concilium addidit vocem, *(priùs)* quam sanctus Augustinus non habet, ad hanc veritatem & ejusdem S. Doctoris mentem clariùs insinuandam. Ex quibus sic licet argumentari: Deus hominem justum donatum actualibus auxiliis necessariis ad proficiendum in via justitiæ, non deserit subtrahendo illi sua divina subsidia, nisi priùs ab eo voluntariè deseratur spernendo hæc ipsa oblata auxilia: igitur possunt homines E divinis auxiliis interdum obluctari, quibus proficere poterant in via justitiæ: sed illa subsidia quæ respuuntur, sunt gratiæ sufficientes: igitur admittendæ sunt.

Idque non solùm per despectum gratiæ sanctificantis & habitualis, sed etiã actualis.

Repones præfatum S. Doctoris contextum intelligendum esse de gratia habituali: ita quòd Deus justos non deserat subtrahendo eis gratiam sanctificantem, nisi priùs ab eis deseratur per peccatum mortale.

Contrà. S. Augustinus ibi loquitur de substractione ejus gratiæ, quam adversus Pelagianos asserere volebat summè necessariam ad salutem: sed Pelagiani nusquam negârunt gratiam sanctificantem ad salutem esse necessariam, nec à S. Augustino adversus illos dimicante unquam fuit probatum; quippe cùm de gratia sanctificante,

cum

cum eis nulla lis erat; sed duntaxat de gratiis actualibus: igitur futilis & vana est adversariorum responsio. *Deinde* idipsum apertè constat ex scopo illius capitis, unde præfata verba deprompta sunt: Pelagius namque affirmabat *non esse necessariam misericordiam Dei, ut non peccemus, sed quia peccavimus*, quod totô illô capite sanctus Augustinus validissimè refellit, ostendendo justificatum non deseri à Deo per substractionem gratiæ actualis necessariæ ad piè vivendum. Certum est igitur ex ipso Augustinianæ disputationis scopo non hîc sermonem esse de illâ desertione, quæ habitualem gratiam: sed de altera quæ actualem tantùm subtrahit. Patet illud ipsum ex his verbis, quibus allatam vulnerati comparationem ad institutum suum accommodat, *sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus, quod quidem sani nonnisi illo adjuvante poterimus*. Quibus apertè significat gratiam adjuvantem quæ hominibus etiam sanis, atque adeo habitualem gratiam habentibus, adhuc necessaria est ut rectè ambulare possint.

His adde quod idcirco sanctus Doctor probat Deum non deserere hominem justum, nisi ante deseratur: *Quia*, inquit, *non deserit si non deseratur, ut piè semper justeque vivatur; sicut enim oculus corporis etiam purissimè sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic etiam homo perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, non potest vivere:* Quibus Augustinus ostendit justos perfectissimè justificatos sine gratia actuali perseverare non posse, sed egere continuô Dei auxiliô, quod certè Deus non denegat: nam ut subdit sanctus Augustinus: *Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*; hoc est, dat continuò auxilium justificato, ut rectè vivat si velit, quibus apertè significat se ibi agere de gratia actuali: qui enim præstat ne peccemus, profectò non substrahit quod necessarium est ut non peccemus: At non tantùm habitualis, sed & actualis gratia est necessaria, ut non peccemus; quia ex vi solius habitualis non possumus via ordinariâ vitare peccata, gravioresque tentationes vincere, addendus enim est animus & adjiciendæ vires, cùm fortis armatus assumit alios multos se nequiores: igitur ibi non est sermo de gratia habituali, sed actuali.

XXI. *Qui non perseverant poterant perseverare.*

Tertium momentum non leve ad eandem veritatem insinuandam petitur ex lib. de corrept. & gratia, cap. 7. ubi docet. *Si ab hac damnatione non se liberabunt*, inquit, *qui poterunt dicere non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit; quantò minus se liberabunt, qui dicturi sunt; Perseverantiam non accepimus: justior enim videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam: quàm dicentium, Non accepimus perseverantiam; quoniam dici potest: Homo in eo quod audieras & tenueras,* IN EO PERSEVERARES SI VELLES; *nullô modô autem dici potest, Id quod non audieras, crederes si velles.* Quibus fatetur homini ad perseverandum adesse sufficientem gratiam, sine qua non posset perseverare, & cum qua perseverare posset si vellet: igitur ille qui non perseveravit, sufficiens habuit auxilium quô poterat perseverare, nec tamen perseveravit quia auxilium sprevit.

Confirmatur hanc esse sancti Augustini mentem, ex illis quæ paulò antè dixerat, & quibus confirmandis superiora verba adhibuit: Agitur enim an regeneratus meritò corripiatur, dum peccat; & an justa sit hæc ejus excusatio quam profert S. Doctor, cap. 6. *Quid feci qui non accepi?* Quam quæstionem ita solvit: *Si jam regeneratus & justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, Non accepi; quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio.* Unde initiô capitis septimi, ait: *Corripimus tamen eos justèque corripimus, qui cùm bene viverent, non in eo perseverârunt; ex bona quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt:* Tum ait inanem fore in die judicii hanc eorum excusationem, *perseverantiam non accepimus*. Quibus omnibus probandis atque confirmandis istud adhibet, quoniam potest dici: *Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles*; quibus constat sanctum Augustinum iis verbis, *perseverares si velles*, demonstrare hominem illum suâ culpâ, suô vitiô, suâ voluntate, suô liberô arbitriô non perseverasse.

Unde omnino excusandus non est qui non perseverat.

Repones sanctum Augustinum his verbis, *in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles*; aliud nihil docere, quàm eum hominem perseveraturum, si integram & perfectam perseverandi voluntatem haberet; sic enim velle perseverare, est de facto perseverare.

Contrà. Hæc si vera essent, sequeretur sanctum Augustinum nugari, nec aliud significare, per hæc verba, *perseveraret si vellet*, quam *perseveraret si perseveraret*, quod certè omnino nugatorium est. *Deinde*, sanctus Augustinus eodem modô loquitur de homine baptisato non perseverante, quomodò de Adamo; sicut enim ad retundendam baptisati peccatoris excusationem hanc, *perseverantiam non accepi*; id unum opponit, *perseverares si velles*: ita paulò post ad eandem quæstionem de Adamo decidendam, cap. 10. & sequam his verbis concipit: *Quid Adamus non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit?* Sæpius istud inculcat, *perseveraret si vellet*: sed omnes fatentur Adamum habuisse completam perseverandi potestatem: igitur idem de peccatore baptisato non perseverante censendum est.

Quarta probatio petita ex ratione Theologica.

XXII. *Probatur etiam ratione dari gratiam sufficientem.*

PRima ratio persuadens gratiam sufficientem omnibus hominibus concedi, deducitur ex possibili divinorum præceptorum observantia, quæ formari potest in hunc modum. Deus non præcipit impossibilia: atqui pleraque ejus divina præcepta sine gratiæ subsidio hominibus sunt impossibilia, nimirum ea quæ sunt supernaturalis ordinis, & quæ ex naturali ordine graves in suâ observatione difficultates important: ergo cùm Deus istiusmodi præcepta imponit, aut concedit gratiam quâ impleri possint, aut saltem quâ vires ad illa servanda possint impetrari. Sed non omnes quibus talia præcepta præscribuntur eadem implent, vel eorum servandorum vires à Deo non postulant: igitur eorum aliqui divinæ gratiæ reluctantur. Minorem admittunt adversarii. Major verò probatur:

1. Quia mandata Dei sunt observatu possibilia.

PRIMÒ, ex Scripturis, Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

SECUNDÒ, ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

Tertiò, ex sanctis Patribus, maximè Basilio homil. 6. in hexameron: *Si probarum*, inquit, *operationum opera penes nos sita non sunt, sed ex orta necessitudines emergunt, frustrà profectò legum latores agendas res, & non agendas praescribunt.* Sancto Chrysostomo homil. 16. in Epistolam ad Hebraeos: *Non potest dicere homo, non possum, neque accusare Conditorem: si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa ejus est.* Sancto Hieronymo lib. 3. adversus Pelagianos: *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est.*

Sed praesertim ex sancto Augustino pluribus, maximè verò lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 6. *Dubitare*, inquit, *non possum, nec Deum aliquid homini impossibile praecepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quò fiat quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo si velit esse sine peccato adjutus à Deo.* Et lib. de natura & gratia hanc veritatem saepius inculcat, maximè, cap. 43. quapropter, cap. 69. apertè profitetur: *Eo ipsò quò firmissimè credimus Deum justum & bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Denique, eadem veritas hâc ratione constat: Prima sapienter praecipientis intentio est, ut id fiat quod praecipitur: sed non potest id quod est impossibile fieri: ergo Deus sapientissimus impossibilia non praecipit.

XXIII. Quod intelligi potest quatuor modis.

Repones, quadruplici modò praecepta dici possibilia: *Primò*, remotissimè ratione facultatis liberi arbitrii ad bonum & malum flexibilis; sive ratione naturae liberae, quatenus capax est fidei, spei, & dilectionis. *Secundò*, paulò propinquiùs, quatenus homo jam fidem habet, quae semen est orationis, per quam impetrare potest gratiam necessariam ad bene vivendum. *Tertiò*, multò propinquiùs, prout homo jam habet charitatem habitualem, per quam dicitur posse Deum diligere. *Quartò*, proximè & completissimè, quando voluntas inspirationi Spiritûs sancti sic praeparatur, ut non modò possit, sed etiam velit; quod utique non fit, nisi per gratiam actualem, sine qua charitas habitualis quantacumque magna ac perfecta in actum exire non potest: quibus suppositis nihil homini praecipitur, quod non sit possibile aliquô ex his quatuor modis; non tamen id semper praecipitur, quod sit possibile proximè & completissimè.

Verùm contrà: Deus nihil praecipit homini, praesertim justo, quin habeat proximam & completam potentiam vel ad orandum, vel ad operandum per gratiam actualem, ut constat tum ex sancto Augustino lib. de *natura & gratia cap. 43.* cujus sententiam profert & probat Concilium Tridentinum suprà laudatum definiens *Sessione sexta cap. 11.* nihil homini praecipi quin illico moneatur & facere quod possit, & petere quod non possit; ac proinde quin praeter naturam, ac fidem & charitatem habitualem, recipiat insuper actualem inspirationem, vel quâ possit praeceptum implere, vel quâ possit auxilium impetrare ad illud implendum.

Adde quod praeceptum testat adhuc simpliciter impossibile homini habenti naturam, fidem & charitatem etiam habitualem, nisi praetereà actualis gratia ipsi concedatur, vel quâ praeceptum immediatè possit impleri; vel saltem quâ impetrari possit auxilium necessarium ad legem implendam: non secus ac praeceptum faciendae eleemosynae testat impossibile homini non habenti pecuniam, nec potenti illam sibi comparare, etiamsi voluntatem habeat eleemosynam erogandi, nec-non & facultatem naturalem, nempe manum ad illam distribuendam: sicut ergo non imponitur praeceptum faciendae eleemosynae, homini nec habenti pecuniam, nec potenti illam sibi comparare, etiamsi facultatem habeat naturalem, quâ possit illam distribuere & erogare; ita praeceptum faciendae justitiae aut charitatis exercendae non imponitur homini habenti tum naturam, tum fidem, tum etiam charitatem habitualem, nisi praetereà habeat vel gratiam actualem, necessariam ad opera charitatis exercenda, vel saltem modum obtinendae gratiae actualis, nimirum gratiam orationis.

Concludendum igitur est tum S. Leône ser. 16. de Pass. *justè nobis instat praecepto qui praecurrit auxilio*; nec-non & cum Tertull. lib. contra Marcionem: *Non poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate.* Hinc sanctus Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos: *Fatemur possibilia Deum dedisse mandata ne ipse author injustitia sit, si exigat fieri, quod fieri non potest.* Quod praeclarè sanctus Odo Cluniacensis Abbas explicat lib. 2. Collationum num. 13. *Natura fragilitatem opponimus Deo, quasi nesciat ille quales nos fecit, & oblitus nostra humana fragilitatis, imposuerit hominibus mandata, qua ferre non possit. O caecam vesaniam! ô profanam temeritatem! dupliciter quippe Deum videmur incusare, neque enim justus, qui possit dedit impossibile aliquid imperare potest: neque qui pius est hominem damnare pro his, qua vitare non potest: & quomodo staret quod ipse perhibet jugum meum suave est? Hanc itaque nec justè iniquitatem, nec pio crudelitatem adscribamus.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM EX SCRIPTURA SACRA.

Objicit primò Calvinus *lib. 2. Instit. cap. 3.* illud Joannis 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: de quo sanctus Augustinus lib. de praedestinatione Sanctorum cap. 8. *Quid est omnis qui audivit à Patre & didicit, nisi nullus est qui audiat & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit, profectò omnis qui non venit non audivit à Patre nec didicit*: Igitur nullus excitatur & illuminatur gratiâ Dei, quin illico excitantem & illuminantem sequatur.

Distinguo antecedens: Omnis qui audivit à Patre & didicit venit eruditus & vocatus per gratiam efficacem, concedo: quomodocumque vocatus, nego: duplex enim vocationis genus distinguendum est; eorum quidem quô quis eruditur & vocatur, ut proximè credat in Christum; & qui audit hoc vocationis genere ille proculdubio discit, credit, & venit, ut ibidem docet sanctus Augustinus dicens multos venire videmus ad filium, quia multos videmus credere in Christum: sed ubi & quomodo à Patre audierint hoc & didicerint, non videmus nimirum gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigit? Haec itaque gratia, quae occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur. *Aliud vocationis genus est* per quod sollicitatur homo ad orandum & impetrandum illud singulare & ineffabile beneficium gratiae emollientis cor, dum istud à Deo non conceditur. Cujus mentionem facit sanctus Augustinus plu-

tibi, sed maximè tractatu 28. in Joan. ubi præfata verba Joan. sic expendit: *Magna gratia commendatio: nemo venit nisi tractus: quem trahat & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare: semel accipe & intellige: non traheris; ora ut traheris.* De priori quidem vocatione intelligendus est S. Augustinus, ut ipsemet significat circa finem ejusdem capitis dicens: *Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire ac discere à Patre, ut veniat ad Christum, nihil est, aliud quàm donum accipere à Patre quò credat in Christum.*

Instabis ex eodem S. August. lib. de Gratia Christi cap. 14. ubi idem textus Joan. expenditur: *Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritûs gratiam: ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat: & isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur.* Hinc concludit: *Omnis qui didicit à Patre non solùm potest venire, sed venit; ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Igitur omnis gratia est efficax.

XXV. Quid sit docere per legis naturam, & non per spiritûs gratiam.

Respondeo primò distinguendo antecedens: Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritûs gratiam efficacem quæ sanet vel à peccato vel ab infirmitate; tunc quod quisque didicit, non solùm videt, sed etiam appetit atque perficit, concedo: per gratiam sufficientem quæ movet & sollicitat ad expianda peccata & sanitatem recuperandam aut impetrandam, nego.

Respondeo secundò, sanctum Augustinum præfatis verbis, nihil aliud significare quàm quòd gratia necessaria sit, non solùm habitualis quæ compleat potentiam, qualem duntaxat requirere videbatur Pelagius: sed etiam actualis quæ concurrat ad operationem. Nam, ut ibidem notat S. Aug. *Venire posse in natura ponit, vel etiam ut modò dicere cœpit Pelagius in gratia, qualemlibet eam sentiat, quâ ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur: venire autem jam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit.*

Vrgebis ex eodem S. August. cap. 13. ejusdem libri: *Qui novit quod fieri debeat, & non facit, nondum didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm Spiritum, sed secundùm litteram:* Igitur omnis qui bonum opus negligit, non censetur gratiam internam, sed duntaxat externam habere; subindéque vel gratia sufficiens nulla est, vel duntaxat externa.

Distinguo antecedens: Nondum didicit secundùm gratiam efficacem & completam, concedo: secundùm sufficientem & quæ suô frustratur effectu, propter negligentiam vel resistentiam operantis, nego. Agnovit enim per internum sibi præstitum auxilium, quanta sit sua infirmitas, quantumque divinô egeat præsidiô, quod supplex exorare debet: sed quia hujusmodi inspirationi non obedit, nec divinum auxilium impetrat, ideo simpliciter dicitur non didicisse aut nondum audivisse; auditus enim spiritualis, propriè est cordis assensus, ut præclarè docet S. Aug. lib. de dono perseverant. cap. 14. *Aures*, inquit, *audiendi ipsum est donum obediendi, ut qui haberent venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à Patre ipsius. Exhortamur ergo atque prædicamus; sed qui habent aures audiendi, obedienter omnes audiant; qui verò eas non habent, fit in eis quod scriptum est ut audientes non audiant;* A *audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu.*

Quid sit auditus spiritualis.

Objicit secundò Calvinus illud Epist. ad Rom. cap. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Atqui si quis vocatus non obtemperat, sitque in ejus positum voluntate, ut obtemperare possit, vel non obtemperare, rectè etiam dici poterit: Non est duntaxat miserentis Dei, sed etiam volentis & currentis hominis bonum sectari atque assequi; quia misericordia vocantis non magis determinabit ad bonum opus, quàm obedientia vocati; quod piæ aures non ferunt: igitur vocationi illi non potest homo obluctari.

Respondeo, textum illum Apostoli intelligendum esse de singulari vocatione illa, quâ quis antecedenter ad ulla merita, efficaciter & eximiè vocatur, B ut explicat S. Aug. lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. *Verum est*, inquit, *non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat quomodo eis datum est ut sequantur.* Quæ utique expositio maximè quadrat menti Apostoli, intendit enim ibidem rationem proferre cur speciali vocatione Deus vocaverit Jacob non Esaü, ut patet ex textu.

Distinguenda est igitur vocatio illa singularis à conversione seu operatione justitiæ, quæ vocationem illam consequitur: *Conversio* enim ex Deo & nobis: *Vocatio* autem soli Deo tribuenda est. C Quam utique veritatem egregiè commendat sanctus Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5. ubi urget Pelagianos qui perperam textum illum Zachariæ; *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, interpretabantur, ut nempe hominis conversionem suæ virtuti, non Dei gratiæ tribuerent: *Nec attendunt*, inquit S. August. *qui hoc sentiunt; quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non diceretur* DEUS VIRTUTUM CONVERTE NOS, *&* TU DEUS CONVERSUS VIVIFICABIS NOS, *&* CONVERTE NOS DEUS SANITATUM NOSTRARUM, *& hujusmodi alia quæ commemorare longum esset.* Quibus verbis S. August. significat conversionem nostram partim divinæ, partim humanæ voluntati esse tribuendam; quod maximè urget ex illo 1. Cor. 15. D GRATIA DEI SUM ID QUOD SUM: *atque ut ostenderet & liberum arbitrium, mox addit*: ET GRATIA EIUS IN ME VACUA NON FUIT, SED PLUS OMNIBUS ILLIS LABORAVI..... *Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuò cum dixisset*: GRATIA EIUS IN ME VACUA NON FUIT, SED PLUS OMNIBUS ILLIS LABORAVI: *subjunxit atque ait*: NON EGO AUTEM SED GRATIA DEI MECUM: *id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo.* Quibus significat conversionem esse partim humanæ, partim divinæ voluntati tribuendam, licèt principaliter divinæ voluntatis & misericordiæ sit opus: E quòd autem sola vocatio, Deo sit tribuenda, ibidem docet: *Vt autem de cœlo vocentur & jam magis & efficacissimâ vocatione converteremur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala.*

XXVI. *Vocatio est à solo Deo, Conversio autem partim à gratia Dei, partim à libero hominis arbitrio.*

Objicit tertiò illud primæ ad Corinth. 4. *Quis te discernit? quid autem habes quod non accepisti?* Quibus Apostolus significat neminem posse seipsum discernere, nec de propriis meritis gloriari; id enim soli gratiæ tribuendum est, ut explicat S. August. lib. de Prædestinatione Sanctorum: *Nihil*, inquit, *huic sensui Apostoli* QUIS TE DISCERNIT? *tam contrarium est, quàm de suis me-*

ritis quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei; sed gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis. Sed, inquiunt adversarii, datâ gratiâ sufficiente duobus hominibus, cui unus obtemperet, alter reluctetur: qui obtemperaverit, potest dicere quòd se discernat ab eo, qui obluctatur & è propria sua obedientia gloriari: igitur contradicet Apostolo.

XXVII. Quo sensu dixerit Apostolus *quis te discernit?*

Respondeo primò, præter Apostoli mentem, hanc illationem ex ejus verbis inferri; siquidem ibi Apostolus non agit de operatione gratiæ, quâ unus ab alio discernatur: sed de illo dissidio inter Corinthios suborto, quòd alius se Pauli, alius verò Apollo discipulum gloriaretur; Apostolus autem in id unum incumbit, ne in hominibus glorientur, ut constat ex cap. 3. v. 21. tum capite sequenti prosequitur idem argumentum, hortatusque ne unus adversus alterum infletur, sive pro Apollo sive pro seipsius gratia, quia in verbi dispensatione alter eloquentior, alter spiritualibus donis instructior videbatur, ac statim adjungit: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti: si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? Iam saturati estis, jam divites facti estis, &c.* Ne autem existimarent dissidium illud esse fovendum ob titulum Apostolatûs, quô donatus erat ipse Paulus; non verò Apollo: docet idcirco Fideles per se ad fidem receptos, non habere suprà alios ansam gloriandi; quòd ut probet, adjungit: *Puto enim, quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos*; ac si diceret: Non est quòd vel nostri causa scissuras in Ecclesia faciatis, vel ex eo quòd ab Apostolorum aliquo vos baptisatos fuisse gloriamini, quid enim est Apostolus? homo morti deditus, victima piacularis, spectaculum mundo & hominibus.

XXVIII. Potest homo se ab alio discernere cum gratiæ beneficio.

Respondeo secundò, quòd si hæc Apostoli verba ad quæstionem præsentem traducantur, uti de facto persæpe ea usurpavit sanctus Augustinus ut ostenderet contra Pelagianos, quòd non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed tota nostra sufficientia ex Deo sit, ut ex causa principe; sic, inquam, usurpatô præfatô textu;

Distinguo majorem: Nemo potest dicere quòd se discernat, simpliciter & absolutè, concedo: secundùm quid, & quatenus per gratiam divinam motus est & adjutus, nego. Quemadmodum enim puer adhuc scribendi artis imperitus, dum ducente ac dirigente scribendi Magistro, litteras aliquas format, aut etiam integra verba describit, non potest jactare se simpliciter scripsisse, quamquam tamen reverà scripserit; sic qui mandatum Dei servaverit alio non faciente qui vocatus fuerat per similem gratiam, non potest sine arrogantia dicere simpliciter quòd ipse mandatum fecerit, sicque ab alio se discreverit: Sicut tamen puer qui regente scribâ formavit aliqua verba, verè potest dicere se scripsisse; & hâc ratione ab alio se discrevisse, qui similiter non scripsisset; ita potest homo in hypothesi proposita affirmare, se aliquatenus discrevisse, non tamen propriis viribus, sed gratiæ beneficiô adjutus.

Neque verò qui sic se discernit, per gratiam nimirum Dei quâ prævenitur & juvatur, contradicit Apostolo prohibenti solùm homini dicere quòd se discernat gloriando ex propriis viribus, & quasi de bono quod non acceperit; imò potiùs imitatur eundem Apostolum dicentem: *Gratiâ Dei sum id quod sum, & gratiâ illius in me vacua non fuit; plus enim omnibus laboravi, &c.* Quibus verbis sibi tribuit Apostolus aliquid supra cæteros; id tamen propriis viribus non deputat, sed gratiæ beneficio. Quam utique interpretationem probat S. August. lib. de Spiritu & Littera cap. 34. ubi cùm dixisset: *Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est.* Subjungit statim: *Quæ res non solùm non infirmat quod dictum est;* QUID HABES QUOD NON ACCEPISTI? *verùm etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non potest donum, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat & quid accipiat Dei est: accipere autem & habere utique accipientis & habentis est.*

Instabis: Gratia quæ bonos discernit à malis, non est communis bonis & malis, ut docet S. August. verbis in objectione laudatis: atqui gratia sufficiens communis est bonis & malis: ergo per illam non potest fieri discretio.

Distinguo majorem: Gratia quæ bonos discernit à malis discretione perfectâ, quâ quis eruitur de potestate tenebrarum, & transfertur in regnum Filii Dei, non est communis bonis & malis, concedo: eâ discretione per quam quis se præparat ad illam perfectam discretionem, non est illa communis gratia bonis & malis, nego: omnes enim tam boni quàm mali vocantur à Patre-familias ad nuptias, & Pater noster cœlestis facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit rorem & imbrem gratiæ super justos & injustos.

Objicit quartò illud ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus Apostolus significat non solùm operis initium; sed & consummationem soli Deo esse tribuendam: igitur nullus relinquitur locus gratiæ sufficienti cui resistatur, sed omnis quæcumque tandem illa sit, efficax est, quæ vel solùm velle facit in nobis, vel simul velle atque perficere.

Respondeo primò; negando consequentiam, quæ omnino apparebit absurda si integrum Apostolicum textum quis expendat: ait enim ibidem Apostolus: *Itaque charissimi mei sicut semper obedistis non in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea cum metu & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis velle & perficere.* Quibus verbis monet S. Apostolus ut metuamus ac trematnus in salutis negotio; quia Deus operatur in nobis velle & perficere: Ex quibus tantùm abest, ut rectè colligatur nos non posse resistere gratiæ; quinimò exinde inferri licet nos ipsi gratiæ posse resistere; & idcirco magnam esse occasionem & ansam timendi: si enim gratia omnis esset efficacissima, proculdubiò qui hanc habent, & bene operantur, nec sibi blandiuntur in operibus, non haberent quid timerent; sed absque ulla formidine suam salutem operarentur.

Respondeo secundò, distinguendo antecedens: Deus operatur in nobis velle & perficere, vel sine nobis, vel nobiscum, concedo: sine nobis tantùm, nego: nam per gratiam operantem operatur in nobis sine nobis: per cooperantem verò nobiscum, ut docet S. August. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 19. *Ut velimus, inquit, sine nobis operatur incipiens; cùm autem volumus & sic*

XXIX. Deus operatur in nobis velle & perficere, sed nobiscum.

volumus ut faciamus nobiscum cooperatur perficiens. Hinc S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio præclarè ait: *Deus hæc tria, scilicet cogitare, velle & perficere operatur in nobis: primum, scilicet* COGITARE, *sine nobis: secundum, scilicet* VELLE, *nobiscum: tertium, scilicet* PERFICERE, *per nos.*

Argumenta petita ex Conciliis & sanctis Patribus ac ratione Theologica.

OBjicies 1. Canonem 4. Concilii Arausicani, in quo sic legimus: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritûs sancti infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.* Ex quibus sic inferes, quòd ut à peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non exspectat: ergo gratia quævis nostram determinat voluntatem efficaciter, & subinde nulla datur gratia sufficiens.

XXX. Quomodo Deus expectet nostrã voluntatem.

Distinguo antecedens: Deus non expectat voluntatem nostram, quasi hæc deberet ejus gratiam prævenire, & propriis viribus sese ad illam præparare, ut volebant Semipelagiani, concedo: non expectat nostram voluntatem sequentem motum ipsius gratiæ; ut ei consentiat, nego. Quòd autem ea sit mens Concilii, apertissimè colligitur ex aliis canonibus, maximè ex sexto, ubi anathematisatur, *quisquis humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ auxilium*, hoc est, posteriorem facit.

Objicies 2. varias sancti Augustini & ejus Discipulorum sententias, quibus significari videtur divinam gratiam esse semper efficacem, nec humanam voluntatem usquam ei obluctari. *Verùm* quoniam plurimas ex iis sententiis jam solvi sectione præcedenti, hîc duntaxat unam aut alteram subjiciam: imprimis verò id quod docet sanctus Augustinus cap. 10. de gratia Christi: *Sed nos eam gratiam volumus isti aliquando fateantur, quâ futuræ gloriæ magnitudo, non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur, nec solùm revelatur sapientia, verùm etiam & amatur, nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur.* Et aliquantò post: *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, sed etiam esse Christianus.*

XXXI. Quid intendat S. Augustinus dum requirit gratiam quâ bonum non solùm suadetur, sed persuadetur.

Respondeo præfatis verbis sanctum Augustinum nihil aliud significare, quam quòd præter legem & doctrinam, in quibus totam gratiæ rationem & virtutem reponebat Pelagius, aliud desideretur auxilium, quò non solùm suadeatur omne quod bonum est; verùm etiam persuadeatur. Unde idem sanctus Doctor lib. 2. operis imperfecti, cap. 157. Pelagianos sic alloquitur: *Admoneo ut intelligatis, cui gratiæ sitis inimici, negando operari Deum voluntates in mentibus hominum, non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant: non sicut facit Doctor homo docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei, quod frustrà fit nisi Deus intus operetur & vellet per investigabiles vias suas: cùm enim verbis Doctor plantat & rigat, possumus dicere, Forte credit auditor, cùm verò dat incrementum Deus sine dubio credit & proficit: ecce quid interest inter legem & promissionem, inter litteram & Spiritum.* Quibus verbis sanctus Augustinus carpit Julianum, qui volebat Judæos per legem, & Gentiles per naturam fieri posse filios Abrahæ: quod ut falsum demonstret S. Augustinus, ostendit legem sine spiritu intùs operante, hoc est, sine gratiâ adoptionis inutilem & frustraneam esse; nam, ut ait lib. de spiritu & littera cap. 19. *Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur.* Lex autem per se ad gratiam adoptionis non sufficeret, nisi aliquod salutem initium gratiæ sibi annexum ab authore legis inveheret: igitur non aliter sanctus Augustinus docet Deum in nobis operari velle, quam quia præter gratiam æternam legis & doctrinæ, etiam internum auxilium subministrat, sine quo nullum prorsus bonum possemus velle & operari.

Objicies 2. Gratia sufficiens in nostra sententia non videtur ullatenus discrepare à gratia possibilitatis, quam admittebant Semipelagiani: sed talem gratiam possibilitatis repudiat sanctus Augustinus, eamque refellit pluribi, maximè lib. de gratia Christi: ergo gratia sufficiens à viris Catholicis non debet admitti.

XXXII. Quomodo gratia sufficiens à gratia possibilitatis discrepet.

Nego majorem: Gratia enim possibilitatis, quam impugnat sanctus Augustinus longissimè differt à gratia sufficiente, quam admittimus, ut colligere licet ex eodem sancto Augustino referente sententiam Pelagii de ipsâ possibilitatis gratiâ, lib. de gratia Christi cap. 4. ubi Pelagius ait: *Nos*, inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: Primò loco* POSSE *statuimus, secundò* VELLE, *tertiò* ESSE. *Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse, ad hominem referenda sunt; quia de arbitrii fonte descendunt: ergo in voluntate & opere bono laus hominis est, imo & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio.* Ex quibus Pelagii verbis constat operis possibilitatem, seu naturalem potentiam & à Deo esse, & gratiæ divinæ auxiliò adjuvari. Sed per illud adjutorium, nihil aliud significare volebat Pelagius, quàm legem atque doctrinam, peccati dimissionem & Christi exemplum, ut eôdem librô pluribi declarat sanctus Augustinus, qui è contra docet adjutorium quô possibilitas nostra adjuvatur, esse quandam occultam inspirationem, sive virtutem Spiritûs sancti: sic enim mentem suam aperit initiô cap. 13. ejusdem libri. *Hæc* inquit, *si doctrina dicenda, certè sic dicatur ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus; ita ut non ostendat tantummodo veritatem; verùm etiam impertiat charitatem: sic enim docet Deus eos qui secundùm propositum vocati sunt; simul donans & quid agant scire, & quid sciunt agere.*

Quàm diversa fuerit S. August. & Pelagii sententia circa gratiam possibilitatis.

Ex quibus patet sanctum Augustinum aliter de gratia possibilitatis, quàm Pelagius sensisse. Dissentiebant insuper invicem circa modum, quô Christi gratia adjuvaret: nam Pelagius volebat duntaxat gratiam possibilitatis ordinari solùm ad potentiam naturalem, quam adjuvare & perficere deberet; non verò concurrere ad actionem & operationem; sanctus Augustinus verò docebat gratiam Dei operari in nobis non solùm posse, sed etiam velle & perficere, seu non solam possibilitatem, sed etiam volitionem & actionem. *Insuper* Pelagius adscribebat libero arbitrio con-

sensum, quem gratiæ præstabat: sanctus autem Augustinus contendebat consensum hunc magis principaliter tribuendum esse gratiæ: igitur longum est discrimen inter gratiam sufficientem, quam admittimus, & gratiam possibilitatis quam adstruebant Pelagiani: *Primò* namque Pelagius adjutorium possibilitatis in extrinsecis tantùm auxiliis constituebat; nos autem cum sancto Augustino gratiam sufficientem in secreta operatione Spiritûs sancti censemus esse reponendam. *Secundò*, licèt Pelagius fortè admiserit gratiam aliquam possibilitatis internam, non tamen sensit illam esse necessariam ad singulos actus pietatis, sed duntaxat ut faciliùs fierent, ut jam pluries monuimus; nos verò gratiam sufficientem ad singulos actus desiderandam esse profitemur. *Tertiò*, Pelagius gratiam possibilitatis solùm volebat ordinari ad potentiam, non ad actionem; unde consensum principaliter adscribebat libero arbitrio; nos autem contendimus gratiam sufficientem sic voluntatem excitare, ut ad volendum & operandum necessaria sit gratia concomitans & subsequens, ratione cujus determinatio & consensus voluntatis gratiæ virtuti principaliter deputatur.

Objicies tertiò: Ideirco Massilienses tanquam hæretici damnati sunt, quòd auxilium ad credendum necessarium existimaverint sufficere, ut homo præventus credere posset si vellet: atqui gratia sufficiens, quam admittimus est ejusmodi: ergo Semipelagianis subscribimus.

XXXIII. Semipelagiani non sunt damnati quòd admitterent gratiā sufficientem.

Respondeo negando majorem, cujus falsitas apparet ex damnata hac propositione: *Semipelagiani admittebant interioris gratiæ prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Quam utique propositionem Innocentius X. falsam & hæreticam declaravit, & uti talem damnavit. Falsum est igitur Semipelagianos idcirco damnatos esse, quòd admiserint gratiam sufficientem prævenientem, cui posset homo vel consentire, si vellet; vel dissentire: sed errabant maximè quòd docerent nos affectu credendi merè naturali & præveniente posse gratiam fidei; cæteraque consequenter dona promereri, ut jam sæpius docuimus.

Objiciet 4. Gratiæ efficacia non pendet à libero arbitrio: sed si daretur gratia sufficiens, quæ per consensum voluntatis fieret efficax, illius efficacitas penderet à libero arbitrio: ergo nulla est admittenda.

XXXIV. Efficacitas gratiæ in actu secundo pendet à libero arbitrio.

indecli

Distinguo majorem: Gratiæ efficacia non pendet à libero arbitrio in actu primo, putà virtus illa, quam habet ad movendam voluntatem in[redacted]nabiliter, concedo: efficacitas in actu secundo, hoc est, consensus datus divinæ vocationi non pendet à libero arbitrio, nego: nam, ut docet sanctus Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 34. *His modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat..... profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est.*

§. II.

An omnibus omnino hominibus gratia sufficiens concedatur?

XXXV. Gratiam sufficientē omnibus dari probatur 1. Ex eo quòd omnes vocentur, & illuminentur per Christum.

AFfirmo. Eamque veritatem plurimis Scripturæ sacræ oraculis apertè confirmare licet: quæ omnia momenta ut evidentiora fiant, juvat ea sub distinctis titulis expendere.

Probatur I.

Ex generali vocatione & illuminatione per Christum.

ENimverò Joann. 1. de Christo D. dicitur, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ex quo testimonio sanctus Augustinus, lib. de Genesi contra Manichæos, cap. 3. probat omnes homines, si velint posse Dei præcepta servare: *Illud*, inquit, *lumen, non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt: quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsi prælusit S. Chrys. hom. 7. in hæc verba Joan. *Illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum*: ubi ait illuminat profectò quantùm in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt; non ex luminis natura in tenebris perstiterunt: sed ex malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt: nam gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem excipit, aut dedignatur, &c. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent: cùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propriâ duntaxat malitiâ ingredi recusant.

Eodem quoque pertinet quod Sapientiæ 19. dicitur generaliter, infidelibus & omnibus hominibus, quibus non subest scientia Dei, non defuisse medium sufficiens, quô ad ejus notitiam salutarem pervenire possent. Quod confirmat Apostolus Rom. 1. ver. 19. dicens, de Gentilibus, Deum se illis sufficienter manifestasse, ut gloriam ipsi debitam redderent; itaut sint inexcusabiles, in eo quòd Deum non glorificaverunt, & posthabitô ejus cultu, idolis servierunt. Nimirum quia, ut rectè ait S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 17. Ne illis quidem, qui externa verbi Dei prædicatione caruerunt olim, vel adhuc carent, defuit, aut deest gratia necessaria & sufficiens, ut ad fidem lucemque veritatis venire possint. *Etiamnum*, inquit, *in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris,* (id est Evangelium) *illuxit: quibus mensura tamen generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præstita, non negatur.*

Secunda Probatio.

Ex generali voluntate Dei salvandi omnes & singulos homines.

QUisquis sapienter & sincerè finem intendit, etiam vult media usurpare ad eum finem

assequendum absolutè necessaria, sed Deus sapientissimus sincerè intendit salutem omnium hominum: igitur etiam vult eis gratiam conferri quâ salutem possint assequi. Major constat. Probatur minor. Primò quidem ex illo Ezechielis 33. *Quare moriemini, domus Israël? dicit Dominus. Vivo ego, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* Ubi notat Tertull. lib. de Pœnit. cap. 4. Deum jurasse ut absque ulla difficultate sibi crederetur: *Jurans etiam*, inquit, *ut Dominus, Vivo, ubi credi sibi vult. O beatos nos quorum causâ Deus jurat! ô miseros, si nec juranti Deo credimus!* Sed apertissimè 1. ad Timot. 2. ubi Apostolus hanc veritatem tradit, docens enim pro omnibus esse orandum, etiam pro Paganis & Gentilibus hanc, rationem illius obligationis profert: *Hoc enim bonum est*, inquit, *& acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Quam utique veritatem hâc triplici ratione confirmat: *Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, temporibus suis.* Quibus verbis Apostolus significat Deum triplici titulô velle omnium hominum salutem. 1. quia eorum omnium Creator est. 2. quia omnium est Redemptor. 3. quia omnium debet esse judex, & sanguis quem pro omnibus effudit in cruce erit in testimonium temporibus suis quòd non fuerit ipse in causa cur aliqui reprobandi sint & damnandi. Hinc præclarè Paulus Orosius lib. de arbitrii libertate post medium hanc triplicem rationem sic complectitur: *Hic ergo Dominus Christus*, inquit, *hic inquam Filius Dei, in virtute Patris & gloria, quæ in principio condidit, & redemit in medio, etiam in novissimo judicabit.*

XXXVI. 2 Eo quòd Deus velit omnes omnino homines salvos fieri.

Hanc autem voluntatem ad omnes prorsus extendi, docent imprimis sanctus Chrysostomus in hunc locum scribens: *Imitare*, inquit, *Deum tuum, si omnes ille vult salvos fieri, merito pro omnibus oportet orare.* Sanctus Damascenus lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 29. *Illud*, inquit, *ne nos fugiat Deum ut bonitate præstantem primariè omnes quidem homines servari ac regni sui compotes esse velle: ut justum autem, iis quoque qui peccant pœnam inferri nihilominus velle.* Sed eam præ cæteris veritatem tradit S. August. pluribi; maximè lib. de Spiritu & Littera cap. 33. *Vult*, inquit, *Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium quô vel bene, vel male utentes justissimè judicentur: quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt: verùm seipsos fraudant magnô & summô bonô, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.... Ille igitur reus erit ad damnationem sub potestate ejus, qui contempserit ad credendum misericordiam ejus. Quisquis autem crediderit ei, qui se à peccatis omnibus absolvendum, & ab omnibus vitiis sanandum, & calore ac lumine ejus accendendum illuminandumque non contempserit, habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam secundum corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, bonisque satietur, non temporalibus, sed æternis.*

Ipsi egregiè concinit S. Prosper responsione 2. ad objectiones Vincentianas. *Sincerissimè*, inquit, *sentiendum est atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitè præcipit quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.* Hinc responsione 8. ad capitula Gallorum: constanter ait: *Qui dicit quòd non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Repones omnem divinam voluntatem impleri, nam *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælos & in terra.* Psalmo 134. Et, *Voluntati ejus quis resistit?* Rom. 15. Unde sanctus Augustinus librô de Correptione cap. 14. *Deo volenti facere, nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Cui concinit S. Fulgentius: *Quod vult*, inquit, *semper insuperabiliter facit: cùm ergo vult omnes homines salvos fieri, hoc quippe in eis impletur quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & impenetrabilis habet.* Eadem etiam conscribunt Præsules Africani exulantes in Sardinia in Epistolâ Synodicâ: *Semper voluntas Dei impletur: quia potestas ejus nullatenus vincitur: Ipse est enim qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & omnibus abyssis, & cujus voluntati nemo resistit.* Sed non omnes prorsus homines salvantur: ergo signum est Deum non velle omnium hominum salutem.

XXXVII. Deus vult aliquid duobus modis, nempe efficaciter, & sufficienter.

Verùm dico cum *D. le Moine.* Deum aliquid extra se velle duobus modis. *Primò*, tam efficaciter & potenter, ut nunquam opere prohibeatur ejus intentio. *Secundo* minùs valide, sed tamen sufficienter, quia posset effectus subsequi, si non deficeret aliqua conditio. *Priori* voluntate Deus vult electorum salutem: quia, inquit Apostolus secundæ ad Timotheum secundô: *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum*; id est sigillum quô Pater æternus in sua præscientia ratam fixam electorum salutem obsignavit: *Novit enim Dominus qui sunt ejus*, & nemo rapiet eos de manu ipsius: *Posteriori* verò omnium hominum generatim salutem intendit, idque sincerè quantùm ex parte suâ: sed ipsi homines propter suam negligentiam aut malitiam æternâ salute fraudantur: quoniam ipsi divinæ voluntati refragantur: Nec tamen ipsa divina voluntas generalis adeo fit infœcunda, quin ex ea nascantur innumerabiles gratiæ semper parabiles, & ad salutem procurandam opportunæ, si iis quicumque potiuntur, uti vellent. Quibus si fortè uti noluerint, humanam nihilominus voluntatem divina semper superabit, finem secundarium sortitura, quotiescumque culpa nostra fuerit defraudata. *Non sic enim constituta sunt opera Domini*, inquit S. August. in Psalm. 110. *ut creatura in arbitrio libero constituta Creatoris superet voluntatem: Non vult Deus, ut pecces, nam prohibet; tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse, quod voluit, & Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult, ut homo non peccet; ita vult peccanti parcere, ut revertatur & vivat: ita vult postremò, non primariò, in peccato perseverantem punire, ut justitia potentiam, contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, omnipotenti non deerit, unde suam de te compleat voluntatem.* Deus ergo vel intendit efficaciter & determinatè salutem electorum; & tunc eâ nusquam frustratur, vel disjunctim intendit omnium salutem, aut certè si salvari noluerint, punitionem;

eam verò peccator nunquam effugiet: atque ita fit semper alterutrô modô divina voluntas.

Repones secundo, voluntatem conditionatam æquipollere voluntati absolutæ, quando conditio ponenda pendet à voluntate: sed ipsa conditio ex qua pendet hominum salus, nempe *(si ipsi velint)* non minùs à voluntate Dei dependet quam ipsa salus; non enim potest ab humana voluntate præstari, nisi à divina voluntate præstetur, cùm homo nec velle possit, nec operari, nisi Deus hoc dederit, ipse enim est qui operatur in nobis & velle & perficere: igitur voluntas conditionata salvandi omnes æquipollet absolutæ: atqui non est voluntas absoluta in Deo salvandorum omnium: ergo nec voluntas antecedens & conditionata.

XXXVIII. Qualiter voluntas quâ volumus salvari pendet à voluntate Dei.

Distinguo minorem: Conditio ex qua pendet salus dependet à voluntate Dei, omnino nego: partim concedo: nam etsi homo non possit salvari, nisi volente Deô & præparante voluntatem hominis, non ita tamen eam præparat in omnibus, quin consensum etiam hominis desideret, ut præclarè docet sanctus Augustinus lib. de gratia Christi & libero arbitrio cap. 17. *Ipse*, inquit, *ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus, sine nobis operatur, cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen ut sine illo vel operante velimus, vel operante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Ipsi eleganter subscribit sanctus Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 9. „Ad obediendum „sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis ipsam mutabilitatem, quæ potest nolle, non „auferat. Alioqui nemo unquam fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret: neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur: & collatam sibi gratiam nemo negligeret: sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimium proclivisque descensio est, numquam [illegible] in auribus fidelium vox illa Domini non sonat: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Ita denique concludit:* Igitur sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant; sic & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant, ita & isti in sua habent potestate ut veniant: fitque manifestum, quòd diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed qui veniunt, Dei auxiliô diriguntur; qui non veniunt, suâ pertinaciâ reluctantur.

XXXIX. Quomodo S. Augustinus explicat voluntatem quâ Deus vult omnes homines salvos fieri.

Repones tertiò, eô modô Deum censeri velle omnium hominum salutem, quô modô eam voluntatem explicat sanctus Augustinus: sed sanctissimus ille Doctor ita voluntatem explicat, ut particulam *(omnes,)* non collectivè sed distributivè usurpet; ita quòd non ad omnes prorsus homines sigillatim, sed duntaxat ad eorum aliquos illa divina voluntas ordinetur: *Primò* namque voluntatem illam divinam salvandi omnes homines interpretatur per distributionem accommodam lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. *Sicut*, inquit, *integrè loquimur, cùm de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus, omnes iste litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita rectè dicimus omnes Deus docet venire ad Christum: non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Secundò accipit hanc sententiam incompletè; seu, ut loquuntur, *non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum*, quia scilicet ex omni hominum genere, ætate, sexu, conditione, prædestinati eliguntur. Sic lib. de correptione & gratia cap. 14. *Quod scriptum est*, inquit, *vult omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi fiunt, multis quidem modis intelligi potest; sed hic unum dicam id ita dictum, ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est.* Tertio ait Deum idcirco dici velle omnes homines salvare, quia facit ut omnes qui salvantur, velint salvari: quô sensu lib. de correptione & grat. cap. 15. interpretatur dictum illud Apostoli ad Galat. cap. 4. *Misit Deum Spiritum Filii sui clamantem Abba Pater*, id est, nos clamare facientem. *Si ergo*, inquit, *clamantem spiritum rectè dicit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus, rectè etiam & volentem Deum a quo efficitur ut velimus.* Ex quibus inferunt adversarii Deum non intendere singulorum hominum salutem.

Verùm nego hanc illationem, his enim locis & exemplis non potest inferri negatio divinæ voluntatis in omnes, sed negatio solùm executionis & effectûs; ideirco expositiones illæ ad voluntatem absolutam & consequentem duntaxat referendæ sunt; quod utique apertè constat ex ipso loquendi modo sanctissimo illi Doctori familiari; quærit enim ubique non tam cur Deus aut mediator liberare nolit eos qui perierunt, quàm cur reipsâ non liberet, non redimat, non salvet: quô sensu dicebat Apostolus Galatis miserè pereuntibus cap. 5. *Christus vobis nihil proderit; evacuati estis à Christo*, id est locum ibidem exponente sancto Augustino, *Christus à vobis tanquam à possessione quam tenebat abscedit:* quia videlicet vestro defectu ipsius mors nihil vobis proderit.

Tertia Probatio.

Ex morte Christi pro omnibus hominibus.

XL. Probatur 3 gratiam sufficientem omnibus dari, ex eo quòd Christus D. pro omnibus mortuus est.

EIs præparantur ac disponuntur gratiæ sufficientes, pro quibus Christus mortem obiit, & pretiosissimum sanguinem in redemptionem divino Patri obtulit: sed obtulit eum pro singulis quibuslibet hominibus: igitur singulis præparat ac confert gratiam sufficientem. Majorem admittunt omnes. Minor verò probatur. 1. ex illo Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt:* quæ Apostoli illatio tripliciter potest intelligi. 1. Ut inferatur omnes mortuos esse morte peccati in Adamo. 2. Omnes mortuos esse veteri vitæ. 3. Debere quemlibet se reputare, ac si esset mortuus sibi ipsi: quôcumque autem sensu intelligatur hæc consequentia, supponit quòd in antecedenti conceditur, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Nam si pro quibusdam tantùm mortuus est Christus, quomodo inde colligitur quòd omnes mortui sunt peccato Adæ; quòd omnes mori debeant veteri vitæ, quòd quilibet debet se reputare tanquam mortuum sibi ipsi? Colligitur eadem veritas ex illo 1. Joan. 2. ubi dicitur de Christo Domino quòd, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Ubi nomine *totius mundi*, non solùm Electos ex toto mundo, sed etiam reprobos significat, ut interpretatur Concilium Tridentinum sess. 6. c. 3. ubi ex illo sancti Joannis loco, quem retulit in fine capitis præcedentis, sic infert. *Verùm etsi ille*

Ut constat 1. ex S. Scriptura.

ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Quibus verbis docet Concilium, Christum etiam mortuum fuisse pro eis, qui mortis ejus beneficium non receperunt.

XLI. *1. Ex SS. Patribus.*

PROBATUR 2. eadem major authoritate sanctorum Patrum. 1. quidem eorum, qui sanctum Augustinum antecesserunt, quique unanimi calculô docent Christum pro omnibus fuisse mortuum. *Gregorio Nazianz.* Sic Nazianzenus orat. 25. *Omnes*, inquit, *citra nullam exceptionem instaurati sumus per cœlestem Adamum, qui primi Adæ participes fuimus, & à serpente decepti, & peccato mortui.* *Chrysost.* Chrysostomus homil. 4. in cap. 2. Epist. ad Heb. *Ut gratia Dei*, inquit, *pro omnibus gustaret mortem, non pro fidelibus tantùm; sed pro universo mundo; ipse enim pro omnibus mortuus est.* *Epiphan.* Epiphanius hæresi. 55. *Pro toto quidem mundo se obtulit ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse Pontifex, ipse ovis, omnia in nobis pro nobis factus est, ut nobis omnibus modis vita fieret.* Ambrosius sermone in Psalm. 118. *Mysticus sol ille justitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est & omnibus resurrexit.*

XLII. *Sed maximè ex S. Augustino.*

PROBATUR 3. authoritate ipsius sancti Augustini qui hanc veritatem plurimis momentis firmat: *Primò* quidem omnibus illis locis in quibus ait Christum fudisse sanguinem pro omnibus ac singulis hominibus quos in mundi fine judicabit. *Qui declarat Christū pro iis omnibus mortuum quos judicabit.* Sic in Psal. 95. *Iudicabit orbem terrarum in æquitate; non partem; quia non partem emit: totum judicare habet; quia pro toto pretium dedit.* Explicat paulò post quid nomine *orbis terrarum* intelligat, dicens: *Qui judicat orbem terrarum in æquitate & populos in veritate sua; quæ est æquitas & veritas? congregabit secum electos suos ad judicandum: cæteros autem separabit ab invicem: positurus est enim alios ad dexteram, alios ad sinistram, &c.* Igitur *orbis terrarum* nomine, eos omnes intelligit qui in judicio cùm ad dexteram, tùm ad sinistram collocabuntur, id est electos omnes ac reprobos: adeoque cùm asserit Christum judicaturum totum orbem, quia totum emit; disertè significat Christum electos, ac reprobos omnes judicaturum, quia electis ac reprobis sanguinem impendit.

Quam utique veritatem præclarè confirmat & explicat sermone 67. de tempore, ubi Christum in extremo judicii die ita peccatores compellantem inducit: » *Ego te ô homo*, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum..... cùm expulsus de Paradiso, jure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem uterum, sine dispendio virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus, & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem pertuli; *Nota.* irridentium palmas, & sputa suscepi, acetum cum felle bibi: flagellis cæsus, vepribus coronatus, crucifixus, vulnere perfossus, ut tu eriperetis morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi; en perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres; conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo; cur quod pro te pertuli perdidisti? cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti? non te ego de morte mea quæro: redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi.... Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus ascendi: cùm essem impassibilis, pro te pati dignatus sum. Sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in judice veniam, in cruce vitam, in suppliciis medicinam. Hæc Doctor.

XLIII. *Similiter quòd pro omnibus sanguinem fuderit, quos Adami culpa infecit.*

Confirmat 2. eandem veritatem sanctus ille Doctor iis omnibus testimoniis, quibus clarè affirmat Christum pro omnibus sanguinem fudisse, quos Adami culpa infecit. Sic lib. 20. de civit. Dei, cap. 6. ait: *Apostolus inquit: Ergo omnes mortui sunt, quòd pro omnibus mortuus est unus: ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit; omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus exceptô: sive in originalibus, sive etiam voluntate additis: vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est: & pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus, id est nullum omnino habens peccatum.* Quasi diceret: Pro his omnibus qui mortui erant, sive peccato originali, sive actuali, mortuus est Christus: sed nullus est omnino hominum, qui non fuerit mortuus per peccatum, sive originale, sive actuale: igitur Christus pro omnibus omninò hominibus mortuus est. Pereleganter ac naviter hanc veritatem firmat lib. 2. operis imperfecti, cap. 174. ubi cùm Julianus ad Apostoli testimonia quædam eludenda dixisset: *Omnes* pro *multis* pene innumera Scripturæ testimonia testantur; respondet sanctus Augustinus: *Hinc te exue si potes, quòd unus pro omnibus mortuus est, & aude dicere non omnes esse mortuos, pro quibus mortuus est Christus: cùm statim tibi Apostolus fauces premat, & opprimat ad audacissimam vocem quid sequeretur ostendens & dicens:* ERGO OMNES MORTUI SUNT. *Noli sic laudare Apostolum, noli exponere ut nolis audire: si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, in hos omnes qui mortui sunt, cum peccato mors pertransiit, per illum in quo omnes moriuntur; ubi sunt & parvuli, quia pro ipsis Christus mortuus est, qui propterea omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt.* Quibus apertè significat eôdem planè modô accipiendam esse hanc vocem, *omnes*, cùm dicit Apostolus Christum pro omnibus mortuum, ac cùm ait, omnes esse mortuos.

XLIV. *Denique quòd multi pereant pro quibus redimendis mortuus fuerat.*

Confirmat tertiò eis omnibus momentis, quibus docet multos reipsà damnari, pro quibus redimendis Christus mortuus est: Sic in Psalmum 38. docet Christum voluisse quoque redimere Judam proditorem, atque ut illi salutem æternam conferret, sanguinem suum fudisse: *Christus pati venerat*, inquit, *& punivit, per quem passus est: Nam Iudas traditor punitus est, & Christus crucifixus est: sed nos redemit sanguine suô, & punivit illum de pretio suo; projecit enim pretium argenti, quô ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quò ipse à Domino redemptus erat.* Ipsi subscribit S. Fulgentius lib. 2. de redempt. pecc. cap. 7. ubi ait: *Miserrimus Iudas, qui cùm malè crimen traditionis admiserit, pejus illius criminis pœnitudinem gessit; quia penitus indulgentiam non quæsivit; ac sic illa gravis culpa pœnitentia deterior est inventa, quàm culpa. Illud etenim Dominicæ traditionis peccatum habuit posterius tempus, quô posset ablui; illum verò punit sententia, quæ non conversionem habuit sed desperationem. Ideo pœnitentem non adjuvit, sed peremit; quia sibi conver-*

sionis tempus occisione abstulit, & indulgentiam desperatione substraxit: tantùm ergo valet opportunitas concessi temporis ad indulgentiam peccatorum. Hinc vides Christum fuisse paratissimum veniæ indulgendæ, si eam sibi proditor non substraxisset morte præveniendo *posterius tempus, quo peccatum ejus posset ablui.*

Eandem veritatem confirmat Joannes Malderus Episcopus Antuerpiensis in Antisynodo cap. 7. hac invicta ratiocinatione, quâ Calvinianos Christum pro solis electis mortuum esse statuentes, sic impugnat: Nullus electus, perit: aliquis, propter quem mortuus est Christus periit: ergo aliquis propter quem mortuus est Christus, non est electus. Minorem probat ex illo Apostoli testimonio 1. Corinth. 8. *Peribit infirmus in tua sententia frater, proper quem Christus mortuus est.* Necnon & ex illo ad Rom. 14. *Noli cibò tuò illum perdere, pro quo Christus mortuus est.*

XLV. Idem docent, S. Prosper.

Probatur denique, Christum pro singulis hominibus mortuum ex communi sancti Augustini discipulorum doctrinâ. Imprimis rem hanc disertè declarat S. Prosper in præfatione ad objectiones Vincentianas, ubi clarissimè demonstrat Massilienses Presbyteros, qui querebantur S. August, docuisse Christum pro omnibus ac singulis hominibus non esse mortuum, probat calumniari illos & prodigiosô mendaciô, impiam, profanam ac blasphemam opinionem tanto Doctori affingere; ibi enim ait Aug. hostes collegisse *ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia*; ut persuadeant talia ab eo doceri, *qualia diabolicô continentur indiculô*; quas etiam opiniones appellat, *impias, profanas, blasphemas*: tum eas opiniones recensens, primum locum tribuit isti, *quod Dominus noster Iesus Christus, non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus*: Hinc ibidem ipsemet sententiam aperit scribens in responsione ad primam objectionem; *Quod ad magnitudinem*, inquit, *& potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani.* SANGUIS CHRISTI REDEMPTIO EST TOTIUS MUNDI: *Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Dominò nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras.* Et quibusdam interpositis: *Poculum quippe immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.* Simillimam adhibet responsionem, cùm Gallorum capitula dissolvit: nam hoc quasi fundamentum ponit: SALVATOR CRUCIFIXUS EST PRO OMNIBUS NOBIS. Deinde subjicit: *Cùm itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Atque ut clariùs ostendat pro ipsis etiam reprobis Christum obiisse: *Diversa*, inquit, *ab istis fors eorum est, quia inter illos censentur, de quibus dicitur, Mundus eum non cognovit: Ut possit secundùm hoc dici Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt.* Quibus ut explicaret quomodo Christus ita hominum causam in cruce egerit ut nullus ab eo sit prætermissus, rationes duas profert, sub quibus omnes ac singulos nullô prorsus exceptò in oblatione sua Christus comprehendit. *Prima* est, natura humana quam suscepit. *Secunda*, ejusdem naturæ originalis corruptio quæ ex Adami peccato profluit; cùm enim & pro natura humana, & pro ejusdem originali delicto sanguinem suum destinârit; nullusque sit qui illius naturæ & delicti non sit particeps, ita nec ullus esse potest, cujus causâ mortem non obierit.

S. Leo, cujus Prosper Notarius fuisse dicitur, simillima profert sermone primô de Nativitate Domini: *Dominus noster*, inquit, *peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et sermone 11. de Passione Domini: *Pro omnibus impiis mortuo Domino*, inquit, *etiam Iudas in eo potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* — S. Leo.

S. Salvianus lib. 2. ad Ecclesiam: *Christus, sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis: & cunctis se impendit pariter & singulis: & totum se dedit universis, & totum singulis: ac per hoc quidquid passione suâ Salvator præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum singuli.* — S. Salvianus.

Sanctus Cæsarius Arelatensis homiliâ 27. aperiens cur Christus in judicio vulnera pro reprobis suscepta eis sit ostensurus, ait: *Quod si requiras quomodo veniat? in illo utique corpore quod pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum, & pro nostrorum vulnerum medicina lanceâ, clavisque confixum est. Prima enim erit in Reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum: quid igitur illò tempore facturi sumus, quando contra illos crucifixi Domini livores, notæ peccatorum nostrorum, & macula libidinis proferentur? aut quô putas vultu respiciet Redemptio nostra perditionem nostram? tantò graviora erunt humana delicta, quantò majora se ostenderint divina beneficia.* Similia habent Beda in cap. 24. Lucæ, & Laurentius Justinianus lib. ligni vitæ cap. 4. — S. Cæsarius

Objicies: Christus Dominus pro solis prædestinatis est mortuus: ergo non pro omnibus & singulis hominibus. Probatur antecedens. Primò ex Scriptura. Sic Joann. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Et cap. 17 *Non pro mundo roga, sed pro his quos dedisti mihi.* Ubi S. August. *Mundum*, inquit, *vult hoc modò intelligi, qui non sunt in ea sorte gratiæ ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro his, sed pro illis quos ei Pater dedit rogare se dicit.* Hinc Epist. 102. referens hæc verba Christi Domini Joan. 27. *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex his periit*: ait *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*: Igitur, &c.

XLVI. Duplex est intentio Dei circa salutē hominum.

Respondeo quod sicut duplex est in Deo genus intentionis circa salutem humanam; unum generale, quod sæpe privatur intentô, vel effectu; alterum est speciale quod nunquam impeditur aut infructuosum est: *in Filiis Dei, in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscriptis*: ut loquitur S. August. lib. de Correptione & Gratia cap. 9. ita duplex est intentio Mediatoris: Una *generalis*, quæ suô fraudari potest effectu, de qua loquebatur Apostolus ad Galatas, dicens; *Evacuati estis à Christo*, hoc est, frustrati estis meritis ejus, *pro vobis quidem mortui, sed inutiliter propter vestram socordiam & inconstantiam*: altera verò *specialis* quæ, spectat ad Prædestinatos & eos qui Christi passionis meritum per fidele suum obsequium sibi applicant. Quam utramque Mediatoris intentionem sic explicat S. Prosper ad objectionem nonam Gallorum: *Cùm rectissimè dicatur Salvator*

pro totius mundi redemptione crucifixus ; potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Eôdem planè sensu loquitur S. August. expositione in Psalmum 87. exponens hæc verba *Tota die expandi manus meas*, ubi ait: *Solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus ejus bona opera profuerunt.* De posteriori intentione Mediatoris intelligenda sunt testimonia in objectione posita ; non autem de priori, de qua nobis est sermo.

Ojicies secundò illud Joann. 11. *Ego sciebam, quia semper me audis.* Ex quo sic argues : Semper Christus exauditur à Patre pro his, pro quibus orat : atqui non exauditur pro salute Reproborum : ergo pro his nec orat, nec moritur.

XLVII. Christus D. exauditur semper pro iis pro quibus orat efficaciter.

Distinguo majorem : Exauditur Christus semper in his quæ postulat à Patre efficaciter & absolutè, concedo : in his quæ postulat tantùm conditionatè, nego : nam, ut egregiè ait S. Thomas in cap. 17. Joann. *Christus quantùm est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua quantùm est de se efficax est, ut valeat toti mundo : sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in sanctis & electis Dei : & hoc propter impedimentum mundanorum.*

Instabis ex S. August. lib. 21. de Civitate Dei cap. 24. *Si de aliquibus certa esset Ecclesia quòd prædestinati sint in æternum ignem paratum diabolo, tam pro iis non oraret, quàm nec pro ipso* ; atqui Christus novit reprobos prædestinatos esse in ignem æternum : ergo pro eis non oravit.

Respondeo primò S. August. sic non generatim asserere, quòd si nosset Ecclesia qui prædestinati sunt in ignem æternum ire cùm diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso: longè enim alia est ipsius mens eò loci : agit enim adversus illos, qui in judicio Dei omnibus reis propter Sanctorum preces putant esse parcendum. Atque hanc opinionem inde confutat, quòd eâ admissâ nulla causa est cur non etiam nunc pro diabolo & Angelis ejus oret Ecclesia: quod ut absurdum esse convincat, asserit Ecclesiam, si modo sciret, quinam ex viventibus prædestinati sunt in ignem æternum ire, pro illis non oraturam, oratione nimirum quæ ex absoluta salutis voluntate oritur, licèt orare posset pro eorum ad Christum conversione, quandiu sunt in vivis. Quemadmodum enim Deus positâ præscientiâ damnationis Luciferi, voluit quantùm in se erat ejus salutem, & sufficientia ad eam obtinendam auxilia illi contulit: Ita, inquit S. Bonaventura in 1. dist. 46. qu. 1. *si quis sciret aliquos esse præscitos, quamvis quantùm in se est, deberet eos velle salvari, non tamen voluntate absolutâ.* Igitur Ecclesia cognitâ hominis adhuc viventis reprobatione, potest ejus salutem, quantùm in se est velle, & ex illa voluntate gratias sufficientes pro eo postulare.

XLVIII. Gratia quã S. Aug. dicit non omnibus dari, est gratia fidei sive sanitatis.

Objicies tertiò sanctum Augustinum Epist. 107. ubi ait : *Scimus* (inquit) *gratiam Dei majoribus ad singulos actus dari : scimus non omnibus hominibus dari ; scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari ; scimus eis quibus non datur, justô Dei judiciô non dari.* Et lib. de peccatorum meritis & remissione cap. 19. docet justis interdum Deum vel certam scientiam vel victricem delectationem non tribuere : *Intelligamus*, inquit, *si possumus, Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum.* Similia habet pluribi : igitur Deus

A aliquibus gratiam denegat.

Respondet Bellarminus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 8. sanctum Augustinum explicandum esse, maximè Epistolâ ad Vitalem de gratia, quæ discernit Fideles ab infidelibus, & justos ab impiis, scilicet de gratia fidei, nec-non & de gratia sanctificante. Cujus responsionis veritas colligitur, *Primò*, ex eo quòd de ea gratia quæstio erat S. Augustino cum Vitale ; Vitalis enim existimabat, ut refert S. August. initiô ejusdem Epistolæ : *Vt credamus in Deum & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse.* Hujus sententiam adhuc clariùs exprimit
B S. August. in fine ejusdem Epistolæ : *Tu autem, si ea quæ de te audio vera sunt initium fidei ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis? Non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus ; cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis.* Secundò, quia id videtur innuere sanctus Augustinus in verbis præcedentibus, ubi eam indicat gratiam per quam renascimur in Christo: *Scimus secundùm Adam carnaliter natos contagionem mortis antiquæ prima nativitate contrahere, nec liberari à suppliciis mortis æternæ, nisi per gratiam renascamur in Christo.* Tertiò, quia S. August. hanc propriè gratiam ait appellari ab Apostolica doctrina Episto-
C lâ 95. *Hanc*, inquit, *Apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, quâ salvamur & justificamur à propria iniquitate.*

Vrgebis. Hæc gratia, fidei scilicet in Christum, non est necessaria ad singulos actus : gratia autem quam hîc sanctus Augustinus ait non omnibus dari, eadem est quæ dicitur necessaria ad singulos actus : igitur, &c.

Respondet idem Bellarminus, gratiam justificantem necessariam esse ad singulos actus qui propriè actus dicuntur, id est, ad actus justitiæ. Neque ab Augustini sensu recedit omnino : cùm S. Augustinus id suggerat lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. *Ex fide*, inquit, *ideo dicis Apostolus justificari hominem, non ex operibus, quia*
D *prima datur, ex quâ impetrentur cætera quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur.*

Quòd si volueris S. Augustinum ibi agere de gratia generatim quam negat omnibus dari : *Respondebo* quòd idcirco dicat eam non omnibus dari, quia parvulis quibusdam non datur: subdit enim: *Quomodo dicitur omnes homines eam gratiam fuisse accepturos, si non illi quibus non datur, eam sua voluntate respuerent, quoniam vult Deus omnes salvos fieri, cùm multis non detur parvulis & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque pa-*
E *rentibus, ministrisque volentibus ac paratis, Deo nolente non datur, cùm repente, ac antequam detur expirat, pro quo ut acciperet, currebatur?*

QUÆRES PRIMÒ.

An ipsis quoque infidelibus Deus concedat gratiam sufficientem, tum ad vitanda peccata, tum ad salutem certis gradibus promovendam?

AFfirmo ; hic namque divinæ bonitatis & misericordiæ in omnes prorsus homines, quotquot fuerunt, sunt, & erunt, influxus apertè colligitur tum ex generali voluntate Dei, quâ

vult omnes homines salvos fieri, tum ex speciali illa Christi Domini oblatione, pro omnium ac singulorum hominum salute.

XLIX.
Infideles habent gratiam sufficientem quâ possint salvari.

Atque id perspicuè insuper colligitur ex sancto Augustino, cùm ait adultos omnes ideircò damnandos, quòd oblatam sibi redemptoris gratiam protervè repudient; quid enim aliud significat, cùm ait lib. de natura & gratia, cap. 67. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis; ista tua propria peccata sunt?* Quid cùm exclamat tract. 36. in Joan. *Venit Christus, sed primò salvare, posteà judicare: eos judicando in pœnam qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam qui credendo salutem non respuerunt?* Quid tandem cùm ait libro de catechisandis rudibus, cap. 26. *A quo interitu, hoc est, pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum? &c.* Quibus declarat Deum velle homines liberare, si non resistant misericordiæ Creatoris sui; subindeque illis gratiam impertit, per quam, qui damnantur, à pœnis sempiternis eripi possint, nisi divinum illud beneficium repudiarent. Prælusit huic Doctori ejus cœlestis Præceptor Ambrosius in Psal. 108. in hæc verba. *Misericordia Domini plena est terra*, ubi ait: *Mysticus Sol ille justitia omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: ideò autem passus est ut tolleret peccatum mundi; si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo Sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod Solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit.*

Ut docent SS Patres, Augustinus.

Ambrosius.

Prosper.

His præclarè & disertè subscribit S. Prosper, » lib. 2. de vocatione Gentium, cap. 31. Elaboratum » est, *inquit*, quantùm Dominus adjuvit, ut non » solùm in novissimis diebus, sed etiam in cunctis » retrò sæculis probaretur gratiam Dei omnibus » hominibus adfuisse, providentiâ quidem pari & » bonitate generali, sed multimodo opere diversâ- » que mensura: quoniam sive occultè, sive mani- » festè, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium » hominum, maxime fidelium: quæ sententia sub- » tilissimæ brevitatis & validissimi roboris si tran- » quillò consideretur intuitu, totam hanc, de qua » agimus, controversiam dirimit; dicendo enim qui » est Salvator omnium hominum, confirmavit bo- » nitatem Dei super universos homines esse gene- » ralem: adjiciendo autem MAXIME FIDELIUM, » ostendit esse partem generis humani, quæ me- » ritò fidei divinitùs inspiratæ ad summam atque » æternam salutem specialibus beneficiis prove- » hatur.

L.
Quantùm hæc assertio à Pelagianis discrepet.

Dices 1. Gratia illa, quâ Deus infideles ad se vocat, ipsa est quam Pelagiani admittebant, asserentes infideles per creaturarum ministeria ad Deum evocari: igitur reverà Deus gratiam infidelibus non largitur.

Nego majorem: Pelagiani namque duntaxat admittebant gratiam exteriorem cohortationis, legis, & doctrinæ: *Intellectum est enim*, inquit S. Prosper epistolâ ad Ruffinum, *saluberrimèque perspectum hoc tantùm eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio sit magistra, sique per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturarum contemplationem, per miracula, perque terrores extrinsecùs judicio ejus ostendat.*

Porrò longè ab eorum insania, nostra discrepat assertio; quanquam enim non abnuamus Deum sui notitiam & timorem ingerere infidelibus per creaturarum ministeria, ut docet sanctus Augustinus lib. de natura & gratia cap. 67. dicens: *Cum ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem;* nihilominus exterior illa infidelium gratia internæ adjungitur, quâ & illustretur eorum intellectus, & voluntas ad bonum excitetur & juvetur; quemadmodum gratia quâ homines in Christum credunt, etsi ferè semper per externam Evangelii prædicationem conferatur, interiorem tamen Spiritûs sancti afflatum comprehendit.

Quam utique veritatem luculenter declarat » Orosius in Apologetico de arbitrii libertate, ubi » ita Pelagium carpit: Mea semper hæc est fidelis » atque indubitata sententia, Deum adjutorium » suum, non solùm in corpore suo, quod est Ec- » clesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ » suæ dona largitur, verùm etiam universis in hoc » mundo Gentibus longanimem suam æternamque » clementiam subministrare: non, ut tu asseris cum » discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam » Synodum occulta illa impiorum dogmatum na- » tura contusa est, in solo naturali bono, & in li- » bero arbitrio generaliter universis unam gratiam » contributam, sed speciatim, quotidie, per tempo- » ra, per dies, per momenta, per atoma & cunctis » & singulis ministrare. Ne quis tamen inde colligeret singulis momentis gratiam conferri, paulo post mentem suam explicat, docetque de iis momentis istud esse intelligendum: quibus dæmonis tentationi, vel domesticâ carnis corruptelâ ad peccandum impellimur. *Evidentissimè*, inquit, *declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium, præsertim cùm & seductor insistat, & insit infirmitas:* id est impotentia exequendi mandati, ex carnis infirmitate profecta.

Dices secundò: Semipelagiani admittebant gratiam sufficientem in omnes effundi; atque adeò posse infideles ejus beneficiô ad fidem accedere: Sic enim S. Prosper in epist. ad S. Augustinum de ipsis ait: *Universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam: ut quicumque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.* igitur nostra assertio Semipelagianorum errorem sapit.

Nec-non à Semipelagianis.

Nego consequentiam: Semipelagiani namque docebant posse hominem quemlibet naturæ viribus & sine interna Spiritûs sancti ope, quærere, pulsare, credere; atque his naturæ operibus gratiam promereri, ut docet S. Prosper in eadem epistola: *Priorem*, inquit, *esse volunt obedientiam quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem.* Manifestum est igitur nos ab eorum hæresibus longè distare; quippe ne minimum quidem voluntatis ad fidem & salutem aspirantis conatum sine interna & supernaturali gratia fieri posse affirmamus.

LI.
Duplex est fides: una initialis quam habent infideles.

Dices tertiò: Fides est prima gratia: sed infideles non habent fidem: ergo nec illam gratiam.

Respondeo, duplicem fidem distingui; nempe *Unam* quâ creditur in Deum quomodocumque, id est, aliquô modô, sive quatenus cognitum per

deles: una perfecta quam habent infideles.

creaturas, non tamen sine aliquo supernaturali lumine, qualis fuit fides in Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ: *alteram* a qua fideles fiunt, & quâ reverà incorporantur corpori Ecclesiæ. De priori loquitur sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. Incipit, *inquit*, homo percipere gratiam ex quo incipit Deo credere vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem: sed interest quibus articulis temporum, vel celebratione sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur: non enim catechumeni non credunt, aut verè Cornelius non credebat Deo cùm eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui Angelus mitteretur: sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset: nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritûs, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis; sicut in ipso Cornelio antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. De posteriori verò fide loquitur idem S. Doctor ibidem, dicens: *In quibusdam tanta est gratia fidei, ut jam corpori Christi & sancto Dei templo deputentur.* Prior fides offertur omnibus habentibus usum rationis juxta illud Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* Posterior verò solis fidelibus propria est. Hinc sanctus Augustinus cap. 9. de prædestinatione Sanctorum: *Fides igitur*, inquit, *& inchoata & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omninò non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.*

Prior datur omnibus; non posterior.

Instabis ex sancto Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. Fides etiam inchoata non omnibus datur: igitur non omnes habent sufficiens auxilium ad salutem.

Distinguo antecedens: Fides inchoata quatenus significat fidem Christi incipientem per prædicationem Evangelii, non omnibus datur concedo: quatenus significat obedientiam & inspirationem Dei, quâ nempe Deo interiùs & exteriùs monenti quis parere potest, non omnibus datur, nego. Nec alia certè ibi fuit mens sancti Augustini: ibi enim refert & approbat quæ scripserat contra Porphyrium Epistola quartâ; ubi agens de tempore ortûs Christianæ religionis, resolvensque cur tandiù Deus distulerit adventum Christi *ait:* Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis apparere vel prædicari meritò nollet; quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat? neque enim incredibile est tales tunc fuisse omnes, quales ab ejus adventu usque ad hoc tempus tam multos fuisse atque esse miramur, & tamen ab initio generis humani aliàs occultiùs, aliàs evidentiùs, sicut congruere temporibus divinitùs visum est; nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defuerunt: & ab Adam usque ad Moysem, & in ipso populo Israël quæ speciali quodam mysterio gens Prophetica fuit; & in aliis Gentibus, antequàm venisset in carne. *Hæc S. Doctor.*

Neque contradicit S. Augustinus.

Vrgebis: Eis Deus denegat auxilium fidei sive inchoatæ, sive perfectæ, quibus prohibet prædicari Evangelium: sed aliquibus nationibus Deus prohibuit Evangelium prædicari; legimus enim Actuum 16. quòd Paulus & Timotheus vetati sunt à Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia, & cùm tentarent ire prædicaturi in Bytbiniam, non permisit eos Spiritus Jesu: ergo gratia fidei quibusdam negatur.

Distinguo minorem: Gratia Evangelicæ prædicationis quibusdam denegatur propter prævisum abusum & ob eorum peccata, concedo: gratia quævis Deum manifestans & ad ejus cultum inducens quibusdam negatur; nego.

Dices 4. S. Apostolus Actorum 14. ait: *In præteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas:* Igitur non eis auxilia sufficientia subministravit, quibus ad verum virtutis & salutis tramitem sese reciperent.

Nego consequentiam: Nam, ut præclarè ait S. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 4. *Ne in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri Iesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptum est:* ILLUXARUNT CORUSCATIONES TUÆ ORBI TIRRÆ, *defuit mundo. quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israëliticum esse electum: omnesque alia nationes suas vias ingredi, hoc est, secundùm propriam permissa sunt vivere voluntatem: non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab ıllis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum nullis significationibus admoneret.* Atque ut ostendat quò sensu Gentes dicantur à Deo derelictæ, subdit: *Qui quidem licet in comparatione* ELECTORUM, id est, Judæorum, *videantur abjecti: sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati.*

Neque S. Paulus.

Instabis: Idem Apostolus ait: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent sine prædicante?* Sed plurimis nationibus non est prædicatum Evangelium: subindeque illis non est subministratum medium sufficiens ad salutem.

Nego consequentiam: Nam ibidem Apostolus objectioni suæ respondens, ait: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, quod utrique intelligitur *vel* de Apostolis & Evangelicis prædicatoribus, qui Christum ubique terrarum annuntiârunt, juxta sibi præscriptum ab ipso Domino mandatum. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Vel* intelliguntur ea verba de ipso cœlorum concentu & ordinatissima creaturarum omnium dispositione, per quam facilè creator omnium potest cognosci: *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit earum creator videri:* ait Sapiens, cap. 13. *Invisibilia namque Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, inquit Apostolus Rom. 1. itaut hæ *Gentes quæ legem non habent*, nempe Mosaïcam, vel Evangelicam, *sint inexcusabiles... quia cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.*

LII. Quomodo Gentiles potuerint habere notitiam naturalem Dei.

Hinc Trismegistus in dialogis dicit hunc mundum esse *præclarum speculum in quo cernitur author naturæ.* Et Dionysius ad Titum, *Mundum rerum divinarum, quæ non videntur integumentum* appellat. Et Basilius homil. in Exanieton, ait illum esse *librum in quo legitur Deus.* Et Athanasius oratione contra idola, esse *musicum instrumentum* quò suavis edatur divinæ notitiæ concentus: idem esse *picturam* quæ suum probat Authorem; quæ omnia confirmat S. Apostolus Rom. 10. dicens *Non est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus dives in omnes qui invocant eum.* Ubi per *Græcum*, intelligit Apostolus cæteras nationes distinctas à Judæis, quibus Deus confert media

sufficientissima ad salutem. Hinc sanctus Prosper lib. de Vocatione Gentium cap. 15. *Adhibita*, inquit, *semper est universis hominibus quadam superna mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus judicavit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Et cap. 17. *Quemadmodum quasdam gentes, quod ante non nôrunt, in consortium filiorum Dei novimus adoptatas; ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit: non ambigimus etiam circa illas occulto judicio Dei tempus vocationis esse dispositum quò Evangelium, quod nondum viderunt, audiant atque suscipiant: quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus hominibus est præbita non negatur.*

Petes: An infideles per ea generalia auxilia quæ ipsis conferuntur ad Deum cognoscendum, & mandata ejus lumine naturali cognita servanda, præparari possint ad fidem Christi?

Et per eam præparari ad fidem initialem.

Respondeo, id videri probabilius; tum quia Cornelius Actuum 10. oratione & eleemosynis id assecutus est, ut ad eum Deus dirigeret Angelum, qui ipsum moneret accersendum esse Petrum ut Christi fide instrueretur & baptizaretur: Tum quia id docent SS. Patres & Theologi, nam sanctus Basilius in regulis brevioribus interrogatione 224. ait; *Si inciderit ut aliqui Cornelio sint similes, qui in nulla re mala sint occupati ac cupidi perfectionis, bona illa quæcumque posita sunt in ipsorum facultate ac cognitione verè sincerèque exerceant, his sine dubio ea largietur Deus quæ etiam Cornelio.* Quapropter S. Thomas quæstione 14. de veritate art. 11. ad primum; Si, inquit, aliquis in silvis nutriatur, ubi nihil de fide audiat, nec cognoscere possit, ductum tamen rationis naturalis sequeretur cum appetitu boni & fuga mali; certissimè est tenendum quòd Deus ei per internam rationem inspiraret quæ ad credendum sunt necessaria; vel fidei prædicatorem mitteret, ut Cornelio Centurioni. Tum denique, quia ad divinam providentiam spectat, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo non fiat obex ex parte suscipientis.

Quæres Secundò.

Utrum infantibus omnibus providerit Deus remedia sufficientia ad salutem?

LIII. Status quæstionis ponitur de gratia concessa parvulis morituris & non baptizatis.

Observandum, priusquam quæsito fiat satis, hic sermonem non institui de parvulis morientibus post susceptum sacrum baptisma, illis enim sacramentum hoc esse remedium sufficientissimum salutis consequendæ nemo dubitat: sed agimus duntaxat de parvulis illis, qui migrant ex hac vita antequam baptizentur; qui quidem sunt in duplici differentia: quidam enim moriuntur in uteris matrum, idque vel parentum incuriâ, vel solo casu, solâque vi naturæ; alii verò moriuntur postquam nati sunt & priusquam ad annos discretionis pervenerint.

Insuper, distinguendum est inter parvulos infidelium & fidelium; nam parvulis infidelium morientibus sive in uteris matrum, sive sub dominio parentum nullâ prorsus humanâ diligentiâ potest applicari baptismus. An autem parvulis fidelium, sic decedentium possint applicari quædam remedia; controvertitur apud quosdam Theologos, quidam enim censent non esse improbabile parvulis fidelium in uteris matrum decedentibus Deum extraordinariè opitulari propter singularem parentum pietatem & assiduas eorum preces ac continua vota quibus Deum exorant, ut parvuli ad Baptismi gratiam promoveantur. Ita docuit Gabriel in 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. *art.* 3. ad idque adducit auctoritatem Gersonis adhortantis parentes, ut orent pro suis parvulis quatenus illos Deus sanctificet, quos prævidit gratia baptismi non esse donandos. De parvulis autem post nativitatem morientibus docuit Cajetanus 3. *part. q.* 68. *art.* 2. ubi per humanam diligentiam applicari non potest baptismus, aliud eis remedium suppetere, nempe fidem parentum applicatam parvulis, vel signo crucis, vel invocatione sanctæ Trinitatis, vel aliô modô. Verùm sanctus Pius V. summus Pontifex hos articulos cum multis aliis, ut erroneos expungi jussit.

Præsens difficultas non movetur de iis infantibus, quibus per hominum ministerium procurari potuit Baptismus: eatenus enim Christus dici potest providisse, ut eis applicaretur baptismus, quatenus illum ad salutem consequendam instituit, ministrosque ordinavit qui ipsum administrarent, ut præclarè docet S. Prosper *l.* 2. *de Vocatione Gent. c.* 17. Non, irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: quâ utique si bene uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur: omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia, necdum rationalis infantiæ sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullô modô eis, nisi per alios consuli potest: & consequens est eos ad eorum pertinere consortium, quorum vel rectô, vel pravo aguntur affectu: sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cùm ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerint, nec futuræ: quàm ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci: sicut autem circa majores, præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exoritur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio, quæ quidem nec illis qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt, præ parentibus affuit: ita ut multis sæpe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura servierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos. Hæc sanctus Prosper, quibus prælibatis.

LIV. Deus sufficienter providit parvulis ante baptismum morientibus.

Respondeo primò quòd parvulis sive in utero sive extra uterum, vel casu, vel negligentiâ parentum morientibus, Deus non solùm præparavit remedia sufficientia ad salutem, sed etiam quantùm in ipso est, providit sufficienter, ut eis applicentur. *Tum quia* Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri: igitur quantùm est ex se, sufficienter præparavit media ad salutem necessaria, providitque ut iis applicarentur: nam sapienter agens qui intendit finem, præparat media sufficientia ad eum finem consequendum, & quantùm ex se est providet ut applicentur. *Tum quia* remedium censetur esse sufficiens ex parte provisoris, quando habet omnimodam virtutem conferendi effectum ad quem ordinatur; at defectus applicationis non se tenet ex parte ipsius providentis: sed Deus quatenus omnium homi-

num salutem intendit, baptismum instituit, tanquam medium sufficientissimum ad eam consequendam, intenditque ut remedium illud singulis applicetur; alioqui non vellet sincerè omnium hominum salutem: ergo, &c. *Tum quia denique* medicus quantùm est ex se censetur ægroto sufficienter providisse de remedio & applicatione illius, qui non solùm pharmacum præparavit, sed & ministris commisit, ut illud deferant ad ægrotum, & ipsi præbeant; licèt ægrotus non possit illud sumere, aut quia prohibentur ministri & famuli medici, ne ad ægrotum accedant, aut quia ægrotus ipse cùm sit aliunde criminis capitalis reus, à lictoribus publicis postulatur ad mortem: igitur à simili, Deus quantùm est ex se, dicendus est providisse sufficienter de remedio parvulis necessario ad salutem, cùm baptismum ad id instituit & ministros, ad eum applicandum ordinavit; licèt contingat interdum ministros impediri, aut parvulum prohiberi à causis naturalibus, quæ cœlesti Regi quodammodo servientes, criminis originalis pœnam ab ipso exigunt.

LV.
Nec intendit eorum mediorum præparatorum non applicationem.

Respondeo secundo, quòd etsi contingat interdum per humanam diligentiam parvulis tam in utero, quàm extra uterum morientibus, non posse applicari remedia instituta ad eorum salutem; nihilominus ista inapplicatio non censetur positivè volita & ordinata à Deo, sed tantùm permissa. Hæc assertio sequitur ex præcedentibus; implicat enim quòd Deus sincerè velit omnium salutem, & simul positivè intendat & ordinet aliquibus media necessaria non subministrari.

Adde quòd opposita sententia parentibus præberet ansam desperationis, incuriæ & negligentiæ, circa ea quæ necessaria sunt ad suorum parvulorum salutem.

Denique, cùm Deus neminem reprobet absque præscientia demeritorum, non apparet cur positivè intendat aliquos parvulos manere in massa corruptionis & perditionis, potius quàm alios: convenientiùs ergo de divina voluntate & providentia sapit, qui censet Deum intendere quidem ac velle sincerè singulis parvulis applicari remedia convenientia ad salutem, licèt propter suavem ejusdem providentiæ ordinationem nolit prohibere cursum causarum naturalium, quas prævidet uniendas in perniciem & necem quorundam parvulorum, antequam illis applicari possit remedium necessarium ad salutem.

LVI.
Quamquam prævideat imminens parvulis mortis periculum, nec illud arceat.

Dices 1. Non censetur aliquis providere sufficienter ei cujus curam gerit, qui malum ei impendens non propulsat, dum potest illud repellere: atqui Deus prohibere potest ea quibus parvuli impediuntur ne ad baptismum veniant, nec tamen impedit: ergo non censetur eis sufficienter providere.

Distinguo majorem: Si provisor sit particularis & ad speciale bonum unius duntaxat ordinatus, concedo: si sit provisor generalis & commune bonum spectans, nego: cùm enim provisori generali cura sit omnium rerum, sic singulis providere debet ut reliquarum curam non abjiciat, nec statutum à se disturbet: Deus autem non potest prohibere causas, quæ puero in visceribus maternis necem procurant & antequam ad baptismum perveniat, quin præjudicium earum naturæ aut activitati afferat, & positum à se ordinem interturbet; quod utique præstare non tenetur: *Neque enim fatô cogitur Deus illis infantibus subvenire*, inquit S. August. lib. de bono Perseverantiæ cap. 12. *illis autem non subvenire, cùm sit utrisque causa communis; aut res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur, &c.*

Instabis. S. August. ibidem ait: *Plerumque festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen volente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit ut daretur*: Ergo Deus non vult illis parvulis baptismum applicari.

Confirmatur ex Epistola 107. in qua exemplô illorum parvulorum ante susceptum baptisma morientium, sanctus ille Doctor probat Deum non velle omnes homines salvos fieri: *Quomodo*, inquit, *dicitur omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur, eam suâ voluntate respuerent; quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri; cùm multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deò volente non detur, cùm repente antequam detur, expirat, pro quo ut acciperet currebatur. Unde manifestum est eos qui huic resistunt perspicuæ veritati, non intelligere omnino quâ locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.*

LVII.
Hic veritati non refragatur S. Augustinus, dum ait baptismum parvulis non conferri, quia Deus non vult.

Respondeo 1. particulam illam, *Deo volente*, non esse intelligendam primariam Dei volitionem perdendi aliquos parvulos absque culpa, sed tantùm vel permissionem aliquam, vel volitionem prohibitionis cursûs causarum secundarum, quod utique explicat sanctus Augustinus exemplô passeris non cadentis in terram sine voluntate Dei, hoc est, nisi Deô permittente & cognoscente casum ejus. Unde *in forma distinguo antecedens*: Non confertur baptismus istis parvulis Deô nolente perturbare ordinem, nec prohibere virtutem causarum naturalium conservando parvulo vitam plusquam naturalis ordo exigit, concedo: nolente servato ordini naturæ concurrere ministros ad applicationem baptismi, nego.

Nec enim inde infert Deum nolle omnes salvos fieri.

Ad confirmationem dico, sanctum Augustinum ea duntaxat dicere, ut excludat gratiam secundùm merita; arguit enim adversus Pelagium repetens & refellens duodecim capitula, quæ ipsi Pelagio objecta fuerant in Concilio Palestino: *Vt enim eadem*, inquit, *duodecim brevi expositione percurram: quomodo voluntatis humanæ meritum sequitur gratia, cùm detur & parvulis qui hoc nondum possunt velle seu nolle? quomodo gratiam vel in majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis, si gratia ut vera sit gratia, non secundùm merita nostra datur? &c.* Quibus sanctus Augustinus non aliud intendit, quàm præcludere Pelagianorum dogma statuens gratiam nobis conferri penes bonum votum liberi arbitrii. Unde solùm loquitur de applicatione actuali gratiæ, non verò de præparatione: quod evidenter indicat *cùm tam multi æterna morte puniantur*, cùm subdit post verba in objectione posita, *Sicut illud quod dictum est* OMNES IN CHRISTO VIVIFICABUNTUR .. *ideo dictum est quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt non percipiunt nisi in Christo, ita quod dictum est*, OMNES HOMINES VULT DEUS SALVOS FIERI, *cùm tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipsô volente non fiunt.* Quibus verbis sanctus Augustinus apertè significat se duntaxat agere de executione divinæ voluntatis, quâ vult Deus omnes homines salvos fieri; non

verò de intentione & ordinatione illius voluntatis.

LVIII. *Et id esse referendum in inscrutabile judicium Dei.*

Instabis: Omnia quæ fiunt in mundo, exceptô peccatô, Deus positivè vult & ordinat: sed illa baptismi carentia quâ afficiuntur parvuli, non est peccatum: ergo illam Deus positivè vult & ordinat.

Distingue majorem: Deus id vult & ordinat, vel primaria & antecedente voluntate, vel duntaxat secundariâ & consequente, concedo: primariâ semper, nego: Deus autem primariâ voluntate & antecedente non vult baptismum negari parvulis, sed tantùm ex consequenti; quia nimirum vult causas naturales agere suis motibus, nec vult eorum virtutem prohibere.

Vrgebis: Sanctus Augustinus eôdem cap. de bono Perseverantiæ refundit in inscrutabile Dei judicium, cur uni parvulo potius quàm alteri baptismus detur.

Respondeo id duntaxat dicere de iis, in quorum favorem occulta providentia particulares causas ita ordinat, ut non agant motu suô, nec præpediant quominus parvulus baptismum consequatur, non verò id affirmat de singulis generatim: Hinc lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 22. præclarè docet: *Aliquando*, inquit, *filiis infidelium præstatur hæc gratia, cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt; aliquando autem fidelium filii non eam consequuntur, aliquô impedimentô existente, ne possit periclitantibus subveniri; fiunt vero ista per occultam Dei providentiam, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ ejus: quod ut Apostolus diceret, quid prædixerit intuemini, &c.*

Instabis iterum: Sanctus Augustinus epistolâ 105. apertè docet aliquos parvulos interdum mori ante susceptum baptisma, non propter peccatum aut negligentiam parentum, sed propter solam ordinationem divinam, quâ voluit eos perire; „Quid dicam, *inquit*, de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpè etiam religiosorum Christianorum præveniuntur, & baptismô præripiuntur infantes; cùm è contrario sacrilegorum & inimicorum Christi aliquô modô in Christianorum manus venientes, ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent:... quæ tandem hîc merita præcesserunt? Si eorundem parvulorum merita cogitantis nulla sunt propria: utrisque est illa massa communis: si parentum attenderis, bona sunt illa quorum filii repentinis mortibus sine Christi baptismate perierunt: mala verò illa, quorum filii per Christianorum aliquam potestatem ad sacramenta Ecclesiæ pervenerunt. Et cur providentia Dei cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non passer cadit in terram, quæ nec fatô premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non contulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit impiorum. Iste infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitiâ parentum susceptus, matris vel nutricis somnolentiâ suffocatus, fit exterus & extorris suorum fidei. Ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore patris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christianâ sollicitudine, baptisatus, fit æterni consors & particeps regni. Ista cogitent, ista considerent, hinc audeant dicere Deum, vel acceptorem in sua gratia personatum, vel remuneratorem præcedentium meritorum. Hæc S. Augustinus.

LIX. *Aut in Dei ordinationem.*

Similia habet nec minùs præclara lib. 6. contra Julianum cap. 14. *ubi ait:* „quod multò est mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ fœminæ: & aliquando non vult suum esse filium quem format in utero suæ filiæ. Ille quippe ad baptismum nescio quâ provisione pervenit; iste repentinâ morte non pervenit. Atque ita Deus in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo: aut si vult, cur non facit quod vult? Non etiam quod soleris de majoribus dicere, Deus vult & parvulus non vult. Certi hîc ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas?

Respondeo; his S. Augustinum non significare, quòd Deus voluntate positivâ arceat aliquos parvulos à gratia baptismatis; sed duntaxat permissivâ; non impediendo videlicet concursum & activitatem causarum naturalium, propter generalem ac suavem suæ divinæ providentiæ administrationem, quâ fit ut priùs extinguantur parvuli, quàm ad baptismatis gratiam perveniant.

Quæres Tertiò.

An etiam insignibus & excæcatis ac obduratis peccatoribus Deus conferat auxilia sufficientia ad salutem?

LX. *Quinam peccatores dicantur obdurati.*

Observandum primò eos peccatores dici *obcæcatos & obduratos*, qui ita firmo animo peccatis inhærent, & ita sunt à divino lumine aversi, ut nec pessimum suum statum cognoscant nec exhorteant, quin potius inde sumunt occasionem perseverandi in peccato. Hinc obstinatio & obcæcatio duo importat; *Vnum* ex parte voluntatis humanæ, nempe ipsius firmam adhæsionem in malo: *aliud* ex parte divinæ justitiæ quæ est ipsa substractio gratiæ; ex qua sequitur quòd mens nec illustretur ad percipiendum malum, nec cor tangatur ad illud aversandum.

Quid sit obduratio. Et quæ sint illius causæ.

Duæ sunt igitur obdurationis & in malo obstinationis causæ. Prima hominis perversitas, quâ divinas gratias sibi oblatas respuit, quô sensu scriptum est Psal. 94. *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hinc monet Apostolus Hebr. 3. *Videte fratres ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie, cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.* In quem sensum scribit S. Fulgentius lib. de fide cap. 3. *Obduratus vivit, sive qui non convertitur desperans de indulgentia peccatorum suorum; sive qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum criminum perversitate maneat.* Secunda causa obdurationis est divina justitia, quæ ab homine indigno removet auxilia proxima quo posset converti. Sic explicat sanctus Augustinus tract. 54. in Joannis Evangelium. *Quidam*, inquit, *non crediderunt nec potuerunt credere, eo quòd occultô nec tamen injustè judiciô Dei fuerunt excæcati & indurati, deserente illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* Sicque obduratio ex parte Dei nihil est aliud quàm gratiæ efficacis substractio. Hinc idem sanctus Augustinus epistola 105. *Non obdurat Deus*, inquit, *impertiendo*

pertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam.

Observandum secundò, quæstionem non moveri de auxilio sufficienti operante; nemo siquidem dubitat quin non cooperantibus gratiæ excitanti Deus auferat auxilium adjuvans seu cooperans. Nec etiam sermo est de auxilio sufficienti externo, quodcumque illud sit naturalis ordinis, quod videtur nobis concedi beneficiò creationis: Sed præsertim agitur de auxilio supernaturali, tùm externo, qualia sunt miracula, Evangelii prædicatio, &c. tùm interno, ut sunt piæ illustrationes intellectûs & motiones voluntatis. Difficultas igitur est an Deus quibuslibet pessimis, excæcatis & obduratis peccatoribus det semper auxilia sufficientia tùm interna, tùm externa supernaturalis ordinis, quibus proximè possint pœnitentiam agere: an verò ipsis saltem subministret gratias remotè sufficientes ad operandam conversionem: circa quam difficultatem resolvendam variant Theologi, quidam affirmantes, quidam negantes. Nihilominus probabilior mihi videtur eorum sententia qui affirmativam partem tuentur. Idcirco

Status quæstionis.

LXI.

Obdurati habent auxilium sufficiens saltem remotum.

Respondeo probabilius esse, quòd obduratis & excæcatis quibuslibet hominibus detur gratia saltem remotè sufficiens quâ possint impetrare gratiam ad pœnitendum & resipiscendum necessariam. Quæ utique assertio colligitur primum ex illo Ezechielis 19. ubi Deus sic obtestatur, *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Igitur cujuslibet peccatoris, quandiu in vivis est, non mortem, sed conversionem intendit: at secus ageret si nullum ipsi ad pœnitendum auxilium subministraret: Igitur, &c. Quod utique confirmatur ex illo secundæ Petri 3. ubi Deus dicitur erga peccatores patienter agere, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti. Quapropter Concilium Lateranense sub Innocentio III. decernit, *Si post susceptionem baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.*

Ut colligitur ex S. Scriptura.

Probatur eadem assertio authoritate S. Augustini qui non omnimodam gratiam negat desperatissimis illis hominibus, qui vulgò excæcati & obdurati appellantur. *Primo* namque S. Doctor docet propriam hujus vitæ cæcitatem & obdurationem esse tantùm imperfectam, & plurimum ab ea distare quâ damnati dicuntur omninò in malo obfirmati. Sic in Psal. 6. post medium ita „ loquitur: Dedit eos in reprobum sensum: Nam „ ea est cæcitas mentis: in eam quisquis datus fue„ rit, ab interiore Dei luce secluditur; sed nondum „ pœnitus cùm in hac vita est. Sunt enim tenebræ „ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere „ intelliguntur, ut pœnitus extra Deum sit, quis„ quis dum tempus est, corrigi noluerit: penitus „ enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa „ cæcitate? Admittit ergo excæcatos dum hîc vivunt, ab interiore Dei luce non penitus secludi.

Et ex S. Augustino.

Confirmari potest ex eo quòd in Psal. 58. idem S. Doctor cùm dixisset; *Omnipotenti medico nihil esse insanabile*, peccatorem obduratum sic alloquitur: *Sed & si nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris, & aversum revocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit & attrahit: in omnibus implet quod dictum est: Misericordia ejus præveniet me:* Quibus verbis apertè significat ipsos etiam obduratos Dei misericordiâ præveniri, ut omnipotentis medici opem, quam implorare admonentur, petere possint.

Quam utique doctrinam sanctus Prosper disertè tuetur, dicens lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 21. *Credimus nulli homini opem gratiæ in totum fuisse substractam.* Quod lib. 2. cap. 13. in ipso Cain obduratorum omnium antesignano clarissimè ostendit: nam ubi elegantissimis verbis expressit internas voces, quibus obstinati fratricidæ cor pulsabatur, addit: *Cum ergo talia ad Cain loqueretur Deus: numquid ambiguum est voluisse eum, & quantùm ad illum medendi modum sufficiebat egisse, ut ab illo impietatis furore resipisceret? Sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctior.* Voluit igitur Deus, & quantùm sufficiebat egit ut obduratus ille resipisceret.

Et S. Prospero.

Firmari etiam potest hæc sancti Doctoris sententia illis omnibus locis, quibus docet excæcatos & obduratos eô ipsô tempore, quô ex cæcitate & obduratione peccant, posse utramque abjicere, uberiorem nempe gratiam impetrando, quâ cordis cæcitas & durities depellatur. Sic tractatu 53. in Joan. explicans cur obdurati Judæi credere non potuerint, ait: *Non potuerunt credere, quia hoc Isaias Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, qui Deus hoc futurum esse præscivit: quare autem non poterant, si à me quæratur, cito respondeo, quia nolebant.* Censet ergo Judæos excæcatos ideo non credidisse, quia nolebant; & subinde indicat eos remotâ saltem credendi potestate fuisse præditos. Quod & clariùs affirmat lib. de prædest. SS. cap. 9. *Facile est*, inquit, *ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.*

LXII.

Obdurati non peccarent, nisi possent non peccare per gratiæ auxilium.

Denique hanc fuisse sanctissimi Doctoris mentem colligi potest ex obduratorum peccatis; nullus enim, ut pluries inculcat, peccat in eo quòd nullô modô cavere potest; quippe Deus nulli homini impossibilia præcipit, & peccatum omne à libera voluntate procedit: sed ea quæ obcæcati & obdurati contra Dei leges committunt, ipsis deputantur ad culpam, ut ipsemet S. Doctor probat pluribi: nam serm. 88. de tempore acerrimè eos confutat, qui cùm de criminibus à Pharaone obdurato perpetratis agitur, dicunt intra se: cur iniquitas illa imputatur Pharaoni? Et tract. 53. in Joan. de Judæis excæcatis disputans, monet ne quisquam audeat excusare peccatum, quod obdurati commiserunt: quin etiam lib. 5. in Julianum cap. 3. de eadem Judæorum excæcatione ita pronuntiat: *Ista cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati ut occiderent Christum.*

Reverâ tamen peccant.

Hinc author lib. de prædestinatione & gratia cap. 15. apud eundem S. Doctorem tom. 7. ubi dicit causam cur Pharao perierit, esse quia liberô contra misericordissimam Dei veritatem pugnavit *arbitriò*: secus ac Nabuchodonosor, qui Dei flagellis cessit, egitque pœnitentiam. *Quantùm* ad naturam, inquit, *ambo homines erant: quantùm ad dignitatem, ambo Reges: quantùm ad causam, ambo captivum populum Dei possidentes: quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter liberò contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitriò?*

Nota.

Dices. S. Augustinus in expositione quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, quas reprehendit & expendit lib. 1. retractationum cap. 23. dicit non fuisse imputatum Pharaoni,

quòd tunc, id est, cùm obduratus fuerit non obtemperârit: *Quando quidem*, inquit, *obduratô corde obtemperare non poteras: sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate*: Igitur Pharao nullum habuit auxilium, quô posset obtemperare; alioquin non obtemperando peccasset.

Nego consequentiam: Non enim ea fuit mens S. Doctoris; si enim censeret non posse obduratorum peccata ipsis imputari, nec æternis puniri suppliciis: sequeretur pariter eum docere quòd bona Electorum opera nullô modô ipsis tribui, nec æternâ mercede possint coronari: Subdit namque: *Sic enim iis quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: sic & in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam malè operentur.* Nihil aliud itaque vult S. Augustinus, cùm ait non imputari Pharaoni ejus inobedientiam, sed tantùm priorem infidelitatem, quâ dignum se præbuit cui cor obduraretur, quàm quòd peculiari quôdam imputationis genere ipsa infidelitas magis imputaretur, quam peccata quæ ab ipsa obduratione provenerunt.

Dices secundò. Ex primæ Joan. 5. est peccatum ad mortem pro quo non est orandum: igitur sunt quædam peccata quæ omnimodam Dei desertionem important.

LXIII. Quid sit peccatum ad mortem, ex mente SS. Patrum.

Distinguo consequentiam: Si per peccatum ad mortem intelligatur impœnitentia finalis, qualiter interpretatur S. Thomas, concedo: si intelligatur quodlibet aliud peccatum, nego: nullum est enim tam grande peccatum quod remitti non possit in hac vita; subindeque pro quo justè non possit pœnitentiæ gratia impetrari.

His adde quòd illa S. Joannis verba aliter explicent SS. Patres: nam *S. Ambrosius* lib. 1. de pœnitentia cap. 8. per peccatum ad mortem intelligit gravissimum peccatum in uno quoque genere, pro cujus venia, inquit, non debet orare quilibet, sed tantùm vir eximiæ sanctitatis. *S.* autem *Hieron.* dialogô 2. contra Jovinianum intelligit istam prohibitionem orandi non esse simpliciter & absolutè accipiendam: sed eô duntaxat sensu, quòd quicumque orat pro peccato ad mortem, debet habere tantam fiduciam & tantam certitudinem veniam obtinendi, atque si oraret pro aliis peccatis, quæ non sunt ad mortem. Quæ utique interpretatio videtur esse genuina mens S. Joan. ut colligitur ex antecedentibus; dixerat enim. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus audit nos.* Et paulò post: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Et protinus subdit: *Est peccatum ad mortem, &c.* Quibus significat non esse cum tanta fiducia pro isto peccato orandum, quia difficillimè veniâ donatur. Tandem S. Augustinus libro de corrept. & gratia cap. 12. cùm protulisset ea verba S. Joannis ait: *De quo peccato quoniam non expressum est, possunt multa & diversa sentiri: Ego autem dico id esse peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem.*

Dices tertiò. Ex 12. Matthæi qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, *non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*: Igitur, homini qui peccatum istiusmodi commisit, nollum datur postea auxilium sufficiens ad resipiscendum.

Distinguo pari modô consequentiam. Si per verbum in Spiritum sanctum intelligatur impœnitentia finalis, ut explicat *S. Aug.* lib. 4. contra Cresconium cap. 8. concedo: Si intelligatur vel blasphemia in divinitatem, vel peccatum ex malitia, ut explicant *S. Basilius* in regulis brevioribus responsione 253. & *S. Chrysost.* homil. 42. in Matthæum, nego: licèt enim hæc peccata difficillimè remittantur, tùm propter sui enormitatem, tùm propter peccantis pertinaciam & indignitatem; nihilominùs non sunt absolutè irremissibilia.

His adde, peccatum in Spiritum sanctum illud dici, quod committitur contra manifesta opera, quæ fiunt virtute Spiritûs sancti. Christus enim Dominus cùm in digito Dei, hoc est, Spiritûs sancti virtute ejiceret dæmonia, quam otique mirabilem virtutem Judæi calumniantes ac blasphemantes eam attribuebant Belzebuth, ideo Christus Dominus eorum malitiam carpens dixit: Si peccata vestra essent in filium hominis, certè excusationis cujusdam ansam prætenderent, proptereà quòd vos mea lateat divinitas; at verò quia peccatis contra manifesta opera virtute Spiritûs sancti patrata, hinc fit quòd peccata vestra nollum excusationis motivum habeant annexum. Non tamen censuit omnino illa esse irremissibilia: quippe non est improbabile aliquos ex Judæis, qui in Spiritum sanctum blasphemabant, pœnitentiam egisse, & ad Christi fidem & gratiam fuisse receptos.

LXIV. Quid sit peccatum in Spiritum sanctum.

Dices 4. Sanctus Augustinus lib. de correptione & gratia cap. 12. distinguens gratiam collatam primo homini, ab ea quæ ejus posteris conceditur, affirmat hanc aliquibus non dari in pœnam peccati: *Nunc autem*, inquit, *quibus deest tale auxilium, jam pœna peccati est*: sed si in pœnam alicujus peccati denegari debeat gratia, maximè propter peccatum cæcitatis & obdurationis: ergo ex mente sancti Augustini peccatoribus obduratis gratia denegatur.

LXV. Quô sensu dixerit S. Aug. gratiam aliquibus deesse in pœnam peccati.

Distinguo majorem: Docet sanctus Augustinus adjutorium, per quod proximè fieri possit bonum, quod concessum fuit primo parenti, quibusdam denegari, concedo: per quod implorari possit auxilium illud proximum, nego: nam, ut sæpiùs docet sanctus Augustinus, maximè lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 1. *Restat libero arbitrio in hacce mortali vita, non ut justitiam impleat cùm voluerit; sed ut simplici pietate se convertat ad Deum, cujus donô illam possit implere.*

§.

Cur hîc non fiat sermo de Gratia efficaci.

Quare hîc non disseratur de gratia efficaci.

QUAMVIS Catholici omnes fateantur aliquod esse discrimen inter gratiam efficacem & sufficientem, non consentiunt tamen invicem in assignando utriusque discrimine: tam varia enim est, totuplexque opposita circa hanc asserendam veritatem Authorum sententia & pugna, ut vix quidpiam certi hac in re definire liceat; cùm utrinque gravissimi suboriantur difficultatum fluctus, quos declinare vix potest, quantumvis exercita & illustrata humana mens. Nec mirum sanè; existimo namque concordiam gratiæ efficacis cum humana libertate, tam obtrusæ ac reconditæ esse indagationis, ut mysterii nobis in hac miseriarum valle degentibus prorsus impervii, nomen ac rationem sibi justè vendicet. Quoniam autem scrutator Majestatis opprimitur à gloria, ne incidamus in Scyllam, cupientes vitare Charibdin, Religionis partem duximus ab ejus-

modi inquisitione supersedere: maximè cùm id veritum videatur à summis Pontificibus, Paulo V. annô 1611. & Urbano VIII. annô 1625. Iterumque annô 1641. Ne quis videlicet absque speciali summi Pontificis licentia, de ejusmodi divinorum auxiliorum discrimine acriores olim sedatos conflictus disputationibus in lucem editis, ac prælô commissis restauraret.

DISPUTATIO TERTIA.

De effectibus & præcellentiis Gratiæ sanctificantis.

Gratia sanctificans omnibus naturæ bonis longè præcellit.

SANCTIFICANTIS gratiæ dignitatem ac præcellentiam vix detegere & satis æstimare potest humanæ mentis quantumvis oculata perspicacitas; eam quippe toti ipsi naturæ antecellere nullus est qui non agnoscat: præter enim nativum decus supra sphæram naturæ situm, æstimationis item jure ac pretiô suæ naturæ sic eminet, ut meritò de illa dicatur illud Proverb. 8. *Melior est cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Habet enim prærogativa gratiæ præ natura, hunc gloriæ titulum, ut ejus pars infima cunctis naturæ bonis præponderet: *Melior est enim unus timens Deum,* inquit Ecclesiastes, *quàm mille filii impii.*

Imò & omnibus aliis divinis beneficiis creatis.

Imò parum est quòd toti naturæ emineat, nisi sit etiam iis superior quæcumque Deus mirabiliter patravit; siquidem Deus gloriam omnipotentiæ divinæ parcendo maximè, & miserando manifestat. Quocirca annuunt Theologi, gratiam sanctificantem omnium Dei operum esse præstantissimum; eminet enim supra creationem, nec non & mortuorum suscitationem: cùm enim anteactam vitam dolore criminum rescindunt homines, serióque ad frugem redeunt, majus profectò quiddam & excellentius, quàm si corpus mortale, immortali gloria induerent, mortuos in vitam excitarent, hominem ex nihilo crearent; nam, inquit sanctus Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli: *Si hominem te fecit Deus, & justum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus.* Quapropter sanctus Chrysostomus hom. 4. lethali confossam vulnere denuo animam instaurare, excellentius quiddam ait esse, quàm corpus mortuum excitare. Et meritò quidem cùm ex sancto Augustino serm. 44. de Verbis Domini: *Corpus vita red latur iterum casura, anima nunquam defitura.* Ex quo item affirmat sanctus Gregorius lib. 3. Dialogo cap. 17. pluris esse conversionem Pauli Christum persequentis, quàm suscitationem quatriduani Lazari in sarcophago fœtentis.

Hinc egregiè Richardus à sancto Victore in Benjamin cap. 44. negat posse quid majus hominibus à Deo tribui, quàm ut ad vitam meliorem suô ministeriô nocentes revocent, & ex familia dæmonis in Dei filios traducant; grandius namque non est carnem fragili vitæ bonisque periturис & voluptatibus reddere, quàm æternis.

Siquidem hominem in Dei societatem promovet.

At quod omnibus gratiæ præcellentiis longè præstat, est quòd ipsa increatæ Dei naturæ participationem conferat; cujus excellentissimi consortii primus nos admonuit sanctus Petrus, dum ea in

A gratiæ commendationem dixit, "Maxima & pretiosa commissa nobis donavit Deus, ut per hæc "fiamus divinæ consortes naturæ." Cujus doni excellentiam non possunt sancti Doctores pro voto prædicare. Censet enim beatus Areopagita, in ordinem statumque divinum vi gratiæ sublatis, vitam nobis divinam inspirari: sanctus Maximus divinitatem dari, pervadente gratiâ naturam cœlesti luce, ac ultra conditionis suæ classem efferente: sanctus Thomas, per gratiam nos deificari: *Quod enim substantialiter est in Deo,* inquit 1. 2. q. 110. *accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem.*

Disputationis distributio.

Hujus autem præcellentissimi doni, ut aliquam pro viribus notitiam assequamur, præsentem disputationem sicut & præcedentes, tribus Articulis absolvemus: quorum *primus* aperiet quæ sint præviæ dispositiones ad gratiam sanctificantem B desiderandæ. *Secundus* declarabit terminum à quo fit justificatio, nempe peccatorum remissionem, & ipsius cum peccatis gratiæ pugnam. *Tertius* denique manifestabit terminum ad quem justificationis, scilicet ipsam gratiam sanctificantem, ejusque eximias dotes ac præcellentias.

ARTICULUS PRIMUS.

De dispositionibus ad gratiam sanctificantem desiderandis.

De quibus sit futurus sermo.

HIc non est futurus sermo de justificatione parvulorum, quæ fit in baptismate; cùm enim non sint rationis & libertatis compotes, aperrè constat illos absque ullo motu liberi arbi- C trii, & sine prævia dispositione ex parte ipsorum, justificari: nec disputamus etiam de justificatione, quatenus complectitur omnes illos motus, quibus excitamur à Deo ut ad meliorem frugem recipiamur: ad hos enim motus divinitùs excitatos, certum est nullam ex parte hominis dispositionem requiri, sed pendere solùm ex mera Dei misericordia, gratuitoque illius beneficio: Agimus igitur duntaxat de justificatione adultorum, quæ fit per actum intellectûs & voluntatis; cùm enim illæ facultates spirituales sint, & gratiæ ac donorum cœlestium susceptivæ, inde fit quòd ad illa charismata suscipienda, adulti sese disponere debeant per aliquos actus intellectûs & voluntatis. Tria igitur maximè hîc veniunt determinanda. *Primum*, An homo ex parte sui concurrere debeat, & sese disponere ad gratiam justificationis suscipiendam. *Secundum*, An & qualis

actus intellectûs desideretur ad justificationem *Tertium*, Quot & quinam ad eundem prærequirantur voluntatis actus.

Quæstio Prima.

An homo sese disponere debeat ad gratiam justificationis?

I.
Non potest homo per solas naturæ vires sese ad gratiam præparare.

NOtandum primò, certum esse, quòd homo non possit ex æquo per solas naturæ vires sese præparare ad gratiam sanctificantem; id enim apertè evincitur ex Scriptura sacra contra Pelagianos; eis maximè textibus, quibus asseritur Deum nos prævenire, & ad se suis divinis motibus pellicere & attrahere. Sic Psalm. 20. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti, &c.* Hinc enim constat hominem ex se, & propriis viribus nil omnino conferre ad salutem; proindéque nec ad gratiam sanctificantem, quæ est semen vitæ æternæ. Id ipsum definiunt Concilia, maximè Diospolitanum, in quo Pelagius coactus est fateri, gratiam non dari secundùm merita nostra: Et Arausicanum Can. 4. & Can. 7. ut videre est in præludiis hujusce tractatûs: at omnium clarissimè Tridentinum Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti illuminatione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Id ipsum apertè docent SS. Patres, maximè S. Augustinus, qui totus est in astruenda illa gratiæ necessitate ad justificationem, in libris quos adversus Pelagianos edidit; præsertim verò cap. 24. libri primi ad Bonifacium, ubi ait: Pelagianis oon immeritò anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ Dei, quæ venit per Jesum Christum Dominum nostrum, ut eam dicant non gratis, sed secundùm merita nostra dari, ac si gratia jam oon sit gratia: tantúmque constituunt in libero arbitrio, quò in profundum demersus est homo, ut eô bene utendo, dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illô uti possit, nisi per gratiam, quæ non secundùm debitum redditur, sed Deô gratis miserante donatur.

Nec obstat quòd Proverb. 17. dicatur: *Hominis est præparare animam*; nam, ut optimè ait sanctus Augustinus lib. 2. ad Bonifacium capite 9. Hominis est præparare animam cum adjutorio Dei tangentis cor hominis, per auxilium gratiæ: non autem sine ullo prorsus gratiæ beneficio; quia ex Proverb. 8. *Præparatur voluntas à Domino.* Unde solùm hîc determinandum superest, utrum homo prærequirat in se aliquas dispositiones physicas & morales quas ipse cum auxilio gratiæ possit adhibere, ut sese ad gratiam sanctificantem præparet, quòd ut evidentiùs appareat;

II.
Duplex solitò requiritur dispositio ad formam.

Notandum secundò, duplicem vulgò distingui dispositionem, unam ex parte subjecti, alteram ex parte agentis, seu causæ efficientis. Prior præparat subjectum ad formam recipiendam, v. g. calor ad formam ignis, organizatio corporis humani ad animam rationalem: Posterior movet atque determinat agens ad formam inducendam, idque vel *physicè*; quâ ratione calor determinat ignem ad inducendam formam ignis in subjectum ultimò dispositum: vel *moraliter*, quâ ratione actus honesti supernaturales movent Deum ad communicandum hominibus sua dona supernaturalia.

Sciendum insuper, quòd duobus modis forma requirat aliquam dispositionem ex *parte subjecti*, unô modô ad expellendam formam contrariam; aliô modô ad præparandum subjectum, ut rationabiliter in eo recipiatur. Certùm est autem, quòd gratia sanctificans nullam per se requirat dispositionem ex parte subjecti, ut in eo connaturaliter recipiatur: Tum quia sine hujusmodi dispositione recipitur io parvulis, & in iis qui in utero materno sanctificantur, ut in Jeremia & Joanne Baptista: Tum quia oulla est assignabilis ejusmodi dispositio.

Talis namque dispositio esset vel actus, vel habitus; si habitus, ille esset vel naturalis vel supernaturalis: at non potest oaturalis habitus esse dispositio physica ad formam supernaturalem, qualis est gratia; oon etiam supernaturalis, alioqui, cùm hic habitus tam esset improportionatus oaturæ, quàm gratia, aliam dispositionem ejusdem ordinis supernaturalis prærequireret; & sic procederetur in iofinitum. Non etiam actus, quia dispositio physica & forma debent esse in eodem subjecto; gratia autem sanctificans subjectatur in voluntate, ut probavimus alibi; actus autem fidei, qui primus inter dispositiones ad gratiam sanctificantem instituitur, est formaliter & in intellectu: igitur non potest ille esse physica dispositio ad sanctificantem gratiam recipiendam. Hîc itaque sermo est duntaxat de dispositione morali, quales sunt actus moraliter boni tum intellectûs cùm voluntatis.

III.
Peccatoris tria possunt esse opera.

Notandum tertiò, quòd etsi ante gratiæ sanctificantis infusionem homo peccator & Deo exosus habeatur, nihilominus omnia ejus opera etsi non sint Deo grata & accepta de condigno ad ¹vitam æternam, nihilominus non omnia sunt formaliter peccata, nec divinæ animadversionis & execrationis digna; aliqua enim prorsus possunt esse indifferentia, hoc est, nec bona nec mala moraliter: alia verò sunt saltem de congruo meritoria, quæ scilicet eliciuntur ab intellectu & voluntate cum gratiæ actualis auxilio, quæque hominem è peccatorum sordibus emergere cupientem ad Deum promovet, suntque veluti dispositiones præviæ ad gratiam sanctificantem recipiendam. Unde hominis adhuc in peccato jacentis triplicis generis sunt opera: alia quidem peccaminosa, alia indifferentia, alia verò ad gratiam disponentia, de quibus ultimis hîc duntaxat inquiritur, an reverà homo sese ad gratiam sanctificantem disponere possit. Quam utique vetitatem aperies.

Conclusio Unica.

IV.
Homo per gratiam sese disponere potest ad justificationem.

DE fide est hominem adultum suis liberis actibus divinô suffragante auxiliô, sese ad justificationis gratiam disponere. Ita definivit Concil. Trident. sess. 6. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum sua voluntatis motum præparari atque disponi, anathema sit.*

Probatur primò illis omnibus Scripturæ oraculis, quibus homines ad conversionem sui in Deum invitantur. Sic Isaiæ 45. *Convertimini ad me & salvi eritis.* Zachariæ 1. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos.* Joëlis 3. *Convertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Conversio autem illa fieri

nequit absque motu liberi arbitrii : igitur hic est ad gratiam sanctificantem prærequisitus. Hinc Proverb. 16. *Hominis est animam præparare.*

Ut optimè docet S. August.

Probatur secundò authoritate sanctorum Patrum ; maximè verò sancti Augustini, apertè docentis pluribi, hominem necessariò debere Deo cooperari ad sui justificationem. Sic tract. 72. in Joannem : *Salutem*, inquit, *in impio, sed non sine impio Christus operatur.* Et sermone 3. de verbis Apostoli cap. 11. exponens hæc verba : *Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei* ; sic ait : *Dicit mihi aliquis, Ergo agimur & non agimus; imò & agis & ageris ; & tunc bene agis si à bono ageris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est: ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis : agnosce quid poscas, agnosce quid confiteris, quando dicis;* ADJUTOR MEUS ESTO, NE DERELINQUAS ME. *Adjutorem, utique invocas Deum: nemo adjuvatur si à Deo nihil agatur.* Et rursus exponens illud Apostoli : *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ait : *Si non esses operator, Deus non esses cooperator.* Hinc Serm. 15. celebrem sententiam effert : *Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te ; fecit nescientem, justificat volentem.*

Suffragatur etiam ratio Theologica : sicut enim homo liberè est à Deo aversus per peccatum, congruum est etiam, ut ad eum liberè convertatur : sed talis conversio non foret libera, nisi homo ad illum voluntariè converteretur : igitur ita esse debet.

V.
Et ratione suadetur.

Deinde, In justificatione movetur homo à Deo ad justitiam secundùm conditionem naturæ suæ: sed homo secundùm propriam naturam habet quòd sit liberi arbitrii compos : igitur in eo qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad justitiam absque motu ipsius liberi arbitrii.

Denique, Si quid obstaret ne homo liberè concurreret ad justificationem, maximè vel quia ipsius libertas ita peccatô fuit detrita, ut nullatenus amplius usum habeat : vel quia ita per gratiam actualem efficaciter movetur ad justificationem, ut potius agatur quàm agat : sed neutrum obstare potest. Non quidem primum, quia per gratiam sanatur voluntas, ut possit sanata bonum illud prosequi, quod infirma non poterat. Hinc S. August. lib. 1. operis imperfecti ait : *Tunc esse liberum laudabiliter arbitrium, quando fueris Dei gratiâ liberatum.* Non etiam secundum, quia, ut ait idem S. August. Epist. 89. *Voluntas libera tantò erit liberior, quantò sanior ; tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior.* Hinc lib. de Spiritu & Littera cap. 30. *Liberum arbitrium*, inquit, *evacuamus per gratiam, absit ; sed magis liberum arbitrium statuimus : sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi liberò arbitriò, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum : per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio : ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem; quia fides impetrat gratiam quâ lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur ; quia gratia sanat voluntatem, quâ justitiâ liberè diligatur.*

Dices primò : Non potest homo sese ad gratiam sanctificantem disponere per id quod peccaminosum est : sed omnes hominis peccatoris actus ante gratiam sanctificantem adeptam, sunt peccaminosi; non enim potest arbor mala bonos fructus facere: igitur per proprios actus homo non potest sese ad gratiam disponere.

VI.
Non enim omnia peccatoris opera sunt formaliter peccata.

Distinguo majorem : Non potest homo sese disponere ad gratiam sanctificantem per actus, qui sunt peccaminosi tam secundùm statum, quàm secundùm affectum operantis, concedo : qui sunt peccaminosi duntaxat secundùm statum, non verò secundùm affectum, nego : & similiter distinctâ minore, neganda est consequentia ; nam, ut diximus in tertio notabili, hominis adhuc in peccato jacentis actus distingui possunt triplicis generis ; aliqui enim sunt moraliter mali provenientes ex affectu deficiente à recto rationis dictamine, & illi sunt formaliter peccata : alii sunt nec boni nec mali moraliter, sed indifferentes : cæteri denique possunt esse moraliter boni ; illi maximè, quibus homo divinâ gratiâ illustratus & adjutus cupit à peccatis ad gratiam resurgere; qui quidem actus possunt dici peccaminosi secundùm statum, quia fiunt ab homine in peccato jacente; non verò secundùm affectum, quia non procedunt ab affectu peccandi.

Dices secundò : Si homo per proprios actus posset sese disponere ad gratiam sanctificantem, vera esset hæc propositio : *Homo se justificat propriis actibus* : sed plurimi Theologi hanc propositionem falsam esse judicant : igitur & illam unde sequitur.

VII.
Quomodo homo dici possit se justificare.

Respondeo distinguendo majorem : Vera esset illa propositio in sensu formali & totali, hoc est, homo se justificaret producendo formam seu gratiam justificantem, quâ formaliter justificatur, nego : vera esset in sensu partiali dispositivo, hoc est, homo divinâ gratiâ ex parte adjutus, etiam per proprios actus ad gratiam sese disponeret, concedo. Hàc enim ratione nemo Theologorum potest illam propositionem falsitatis insimulare; similes namque in Scriptura leguntur. Sic cap. 18. Ezechielis : *Ipse animam suam vivificabit.* Jeremiæ 4. *Lava à malitia cor tuum.* Secundæ ad Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* 1. Joann. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se.*

Dices tertiò : Ex Concilio Arausicano secundo cap. 4. *Ut à peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non exspectat* : Igitur ad justificationem non præparatur per motum liberæ voluntatis.

Distinguo antecedens : Deus non expectat voluntatem, quæ præveniat ejus gratiam excitantem & & adjuvantem, concedo : quæ cum gratia adjuvante sese ad sanctificantem præparet, nego.

Dices quartò : Adulti interdum justificantur absque ullo motu liberi arbitrii ; narrat enim sanctus Augustinus lib. 4. Confess. cap. 4. quemdam ex suis amicis, dum laboraret febribus, jacuissetque diu sine sensu in sudore læthali ; dùmque desperaretur de ejus sanitate mentis & corporis, his in angustiis baptisatum esse nescientem & tenacum : Igitur, &c.

VIII.
Quâ ratione aliqui adulti sine prævia dispositione justificentur.

Distinguo antecedens : Adulti amentes, qui nullum unquam rationis usum habuerunt, sanctificantur absque ullo liberi arbitrii usu, concedo: eadem enim eorum ratio est ac parvulorum : adulti amentes, qui aliquando ratione usi sunt. Distinguo rursus : justificantur absque motu liberi arbitrii præsente, cùm baptisantur, concedo : antecedente baptismum, putà dum essent sani judicii, nego : adhoc enim, ut aliquis adultus rationis compos ita baptisetur vel absolvatur, necessum

est quòd antequam in lethalem morbum, qui rationem extinguat incidat, priùs baptismum, aut resolutionem sacramentalem fuerit deprecatus.

Quæstio Secunda.

An & qualiter actus fidei concurrat ad justificationem?

IX. Fides præsupponi debet ad justificationem.

CErtum est fidem necessariò prærequiri ad nostram justificationem, id enim apertè testatur Scriptura sacra, Matth. ultimô: *Qui non crediderit condemnabitur.* Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus.* Joan. 3. *Qui non credit jam judicatus est.* Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et rursus: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & requirentibus se remunerator est.* Hinc Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam dum excitat divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt.* Unde S. August. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 7. ait: *Ex fide autem Apostolus ideo dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, de qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, quibus justè vivitur.* Quapropter pluribi docet, maximè lib. de peccatorum origine, cap. 4. sine fide Incarnationis, mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari. Difficultas duntaxat remanet, qualis actus ille fidei esse debeat: quod ut percipiatur evidentiùs;

X. Triplicem fidem distinguit Calvinus. Nempe historicam: Fidem miraculorum: Et promissionum.

Notandum 1. hæreticos hujus temporis unà cum Calvino lib. 3. Inst. cap. 2. ut aliàs dictum est, triplicem distinguere fidem; Unam *historicam*, quâ credimus vera esse, quæ revelata sunt à Deo, quâque credimus ea quæ in Scripturis sacris continentur esse vera, quia certi sumus ea esse proposita & tradita à Deo, qui verax est: de qua fide loquitur Apostolus ad Heb. 11. *Fide credimus aptata esse sæcula verbô Dei.* Secundam appellant *fidem miraculorum*, quam Calvinus locô mox laudatô sic definit. Edendorum miraculorum facultas. Veriùs definiri potest ipsamet historica fides, quatenus annexam habet virtutem patrandi miracula, credendo nempe nihil esse quod à Deo fieri non possit: de qua fide loquitur Apostolus 1. Corinth. cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Tertiam vocant *fidem promissionis*, quâ credimus veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per Christi merita, cujus utique fidei, seu confidentiæ, vel fiduciæ, quam habet homo in promissione & misericordia Dei, ut ait Calvinus, fit sermo Matth. ultimô his verbis, *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit.* Et has tres fidei species respondere dicunt tribus in Deo proprietatibus: fidem historicam, veritati; fidem miraculorum potentiæ: fidem promissionum bonitati ac misericordiæ Dei.

Quæ iterum est duplex nempe generalis & particularis.

Subjiciunt autem ad justificationem necessariam non esse solùm fidem historicam (ut volunt Catholici) nec etiam fidem miraculorum; sed duntaxat fidem promissionum; quam rursus duplicem distinguunt: unam *generalem* quâ credimus promissam esse peccatorum remissionem; his omnibus, qui in Christum credunt: alteram *particularem*, quâ unusquisque sibi divinam promissionem applicans credit seu potius confidit sibi omnia sua peccata dimissa esse per Christum; quam utique solam fidem specialem homines justificare contendunt. Hinc Calvinus locô mox citatô, *num.* 7. Sic definit fidem justificantem: Nunc, *inquit*, justa fidei definitio nobis constabit, si dicamus esse divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata per Spiritum sanctum & revelatur mentibus nostris, & cordibus obsignatur: Quibus verbis etiamsi velit fidem esse firmam certamque cognitionem, quia tamen vult objectum hujus cognitionis esse Dei benevolentiam, non aliud intelligit per fidem justificantem, quàm fiduciam in Deo; quæ utique fiducia non est actus intellectûs, sed voluntatis.

XI. Quomodo simplex intellectûs notitia ab ejus assensu distinguatur.

Notandum secundò, quantùm spectat ad præsentem difficultatem, duos posse distingui actus intellectûs, quorum *primus* est ipsa notitia veritatis certa & explorata: *Secundus* verò est assensus datus veritati propositæ: qui quidem duo actus valde invicem distinguuntur; prior enim connotat in ipso intellectu cognitionem & intelligentiam ejus quod affirmatur vel negatur in propositione; posterior autem non postulat talem penetrationem & intelligentiam ejus quod affirmatur vel negatur, sed duntaxat significat assensum datum propositioni: qui utique plerumque fie absquè ulla disquisitione veritatis propositæ, ut patet in fide humana, in qua plerumque propter magnam authoritatem dicentis, assensum præbemus rei aliàs nobis ignotæ. Hinc Calvinus putat hunc fidei actum esse notitiam veritatum in Scriptura propositarum, non autem assensum; quapropter, *num.* 2. invehit in Doctores Catholicos, quòd solum assensum fidei ad justificationem necessariò prærequirant: Hinc *num.* 5. ait hanc sensus submissionem esse fidei præparationem, quæ ornatur fidei titulô, cujus tamen nonnisi initium est; adeoque sumptâ hâc voce *fidei* impropriè. Subdit autem: Docilitas cum proficiendi desiderio longè distat à crassa ignorantia, in qua torpent, qui fide implicitâ, qualis fingitur à Papistis contenti sunt: nam si Paulus eos severè damnat, qui semper discentes nunquam ad scientiam veritatis pervenerunt; quantò graviorem ignominiam merentur, qui datâ operâ affectant nihil scire?

Quàm erronea sit Calvini doctrina circa Fidei necessitatem.

Quibus verbis fingit Calvinus nos velle quòd singuli Fideles nullius mysterii fidem explicitam & notitiam habere teneantur; quod utique apertum mendacium est; nemo enim est Catholicorum, qui non sentiat quemlibet adultum debere explicitè credere præcipua duo fidei mysteria, scilicet Trinitatis & Incarnationis, adeoque qui non teneatur ista mysteria agnoscere eâ cognitione, quæ ad id prærequiritur: Sed negamus quòd eorum mysteriorum, quæ credimus explicitè, perfectam & exploratam notitiam habere debeamus, quodque non tenentur Fideles omnes singulorum mysteriorum talem habere cognitionem; & tandem quòd in apprehensione & cognitione non consistat fides justificans, sed in ipso assensu, qui sequitur ad authoritatem proponentis.

XII. Fides tribus modis considerari potest in

Notandum tertiò, quòd fides tribus modis spectari potest in ordine ad justificationem: *Primò*, tanquam dispositio prævia, quâ homo divinâ gratiâ excitante & adjuvante illustratus se se præparat ad justificationis gratiam: *Secundò*, tanquam causa formalis, ita ut sensus sit, utrum per solam fi-

dem apprehendentem Christi justitiam homo formaliter justificetur. *Tertiò* denique, considerari potest fides tanquam aliquid consequens ad justitiam conservandam, ita ut sensus sit, utrum sola fides sine operibus sufficiat ad justitiam formandam, & salutem assequendam. Volunt autem hæretici hujus temporis fidem esse causam nostræ justificationis, & ad eam prærequiri tanquam instrumentum justitiæ percipiendæ; non quòd non annexas habeat alias virtutes; sed quòd illa sola justificet impium. *Sicut* enim, inquit Calvinus in antidoto, *calor Solis, solus est qui terram calefacit, nec tamen solus ipse inest Soli, sed cum splendore: ita fidem oportet non esse solam, sed habere comites, licèt illa non justificent, sed sola fides.*

Status quæstionis.

His ita præsuppositis, tria maximè hac in quæstione determinanda sunt: *Primum* quidem, quòd fides conducens ad justificationem, non sit fiducia seu fides specialis promissionum, sed illa fides seu assensus intellectûs, quô credimus vera esse quæ divinitùs revelata, atque promissa sunt: *Secundum*, quòd actus ille fidei non sit ipsa mysteriorum notitia, sed assensus qui sequitur ad authoritatem proponentis. *Tertium* denique, quòd cæteræ virtutes & actus moraliter boni, qui prærequiruntur ad justificationem unà cum fide, sint etiam dispositiones propriè dictæ, non secus ac fides ipsa; nec minùs sunt instrumenta justitiæ percipiendæ, quam sit ipsa fides.

Conclusio Prima.

XIII. Fides præ requisita ad justificationem, non est fiducia voluntatis, sed assensus intellectûs.

Fides conducens ad justificationem, non est specialis ista fiducia, quâ unusquisque in particulari credit omnia sua peccata propter Christi meritum sibi esse remissa. Hæc est de fide determinata in Concil. Trident. sess. 6o. can. 12. his verbis: *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur, anathema sit.*

Probatur primò ex Scriptura sacra exprimente fidem justificantem per verba quæ significant illam pertinere ad intellectum, & ipsam justificationem ipsi quoque fidei quam hæretici historicam & miraculorum vocant, attribuit: Sic Marci ultimô. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Joan. 6. *Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Rom. 10. *Hoc est Verbum Fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Heb. 10. ubi dixit: *Iustus autem meus ex fide vivit*, statim capite sequenti significat hanc fidem justificantem pertinere ad intellectum, dicens: *Fide credimus aptata esse sæcula Verbô Dei.* Et ibidem: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est:* Hinc Act. 8. Eunucho petenti Baptismum dicendo: *Ecce aquam; quis prohibet me baptisari:* respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet:* & respondens ait, *Credo Filium Dei esse Iesum Christum.* Ex quibus omnibus patet fidem prærequisitam ad gratiam sanctificantem, pertinere ad intellectum, & subinde non esse illam fiduciam, quam obtrudere nituntur hæretici.

Ut probatur ex S. Scriptura.

Similiter ex SS. Patribus.

Eandem veritatem constanter docent sancti Patres, imprimis Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 54. ubi duplicem fidem agnoscit & distinguit: unam dogmaticam, quam historicam appellat; alteram quæ est gratia gratis data, per quam miracula patrantur: affirmatque per fidem dogmaticam formatam latronem in cruce salutem fuisse consecutum; & ibidem nos per eam salvari. Subscribit S. Augustinus pluribi, maximè lib. de prædest. Sanctorum, ubi necessitatem fidei à qua nostra salus originem ducit, donum Dei esse demonstrat: *Quamquam*, inquit, *& ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare; non enim omnis qui cogitat credit, cùm ideo cogitent plerique ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit.* Adstipulatur sanctus Leo, ser. 4. de Epiphania, his verbis: *Hoc est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit Sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Iesu Christo, & vera Deitas & vera credatur humanitas.*

Ex ratione.

Probatur denique ratione. Fides quæ ad justificationem prærequiritur, ea est quàm Christus & Apostoli prædicaverunt, & de qua priùs instrui debent Catechumeni, quam ad baptismum accedant: atqui fides illa pertinet ad intellectum: igitur fides ad justificationem necessaria, est actus intellectûs. *Deinde*, Fiducia illa quam peccator quisque habet in Dei bonitate & misericordia, reverà distinguitur à fide tanquam quid ad eam consequens, seu tanquam causa à suo effectu, ut observat Apost. 3. ad Ephes. his verbis. *In qua* (scilicet Christo) *habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Contingit enim interdum aliquem justificari per actum fidei formatæ, prius quam habeat illam fiduciam. Sic hemoroissa apud Lucam, cap. 8. declaratur habuisse actum fidei formatæ, his verbis: *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero:* Quapropter verbis sequentibus, vocatur à Christo Domino *filia*; quia, ut notat sanctus Hieronymus ad illum locum Evangelii, per istum actum fidei formatæ fuerat justificata, posteà verò illam hortatur Christus ad habendam fiduciam, istis verbis: *Confide filia*, ubi confidentia seu fiducia supponit fidem justificantem præcedentem, ne aliquam sui causam: igitur hæc fiducia ad gratiam justificationis non prærequiritur.

Denique, Fides illa specialis promissionis, gratis conficta est, quippe nullibi revelavit Deus particularibus hominibus quod eorum peccata sint remissa; proferant enim hæretici aliquos Scripturæ textus, quibus significetur privata eorum peccata esse à Deo remissa; nullam enim aliam revelationem præter Scripturam ipsi admittunt, & nihil fide divina & justificante credi debet, nisi quod Deus revelavit, cùm fidei objectum non sit aliud, quàm veritas à Deo revelata. Scio equidem quòd ubi eis fit talis instantia, illos proferre testimonia Scripturæ, quibus continentur promissiones generales, factæ omnibus ad Deum rectè conversis: aut speciales, putà eas quæ factæ fuerunt Magdalenæ pœnitenti, Lucæ. 7. bono latroni, Lucæ 23. Paralytico, Matth. 9. Verùm hæc non significant ipsis hæreticis parem gratiam esse concessam, nec ullo Scripturæ textu evincere possunt se in particulari & sigillatim esse ritè conversos: nec est consequens quòd si speciali privilegiô id Magdalenæ, Latroni, & Paralitico revelavit, parem quoque gratiam Lutheranis & Calvinistis concedat: igitur fiducia illa omnino conficta est, & absque ullo fundamento excogitata.

XIV. Inanis hæreticorum responsio præcluditur.

Reponunt hæretici, se non negare fidem justificantem esse actum intellectûs; sed duntaxat quòd non includat solùm actum intellectûs, sed etiam habeat actum confidentiæ, qui ad voluntatem spectat. Ita Calvinus locis citatis, ubi sic loquitur: „Non negamus interim, quin fidei officium „sit veritati Dei subscribere, quoties & quidquid „& quocumque modô loquitur.

Verùm hæc responsio non obstat, quin reverà in errore versentur, quippe nolunt hunc actum intellectûs conferre ad justificationem per se, sed tantùm ratione confidentiæ seu fiduciæ sibi adjunctæ, quia putant eam solam fidem esse justificantem, quæ cum mortali peccato consistere nequit; sed fides ut præcisè pertinet ad intellectum, potest cum mortali peccato consistere: igitur putant fidem ut præcisè pertinet ad intellectum, non esse justificantem. *Deinde*, volunt fidem justificantem eam esse, per quam apprehendimus, recipimus & nobis applicamus justitiam: at censent nos per solam voluntatem accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum: igitur nolunt fidem ad intellectum spectantem conferre ad justitiam. *Denique*, non aliter volunt fidem ad intellectum pertinentem conferre ad justificationem, quàm actus spei & charitatis; sed docent quòd etsi fidei justificanti adjuncti sint actus spei & charitatis, non tamen propriè justificant; sed sola fides: ergo à pari, volunt quòd etsi fides justificans includat generaliter eam fidem, quatenus ad intellectum pertinet, nempe quatenus sumitur pro assensione data rebus a Deo revelatis: ipsa tamen assensio non confert ad justificationem; quæ doctrina directè militat in oracula Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum à nobis suprà laudata: igitur illa hæreticorum responsio eos ab errore non vendicat.

Objiciunt primò, hæretici illos Scripturæ textus, qui videntur significare justificationem sequi ad fidem, prout illa significat fiduciam seu confidentiam; sic ad Rom. 4. *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, &c.*

XV. Nec non & eorum fundamenta.

Respondeo textum Apostoli non intelligi de promissione justificationis facta huic & illi sigillatim, & in particulari, quam hæretici volunt includi in fiducia, quæ secundùm illos intelligitur nomine fidei: sed tantùm loquitur Apostolus de promissione vocationis Gentium ad fidem & adventûs Christi Domini, ut patet ex præcedentibus: quippe ait promissum fuisse Abrahæ, quòd esset futurus Pater omnium credentium, non solummodò in circuncisione, id est Judæorum, sed etiam in præputio, id est Gentilium: vult autem sanctus Paulus promissionem hanc fuisse firmam & stabilem, ex ea fide dogmatica, quam habuit Abraham de omnipotentia Dei; non autem ex operibus legis Mosaicæ; unde fit ut hæc promissio sese etiam extendat ad Gentes, subjungit enim: *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini*, id est impleatur promissio non solùm apud Judæos, qui secundùm carnem sunt filii Abrahæ, sed etiam apud Gentiles, qui secundùm fidem sunt filii Abrahæ: igitur Apostolus ibi loquitur de fide quatenus pertinet ad intellectum. Quod insuper constat ex verbis sequentibus, ait enim „Confortatus est (Abraham) „fide dans gloriam Deo; plenissimè sciens, quia „quæcumque promisit Deus potens est & facere: sed fides per quam homo novit Deum posse stare promissis suis, pertinet ad intellectum, scire enim est actus solius intellectus: igitur, &c.

Objiciunt 2. illud 1. Joan. 5. *Hæc scribo vobis qui creditis in Filium Dei, ut sciatis quia vitam habetis æternam.*

Respondeo præfatum textum nihil quidquam hæreticis patrocinari, cùm Apostolus nihil ibi doceat nisi quòd quicumque, credunt sicut oportet, habent vitam æternam in spe, eandem habituri in re si non excidant à gratia quam per fidem illam sunt adepti. *Deinde*, etiamsi illud scirent, non esset consequens quòd fides illa justificans sita esset in illa confidentia quâ quisque confideret sibi remissa esse peccata; quippe etiamsi quis noverit quòd si non excidat à gratia quam fuit adeptus, salvus erit; non est consequens quòd certus sit ab eadem gratia nunquam excidere.

Objiciunt 3. eos omnes textus in quibus credentes jubentur esse bonô animô, nec de sua salute trepidare. Sic Psal. 26. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Rom. 8. *Quis accusabit adversus electos Dei: Deus qui justificat, quis est qui condemnet?*

Respondeo hos omnes textus intelligi de spe firma in Deum quam quisque fidelis habere debet in Dei bonitate & misericordia, maximè verò justi; nempè quòd quandiu illos protegit Deus non habeant quod timeant: at hæc firma spes non adstruit illam falsam confidentiam quam prætexant hæretici: quippe inde non sequitur quòd fidelis quisque certò sciat se esse in statu gratiæ sanctificantis, & peccata sua sibi esse remissa.

Objicimus quartò illos omnes textus in quibus jubemur orare Deum cum certa fiducia obtinendi ea pro quibus rogamus: Sic Matthæi 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis.* Marci 11. *Dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Jacobi. 1. *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo & dabitur ei, postulet autem in fide nihil hæsitans.*

XVI. Hominis ad Deum fiducia exerceri potest tribus modis.

Respondeo, præfatos textus etiam hæreticorum dogma non astruere, tribus enim modis intelligi potest hominē debere habere confidentiam se impetraturum esse ea, quæ postulat. *Primò* ut non dubitet Deum posse facere quod ab ipso postulat. *Secundò*, Deum velle concedere id quod postulat homo, dummodò illius oratio fiat sicut oportet. *Tertiò* denique, quòd in particulari certò impetraturus sit quod postulat. Fateor autem quòd prima & secunda species confidentiæ comitari debeat nostras orationes, non autem tertia, quia nulli constare potest absque speciali revelatione, quòd omnes ad ritè orandum desideratas conditiones adhibuerit.

Objiciunt denique illud Hebræorum 10. *Habentes fiduciam in sanguine Christi, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Et cap. 11. Fides definitur *rerum sperandarum substantia*; quibus significari videtur, quòd fides est expectatio certa promissæ misericordiæ Dei.

Respondeo, in priori textu Apostolum non agere de fide requisita ad primam justificationem, sed de augmento gratiæ & justitiæ: nam ad ejusmodi assensum ad quem eos hortatur, postulat præmitti emendationem à peccatis & depositionem pravæ conscientiæ: ait enim: Aspersi corda à conscientia „ mala, & abluti corpus aquâ mundâ, teneamus „ spei nostræ confessionem indeclinabilem: igitur „ textus ille hæreticorum dogmati nullatenus favet.

Ad secundum textum dico, Apostolum illis verbis solùm significare quòd fides sit fundamentum

eorum

eorum omnium quæ nobis speranda sunt. Hanc autem fidem pertinere ad intellectum, ibidem indicat, dicit enim quòd illa est argumentum non apparentium : argumentum autem & convictio pertinent ad intellectum; & cætera quæ habet in isto capite idipsum indicant : falsum est igitur fidem ibi significare certam expectationem promissæ misericordiæ Dei ad remissionem peccatorum.

Conclusio Secunda.

XVII. Actus fidei conferens ad justificationem non est etiam notitia intellectûs.

Actus fidei prærequisitus ad justificationem. non est notitia, sive perfecta, sive imperfecta rerum propositarum; sed est assensus quem præbet intellectus rebus sibi propositis & revelatis.

Probatur prima pars; nempe quòd fides conferens ad justificationem non sit notitia perfecta, variis Scripturæ textibus. Primò quidem ex illo Rom. 4. ubi ait Apostolus quòd Abraham *credidit in spem contra spem*; modus enim hic loquendi significat obscurum & inevidentem fuisse actum fidei Abrahæ quo credidit Deo dicenti ipsum jam ætate provectum fore patrem multarum gentium; adeoque fides illa quæ ad Abrahæ justificatiónem contulit, non fuit perfecta notitia, seu intelligentia.

Item ex illo 2. ad Corinth. 1. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam cùm impleta fuerit vestra obedientia.* Si autem fides justificans impetraret perfectam notitiam seu intelligentiam, non opus esset redigere intellectum in captivitatem ut quis crederet rebus propositis: intellectus namque res evidentes facilè & absque ulla captivitate deprehendit & eis assentitur.

Denique, ex illo Hebræorum 11. ubi fides dicitur *argumentum non apparentium*, id est, quæ nec sensu percipiuntur, nec vi & efficacia rationum cognoscuntur; quâ particulâ Apostolus denotat formale objectum fidei esse testificationem quandam obscuram, secundùm quam materiale objectum fidei non manifestatur

His adde quòd nullus viatorum habuerit unquam evidentem intelligentiam & perfectam notitiam mysteriorum fidei nostræ, maximè Trinitatis & Incarnationis nisi fortè aliquo speciali Dei privilegio hæc evidens cognitio eximiis viris fuerit concessa.

Probatur secunda pars: nempe quòd fides conferens ad justificationem non sit etiam notitia imperfecta; sed simplex assensus rebus propositis. Probatur, inquam, illis Scripturæ S. textibus in quibus fides distinguitur à qualicumque notitia & intelligentia mysteriorum. Sic Isaiæ 7. *Si non credideritis, non intelligetis.* Quibus verbis significatur assensum fidei prærequiri ad obtinendam notitiam credendorum. Sic pariter Joan. cap. 20. Christus Dominus loquens de accessu ad justificationem ad quam vita æterna sequatur, pronunciat illos beatos qui non viderunt & crediderunt, id est, qui non propter aliquas rationes & argumenta, quibus aliqua veritas manifestatur, sed ex obedientia prompta voluntatis præbent indubitatum & firmum assensum rebus à Deo revelatis, & ad credendum propositis. Sic tandem 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem prophetiam, & noverim mysteria omnia, & si habuero omnem fidem, &c.* Quibus verbis Apostolus distinguit donum tam sapientiæ quàm scientiæ, per quod habemus intelligentiam veritatem ab ipsa fide divina, per quam credimus ipsis veritatibus,

A non propter earum evidentiam, sed duntaxat propter authoritatem & veritatem revelantis.

Probatur etiam authoritate sanctorum Patrum, maximè verò sancti Augustini tractatu 27. in Joan. ubi docet intelligentiam mysteriorum esse præviam fidei. Cui subscribit S. Prosper lib. 7. de Vita Contemplativa c. 19. ubi exponens & referens supra dicta verba Isaiæ ait, "Datur intelligi quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat; nec qui intelligit credat, sed qui credit, intelligat."

Adstipulatur etiam ratio Theologica. *Primò* namque experientiâ constat multos rusticos firmò & indubitatò assensu credere mysteria fidei nostræ, quæ tamen ne leviter quidem penetrant: in ipsis autem negare beneficium justificationis

B propter defectum illius notitiæ, est sapere contra communem conceptum sanctorum Patrum, maximè verò S. August. tractatu 40. in Joann. ubi docet idiotas rapere cœlum. Unde lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 4. ait: *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.*

Deinde, In eo non consistit fidei actus quô positô non ponitur fides, & quô sublatô illa non minùs existit : atqui positâ notitiâ imperfectâ mysteriorum, aliquando non ponitur fides; quia potest esse in infidelibus notitia quædam & apprehensio mysteriorum fidei, eâ autem sublatâ,

C non minùs aliquando fides existit : plures namque sunt idiotæ, ut mox diximus, qui nullatenus penetrant mysteria fidei, quæ tamen firmiter credunt submittendo suum sensum. Hinc S. August. tract. 4. in Joan. *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* Et Sermone 149. de Tempore: *Considera quòd voceris fidelis, non rationalis.* Et Ep. 102. *Si propter eos solos Christus natus est, qui certâ intelligentiâ possunt ista decernere, pene frustra in Ecclesia laboramus.*

Denique, Si fides nihil aliud esset quàm ipsa mysteriorum penetratio, sequeretur quod eò major esset mysteriorum notitia quò præstantior est fides, sed falsum consequens : nam Christus Do- XVIII. Quidquid hæretici ex variis Scripturæ textibus obtrudant.

D minus in Evangelio plurimorum fidem celebrat, qui nullam tamen Evangelii nec contentorum in illo mysteriorum notitiam fuerant adepti. Talis fuit mulier Chananea cui Christus: *O mulier magna est fides tua:* talis est Centurio de quo ait; *Non inveni tantam fidem in Israël.*

Objiciunt hæretici. Illorum est habenda notitia, quorum est ratio reddenda; sed fideles quique tenentur proferre rationem fidei, seu eorum quæ credunt omni poscenti; juxta illud 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe & fide.* Igitur singuli veri fideles tenentur scire mysteria.

Respondeo primò, in præfato textu secundùm editionem Vulgatam & Græcam non fieri mentionem *fidei*, sed tantùm *spei* Christianæ, de qua sola

E etiam disserit S. Petrus, ibi enim agit de patientia quam Christiani habere debent in tolerandis tribulationibus, quæ ipsis propter fidem Christianam inferuntur. Priùs enim dixerat: "Si quid patimini propter justitiam, beati: timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini, Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris parati ad satisfactionem, &c."

Respondeo secundò: Fideles quidem teneri ad notitiam mysteriorum, non tamen eodem modo: sufficit enim plerisque habere simplicem notitiam præcipuorum fidei mysteriorum quæ explicitè

credere tenentur, cùm enim ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 12. non omnes in Ecclesia sint Doctores, sintque gratiarum divisiones, & aliis detur sermo sapientiæ, aliis sermo scientiæ, non omnes Christiani tenentur habere intelligentiam mysteriorum nostræ fidei; itaut possint contradicentes arguere, hoc enim Apostolus ad Titum cap. 7. duntaxat postulat ab Episcopo.

Objiciunt secundo: Possumos tantùm id aliis intimare & ore confiteri, quod novimus, quia oris confessio procedit ex notitia confitentis: atqui Christianus quilibet tenetur confiteri Christum Dominum & ejus promissiones; juxta illud ad Rom. 10. *Si confiteris in ore tuo Dominum nostrum Iesum Christum, & corde tuo credideris quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo quilibet fidelis tenetur habere notitiam mysteriorum.

Respondeo, quòd ut Christiani profiteantur fidem, sufficit quòd per generales quasdam rationes respondere possint infidelibus interrogantibus, fidem Christianam esse veram, omniaque illius mysteria esse certissima; tum quòd sint prænontiata antequam existerent, maximè quæ concernunt & sequuntur ad Christi Domini Incarnationem. Tum quòd à Christo Domino & Apostolis evulgata, innumeris confirmata fuêre miraculis, & per varias persecutiones ad nos usque propagata: quæ quidem cognitio longè inferior est ea notitia & intelligentia veritatum Evangelii quam in ipsis hominibus justificandis hæretici prærequirunt.

Objiciunt tertiò: Finis & effectus justificationis, nempe vita æterna, non datur nisi iis qui cognoscunt verum Deum & Jesum Christum; juxta illud Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum:* Sed hæc notitia non potest haberi sine penetratione mysteriorum Trinitatis & Incarnationis: igitur illa prærequiritur ad veram fidem justificantem.

Nego minorem: id enim non intendit S. Joannes; nec particula illa, *cognoscant*, supponit pro intelligentia & penetratione divinæ Trinitatis & Incarnationis: sed pro cognitione quæ supponit assensum veræ fidei. Itaut illa particula, *cognoscant*, idem sonet ac credant fide divina: nam quod ibi exprimit Christus Dominus per verbum cognoscant: paulò post explicat per verbum credere. Sic Patri loquens de suis Apostolis, " Et cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia " me misisti. "

C ONCLUSIO T ERTIA.

XIX.
Actus spei & charitatis etiam conferunt ad justificationem.

A*Ctus spei & charitatis non se habent concomitanter ad justificationem, sed reverà sunt dispositiones, sicut & ipsa fides.* Hæc veritas patet ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad gratiam sanctificantem, non solùm fidem, sed etiam recenset timorem: *Quò*, inquit, *utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, &c.*

Probatur ex Scriptura sacra in qua non solùm actibus fidei, sed etiam spei & charitatis ac timoris attribuitur justificatio. Sic Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum.* 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Actorum 3. *Pœnitemini & convertimini ut deleantur peccata vestra, &c.* Quibus liquet falsum esse quod obtrudunt hæretici, Scripturam solius fidei mentionem facere quando sermo est de justificatione & remissione peccatorum.

Dices primò: Scriptura sacra solam fidem requirit ad justificationem: ergo cæteræ dispositiones superfluunt. Probatur ex illo Luc. 8. *Crede tantùm & salva eris.*

Nego antecedens: & ad probationem dico, ibi non esse sermonem de justificatione, sed de suscitatione puellæ mortuæ; quod beneficium Christus parenti concessit, & fiduciæ quam habebat in ipsius bonitate & clementia ad suscitandam puellam mortuam.

Non autem sola fides, ut prætendunt hæretici.

Dices secundo: Ex Scriptura sacra à dispositionibus justificationis excluduntur opera. Sic Rom. 6. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et infrà. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Et cap. sequenti: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Et Ephesiorum 2. *Gratis salvati estis per fidem & non ex operibus, ne quis glorietur:* ergo, ex Apostolo opera timoris, spei & dilectionis, pœnitentiæ, &c. excluduntur à dispositionibus requisitis ad justificationem, ad eamque sola fides confert.

Respondeo duplicia esse opera: Alia quæ præcedunt fidem, alia quæ sequuntur: priora excludit Apostolus, non verò posteriora, cujusmodi sunt actus spei, dilectionis & pœnitentiæ qui fundantur in fide. Hanc verò esse mentem Apostoli constat, quia vult ostendere nec Judæos ex nuda observatione legis Mosaïcæ, nec Gentiles per bona opera ante Christi fidem susceptam, de facto justitiam à Deo consequi potuisse; sed ex fide in Christum quæ est initium salutis & justificationis, quæque non datur ex operibus præcedentibus, sed est donum Dei: quapropter meritò dicit Apostolus nos gratis justificari, quia fides quæ est primaria & fundamentum dispositionum ad justificationem, gratis datur.

Dices tertiò: Apertè Scriptura testatur nos justificari per solam fidem: ergo cæteræ dispositiones ad justificationem superfluunt. Probatur antecedens ex illo Actorum 15. *In hoc omnis qui credit justificatur.* Et Rom. 11. *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Et cap. 4. *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei:* Igitur sola fides confert ad justificationem.

Nego consequentiam: Nam per fidem in locis citatis, non intelligitur fides nuda, sed cum cæteris actibus adjunctis qui aliunde necessarii esse intelliguntur. Nam S. Jacobus cap. 2. apertè docet quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Nec reponas cum hæreticis, actus quidem illos conferre ad justificationem, sed duntaxat virtute fidei. Nam contra; potiùs fides justificat in virtute charitatis, juxta illud ad Galatas 5. *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Unde S. August. lib. 5. de Trinit. capite 18. addit: Ipsam fidem non facit utilem nisi charitas: sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse. Ideirco autem sæpius fit mentio fidei quàm aliorum actuum; quia ut observat Concil. Trident. sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Dices denique: Plurimi ex SS. Patribus absolutè pronuntiant quòd sola fides justificat. Ita namque docent Origenes in c. 3. ad Rom. Hilarius 8.

in Matthæum. Aug. in Psalmum 88. & Bernardus Epist. 77. igitur ita credendum est.

Respondeo sanctos Patres nomine fidei non intelligere fidem solitariam & distinctam à cæteris actibus intellectûs & voluntatis, sed fidem charitate formatam, & cæteris actibus intellectûs & voluntatis illustratam, ut jam pluries diximus.

QUÆSTIO TERTIA.

Quot & quæ sint dispositiones requisitæ ex parte voluntatis ad justificationem.

CONcilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. præter fidem enumerat 5. alias dispositiones ad justificationem, quæ omnes fiunt per actus voluntatis; suntque *Primò* timor divinæ justitiæ; *Secundò*, spes veniæ ex divina misericordia; *Tertiò*, inchoata Dei dilectio tanquam omnis justitiæ fontis: *Quartò*, odium & detestatio peccati; *Quintò* denique, propositum suscipiendi baptismi, si justificandus nondum sit baptisatus, vel agendæ pœnitentiæ, & suscipiendæ sacramentalis absolutionis, ac novæ vitæ instaurandæ, si post baptismum in peccatum fuerit lapsus. Verba Concilii sunt hæc: *Dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitia timore quô utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

XX. Quinque dispositiones ad justificationē à Concilio Tridentino numerantur.

Quoniam autem non est præsentis instituti de his quinque virtutibus profundè disputare, sed duntaxat discutere ac resolvere an & qualiter sint dispositiones ad justificationem, hinc pauca de his quinque dispositionibus sigillatim proponemus.

Qualiter timor divinæ Justitiæ sit dispositio ad justificationem?

CONcilium Tridentinum verbis suprà scriptis duo de timore statuit. *Alterum* est, quòd intelligamus nos esse peccatores; *alterum* verò quòd divinæ justitiæ timore utiliter peccatores concutiantur. Primum nullam difficultatem infert, soli namque peccatores divinam justitiam debent pertimescere, quia justi quandiu tales remanent, non habent quò Deum vindicem pertimescant juxta illud Genesis 18. *Numquid perdes justum cum impio? Absit à te ut hanc rem facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum qui judicas omnem terram.* Posterius autem controvertitur inter Lutheranos & Catholicos: nam Lutherus, ut constat ex Bulla Leonis decimi damnantis ejus errores, docuit timorem quô quis Deum vindicem timet, esse peccatum, & peccatores pejores facere: quam utique assertionem ut hæreticam damnat Concilium Trident. sess. 6. Canone 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

XXI. Timor Dei confert ad salutem.

Ut significat S. Scriptura.

Assertio itaque Catholica est, timorem illum Dei vindicis esse salutiferum, quod utique probatur variis Scripturæ textibus. Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum, & qui sine timore est non justificabitur.* Isaiæ 26. juxta interpretationem 70. Interpretum; *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis.* Hinc viri quique salutis animarum zelantissimi, peccatores hortati sunt ad pœnitentiam comminatione pœnarum. Sic Moïses Deuteronomii 30. filios Israël ad pœnitentiam provocat aperiendo varias plagas quibus Deus criminum vindex eorum peccata debebat mulctare, ni resipiscerent. Sic lib. 2. Regum cap. 12. hortatur Nathan Davidem ad pœnitentiam comminatione ingentium calamitatum. Sic S. Joannes Baptista Pharisæos & Sadducæos venientes ad baptismum suum compellabat his verbis: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ..... jam enim securis ad radicem posita est; omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, exscindetur & in ignem mittetur.* Sic Christus Dominus, Luc 12. ait: *Ostendam vobis quem timeatis, Timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam.* Et cap. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Eandem veritatem constanter docent SS. Patres, in primis verò S. Cyprianus: qui lib. ad Quirinum cap. 2. ait, timorem esse fundamentum & firmamentum spei & fidei. Cui cæteri Patres subscribunt; ut aliàs abundè docuimus: maximè verò sanctus Augustinus, qui pluribi hunc timorem commendat; præcipuè verò Epist. 120. ubi ait: *Præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum & servat charitati locum quâ tanquam dominâ veniente ut illa insideat abscedit.* Tractatu in Epistolam 1. S. Joannis, ubi postquam docuit hæc Apostoli verba: *Timor non est in charitate*, non esse intelligenda de charitate inchoata, sed de ea, de qua statim locutus est Apostolus, *Perfecta charitas foras mittit timorem*, subjicit: *Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati; cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantùm enim illa crescit; tantùm iste decrescit: & quantùm illa fit interior, tantùm timor pellitur foras: major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus est timor, non est quò intret charitas, sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta priùs intrat; sed nisi exeat non succedit linum; sic timor primò occupat mentem; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.* Lib. de catechis. Rudibus, cap. 5. *De ipsa etiam severitate Dei, quâ corda mortalium saluberrimò timore quatiuntur charitas ædificanda est.* Et postea. *Rarissimè quippe accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquô timore percussus.* Et Enarr. in Psal. 127. *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed patiendi illud malum; non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est.* Idem habent sanctus Prosper, lib. de vocatione Gentium, cap. 27. & Isidorus de summo bono cap. 8.

Idem docent SS. Patres maximè S. Augustinus.

Advertendum nihilominus hunc timorem non esse absolutè necessarium ad justificationem; potest enim quis justificari sine timore illo servili,

XXII. Ille timor non est ab-

Tom. III.

Solutè necessarius ad justificationem.

licèt justificari nequeat sine timore filiali, qui coincidit cum dilectione Dei: est tamen ad eam valde utilis; nam homo agnoscendo se peccatorem & Deum justum Judicem implicitè Deum metuit, vel formaliter, quô metu fit ut divinam misericordiam exoret, & gratiam quâ vitam innovare, & ad meliorem frugem sese recipere possit.

Dices. Omnis dispositio ad justificationem debet esse moraliter bona: sed timor ille servilis non est talis: igitur timor ille non est utilis ad justificationem.

Distinguo minorem. Timor servilis, quâ servilis est, duntaxat, seu quô cavetur peccatum tantùm propter metum pœnæ; ita quòd si non esset pœna infligenda, peccatum non caveretur, nec Deus ullô honore aut cultu haberetur, concedo: timor servilis, quâ timor est simpliciter, nego. Duo igitur sunt in timore, nempe timor & servilitas: timor quidem bonus est, servilitas verò potest esse mala; nam bonum est timere gehennam, quia gehenna malum est, bonum autem est fugere malum; sed malum est illam timere cum exclusione amoris justitiæ.

Hinc facilè conciliantur sententiæ sancti Augustini de timore servili, quæ videntur invicem pugnare; nam dicit interdum timorem servilem esse bonum, salubrem, utilem, initium conversionis & necessarium ad illam; aliquando autem videtur eundem timorem damnare, ut cùm ait Epist. 144. *Inaniter putat victorem esse peccati, qui pœna timore non peccat, quia etsi non impletur foris negotium mala cupiditatis: ipsa tamen cupiditas intus est hostis: & quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahat quod timetur? ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri: sed ideo non facit ipse, quia impunè non potest fieri quod ipse desiderat, si posset sine pœna patrari.* Quod breviùs declarat libro 2. ad Bonif. cap. 9. *Quando timore pœna non amore justitia fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere si posset impunè.* Missas facio similes alias sententias; quibus sanctus Augustinus deprimere videtur timorem servilem, non simpliciter quòd servilis sit, sed quando accidit quòd timor ille duntaxat revocat à peccato propter solum gehennæ metum; ita quòd peccatum non caveretur si talis gehennæ metus non adesset, etiamsi aliunde Deus illud prohibeat, quatenus foræ majestatis divinæ offensivum est.

Qualiter spes veniæ sit dispositio ad justificationem?

XXIII. Reverâ spes dispositio ad justificationem.

Constat ex Scriptura sacra spem ad justificationem disponere: Sic Psal. 36. *Eruet eos à peccatoribus & salvabit eos, quia speraverunt in eo.* Proverb. 28. *Qui sperat in Domino salvabitur.* Hinc Christus Dominus peccatores sæpiùs ad spem & fiduciam hortabatur, tanquam ad dispositionem necessariò prærequisitam ad gratiam: Sic Matth. 9. *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Unde Apostolus Rom. 8. ait. *Spe salvi facti sumus.* Ratio est quia cùm justificatio non sit opus humanum, à Deo est expectandum: ergo non potest homo firmiter conari ad remissionem peccatorum obtinendam, nisi firmiter speret se illam esse obtenturum. Itaque quamvis objectum spei sit latum, tamen in negotio justificationis solùm respicit veniam peccatorum, & gratiam per merita Christi ad agendum pœnitentiam.

Petes, an spes sit simpliciter necessaria ad justificationem?

Affirmo: tum ex præfatis Scripturæ textibus, quibus constat homines spe salvari & sanctificari: Tum quia Concilium Trident. sess. 6. Canone 3. hanc veritatem insinuat definiendo non posse hominem sine Spiritûs sancti inspiratione, credere, sperare, diligere aut pœnitere sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur: ubi paris necessitatis judicat esse actum spei ad justificationem ac actum fidei & charitatis, quos absolutè necessarios esse nemo dubitat: Tum denique, quia sess. 14. cap. 4. contritionem quæ quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessaria fuit, dicit includere fiduciam divinæ misericordiæ, quæ fiducia certissimè est actus spei. Hinc sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 1. Nemo potest agere pœnitentiam nisi qui speraverit indulgentiam.

Quanam dilectio Dei ad justificationem prærequiratur?

XXIV. Qualiter actus dilectionis Dei ad justificationem conferat.

Concilium de dilectione Dei ad justificationem necessaria, tria docet: *Primum* est, quòd justificandi, Deum diligere incipiunt. *Secundum*, quòd illum incipiunt diligere tanquam omnis justitiæ fontem. *Tertium* denique, quòd propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem. Ubi observandum est primò per has voces *diligere incipiunt*, Concilium significare dilectionem Dei inchoatam, abstrahendo à dilectione perfecta, vel imperfecta, quia extra sacramentum dilectio inchoata imperfecta non sufficeret; in sacramento verò dilectio inchoata perfecta non est absolutè necessaria. Concilium autem loquitur de inchoata dilectione Dei, abstrahendo à justificatione quæ fit in sacramento, vel extra sacramentum.

Observandum secundò, illam Dei dilectionem, esse vel amorem amicitiæ, vel concupiscentiæ. Amorem quidem amicitiæ extra sacramentum, concupiscentiæ verò vel attritionis, cum sacramento. Verùm namque est quòd extra sacramentum amor perfectæ amicitiæ actualis desideretur tanquam dispositio ad justificationem: nam Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. loquendo de contritione quæ est amor amicitiæ, ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso, ita demum praparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divina misericordia, & voto præstandi reliqua conjunctus sit qua ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.* Ubi sermo est de contritione perfecta, nam hæc sola omni tempore necessaria fuit ad justificationem, quippe attritio seu contritio imperfecta non fuit sufficiens, nec proinde necessaria omni tempore ad veniam peccatorum obtinendam; Tum quia idem Concilium sessione 6. Canon. 3. ait, motum charitatis debere esse ex gratia Dei: ergo motus charitatis Theologicæ sicut motus fidei & spei est dispositio ad gratiam justificationis. Tum denique quia idem Concilium ibidem cap. 5. declarans dilectionem necessariam esse ad gratiam sanctificantem, utitur ad hanc veritatem insinuandam his Zachariæ verbis, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: sed Deus extra sacramentum non convertitur nisi ad eum qui habet perfectam contritionem; verba enim illa dicta sunt ad homines eo tempore quô attritio cum sa-

cramento non erat sufficiens conditio ad justificationem, quia nedum instituta erant sacramenta.

Quæ Pœnitentia disponat ad justificationem?

XXV. Quomodo actus pœnitentiæ conferat ad justificationem.

DUo circa hanc dispositionem docet Concilium: *Primum* quidem pœnitentiam esse odium & detestationem peccatorum propter Deum, quod utique definit adversus Lutherum asserentem pœnitentiam nihil aliud esse quam novam vitam; *alterum* autem quòd hæc pœnitentia sit agenda ab infideli antequam accedat ad baptismum, juxta illud Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, &* B *accipietis donum Spiritûs sancti.* Quòd autem hæc pœnitentia necessariò præcedere debeat justificationem ordinariè loquendo, colligitur ex Scriptura sacra. Sic Jeremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Ezechielis 18. *Cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit.* Ecclesiastici 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei.* Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.* Dixi *ordinariè*, potest enim fieri in aliquo casu, v. g. quando quis rapitur ad martyrium, & memoriæ non occurrunt peccata, quòd solâ expressâ dilectione Dei sine contritione formali, sed solùm virtuali justificabitur. C Nam potest tunc cogitare de divina bonitate, & eam diligere, & tunc expressè non pœnitet de peccatis, quia memoriæ non occurrunt, ut diximus: ergo justificabitur iste sine expressa contritione: patet, nam Deus diligentes ipsum diligit. De his plura in disputatione de *Charitate*.

Qualiter propositum suscipiendi Sacramenta baptismi & pœnitentiæ & vitæ emendandæ ac observandorum præceptorum, sit necessarium ad justificationem?

D REspondeo propositum illud esse necessarium quidem *primò* respectu baptismi, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. *Secundò* respectu Sacramenti pœnitentiæ, quia eadem est ratio pœnitentiæ pro baptisatis peccatoribus, quæ baptismi pro Infidelibus: sed propositum suscipiendi baptismatis necessarium est infidelibus ut justificentur: ergo, &c. similiter respectu novæ vitæ & mandatorum observationis; juxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur.* Quæ verba non aliud significant, quàm propositum efficax servandi mandata, E & observationes eorum, ad quæ tenetur impius cùm pœnitentiam agit, nec-non & observationem legum, & præceptorum quæ præscribuntur ad justitiam acquirendam, vel servandam. Hoc autem propositum non debet semper esse explicitum & expressum, sed sufficit ut aliquando sit virtuale & implicitum: putà dum quis elicit actum amoris Dei super omnia, per quem formaliter & proximè disponitur ad justificationem; in eo namque actu solùm virtualiter continetur propositum suscipiendi Sacramenti baptismi aut pœnitentiæ, nec non & servandorum Dei mandatorum, & cavendi omnia ea quæ Deo displicere possunt.

A *Petes*, an ad positionem dispositionum illarum semper sequatur gratia sanctificans?

Respondeo dispositiones assignatas esse in duplici differentia respectu gratiæ sanctificantis: quædam enim sunt remotæ, ut fides spes, timor; quædam proximæ & ultimæ, ut actus pœnitentiæ & dilectionis Dei perfectæ: De remotis non est difficultas, clarum est enim quòd ad positionem illarum dispositionum gratia sanctificans non sequatur. Unde

Respondeo secundò, quòd ad positionem proximæ & ultimæ dispositionis probabile sit gratiam sanctificantem infundi, tum quia Concilium Trid. ubi laudato cap. 6. explicuit præparationes ad justificationem, caput sequens ita incipit, Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, &c. quo loquendi modô significare videtur statim gratiâ sanctificantem infundi. Tum quia eadem videtur esse ratio de formis supernaturalibus ac de naturalibus: sed formæ naturales inducuntur in subjectum statim ac posita est ultima dispositio: igitur idem dicendum de gratia sanctificante, quæ est forma supernaturalis.

Petes 2. utrum prædictæ dispositiones debeant esse actu, dum adultus justificatur?

XXVI. Qualiter omnes illæ dispositiones requirantur cum sacramento.

Respondeo primò, quòd quando peccator justificatur extra sacramentum, dispositiones ultimæ debeant esse simul, seu in eodem instanti quô gratia infunditur, quia dum sic justificatur homo, nulla ratio assignari potest, quare positâ ultimâ dispositione, gratia non infunderetur; quippe, ut mox diximus, eodem modo servata proportione ratiocinandum est de dispositionibus ad formas supernaturales ac ad naturales: sed formæ naturales introducuntur eodem instanti, quô est ultima dispositio ad illas; alioqui per aliquod instans subjectum existeret sine forma; siquidem ultima dispositio, v. g. summus calor ad formam ignis est incompatibilis cum summo frigore, quod est conservativum formæ aquæ; & subinde posito summo calore necessum est perire formam aquæ, & consequenter inducit formam ignis, aliàs subjectum nullam haberet formam substantialem: igitur pari ratione, positâ dispositione ultimâ ad gratiam sanctificantem, congruum est illam infundi.

Et extra sacramentum.

Respondeo secundò, quòd cùm justificatur adultus per realem susceptionem Sacramenti, non est necesse ut dispositiones sint actu in eodem instanti quô infunditur gratia, sed satis est quòd præcesserint & virtualiter perseverent; quod ut sic probatur. Virtualis motus liberii arbitrii est sufficiens ad justificationem, quæ fit per realem susceptionem sacramenti; igitur si homo justificandus paolò ante susceptum Sacramentum, elicuerit præfatos actus dispositionum, nec eos revocaverit, sufficienter erit præparatus ad suscipiendum effectum sacramenti, nempe gratiam sanctificantem. Probatur antecedens: Ille motus sufficiens est ad justificationem, qui ex natura sua sufficit ad peccatum, & per quem homo intelligitur velle aliquid more humanô, non enim plus libertatis requiritur, ut justificetur homo, quàm ut peccet: sed per motum voluntatis virtualem homo intelligitur velle aliquid modô humanô, & actualiter peccare per talem volitionem virtualem, si priùs egerit aliquid ex quo peccatum infallibiliter & necessariò sequitur: igitur motus ille virtualis erit sufficiens ad justificationem.

Deinde, Potest homo, dum sacramentum recipit, distrahi inculpabiliter, & quasi naturaliter;

non apparet autem ratio, quare sacramentum tunc non haberet effectum; quippe recipiens nullum ponit obicem. Constat autem ex Concil. Trident. sess. 6. can. 6. sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem: igitur ille gratiam sanctificantem recipiet.

Denique, Si necessum esset quòd dispositiones illæ actu existerent, & perseverarent dum infunditur gratia, sequeretur quòd ubi formatus fuit actus illarum dispositionum, si aliqua superveniret distractio, quantumlibet levis, foret peccatum mortale; nihil enim impedit effectum sacramenti, qui est gratia sanctificans, nisi peccatum mortale; siquidem illa gratia compatitur cum peccato veniali: at hoc asserere nimis durum esset, & sacramentorum frequentationi contrarium; sequeretur enim omnes fere homines anxios fore, dum ad sacramentum accederent, an illud ritè suscepissent; cùm facillimum sit aliquam evagationem mentis supervenire in receptione sacramenti, in eaque vel avertenda, vel repellenda tantùm diligentiæ, quantùm necesse esset non adhibere.

Confirmatur insuper ex communi sententia Theologorum docentium, quòd si quis adultus rationis compos sacramentum Baptismi petierit, & ante illius susceptionem inciderit in amentiam, nec constet eum talem voluntatem revocasse, tunc ipsi debere Baptismum ministrari, licèt nullam actualem dispositionem habeat, sed duntaxat præsumatur habere virtualem; sicut etiam frequenter ministratur Sacramentum extremæ-unctionis iis, qui vix illum rationis usum habere videntur.

Dices: Deus neminem justificat, nisi juxta conditionem suæ naturæ: at conditio hominis utentis ratione, est ut homo actu concurrat ad sui justificationem per motum sui liberi arbitrii: igitur dispositiones ad gratiam justificantem debent esse eôdem instanti, quô homo justificatur.

Distinguo minorem: Conditio hominis utentis ratione est, ut concurrat ad sui justificationem, per actum, vel qui sit eôdem instanti, vel qui præcesserit & virtualiter adhuc perseveret, concedo: quia sit actualiter dum gratia illa infunditur, nego, qui homo censetur concurrere ad effectum modô suô naturali, quando concurrit ad actum præcedentem non revocatum & virtualiter adhuc perseverantem, ut dictum est.

Dices secundò: Dum homo justificatur extra sacramentum, necessum est quòd dispositio ultima sit actu, dum infunditur gratia: ergo idem dicendum est dum justificatur per sacramenti susceptionem.

Nego conseq. & ratio disparitatis est, quòd non appareat cur gratia sanctificans potius infunderetur post positionem ultimæ dispositionis, dum extra sacramentum homo justificatur, quàm quòd infundatur cum illa: tunc enim nihil aliud intervenit; at verò in sacramento post ultimam dispositionem solùm virtualiter perseverantem supervenit fœcunditas sacramenti, producentis moraliter gratiam ex opere operato: igitur non est eadem ratio.

XXVII. *Petes denique*, an actus ad justificationem dispositivi debeant esse supernaturales, nec-non procedere efficienter ab ipso habitu gratiæ sanctificantis.

Omnes illæ dispositiones procedere debent à gratia.

Respondeo primò, omnes & singulos actus dispositivos ad justificationem debere esse super-A naturales, & ex supernaturali gratia elicitos; quod utique facilè colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 3. ubi sic habetur: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ubi hæc verba, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione atque ejus adjutorio & sicut oportet, declarant illos actus dispositivos procedere debere ex supernaturali præveniente & adjuvante gratia ad hoc, at illis positis gratia justificationis sequitur.

Respondeo secundò, illos actus dispositionis non B procedere efficienter ab ipso habitu gratiæ sanctificantis: *Tum quia* dispositiones sunt priùs naturâ ipsâ formâ ad quam disponunt; quod autem est naturâ prius altero, non potest esse efficaciter ab illo quod naturâ prius est: igitur, &c. *Tum quia* Conc. Trident. sess. 6. c. 5. & 6. ubi descripsisset modum quô adultus disponitur ad justificationem, & recensuisset omnes illos actus dispositivos, ita septimum caput inchoat: *Hanc dispositionem seu præparationem ipsa justificatio sequitur*; Igitur significat Concilium infusionem habitualis gratiæ esse posteriorem reali existentiâ illorum actuum dispositivorum. *Tum denique*, quia habitus gratiæ vel existit in voluntate hominis in illo priori, quô actus dilectionis Dei super omnia, & contritionis C de peccatis elicitur, vel solummodò post ea infunditur: Si primum; ergo homo priùs est formaliter justus, & de facto justificatus quàm habeat prædictos actus dilectionis & contritionis; quia hæc justificatio est formalis effectus gratiæ inhærentis; absurdum est autem dicere, quòd adultus peccator qui justificatur extra sacramentum, reverà sit justus antequam prædictos actus dilectionis & contritionis elicuerit: Si secundum; ergo prædicti illi actus, cùm jam præexistant, non procedunt efficienter à tali habitu gratiæ justificantis.

Non quidem habituali.

Dices: Si hæc vera essent, sequeretur hominem adultum priùs diligere Deum perfectâ dilectione, quàm Deus ipsum diligat: at hoc consequens est falsum: ergo & antecedens. Major D patet: Si enim illa dilectio non procedat ab habitu charitatis, & eo sit anterior, cùm Deus hominem non diligat dilectione supernaturali, nisi propter justitiam & charitatem, sequitur quòd homo ille priùs Deum diligat supernaturaliter, quàm ita à Deo diligatur. Minor probatur ex illo 1. Joann. 4. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

Nego minorem: Non enim sequitur hominem priùs diligere Deum perfectâ & simpliciter dilectione supernaturali, quàm diligatur à Deo di-E lectione correspondente; nam actus ille dilectionis Dei ultimò dispositivus ad gratiam justificationis, licèt procedat à gratia actuali, non est tamen simpliciter perfectus in genere supernaturali, cùm eliciatur à persona quæ in illo signo nondum censetur habere habitum charitatis; subindéque nondum esse simpliciter in statu supernaturali.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ipsa justificatione formali.

I. Nomen justificationis quatuor modis accipitur.

JUSTIFICATIONIS nomen varias in sacra Scriptura significationes obtinet; quatuor enim præsertim modis usurpatur. *Primo* quidem pro ipsa divina lege, quæ justitiam docet & ad eam assequendam conducit: Sic Psalm. 118. *Vtinam dirigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas.* Et infrà: *Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.* Et rursus: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.* Hinc Lucæ primò de Zacharia & Elizabetha dicitur: *Erant autem justi ambo apud Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* *Secundò*, pro declaratione justitiæ seu innocentiæ facta per judices in favorem alicujus in foro externo: quâ ratione *justificare*, idem est ac facere, seu æstimare, pronunciare & declarare aliquem esse justum, sive interim ille reverà justus sit, sive non, quô sensu Proverb. 17. dicitur: *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum.* Et Psal. 81. *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem justificate.* Isaiæ 5. *Væ illis qui justificans impium pro muneribus.* Quæ utique significatio etiam extenditur ad declarationem innocentiæ authoritate privatâ factam: quâ ratione Job c. 9. aiebat: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* Et Lucæ 16. *Pharisæi justificabant seipsos.* Quapropter apologia quâ quis innocentiam ac justitiam suam tuetur & manifestat, apellari solet justificatio: Sic Job 27. *Iustificationem meam quam cœpi tenere non deseram.*

TERTIÒ, usurpatur justificatio pro comparatione & acquisitione justitiæ & innocentiæ, quâ justificamur à Deo: Sic Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c.* Et cap. 4. *Credenti in eum qui justificat impium.* Et cap. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ:* Et 1. Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque molles, neque Idolis servientes regnum Dei possidebunt: & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.*

QUARTÒ denique, vox ista sumitur pro incremento ejusdem justitiæ: Sic Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Zach. 2. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Apocalyp. ultimô. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

II. Quàm diversa sit hæreticorum à Catholicis acceptio justificationis.

Prima justificationis acceptio non spectat ad E nostrum institutum, tres verò aliæ ad ipsum conducunt. Primam enim earum usurpant Lutherani & Calvinistæ ad declarandam innocentiam, quam volunt per Christum nobis duntaxat conferri per imputationem illius sanctitatis; duæ verò posteriores significationes frequentes sunt apud Catholicos, qui meritò contendunt justificationem fieri per aliquid positivum, quod justorum animabus insit: quâ ratione justificatio considerari potest vel *activè* & efficienter, quatenus significat actionem Dei hominem interiùs justificantis: vel *passivè* & subjectivè, prout designat terminum ipsius actionis Dei justificantis; nempe humanam animam gratiâ sanctificante illustratam & adornatam.

III. Justitiæ nomen, unde justificatio, tribus modis accipitur.

A Quoniam autem *justificatio* à *justitia* derivatur, & *justificare* idem est ac *justum facere*: observandum est insuper, quod justitia generatim sumitur pro rectitudine cujusvis operis; id enim dicitur *justum*, quod rectum est & commensuratum ac regulis suis congruens. Quapropter justitiæ nomen tribus præsertim modis usurpatur: *Primò* quidem generalissimè, pro cujuscumque operis rectitudine per legem præscripta: quô sensu Christus Dominus, Matth. 5. dicebat: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum.*

Secundò sumitur specialiùs pro ea rectitudine, B quæ est in operibus ad alterum, quô sensu justitia specialis virtus inter cardinales constituitur. *Tertiò* denique specialissimè, pro ea rectitudine per quam homo ordinatur ad vitam æternam: quô sensu dixit Apostolus, Rom. 3. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum:* eam autem apellat justitiam *fidei*, quia incipit à fide, & *Dei*, quia donatur à Deo: Hinc ad Philip. 3. dicebat: *Et inveniar in illo non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est justitia ex fide.*

Articuli distributio.

His ita præmissis, determinandum est in præsenti articulo: *Primò*, an justificatio impii fiat per C justitiam inhærentem & intrinsecam, an duntaxat per imputativam & externam? *Secundò* utrum in peccatoris justificatione sic peccata remittantur ut verè deleantur, nec ullatenus amplius in justificato subsistant? *Tertiò*, an gratia sanctificans habitualis subsistere possit per extraordinariam Dei potentiam cum peccato mortali. *Quartò*, an justitia semel habita possit amitti? *Quintò* denique, an homo possit esse certus de sua justificatione.

QUÆSTIO PRIMA.

D *An justificatio impii fiat per justitiam inhærentem & intrinsecam, an autem per imputativam & externam?*

IV. Hæretici censent nos non justificari per aliquid intrinsecum.

NOtandum primò inter innumeros hæreticorum hujus temporis errores, hunc non ultimum locum tenere quô affirmant homines non justificari formaliter per aliquid intrinsecum, sed duntaxat per justitiam Christi, fide veluti manu aprehensam & nobis applicatam: fide inquam illâ quam vocant justificantem, voluntque esse distinctam à fide historica, & à fide miraculorum; ita ut per eam fidem justificantem homo sibi certò persuadeat justitiam Christi ad se per- E tinere, & propter ipsum peccata sibi non imputari à Deo. Ita præ cæteris docet Calvinus lib. 3. Instit. cap. 11. num. 2. ubi ait: *justificabitur ille fide quia operum justitia exclusus, Christi justitiam per fidem apprehendit, quâ vestitus in conspectu Dei, non ut peccator, sed tanquam justus apparet.* Hinc in antidoto Concilii Tridentini ad sessionis 6. cap. 8. audacter ait: *Falsum esse contendo, ullam justitiæ partem in qualitate situm esse vel habitu, qui in nobis residet.* Ipsi subscribunt non solùm Calvinistæ Galliæ, art. 20. suæ confessionis fidei, sed & Germaniæ, ut constat ex Catechismo Palatinatûs approbato in Pseudo-Synodo Dordrechtana. Quàm autem hæc sententia pessima sit & erronea, quamque apertè militet in ipsam Scripturam sacram, nec non & sanctos Patres docentes nos justifica-

ri per justitiam inhærentem & intrinsecam infrà patebit.

V. Quid sit justificari à peccatis.

Notandum secundo, nos hîc sermonem instituere de justificatione peccatoris, quæ juxta Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 4. rectè describi potest, *Translatio a statu peccati in statum gratia & adoptionis Filiorum Dei, per Iesum Christum Salvatorem nostrum.* Quæ quidem translatio non fit per modum simplicis generationis seu per modum simplicis motûs à privatione aut negatione justitiæ ad ipsam; qualis fuit justificatio Angelorum & primorum parentum in instanti suæ creationis; quæ propterea dici potest motio seu mutatio à carentia gratiæ sanctificantis ad ipsam gratiam sanctificantem: sed fit per motum a veluti contrario in contrarium, seu per transmutationem quandam a statu injustitiæ ad statum sanctitatis & justitiæ supernaturalis, secundùm quam in interiori dispositione hominis inferiores animæ vires superiori nempe rationi subjiciuntur, ratio vero Deo in omnibus perfectè obsequitur ac famulatur.

VI. Quare nostra justitia apellari possit justitia Dei & Christi.

Notandum tertiò justitiam quâ *justi* nominamur posse justitiam *Dei* & *Christi* bifariam appellari: vel ratione originis, vel ratione imitationis ac similitudinis. Ratione quidem *originis* justitia Dei appellatur, quia *Deus est qui justificat*, inquit Apostolus Rom. 8. Similiter & justitia Christi; non modò quia ejus meritô justi efficimur, sed etiam quia nemo fit justus nisi per acceptam ab eo justitiam; de cjus enim plenitudine omnes nos accepimus: quapropter Apostolus ad Philippenses 3. dicebat: *Vt inveniar in Christo non habens meam justitiam, sed justitiam qua est ex fide Iesu Christi.* Ratione verò similitudinis justitia Dei appellatur, quia videlicet per eam Deo assimilamur. Hinc monebat Christus Dominus, Matthæi 5. *Estote ergo & vos perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Pari ratione dicitur justitia Christi, quoniam per gratiam sanctificantem *qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse eluxit in cordibus nostris ad illuminationem scientia claritatis Dei in facie Christi Iesu:* ait Apostolus 2. ad Corinth. 4. Hinc egregiè monebat Ephesios cap. 4. *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Status quæstionis.

Difficultas ergo duntaxat solvenda superest, an etiam justitia nostra sit ipsa formalis justitia Christi quæ per externam duntaxat imputationem nobis attribuatur. quæ quidem difficultas ut solvatur, sit

CONCLUSIO UNICA.

VII. Justificatio formalis fit per formam intrinsecè existentem in justo.

JVstificatio impii consistit formaliter in justitia intrinsecâ & inhærente. Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino sess 6. can. 10. *Si quis dixerit homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Et Canone 11. *Si quis dixerit homines justificari, vel solâ imputatione justitia Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundetur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ justificamur esse tantùm favorem Dei, anathema sit.*

Probatur 1. ex Script. sacra.

Probatur hæc veritas illis omnibus Scripturæ textibus, in quibus *Primò* dicitur Deus permanere in nobis. Sic Joannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Secundò*, ex his, in quibus dicitur homo regenerari & renovari, cùm sanctificatur. Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate.* 1. Petri 5. *Regeneravit nos in spem vivam:* at regenerationis terminus debet esse aliquid reale, sicut & generationis. *Tertio*, ex his in quibus gratia dicitur esse *semen Dei* manens in nobis. 1. Joan. 1. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo.* Item, *pignus hæreditatis*, ut Ephes. 1. Hæc enim omnia significant aliquid creatum, & inexistens realiter homini justificato. *Quarto*, ex eis in quibus significatur justos in se habere aliquid, quô Deo grati sint & accepti. Sic Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Scienter autem addidit, *& simus*, ut evidenter exprimeret nos non externâ duntaxat appellatione Filios Dei nominari, sed & reverâ esse.

Probatur similiter eadem veritas illis omnibus oraculis, quibus clarè docetur gratiam & justitiam, quâ justi sumus, esse aliquid in nos à Christi justitia derivatum: Sic Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus gratiam pro gratia.* Eph. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi:* Per hanc autem gratiam dicimur, *ad Titum, cap. 4. renovari spiritu mentis nostra.* Joan. 4. Renasci in Filios Dei: *Ad Gal. 3.* Vivificari in Christo. *Rom. 8.* Accipere in nobis Spiritum sanctum, in quo clamamus Abba Pater. *Prima Corinth. 6.* Per quem abluimur, justificamur. Quæ omnia apertè declarant hominem justificari coram Deo, per gratiam inhærentem; renovari enim, renasci & vivificari per aliquid, est rem illam interiùs existere; nemo namque renovatur, nascitur, & vivit formaliter per vitam, quæ sit in altero; nemo formaliter abluitur per mundititiam alterius.

Probatur eadem assertio illis sanctorum Patrum authoritatibus in *prima quæstione concl. 2. præcedentis disputationis* laudatis. Quibus nunc omissis, unicum profero S. Augustinum, quem falsò sibi patrocinantem hæretici mentiuntur: Sanctus enim ille Doctor plurimis locis apertè declarat nos justificari per justitiam, non quæ in Deo sit, aut Christo, sed quæ nobis inexistat: Sic maximè loquitur librô de spiritu & littera cap. 9. ubi explicans hunc Apostoli textum Romanorum 3. *Iustitia Dei manifestata est*, ait: *Non dicit justitia hominis, vel justitia propria voluntatis, sed* JUSTITIA DEI, *non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, cum justificat impium.* Quod utique repetit cap. 11. 18. & 32. ubi explicans illud Romanorum 5. *Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris*, ait: *Non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei quâ justi ejus munere efficimur: & Domini salus, quâ nos salvos facit: & fides Iesu Christi, quâ nos fideles facit. Hac est justitia Dei, quam non solùm docet per legis praceptum, verùm etiam dat per Spiritus donum.* 2. Ex SS. Patribus.

Probatur denique *ratione Theologicâ*: Eâ ratione dicimur justificari per Christum, quâ inquinari per Adamum: at non inquinamur duntaxat per imputationem peccati Adami; sed quia reverâ in ipso tanquam in capite peccavimus omnes; quò fit ut peccatum originale singulis Adami posteris inexistat, & eos per modum maculæ afficiat: igitur nec per Christi justitiæ imputationem justificamur. Majot constat ex antithesi illa celebri, 3. Ratione.

quam

quam Rom. 5. instituit Apostolus inter veterem & novum hominem, Adamum videlicet & Christum. *Sicut enim*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes hominet in justificationem vitæ.* Minor pariter vera apparet ex iis quæ diximus de peccato originali in secundo volumine, in quo probavimus originale peccatum reverà singulis Adami posteris inexistere; non aliâ ratione, quàm quia omnes in eo, tanquam in totius naturæ humanæ capite ac stipite peccaverunt.

Secundò, Nulla forma intrinsecè ac formaliter denominat subjectum, cui non inexistit. Albedo namque verbi gratiâ, non potest denominare parietem album, cui oon inhæret: sed id quô dicimur justi, est forma per quam efficimur formaliter justi; non enim tales dicimur duntaxat per denominationem extrinsecam: igitur eam appellationem sortimur ab aliqua forma nobis inexistente; & subinde tales non denominamur per illam justitiam, quæ in Deo vel Christo residet.

Tertiò denique: Justitia illa quâ formaliter dicimur justi, capax est intensionis & remissionis, juxta illud secundæ Petri 3. *Crescite in gratia:* & Apocalypsis ultimô: *Qui justus est justificetur adhuc:* quam utique veritatem apertè demonstravimus in disputatione præcedenti: sed neque justitia Dei, neque justitia Christi suscipere possunt magis & minùs: ergo necessum est, ut justificemur per justitiam nobis inexistentem, quæ sit capax remissionis & intensionis.

VIII. Solvuntur hæreticorũ fundamenta. *Objiciunt primò* hæretici varios Scripturæ textus, quos suo errori apertè patrocinari falsò autumant: *Primò* quidem proferunt illud ad Romanos 4. *Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ei ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei:* id est, acceptatur à Deo fides ejus, quâ credit justitiam Christi ad se pertinere, & sibi per divinam misericordiam imputari: quæ interpretatio videtur esse genuina, & maximè conformis menti Apostoli, qui istô capite justitiam undecies appellat imputationem.

Nego hanc esse mentem sancti Apostoli; imò contrarium ex eodem capite apparet; ibi namque probat Abraham justificatum fuisse non ex operibus, sed ex vivâ & perfectâ fide in Deum, quæ ipsi reputata, hoc est deputata fuit ad justitiam; quia *contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium:* nemo autem dixerit fidem Abrahæ, per quam justificatus fuit, externum quiddam fuisse; subindeque Apostolus ibi excludit justificationem, quæ fieret per imputationem alicujus externi.

Respondeo secundò, distinguendo antecedens: Fides credentis in Deum illi reputatur ad justitiam dispositivè, concedo: formaliter & actu, nego. Fateor equidem, quòd mediante fide actuali, de qua ibi sermonem facit Apostolus, veluti dispositione quadam, possit homo seipsum ad justitiam præparare; ita quòd ipsa fides ei deputetur tanquam medium ad fidem assequendam: ipsa quoque justitia Christi imputatur illi per modum causæ moralis & meritoriæ ipsius justificationis: sed non inde sequitur, justificari quemquam per solam imputationem justitiæ Christi per fidem apprehensæ.

IX. Quô sensu Apostolus doceat nos per Christi justitiam fieri justos. *Objiciunt secundò*, illud ad Romanos 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; sic per unius obedientiam justi constituuntur multi:* ergo & justi per justitiam Christi sibi imputatam.

Respondeo Apostolum illis verbis, nihil aliud intendere, quàm quòd sicut Adamus per suam actualem inobedientiam fuit caosa meritoria, ut omnes, qui ex illo nascerentur, contraherent peccatum originale: ita Christus obedientiâ suâ fuit causa meritoria, ut omnes, qui illi inseruntur tanquam membra capiti, & ex illo renascuntur & adoptantur in Filios Dei, fiant justi propter ipsius merita sibi communicata. Quapropter verbis antecedentibus dixit Apostolus: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ:* quibus verbis docet Apostolus eô modô per unius obeditionem justos constitui multos, quomodò multi constituuntur peccatores per unius inobedientiam: at quando dicit Apostolus per unius inobedientiam multos constitui peccatores; sensus non est, quòd sint peccatores duntaxat extrinsecè & imputativè, sed intrinsecè & inhærenter, maximè in sententia Calvinistarum, qui constituunt originale peccatum in rebellione carnis & concupiscentiæ: ergo à pari, quando dicuntur per unius obedientiam justi constituti multi, sensus non est quòd sint justi duntaxat per justitiam imputativam, sed per internam atque inhærentem.

Objiciunt tertiò, Illud 1. Corinth. 1. Christus *factus nobis sapientia à Deo & justitia, & justificatio & redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur:* Igitur alia non est nobis justificatio & sanctificatio, quàm ipsa Christi justitia, alioquin liceret aliunde, quàm in Domino gloriari.

Distinguo antecedens: Christus factus est nobis justitia & sanctificatio effectivè & meritoriè, quia de plenitudine ejus accepimus, concedo: formaliter, nego. Sæpiùs enim in Scriptura, causa apellari solet nomine effectûs, quô loquendi modô Psal. 26. dicitur, *Dominus illuminatio mea & salus mea:* quia est causa salutis & illuminationis: igitur Christus dicitur nostra justitia & redemptio, eò quòd sit causa nostræ justitiæ & redemptionis. Quod utique patet ex eodem textu, quia Christus dicitur factus esse nobis justitia, sicut dicitur factus nobis sapientia; at non est nostra sapientia eô sensu, quòd simus sapientes per ejus sapientiam formalem, quæ nobis imputetur: ergo neque est justitia nostra eô sensu, quòd ejus justitia nobis imputetur.

Objiciunt quartò illud 2. ad Cor. 4. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso:* Ex quo sic argumentantur: Eôdem modô efficimur justitia Dei, quô Christus peccatum factus est: atqui Christus factus est tantùm peccatum per imputationem peccati nostri: ergo efficimur justitia Dei per imputationem tantùm justitiæ Christi.

Distinguo majorem hujus argumenti: Eôdem modô efficimur Dei justitia, quô Christus peccatum factus est, quantùm ad aliquid, concedo: quantùm ad omnia, nego. Comparatio enim in omnibus non quadrat: similitudo autem in hoc duntaxat valet, quòd Christus factus sit peccatum, hoc est hostia, pro peccatis nostris, peccatum enim interdum in Scriptura hostiam pro peccato significat, juxta illud Oseæ 4. ubi de Sacerdotibus dicitur: *Peccata populi mei comedent*, id est oblata pro peccatis; nos verò fiamus justi per illius justitiam meritoriè & effectivè; dissimilitudo

verò in eo est, quòd Christus extrinsecè tantùm factus sit peccatum; quia reverà peccator esse non potuit. nos verò intrinsecè fiamus justi; quia aliter esse non possumus.

X. Quâ ratione justi dicuntur Christum induere.

Objiciunt 4. illud Ephes. 4. *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis:* Sed induere Christum nihil aliud est quam ipsius justitiam & merita nobis applicare ad tegendam nostram nuditatem, ut inde reputemur justi, sicut Jacob induit vestes Esaü, ut primogenitus reputaretur.

Nego hunc esse Apostoli sensum; induere enim Christum, nihil aliud est, quàm fieri Christo similes, ejusque gratiam & virtutes participare; itaut intrinsecè simus justi & sancti, sicut ipse intrinsecè justus & sanctus est: sicut enim non dicitur aliquis induere vestem alterius, nisi vestis illius corpori applicetur modô illi accommodatô; ita non verè induimus justitiam Christi, nisi ipsa verè & realiter animæ nostræ applicetur.

Cujus utique interpretationis veritas probatur 1. ex eodem Apostolo; eô enim modô dicit nos induere novum hominem, quô exuimus & expoliamus veterem, ut docet ad Col. 3. his verbis: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, &c.* Atqui exuere veterem hominem est deponere interna vitia & peccata, quibus eramus maculati & infecti: ergo à contrario, induere novum, est induere Christi mores & virtutes vitiis illis & peccatis oppositos, ut exponunt sancti Patres, maximè Chrysostomus in Epist. ad Rom. ad cap. 13. num. 14. *Induimini Dominum Iesum Christum*, ubi sic ait: *Induere Christum, est omnem simul in universum virtutem habere.* Et alibi ait *idem esse, ac undique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem Christum conspicuum esse: homo enim indutus id esse videtur quod indutus est: appareat itaque in nobis Christus.* Et Hieron. in cap. 4. ad Ephes. n. 23. ad illa verba: *Induite novum hominem*, sic habet: *Qui igitur conversationem illius imitari potest, & universas in se exprimere virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus & humilis corde: & ponat animam suam pro amicis suis, sicut ille posuit pro ovibus suis: verberatus non respondeat, maledictus non maledicat, sed vincat in humilitate superbiam: iste indutus est novum hominem, & dicere potest cum Apostolo: Vivo ego jam non ego; vivit verò in me Christus.* Et similiter alii Patres, &. Interpretes dicunt, induere Christum, nihil aliud esse, quàm ornari Christi virtutibus, & talem esse, tum interiùs, tum etiam externa vitâ & professione, ut nos omnes ex illa velut ex veste, Christi servos esse agnoscant: sicut magnatum famuli dignoscuntur ex certo genere vestium, aut coloris illorum proprii & peculiaris.

XI. Ex habere justitiam quæ ex Christo est

Objiciunt 5. hæc Apostoli verba ad Philip. 3. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Iesu Christi.* Unde concludit Calvinus, Oportet propriam justitiam pro derelicto haberi ab eo qui vult Christi justitiam obtinere.

Respondeo per hæc verba *justitiam meam, quæ ex lege est*, intelligi justitiam operum legis quam idcirco suam appellat Apostolus, quoniam ad eam per circumcisionem erat destinatus ut alii Israëlitæ. Hinc ei opponitur justitia quæ est ex fide quæ nostra non est efficienter, hoc est à nobis, tanquam à nobis; sed ex Dei dono; licèt certum sit eam nostram esse subjectivè;

Objiciunt 6. sanctum Ambrosium lib. 2. de Jacob & vita beata, ubi nostram justificationem explicat exemplô Jacob sese occultantis habitu & vestitu sui fratris: *Vt ibi*, inquit, *suô commodô aliena persona benedictionem acciperet; ita nos sub Christi primogeniti nostri fratris pretiosâ puritate delitescimus, ut testimonium justitiæ à conspectu Dei referamus.*

Respondeo primò, præfatam sententiam in eo libro non reperiri, sobindéque ementitam esse & ab ipsis hæreticis fabricatam, quocirca nullum etiam citant caput illius libri, ex quo sententiam illa sit desumpta.

Respondeo secundò, quòd etsi vel sanctus Ambrosius vel alius è sanctis Patribus hæc verba protulerit; tamen nihil ex eis contra nostram assertionem evinci potest: duplex enim distingui potest in nobis justitia. Altera quâ formaliter justificamur, & ex peccatoribus evadimus justi, altera quâ Deo satisfacimus pro culpa & pœnis ob illam debitis. Cùm autem sancti Patres dicunt Christi justitiam nobis imputatam repræsentari per Jacob delitescentem sub vestibus fratris sui, Esaü, ut Patris benedictionem acciperet, loquuntur de justitia non formali, sed satisfactoria; quatenus nempe Christus Dominus satisfaciendo pro nobis suo Patri, erat sponsor noster; ita quòd ejus justitia jure satisfactionis nobis applicetur, & censeatur quodammodò nostra, dum reconciliamur Deo formaliter per gratiam nobis inhærentem, nec enim nostris operibus quantumlibet bonis satisfacimus Deo, nisi in quantùm illa innituntur satisfactioni Christi.

Objiciunt 7. sanctum Bernardum sermone 61. in Cantica ita loquentem: *Nunquid justitias meas cantabo? Domine memorabor justitiæ tuæ solius; ipsa enim est & mea, nempe factus es tu mihi justitia à Deo. Nunquid mihi verendum, ne non una ambobus sufficiat: non est pallium breve quod secundùm Prophetam non possit operire duos.*

Respondeo sanctum Bernardum Christi justitiam vocare suam meritoriè, & non quasi per justitiam Christi formalem sibi imputatam justus sit. Solutio evidens est ex antecedentibus & consequentibus: ibi namque S. Bernard. docet nostrum meritum inniti meritis Christi Domini: *Meum*, inquit, *proinde meritum miseratio Domini: non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit; quod si misericordia Domini multa, multis ergo in meritis sum.* Et paulò post subjungit verba in objectione posita. Hinc quemadmodum juxta S. Bernard. ibi meritum Christi D. non est nostrum formaliter, sed aliud omnino distinctum, dicitur tamen nostrum ratione sui effectûs & commodi, quatenus cedit in nostrum bonum, utpote cui nostrum meritum innititur; ita etiam ut omnia apud eum S. Bernard. sibi correspondeant, justitia Christi Domini est nostra, non quidē formaliter, sed effectu quatenus formalis nostra justitia illi innititur & est aliquis novus effectus meritorius. Et certè agnovit Bernardus clarissimis verbis justitiam inhærentem, quando sermone 5. in illud: *Vidi Dominum, &c.* distinguit triplicem justitiam: unam Dei rectam, puram, firmamque; secundam Angelorum puram, rectam, sed non firmam, quia Deus etiam in Angelis suis reperit pravitatem: Tertiam denique hominum post lapsum, non puram propter admissa peccata venialia, non firmam, quia potest homo ab illa discedere, sed rectam.

Objiciunt 8. Justitia, quâ Deo debemus esse grati, debet esse perfectissima, & omnibus suis

numeris absoluta; maximè verò carere admixtione cujuslibet vitii: sed justitia quæ ex nobis esset, quæcumqoe foret illa, semper esset admixta vitiis & plorimis defectibus laboratet; nam, inquit Isaïas cap. 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra.* Igitur ut per justitiam simus Deo accepti, oportet ut Christi justitia veluti pallio pretiosissimo tegamur.

Respondeo primò negando minorem, nam ex plurimis sacræ Scripturæ contextibos patet homines justos ptopriis suis operibus cum gratiæ auxilio factis, Deo esse gratos & acceptos, & invenisse gratiam in conspecto Domini, subindéque falsum est homines ptopriâ justitiâ Deo esse ingratos & odiosos.

Respondeo secundò, duplicem distingui posse perfectionem in ipsa justitia: essentialem unam, accidentalem alteram. Prior consistit in ipsa essentia justificationis, nempe in adhæsione & informatiooe gratiæ sanctificantis, quæ nostram afficit animam & illostrat: posterior verò consistit in ejus intensione, quoad gtadus perfectiores accidentarios; qoi autem habet justitiam secundùm priorem perfectionem, licèt careat magnâ intensione illius, & aliis accidentariis perfectionibus, non propterea desinit habere illam fotmaliter; sicut qui habet calorem io minori gradu, reverà est calidus, nec aliqoid frigoris babet. Quantùm ad Prophetam, dico eum esse intelligendum vel de justitia legali, quæ apud Judæos tunc temporis erat omnino labefactata, vel de justitia deperdita per iniquitates & publica ac manifesta Judæorum scelera, cujus quidem justitiæ jacturam luget Propheta: non autem ejus sensus est, quòd jostitiæ, quibus reverà homines justi sunt, aliquid uiquitatis habeant.

Quæstio II.

Vtrum in justificatione impii fiat verè remissio peccatorum?

I. Quænam fuerit hæretica Calvini sententia de remissione peccati in justificatione.

NOtandum primò, circa præsentis quæstionis resolutionem, duplicem esse hæreticotum hujus temporis errotem: *Calvinus* enim lib. 3. Instit. cap. 11. num. 22. docet in justificatione peccata non verè tolli, sed tegi; non eradicari, sed radi; non deleri, sed operiri, propter justitiam Christi nobis imputatam; ita quòd peccata dicantur esse tecta, quasi à Deo non videantur, eùm ipsa non puoiat: & rasa quasi non appareant. Hinc lib. 4. cap. 15. ait: *Iam perspicuum est quàm falsum sit quod docuerant pridem nonnulli, per baptismum solvi nos & eximi ab originali peccato.* Idem asseruerat Lutherus, ot constat ex articulo secunE do ex damnatis à Leone X. *Secundus* eorum error est, peccatum in justificatione ita tegi, & non imputari, ut nihil unquam pœnæ Deo solvendum temaneat, sed totios pœnæ reatus uoà cum culpa semper aboleatur.

II. Duplex est peccatorũ non imputatio.

Notandum 2. duplicem cogitari posse peccatorum non imputationem & tectiooem. *Primò*, itaut verè subsistant & solùm occultentur. *Secundò*, itaut prorsus deleantur, quemadmodum ulcera corporis à quibus hæc metaphora sompta est, dici possunt tegi duobus modis: Primò, videlicet illa tantùm occultando, ne appareant, qoô pactô teguntur ab ipso vulnerato? Secundò, curando & tollendo, qualiter teguntur à medico. Quæ A utique disertè explicat sanctus Augustinus enarratione 2. in Psal. 31. dicens: Deus ergo tegat vulnera non tu; nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat & curet, emplastrô enim tegit; sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Similiter duplex est non imputatio: ona quidem quâ non imputatur id quod est: Secunda verò quâ noo imputatur id quod reverà non est: Prior tectio & non imputatio, hæreticorum est figmentum: Posterior verò est Catholica assertio.

III. Hominum justitia divinæ comparata quasi evanida apparet.

Notandum tertiò tantam esse, tanquam infinitè perfectam Dei sanctitatem & justitiam, ot si quis B hominum mortalium quantumvis justus cum Deo conferatur, injustus appareat, sicut stellæ & quælibet alia astra, etsi aliunde emicantia, Solis præsentiâ offuscantur, & qoasi tenebris obducta delitescunt: non quòd reverà noo fulgeant, sed quia minor eorum splendor à superfulgenti solis lumine velut extinguitur & sorbetur. Hine justorum unanimis vox fuit cum Jobo: *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo.* Et ibidem cap. 4. *Nunquid homo, Dei comparatione justificabitur aut factori suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea?* Quaprop C ter Vates Regius Psal. 130. orabat: *Ne intres in judicium cum servo tuo, qui non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Inde tamen non est cooſequens, ut vult Calvinus l. 3. Instit. c. 12. homines quantumvis justos reverà semper peccatô inqoinati, nec ullum esse qualibet sanctitate fulgentem, qui proprii admissi sceleris obductâ caligine non sordescat, quâ deformis & teterrimus coram Deo apparetet, nisi per Christi justitiam veluti regium ac pretiosissium pallium sibi superinductum niteret, & aspecta[bi]lis esset, quem utique errorem pervineet

Conclusio Unica.

IV. Reverà in justificatione peccata delentur.

D IN *justificatione cujuslibet peccatoris, peccata mortalia sic remittuntur, ut verè deleantur & auferantur.* Hæc est de fide, determinata in Concilio Tridentino sess. 3. Can. 5. his verbis: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam qua in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dici tantùm radi aut non imputari, anathema sit.*

Ut probatur 1. ex Scriptura S[?]

Probatur hæc Catholica veritas illis omnibus Scripturæ sacræ otaculis, quibus apertè pronuntiatur Deum peccata delere & auferre: Sic Psal. E 50. *Dele iniquitatem meam ...... omnes iniquitates meas dele.* Isaïæ 43. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Micheæ 7. *Quis Deus similis tui qui aufers iniquitatem?* Zachariæ 3. *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam.* Et infrà: *Ecce ego calabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die una.*

Probatur similiter ex iis sacris textibus, qui docent nos à peccatis mundari & lavari longè perfectius quàm per naturalem aqoam abluantur, & à sordibus mundentur corpora: Sic Psal. 50. *Asperges me Domine hyssopô, & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor:* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* 1. Corinth. 6.

postquam Apostolus gravia Gentilium peccata recensuisset, subdit. *Et hac quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Et 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et infrà: *Si confiteamur peccata nostra; fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate:* Hæc autem divina oracula nullatenus subsisterent, nec genuinam ac veram, sed fallacem haberent significationem, si peccarorum sordes in justificatione penitus non auferrentur & abluerentur: Igitur ita fieri fatendum est.

Constat pariter eadem veritas ex ipsis Textibus, in quibus justi dicuntur immaculati in conspectu Dei. Sic Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ephes. 1. *Elegit nos..., ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* 2. Petri 3. *Satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Quibus adde illud Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacrò aqua in verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Ex quibus sic argumentor: Qui mundatur, lavatur & super nivem dealbatur, non manet reverà immundus, turpis, niger & sordibus infectus: similiter ille cujus iniquitates delentur, auferuntur & projiciuntur in profundum maris; nec eis amplius fœdatur nec maculatur. Denique is qui est sine macula & sine ruga, non est dicendus infici maculâ ac sorde peccati: atqui in justificatione peccator mundatur, lavatur ac suprà nivem dealbatur & peccatum illius tollitur, deletur & quam longissimè projicitur, ita ut ipse remaneat immaculatus in conspectu Dei: ergo peccator justificatus non amplius inquinatur peccatis in ipso verè subsistentibus.

V. 1. Ex SS. Patribus.

Probatur secundò, authoritate sanctorum Patrum: Imprimis verò sancti Cypriani Epist. 2. quæ est ad Donatum, ubi baptismum apellat mortem criminum, vitam virtutum: sancti Chrysostomi lib. 3. de sacerdotio, cap. 6. *Corporis lepram purgare*, inquit, *vel ut veriùs dicam, purgatam ostendere Iudaorum Sacerdotibus licebat: at verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed anima sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Et lib. 2. de compunctione cordis. *Cordis compunctio sicut ignis omne anima vitium perurit & adimit, & quantacumque in eâ repererit mala, abstergit universa & penitus delet.* Hinc homilia 4. in priorem ad Corinth. comparat virum absolutum per Regem à suo crimine, cum reo, qui absolvitur à suis peccatis per baptismum. Additque illum adhuc servare & retinere animum infectum; hunc verò quem abluit baptisma, non item, sed habere mentem, Solis radiis puriorem.

S. Hieron. lib. 3. adversus Pelagium, loquens de regenerato per baptismum, ait: *Quô homo? nunc mundus factus es in lavacro, & de te dicitur: Qua est ista qua ascendit dealbata innitens supra patruelem suum, ut lota quidem sit sed custodire non valeat puritatem, nisi à Domino sustentetur.* Præ cæteris autem hanc veritatem confirmat S. Aug. maximè in libris adversus Pelagianos, qui Catholicos præsules calumniabantur, quasi assererent, *Baptisma non dare indulgentiam peccatorum, nec auferrere crimina, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Sic autem hanc calumniam retundit lib. 1. ad Bonifacium, cap. 13. » Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum, resecanda peccata; nam & istam similitudinem comperi suæ illos adhibere calumniæ tanquam hoc nos sentiamus atque dicamus. Et lib. 3. referens similem Pelagianorum calumniam, quâ dicebant Catholicos non verè homines novos facere, id est, non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei fieri, & ex parte filios sæculi; id est, diaboli remanere: Respondet, Mentiuntur, insidiantur, tergiversantur; non hoc dicimus. *Et infrà;* Baptismus igitur abluit quidem peccata prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt.

VI. Et ratione Theologica.

Probatur denique *ratione Theologicâ:* Si peccata in justificatis penitus non delerentur, sed in eis reverà subsisterent, sequeretur animam nec à peccato verè resurgere; nec perfectè sanari per vivificantem & medicinalem Christi gratiam: sed consequens illud apertè falsum est, militatque in illos Scripturæ textus, quibus anima dicitur per justificationem à morte peccati resurgere, & sanari: Sic primæ Joannis 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Et Psalmô 40. *Sana Domine animam meam, quia peccavi tibi;* non enim à morte surgeret, qui adhuc peccatô mortali inficeretur, nec membrum diceretur sanum, cujus vulnus emplastrô duntaxat tegeretur: Igitur, &c.

Quia aliàs sequeretur animã non verè resurgere & sanari à peccato.

Sequeretur secundò, justificatos nusquam ingressuros in cælestem civitatem, nec intraturos in regnum cœlorum, quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum;* neque enim mundi, sed inquinati dici debent, in quibus remanet macula peccati mortalis; illa siquidem macula non posset ab eis tolli ante mortem in sententia hæreticorum; *vel* enim tolleretur per actum fidei, quem tunc elicerent: *vel* per ipsam mortem. Non *primum*, quia sequeretur justificatos subitaneâ morte præventos damnari defectu istius actûs fidei, quem non potuissent elicere. *Secundum* etiam asseri non potest, cùm enim mors formaliter spectata, sit quid naturale, est omnino improportionata maculæ peccati delendæ. *Tertiò* denique, sequeretur justificatum adhuc habere aliquid, quô foret Deo odiosus, & suppliciis æternis addicendus: sed hoc falsum est: Quia, inquit Apostolus ad Rom. 8. *nihil est damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu:* hoc est, ait Concilium Trident. sess. 5. Canon. 5. *qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma, in mortem; qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum qui secundùm Deum creatus est induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.*

Objiciunt hæretici primò, omnes illos Scripturæ textus, quibus peccata dicuntur tegi, & non imputari: Sic Psalm. 31. & Rom. 4. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum:* Ubi tria vocabula *remitti, tegi & non imputari* posita sunt ad idem significandum; ita ut unum per aliud explicetur: *remitti* enim à Deo peccata, nihil aliud est, inquiunt, quàm ita tegi ut non videantur apparere in conspectu Dei: & *tegi* nihil est aliud quam non imputari ad pœnam

VII. *Peccata non sic teguntur in justis, quasi remaneant; nam reverà delentur.*

& damnationem juxta illud Ezechielis 33. *Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, omnia peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei:* quô sensu Apost. secundæ Corinth. 5. dixit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum:* Igitur peccata in justificatione non verè remittuntur, sed duntaxat teguntur.

Nego consequentiam: Duplex enim, ut diximus in tertio Notabili, est peccatorum tectio. Una quâ duntaxat occultantur, ne appareant; altera quâ curantur ne remaneant. De posteriori autem intelligendi sunt præfati Scripturæ textus, non de priori. Hinc sanctus Augustinus in præfatione ad præfatum Psalmum 31. *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt: si texit peccata Deus noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Et postea subdit: *Ne sic intelligatis quod dixi peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant, &c.*

Respondeo secundo, gratis asseri hæc verba posita esse ad idem significandum & unum per aliud explicandum; possunt enim ad diversa referri & distinctos effectus significare, quorum primus secundum augeat, & secundus tertium; ita ut *remittere* significet tantùm remissionem quoad culpam, & pœnam æternam: *tegere* verò denotet abolere memoriam præteritorum peccatorum, propter actus contrariarum virtutum: *non imputari* denique declaret ne quidem ad pœnam temporalem retineri, sed ita expungi & condonari, ut cum reatu culpæ, totius etiam pœnæ reatus extinguatur, quod utique non semper contingit.

Objiciunt secundò illud primæ Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* Igitur cum charitate subsistunt peccata, quæ per ipsam teguntur. *Insuper* illud primæ Joannis primô: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Denique hæc orationis Dominicæ verba, *Dimitte nobis debita nostra.* Ad quæ verba sanctus Epiphanius, ait: *Quàm necessariè, quàm salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur: ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus perdat, instruitur & docetur, se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Igitur nullus est adeò sanctus, qui peccatis non inficiatur, subindeque peccata in justificatione non delentur, sed operiuntur.

VIII. *Quò sensu Charitas dicatur operire multitudinem peccatorum.*

Nego consequentiam: & ad primum textum dico, sensum ejus non esse; quòd charitas operit multitudinem peccatorum ejus in quo est: sed quòd charitas, quâ diligimus proximum, operit proximi peccata, hoc est, efficit ut universa ejus peccata dissimulemus, celemus, ac condonemus: Quòd autem ea sit Apostoli mens, patet ex verbis antecedentibus, quibus fideles alloquens, ait: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Nec non & sequentibus, dicens: *Hospitales invicem sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes:* quæ, ut constat, concernunt charitatem exercendam erga proximum.

At secundum & tertium dico, textus illos intelligendos esse de peccatis venialibus, quæ cum gratia sanctificante subsistere diximus in tractatu de peccatis.

Instant: Peccata venialia ex concessis; subsi-

A stunt cum gratia sanctificante, nec impediunt quominus homines justi sint aliquô verô ac reali sensu, quia nimirùm ejusmodi peccata non illis imputantur, quidni igitur idem possit dici de peccatis gravioribus, quæ mortalia appellamus?

IX. *Quare potius peccata venialia subsistant cum gratia sanctificante quàm mortalia.*

Respondeo maximam esse disparitatem, eò quòd veniale peccatum sit valde exigua & imperfecta macula, in moralibus autem parum pro nihilo reputatur; unde non mirum est, si eo non obstante, justi, qui aliquando in illud labuntur, dicuntur adhuc esse *immaculati*, id est, puri à gravi macula, quæ sola simpliciter & absolutè macula dici solet in vulgari modo loquendi: sicut solum peccatum mortale sæpissimè in Scriptura vocatur B absolutè peccatum, ut Rom. 6. *Stipendium peccati mors.* Jacob 1. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Non mirum etiam, si non obstante peccatô veniali, nominentur *justi*; quia peccatum veniale, cùm sit levis offensa, non dissolvit amicitiam cum Deo, neque privat ipsius gratia & habitibus virtutum infusis, quibus justus formaliter constituitur, id est, Deo gratus & habitualiter instructus ad benè operandum supernaturaliter in omni genere virtutum. At de peccato mortali idem dici non potest. Neque enim minùs maculatus est ille, qui reverà est infectus aliquo gravi peccatô mortali, quamvis non impu-C tetur in sensu Calvinistico, id est, tegatur tantùm & dissimuletur. Neque minùs est injustus, tum actuali injustitiâ, quia æqualiter peccat: tum etiã habituali, quia æquè meretur privari Dei gratiâ & virtutibus infusis, ac reipsâ privatur à Deo judice, qui hanc legem generalem statuit Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et vers. 26. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, in injustitia quam operatus est, morietur.*

Objiciunt tertiò: In homine justificato semper remanet concupiscentia: sed illa est peccatum: ergo hoc cum gratiâ sanctificante subsistit.

X. *Concupiscentia sumitur tribus modis.*

Respondeo triplicem distingui posse concupiscen-D tiam, quarum prima est inclinatio ad peccandum, quæ licèt non sit formaliter peccatum, tamen hôc nomine appellatur in Scripturis, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ut docet Concil. Trident. sess. 5. Canone 5. *Secunda* est motus inordinatus, qui rationem prævenit eamque peccati tenebris velut offundit, ut voluntatem non reluctante rationis dictamine faciliùs ad peccatum pelliciat. *Tertia* denique, est motus inordinatus & liber, quô voluntas concupiscentiæ illecebris ac stimulis agitata rei vetitæ assensum præbet. Concupiscentia primô & secundô modô sumpta, potest remanere in homine justo, ut pote cùm non sit formaliter peccatum, sed E tantùm ad illud pelliciat: secus verò est de concupiscentia tertiô modô sumpta, maximè quando res vetita, cui consensum præbet voluntas, magni est ponderis; ita quod consensus ille habeat rationem peccati mortalis.

Objiciunt quartò: Nullus quantumvis justus eximitur à peccato, nisi perfectè impleat præceptum charitatis; etenim qui non diligit manet in morte: sed ex S. Aug. lib. de perfectione justitiæ cap. 8. præceptum charitatis perfectè non implebitur, nisi in futura gloria: Igitur justus quilibet hac in vita aliquô semper peccatô vitiatur.

XI. *Cur chari-*

Distinguo minorem: Præceptum illud non implebitur perfectè, hoc est, appretiativè, nego:

ritatis præceptum hac in vita non possit perfectè impleri.

hoc est, intensivè; eâ scilicet intensione & perfectione, quâ Deus à creatura debet diligi, concedo minorem, & nego consequentiam; quamvis enim hac in mortali vita teneamur Deum diligere, ex tota anima, ex toto corde, & ex totis viribus; non tamen tenemur id exequi secundùm omnimodam intensionem & perfectionem, quâ dilectio illa potest à creaturis exereeri pro quovis statu; certum enim est proportione servatâ, longè præstantiorem esse virtutem beatorum, quàm viatorum. Sed tantùm virtute illius præcepti tenemur diligere Deum appretiativè; ita quòd eum pluris faciamus, quàm cætera quæque objecta diligibilia; quod utique justus quilibet exequitur, dum in justitia & divinorum mandatorum observantia perseverat.

Quæstio III.

Qualiter gratia justificans opponatur peccato, illudque expellat?

I.
Duplex est oppositio: physica & moralis.

Notandum primò, duplicem à Theologis distingui rerum oppositionem: unam quidem physicam; alteram verò moralem & demeritoriam. Prior est quæ intercedit inter entitates physicas positivas naturales invicem pugnantes, ut inter calorem & frigus, album & nigrum. Altera verò reperitur inter extrema à seipsis dissita, non ratione entitatum physicarum, sed ratione dignitatis & indignitatis, vel ratione ordinationis superioris volentis utrumque illud extremum subsistere ac conservare. Hinc controversia est, an gratia & peccatum physicè opponantur, & ita sese invicem excludant; vel positivè, sicut frigus calorem; vel saltem privativè, sicut lux tenebras & tenebræ lucem: an tantùm moraliter & ex ordinatione Dei. Priorem partem tuentur Cajetanus 1. 2. q. 93. & Vasquez disput. 204. quos non pauci Recentiores sequuntur: posteriorem verò tuentur cum subtili Doctore illustriores quique Theologi.

II.
Duplex hac de re sententia.

Notandum secundò, quòd etsi compertum sit & certum apud Theologos, gratiam sanctificantem & peccatum juxta ordinariam rerum dispositionem, & usitatam divinæ providentiæ ordinationem, nusquam simul subsistere; inter eos tamen non convenit an secundùm extraordinariam Dei potentiam, & præter statutas leges possint hæc extremè opposita invicem stare; ita quòd peccatum non solùm actuale, seu peccaminosus actus elici possit ab homine justo, non deperdente propterea justitiam, quam Deus extraordinariâ virtute conservavit, sed etiam reatus ille culpæ seu macula peccati post elicitum actum in peccatore remanens, subsistere possit cum illa cœlesti ac divina qualitate justificantis gratiæ. Negativam partem nonnolli Veteres ac Recentiores tuentur; affirmativam autem plurimi cum subtili Doctore propugnant.

III.
Peccati remissio & gratiæ concessio sunt duæ mutationes.

Notandum tertiò, seu potius revocandum ex præcedenti volumine, tractatu de peccatis, peccatum mortale habitualiter manens non esse duntaxat privationem gratiæ ablatæ propter peccatum, sed esse ipsummet peccatum actuale moraliter manens, donec à Deo remittatur vel condignâ satisfactione deleatur: sicut inter homines debita & offensæ moraliter subsistunt, donec vel per gratiam condonentur, vel per æqualem satisfactionem, aut solutionem extinguantur. Hinc fit quòd remissio peccati non sit præcisè infusio gratiæ: sed, ut docet Doctor in 4. d. 16. q. 2. illa peccati remissio & gratiæ infusio sint reverà duæ mutationes, si non reales, saltem morales, ut fusiùs infrà demonstrabimus. Quapropter non est absolutè consequens, quòd ad infusionem gratiæ necessariò sequi debeat peccati remissio, ut patebit infrà. Tria igitur potissimùm veniunt hac in quæstione solvenda: *Primum* quidem, an peccatum & gratia sese invicem expellant physicè & naturaliter, an duntaxat moraliter & ex ordinatione divinâ: *Secundum*, an de via ordinaria invicem subsistere possint, saltem pro aliquo temporis instanti. *Tertium* denique, an per extraordinariam Dei ordinationem peccatum tam actuale, quàm habituale cum sanctificante gratiâ possit permanere.

Status quæstionis.

Conclusio Prima.

IV.
Gratia sanctificans, non opponitur physicè peccato;

Gratia sanctificans & mortale peccatum non opponuntur invicem nec sese expellunt physicè, sed moraliter duntaxat: idque non ex natura rei, sed ex ordinatione divinâ. Hæc conclusio duabus maximè partibus constat: quarum *prima* est Doctoris in 3. d. num. 4. ubi probat odium proximi non pugnare cum charitate ex natura rei, nec illam destruere naturaliter, sed duntaxat demeritoriè: *Transgressio enim præcepti*, inquit, *non corrumpit positive habitum, nec actum diligendi Deum; sed demeretur ut Deus se substrahat, & sic nec habitus, nec actus possit inesse.* Idem dicendum est de peccato respectu gratiæ, quam à charitate realiter non esse distinctam, ex ipso Doctore suprà probatum est. Quod insuper apertè docet in 4. d. 1. n. 33. ubi ait, gratiam & virtutes infusas in nobis corrumpi per aliquem actum nostrum, non quasi per naturam repugnantiæ, sed solùm per causam demeritoriam; anima enim peccans meretur quod gratia non conservetur in ea. Et sic in secundò instanti naturæ propter tale demeritum quasi præcedens, Deus non conservat gratiam & sic annihilatur.

Probatur hæc veritas: Oppositio physica est vel relativa inter relationes invicem è diametro pugnantes, vel contraria, vel contradictoria, vel privativa: sed neutrò ex his modis peccatum & gratia sanctificans invicem pugnant: igitur non opponuntur invicem, nec sese expellunt physicè. Major est certa. Minor itidem facilè constat: *Primò* namque apparet gratiam & peccatum non invicem pugnare, nec *contrariè*, nec *relativè*; hæ siquidem oppositiones intercedunt solùm inter formas positivas in eodem subjecto respectu ejusdem incompatibiles, ut calor & frigus in eodem subjecto, paternitas & filiatio in eodem fundamento respectu ejusdem termini: peccatum autem non est quid positivum, ut abundè probavimus disputatione de peccatis; subindéque iis oppositionibus cum gratiâ sanctificante non militat.

Non etiam invicem pugnant *contradictoriè*; quippe oppositio hæc intercedit duntaxat inter ens & non ens universim acceptum; gratia autem & peccatum non habent hanc generalem latitudinem entis & non entis; imò sunt intra determinatos ac speciales cancellos entis & non entis specialis. Denique non pugnant invicem *privativè*; nam peccatum non est formaliter privatio ipsius gratiæ sanctificantis, sed rectitudinis & conformitatis, quæ actui peccaminoso inesse deberet. Confirmabitur hæc ratio ex infrà dicendis, &

quæ adversus hanc veritatem solent objici, simul solventur.

Secunda pars est similiter ejusdem Doctoris in 4. dist. 16. oum. 18. ubi ait, quod gratia & peccatum non sunt opposita immediatè simpliciter ex natura extremorum, sed ex institutione divina, & non sequitur inductio unius ad motionem alterius, nisi in oppositis immediatis secundùm se: sed an gratiam sequatur expulsio culpæ, dubium est, cùm non sint formaliter oppositæ; quam nctique veritatem sic probat ibidem *num.* 5. In iis quæ invicem formaliter opponuntur, causa effectiva & productiva unius oppositorum est destructiva alterius; agens enim producens calorem v.g. destruit frigus, & formam in subjectum inducens privationem ejusdem formæ ab ipso removet: sed causa effectiva peccati non est destructiva gratiæ; voluntas enim creata ipsa est effectiva peccati, quia ab ipsa est culpa & actus peccaminosi defectus ac reatus; illa tamen non potest destruere gratiam, quia gratia non destruitur, nisi annihiletur; creatura autem noo potest aliquid physicè annihilare, sicut nec creare, maximè de potentia ordinaria, ut omnes fatentur: Igitur gratia & peccatum non pugnant formaliter ex natura rei, sed duntaxat ex dispositione & ordinatione divinâ. *Secundò*, gratiæ donatio & peccati expulsio sunt duo distincta beneficia, gratis à Deo coocessa: ergo unum non infert necessariò consecutionem & præsentiam alterius. Patet Antecedens ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicente justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Eandem veritatem docet sanctus Augustinos tractatu 72. in Joan. ubi ait: *Iudicet qui potest utrum majus sit justos Angelos creare, quàm impios justificare: certè si æqualis est utrimque potentia, hoc majoris est misericordiæ.* Ubi expressè ait, expulsionem peccati distinctum esse beneficium ab ipsa infusione gratiæ, quæ Angelis concessa fuit in eorum creatione, ut cum ipso docuimus in tractatu de Angelis. Igitur aliud est gratiam infundere, aliud peccatum remittere & utrumque Dei gratuitum beneficium est; subindeque potest unum conferre seorsim ab alio, & consequenter uoum naturaliter & necessariò non sequitur ad positionem alterius. Patebit evidentiùs & firmabitur insuper hæc veritas ex dicendis infrà.

Sed tantùm moraliter.

Dices. Si gratiæ infusio oon inferret necessariò peccati remissionem, hæcque esset quoddam beneficium ex illa consequens, sequeretur applicationem meritorum Christi noo tantùm fieri in ipsa infusiooe gratiæ & donorum supernaturalium, sed etiam post ipsius infusionem: sed consequens est contra Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi ait: *Quamquam nemo possit esse justus, nisi qui merito Passionis Domini nostri Iesu Christi communicant: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissima Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur: atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorem hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem spem & charitatem.* Quibus verbis significat unicam esse causam formalem justificationis, quæ non solùm sit hominis interior renovatio, sed etiam peccatorum remissio. Sequela majoris patet; si enim peccatorum remissio non necessariò & naturaliter sequatur ad infusionem gratiæ, necessum erit qoòd Christi merita in ipsa infusione gratiæ applicata denuò applicentur, ut eorum intuitu maximum donum oempe peccatorum remissio conferatur.

V. Licet peccatorum remissio & gratiæ infusio sit duplex beneficium; tamen non sequitur quòd in justificatione sit duplex applicatio meritorum Christi D.

Respondeo negando sequelam majoris: quanquam enim gratiæ infusio & peccatorum remissio sit duplex beneficium, quorum unum naturaliter ex alio non sequitur, inde non est consequens, quòd ipsa Christi meritorum applicatio etiam debeat esse duplex. Ad id namque sufficit quòd Christi merita per gratiæ infusionem semel applicentur, ut pariter valeant ad remissionem peccatorum, quæ ex gratiæ sanctificantis infusione, juxta decretum divinum de via ordinaria infallibiliter sequitur, ooo quidem physicè & ex natura rei, sed duntaxat moraliter & ex ordinatiooe divina.

Dices secundò. Peccatum est aversio habitualis à Deo; gratia verò, habitualis ad Deum conversio: sed aversio & conversio ex natura rei opponuntur: ergo seclusâ quavis Dei ordinatione peccatum & gratia opponuntur.

VI. Quomodo aversio à Deo per peccatum & conversio per gratiam opponantur.

Distinguo minorem: Aversio & conversio ejusdem rationis & intra eandem lineam invicem opponuntur, concedo: Secus nego; unde negatur consequentia. Aversio enim a Deo per peccatum est quid morale & in genere moris; conversio autem ad Deum per gratiam, est quid physicum & in genere entis; subindeque unum alteri non opponetur ex natura rei. *His adde* quòd gratia ex natura rei & vi suæ naturalis entitatis non habeat præcisè qoòd sit ad Deum formaliter conversio, sed duntaxat ex ordinatione Dei talem qoalitatem producentis & ordinantis ut sit medium conversionis animæ ad ipsum, & motivum ipsius amoris erga ipsam.

VII. Qualiter duo effectus formales ab eadem gratiâ procedant.

Dices tertiò. Dum justificatur peccator, duo occurrunt effectus formales, scilicet ipsius interioris renovatio & peccati remissio & condonatio: Duo autem illi effectus vel proveniunt ab una eademque forma vel à duabus. Si ab una, vel ea est forma intrinseca putà gratia, vel extrinseca, nempe Dei miserentis simplex & gratuita condonatio ac favor externus: si proveniant à gratia; ergo gratia ex natura rei & formaliter expellit peccatum, & subinde peccati expulsio naturaliter sequitur ad infusionem gratiæ: si à favore externo; consequens est quòd non justificemur per gratiam inhærentem cujus contrarium apparet ex quæstione præcedenti. Si autem duo illi effectus pro formali proveniant à duabus causis, quarum una sit pura interna gratia sanctificans, altera verò sit externus Dei favor, sequitur qoòd sit duplex causa formalis nostræ justificationis, cujus contrarium apparet ex Concilio Tridentino suprà laudato: sequitur etiam quòd justificemur partim per aliqoid internum, partim per aliquid externum, cujus falsitas etiam constat ex dictis.

Respondeo: doos illos formales effectus ab unica duntaxat gratia procedere, non quidem ex natura rei, sed tantùm ex ordinatiooe divina, nam favor ille externus, hoc est Dei misericordia & bonitas, est duntaxat causa efficiens, non verò formalis justificationis.

Conclusio Secunda.

VIII. *Gratia & peccatum non subsistunt simul de via ordinaria.*

Gratia & peccatum mortale non possunt simul de via ordinaria subsistere pro aliquo instanti. Ita Doctor in secundum distinctione quinta q. 1. num. 6. & in 4. d. 4. q. 5. ubi respondens ad tertium argumentum, ait quòd *baptismus expellit omne peccatum, non quia eodem instanti insit gratia & peccatum, &c.* Colligitur ex sancto Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 15. ubi ait: *Ne puncto temporis, pulchritudo* (scilicet gratia) *turpetur ut sit in eo peccati dedecus.*

Probatur primò. Secundùm legem & providentiam à Deo statutam nulli infunditur charitas habitualis quin Christo perfectè uniatur & vivum ejus membrum efficiatur: atqui ex Concilio Tridentino sess. 5. Canone 5. *Nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo, neque potest quisquam esse membrum Christi vivum, & simul etiam mortuum per peccatum.* Insuper ex 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Sed nemo potest etiam per instans in Deo manere, & simul per instans esse ab illo alienus per peccatum mortale: ergo gratia & peccatum nequeunt esse simul.

Denique, Gratia peccatum expellit demeritoriè, sed nulla est repugnantia ut in eodem instanti in quo homo meretur pœnam ipsâ infligatur: ergo in eodem instanti in quo homo peccat expellitur gratia, & subinde nequidem per instans invicem subsistunt. Minor patet à simili, nam dum quis sese ultimò disponit ad gratiam per confessionem, meretur de congruo gratiam, quæ ipsi in eodem instanti temporis confertur: similiter augmentum gratiæ datur in eodem instanti temporis in quo actu intensiori charitatis meretur: ergo similiter expulsio gratiæ, quæ est pœna peccati, causatur in eodem instanti temporis quo quis peccat.

Dices primò: Gratiæ substractio est pœna propter peccati demeritum inflicta: ergo oportet priùs sit peccatum consummatum quàm gratia expellatur, & consequenter gratia & peccatum sunt simul pro aliquo temporis instanti.

Nego consequentiam: Peccatum enim consummatum est prius prioritate duntaxat naturæ, non autem prioritate temporis quàm sit gratiæ expulsio: sicut privatio formæ physicæ priùs recedit à subjecto prioritate naturæ quàm inducatur forma, non verò prioritate temporis; alioquin per aliquod temporis instans subjectum existeret omni formâ denudatum.

Dices secundò: Doctor subtilis *in 4. dist. 14. quæst. 2. num. 13.* dicit quòd *in illo instanti in quo deletur peccatum, charitas inest*: Ergo censet peccatum & charitatem quæ eadem est realiter cum gratia sanctificante posse simul per aliquod instans existere.

IX. *Licèt charitas adsit eo instanti quo peccatum deletur.*

Nego consequentiam: Doctor enim affirmat equidem quòd deleto peccati, & gratia sint simul, non verò quòd peccatum & gratia simul existant.

Instabis. Actualis remissio peccati connotat peccatum actuale existens: sed ex concessis gratia & remissio peccati actualis possunt esse simul: ergo etiam peccatum & gratia simul subsistere possunt.

Distinguo majorem: Remissio actualis peccati connotat actuale peccatum quod existit, nego: quod desinit, concedo: sicut à pati illuminatio

A connotat tenebras non existentes, sed desinentes.

Conclusio Tertia.

Gratia & peccatum divinitùs possunt existere simul. X.

Per extraordinariam Dei potentiam gratia sanctificans & peccatum mortale non modò habituale, sed etiam actuale simul existere possunt in eodem subjecto: Ita Doctor in 4. dist. 16. quæst. 2. cui subscribunt *Ocamus* q. 3. art. 1. *Mayronius* in 2. dist. 27. *Gabriel* in 4. dist. 14. *Bellarminus* lib. 2. de Justificatione cap. 16. *Suares* lib. 7. de Gratia cap. 19. & toto cap. 20. & celebriores quique Recentiores.

Probaturque *primò*: Deus absolutâ suâ potentiâ id potest exequi quod contradictionem & aliam manifestam oppositionem non implicat: sed nulla

B evidens apparet contradictio quin peccatum & gratia in eodem subjecto simul subsistant: igitur per absolutam Dei potentiam id fieri potest. Major constat. Minor probatur: Primò quia gratia habitualis & peccatum invicem, ut diximus, non opponuntur, neque contradictoriè, quippe non pugnant ut ens & non ens; neque contrariè quia peccatum non est quid positivum; neque relativè, quia relationes sunt quid positivum cujusmodi non est peccatum; neque etiam privativè, quia peccatum non consistit formaliter in physica privatione gratiæ habitualis, sed in privatione rectitudinis actualis: igitur nulla oppositione

C peccatum & gratia invicem pugnant; ac proinde simul utrumque Deus servare potest in eodem subjecto, ita quòd possit non remittere peccatum ei cui gratiam sanctificantem largitur.

Secundò: Gratia habitualis & sanctificans cùm à solo Deo produci possit physicè, etiam ab eo solo physicè potest destrui, & ejus conservatio suspendi: sed posito peccato nihil est quod physicè Deum cogat ad destruendam gratiam, & suspendendum concursum conservativum illius: sicut à pari producto calore in aqua, non cogitur Deus ad destruendum & auferendum ab ea frigus: igitur sicut Deus potest calorem & frigus in eodem subjecto conservare, pari ratione abso-

D lutâ suâ potentiâ poterit gratiam sanctificantem unà cum peccato in eadem voluntate conservare.

Tertiò: Effectus formalis gratiæ est constituere hominem à Deo specialiter diligibilem & dilectum; effectus verò formalis peccati est constituere subjectum aversum à Deo, & conversum ad creaturas: sed hæc duo non repugnant simul, nam diligere alterum, & mutuò non diligi, aut etiam offendi ab illo, non implicant, ut constat in humanis, Pater enim plerumque filium amore prosequitur, à quo non solùm amore reciprocò non diligitur; imò inobedientiâ & animi repugnantiâ offenditur.

Confirmatur. Si homo in natura pura conditus peccaret, Deus posset illum non statim annihila-

E re, sed in suo esse naturali conservare: at sic illum conservando consequens esset, quòd ipsum diligeret amore naturali: ergo Deus potest hominem non diligentem se, imò sibi aversum conservare: igitur à simili, si homo in statu gratiæ peccaret, Deus posset gratiam in illo conservare, & sic eum servando diligere amore supernaturali: sicut enim diligere personam propter bonitatem naturæ, & odiò habere ipsius actionem, non pugnant inter se: sic nec diligere personam propter habitualem gratiam, & simul odiò habere ejus pravam actionem, implicabunt.

Objicies

Objicies 1. Non potest simul esse peccatum mortale actuale cum actuali Dei dilectione super omnia: ergo nec gratia seu charitas habitualis & peccatum actuale sive habituale simul subsistere possunt.

XI. Licèt peccati actualε non possit subsistere cum actuali dilectione Dei.

Respondeo concessò antecedente, negando consequentiam: disparitas enim est, quod duo actus vitales contrarii & includentes contradictionem in objectis suis non possunt esse simul, etiam de potentia absoluta, quia unus destruit objectum alterius, ut assensus & dissensus circa idem, vel duo assensus circa objecta contradictoriè opposita: tales autem sunt dilectio Dei super omnia, & actuale mortale peccatum; nam dilectio Dei super omnia includit formaliter aut saltem virtualiter efficacem displicentiam omnis peccati mortalis, & nolitionem illius unà cum absoluta voluntate, ac proposito non peccandi; cum hoc autem proposito, atque nolitione manifestè pugnat peccatum actuale, quia non committitur sine actuali voluntate illi proposito contraria. Secus autem est de gratia habituali, & peccato mortali actuali aut habituali: quia mortale peccatum non consistit formaliter in carentia physica habitûs gratiæ seu charitatis, sed in privatione rectitudinis, cum qua manente habitualiter, vel etiam actu, non repugnat conservari habitus gratiæ seu charitatis: licèt enim habitus gratiæ ex natura sua postulet moraliter, ut non conservetur in subjecto tam pravè affecto & indigno; id tamen non infert Deo necessitatem absolutam non conservandi gratiam; Deus enim potest non agere secundùm exigentiam moralem, atque etiam naturalem formæ creatæ, & ea conservare, quæ aliàs sese destruerent.

Objicies secundò: Implicat aliquem esse simul justum & injustum, Deo gratum & exosum, dignum ipsius gloriâ, simulque indignum & addictum æternæ morti ac damnationi: atqui per gratiam sanctificantem habet homo, quòd sit justus & Deo gratus, ac vitâ æternâ dignus; per peccatum verò quòd sit injustus, Deo exosus & morti æternæ addictus: igitur implicat aliquem habere simul peccatum & gratiam.

XII. Quomodo quis possit simul esse Deo gratus & ingratus.

Distinguo minorem; Qui est in gratia est justus, Deo gratus & vitâ æternâ dignus, physicè & ex natura rei, nego: moraliter & ex beneplacito & ex ordinatione Dei, concedo: unde neganda est consequentia; gratia enim hæc homini justificato non confert nativâ suâ virtute, sed duntaxat ex ordinatione divina, ut diximus; subindéque non obstante hâc morali dispositione & ordinatione posset Deus gratiam physicè conservare cum peccato.

His adde quòd esse gratum & exosum Deo, idem dicendum de cæteris, non sint effectus contradictorii, sed duntaxat contrarii, provenientes ex distinctis fundamentis. Hinc sicut contraria divinitùs conservari possunt; sic non obstantibus moraliter oppositis, principia ex quibus proveniunt, possunt simul subsistere; unus enim & idem homo ratione diversi principii, potest esse ejusdem rei dignus & indignus: sic filius Regis jure nativitatis & primogenituræ dignus est regiâ coronâ & regno; quibus tamen propter facinora aut conjurationem in Patrem judicatur indignus; sic pariter homo qui crearetur in puris naturalibus, vi naturæ suæ dignus esset beatitudine aliquâ naturali, cujus tamen fieri posset indignus moraliter & demeritoriè propter peccatum.

Objicies 3. Per peccatum mortale est homo habitualiter aversus à Deo, per gratiam verò habitualiter ad ipsum conversus: sed idem non potest simul esse conversus & aversus respectu ejusdem, sicut nec esse unicus & distinctus: igitur nec potest aliquis habere simul peccatum & gratiam.

XIII. A Deo aversus & ad eum conversus.

Distinguo majorem: Per mortale peccatum homo est aversus à Deo, & per gratiam conversus, omnimodè & totaliter, nego: secundùm quid, concedo: peccatum enim non est aversio omnimoda & totalis à Deo, sed tantùm secundùm quid, nempe per modum offensæ & injuriæ remanentis habitualiter, donec à Deo remittatur: similiter gratia sanctificans & charitas non est omnimoda conversio excludens omnem omnino aversionem, sed tantùm eam quæ fieret per odium Dei, unde etiam compatitur habitus vitiosos dilectioni & conversioni ad Deum oppositos; & subinde gratia necessariò & absolutè peccatum non excludit.

Objicies quartò: Deus non potest simul eundem hominem odisse & diligere: sed odit habentem peccatum & diligit habentem gratiam: igitur idem homo utrumque habere non potest.

XIV. Simul odio & amore dignus.

Distinguo majorem: Respectu ejusdem & ratione unius ejusdemque motivi, concedo: ratione diversi, nego: Deus enim quosvis peccatores odit & amat; odit quidem quatenus ei adversantur, diligit verò quia sunt opera manuum suarum: *Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti*. Sap. 2. Inde non repugnat quòd idem diversa ratione sit amabile secundùm quid, & secundùm aliud odibile.

Objicies quintò: Si gratia subsistere posset cum peccato, sequeretur quòd expulsio peccati non esset formalis effectus gratiæ; & dum Deus desineret velle gratiam unà cum peccato conservare, tunc peccatum non pelleretur per gratiam, sed per solam Dei voluntatem: at consequens est contra communem sententiam Theologorum: ergo & illud unde sequitur.

Nego sequelam majoris. Cùm enim expulsio peccati sit duntaxat effectus secundarius gratiæ, non est consequens quod si à Deo impediatur, censeatur propterea destrui: sicut à simili expulsio frigoris non minùs esset effectus formalis caloris, licèt per absolutam potentiam à Deo suspenderetur aliquandiu ut frigus cum calore in eodem subjecto conservaret. Nec sequitur etiam quòd cùm Deus utrumque servare amplius simul nollet, tunc peccatum desineret per solam voluntatem divinam; in eo enim casu, reverà per gratiam pelleretur, quia tunc Deus non impediret amplius ejus effectum secundarium quem anteà suspendebat.

Objicies sextò: Quando Deus non potest utramque formam oppositam conservare, v. g. peccatum & gratiam, non opus est speciali Dei voluntate ad auferendam unam ex illis, sed sufficit quòd inducatur forma opposita: sicut quia Deus non potest simul conservare in eadem columna denominationes dexteræ & sinistræ respectu unius & ejusdem animalis, ideo positâ denominatione dexteræ excluditur denominatio sinistræ sine alia speciali Dei voluntate: ergo quia Deus nequit conservare gratiam & peccatum de via ordinaria, sufficiet quod gratia concedatur animæ, ut ab ea recedat peccatum.

Respondeo, antecedens esse verum, quando formæ ex natura rei oppositæ sunt & repugnantes,

quales sunt dextrum & sinistrum, secus verò si opponuntur duntaxat demeritoriè & moraliter, ut peccatum & gratia.

Objicies ultimò Doctorem subtilem in 2. dist. 37. num. 4. dicentem, quòd *privatio gratiæ non est peccatum, nisi in quantùm est justitia debita:* Censet igitur peccatum esse privationem gratiæ debitæ: sed forma & privatio formæ etiam de potentia absoluta nequeunt esse simul: igitur neç gratia & peccatum.

Quâ ratione dixerit Doctor peccatū esse privationem gratiæ.

Respondeo idcirco Doctorem apellare peccatum *privationem justitiæ*, quia hæc privatio est effectus peccati; effectus autem plerumque apellatur nomine causæ; quâ ratione sanctus Paulus concupiscentiam apellat peccatum, non quòd talis sit formaliter, ut jam sæpius diximus, sed quòd sit ex peccato, & ad peccatum inducat. Adde quòd subtilis Doctor id non profert absolutè, sed ex suppositione; addit enim posteà, quâ (scilicet gratiâ) voluntas demeritoriè se privavit.

QUÆSTIO QUARTA.

An, quot, & quæ interveniant mutationes in justificatione peccatoris.

I. Justificatio concipitur fieri per modum motus.

NOtandum primò, quòd cùm peccatoris justificatio sit transitus à statu peccati ad statum gratiæ, & à ratione hominis Deo exosi, ad rationem dilecti, necessom est quòd transitus ille concipiatur veluti motus à termino à quo ad terminum ad quem, videlicet à peccato quod abjicitur & deseritur, ad gratiam sanctificantem, quæ acquiritur & suscipitur: noo secus ac in generatione naturali fit motus à privatione formæ ad ipsam formam. Inde quæritur apud Theologos, an illa peccati abjectio & gratiæ acquisitio sint unica duntaxat, an verò duplex mutatio essentialiter distincta, quarum utraque reverà sit realis.

II. Peccatum remittitur vel per simplicem condonationē: vel per satisfactionem.

Notandum secundò, quòd cùm solius Dei sit authoritate plenariâ & absolutâ peccatum remittere & solvere, ad idque summum ae plenum jus habeat: eúmque duplex solitò concipiatur ac distinguatur peccati remissio, *alia* quidem per simplicem condonationem, quâ persona læsa offendenti culpam gratis & ex pura clementia remittit: *alia* verò per debitam satisfactionem, quâ reus promeritas pœnas luendo exactè satisfacit personæ offensæ secundùm legis præscripta; ita quòd Judex ex æquo pronuntiare possit reum ab omni debito & reatu solutum esse, hinc controvertitur apud Theologos utrum Deus plenariô jure, gratis, & ex pura clementia remittere possit peccatum, non solùm absque ulla satisfactione ex parte peccatoris, sed maximè absque infusione ullius gratiæ sanctificantis, & per solam duntaxat condonationem externam.

III. Simplex condonatio fieri potest tripliciter.

Notandum tertiò, peccatum eogitari posse remitti per solam condunationem externam & absque ulla condonatione gratiæ tripliciter: nimirum *Primò* mediantibus actibus supernaturalibus, quorum intuitu Deus peccatum remittat, tanqoam propter dispositiones convenientes ad remissionem, & sufficientes ex ordinatione divina: *Secundò* absolutè loquendo, & sine ullo prævio actu supernaturali ex parte peccantis; sed duntaxat ratione quorundam actuum purè naturalium, putà pœnitentiæ naturalis, cujus intuitu Deus plenariâ suâ authoritate, tali pœnitentiâ, quamvis improportionatâ ad remissionem peccati, contentus, vellet tamen peccatum illud condonare, & remittere. *Tertiò* denique eogitari potest fieri talis remissio sine ullo actu peccatoris sive naturali, sive supernaturali, atque etiam sine ulla mutatione physica ipsius peccatoris.

Duo itaque veniunt in præsenti quæstione discutienda: *Primum*, an peccati remissio & gratiæ infusio sint duæ mutationes essentialiter distinctæ: *Secundum*, an peccatum remitti possit per solam externam & gratuitam condonationem absque ulla infusione gratiæ.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Remissio peccati & gratiæ infusio sunt duæ mutationes.

R*Emissio peccati & infusio gratiæ sunt duæ mutationes essentialiter distinctæ.* Ita Doctor in 4. d. 16. qu. 2. cui subscribit Suares lib. 7. cap. 11. nec-non & plures alii Moderni.

Probatur primò ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi ait: *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed est renovatio.* Et infrà, *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo.* Ubi tanquam duo distincta enumerat *remissionem peccati*, & *renovationem*; notetur illa conjunctio *&*: Idem habet S. Chrysostomos homil. 20. in Genesim, dicens: *Per contritionem non solùm Deus largitur vulnerum curam, & à peccatis mundos ostendit, sed & eum qui innumeris peccatorum sarcinis gravatur, justum facit.* Quibus verbis duæ mutationes significantur, non secus ac cùm dicimus, per calefactionem non solùm producitur calor, sed etiam expellitur frigus; quô certè loquendi modô non utimur, dum de mutatione unica ac simplici fit sermo: non dicimus enim quòd per illuminationem non tantùm producitur lumen, sed etiam tenebræ pelluntur; luminis enim diffusio est ipsamet tenebrarum depulsio.

Favet etiam Concilium Moguntinum ultimum cap. 7. ubi agens de justificatione dicit: *Quæ justificatio cum peccatorum remissione etiam sanctificationem & interni hominis renovationem confert.*

Ut optimè probat Doctor.

Probat Conclusionem Doctor, *locô suprà laudatô num.* 4. quatuor rationibus: *Primò* quidem, Unum & idem simpliciter non potest multiplicari & non multiplicari, alioqui esset unum & non unum: sed remissio peccati multiplicatur, non multiplicatur autem infusio gratiæ; plures enim sunt peccatorum remissiones, eô enim modô, quô quis dicitur peccator per actum peccati transeuntem, sic multipliciter dicitur peccator à multis culpis, dum eas admisit, quarum quælibet propriam debet habere remissionem, quippe cùm una remissio possit esse cum alia, putà si peccator unum peccatum admisisset & non aliud: gratiæ autem infusio est unica, non enim est necesse quòd plures infundantur gratiæ sanctificantes, ut peccator justificetur, imò id foret superfluum; quia per unius duntaxat gratiæ infusionem peccator sufficienter justificatur: igitur gratiæ infusio & peccati remissio non sunt unica duntaxat mutatio.

Secundò, Idem non separatur à seipso: sed infusio gratiæ & remissio culpæ possunt ab invicem separari: ergo sunt duæ distinctæ mutationes: Probat minorem Doctor: tum quia, ut dicemus in conclusione sequenti, potest fieri remissio per externam condonationem absque ulla gratiæ infusione, sicque remissio hæc ab infusione gratiæ separari potest: tum quia de facto Deus contulit primis parentibus absque ullâ eorum peccati

præcedentis remissione: igitur gratiæ infusio & peccati remissio seorsim existere possunt, & subinde non sunt unum & idem.

Tertiò. Culpa & gratia non sunt formaliter opposita, nec formaliter repugnantia ex natura rei; alioqui voluntas creata quæ est effectiva peccati & culpæ, esset etiam effectivè destructiva gratiæ; causa enim productiva unius formaliter oppositorum est destructiva alterius, siquidem ignis qui producit calorem in subjecto, ab eo frigus removet: sed falsum est quòd voluntas creata possit effectivè destruere gratiam, alioqui virtute naturali & propriâ posset annihilare, sicut enim gratia non producitur, nisi per creationem, ita duntaxat per annihilationem desinere potest: at illa quæ non sunt formaliter opposita, possunt sine invicem existere, nec unum necessariò infert positionem alterius: igitur gratiæ infusio & peccati remissio non consequuntur sese necessariò, ac proinde non fiunt per unicam simplicem mutationem.

Quartò denique: Una mutatio non est ad aliquam formam positivam, nisi ab eo quòd est formaliter ejus privatio: sed peccatum, ut diximus, non est formaliter privatio gratiæ sanctificantis; unica enim forma non habet nisi unicam privationem, peccatum autem multiplicari potest in peccatore, qui jam gratiam amisit per primum peccatum, adeoque peccatum non est formaliter privatio gratiæ.

V. Nec Concilium Tridentinum contradicit.

Dicet primò: Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. dicit justificationem esse translationem à statu peccati ad statum gratiæ. Et cap. 7. *Homo*, inquit, *per susceptionem gratiæ, & donorum ex injusto fit justus, & ex inimico amicus:* Ergo censet quod immediatè, & sine novâ mutatione per infusionem gratiæ peccatum formaliter remittitur, subindeque quòd in justificatione peccatoris sit unica duntaxat mutatio.

Nego consequentiam, & ad Antecedens dico quòd Concil. duntaxat doceat in justificatione peccatoris fieri verum motum à contrario in contrarium terminum; ita ut sit expulsio peccati & introductio gratiæ: non autem intendit Concilium quòd ille motus sit unicus duntaxat, & simplex, sed compositus ex duplici motu, qualis videlicet reperitur in productione caloris, & expulsione frigoris, ubi duo sunt motus essentialiter distincti, unus à non esse caloris ad esse ejusdem, alter verò ab esse frigoris in subjecto ad non esse ejusdem.

Dices secundò: Si duplex intercedat mutatio in justificatione peccatoris, necessum est quòd duplex intercedat forma; duplex enim reperitur effectus formalis, nempe hominis renovatio, & peccati depulsio: sed id videtur esse contra mentem Concilii Trident. affirmantis nos per eandem gratiam à peccato mundari & renovari: igitur non potest esse duplex mutatio.

Nego sequelam majoris; licèt enim in justificatione peccatoris duplex sit effectus, illi tamen ab unica forma possunt procedere, sic ab uno calore subjectum fit calidum & frigore vacuum, subindeque non est necesse quòd licèt sit duplex mutatio, duplex etiam forma interveniat.

Petes, an mutationes illæ sint reales?

VI. Non sunt tamen duæ mutationes reales.

Respondet Doctor *ibidem num. 6.* quòd infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt duæ mutationes reales; quia remissio culpæ cùm non sit ad aliquam formam positivam, nec necessariò tollat aliquid reale positivum, non potest etiam esse mutatio realis & positiva; non enim est mutatio realis, nisi ut in terminum realiter positivum, vel privationem realem: Igitur est unica duntaxat mutatio realis, nempe infusio gratiæ, quia est ad formam realem; alia verò moralis, quam idcirco mutationem rationis ibidem appellat Doctor, quia nempe non est ad aliquem terminum realem.

Petes secundò, quænam ex his mutationibus magis præcipuè à Deo intendatur?

VII. Deus primariò intendit infusionem gratiæ, & secundariò remissionem peccati.

Respondet Doctor in 4. dist. 1. quæst. 6. quòd magis præcipuè Deus intendat infusionem gratiæ: *Nam*, inquit num. 9. *agens secundùm rectam rationem, principaliùs intendit perfectionem, quàm carentiam defectûs sive imperfectionis? quia non intendit illam carentiam, nisi propter perfectionem: Igitur Deus principaliùs intendit perfectionem positivam, putà gratiæ infusionem, quàm carentiam imperfectionis, videlicet remissionis peccati.*

Dices: Ex primæ Joan. cap. 5. *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolveret opera Diaboli:* Sed diaboli operum dissolutio non alia est, quàm peccati remissio: Igitur hæc præcipuè à Deo intenditur. *Insuper* sanctus Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 27. ait. *Nostra justificatio potius remissione peccatorum constat, quàm prosecutione virtutum:* Ergo præcipua mutatio est peccatorum remissio.

Denique: Gratia non infunditur, nisi ut peccatum expellatur: ergo talis expulsio est primò intenta. *Nego has* omnes consequentias, & ad *primum antecedent* dico, Christum Dominum præcipuum ob finem venisse, ut vitam gratiæ nobis largiretur, juxta illud Joannis 10. *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant;* quæ vitæ cælestis & divinæ communicatio, cùm sit incompatibilis cum peccato: consequenti fine censetur Christus venisse ut peccatum solveret.

Ad secundum dico S. Aug. non comparare infusionem gratiæ cum expulsione peccati; sed duntaxat intendit quòd nostra justitia, cùm sit labilis & præceps, nec diu perseverans, quippe homo sæpè resurgit, & iterum labitur, inde fit quòd ratio peccati videatur esse diuturnior, & perseverantior quàm status gratiæ & justitiæ.

Ad tertium dico equidem infundi gratiam, ut remittatur peccatum, non quòd peccati remissio sit primarius illius infusionis effectus, sed duntaxat secundarius, & consequenter non primò, sed tantùm secundariò intentus.

Conclusio Secunda.

VIII. Remitti potest peccatum per simplicem condonationem.

Peccatum remitti potest de potentia Dei absoluta per solam extrinsecam, & gratuitam Dei condonationem. Ita subtilis Doctor pluribi, maximè verò in 4. dist. 16. quæst. 2. num. 4. ubi ait: *Potest culpa remitti absque hoc quòd gratia infundatur, potest enim Deus de potentia absoluta hominem creare in puris naturalibus sine culpâ & sine gratia:* Ergo & post lapsum talem reparare, & ita remittere culpam sine infusione gratiæ. Idem sentiunt seraphicus Doctor in 4. dist. 7. art. 1. quæst. 7. *Ochamus* ibidem in 4. q. 3. art. 1. & celebriores quique Veteres. Ex Recentioribus verò *Suarez* lib. 7. de gratia cap. 23. *Sylvius* 1. 2. quæst. 113. *Martinonus* disput. 41. quæst. 7. & plures alii. Probaturque *primò.* Non minoris est virtutis divina voluntas quàm humana: sed humana voluntas remittere potest offensam per puram & simplicem condonationem, & relaxationem: ergo multò magis id divina præstare poterit.

Sicut & voti solutio.

Confirmatur, quia Deus potest votum relaxare absque ulla prorsus productione qualitatis in eo cui relaxatur, & solùm per extrinsecam voti condonationem: ergo pari ratione poterit offensam remittere.

Nec refert quòd illa relaxatio debeat innotescere per revelationem; alioqui vovens non cognosceret se solutum, &c. *Dico* enim ad voti relaxationem per accidens esse quòd quis sciat se esse solutum; nam si tunc homo teneatur implere votum, id fit non ratione obligationis voti, sed ratione conscientiæ erroneæ, quâ judicat votum obligare, cùm tamen reverâ non obliget: sicut qui jejunat die Dominicâ existimans esse diem ferialem jejunio sacrum, tenetur jejunio non per se, sed per accidens, propter conscientiam erroneam: igitur reverâ potest solvi votum, etiam si illa solutio & relaxatio non innotescat.

Deinde, Gratia habitualis est effectus voluntatis Divinæ, quâ gratis hominem diligit: ergo etiam seclusâ gratiâ Deus poterit hominem diligere: sed in eo casu homo sic à Deo dilectus non erit in peccato, Deus enim peccatores odiô habet: igitur poterit solvi peccatum absque gratiæ collatione.

Denique, Peccatum & gratia non sunt immediatè opposita: ergo tolli potest unum sine introductione alterius. Consequentia patet: Etenim quæ non sunt immediatè opposita, habent medium aliquod, atque adeo potest subjectum sine utroque existere. Antecedens pariter constat ex præfata ratione Doctoris; potuit enim Deus ab initio hominem condere sine peccato & gratia, eumque constituere in statu purè naturali: sed potest eundem statum reponere postquam peccavit; nam qualem potuit ab initio creare, talem absolutâ suâ potentiâ potest restituere post peccatum.

Addit Doctor, quòd transactô actu peccati, nihil remanet in peccatore præter reatum culpæ, qui maximè explicatur per obligationem ad pœnam, quam peccator tenetur luere: sed potest Deus peccatori hanc obligationem remittere, eumque eximere ab ulla pœna, absque eo quòd ipsi conferat gratiam aut aliud donum: igitur absque ulla infusione gratiæ remitti potest peccatum per solam externam condonationem.

Dices 1. Non potest remitti peccatum, nisi per formam, quæ expellat id quò peccator constituitur exôsus Deo, & odiô ac pœnâ dignus: talis autem forma non est alia, nisi gratia habitualis: igitur non potest remitti peccatum absque illius gratiæ infusione.

Et remissio ac relaxatio offensæ.

Nego majorem: Id enim quòd constituit peccatorem habitualiter & formaliter Deo exosum, nihil est aliud quàm peccatum habitualiter manens, donec remittatur: ad id autem remittendum non opus est absolutè aliâ formâ, quàm relaxatione divinâ per quam peccator liberatur à reatu culpæ, non secus ac debitor per gratuitam remissionem creditoris liberatur à debito & obligatione contractâ per mutuum.

Dices secundò: Nequit homo esse objectum odii Dei sine peccato: ergo neque objectum amoris sine gratia.

Nego consequentiam: Ratio autem disparitatis est, quia objectum amoris fit à Deo, non autem præsupponitur, objectum verò odii non fit à Deo, sed à peccatore, & sic ad odium divinum præsupponitur; quapropter non potest Deus non odisse peccatorem in peccato existentem, quia peccatum illud divinam indignationem provocat; potest verò ipsum amare absque infusione gratiæ, quia potest objectum amabile aliter constituere, & efficere aliô modô quàm per gratiæ infusionem.

Dices tertiò: Tamdiu Deus intelligitur habere odium & indignationem erga peccatorem, donec ipsi gratiam infundat: ergo non potest illi remittere peccatum sine infusione gratiæ. Consequentia constat: manet enim tamdiu peccatum habitualiter, quamdiu peccator est Deo odiosus & infensus. Antecedens probatur, quia tamdiu Deus intelligitur esse infensus & iratus erga aliquem, quamdiu illum repellit à sua gratia seu bona voluntate: atqui tamdiu repellit peccatorem à sua gratia sive bona voluntate, quandiu illi non restituit gratiam ablatam propter peccatum: ergo, &c.

Nego antecedens: Nam ad deponendum odium & indignationem sufficit quòd Deus nolit amplius habere rationem peccati commissi, nec propter illud indignari contra peccatorem, sed voluntariè cedat juri quod habebat illum odiô prosequendi & puniendi; quod utique absolutâ suâ voluntate præstare potest. Ad probationem dico, bonam Dei voluntatem & gratiam hôc sensu acceptam pro quocumque favore gratuito, esse multiplicem; quapropter potest Deus positivè unum illorum donorum gratuitorum negare, & aliud concedere; atque ita si Deus alicui remitteret peccatum non infundendo gratiam sanctificantem, non censeretur repellere illum ab omni sua bona voluntate, seu favore gratuito; quippe illa peccati gratuita solutio, Dei bonæ voluntatis & favoris, magnum foret argumentum; quamvis nollet ipsi ulterius beneficium conferre: creditor enim censentur grande præstare beneficium debitori, dum ipsi debitum relaxat, etiamsi novum favorem ei non conferat.

ARTICULUS TERTIUS.

De causa formali & fœcunditate nostræ justificationis in bonis ac meritoriis operibus.

Status quæstionis.

DIximus in præcedentibus causam formalem nostræ justificationis esse quid intrinsecum & inhærens, idque constans ac permanens; subindéque gratiam sanctificantem sortiri rationem & appellationem habitûs, quô etiam nomine donatur à Theologis: disceptatur nihilominus à nonnullis tum Veteribus tum Recentioribus, an formalis illa justificationis ratio ita necessariò debeat esse quid jugiter perseverans per modum habitûs, anve interdum per actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia quis possit etiam formaliter absque ullâ habitus supernaturalis infusione justificari. Quam utique controversiam unà cum cæteris, quæ justificationem formalem spectant, librabimus in præsenti Articulo qui tribus potissimùm quæstionibus absolvetur: quarum *Prima* aperiet, an gratia justificans sit necessariò actus vel habitus, isque simplex & unicus, an multiplex & ex aliis adunatus. *Secunda*, an justitia semel habita possit amitti. *Tertia*, qualis sit justificatio, an videlicet æqualis in omnibus, & maximum Dei opus.

QUÆSTIO PRIMA.

An gratia sanctificans sit actus vel habitus, isque unicus aut multiplex?

CUM ratio formæ internæ atque inhærentis conveniat tam actibus quàm habitibus: cùmque certum sit apud Catholicos nos justificari per formam internam, meritò quæritur in præsenti, utrum causa interna formalis nostræ justificationis consistat in actu vel habitu.

I.
De quibus invicem conveniant Doctores Catholici.

Notandum primò, circa præsentis difficultatis resolutionem, invicem convenire Theologos: *Primò* quidem certum esse de fide parvulos in baptismate justificari per habitum infusum; certâ enim fide eredendum est, quemlibet justum justitiâ inhærente justificari, id enim tam de parvulis quàm de adultis definitum est in Tridentino: de parvulis quidem *sess. 5. can. 3.* de Adultis verò *sess. 6. cap. 7.* Hæc autem justitia inhærens non potest in parvulis esse aliquis actus, cujus non sunt capaces: debet igitur esse aliquis habitus, quippe aliud accidens esse non potest. Conveniunt secundò, adultos omnes, qui virtute sacramenti justificantur à peccatis, etiam justificari per habitum, quia ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. attritio seu dolor de peccato commisso ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concepta, quæ extra sacramentum non sufficeret ad delendum peccatum, neque haberet annexam gratiam quâ formaliter peccatum deleretur, si cum spe veniæ conjuncta sit sufficere ad remissionem peccatorum cum sacramento: at accedente sacramentô non apparet quæ alia gratia & justitia inhærens, pœnitenti infundatur, nisi habitualis; neque enim dici potest quòd infundatur actus perfectæ contritionis, aut dilectionis Dei super omnia; cùm ex pluribus qui ex attritione justificantur per sacramentum, vix unus experiatur sibi talem actum infundi eo instanti quô sacramentum perficitur. Certum igitur esse debet apud Catholicos adulto justificato virtute sacramenti infundi habitum aliquem gratiæ & sanctitatis: sed remanet solvenda difficultas num illa habitûs infusio ita necessariò prærequiratur ad rationem formalem justificationis, ut nullus homo justificari possit formaliter per aliquem actum perfectæ contritionis aut charitatis.

II.
Actus humanus bifariam confert ad justificationem.

Notandum 2. ex subtili Doct. in 4. d. 14. q. 2. n. 13. quòd actus humanus potest cogitari dupliciter necessarius ad deletionem peccati; nempe *vel* per modum dispositionis præviæ: *vel* per modum concomitantis: *Primò modò*, inquit, sufficit actus informis, imò semper est informis, quia dispositio prævia ad peccati deletionem est semper sine gratia & charitate à cujus solius inhærentia & inclinatione ad actum dicitur actus formatus: *Secundò modò*, dico quòd requiritur actus formatus; nam in illo instanti, in quo deletur peccatum, charitas inest, & per consequens si actus requiritur ut concomitans, requiritur ut formatus.

III.
Quid præcisè homo accipiat in justificatione.

Notandum tertiò, certum esse in justificatione unà cum gratia sanctificante & habitu charitatis ab ipsa realiter indistincto etiam alios habitus supernaturales infundi, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. his verbis: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem & charitatem: nam fides nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Hinc difficultas est utrum omnes illi habitus infusi pari ratione censeantur necessarii ad justificationē ac ipsa gratia & charitas, ita quòd causa formalis nostræ justificationis non sit unus simplex habitus, sed plurium collectio. Tria igitur hac in quæstione sunt determinanda. *Primum*, an justificatio formalis ita necessariò fiat per habitum, ut nullus justificari possit formaliter per actus perfectæ contritionis & charitatis. *Secundum*, utrum ad hanc justificationem formalem necessariò desiderentur plures habitus infusi. *Tertium*, an justificatio fiat propriè per habitum gratiæ sanctificantis sub præcisa ratione formali gratiæ; an verò quatenus est formaliter charitas.

CONCLUSIO PRIMA.

NEque actus charitatis, neque contritionis perfectæ justificant formaliter, sed duntaxat dispositivè.

IV.
Justificatio formalis fit per gratiam sanctificantem, habitualem.

Probatur 1. ex Scriptura sacra illis omnibus textibus, quibus remissio peccatorum promittitur pœnitentibus, tanquam aliquod Dei donum procedens ex pura ipsius misericordia. Sic Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Proverb. 28. *Qui confessus fuerit & reliquerit ea* (scilicet scelera) *misericordiam consequetur.* Eccles. 17. *Quàm magna misericordia illius & propitiatio convertentibus ad se, &c.* Igitur justificatio formalis non est partim hominis effectus, partim Dei donum, sed gratuitum est Dei beneficium.

Dispositivè autem per actus contritionis & dilectionis Dei.

Insuper Scriptura sacra pluribus in locis distinguit contritionem vel dilectionem Dei super omnia à remissione peccatorum, velut à diverso & novo beneficio, vi illius obtentô, atque illi promisso tanquam nova gratia & misericordia. Ita Joelis 2. dicitur: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & multa misericordia & præstabilis super malitia.*

Ut constat 1. ex S. Scriptura.

Quibus verbis prioribus, *Convertimini ad me in toto corde vestro*, significatur contritio perfecta; his autem posterioribus, *quia benignus & misericors est*, declaratur forent Deus ita contritis misericorditer ignoscat: igitur illa conversio per actum dilectionis & contritionis non est formaliter ipsa peccatorum remissio & justificatio; sed quid ad eam præparans, Deumque movens, quatenus peccata relaxet & habitum gratiæ sanctificantis infundat.

2. Ex SS. Patribus.

Eôdem modô loquuntur sancti Patres, qui contritionem & peccatorum remissionem tanquam duo beneficia computant ac distinguunt: Sic sanctus Chrysostomus homil. 80. ad populum ait: Totam vitam in peccatis assumpsi, & si pœnitentiam egero, salvabor; & maximè unde constat hæc Domini clementia ne tuæ confidas pœnitentiæ, tua enim pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si sola foret pœnitentia, jure timeres, sed postquam in pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide. Subscribit sanctus Ambrosius librô primô de Pœnitentia capite 4. ubi ait: *Expectat gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem*

suam: expectat conversionem nostram, ut revertatur & ipse ad gratiam; Agit autem ibi de contritione perfecta, de qua sola verum est generaliter illud Isaiæ 30. quod explicat: *Cum ingemueris, tunc salvus eris.* Idem sentit sanctus Augustinus in Psal. 144. in illa verba, *Misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors*, obi sic ait: *Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.* Conversio autem cui Deus promisit veniam extra sacramentum non est alia, quàm perfecta contritio, vel dilectio Dei super omnia: Igitur ex mente S. Augustini venia peccatorum est nova gratia à contritione distincta.

V. 3. Ex Concilio Tridentino.

Probatur 2. ex *Concilio Tridentino*, idque primò ex *sess. 6. cap. 6.* ubi inter dispositiones ad gratiam justificantem enumerat actus pœnitentiæ & dilectionis, quâ homo Deum tanquam omnis justitiæ fontem incipit diligere: ait enim, *illumque* (nempe Deum) *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem.* Mox cap. sequenti, hanc ipsam dilectionem & detestationem peccatorum unà cum reliquis peccatoris actibus suprà descriptis appellat dispositionem, seu præparationem ad ipsam justificationem: *Hanc* inquit, *dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*, Cùm autem pœnitentia abstrahat à perfecta & imperfecta; sicut & inchoata Dei dilectio: & loquatur Concilium in genere de pœnitentia & dilectione, sequitur quòd æquè comprehendit perfectam pœnitentiam, & dilectionem Dei inchoatam atque imperfectam; dispositio autem ad justificationem, non potest esse ipsa formalis justificatio: igitur Concilii mens non est quòd justificari possimos per actus contritionis aut dilectionis Dei.

Secundò, cap. 7. ejus sessionis, docet Concilium, *unicam esse causam formalem nostræ justificationis*, cùm autem pariter doceat nos justificari per habitum, consequens est quòd censeat justificationem formalem non fieri per actum; alioquin non una duntaxat, sed duæ essent causæ formales nostræ justificationis: si enim plures reverà essent illæ causæ formales, haud dubium est quòd eas Concilium enumerasset, sicut & enumerat plures causas efficientes, nempe Deum ut causam principalem, ac Baptismum ut causam instrumentalem: & sicut etiam plures refert causas finales, nempe Dei gloriam & Christi, ac vitam æternam.

Tertiò, idipsum colligitur ex *Can.* 3. ejusdem sessionis, ubi ait: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quibus verbis, ut apparet, distinguit Concilium gratiam sanctificationis ab actibus contritionis & dilectionis, sicut & ab actibus fidei & spei.

Denique, idem Concilium *sess. 14. cap. 4.* docet motum contritionis fuisse necessarium quôvis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, & in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, quis autem dicat formam præparare seu impetrare suum effectum formalem? Quòd autem ibi sermo sit de contritione perfecta; constat: tum quia naturam hujus contritionis declarat exemplô Davidis, cujus nemo dubitat fuisse contritionem perfectam: tum quia Concilium in hoc capite non solùm tradit modum quô possimus justificari per contritionem in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam extra sacramentum: tum denique quia docet eam fuisse quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessariam; ubi per particulam *quovis tempore* significat etiam tempus legis naturæ & Mosaïcæ. Cùm autem in neutro isto statu adulti haberent sacramenta, quæ conferrent gratiam ex opere operato; certum est quòd motus iste contritionis, qui pro utroque hoc statu ad integrandam veniam fuit necessarius, debuit esse perfecta contritio; nam ex eodem Concilio ibidem, supernaturalis attritio extra sacramentum est insufficiens ad veniam peccatorum obtinendam: igitur cùm dicat Concilium contritionem illam, quæ quôvis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam, fuisse præparatoriam ad remissionem peccatorum, censet per eam nos non formaliter justificari.

VI. 4 Ratione Theologica.

Probatur tertiò ratione: *Primò*, Justificatio adulti extra sacramentum cum voto illud suscipiendi, fit eôdem modô ac per eandem causam formalem, per quam fit ipsius justificatio per sacramentum de facto susceptum: at justificatio impii adulti in sacramento realiter suscepto fit formaliter per habitum gratiæ; non autem per actus dilectionis & contritionis: igitur hæc justificatio impii adulti extra sacramentum non fit per supernaturales actus dilectionis, & perfectæ contritionis; sed per ipsammet habitualem gratiam à Deo infusam. Minorem admittunt omnes, utpote cùm attritio sufficiat cum sacramento ad obtinendam justificationem, quæ tamen nec formaliter, nec præparatoriè extra sacramentum justificare potest, subindeque gratia collata per sacramentum, neque est formaliter ille actus attritionis, neque illius effectus, sed duntaxat effectus sacramenti talem gratiam producentis ex opere operato.

Major similiter constat: votum enim sacramenti extra realem susceptionem illius, addit actui contritionis volitionem tacitam vel expressam accipiendi sacramentum, & efficax desiderium effectûs talis sacramenti: sed talis volitio sive expressa, sive tacita nihil virtutis & efficaciæ superaddit virtuti ipsius actûs contritionis, nec efficit, ut qui junctus sacramento non est forma justificans, deveniat eadem forma extra sacramentum; nihil enim supernaturale ipsi conferret: igitur sicut actus ille perfectæ contritionis junctus cum sacramento realiter suscepto, non est formalis causa justificationis in adulto per sacramentum realiter susceptum, sed illa causa non est alia, quàm habitualis gratia; sic etiam & actus ille perfectæ contritionis non potest esse cum voto sacramenti non formatus causa justificationis adulti extra sacramentum.

Secundò: Remittere peccatum est proprium Dei opus & beneficium, juxta illud Isaiæ 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Et Marci 2. *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* Quibus etiam ratio suffragatur: ad eum enim solum spectat remittere peccata qui per ea offenditur: sed solus Deus per peccata principaliter offenditur: igitur spectat ad eum solum peccata remittere: at si homo posset per contritionẽ peccata sibi delere, non solus Deus, sed etiam homo peccata sibi remitteret contritionem efficiendo. Nam effectus quem formaliter præstat forma, efficienter fit ab efficiente formam. Nec obstat quòd etiam Sacerdotes peccata remittant Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; quoniam Sacerdotes

peccata remittunt ut Christi Ministri, quô pactô non remitteret sibi sua peccata homo per contritionem à se elicitam.

Secunda ratio; quoniam ex Tridentino sess. 6. cap. 8. gratis dicimur justificari: & hoc ideo, quia ut Concilium ipsum testatur, nulla opera quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promerentur, videlicet de condigno, ut Theologi explicant. Si autem contritio formaliter sanctificaret, non gratis justificaremur in sensu à Concilio explicato: quia contritio secundùm probabiliorem sententiam, naturâ præcedit gratiam: ergo de condigno meretur ipsam gratiam: Proinde gratia, ut ibidem Concilium ait, non esset gratia, sed præmium & merces. Consequentia probatur: quia si contritio seipsa formaliter sanctificaret subjectum, in illo priori naturæ, in quo præcederet gratiam, esset opus subjecti jam digni & sanctificati per ipsammet contritionem, tanquam per formam formaliter sanctificantem: atque adeò in eo priori esset condignè meritoria gratiæ quæ in posteriori instanti naturæ infunditur.

Objicies primò varios Scripturæ sacræ textus, qui videntur contritioni & dilectioni adscribere animæ sanctitatem & purgationem à peccato: Sic Joan. 14. *Si quis diligit me, mandata mea servabit & Pater meus diliget eum, &c.* Quibus verbis dilectioni nostræ in Deum adscribitur dilectio Dei in nos: sed in hac mutua dilectione consistit perfecta animæ sanctitas. Hinc ad Colossenses 1. Charitas dicitur *vinculum perfectionis*. Et 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti & legis consummatio.* Et ad Rom. 13. *Plenitudo legis.* Eidem charitatis actui tribuitur peccatorum remissio: Sic Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm.* Proverb. 10. *Universa delicta operit charitas.* 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joan. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, fratres.* Ibi autem Script. loquitur non de habitu, sed de actu charitatis: quia illis in locis hortatur nos ad actum charitatis, non ad habitum, & ideo charitatem commendans, ipsum actum dilectionis etiam commendat.

VII.
Charitas actualis justificat non formaliter, sed efficienter.

Respondeo hos omnes textus intelligendos esse de charitate actuali, quæ nobis conciliat divinum amorem, non quidem formaliter, sed duntaxat efficienter & meritoriè de congruo, vel per modum proximæ dispositionis, ex qua infallibiliter sequatur talis effectus, ac proinde ex ipsis non evincitur quòd charitas actualis sit ratio formalis, quâ justificemur, & quâ peccata solvantur; sed duntaxat quòd de congruo mereatur nosque infallibiliter disponat ad susceptionem gratiæ sanctificantis, quam Deus hâc positâ ultimâ dispositione infallibiliter largitur.

Quod solum intendit Scriptura sacra.

Objicies secundò eos Scripturæ textus, quibus dilectioni Dei actuali tribuitur adhæsio cum Deo: 1. Joan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo:* Sed ex 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo unus Spiritus est:* Non potest autem homo in statu peccati mortalis permanens vel in Deo manere, vel unus Spiritus cum illo esse: igitur cùm per charitatem in Deo maneat, & ipsi adhæreat, oportet, ut per illam homo justificetur, & à peccato solvatur.

Respondeo hos Scripturæ textus solvi pari ratione, quâ præcedentes; non enim debent necessariò exponi in sensu formali, sed possunt optimè intelligi in sensu causali, quòd nimirum dilectio sit causa cur in Deo maneamus, & unus Spiritus cum eo simus, quatenus videlicet causa est cur à Deo vicissim diligamur, & cur ipsius Spiritus in nobis inhabitet. Causa, inquam, vel moraliter efficiens & meritoria de congruo, semper talem effectum inferens, vel etiam proximè dispositiva & infallibiliter cum tali effectu connexa, non autem causa formaliter justificans. Quòd autem aliud significare noluerit Apostolus, colligitur ex similibus ejusdem Apostoli verbis; nam eôdem capite dicit: *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo:* Sed actus fidei non potest esse ratio formalis, sed solùm dispositiva cur Deus in nobis maneat: ergo idem dicendum est de actibus charitatis, qui non nisi dispositivè, licèt præstantiori & infallibiliori modô, quàm actus fidei concurrunt ad justificationem.

VIII.
Nec aliud docuit S. August.

Objicies tertiò, sanctum Augustinum lib. de natura & gratia, cap. 42. ubi ait. *Charitas verissima, plenissima, perfectissimaque justitia est.* Et capite ultimô: *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est:* Igitur ex mente sancti Augustini charitas est ratio formalis nostræ justificationis. Subscribit sanctus Bernardus sermone 83. in Cant, ubi exponens illud Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filii charissimi, & ambulate in dilectione:* sic ait: *Talis conformitas maritat animam Verbo: cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est: Ergo si perfectè diligit nupsit:* igitur ex mente illorum sanctorum Patrum, charitas actualis est causa formalis nostræ justificationis.

Nego consequentiam; nam, ut sæpiùs jam dixi, dilectio & charitas actualis dicitur justitia & sanctitas animæ, non in sensu formali, sed causali & meritorio, eô scilicet modô, quô Christus dicitur, 1. Cor. 1. factus nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio, id est, causa justitiæ & sanctificationis nobis per ipsum, & propter ejus merita donatæ.

Et S. Bernardus.

Nec refert quòd sanctus Bernardus in lib. de modo bene vivendi sermone 4. qui est de *timore Dei* dicat, *Timor iste sanctus est, quia introducit in mentem hominis perfectam charitatem, perfecta enim charitas perfecta est sanctitas.*

Respondeo enim duplicem esse sanctitatem: unam actualem consistentem in actibus: alteram habitualem consistentem in habitibus; perfecta autem charitas actualis dicitur perfecta sanctitas actualis; non quòd sit forma perficiens & sanctificans animam primariò & principaliter, sed tantùm secundariò; quatenus videlicet est perfectissimus & sanctissimus inter actus supernaturales, proveniens ex ipsa charitate & sanctitate habituali, eamque augens ac perficiens meritoriè, quatenus videlicet meretur illius augmentum.

Objicies quartò. Si quis existens in mortali peccato, antequam ei remitteretur peccatum, assumeretur ad videndum Deum, eumque diligendum, absque ullo habitu gratiæ & charitatis, foret beatus, ac subinde justificatus; siquidem peccatum pugnat cum perfecta beatitudine: sed talis justificatio non fieret per habitum, quem supponimus non infundi: igitur fieret per actum charitatis; subindeque ille sufficere potest ad formalem justificationem.

IX. *Nemo potest esse beatus cum peccato.*

Respondeo primò, talem non fore beatum hac in hypothesi, si non remittatur ei peccatum mortale habituale; etenim beatitudo est status omnium bonorum aggregatione, & malorum omnium remotione perfectus; ideoque cum illo statu peccatum mortale quod est summa miseria, subsistere non potest: posset autem in eo casu illud peccatum non remitti; quia nec visio nec dilectio est condigna satisfactio pro peccato mortali, neque illi æquivalet; & quamvis talis esset, tamen Deus posset illam non acceptare.

Objicies 5. Dilectio Dei efficacior est, ut animam convertat ad Deum finem ultimum, quàm fuerit voluntas primi hominis ad avertendum posteros à Deo: igitur quilibet existens in originali peccato per solam dilectionem sine habitu ab eo justificari & mundari potest; imò etiam à personali. Patet consequentia. Antecedens verò probatur: Nam posteri Adæ alienâ tantùm voluntate aversi sunt à Deo; cùm autem Deum diligunt, propriâ voluntate ad ipsum convertuntur, qui sanè efficacior conversionis modus esse videtur. Similiter adultus licèt propriâ voluntate per peccatum actuale conversus fuerit ad creaturam, quam dilexit: tamen per affectum contritionis ex toto corde multò perfectiùs ab ea avertitur, quàm ad eam fuerat conversus; siquidem avertitur ab ea expressè, quatenus videlicet illius amor in Deum pugnat, sic autem ad eam non fuerat conversus.

X. *Quare actualis dilectio Dei non sit efficacior ad justificationem formalem, quàm voluntas primi hominis ad reatum.*

Nego antecedens, & ad primam partem, dico quòd longè efficacior fuit voluntas primi parentis, ut nos averteret à Deo, quàm sit nostra voluntas, ut ad Deum convertamur: voluntas enim Adami avertit nos à Deo aversione habituali; dilectio verò nostræ voluntatis convertit nos ad Deum duntaxat conversione actuali. Major autem est aversio habitualis, quia est privatio justitiæ habitualis, quæ perfectior est, quàm sit ipsa dilectio, quæ est conversio actualis.

Nec refert, quòd illa fiat alienâ, hæc propriâ voluntate: id enim solùm probat hanc esse perfectiorem in ratione liberæ operationis, non autem in bonitate & malitia morali.

Ad secundam partem antecedentis, dico similiter, non tam esse potentem hominis dilectionem, ut convertat hominem ad Deum, ipsum placando & perfectè illi satisfaciendo, quàm fuerit potens culpa mortalis ad ipsum offendendum, ejusque aversionem & indignationem incurrendam; peccatum enim habituale est culpa physicè præterita manens moraliter, donec accedat condonatio gratuita, vel perfecta satisfactio, qualis non est ipsa dilectio, aut contritio peccatoris; non enim offensus censetur perfectè placatus, donec retribuat id omne quòd ratione offensæ abstulerat: ergo nec Deus censebitur placatus à peccatore, donec ipsi retribuat stolam primam, videlicet gratiam sanctificantem.

Objicies 6. Justificatio quæ fit per actum, permanentior est quàm quæ fit per habitum, ablatô enim habitu tollitur habitualis justitia: at verò licèt auferretur habitus justitiæ ab eo qui actum contritionis & dilectionis exercuisset, remaneret semper justus & sanctus virtute illius actûs, sicut remanet semper peccator & injustus ex præterito actu peccati: ergo contritio aut dilectio sine habitu confert aliquam sanctificationem à sanctificatione habituali distinctam.

XI. *Quare actus peccati sufficiat ad constituendum hominem peccatorem formaliter, non item sufficiat actus justitiæ ad constituendum justum.*

Nego subsumptum: Nam, inquit Amicus; eôdem modô sublatô habitu gratiæ desineret esse sanctus & justus, qui justificatus esset habitu ac actu simul, ac qui tantùm habitu: quia cùm sola gratia sit forma justificans, eâ sublatâ tolleretur effectus formalis justi ac sancti. Cæterùm quia talis habitus non desineret demeritoriè & culpabiliter, sed tantùm physicè, & ex mera voluntate Dei, talis desitio nullam induceret maculam in subjecto, sed puram duntaxat negationem gratiæ: quæ non constitueret objectum odii & immunditiæ, sed tantùm non amicitiæ, cùm jam supponeretur macula, per præteritum habitum gratiæ perfectè abstersa & condonata, nec per talem sublationem gratiæ illa rediret: alioqui semper ad novum peccatum redirent præteritæ maculæ jam abstersæ & condonatæ. Est autem dispar ratio de actu peccati & contritionis, quia actus peccati potens est se solô formaliter constituere subjectum maculatum, & injustum: actus autem contritionis non tollit formaliter peccatum habituale, quòd est fundamentum & objectum inimicitiæ nostri ad Deum; sed dispositivè; peccatum verò formaliter tollit gratiam, quæ est fundamentum & objectum amicitiæ nostri ad Deum.

Objicies septimò: Pœnitentiæ proprius actus, est intentio satisfaciendi Deo pro offensa seu macula peccati commissi: cujus intentionis objectum est ea forma per quam formaliter Deo fit satis; & subinde hæc non potest esse habitus & actus, quia satisfactio est essentialiter actio; nulla autem hominis actio potest esse vera formalisque ex natura rei satisfactio, præter eam quæ formaliter ex se suaque natura maculam illam destruit, quia illâ solâ positâ nihil amplius remanet juris ad exigendam satisfactionem: sed si aliqua hominis actio ex natura sua peccati maculam destruere possit, maximè perfecta contritio: igitur hæc est formaliter sanctificativa & remissiva peccati.

XII. *Quid præcisè intendat pœnitentiæ virtus.*

Respondeo negando majorem: virtus enim pœnitentiæ non intendit exhibere Deo satisfactionem condignam pro offensa mortali, neque etiam pro pœna æterna quæ vel sacramento, vel sacramenti voto unà cum culpa remittitur: sed intendit satisfacere pro pœna temporali restante post culpam commissam; & pro ipsius culpæ remissione jurisque divini reparatione quantùm possibile est creaturæ jus divinum reparare.

Instabis. Tam Deo placet actus contritionis quàm displicet offensa moraliter: igitur ex condigno & æquo æqualis est satisfactio pro culpa. Probatur antecedens: Tam bonus est actus contritionis, quàm actus peccati fuit malus, si quis enim verbi gratiâ peccavit mortaliter per omissionem actus dilectionis debiti ex præcepto, tam bona est hujus actus positio quàm fuit mala ejus omissio.

Nego antecedens: Longè enim major & gravior est offensa Dei ab homine tam vili Deoque tot beneficiis obstricto quàm possit esse quælibet satisfactio Deo impendenda: quemadmodum longè minus est quod subditus Regem diligat, quàm quod capitalem offensam in eum committat; nec ullus est qui existimet condignè Regi satisfieri per amorem & dolorem offensoris, itaut Rex nihil amplius habeat quod ad satisfactionem ab offendente exigat.

CONCLUSIO SACUNDA.

XIII. *Justificatio formalis fit*

Ratio formalis justificationis est unicus & simplex habitus realis gratiæ sanctificantis à charitate realiter indistinctus. Hæc est communior. Probaturque

præcisè per gratiam habitualem.

Probaturque *primò*. Si præter realem habitum gratiæ sanctificantis & charitatis desiderarentur alii habitus, maximè habitus fidei & spei: sed ii habitus formaliter non conferunt ad sanctificationem nisi per modum dispositionis & præparationis: igitur forma sanctificans noo est plurium habituum collectio. Major constat. Minor probatur: tum ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi licèt pronunciet in justificatione infundi fidem, spem, & charitatem, nihilominus vun justificandi soli charitati tribuit. Nam *fides*, inquit, *nisi ad eam accedat spes & charitas, neque perfectè unit cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit*. Non censet ergo fidem & spem per se formaliter conferre ad justificationem, sed duntaxat beneficio charitatis.

Deinde, Per gratiam sanctificantem assimilamur Christo Domino, juxtà illud Hebræorum 2. *Debuit per omnia fratribus similari*. Sed nec fides, nec spes fuerunt in Christo; utpote cùm fuerit semper comprehensor: igitur illæ duæ virtutes formaliter non conferunt ad jostificationem.

Denique, In instanti justificationis in quo homo de injusto fit justus, & de impio sanctus, nec fides, nec spes quicqoam conferunt ad expulsionem peccati & conciliandum amorem Dei: igitur effectus ille soli gratiæ justificanti tribuitur.

Dices. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ait: In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simol infusa accipit homo per Christum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem: igitur ex mente Concilii tres illæ virtutes ad jostificationem ex æquo conferunt.

Respondeo, fidem & spem recenseri à Concilio, noo quidem ut partiales formas justificantes, sed duntaxat ut dispositiones: fidem qoidem ut fundamentum, spem verò ot firmamentom. Quod etiam præclarè explicat Origenes 10 cap. 4. Epistolæ ad Rom. Prima salutis initia, inquit, & ipsa fundamenta fides est; profectus verò & augmentum ædificii spes est: perfectio autem & culmen totius operis, charitas.

Dices 2. De ratione justitiæ infusæ est ut in nobis duo formaliter efficiat: Primum quidem ut nos constituat Deo gratos & amicos: Secundum autem ut oobis conferat facultatem bene operandi; sed primum præstat per gratiam, secundum autem per virtutes Theologicas: ergotam virtutes illæ quàm gratia sunt forma justificationis.

Nego consequentiam: etenim si hæc vera esset, sequeretur etiam virtutes morales infusas, necnoo & dona Spiritûs sancti numeranda esse inter formas justificationis, quippe conferunt principiom operandi naturaliter: sicut enim non potest esse homo verè justus, nisi sit verè fidelis; ita etiam nisi sit verè Dei cultor & verè pœnitens. Quemadmodum ergo pœnitentia & religio non habent rationem formæ justificationis, itaneqoe virtutes Theologicæ: sicut enim dicitur primæ Joannis 3. qui habet spem sanctificat se, ita de agente pœnitentiam dicitur Ezechielis 18. *Ipse animam suam vivificabit*.

CONCLUSIO TERTIA.

XIV.
Idque sub præciso conceptu gratiæ.

Gratia sub conceptu proprio gratia, non autem sub conceptu charitatis; est ratio formalis justificationis.

Probatur 1. ex illo ad Titum 3. *Ut justificati gratiâ ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Ubi per eandem gratiam dicit nos justificari per quam sumus hæredes vitæ æternæ: sed per gratiam, oon autem per charitatem tali jure hæreditatis donamor, cùm charitas solùm sit principium operationis: igitur per gratiam præcisè justificamur.

Non autem sub conceptu charitatis.

Confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 5. can. 5. obi decernit per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur reatum originalis peccati remitti. Suffragatur etiam ratio: Ea dicenda est ratio formalis justificans quæ constituit nos consortes divinæ naturæ, & jus ad æternam hæreditatem confert: sed id præstat gratia sub suo formali conceptu, non verò sub conceptu charitatis, charitas enim oos quidem facit participes divini attributi amoris noo verò divinæ naturæ: igitur sanctificamur per gratiam sub formali conceptu gratiæ.

Objicies 1. plures Scripturæ textus qui vim sanctificandi in ipsam charitatem refundunt. Sic 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut Filii Dei nominemur & simus*. Et cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. Et ibidem: *Deus charitas est. & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Hinc Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*.

Respondeo, hæc omnia verè eqoidem dici de charitate, noo formaliter, sed realiter & quatenos est unus idemque realis habitus cum gratia sanctificante, ot etiam explicat sanctus Augustinus lib. de Spiritu & Littera cap. 32. dicens: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei quâ justi ejus munere efficimur*. Quasi diceret, *nos munere gratiæ effici justos*. Unde in Psal. 118. *Quis facit in homine justitiam*, inquit, *nisi qui justificat impium, hoc est, per gratiam ex impio facit justum?* Unde ait Apostolus: *justificati gratia per gratiam ipsius*.

Objicies 2. Sanctitas secundùm sanctum Dionysium de cœlesti Hierarchia cap. 12. *est ab omni scelere libera, perfecta, & omni ex parte immaculata puritas*: Sed hoc solùm amori & charitati convenit: sicut enim impuritas contrahitur ex cootactu rei impuræ, ita puritas summa repetitur ex unione cum Deo qui est totius puritatis fons & origo. Hæc autem onio duntaxat fit per amorem: igitur & illa puritas ac sanctitas fit etiam per amorem.

Respondeo, his quidem probari quòd amor sit præparatio ad puritatem quæ est gratia; non verò quòd sit ipsa formaliter puritas, nam si puritas nascitur ex adhæsione ad Deum quæ fit per amorem, sequitur qoòd amor oon sit ipsa puritas, sed quid ad puritatem inducens.

Adde quòd talis coojunctio animæ ad Deum fiat per actualem amorem, oon formaliter, sed solùm dispositivè; neque per habitum charitatis formaliter, sed duntaxat realiter; quatenus videlicet charitas idem est realiter cum gratia sanctificante.

Objicies 3. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. obi loquens de justificatione ait: *Id in justificatione fit dum ejusdem sanctissimæ passionis meritò per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur atque illis inhæret*. Igitur censet charitatem justificare formaliter quà charitas est.

Nego consequentiam: Nam ut constat, non dicit Concilium formam justificationis esse charitatem, sed justificationem fieri per gratiam dum charitas

diffunditur. *Nec refert* quòd ibi non nominet gratiam: nam priùs ipsam tanquam causam nostræ justificationis formalem designaverat in initio capitisdicens, *per susceptionem gratiæ*: quocirca superfluum judicavit eam iterum nominare.

Quæstio Secunda.

An Iustitia semel habita possit per peccatum amitti.

I.

Quàm impia & absurda sit Calvinistarum de inamissibilitate gratiæ sententia.

N*Otandum primò* eam fuisse pessimam Calvini lib. 3. Instit. cap. 2. sententiam, quòd qui semel justificationis gratiam adeptus est, eam per nullum subsequens peccatum possit unquam amittere; si qui verò eam deperdant, reverà nusquam habuerunt veram justitiam nec veram fidem, sed justificationis & fidei ombram seu imaginem; quæ ut nullius est momenti: ita prorsus indigna est veræ fidei appellatione: & subinde docet veros fideles à justitia nusquam posse excidere, & quidquid gravioris crimipis admittant, nusquam Dei indignationem & damnationem incurrent: quam otique phanaticam & omni execratione dignam sententiam sectantur plurimi Calvinistæ, ut constat ex Pseudo Synodo *Dordrectana* super quintum punctum controversiæ art. 4. 5. & 6. licèt aliqui, ut à veritate alienam, unà cum Catholicis omnibus eam execrentur. Cujus quidem nefariæ doctrinæ horrendas consequentias hunc in modum expendit doctus Grotius in discutione Apologiæ *Andreæ* Riveti, ubi paginâ 217. sic ait: Christiani est pectoris horrescere ea dogmata quæ pietati nocent; quale illud est non à Grotio confictum, sed editum sæpe, & à nonnullis defensum: *Pecca fortiter, sed crede fortius: & nihil nocebunt tibi centum homicidia & mille stupra.* Hi sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quemque debere, Christum pro se nominatim esse mortuum: justitiam Christi sibi imputari quasi ipse eam præstitisset: certò se perseveraturum: certò & absolutè salutem sibi destinatam: peccata fidelium utut magna & gravia esse possint non imputari ipsis, propter fidem in Jesum Christum: posse eos cadere in rebellionem, homicidium, adulterium, proditionem, & id genus alia flagitia; nihilominus tamen eos pro certo firmoque habere se numquam aut totaliter, aut finaliter excidere, neque excidere posse ex paterna Dei charitate & gratia erga se, sed è contrario Deum Patrem ipsorum ex æterno suo amore, misericordia & gratia omnia ipsorum præterita, præsentia & futura peccata in Christo tegere atque remittere. Hæc sunt nimirum cogitata Christiani pectoris D. Riveto judice. *Et paulò post:* Beza Davidem ait, cùm homicidio & adulterio pollutus esset, retinuisse Spiritum sanctum, & perire se velle si doceret aliud. *Hinc idem Grotius in animad. pro suis ad Cassendrum notis art. de discrimine peccati mortalis & venialis ait*. Nullum potuit in Christianismum induci dogma perniciosiùs quàm hoc: hominem qui credidit aut qui regenitus est (nam hæc multis idem valent) posse prolabi in scelera & flagitia; sed accidere non posse, ut propterea divino favore excidat, aut damnationem incurrat. Hoc nemo veterum docuit, nemo docentem tulisset.

II.

Eam à se

Notandum secundò, Calvinistas, ut nefarii hujus dogmatis injuriam à se propulsent varia effugia quærere & comminisci: *Primò* namque non desunt qui audaciter pronuncient hoc nefarium dogma ipsis gratis & falsò à Catholicis affingi. Ita *Benefeldius* in lib. de perseverantia Sanctorum, ubi adversus Battum unum ex Calvinistis Remonstrantibus inter cætera ait: *Quod addit nos quidem contendere, si semel renati in atrocissima prolabantur scelera, homicidia, adulteria & his graviora; nihilominùs eos apud Deum in gratia manere, Spiritum sanctum, fidem spem, & charitatem retinere, mera est calumnia, calumniosè nobis impingis blasphemiam.* Quæ assertio, quàm à veritate sit aliena patet ex sententia aliorum Calvinistarum, qui constanter affirmant cum Calvino & Beza veros fideles à justitia nusquàm posse excidere. Sic in primis Vvindelinus in compendio Calvinianæ Theologiæ lib. 1. cap. 24. Ad puncta fidei, ioquit, præcipua qoinque sunt....... 2. *Perseverantia quâ qui semel accepit fidem salvificam, nunquam eam amittit vel abjicit.* Chamierus lib. 6. cap. 12. num. 4. *Negant Calvinistæ* (quos Catholicos mentito nomine appellat) *ullò peccatò quamvis gravissimô, nedum levissimô, quemquam receptum in gratiam à Deo excidere à gratia.* Piscator parte 12. *Decimum denique doctrinæ nostræ objecta caput est, nullis flagitiis renatos fidem perdere.* At hoc *docet idem Ioannes locò modo citatò.* Perquinferius in dislog. de statu hominis parte 40. p. 44. supponens cum suis, omnes veros fideles esse electos & prædestinatos, & sibi objiciens: Verùm obsecro quid tibi videtur? Nonne volt Deus electos suos condemnari si peccent? sic respondet: *Non vult. fundamentum enim salutis nostræ fundatum est in æterna electione Dei, itant mille peccata, imò omnia peccata totius mundi, quin omnes diaboli qui sunt in inferno electionem Dei irritam facere nequeunt. Fieri quidem potest ut corda nostra obfirment peccata, fidem infirment, spiritumque Dei in nobis tristitiâ afficiant; verùm fidem auferre & Spiritum sanctum prorsus excutere non possunt. Deus neminem condemnat propter peccata qui modo in Filium Dei adoptatus est in Christo Iesu.* Damnianus in concordia pag. 108. *Nulli verè fideles*, inquit, *per ulla peccata possunt ex gratia Dei excidere, ac proinde non possunt fideles ex fide prorsus excidere.*

declinare, vel excusare ac propulsare plurimi nituntur.

Verùm frustrà: id enim apertè docent primi eorum Ministri.

Sed constantissimè hæc Calvinistarum assertio patet ex controversia mota inter *Remonstrantes* & *contra-Remonstrantes* Ministros Batavos: illi namque ut constat ex Scriptis Synodalibus eorum art. 5. affirmabant, quòd *fideles possunt à vera fide excidere, & in illiusmodi prolabi peccata quæ cum vera & justificante fide consistere non possunt, nec potest hoc tantùm fieri, sed & non rarò fit. Verè fideles possunt sua culpa in flagitia & scelera atrocia incidere, in iisdem perseverare & mori ac proinde finaliter excidere & perire.* Contra-Remonstrantes verò contrarium prorsus docebant, aiunt enim in collatione habita Agæ anno 16rt. pag. 341. *Probabimus ex sacra Scriptura eos qui per veram fidem Iesu Christo sunt insiti & proinde vivifici ejus Spiritus participes facti, quamvis possint per imbecillitatem carnis graviter peccare, a Deo tamen ita conservari, ut certum sit eos hanc veram fidem, & hunc vivificum spiritum, non totaliter, neque finaliter amissuros.*

Et fatetur Pseudo-Synodus Dordrechtana.

Insuper hanc assertionem Calvinisticam evidentissimè comprobat pseudo-Synodus Dordrechtana pag. 105. ubi inter cætera ait, *Deus qui dives est misericordiâ ex immutabili electionis proposito Spiritum sanctum etiam in tristibus lapsi-*

Cui Calvinistæ Galli subscripserunt.

bus à suis non prorsus aufert, nec eò usque eos prolabi sinit, ut à gratia adoptionis ac justificationis statu excidant; aut peccatum ad mortem sive in Spiritum sanctum committant, & ab eo penitus deserti in exitium æternum sese præcipitent. Quam utique doctrinam unà cum cæteris ejusdem pseudo-Synodi assertionibus probârunt Calvinistæ Galli in eorum Conventu celebrato *Aleti* anno 1619. ubi inter cætera ejusdem Conventûs acta, Ministri protestantur se recipere decisiones Synodi Dordrechtanæ, & eas ad mortem usque defensuros; quibus constat præfatam assertionem de inamissibilitate gratiæ etiam per gravia quæque peccata, esse commune Calvinistarum dogma.

III. Plurima diverticula proferunt ut hanc injuriam declinent.

III. *Notandum tertiò*, Ministros Calvinistarum hujus temporis, cùm à Catholicis premerentur tot ac tam apertis testimoniis quòd reverà docerent gratiam per peccatum quantumlibet grave esse inamissibilem; animadverterentque hoc pessimum dogma, nedum à Catholicis, sed etiam à suis sectatoribus ingratè accipi, varia commenti sunt diverticula, quibus simplices luderent & tam nefariæ doctrinæ injuriam à se removerent: *Primò* namque eorum nonnulli docent idcirco justitiam acceptam esse inamissibilem, quòd licèt per gravia peccata fides justificans imminuatur, tamen semper remanet quædam fidei scintilla, quæ postea per seriam pœnitentiam excitata revivescit. Cujus quidem effugii præludium præbuerat *Andreas Rivetus* in suis animadversionibus contra notas Grossii dicens: Deus in his qui peccaverunt adhuc servat & fovet igniculos, posteà per seriam pœnitentiam excitandos. Verùm quàm futile, quàmque vanum sit hoc effugium, apparet ex eo quòd illi constantissimè affirment cum Calvino lib. 9. cap. 2. num. 11. quòd *quamtumvis exigua sit in electis fides, tamen spiritus Dei certa arrha est ac sigillum suæ adoptionis.* Hinc Scarpius de justif. controversia 4. docet, *Fides etiam infirma Christum totum cum suis beneficiis apprehendit. quod autem in nobis infirmum, in Christo absolutum & perfectum est. Denique si vel minimam vera fidei scintillam habeo, certus & securus sum quia dona Dei sunt sine pœnitentia.* Censent igitur fidem, etiam illam minimam, reverà justificare, subindeque fatentur justitiam per quodlibet grande peccatum esse prorsus inamissibilem, & quòd qui minimam illam fidem habet, æquè justus sit & sanctus ac si fidem perfectissimam haberet, ut apertè docet Vvindelinus lib. 1. cap. 24. dicens, *Æqualitas justificationis est quâ Christi justitia per fidem apprehensa omnibus à Deo æqualiter imputatur: etiamsi aliorum fides robustior, aliorum imbecillior est.*

Verùm frustrà sibi enim ipsis adversantur.

Denique non desunt qui alia subterfugia prætexant, affirmantes fideles in gravia peccata lapsos justificari quidem quantùm ad se, non autem quantùm ad peccata. Ita *Robertus Abbos* in Tonpsonem cap. 24. qui cùm affirmaret Davidem in morte, id est in reatu mortis verè mansisse quousque mansit in homicidio, nec habuisse vitam æternam in se manentem ita respondet Robertus, *Bene verò non secundùm hoc peccatum justificatus, & tamen simpliciter quoad personam justificatus; futurus tamen ab hac justificatione recidivus, nisi ab hoc quoque peccato justificatus.* Verùm quàm parum sensata sit hæc responsio, quamque dissentanea doctrinæ Catholicæ & fidei Christianæ nemo est qui non videat, inde namque foret consequens Davidem etiam ante pœnitentiam, fuisse justificatum quantùm ad personam, licèt non fuerit justificatus quantùm ad peccatum: & subinde, si ante actam pœnitentiam mortuus fuisset, alterutrum fuisset necesse, vel quòd eum peccatis actualibus fuisset salvandus propter justificationem personalem, vel quòd fuisset damnandus propter peccata, etiam si aliunde fuisset justus. Hæc omnia paulò longiùs prænotanda volui ut appareat quantùm quàmque pessimè devient, qui semel defecerunt à tramite veritatis quam aperiet.

CONCLUSIO UNICA.

IV. Gratia sanctificans verè deperditur per quodlibet peccatum mortale.

IV. *Justitia & gratia sanctificans semel accepta potest amitti, & reverà deperditur per subsequens peccatum mortale.* Hæc est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. his verbis: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque adeò eum qui labitur & peccat, nunquam verè justificatum fuisse, anathema sit.* Et cap. 15. ait: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur; sed etiam quôcumque aliò mortali peccatô, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.*

Probatur nostra assertio ex Scriptura sacra: *Primò* quidem illis parabolis, quibus exemplô filii prodigi posteà in gratiam recepti, & stola prima donati; dragmæ perditæ & recuperatæ: ovis centesimæ errabundæ, quæsitæ & in ovile reportatæ, significatur hominem justum à gratia penitùs excidere, & per pœnitentiam in statum justificationis restitui.

Ut apertè constat plurimis S. Scripturæ oraculis.

Probatur secundò exemplis eorum, qui semel habitæ justitiæ jacturam fecerunt. Tales fuêre Angeli mali, primi Parentes, David, Petrus Apostolus, & Galatæ, quibus Paulus primô capite exprobat: *Miror quòd tam citò transferrêmini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium:* Et cap. 3. *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consumemini:* Et cap. 5. *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini à gratia excidistis.*

Probatur tertiò illis omnibus Scripturæ textibus, quibus significatur homines per peccatum mortale à gratia vivificante excidere, & in eam nonnisi per pœnitentiam restitui. Sic Ezechielis 18. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur; in prævaricatione quâ prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit in ipsis morietur.* 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri... regnum Dei possidebunt, & hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Quibus verbis significat Apostolus veros fideles posse à gratia excidere, loquitur enim de veris Fidelibus, ut constat ex posterioribus verbis: at falsum esset eos à regno Dei posse excidere, si eorum gratia esset inamissibilis.

Similia tradit Ephes. 5. ubi cùm dixisset: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia, nec nominetur in vobis;* hujus dicti hanc rationem profert: *Hoc enim scitote intelligentes quòd omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum serviens non habet hæreditatem in regno Christi & Dei:* Manifestum est autem quòd ibi loquatur fidelibus, quippe ait: *Eratis aliquan-*

do tenebræ, nunc autem lux in Domino: tamen illis præcipit, ut abstineant à vitiis, quæ ibidem enumerat; alioquin non habebunt hæreditatem in regno Christi: ergo censet Apostolus fideles posse committere vitia, & propter illa excludi à participatione hæreditatis cum Christo.

Denique probatur illis oraculis, quibus Scriptura monet justificatos ut sedulò sibi caveant à peccatis, ne à gratia & hæreditate æterna excidant: Sic Rom. 11. *Tu autem fide stas noli altum sapere, sed time.* Et ibidem: *Vide bonitatem Dei in te, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Et ad Philip. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et Apoc. 3. Episcopo justo dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Sed hæc omnia vana essent & inepta, si justi nusquam possent à gratia excidere: igitur id reverà possunt.

His adde quòd sanctus Augustinus lib. de hæresibus, Hæresi 82. & Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum inter illius hæretici errores computent: *Quòd gratiam sanctificantem in justis inamissibilem assereret.* Quapropter sanctus Augustinus lib. de dono perseverantiæ, cap. 13. disertè pronuntiat: *Ipsos quoque regeneratos alios perseverantes usque in finem hinc ire; alios quousque decedant hic teneri; qui utique non decidissent, si antequam laberentur hinc exissent.* Et rursus: *Quosdam lapsos quousque redeant non exire de hac vita, qui utique perirent, si antequam redirent exirent.* Igitur censet justos posse à gratia sanctificante excidere.

Objiciunt hæretici 1. illud 1. Joan. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat, & omnis qui peccat, non videt eum, nec cognovit eum, & omnis qui natus ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, nec peccare potest, quoniam ex Deo natus est.*

V.
Quô sensu S. Joannes dixerit justos non posse peccare.

Respondeo 1. id esse intelligendum in sensu composito, quòd scilicet non peccet secundùm quod natus est ex Deo, & semen illius in eo manet, & Deum novit, gratia enim non potest esse peccandi principium. Nam, inquit sanctus Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 21. *Charitas secundum quam ex Deo natus est, non agit perperam, nec cogitat malum: cùm ergo peccat homo, non secundùm charitatem, sed secundùm cupiditatem peccat, secundum quam non est natus ex Deo.*

Respondeo 2. præfatos textus posse intelligi de prædestinatis, qui non peccant usque in finem vitæ nec in perpetuum. Ita interpretatur sanctus Bernardus lib. de Libero Arbitrio: *Dictum est,* inquit, *de Prædestinatis ad vitam, non quòd omnino non peccent, sed quòd peccatum ipsis non imputetur, quia vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate absconditur.*

Respondeo 3. id posse intelligi de nativitate consummata & perfecta, qualis erit in gloria. Ita explicat sanctus Augustinus lib. de peccatorum meritis & remissione cap. 8. *Primitias itaque spiritûs nunc habemus,* inquit, *unde jam Filii Dei reipsà facti sumus, quia nondum salvi, ideo nondum pœne innovati, nondum etiam Filii Dei, sed filii sæculi. Proficimus ergo in renovationem justamque vitam per quod Filii Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filii sæculi sumus; per hoc enim & peccare adhuc possumus: ita fit ut qui natus est ex Deo, non peccet.* Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & in nobis veritas non est. *Consummatur ergo quod filii car-*

A *nis & sæculi sumus, & perficietur quod Filii Dei, & spiritu renovati sumus.* Et lib. de perfectione justitiæ cap. 18. eundem textum exponens, ait: *Secundùm id quod ex Deo nati sumus, & in eo qui apparuit ut peccata solveret, id est, in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quod interior homo renovatur de die in diem; secundùm autem quod de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus, quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatione, qua fit de die in diem, quoniam secundùm ipsum ex Deo nati sumus infirmitas tota sanetur.*

B *Objiciunt* 2. illud 1. Joan. 2. *Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum.* Igitur qui habent veram fidem & justitiam, non possunt ab ea excidere.

VI.
Et quosdam ex fratribus exiisse quia non erant ex eis.

Nego consequentiam: Siquidem contrarium potius ex præfato textu sequitur; significat enim Fideles & vera membra Ecclesiæ posse interdum ab ea deficere; hæc autem verba, *Non erant ex nobis, &c.* non significant quòd reverà non fuerint Fideles, & vera Ecclesiæ membra, sicut cæteri: sed quòd cæteris non fuerint similes, firmi scilicet & stabiles ac generosi Christiani; imò potius leves & inconstantes, quô loquendi modô dicitur 1. Machab. 5. *Ipsi autem non erant de se-*
C *mine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël;* id est, non erant fortes & constantes in bello, sicut Machabæi.

Objiciunt 3. illud 1. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Unde Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Et Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c.* Hinc sanctus Augustinus Epist. ad Julianum: *Charitas quæ deleri potest, nunquam vera fuit.* Igitur charitas quæ inseparabilis est à fide, vera est justitia, ubi semel habetur nusquam deperditur.

VII.
Quomodo charitas dicatur non posse deperdi.

D *Nego conseq.* Nihil enim aliud intendit Apostolus, quàm quòd charitas quantùm est ex parte temporis nescit occasum, quòdque illa perseverabit in justis adveniente æternâ fœlicitate, quando linguæ, prophetiæ & cætera dona cessabunt; non autem vult quòd illa nusquam per peccatum possit deperdi; hujus enim propositionis contrarium docet sanctus Joannes Apoc. 2. ubi Episcopo Ephesino Deus significat: *Habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

Ad *confirmationem* dico, per eos textus pariter
E non significari, quòd charitas per peccata non possit extingui, sed quòd tanta sit ejus vis & efficacia adversus tribulationes & persecutiones, ut nec calamitatum aquæ exundantes, nec tribulationum urgentes pressuræ possint ullatenus hominem charitate ferventem à Christo separare.

Ad *sanctum autem Augustinum*, dico præfata verba non reperiri in Epistola ad Julianum, quamvis illa ita citet & referat Gratianus. Reperiuntur equidem in librô de salutaribus documentis cap. 7. Verùm liber ille spurius est Augustini fœtus: & illius author quisquis ille sit, nihil aliud intendit, quàm significare, quòd amicitia quæ

ex loci vel consuetudine vel tempore & præsentia amici pendet, non sit vera & perfecta charitas, quia habet verum motivum charitatis, quod ab iis omnibus debet abstrahere, quô loquendi modô utitur sanctus Hieronymus Epist. 41. ad Rufinum; *Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit.*

Quæstio II.

An & qualiter homo possit esse certus de statu suæ justificationis?

I. Quadruplex est certitudo Fidei. Scientiæ. Moralis. Et conjecturalis.

N*Otandum primò*, nomine certitudinis hîc intelligi certitudinem cognitionis quæ nihil aliud est quàm firmitas & infallibilitas ipsius assensûs: hæc autem certitudinis notitia quadruplex solitò distinguitur, nempe fidei, scientiæ, moralis, & conjecturalis. *Certitudo fidei* est assensus ille firmus quô certò & sine ulla dubitatione rebus à Deo revelatis assentimur. *Certitudo scientiæ* est quâ intellectus firmiter assentitur alicui propositioni per demonstrationem ex aliis evidentioribus deductæ. *Certitudo moralis* est quâ assentimur rebus propositis propter communem hominum assertionem & notitiam, qualis est assensus ille quem habemus de ista propositione, Roma est in Italia, Jerosolyma in Palestina. *Certitudo* denique *conjecturalis* est quâ assentimur alicui rei propositæ ob conjecturas & argumenta quæ probabilitatem quidem inferunt, non tamen auferunt omnem dubitandi occasionem.

II. Justi non possunt habere certitudinem scientiæ de sua justificatione.

Notandum secundo, certum esse justos non posse ullam habere scientiæ certitudinem de sua justificatione; nam ejusmodi cognitio debet esse vel à priori vel à posteriori: neutro autem ex istis modis potest aliquis certò scire se esse in gratia. Non quidem a *priori*, quia nulla potest assignari causa ex qua infallibiliter inferatur quòd gratia habitualis sit in homine; quippe hæc pendet à beneplacito Dei, & illam etiam citra peccatum posset ab homine justo revocare. Non etiam à *posteriori*; quia nullum effectum gratiæ habitualis experimur in nobis, quô certò possimus deprehendere illam gratiam nobis inexistere. *Certum* est secundo justos omnes habere posse certitudinem conjecturalem de sua justificatione & signis quibusdam; atque conjecturis probabilibus cognoscere se esse in gratia, itaut illa certitudo, quamvis non excludat omnem formidinem, excludat tamen animi perturbationem & anxietatem: puta dum quis probabiliter arbitratur se exactè conscientiam suam examinasse & cum debitis ac requisitis dispositionibus absolutionem sacramentalem recepisse: nam, inquit S. Joann. 13. cap. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Certum denique est quòd per divinam revelationem specialem, & ex singulari privilegio possit homo habere certitudinem infallibilem sive fidei sive moralem de sua justificatione; Deus quippe potest quibus voluerit revelare, & de hoc statu certiores facere; quemadmodum Deipara Virgo hanc habuit certitudinem, dum Angelus eam salutavit gratiâ plenam: quam pariter certitudinem habuerunt S. Joannes Baptista qui Angelo nunciante repletus est Spiritu sancto in utero matris suæ, & paralyticus dum audivit; *Remittuntur tibi peccata tua*, nec-non & Magdalenâ Christo dicente; *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Unde solùm superest discutiendum an omnes justi certitudine aliqua fidei divinæ possint & debeant certò credere se esse in statu gratiæ justificantis.

III. Hi prætendunt & affirmant Lutherani & Calvinistæ.

Notandum tertiò, hæreticos hujus temporis asserere hominem non tantùm scire posse, sed certò credere debere se esse in gratia divina, alioqui nec justos esse nec fideles ea scilicet fide quâ existimant fideles justificari. Ita in primis docuit Lutherus, primùm quidem in thesibus publicis quas anno 1518. ante suam è Monasterio apostasiam, in quibus hæ propositiones erant. 13. *Usque ad infidelitatem errant qui remissionem culpæ incertam asserunt, propter incertitudinem contritionis.* Et 14. *Quantumlibet incertus sit tam Sacerdos quàm peccator de contritione, rata est absolutio, si credit se absolutum.* Et 15. *Certum est ergo remissa esse peccata, si credit remissa, quia certa est Christi Salvatoris promissio.* Et 16. *Absolutus per clavem potius debet mori, & omnem creaturam negare quàm de sua absolutione dubitare.* Et in collatione quam habuit cum Cardinali Cajetano inter cætera affirmat, *Neminem justificari posse nisi per fidem; sic scilicet ut necesse sit eum certa fide credere sese justificari & nullo modo dubitare quòd justitiam consequatur. Si enim dubitat & incertus est, jam non justificatur, sed evomit gratiam.* Cui subscribit *Melancton* in locis Theologicis de vocabulo *fidei*. Cùm Paulus inquit, *justificamur fide*, vocabulum *fidei* non tantùm historiæ notitiam significat, ut diaboli etiam norunt historiam seu dogmata; sed significat assentiri omnibus articulis fidei, & in his huic articulo; Credo remissionem peccatorum, & vitam æternam, non tantùm aliis dari, sed mihi quoque. Cum hoc assensu quo tibi credis remitti, cor erigitur fiduciâ promissæ misericordiæ, &c.

Hoc flagitiosum dogma innovavit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. num. 7. & in antidoto ad sess. 6. cap. 13. Concilii Tridentini ubi inter cætera ait, Sed quò meliùs tota eorum Theologia pateat lectoribus expendant quæ in eodem capite sequuntur verba. Sed neque illud asserendum, oportere eos qui verè justificati sunt, absque dubitatione apud seipsos statuere, se esse justificatos. Si ita est, videant quâ ratione conciliari queat fiducia cum dubitatione. *Et infra*: Et cujus obsecro improbitatis est ad asserere, nemo scire FIDEI CERTITUDINE potest se gratiam Dei consecutum? Paulus & Joannes inter Filios Dei non agnoscunt, nisi qui id sciunt. De qua scientia id interpretabimur nisi quam Spiritûs sancti Magisterio didicerint? Ipsi subscribunt omnes Sectatores quorum nomine hæc profert *Chamierus* librô 13. capite 1. numerô 4. ubi ait: Summa est eorum quæ nos hac parte docemus ejus duo capita. Prius fideles scire per fidem non tantùm …….. aliquos salvos fore, vel salvos futuros eos qui crediderint, sed etiam in particulari seipsos salvos futuros quia credunt ……… atque adeò hanc applicationem subministrare differentiam fidei verè justificantis à fide historica: quæ non aliter concipit quæcumque audit de Deo ejusque misericordia, quàm ut pro veris vel potiùs veracibus habeat; quod possunt etiam infideles plurimi: imò faciunt diaboli omnes. Alterum caput hanc scientiam conjunctam esse cum certitudine; cujus mensura sit non alia quàm fidei. His ita positis, sit

CONCLUSIO UNICA.

I. Sed negant omnes Catholici.

NEmo debet neque potest credere fide divina se habere gratiam sanctificantem absque speciali revelatione sibi facta ex aliquo singulari privilegio. Conclusio est de fide determinata in Concilio Trident. sess. 6. cap. 9. ubi damnando inanem fiduciam hæreticorum, simul etiam damnat omnem infallibilem certitudinem quam citra divinam revelationem aliquis de propria justificatione prætendere posset his verbis, *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit de sua gratia formidare & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Hinc Canone 15. decernit, *Si quis dixerit hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.*

B

Freti opertis Scripturæ S. oraculis.

Probatur primò ex Scriptura sacra. Proverb. 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato:* Si enim non potest istud dicere, multò minùs potest scire fide divinâ. Item ex illo Ecclesiastis: *Sunt justi atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo utrum amore aut odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Quem locum sic expendit S. Hieron. Porro inquit, hic sensus est, Etiam in hoc de-
„ di cor meum, & scire volui quos Deus diligeret;
„ quos odisset, & inveni justorum quidem opera
„ in manu Dei esse, & tamen utrum amentur à
„ Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambi-
„ guè fluctuare, utrum ad probationem sustineant,
„ quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur
„ scient, & in vultu eorum sunt omnia, id est an-
„ tecedit eos cùm de vita hac decesserint, veritas
„ istius rei; quia tunc est judicium, nunc certamen,
„ & quicumque adversa sustinent utrum per amo-
„ rem Dei sustineant, ut Job: an per odium ut
„ plurimi peccatores nunc habetur incertum.

C

Item ex illo Ecclesiastici 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, & ne dicas: Miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Denique ex illo ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui enim me judicat Dominus est.* Quibus Apostolus, juxta interpretationem sancti Chrysostomi, significat non esse satis ad certitudinem de propria justitia, quòd nullum in se peccatum animadvertat, siquidem Deus posset aliquod peccatum in illo deprehendere. Quòd si dixeris Apostolum, dum hæc scriberet habuisse divinitùs revelationem de sua justificatione: Reponam hoc dato quòd sensus Verborum istorum sit, *nihil mihi conscius sum*, sed id non sufficeret ut essem certus de mea justificatione, nisi Dominus qui judicat me aliunde id mihi notificasset.

D

II. Et authoritate SS. Patrum.

Probatur secundò authoritate sanctorum Patrum: *Primò* quidem Ambrosii sermone in Psalmum 118. super hæc verba: *Aufer opprobrium meum quod suspicatus sum:* ubi ait, *Volebat auferri opprobrium quod suspicatus est, vel quia cogitaverat in corde & non fecerat, & pœnitentiâ licet abolitum, suspectus tamen erat ne fortè adhuc maneret ejus opprobrium, & ideo Deum precatur ut illud auferat qui solus novit quod nescire potest etiam ipse qui fecit.* Aug. lib. de perfectione justitiæ, cap. 15. *Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid*

E

A *in illo quod ipse non videt inveniatur esse culpandum, cùm Rex justus sederit in throno cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est: Delicta quis intelligit?* Hinc lib. 50. homiliarum 55. disertè pronunciat: *Quandiu vivimus hic, de nobis ipsis nos ipsi judicare non possumus, non dico quid erat erimus, sed quid hodie sumus.* Ipsi subscribit S. Gregorius lib. 6. epistola 22. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ ad ipsum scripserat cupiens scire an sibi remissa essent peccata, inter cætera hæc respondet: *Rem mihi difficilem & tibi inutilem postulasti: difficilem, quia indignus sum cui revelatio immittatur à Deo: tibi inutilem, quia securitas negligentiam paris.*

III. Ac ratione Theologica.

Probatur denique ratione: Id tantùm fide credi potest, quod revelatum est sive per Scripturam, sive per Ecclesiam: sed neque per Scripturam, neque per Ecclesiam revelatum est homini justificato, quòd justus sit; si enim esset revelatum, maximè, vel in genere vel in particulari: Non in *genere*, alioqui omnes justi scirent se verè justificatos, quod falsum apparet; nam plurimi de sua justificatione & salute dubii sunt & anxii. Non etiam *in particulari*, quia si justorum aliquis nosset se esse in gratia, maximè per testimonium Spiritûs sancti inhabitantis, sed id non potest affirmari; nam cùm idem Spiritus habitet per gratiam in omnibus justis omnibus testaretur quod sunt Filii Dei; cujus tamen contrarium apparet.

VIII. Quodnat testimon Spiritus reddit fi ntus nostro.

Deinde, Justificatio non solùm dependet ex divina promissione & revelatione, sed ex nostra conversione & præparatione; atqui nemo potest esse certus quòd verè sit conversus ad Deum, quia nescit homo utrum conversio ista sit ex gratia, an ex concupiscentia; & , ut ait Gregorius 1. parte sui Pastoralis, cap. 29. *Mens humana sæpè sibi mentitur, & fingit de bono amare quod non amat.*

Confirmatur, nam ut dispositio ad justificationem sit valida & conversio perfecta, debet procedere ex motivo supernaturali; hoc autem nequit nobis esse certum; quia licèt nobis certum esse possit nos ad detestanda peccata moveri ex motivo supernaturali materialiter; nempe propter Deum offensum; incertum tamen est an ad id etiam moveamur motivo supernaturali formaliter, hoc est, per formam & gratiam divinitùs elevantem & excitantem; subindeque nemo potest esse certus se habere sufficientem dispositionem, ut justificationis gratiam consequatur.

Denique, non convenit ordinariæ Dei providentiæ & rerum dispositioni, nec hominibus expedit, ut homines certò credant se esse justificatos; illa namque certitudo esset illis occasio superbiæ, despectus cæterorum, & laxioris vitæ, superbiæ quidem & complacentiæ, si sciret se esse Deo gratum, despectûs verò cæterorum, si nempe sciret homo se esse justum, nesciret verò an alii pariter justi essent; tandem laxioris vitæ, quippe non curaret agere fructus dignos pœnitentiæ, nec in gratia proficere.

IV. Oracula Scripturæ quibus hæretici fruuntur errorem intelligunt de certitudine conjecturali.

Objicies 1. illud Joan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem:* ergo multò magis homo potest de seipso cognoscere, quòd Christi discipulus sit, si dilectionem habeat ad proximum. Et cap. sequenti: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Et posteà: *In illa die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, &*

vos in me, & ego in vobis: Igitur aliquis certò cognoscere, & fide divinâ habente fundamentum in Scriptura sacra credere potest se esse in gratia absque alia speciali revelatione.

Nego consequentiam, & ad *primum* textum dico, eum esse intelligendum de certitudine conjecturali; quia videlicet signum dilectionis Dei est dilectio proximi; unde Tertullianus in Apologetico, cap. 39. ait: *Maxima dilectionis operatio notum nobis inurit penes quosdam: Vide, inquiunt, ut se invicem diligunt*: hoc autem non potest facere certitudinem absolutam, quia sine speciali revelatione nemo scire potest an hæc dilectio sit ab effectu naturæ vel gratiæ.

Ad secundum dico, sensum illius esse quòd Fideles in quibus Spiritus sanctus inhabitat, eum cognoscant, non quidem cognitione sterili, qualis ea est quæ est ex fide informi; sed fructuosâ, qualis oritur ex fide viva: Porrò hæc cognitio duntaxat est conjecturalis, quis enim novit an opera bona quæ elicit, procedant ex fide viva, aut informi?

Ad tertium, dico cum sancto Augustino tractatu 75. in Joan. verba ista designare diem futuri sæculi & vitæ beatæ, in quo videbimus, & cognoscemus clarè & intuitivè, quòd Christus Dominus sit Filius ejusdem naturæ cum Patre, quódque ipsi tanquam membra capiti incorporemur.

VIII. Quodnam testimonium Spiritus S. reddit spiritui nostro.

Objicies 2. illud Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei*: At testimonium Spiritûs sancti est intelligibile, eique fide divinâ tenemur assentiri; unde sanctus Chrysostomus in hæc verba: *Cum Spiritus sanctus testatur, quæ tandem restat ambiguitas? nam si vel homo, vel Angelus, vel Archangelus, vel alia hujusmodi potestas hoc polliceretur, par conveniensque esset nonnullos sic dubitare: cùm autem summa essentia, & ea quidem quæ hoc largita est donum, nobis testimonium afferat, quis tandem de dignitate ambigat?* Igitur certitudo quæ ex tali testimonio in nobis causatur, infallibilis sit necesse est. *Hinc* sanctus Bernardus ser. 1. de Annuntiatione: *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc ut credas, quia per ipsum tibi peccata condonantur, hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens: Dimissa sunt tibi* PECCATA TUA.

Respondeo 1. verba Apostoli intelligenda esse de tota Ecclesia, cui Spiritus sanctus testatur, quòd habeat spiritum adoptionis; *tum quia* ibi confert Ecclesiam cum Synagoga, contendens Ecclesiam habere spiritum adoptionis, Synagogam verò habuisse duntaxat spiritum timoris: *tum quia*, in sequentibus significat aliquos ex iis, ad quos scribit, esse contentiosos & infirmos in fide, ut constat ex cap. 14.

Respondeo 2. quòd si hæc verba intelligantur de fidelibus in particulari, testimonium illud de quo loquitur Apostolus solùm fit per experientiam suavitatis & tranquillitatis conscientiæ, & per pios motus & affectus in Deum; per hoc scilicet quòd Fideles, qui se putant justos confidenter audeant dicere, *Abba Pater*: quæ omnia reperiri etiam possunt in hominibus non justis: nam hæc confidentia etiam ex præsumptuosa & erronea conscientia provenire potest. *Denique*, dico hoc testimonium solùm esse conditionale, ut constat ex his sequentibus verbis, *Si autem Filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen*

A *compatimur*: At incertum nobis est, si cum Christo, atque ejus exemplo & gratia vitæ præsentis calamitates forti & constanti animô patimur: Igitur, &c. Ad S. Bernardum dico ipsum ibi tantùm docere duo ista esse credenda. *Primum* quòd Deus habeat potestatem remittendi peccata: *alterum* quòd etiam habeat voluntatem nobis conferendi remissionem peccatorum mediis ab eo institutis. Sed non affirmat S. Bernardus, ista media nobis hîc & nunc applicari ut oportet, & secundùm omnimodam dispositionem quæ requiritur ad hoc ut remissio infallibiliter sequatur.

B *Objicies* 3. illud 1. Cor. 2. *Nos Spiritum Christi accepimus, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est & testimonium conscientiæ nostræ.* Et cap. 13. *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate: an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?*

Respondeo ad 1. Apostolum eò loci sermonem facere non de omnibus omnino justis, sed duntaxat de Apostolis. 2. Eum non loqui de gratia sanctificante; sed tantùm de mysteriis Christianæ religionis, nec-non & de beneficiis præparatis & concessis, atque etiam concedendis societati Electorum in genere, ut probant hæc sequentia verba: *Quæ & loquimur non in doctis* C *humanæ sapientiæ verbis.*

Ad 2. dico, hoc *testimonium conscientiæ* esse duntaxat conjecturale: nam, ut quis in Domino gaudeat, sufficit quòd habeat bonam fiduciam ad Deum. *Deinde*, Apostolus loquitur duntaxat de sua propria personâ: *Denique*, testimonium hoc non est de statu sanctitatis animæ, sed de simplicitate & sinceritate conversationis suæ in munere Apostolico obeundo; subdit enim quòd *non in sapientia carnis, sed in gratia Dei conversati sumus*, ubi vox *gratia Dei*, non solùm significat potentem Dei operationem sibi cognitam ex miraculis quæ patrabat, sed ex plurimorum ad fidem conversione.

D *Ad* 3. dico, Apostolum non loqui de præsentia secundùm gratiam habitualem, sed tantùm de præsentia Domini secundùm potentiam & miracula; ita ut sit sensus, Examinate conscientias vestras, utrum habeatis fidem veram de potestate Ecclesiastica, quam Christus Ecclesiæ suæ concessit. *Quòd* si velis intelligendum esse Apostolum de præsentia Christi per gratiam sanctificantem, *dico* ejus verba accipienda esse de cognitione morali & conjecturali: nec obstat vox ista reprobi: nam eò loci idem significat, ac viles atque degeneres facti, onde subdit: *Spero autem quòd cognoscetis, quia nos non sumus reprobi, id* E est viles, & authoritate destituti.

Objicies 4. illud 1. Joan. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et illud Apocal. 3. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* Et illud 2. Petri 1. *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: Igitur ex operibus bonis certi esse possumus de electione & vocatione nostra ad sanctitatem.

Respondeo 1. sanctum Joannem loqui *vel* de Ecclesia, seu ipso fidelium cœtu, ita quòd certi simus in Ecclesia Catholica esse homines, qui translati sunt de morte ad vitam, quia diligunt fratres: *vel* si intelligatur de fidelibus in particulari; inde sequitur tantùm, quòd id sciamus certitudine interdum morali, non autem fide divinâ

quis enim absque speciali revelatione nosse potest se diligere fratres, sicut oportet ad salutem?

Ad secundum dico, quòd qoi gratiam accipit significatam per illud manna absconditum, potest quidem nosse coojecturaliter se illam habere, non autem certâ fide, & absque ulla formidine.

Ad tertium dico, sensum illius loci non esse, quòd possimus per bona opera præsentis vitæ ita certam facere nostram vocationem & electinnem, ut talibus nperibus certi simus oos esse ex numero Electorum, sed quòd ex parte nnstra ita bonis operibus debeamus insudare, quatenus vitam æternam possimus prnmereri, & illam faciamus certam nostram vocationem cnram Deo.

Objicies quintò: Aliquis scire potest certitudine scientiæ, imò & fidei, alium esse in statu gratiæ sanctificantis: ergo poterit eâdem certitudine pari ratione se esse in statu gratiæ. Probatur antecedens: Certum est certitudine fide infantem verè & legitimè baptisatum esse in gratia habituali, quia de fide est baptismum conferre gratiam ex npere operatn: arqui pntest aliquis v. g. Sacerdos qui baptisavit infantem, scire se legitimè ipsum baptisasse, nempe adhibendo veram aquam elementarem & pronunciando hanc verborum fnrmulam; *Ego te baptiso, &c.* hæcqne omnia fecisse cum debita intentione faciendi quod facit Ecclesia, quæ tria sufficiunt ad legitimum baptismum. Certum pariter est infantem non posuisse obicem gratiæ sanctificanti, quippe libertatis & rationis non est compos, subindéque reverà pntest aliquis nnsse alium esse in statu gratiæ sanctificantis.

IX.
Qui sciri possit infantem recèns baptisatum esse in gratia, non verò adultum.

Nego consequentiam: Lnngè namque est disparitas inter statum infantis & adulti justificati, siquidem ex parte infantis nulla prærequirirur disposirin ad gratiam, sed duntaxat quòd baptismus ei legitimè conferatur; ad cujus collationem ex parte conferentis non requiritur aliquis actus supernaturalis, sed sufficit intentio naturalis actualis vel virtualis faciendi quod facit Ecclesia. Unde qni baptisavit, scire pntest se legitimè baptismum administrasse, quia omnia quæ desiderantur ad legitimam administrarionem baptismi purè naturalia sunt; videlicet ablutin, formula verborum & intentio Ministri. Secus est autem de adulto qui cùm sit rationis & libertatis compos, debet sese præparare ad suam justificationem, idque ex propria dispositione supernaturali mntivo elicita. Unde cùm ejus jnstificatin pendeat, tum ex tali dispositinne, tum ex voluotate alterius conferentis ipsi sacramentum; hioc est quòd cùm non possit certn scire se habuisse dispositionem ex motivn supernaturali, nec eriam nnsse, an qui sacramentum ipsi administravit, veram & legitimam habuerit intentionem, consequens est, qund hæc ipsi certa esse non possint, nec pariter certa esse potest ipsi propria justificatio.

Objicies sextò: Ecclesia non magis potest esse certa de Martyrio alicujus hominis, quàm ille qui istud passus est sed Ecclesia certa fide credit illum qui prn Christo mortem obiit reverà esse Martyrem, illumque sacris Sanctnrum fastis adscribit, & ut Sanctum à fidelibus credendum proponit: igitur & ipse Martyr certâ fide pntest credere, & cognoscere se habere gratiam sanctificantem

X.
Ecclesia potest esse certior de verò Martyrio alicujus, quàm ipse Martyr

Respondeo primò negandn majntem: Ecclesia namque in canonizatione Sanctorum specialem habet assistentiam Spiritûs sancti: est enim columna & firmamentum veritatis adversus quam portæ inferi, error videlicet & deceptio, sicut nec tyrãnis & persecutin nunquam prævalere poterunt, ut ipsa decipiatur ac dejiciatur. Secùs autem est de Martyre qui talem infallibilem Spiritûs sancti assistentiam nnn habet. Hinc est quòd plurimi hæretici existimant se mori prn Christo & reverà esse Martyres, cùm tamen prn errnre asserendo pertinaciter vitam fundant, nec subinde Martyru gloria & corona dnnentur.

Respondeo secundò, argumentum nullatenus adversus oostram assertionẽ militare: vel enim intelligitur nbjectin de Martyre qui adhoc tnrquetur, nec Martyrium consummavit: vel de Martyre jam consummato & mortuo. Si primum, certum est qund in eo statn ab Ecclesia nondum habeatur prn Martyre: plurimi namque in ipsis tormentis Christum ejurârunt, & à Christiana religinne & fide defecerunt. Si secundum; tunc Martyr certn novit se habere gratiam, quippe à Deo gloriosè coronatur, tuncque snlùm ab Ecclesia Sanctorum fastis adscribitur.

Objicies septimò: Quoties aliqua propositio particularis evidenter prnpnnitur vel deducitur ut contenta sub aliqua universali quæ est de fide, illius veritas certò credi pntest certitudine fidei aut saltem Theologica: at hæc propnsitio: *Sum in statu gratia sanctificantis*, evidenter deducitur ex multis principiis revelatis: igitur ejus veritatem certò credere pnssum. Major parer: ideo namqoe dom adsum sacrn, certa fide credo Christum esse in hostia consecrata quam adnrandam exhiber Sacerdns, quia hæc propnsitin: *Christus est realiter in hac hostia*, deducitur ex hac prnpnsitione de fide: Christus est realiter sub speciebus panis & vini legitimè cnnsecratis: at credn hanc hnstiam esse legitimè consecratam: ergo pariter mihi credendum est Christum in hac hostia esse realiter præsentem. Probatur minnr: Unum ex principiis revelatis est qund qui sacramentum baptismi vel pœnitentiæ recipit cum sufficienti dnlnre, consequitur peccatnrum remissionem: at potest aliquis certò experimentô cognoscere se cum debita dispositinne ad baptismum vel ad pœnitentiam accessisse; nempe cum debita intentinne & requisito affectu: igitur potest esse certus se gratiam esse cnnsecutum.

XI.
Nemo potest esse certus se habuisse veras dispositiones ad sacramentum dignè suscipiendum.

Nego min. Tum quia nemn potest esse certus se habuisse legitimam dispnsitionem ex motivn supernaturali: Tum quia certò nescit utrum qui administrat sacramentum, habeat veram & legitimam intentionem illnd conferendi, subindéque certus esse oeqoit otrum hæc propositio sit vera: ego legitimè ad verum sacramentum accessi.

Objicies 8. Potest quis esse certus certitudine infallibili de sua fide: igitur & de sua charitate quæ realiter est indistincta à gratia sanctificante. Consequẽtia videtur legitima; idcirco enim non pntest quis esse certus de sua gratia & charitate, qoia gratia & charitas sunt quid supernaturale, sed fides est etiam supernaturalis: ergn si hoc non obstante possit homo habere certitudinem infallibilem de sua fide, pari ratione poterit esse certus de sua gratia & charitate. Probatur major ex illo 2. ad Corinthios ultimô; *Vosmetipsos tentate si estis in fide.* In quem locum sanctus Anselmus ait: *Qui fidei sensum habet in corde, hic scit Christum Iesum in se esse.*

Confirmatur ex sanctn Augustinn lib. 13. de Trinitate cap. 1. *Suam quisque fidem in seipso videt.*

Item,

Item, *Quisque tenet fidem suam certissimâ scientiâ & clamante conscientia.*

Nego majorem, & ad primam illius probationem dico, sanctum Paulum, ut jam diximus, intelligendum esse de probatione per moralem certitudinem, ut etiam intelligitur illud 2. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.* Sicut enim hæc probatio tantùm fit per moralem quandam certitudinem quam habere debent de statu suæ justificationis qui accedunt ad sacram Synaxim; ita pariter illa probatio fidei fit tantùm per certitudinem moralem quam habere potest fidelis quisque se credere mysteria fidei ex fide divina; de qua pariter certitudine interpretandus est S. Anselmus.

Ad sanctum Augustinum, dico ipsum ibi non loqui de fide justificante & supernaturali; sed de omni actu fidei divinæ vel humanæ, quam quisque habere se experitur dum reverà novit se credere aliquid propter authoritatem vel Dei vel hominis proponentis ac revelantis; licèt nesciat an illa fides quâ credit, sit acquisita vel infusa: sic illa S. Doctoris verba tam Turcæ quam Christiano competere possunt, licèt enim ille falsa, hic vera credat, tamen uterque tenet fidem suam certissimâ scientiâ, & clamante conscientia.

Objicies denique: Nisi justus sit certus de sua justitia necessum est quòd ipsius conscientia semper fluctuanti trepidatione vexetur, nec usquam illa pace fruatur quam Christus dedit Apostolis, suisque Sectatoribus ac fidelibus: sed hoc est contra Apostolum dicentem Rom. 5. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*: Ergo, &c.

Nego majorem: Ad hoc enim ut perpetuo conscientiæ tumultu non vexetur justus quo in desperationem impellatur; sufficit quòd habeat certitudinem conjecturalem, quæ licèt non auferat omnem formidinem, aufert saltem anxietatem. Neque verò expedit justo ut de sua justitia sit securus: nam Proverb. 28. *Beatus qui semper est pavidus.* Hinc appositè monet Apostolus ad Philipp. cap. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Ex his collige, non posse hominem quantumlibet sanctum habere certitudinem moralem quæ omnem formidinem excludat, quòd sit in gratia, nisi ex speciali privilegio & singulari revelatione, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13. dicens, *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus; in jejuniis & castitate, formidare enim debent scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi cum gratia Dei.* Hinc est quòd viri sanctissimi licèt eximia pietate fulgentes ac plurimis miraculis ac stupendis operibus illustres, de salute sua tantopere formidârunt ut ipse S. Hilarion etiam in instanti mortis hoc vehementi timore perculsus, coactus fuerit dicere animæ suæ; *Egredere anima mea quid times? septuaginta annis servisti Domino & mortem times?*

QUÆSTIO TERTIA.

Quale & quantum sit Justificationis beneficium?

Status quæstionis.

TRIA maximè proponuntur hîc resolvenda: *Primum* quidem, an justificatio reverà sit opus miraculosum, idque maximum inter divina opera: *Secundum*, an fieri possit in instanti. *Tertium* denique, an sit æqualis in omnibus justis. Quæ ut faciliùs resolvantur.

I. Duo requiruntur ut opus aliquod sit miraculosum.

Notandum primò, ad miraculum duo maximè requiri: Primum quidem, ut sit opus insolitum & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo: Secundum autem, ut fieri non possit per causas naturales propriis viribus agentes. Certum est autem primam ex illis conditionibus justificationi deesse ordinariè; quippe justificatio hominum fit quotidie per administrationem sacramentorum, tanquam per media à Deo ordinata ad ipsam conferendam, & apud nos communi ac frequenti usu recepta. Dixi *ordinariè*; contingit enim interdum quosdam peccatores insignes vocari & justificari modô insolitô & extraordinariô, qualis fuit conversio Magdalenæ, Latronis pœnitentis, & Pauli; de quibus hîc non est sermo; agimus enim duntaxat de justificatione ordinaria, quæ fit per media communia à Deo instituta, & apud nos usitata. Quæ utique justificatio comparari potest cum creatione, glorificatione, incarnatione, & transsubstantiatione, quæ videntur esse maxima Divinitatis opera, ac subinde determinandum est, an ipsis præclaris Dei operibus justificatio præstantior sit, vel inferior. Potest autem alicujus operis magnitudo ex modo agentis, & productionis, vel ex dignitate & præstantia rei productæ. Videndum est itaque, an utrôque modô justificatio cæteris Dei operibus præstet.

II. Justificatio considerari potest duobus modis.

Notandum secundò, justificationem spectari posse, *vel* quatenus est transitus à statu peccati ad statum gratiæ, comprehenditque ultimam dispositionem ad infusionem gratiæ sanctificantis: *vel* quatenus complectitur omnes alias dispositiones remoras, quas refert Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. Difficultas autem est an utrôque modô spectata justificatio fieri possit in instanti.

III. Jovinianus prælusit hæreticis hujus temporis circa æqualitatē peccatorum.

Notandum tertiò, hunc flagitiosum fuisse Joviniani errorem; qui, sicut referunt sanctus Hieronymus lib. 2. adversus ipsum, & Augustinus Epist. 29 existimabat cum Stoicis, omnes virtutes esse pares, & omnia vitia & peccata esse æqualia; ac subinde non posse unum peccatorem esse alterô pejorem, nec unum justum alterô justiorem. Quem utique pessimum errorem jampridem sepultum denuò ab inferis suscitavit Lutherus; idque primò in concione, quam habuit de nativitate beatæ Virginis, in qua hanc impietatem proferre ausus est: *Omnes Christiani æquè magni sumus, sicut Mater Dei, & æquè Sancti sicut ipsa.* Cui omnes postmodum errantes, maximè Calvinistæ subscripserunt. Hinc Wendelinus in sua Calvinistica Theologia lib. 1. cap. 24. ait: Æqualitas justificationis est quâ Christi justitia per fidem apprehensa omnibus a Deo æqualiter imputatur; etiamsi aliorum fides robustior, aliorum imbecillior est; nam, ut addit Scarpius de justificatione, Controversia 4. fides etiam infirma Christum totum cum suis beneficiis apprehendit, quæ assertio quàm sit erronea, quàmque Scripturæ S. adversaria, infrà patebit.

Conclusio Prima.

Justificatio peccatoris est reverà opus miraculosum: idque majus Creatione: non verò Incarnatione aut Glorificatione. Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum

IV. Justificatio est opus miraculosum.

Probatur prima. Illud opus censetur miraculosum, quod solâ divinâ virtute fieri potest præter naturæ ordinem, & naturalium causarum exigentiam: at talis est justificatio; fit enim à solo Deo, Deus enim est, qui justificat gratiam habitualem largiendo, & peccata dimittendo. Est etiam præter causarum naturalium exigentiam, earumque vires excedit; quia Deus ex præscriptis divinæ Providentiæ legibus, nullâ ratione tenetur peccatori veniam dare: ad id enim teneretur vel ex justitia, vel ex fidelitate, vel ex Providentiæ administratione: at neutro ex capite repeti potest tale debitum. Primò namque, Deus id non debet *ex justitia*; quia justitia divina peccatori oihil aliud, quàm pœnam & ultionem inferre tenetur; omne enim peccatum pnniatur necesse est, vel ab homine pœnitente, vel à Deo vindicante. Non etiam ad id teneтur *ex fidelitate*; quia fidelitas in exequendis, supponit promissionem: nullibi autem Deus promisit peccatori gratiam justificationis, sed duntaxat homini pœnitenti. Non denique ex *Providentia naturalis administratione*, justificatio namque non ordinatur ad finem naturalem, sed supernaturalem; & subinde non comprehenditur intra lineam naturalis divinæ Providentiæ, quæ concurrit cum causis secundis, ipsisque necessaria subministrat quibus finem suum naturalem possint assequi: igitur justificatio est opus omnino præter naturæ debitum & vires, subindeque est opus miraculosum.

V. Idque longè mirabilius quàm creatio.

Probatur etiam 2. pars, nempe quòd justificatio sit majus opus ipsâ creatione & transsubstantione: Tum quia justificatio impii fit non solùm ex nihilo, sicut & ipsa creatio, sed præterea fit plerumque etiam priùs reluctante humanâ voluntate: ut creentur enim homines, nulla ad id opus est eorum voluntate; ut verò justificentur, necessum est voluntariè cum Deo operentur: unde illud tritum sancti Augustini, ser. 14. de verbis Apostoli: *Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te:* Tum quia creatio terminatur tantùm ad bonum naturale; justificatio autem ad bonum supernaturale: Tum denique quia Christus Dominus id testatus est his verbis. *Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*: nam, inquit ibidem sanctus Augustinus, *plus est justificare impium, quàm creare cœlum & terram*: unde majora his facit quisquis ad suam aut alterius justificationem concurrit.

Deus maximè mirabilis apparet in justificatione peccatoris.

Nec id revocabit in dubium quisquis audierit S. Thomam 3. quæst. 113. art. 9. ad 2. dicentem: *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius Universi.* Hinc Ecclesia prædicat præclariùs divinam omnipotentiam enitere in conversione peccatori[s], quàm in creatione mundi; ait enim in Collecta Dominicæ 8. post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas, &c.* Cujus ratio in promptu est; homo namque in justificatione accipit aliquod esse divinum, & in Filium Dei adoptatur ac consecratur. Quod utique adeo mirabile ac stupendum est, ut meritò S. Chrysologus ferm. 66. & 68. exclamet: *Stupent Angeli, miratur cælum, pavet terra, caro non fert, auditus non capit, non attingit mens, tota sustinere non potest creatura, æstimare non sufficit, credere pertimescit.*

Quæ est omnium ejus mirabilium operum Synopsis.

Nec abs re quidem; peccatoris namque justificatio est omnium veluti Dei mirabilium operum synopsis, & encyclopedia; quippe illa omnia æmulatur & adumbrat. Magna procul dubio Deus olim fecit mirabilia, quæ Regius Propheta enumerat Psal. 135. dicens: *Qui facit mirabilia magna solus, qui fecit cœlos in intellectu: qui firmavit terram super aquas: qui fecit luminaria magna, solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis; qui percussit Ægyptum cum Primogenitis eorum: qui eduxit Israël de medio eorum in manu potenti & brachio excelso: qui divisit mare rubrum in divisiones, qui percussit petram, & fluxerunt aquæ, &c.* Hæc omnia quotidie renovat in justificatione impii. Ibi cælos facit in intellectu, qui terrenos olim & irrationales peccatores facit cœlestes & rationales. Ibi firmat terram super aquas, qui ex lacrymarum fluentis cordis in bono firmitatem operatur. Hic luminaria magna creat, qui lucem gratiæ è tenebris peccatorum eruit. Hîc percutit Ægyptum, & filios Israël eruit à captivitate Pharaonis, qui peccatores à miserabili liberat dæmonis servitute. Hîc mare rubrum dividit & Pharaonem, omnemque exercitum ejus aquis immergit, qui insurgentes affectuum inordinatorum fluctus comprimit, & omnes iniquitates nostras in profundum maris suæ infinitæ misericordiæ projicit. Hîc petram in stagna aquarum convertit, qui ex durissimo corde lacrymarum fontes elicit. Denique justificationi impii istud Poëtæ meritò adoptari potest: *Non alibi miranda magis.* Illa enim opus est humanæ intelligentiæ impervium, mysterium in Deo absconditum, secretum horroris, sacramentum pavoris Sanctorum, & ænigma sacratissimum & obscurissimum, quod nulla humani ingenii solertia aperire potest; ut optimè observat Gonetus.

Minus tamen quàm glorificatio.

Probatur 3. pars; nempe quòd justificatio sit minor glorificatione & incarnatione. Est quidem inferior ipsa glorificatione ex parte rei productæ, quia justificatio est solùm ad gratiam inchoatam; glorificatio verò ad gratiam consummatam. *Deinde* justificatio labilis est, & perire potest; glorificatio autem constans est, & inamissibilis. *Denique* justificatio semper proficere potest, ut mox dicemus; subindeque non habet in hac mortali vita statum & coronidem perfectionis; secus verò est de glorificatione: *Nam*, inquit sanctus Paulus, *cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Et Incarnatio.

Est etiam inferior Incarnatione; quia justificatio est solùm unio accidentalis inter Deum & hominem: Incarnatio est substantialis unio & personalis. *Deinde*, Incarnatio etiam includit gratiam habitualem, & addit unionem hypostaticam in persona divina, quæ est fons omnis gratiæ, de cujus plenitudine oos omoes accepimus. *Denique*, Incarnatio ipsa includit quidquid est perfectionis in beatitudine, & subinde cùm glorificatio sit præstantior justificatione, etiam ex hac parte Incarnatio præcellit. Idem constat de transsubstantiatione, quia transsubstantiatio per se terminatur ad corpus & sanguinem Christi, & consequenter includit omnia, quæ spectant ad terminum Incarnationis, igitur hâc ratione major est justificatione. *Deinde*, transsub-

ſtantiatio efficit præſentiam Chriſti Domini in adorando Euchariſtiæ ſacramento, qui in eo fons eſt totius gratiæ, & divinorum chariſmatum, quæ largiter effundit in eos omnes, qui ſacramentum hoc dignè ſuſcipiunt: fons autem gratiæ, longè cenſetur eſſe quid præſtantius ipsâ ſimplici gratiæ infuſione, quæ fit per juſtificationem.

Conclusio Secunda.

VII.
Quomodò juſtificatio fiat, & non fiat in inſtanti.

JUſtificatio Impii quatenus connotat tranſitum à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ ſanctificantis, fieri poteſt in inſtanti, ſecus vero prout etiam comprehendit omnes diſpoſitiones hominis juſtificandi. Utraque pars hujus Cooclusionis facilè conſtat. *Prima* quidem, quia non major eſt difficultas, ut Deus largiatur gratiam ſanctificantem peccatori eodem inſtanti quo ipſe peccatum ſuum deteſtatur, vel per Contritionem, vel per Attritionem junctam ſacramento Pœnitentiæ, quàm quòd eam concedat homini juſto: at homini juſto poteſt augmentum gratiæ conferre in inſtanti: ergo etiam & peccatori eam largiri. Minor conſtat. Quemadmodum enim Deus creando Angelos ſimul condendo naturam addidit & gratiam; ita quòd gratiâ donati fuerint Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, ut communiter docent omnes Theologi: ſic etiam augmentum gratiæ largitur eodem inſtanti quô juſtus aliquis bonis ſuis operibus illud prometitus eſt. Major probatur: ſi quid enim obeſſet quominùs Deus gratiam ſanctificantem unà cum peccatorum remiſſione concedere poſſet in inſtanti, maximè quia peccatum ſimul cum gratia ſtare videretur in eodem inſtanti intrinſeco: ſed id non eſt conſequens, ſiquidem primum eſſe gratiæ eſt ultimum eſſe peccati; nec alia ratione peccatum & gratia cenſeri poſſunt ſimul exiſtere quàm duæ formæ ſubſtantiales, quarum una deſinit, alia incipit eſſe in ſubjecto; ſed duæ formæ ſubſtantiales hac ratione non dicuntur ſimul ſtare, quia primum eſſe unius eſt ultimum eſſe alterius: ergo neque peccatum & gratia propterea ſimul ſunt.

Secunda pars etiam patet: experientiâ namque conſtat non-niſi per aliquod temporis ſpatium poſſe omnes adhiberi diſpoſitiones ab homine peccatore quas requiri docet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. nempe fidem, ſpem, timorem, peccatorum deteſtationem, propoſitum inchoandæ novæ vitæ, & ſervandorum Dei mandatorum, qui omnes actus fieri non poſſunt in inſtanti.

Conclusio Tertia.

VIII.
Non omnes juſti æqualem habent ſanctitatem.

NOn omnes juſti æqualem juſtitiam habent, ſed unus eſt altero ſanctior & juſtior.

Probatur *primò* ex ſcripturis Matth. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* 2. Corinth. 9. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtra.* 1. Petri 3. *Creſcite in gratia.* Apoc. ultimo. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* *Secundò* ex Concil. Tridenti. ſeſſ. 6. cap. 10. & canon. 24. nec-non ex condemnatione, Joviniani teſtibus etiam ipſis SS. Hieronymo & Auguſtino ſuprà. *Tertiò* ex S. Aug. Epiſtolâ ad Dardanum qu. 1. *In ſanctis*, inquit, *ſunt alii aliis feliciores abundantiùs habentes habitatorem Deum.* *Quartò* denique quia dabitur inæqualitas gloriæ in cœlo: ergo datur inæqualitas gratiæ in terra, quia gloria ſuccedit gratiæ, & gratia eſt ſemen gloriæ. Antecedens eſt Chriſti Domini Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multa ſunt:* Qui plura deſiderat, recurrere poterit ad priorem diſputationem, ubi ſermo fuit de augmento gratiæ habitualis.

APPENDIX.

De Merito bonorum operum.

Diſtributio hujus articuli.

PRimarius gratiæ ſanctificantis fœtus & fructus ſunt ipſa bona juſtorum opera, quibus æternam vitam ut præmium & mercedem promerentur. Hinc ut ſuſcepto de divina Gratia tractatui coronidem imponamus, neceſſum fuit ut poſt explicatas & reſeratas illius divinæ gratiæ fœcunditatem & præcellentias, aliquid etiam de operibus meritoriis delibaremus: quocirca quatuor ſequentes proponemus quæſtiones enucleandas. Primò quidem an & quid ſit meritum bonorum operum. 2. quotuplex. 3. quas conditiones requirat. 4. quid homo juſtus ſibi mereri poſſit.

Quæstio Prima.

An & quid ſit Meritum bonorum operum?

I.
Meriti nomen quatuor modis accipitur.

NOtandum primò meriti nomen in Scripturis ſacris quatuor modis uſurpari. *Primò* namque accipitur interdum in bonam, interdum in malam partem, dum bonis & malis operibus aliquid tribuitur; nam illa retributione præmii, hæc retributione pœnæ digna ſunt. Bonis quidem operibus tribuitur meriti nomen Eccleſiaſtici 16. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum*: malis verò operibus idem meriti nomen adſcribitur, 2. Paralipomenon 19. *Iram Domini merebaris.* Et Job 6. *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui.* *Secundò* meriti nomen in bonam partem uſurpatum, generaliter extenditur ad id omne opus, cui reſpondet aliquod præmium ſive ex dignitate operantis, ſive ex liberalitate largientis: quâ ratione non ſolùm infantes recèns baptiſati dicuntur mereri regnum cœlorum; & Eccleſia in benedictione cerei Paſchalis ait. *O fœlix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Tertiò ſtrictiùs uſurpatur meriti nomen ad ſignificandum interdum ipſam mercedem promeritam; qualiter apud ſanctos Patres cœleſtis gloria & æterna fœlicitas dicitur meritum bonorum operum, paſſivè ſcilicet; quia nempe eſt merces & corona ipſorum bonorum operum. *Denique* ſtrictiſſimè ac propriiſſimè uſurpatur meriti nomen, quatenus ſignificat actionem liberam ordinatam ad præmium ſibi repromiſſum, vel ex dignitate perſonæ operantis, vel ex ipſa operis præſtantia, vel ex congruitate aut juſtitia præmiantis. Hinc triplex ſolitò diſtinguitur meritum. Primum cui debetur ex rigore juris præmium quod idcirco vocatur meritum *de rigore juſtitiæ.* Secundum cui præmium debetur ex juſtitia propter dignitatem operis, appellaturque meritum *de condigno.* Tertium denique illud eſt cui præmium ex decentia & congruentia & liberalitate præmiantis confertur quod idcirco appellatur *meritum de congruo.*

II.
Quantùm meriti nomen hæreticis ſit exoſum.

Notandum ſecundò, meriti nomen hac in quarta & ultima acceptione adeò exoſum eſſe hæreticis hujus temporis, ut Calvinus lib. 3. inſtitutionum

cap. 15. scribere non dubitaverit quòd quicumque primus illud operibus humanis ad judicium Dei comparatis aptavit, ille fidei sinceritati pessimè consuluit; quocirca ibidem nomen hoc fastuosissimum appellat. *Certò* inquit, *ut est fastuosissimum, nihil quàm obscurare Dei gratiam & homines prava superbia imbuere potest.* Existimat enim impudentissimus ille hæresiarcha nos quidquam apud Deum nostris operibus non posse promereri; ait enim ibidem: Bonorum operum laudem non, ut Sophistæ faciunt, inter Deum & hominem partimur: sed totam integram ac illibatam Domino salvamus. Tantum hoc homini assignamus quod ea ipsa quæ bona erant, sua impuritate polluit & contaminat: nihil enim ab homine erit quantumvis perfecto quod non sit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in judicio quæ in humanis operibus optima sunt, suam in illis quidem justitiam agnoscet, hominis verò dedecus & probrum. Placent itaque Deo bona opera, nec suis autboribus sunt infructuosa. Quid magis? amplissima Dei beneficia remunerationis loco statuit, non quia ita merentur, sed quia divina benignitas hoc illis ex seipsa præmium statuit. Ex quibus colligere est quòd sentiat Calvinus bona nostra opera non sui dignitate, sed ex Dei liberalitate mercedem & præmium nobis comparare.

III. Qua ratione Deus possit esse hominis debitor.

Notandum tertiò, quòd etsi absolutè Deus respectu creaturæ non sit dicendus debitor: quippe nihil est in nobis quod ipsius divinæ omnipotentiæ & munificentiæ non sit opus; attamen ex bonitate & fidelitate sese nostrum debitorem constituit; seu, ut loquitur S. Augustinus in Psalm. 109. *Deus fecit se nobis debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.* Et ser. 151. de tempore, *Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogantia nostra. Quid ei dedimus ut eum debitorem teneamus?* Concinit S. Cyprianus lib. de opere & eleemosyna in fine: ubi de vero Misericorde ait: *Promeretur Christum judicem, Deum sibi computat debitorem.* Et Fulgentius in prologo in Paulum ad Monimum. *Suâ largitate dignatus est se facere debitorem.* Et Bernard. lib. de gratia & libero arbitrio: *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.* Cùm enim Deus sit *fidelis & verax*, Apocal. 19. *Verax* quidem in promittendo, *fidelis*, promissa implendo: inde est quòd ubi promisit aliquid, ex veritate & fidelitate tenetur illud implere: & subinde cùm spoponderit pluribi se daturum vitam æternam dignè sacramenta suscipientibus, & implentibus divina mandata, nemini dubium esse debet quòd ubi homo illa præstitit, Deum sibi debitorem habeat. His ita præmissis, duo nobis supersunt determinanda. *Primum*, an reverà opera bona ab homine justo elicita aliquid promereantur. *Secundum*, quæ sit meriti definitio & natura.

Conclusio Prima.

IV. Homo suis bonis operibus potest aliquid apud Deum mereri.

Reverà justus per sua bona opera potest aliquid à Deo verè & propriè mereri. Hæc enim est de fide determinata in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. his verbis: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino, non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, & nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem: atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa; & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Hinc Canone 32. ita decernit: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

Probatur 1. ex S. Scriptura.

Probatur 1. hæc veritas variis Scripturæ sacræ oraculis. Primò quidem illis omnibus, quibus asseritur Deum bonis justorum operibus retribuere mercedem, nam merces & meritum sunt correlata: Sic Genesis 15. Deus Abrahamo spondet: *Ego ero merces tua.* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Ecclesiastici 13. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quia apud Dominum est merces bonorum operum.* Matthæi 5. *Merces vestra copiosa est in cælis.* 1. ad Corinth. 5. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Item ex eis textibus in quibus Deus dicitur reddere seu retribuere homini secundùm opera sua. Sic Psalmo 61. *Tu reddes unicuique secundùm opera sua.* Idem habetur Matthæi 16. & 25. & Rom. 2. Reddere autem unicuique secundùm opera sua, est reponere præmium bonis operibus debitum. *Item* ex his locis in quibus dicitur justos facere aliquid dignum apud Deum; quæ certè dignitas alia non est quàm operum quæ digna sunt mercede atque præmio. Sap. cap. 3. *Deus tentavit eos & invenit eos dignos se.* Ad Coloss. 1. *Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* 2. ad Tessalonicenses 7. *Vt digni habeamini regno Dei.* Denique ex illis locis in quibus habetur expressè quòd Deus reddit mercedem bonis operibus tanquam meritis. Sic Ecclesiastici 16. Misericordia facit unicuique locum secundùm meritum operum suorum. Ubi licèt in textu Græco non habeatur secundùm meritum operum, sed secundùm opera, major tamen habenda est ratio Vulgatæ quæ ab exemplaribus Græcis correctioribus, quàm nunc sint, desumpta est, & sola est authentica, & sine dubio verum Scripturæ sensum exprimit. Nam idem est facere alicui locum secundùm opera ejus, & facere illi locum secundùm meritum operum. *Si enim ex operibus, jam non est gratia.* Rom. 11. Et, *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Rom. 4.

2. Ex Conciliis.

Probatur 2. ex Concilio Arausicano, Canone 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant.* Lateranensi sub Innocentio III. & refertur cap. firmiter. *Per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire* Florentino in decreto unionis Græcorum; ubi de Purgatorio docet illorum etiam animas qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt

purgatas in cœlum mox recipi & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.

PROBATUR 3. ex Cœlestino Papa Epist. ad Episcopos Galliæ cap. 12. *Tanta* inquit, *erga homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, atque pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus.*

5 Ex Patribus.

PROBATUR 4. ex Patribus: Cypriano epist. 56. & lib. de unitate Ecclesiæ his verbis: *Accipiunt merita nostra mercedem.* Hilario Canone 9. in Matthæum. Ambrosio in cap. 17. Luc. & sermone 7. in Psalm. 118. ubi de justo loquens ait, *Scit sibi regnum cœlorum, Angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum.*

Et S. Augustino Epistola 105. *Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane quia justi sunt.* Et postea: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Et postea: *Quod est ergo meritum ante gratiam? quo merito percipit gratiam, cùm omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua?* Unde lib. de gestis Pelagii cap. 14. lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 6. *Cum data fuerit gratia, incipiunt etiam esse merita nostra bona, per illam tamen, nam si sese illa subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio.* Et posteà, *Considerans illa Apostoli verba, Bonum certamen certavi, cursum consummavi, &c.* subjungit: *Ista utique jam merita sua bona commemorat, ut post bona merita consequatur coronam qui post merita mala consecutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur, Superest, inquit, mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Cui coronam redderet justus judex si non donasset gratiam misericors Pater? &c.* Et cap. 7. *Si ergo Dei dona sunt bona merita, tua non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Et serm. 18. de verbis Apostoli cap. 5. *Cùm Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua.*

His subscribit sanctus Prosper in responsione ad caput 6. Gallorum *Justificatus*, inquit, *homo accepit donum quò mediò acquirat & meritum.* Et S. Bernard. serm. 68. in Cantica, *Merita*, inquit, *habere audes, habita data noveris, perniciosa paupertas, penuria meritorum.*

VI. 4 Ex ratione.

Adstipulatur etiam ratio; Ibi enim datur locus merito, ubi locus est justitiæ; atqui inter hominem & Deum datur justitiæ locus, non quidem secundùm absolutam æqualitatem, sed secundùm proportionem quandam, inquantùm scilicet uterque operatur secundùm modum suum; Deus quidem ordinando hominem in ultimum finem, homo verò agendo secundùm ordinationem Dei.

Objiciunt hæretici, varios Scripturæ textus, quibus probare nituntur, primò omnia nostra opera esse immunda: Sic Isaiæ 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos: & quasi pannus menstruatæ universa justitia nostra:* ergo tantùm abest, ut opera nostra aliquid mercedis apud Deum promereantur, imò divinam indignationem provocant. Secundò quòd omnia opera nostra sint inutilia: Sic Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia servi inutiles sumus.* Tertiò quòd vita æterna detur tanquam hæreditas nobis ut filiis ex misericordia & gratia: igitur non propter bona opera. Patet antecedens ex illo Isaiæ 55. *Omnes sitientes venite ad aquas: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione.* Item ex illo ad Rom. 8. *Si Filii & hæredes, hæredes quidem Dei. Consequentia* etiam apparet vera ex illo Rom. 11. *Ei autem qui operatur merces imputatur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum;* & consequenter cùm vita æterna nobis gratis conferatur, evidens est, quòd non detur propter merita.

Respondeo, hos omnes contextus Scripturæ sacræ nobis non adversari. Non quidem *primus*: nam, ut fatetur etiam Calvinus, mens Isaiæ solùm est referre querimoniam Judæorum, qui in exilium missi iram Dei in se sentiebant, non verò agit Propheta de universo humano genere. Vel dico cum sancto Hieronymo, ibi duntaxat sermonem institui de Judæis; quorum justitiæ, hoc est sacrificia, observationes, & cæremoniæ legales quæ tum ibi; tum alibi sæpè in Scriptura vocantur justitiæ, adveniente Christo reputatæ sunt immundæ: propterea quòd Judaicus populus tunc temporis multa perperam contra legis mandata adjiciendo, divinam iram provocabat, Deumque labiis tantùm & externo ritu honorabat. Cui explicationi favet textus: nam caput, unde verba præfata deprompta fuere, totum est de adventu Messiæ; sic enim incipit: *Utinam disrumperes cœlos, & descenderes:* Et posteà, *Descendisti, & à facie tua montes defluxerunt.* VII. Quo sensu Isaias dixerit omnes nostras justitias esse immundas.

Ad secundùm textum, dico illius loci triplicem esse sensum: quorum *Primus*, quòd simus servi inutiles, quia nihil ad vitam æternam utile facimus secundùm conditionem naturæ & nativitatis humanæ, sed secundùm beneficium gratiæ & adoptionis divinæ. Ita explicat sanctus Ambrosius lib. 8. in Lucam: *Ergo*, inquit, *agnosce te esse servum plurimis obsequiis defœneratum, non te præferas, quia Filius Dei diceris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura.* Secundus sensus, quòd simus servi inutiles respectu Dei, qui bonorum nostrorum non indiget, licèt simus utiles respectu nostri, quia quidquid boni facimus per observationem mandatorum, cedit in commodum & utilitatem nostram; ita hunc locum interpretatur Beda. *Tertius* sensus est, quòd simus servi inutiles, juxta communem modum loquendi, quo solemus appellare servum inutilem eum, qui nihil ex se facit, sed tantùm ea præstat, quæ imperantur, quæ interpretatio quadrare videtur menti Christi Domini, subjungit enim, *quod debuimus facere fecimus.* VIII. Triplici ratione justi bona facientes dicuntur servi inutiles.

Ad tertium dico, quòd licèt æterna vita detur ex gratia; tamen datur ut merces; quia ut rectè dixit Concilium Arausicanum Can. 18. *Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* IX. Æterna vita datur gratis & nihilominus in mercedem.

Objiciunt secundo: Servus non censetur aliquid mereri, quando id omne quod exequitur solvere debet, ut debitum obsequium Domino suo: sed homines qui servi Dei sunt, Deo debent id omne quod in ejus honorem & obsequium impendunt: igitur hôc titulô nihil merentur.

Respondeo primò, negando majorem; tum quia, servus per obsequium impensum Domino suo, meretur quæ sibi necessaria sunt ad victum & vestitum; juxta illud Cor. 9. *Non alligabis os bovi trituranti.* Tum quia quando Dominus convenit cum servo de mercede, tunc servus per obsequium vi pacti atque promissionis, potest aliquid promereri: Deus autem convenit cum hominibus de fœlicitate æterna tribuenda servantibus divina mandata & aliquid pro Dei gloria facientibus aut patientibus. X. Servus per obsequia etiã aliunde debita mereri potest.

Respondeo secundò, quòd homines nedum sint servi Dei, sed filii adoptivi, & donati libertate, quam nobis promeruit Christus; subindéque eâ libertate possunt aliquid apud Deum promereri per bona sua opera.

Objiciunt tertiò: Cùm Christus meruerit nobis vitam æternam, vel ipsius meritum nobis sufficit ad eam obtinendam, vel non. Si sufficit, merita nostra superflua sunt: si non sufficit, insufficiens fuit ejus oblatio ad salutem nostram, quod asserere impium est & blasphemum.

XI. Nostra merita non officiunt merito Christi.

Respondeo, Christi meritum esse sufficientissimum, nec ullatenus per cooperationem meritorum nostrorum ejus sufficientiam imminui; sed duntaxat applicari; quemadmodum enim vis agendi creaturatū in operibus naturalibus non arguit insufficientiam omnipotentiæ divinæ, sed magis eam demonstrat ac notificat, aperiendo videlicet qualiter Deus non solùm creaturæ dederit esse, sed & operandi virtutem communicaverit; ita vis justorum meritoria atque cooperatio arguit potius sufficientiam & excellentiam meritorum Christi, qui non solùm potuit justis concedere esse supernaturale, sed & virtutem operandi supernaturaliter ac merendi.

Adde quòd sicut sufficientia bonorum Christi operum, orationis, dilectionis, abstinentiæ, & aliorum non excludit fidem nostram, orationem, dilectionem, abstinentiam & cætera bona opera: ita neque sufficientia meritorum Christi excludit bona nostra merita.

XII. Quâ ratione S. Aug. humana merita excludat.

Objiciunt denique sanctum Augustinum, qui videtur pluribi excludere humana merita, maximè lib. de Prædest. Sanctorum c. 15. ubi ait: *Humana hîc merita contabescunt quæ perierunt per Adam; ut regnet quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Respondeo, sanctum Augustinum per hæc verba excludere duntaxat humana merita solis naturæ viribus elicita; quippe eô capite, comparationem instituit inter Christum & Christianum, & probat quòd quemadmodum Christus non meruit suam Incarnationem, ita nec Christianus suam mereri potest vocationem. Hinc post præfata verba subdit: *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat, neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur; sic & nobis, ut ex aqua & Spiritu renascermur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum.*

CONCLUSIO SECUNDA.

XIII. Meriti definitio exponitur.

MEritum est opus liberum & honestum elicitum ab homine viatore & acceptatum à Deo ut dignum remuneratione aliqua bonitatis aut justitiæ titulô debita. Colligitur ex Doctore in 3. dist. 18. num. 4. ubi ait: *Dico quòd meritum est aliquid acceptatum vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum illi in quo est; quasi debitum illi pro illo merito, vel alteri pro quo meruit.* Ibique notat Doctor, quòd cùm respectu Dei nihil sit acceptandum quod non fuerit acceptatum ab æterno: *Ideo*, inquit, *in descriptione meriti, non oportet addere acceptandum in ordine ad Deum.*

Dicitur itaque primò *opus liberum*; quæ enim naturalia sunt aut coacta & involuntaria nullam omnino laudem nec mercedem merentur. Additur, *honestum*, quô significetur opus meritorium debere esse actum alicujus virtutis; opera namque vitiosa & peccaminosa non mercedem, sed vindictam & ultionem provocant. Sequitur, *elicitum ab homine viatore*, nam inquit Doctor in 4. dist. 21. quæst. 2. *ponere meritum de congruo vel de condigno in anima post mortem, non videtur doctrina Theologica consonum, quæ ponit statum illum ab istis immunem.* Cætera adduntur ad explicandam meritorum diversitatem, nam meritis de condigno debetur præmium titulô justitiæ, meritis verò de congruo duntaxat titulô bonitatis & misericordiæ; omnes autem præfatæ definitionis particulæ clariùs patebunt & firmabuntur in tertia sequenti quæstione, in qua conditiones ad meritum necessarias aperiemus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quotuplex sit Meritum?

I. Quadruplex meritorū genus aliqui distinguunt.

NOtandum primò, quadruplex à nonnullis Theologis distingui meritorum genus. Aliud enim dicitur meritum condignitatis, aliud congruitatis, tertium dignitatis, quartum impetrationis. *Meritum condignitatis* appellatur illud quo quis meretur ex justitia mercedem supernaturalem sibi à Deo propositam & promissam propter condignitatem operis cum tali præmio, *Meritum congruitatis*, dicitur illud quo non propter condignitatem & æqualitatem operis cum mercede quis præmium illud consequitur, sed duntaxat propter congruitatem quâ præmians & remunerans movetur ad largiendum præmium ex sua bonitate & misericordia propter opus elicitum à merente; licèt opus illud non habeat æqualitatem cum tali præmio, nec præmium illud sit propter tale opus à præmiante repromissum. Sic Deus intuitu operum moraliter bonorum à peccatoribus in statu peccati elicitorum interdum largitur gratiam fidei & conversionis. Seraphicus Doctor in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 3. inter hæc duo merita condignitatis & congruitatis existimat aliud inter utrumque medians esse admittendum, quod appellat, *Meritum dignitatis*, quô videlicet quis meretur non quidem essentiale præmium, sed accidentale; propterea quòd dignus sit illius præmii consequendi ratione dignitatis operis à se eliciti. Denique Recentiores aliqui præter hæc præfata meritorum genera existimant insuper quartum esse admittendum quod appellant, *Meritum impetrationis*, quo quis non existens in gratia suis precibus & orationibus à divina misericordia conversionis gratiam impetrat; quod utique meriti genus excogitârunt, ne dicerent peccatores ex auxilio Dei mereri remissionem peccatorum. An autem hæc quatuor meritorum genera sint admittenda, hîc est determinandum.

III. Justitia in qua fundatur meritū, non est distributiva, sed commutativa.

Notandum secundò, justitiam secundùm quam Deus dicitur reddere mercedem justorum meritis non esse legalem, neque distributivam, sed duntaxat communicativam; etenim *Iustitia legalis* respicit jus quod habet communitas circa personas & earum bona in ordine ad bonum commune, nam jus legalis justitiæ fundatur in titulo communitatis: at jus quod justi acquirunt sibi per merita apud Deum, non fundatur in titulo communitatis, sed ex eo quòd exhibear unusquisque Deo obsequia, & opera bona eliciat quibus Deus con-

dignam mercedem promisit: *Iustitia autem distributiva*, respicit per se jus quod habent particulares, fundatum in titulo communitatis quatenus sunt illius membra, & inde habent jus participandi communibus illius boni, unusquisque pro sua dignitate; quo quidem jure, ut mox dictum est, non gaudent justi respectu mercedis divinæ. Nec refert quòd variæ & inæquales sint mercedes, prout varia & inæqualia sunt merita. Unde resultat proportio inæqualitatis in justo, qui tantò plus habet juris ad mercedem quantò majora habet merita: Hoc, inquam, non refert, id enim accidentarium est justitiæ, vi cujus retribuuntur præmia, quia illa respicit duntaxat jus cujusque ut illud proportionata mercede compenset: unde si omnes essent pares meritis, etiam forent pares in mercede. Restat igitur quòd justitia illa, virtute cujus præmium tribuitur justorum meritis, sit ipsa *justitia commutativa*, quæ respicit jura privata particularium quatenus talium, ut illis debitum reddat secundùm æqualitatem & proportionem operis ad præmium.

III. *Notandum tertiò*, dupliciter aliquod opus dici posse condignum & æquale præmio, nimirum vel *æqualitate Arithmetica & quantitatis, vel æqualitate Geometrica & proportionis*: Censetur autem dignum præmio æqualitate arithmetica, quando videlicet opus quatenus talis personæ, secundùm se & absolutè spectatum tanti est valoris, quanti est præmium quod illi retribuitur: quo pacto labor diurnus mercenarii est tanti valoris secundùm se quanti est merces quâ justè compensari solet: est verò dignum mercede æqualitate proportionis, quando licèt opus secundùm se & absolutè spectatum quatenus est talis personæ, excedatur magnitudine præmii; nihilominus consideratum secundùm aliquas circumstantias, putà excellentiæ promittentis, motivi propter quod promittit & aliarum conditionum promissionem illam honestantium & illustrantium, opus illud censetur esse dignum moraliter tali præmio. Hinc facta tali cognitione debetur illi operi tale præmium ex justitia: sic Saül justè repromiserat filiam in uxorem ei qui Goliath occideret; quamvis enim filia Regis censeretur esse præstantius præmium & longè dignius quàm quod habere debuisset gregarius miles propter interfectionem unius adversarii, tamen attenta solemni promissione regia, spectatisque aliis circumstantiis, quòd nempe Gigas ille Israëlitis exercitibus illuderet, nec ullus eum singulari certamine aggredi auderet, justè David illius expugnator primogenitam Saülis filiam in uxorem promeruit, & eam sibi denegatam, alterique nuptam requisivit. Debet tamen esse aliqua proportio inter opus & meritum, nam injuctè & stultè Herodes promiserat se daturum etiam medietatem regni sui filiæ Herodiadis propter ejus saltationem.

Opus dicitur æquale præmio duobus modis.

Tria igitur hac in quæstione sunt determinanda: *Primum*, quotuplex sit meritorum genus: *Secundum*, an reverà homines aliquid mereri possint apud Deum de condigno: *Tertium*, an justorum opera sint meritoria de condigno æqualitate arithmetica, vel duntaxat geometrica.

Status quæstionis.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. DVplex *duntaxat distinguendum est meritum, nempe* DE CONDIGNO & DE CONGRUO. Hæc sententia est communior & verior.

Duplex duntaxat est meriti species.

Probatur. Totuplex assignari debet capitale meri-

A totum genus, quotuplex est modus quo homines divina præmia possunt promereri: at ille est duplex, nempe per condignitatem & per congruitatem: igitur, &c. Major per se constat. Minor probatur: Tot modis possunt homines divina promereri beneficia, quot sunt modi quibus divina præmia obtinent: at illi duo sunt duntaxat, nempe ex justitia, & ex decentia & congruitate: igitur, &c. Probatur insuper ex Scriptura sacra, quæ hoc utrumque meritum agnoscit. Meritum quidem de condigno, ut evidenter apparet ex dictis: meritum etiam de congruo, nam quæ una ex parte asserit nos gratis justificari *Rom.* 3. id est, sine merito de condigno; ex alia parte *Iacobi* 2. affirmat nos justificari ex operibus non solùm in gratia factis, quæ merentur augmentum gratiæ de condigno, sed etiam ex operibus moraliter bonis quæ fiunt in statu peccati mortalis, de quibus maximè intelligi videtur S. Jacobus cùm ad id confirmandum utatur exemplo Raab meretricis. His autem operibus tantùm debetur justificatio ex decentia & congruitate: igitur Scriptura sacra agnoscit meritum de congruo.

Confirmatur ex eo quòd eadem Scriptura testetur Deum promittere veniam pœnitentibus & moveri eorum lachrymis & actibus pœnitentiæ, ut indulgentiam concedat: igitur agnoscit Scriptura aliquod meritum in actibus pœnitentis ante justificationem.

C *Idem* meritum agnoscunt sancti Patres, nam Cyprianus sermone de lapsis ait generaliter de vero pœnitente ante gratiam justificationis acceptam *quod latam faciet Ecclesiam, nec jam solùm Dei veniam merebitur, sed coronam*. Et Ambros. lib. de Pœnitentia cap. 3. de peccatore sub parabola prodigi sic loquitur: *Tam citò veniam meretur ut venienti ei adhuc longè posito occurrat Pater, & osculu tribuat, quod insigne est sacræ pacis*. Et Aug. in Psalm. 50. de Ninivitis sic loquitur, *Pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt*. Unde Epistola 105. *Nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est; si fides hanc impetrat, neque enim nullum fuit meritum illius qui dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori*, ubi per *meritum* intelligitur congruum, ut indicat tum vox illa *impetrat*, tum quod ait paulò ante medium ejusdem Epistolæ, vitam æternam in Scriptura sæpe vocari mercedem & stipendium justitiæ, justificationem verò à peccato nunquam sic appellari quia scilicet non cadit sub meritum condignum.

Dices primò: Præter hæc duo meritorum genera alia adhuc duo à nobis jam memorata, nempe meritum dignitatis & meritum impetrationis, necessariò videntur admittenda: igitur illa divisio deficit. Probatur antecedens: Primò namque meritum dignum illud est quò quis meretur aliquid distinctum à gloria: sed illud non potest revocari E neque ad meritum condignitatis; per hoc siquidem meretur quis duntaxat gratiæ augmentum vel gloriam; neque etiam ad meritum congruitatis quod non obligationem importat, sed duntaxat congruitatem largiendi præmii propter decentiam & dignitatem operis. Similiter dum peccator meretur gratiam conversionis aut aliud beneficium, non potest illud mereri meritò dignitatis quia non est in gratia; neque merito congruitatis quia peccatoris opera Deo sunt exosa: igitur præter hæc duo merita aliud assignari debet nempe meritum impetrationis, quo nimirum per vim impetrationis illam gratiam impetrat.

Nam alia ad duo prædicta revocantur.

Nego antecedens, & ad probationem dico,

utrumque illud meritum dignitatis & impetrationis revocari ad meritum congruitatis. Primum quidem, quia tale meritum non inducit negationem ex justitia, sed tantùm ex congruitate conferendi homini justo tale vel tale beneficium præter jus ad gratiæ augmentum, vel gloriæ æternæ consecutionem. Similiter dum aliquis vel justus, vel peccator impetrat à Deo aliquod beneficium virtute suorum bonorum operum aut orationum, vel illud imperrat ratione pacti divini & dignitatis operis ex gratia procedentis, vel duntaxat ex pura Dei misericordia & bonitate: si primum, meritum illud est condignitatis; si verò secundùm, ad meritum congruitatis spectat; igitur nulla apparet ratio multiplicandi meritorum genera præter duo membra assignata.

Dices secundò. Nullum datur meritum de congruo: ergo præfata divisio deficit. Patet antecedens: Meritum enim illud est cui ex æquo merces correspondet; sed nulli operi ex æquo merces correspondet, nisi ex gratia sanctificante procedat, Deus namque ex justitia nihil debet peccatori præter ultionem & pœnam, &c.

V. Meritum de congruo veram habet meriti rationem.

Nego antecedens, quia meritum de congruo tunc est quando congruum est homini hoc aut illud bonum opus morale facienti Deum illud beneficium rependere, quod homo intendit consequi per tale opus; sed aliquando congruum est Deum homini aliquid facienti retribuere illud beneficium quod consequi intendit: sic congruum est Deum dare orationibus justorum qui mortificationum operibus incumbunt, conversionem hominum voluptatibus deditorum. Congruum pariter peccatoribus veniam & misericordiam postulantibus concedere gratiam conversionis & pœnitentiæ: qua ratione S. Aug. ait, fidem peccatorum interdum mereri justificationem: sic Epistola 106. *Si quis dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, sed gratissime confitemur.*

Conclusio Secunda.

VI. Reverà homines merentur aliquid de cōdigno.

Reverà homines merentur apud Deum de condigno. seu ex justitia & ex æqualitate operis cum mercede supernaturali. Hæc conclusio sequitur ex his quæ diximus in præcedenti quæstione, in qua probatum est homines reverà mereri aliquid apud Deum, propterea quòd judicet eorum opera esse digna mercedis & præmii.

Probatur insuper illis Scripturæ testimoniis quibus insinuatur verum justitiæ jus acquiri per merita justorum habentia quandam æqualitatem cum mercede. Primò namque operum condignitatem commendat, Scriptura Sapientiæ 3. *Deus tentavit eos* (justos) *& invenit eos dignos se.* Et Apocalypsis 3. *Ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.* Et 2. ad Thessalonicenses 1. *In omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini*; justitiam verò commendat cùm addit: *si tamen* (pro siquidem juxta vim textûs Greci) *justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini requiem nobiscum.* Et Hebræorum 6. *Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis sanctis, & ministratis.*

Ut S. Scriptura testatur.

Et SS. Patres.

Eandem veritatem docent SS. Patres qui condignitatem & justitiam in bonis operibus justorum agnoscunt. Sic sanctus Cyprianus Epist. 26. *Reddet sibi Dominus pro ista tua charitate mercedem, & hujus tam boni operis repræsentabit debitam frugem: non minus enim mercede corona condignus est qui hortatus, quàm qui est passus.* Chrysostomus homilia 4. de Lazaro. *Si justus est Deus, & his, & illis reddet pro meritis.* Aug. pluribi; maximè lib. de natura & gratia cap. 2. *Non est injustus Deus qui justos fraudet mercede justitiæ.*

Idem constat ex illis Conciliis laudatis in 1. conclusione præcedentis quæst. maximè verò ex Concilio Trident. *sess. 6. cap. 16.* ubi utramque conditionem justitiæ & condignitatis non obscurè tribuit bonis justorum operibus. Justitiam quidem, cùm ait initiô capitis, vitam æternam illis reddi à Deo justo judice ut mercedem & ut coronam justitiæ: condignitatem verò & æqualitatem cum mercede agnoscit in iisdem operibus, cùm circa medium ejusdem capitis ait, bonis operibus in sacris Litteris usque adeò tribui, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum. Et Apostolus testatur id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis. Cùm ergo Concilium dicit *bonis justorum operibus usque adeò tribui*, sensus est quòd illa opera adeò æstimentur & tanti fiant, ut censeantur digna tali mercede, nempe fœlicitate æternâ.

Quāquam Theologi reclament.

Verùm licèt hæc receptissima sint apud Theologos; nihilominùs non desunt qui secùs sentiant; nam *Vasques* disp. 213. cum nonnullis aliis negat meritum de condigno acquirere apud Deum verum justitiæ jus, vultque mercedem illi deberi solùm ex gratitudine. *Durandus* verò in 2. dist. 27. quæst. 2. existimat justos non mereri propriè & simpliciter de condigno apud Deum: non solùm quia non potest Deus obligari homini ex justitia, verùm etiam quia opera meritoria non habent æqualitatem cum mercede gloriæ æternæ. Ut autem eorum rationes & fundamenta solvantur;

Objicies primò. Non potest esse justitia inter Deum & creaturam: ergo licèt justi verè mereantur de condigno, non tamen acquirunt erga Deum justitiæ jus, subindeque meritis non debetur merces ex justitia, sed duntaxat ex fidelitate vel gratitudine.

VII. Qua ratione justitia intercedat inter Deum & homines.

Nego antecedens: Non enim repugnat esse in hominibus aliquod verum jus justitiæ respectu Dei ex libera ipsius institutione & conventione profectum, Tum quia Scriptura sacra sæpiùs inculcat justorum operibus mercedem esse justè debitam ex pacto & promissione Dei: nam Scriptura quæ alicubi Deum fidelem fore prædicat in promissis implendis, sæpiùs affirmat illum fore justum judicem, & ut talem redditurum coronam justitiæ. Tum quia promissio onerosa sub conditione operis habentis aliquam æqualitatem cum re promissa inducit obligationem justitiæ in promittente; Deus autem promisit justis vitam æternam sub conditione bonorum operum elicitorum in gratia, & habentium aliquam æqualitatem cum illa mercede; ut pote cùm sint ordinis supernaturalis sicut & illa merces: igitur possunt justi per bona sua opera acquirere aliquod justitiæ jus erga Deum.

Instabis. Jus illud justitiæ si quod esset, maximè justitiæ commutativæ: sed nullum potest esse jus justitiæ commutativæ hominis ad Deum: Ergo, &c.

Major

Major constat ex secundò notabili. Probatur minor. Nemo obligatur alteri ex justitia commotativa, nisi aliqoid accipiat sibi commodum & otile; sed Deus nihil commodi & utilis accipere potest à creaturis: ergo, &c.

Nego minorem, & ad illius probationem: *Respondeo* primò negando majorem: nam, ut quis obligetur alteri ex justitia commutativa, non oportet semper quòd ab eo recipiat aliquid sibi commodum & utile, sufficit enim si fiat aliquid ipsi gratum ex conventiooe & promissione mercedis.

Respondeo secundò, negaodo minorem: possunt enim homines aliquid Deo præstare, non solùm ipsi gratum; verùm etiam commodum & utile ad bonum ejus extrinsecum, nempe ad gloriam ejus externam. Licèt enim omoia hominum bona opera supernaturalia, sint Dei magis quàm hominis; quia fiunt principaliùs ab illo, & ab ejus gratia præveniente & cooperante; sunt tamen propria ipsi homini quatenus fiunt ab ipso liberè, possuntque pro ejusdem hominis arbitratu elici propter Dei gloriam, vel ob alium finem: quare hac ratione potest Deus homini obligari non solùm ex fidelitate, sed etiam ex justitia; dum ex pacto & ex misericordia se coostituit debitorem hominum.

Objicies secundo: Quidquid Deus hominibos confert, donat tantùm *vel* ex gratitudine, *vel* ex fidelitate; *vel* ex misericordia; igitur nullum ex ipsis donum est ex justitia. Probatur antecedens. Nihil enim Deus homini confert, nisi ex pura sua bonitate absque ullo debito, & sic est misericordiæ beneficium, vel ex debito, proveniente ex promissione facta, & sic est fidelitatis pensum, vel ex aliquo interveniente ex parte hominis motivo; & sic est gratitudinis augmentum: Ergo, &c.

VIII. Deus sua bona hominibus largitur non solùm ex gratitudine, fidelitate, & misericordia; sed etiam ex justitia.

Nego antecedens, nam præter tria hæc beneficiorum divinorum collationis genera; est etiam quartum, nempe ex motivo justitiæ, quod minùs Deo repugnat quàm ipsa gratitudo: gratitudo enim propriè dicta, respicit beneficium propriè dictum: at meritum hominis erga Deum non est beneficium propriè, sed obsequium & servitium, qood quantumcumque sit non potest adæquare beneficia quæ ipse priùs à Deo accepit; *quis enim prior dedit illi & retribuetur ei?* inquit Apostolus Rom. 11. omoia autem obseqoia & servitia Domino exhibita, maximè illa quæ fiunt ex præcepto, oon possunt obligare Deum ex gratitudine, juxta illud Christi Luc. 17. *Nunquid gratiam habet servo illi quia fecit quod ei imperaverat? Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.*

CONCLOSIO TERTIA.

IX. Quomodo justi de cõdigno mereantur vitam æternam.

JUstorum opera meritoria sunt de condigno vitæ æternæ, æqualitate non quantitatis, sed proportionis. Hæc est communior & verior, probaturque primò ex Scriptura sacra, quæ docet opera justorum etiam spectata prout fiunt à justis & filiis Dei adoptivis non esse digna tanto præmio, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis:* ubi loquitur Apostolus de passionibus illis prout à filiis Dei & ex virtute spei Christianæ tolerantur: juxta id quod paulò ante præmisit. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quòd sumus Filii Dei.* Et 2. Corinth. 4. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribula-*

Ut docet S. Scriptura.

A *tionis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quibus verbis rationem inæqualitatis insinuat, quia oimirum passiones illæ sunt transitoriæ & finitæ, etiam prout sunt hominis justi & Deo grati: præmium verò est infinitum, nempe visio & possessio Dei quæ est valoris infiniti, quia est infinitæ & æternæ dorationis. Eodem pertioet quod ait Christus Luc. 6. Mensuram bonam & coofertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt io sinus vestros.

Probatur secundò ex Conciliis & Patribus, nam Concilium Senonense celebratum sub Clemente VII. non obscurè id docet in decreto fidei 16. B cùm sic ait: *Facietque tandem omnis misericordiæ locum unicuique juxta mensuram operum suorum, non absolutæ condignitate quidem, sed gratuita magis & liberali repromissione; quâ, conventione factâ de denario diurno conduxit operarios in vineam suam.*

Concilia.

Idem docent SS. Patres: maximè S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 10. Reddens rationem cur vita æterna vocetur *gratia* ab Apostolo Rom. 6. cùm merces meritorum sit, *Gratia* inquit, *non injustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus sua dona reddit, sed quia tantùm etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quantumvis bona & ex Deo data humanæ voluntatis, atque operationis* C *excedat.*

Et SS. Patres.

Præluserat Eusebius Emissenus homilia 3. ad Monachos. *Totis licèt*, inquit, *animæ & corporis laboribus desudemus, totis licèt obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœlestibus bonis compensare & offerre valebimus.*

Suffragatur pariter ratio. Finiti namque operis valor non potest mereri excellentiam præmii infiniti secundùm æqualitatem quantitatis, sed duntaxat secundùm quandam condignitatem proportionis: sed valor operum bonorum secundùm se finitus est: præmium autem, nempe vita æterna, est infinitum; cùm sit ipsius Dei fruitio, adeoque superexcedit valorem meriti finiti: igitur inter D utrumque oon potest esse æqualitas quantitatis, sed duntaxat propositionis. Quapropter sanctus Apostolus pluribi, maximè 1. Corinth. 4. & Philip. 2. & 2. ad Timothæum 4. gloriam æternam bonis justorum operibus promissam comparat bravio & coronæ certantibus in stadio proposita, quæ solâ æqualitate proportionis æqualis esse solet.

Dices, Finiti ad infinitom nulla est proportio: sed, ut mox dictum est, opera meritoria sunt finiti valoris: igitur nulla est etiam æqualitas proportionis ioter ipsa opera & gloriam æternam.

Distingue majorem, nulla est proportio physica E & rei ad rem concedo: longè enim præmium infinitum excedit meritum finitum, si spectetur secundùm suam entitatem: nulla est proportio moralis & digoitatis operis ad dignitatem præmii nego. Opera siquidem meritoria habent dignitatem quandam supernaturalem & infinitam, non quidem ex propria sua entitate physica, sed ex promissione acceptantis illa opera ad tale præmium, nec-non & ex intentione & affectu operantis; qui pro viribus enititur tantùm obsequii Dei impendere quantùm potest, ac proinde si virtutem haberet infinitam infinitæ entitatis actum produceret. Unde actus ab eo elicitus, licet finitus sit secundùm effectum, infinitus tamen est secundùm affectum. Cùm autem Deus potiùs penset affectum operantis quàm effectum operis,

X. Quænam sit proportio meriti cum vita æterna.

inde fit quòd justum & æquum judicet præmium infinitum largiri pro operibus in entitate finitis.

XI. Cur justus alteri gratiam non possit promereri.

Dices secundò: Si josti de condigno mereri possunt vitam æternam accedente Dei ordinatione & promissione; possent eadem accedente mereri de condigno alteri gratiam, & consequenter remissionem mortalis peccati qui est secundarius gratiæ sanctificantis effectus: sed consequens hoc militat in doctrinam sanctorum Patrum & Theologorum affirmantium nullam puram creaturam posse mereri aut satisfacere de condigno pro peccato mortali: quocirca necessaria fuerunt Christi merita ejusque divina satisfactio pro peccatis nostris.

Respondeo primò, negari posse majorem: longè enim altius & difficilius est justum mereri de condigno alteri existenti in peccato mortali gratiam & remissionem peccati quàm sibi ipsi; quia ipse jam censetur dignus gratia & gloria æterna quæ sibi debetur titulo hæreditatis ratione gratiæ sanctificantis quâ donatur; ideoque non est consequens quòd si accedente Dei promissione, ejus opera quandam habeant condignitatem cum vita æterna quæ est gratia consummata, eandem habere debeant cum gratia sanctificante alteri Dei inimico & exoso largienda: amicus enim faciliùs sibi promereri potest beneficium ab amico, quàm inimico illius qui beneficium posset largiri.

Respondeo secundò, negari posse minorem, dum enim sancti Patres & Theologi negant posse aliquam puram creaturam satisfacere de condigno pro peccato mortali noo loquuntur de merito & satisfactione ex rigore justitiæ, seu rei ad rem; quam utique noo tribuimus justorum bonis operibus; sed tantùm æqualitatem proportionis.

His adde quòd illa Theologorum sententia sit generaliter recepta: plurimi namque cum subtili Doctore affirmant posse per extraordinariam Dei dispositionem aliquam creaturam Deo satisfacere pro peccatis aliorum, ut dictum est in Tractatu præcedenti.

Quæstio III.

Quot & quæ sint conditiones ad meritum?

I. Meritum requirit conditiones triplicis generis.

Notandum primò, quod cùm in merito adæquatè sumpto tria possint considerari, nempe persona præmians, persona merens & opus meritorium; ex unoquoque illorum capitum aliquot conditiones desiderantur; videlicet *aliqua* ex parte Dei præmiantis, *alia* ex parte hominis operantis seu merentis; *alia* denique ex parte ipsius operis seu meriti. Ex parte quidem Dei præmiantis & remunerantis desiderator pactum de mercede reddenda; ex parte verò hominis merentis requiritur status gratiæ & viæ; ex parte droique operis necessaria est libertas, seu quòd opus fiat liberè libertate propriè dicta, nec-non & honestas; qoia opus meritorium debet esse moraliter bonum & supernaturaliter; quippe meritum est fœtus gratiæ. De quibus omnibus conditionibus agendum est in præsenti quæstione.

II. Promissio Dei duobus modis requiritur ad meritum.

Notandum secundò, quantùm ad primæ conditionis explicationem, hæc duo esse distinguenda, nempe promissionem Dei esse requisitam ad hoc ut opus bonum habeat æqualitatem & proportionem cum premio, & quòd promissio illa requiratur ad meritum de condigno, itaut hæc promissio nullam dignitatem operi meritorio conferat. Priori namque modo promissio est intrinseca operi meritorio, quia confert ad illius dignitatem. Posteriori verò est duntaxat extrinseca. Cujus distinctionis veritas intelligitur ex illis quæ occurrunt in justitia commutativa apud homines: nam pactum aliquando extrinsecum est rei commutandæ, cùm videlicet non minùs fieret commutatio, etsi pactum noo procederet; aliquando autem est intrinsecum rei commutandæ, quando nimirum noo fit rei alicujus cum altera commutatio nisi vi & ratione præcedentis.

Jam dictum est suprà, bona opera elicita ex gratia habere æqualitatem proportionis cum præmio ratione promissionis divinæ & pacti initi a Deo cum homine: an autem hæc promissio ita sit necessaria ad condignitatem operis, ut sine ipsa opus non haberet rationem adæquatam meriti, negant aliqui Theologi cum Vasquez disput. 214. cap. 8. ubi docet operibus justorum accessisse quidem divinam promissionem, nullo tamen modo pertinere ad rationem meriti, sed potiùs advenire operibus jam dignis & meritoriis.

III. Quare gratia sanctificans requiratur ad meritum.

Notandum tertiò, necessitatem gratiæ sanctificantis ad merendum, non tantùm requiri ratione peccati mortalis eloendi, quia nimirum qui sunt in statu peccati mortalis sunt incapaces juris apud Deum acquirendi ad vitam æternam, imò damnationis & mortis æternæ rei sunt: verùm maximè requiritur gratia sanctificans ad meritum ratione improportionis quam ad tantam mercedem habent opera nostra nisi fiant à filiis Dei adoptivis, quibus omnino decet à Patre proponi hæreditatem in præmium laborum: unde etiam in statu innocentiæ gratia sanctificans necessaria erat primis parentibus ad merendum: quapropter merito jure summi Pontifices Gregorius XIII. & Pius V. damnârunt hanc propositionem Michaëlis Baii num. 18. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessariam ad rationem meriti, at homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

Conclusio Prima.

IV. Divina promissio ac stipulatio requiritur ad meritū.

Ut opera justorum reverà sint meritoria vitæ æternæ, requiritur ex parte Dei promissio & pactum de dando præmio. Ita subtilis Doctor in primum dist. 17. quæst. 3. nom. 12. ubi loquens de actu meritorio ait; *Creditur esse una conditio in actu, videlicet quòd est acceptabilis Deo: non quadam communi acceptatione solummodo, quatenus acceptat omnem creaturam, vel quo etiam modo vult actum substractum peccato, alioquin non esset ab ipso: sed ex acceptatione speciali qua est in volantate divina ordinatio ejus actus ad vitam æternam tanquam meriti condigni ad præmium: hoc modo credimus etiam naturam nostram, etiam beatificabilem, justam esse habitualiter acceptam. hoc est, quando non actualiter operatur: adhuc tamen voluntas divina eam ordinat ad vitam æternam, tanquam dignam tanto bono secundùm dispositionem quam habet habitualiter in se.*

Ut optimè docet Doctor.

V. Et confirmat Concilium Senonense.

Probatur conclusio. *Primò* quidem ex Concilio Senonensi cap. 16. ubi decernit: *Fecit Deus unicuique locum juxta mensuram operum suorum, non absoluta condignitate, sed gratuita & liberali promissione, quâ conventione facta de denario diurno misit operarios in vineam suam.* Ibidemque rationem reddit cur Deus absque sua promissione obligari nequiverit erga homines, dicens: *Et quanquam*

opera hæc (justorum videlicet) *talia sunt ut Deus jure quodam suo ea à nobis exigere possit : & sancti, etiamsi omnia quæ eis præcepta sunt, fecerint ; & agnoscere, & dicere debeant, se esse inutiles servos ; tamen cùm ex charitate profluant, & gratia Dei effectus sint, ac quia Deus secundùm suam voluntatem operantibus mercedem liberalissimè promisit, eadem & temporalium bonorum, & æternæ vitæ remuneratione dignatur.* Favet etiam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi ait : *Bene operantibus usque in finem, & in Deo operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei per Iesum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

VI. Idque constat ex S. Scriptura.

Probatur *secundò* ex Scriptura sacra; illis videlicet omnibus oraculis quibus vita æterna significatur nobis esse reddenda propter divinam promissionem. Sic insignis est illa parabola Matth. 20. ubi de operariis à Patre-familias in vineam missis, legimus quòd *Conventione facta cum mercenariis ex denario diurno misit eos in vineam suam.* Et posteà: *Amice non facio tibi injuriam, nonne de denario convenisti mecum? tolle quod tuum est.* Quapropter Apostolus plerumque vitam æternam explicat nomine promissionis : Sic Hebræorum 6. *Fide & patientiâ hæreditabunt promissiones.* Et cap. 10. *Vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Hinc Jacobus cap. 1. pronunciat : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Et Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est pariter & futuræ.*

VII. Et ratione firmatur.

Probatur etiam ratione : Ad meritum de condigno requiritur, ut qui meretur præmium aliquod, verum jus habeat ad illud obtinendum : sed homo non potest acquirere verum aliquod jus ad aliquod præmium à Deo obtinendum : nisi divina promissio intercedat : ergo nec potest mereri de condigno apud Deum absque hujusmodi promissione. Major constat : quia non alia de causa vita æterna vocatur in Scriptura corona justitiæ, merces & præmium, quàm ut ostendatur eam homini deberi ex quadam justitia, & hominem jus aliquod habere ad eam mercedem obtinendam. Minor verò suadetur: quia non potest homo verum jus ad præmiū à Deo obtinendum habere, quin Deus teneatur ex justitia illi tale præmium reddere, & consequenter quin Deus illi debitor sit, *Ei enim qui operatur*, inquit Apost. Rom. 4. *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Hinc sanctus Augustinus in Psalm. 83. explicans illud ad Timoth. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, ait : *Indulgentiam donabit, coronam reddet : donator est indulgentiæ, debitor coronæ :* Sed impossibile est Deum, qui est supremus omnium Dominus, cuique infinitis titulis omnia nostra debemus, fieri nobis debitorem, nisi intercedat promissio quædam & pactum ex parte ipsius, quô se obliget ad nobis reddendum præmium pro hoc vel illo opere ; condigno Deus autem cùm non possit homini debere, præmium aliquod citra liberam ejus promissionem, necessum est quòd illa intercedat, ut homo possit reverà mereri de condigno.

Confirmatur : Si quis alienum agrum coleret, vel aliquod aliud obsequium alteri præstaret, nullô prorsus interveniente pactô, vel promissione mercedis, alter non teneretur ex justitia mercedem illi dare, maximè si operarius ille hæc opeA ra jam debuerit facere aliquô aliô titulô, ipsiusque tum corpus, tum instrumenta fuerint sub dominio & potestate alterius.

Confirmatur 2. quia nulla alia potest reddi ratio, quàm ex defectu promissionis divinæ, cur non mereamur nobis de condigno perseverantiam, & auxilia efficacia ad vincendas quaslibet tentationes, & quodlibet bonum opus exercendum ; sicut meremur vitam æternam, quæ longè præstantior est ipsâ perseverantiâ, & illis auxiliis efficacibus : Item cur animæ defunctorum non mereantur in purgatorio, cùm nondum sint in termino.

Denique, Cur Christus Dominus nobis aliqua non meruerit de facto, quæ alioqui certè mereri poterat : v.g. auxilia efficacia omnibus ad perseB verandum & restitutionem justitiæ originalis, aut electionem omnium efficacem ad gloriam ; nam per se loquendo, æquè id condignè mereri potuisset, ac cætera beneficia, quæ propter ejus meritum à Deo suscipimus, si Deus ita ordinasset & promisisset ; igitur prima & præcipua ratio est defectus ordinationis, & promissionis divinæ.

Dices primò : Promissio non est necessaria in merito apud homines : ergo nec apud Deum. Sequela patet à paritate rationis. Antecedens verò probatur ; qui enim agrum alterius colit, ipsô jubente & vidente aut volente, meretur à domino accipere mercedem ex justitia, quamvis paC ctio & promissio expressa de tali mercede non intercesserit, & compellatur in judicio solvere debitum pretium.

VIII. Quomodo promissio apud homines requiratur ad meritum.

Respondeo primò, negari posse antecedens ; nam etiam inter homines non potest esse meritum de condigno ex meritò justitiæ, sine aliqua promissione publica, vel pacto privato tacitò aut expresso : in allato enim exemplo intercedit pactum tacitum, quia cùm quis videt aut sentit sub spe lucri consequendi alium laborare in suam utilitatem, qui ad talem laborem aliunde non tenetur, tacitè consentit se obligari ad compensandum talem laborem.

Respondeo secundò, negando consequentiam; non D enim est par ratio hominis ad hominem, ac ejusdem hominis comparati ad Deum, quia potest homo impendere suum laborem in utilitatem alterius, cui talem laborem non debet aliquô titulô: at omnia bona justorum opera aliô titulô quàm justitiæ Deo debentur ; sunt enim ipsius Dei dona, & potest Deus illa exigere titulô gratitudinis; unde justorum quisque debet usurpare illud Davidis 1. Paralip. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* : ergo non possunt obligare Deum sine ipsius pacto & promissione ad conferendam pro illis mercedem, maximè verò tantam, quanta est merces æterna.

Dices secundò : Peccatum quodcumque mortale, ut mereatur pœnam æternam, non est necesse E quòd aliqua interveniat pactio : ergo etiam bona opera seclusô quôcumque pactô merentur vitam æternam.

IX. Cur potius peccatum ex se mereatur pœnam æternā quàm bonū opus gloriam.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quòd plus requiratur ad meritum bonum, quàm ad malum: nam in merito malo non jus est, sed debitum ; qui enim peccat, seipsum pœnæ debitorem constituit apud Deum, & Deus acquirit jus ad pœnam illi infligendam si velit propter acceptam injuriam ; qui autem meretur de condigno, Deum sibi debitorem facit, & jus acquirit mercedis recipiendæ ; Deus autem non potest fie-

ei debitor respectu creaturæ absque gratuita ejus promissione, ut mox dictum est.

Dices tertiò: Si ad rationem meriti necessaria esset promissio Dei, sequeretur plures justos non mereri vitam æternam, quia promissio non obligat, nisi data & acceptata: at quivis justus non acceptat illam divinam promissionem; quia ut acceptetur promissio, debet esse cognita ei, qui operatur: sed plurimis justis & bene operantibus incognitum est ejusmodi pactum divinum de mercede reddenda: ergo, &c.

Respondeo negando majorem, nemo enim mereri potest apud Deum sine fide; nam, ut ait S. Paulus Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est.* Quamvis autem non distinctè noverint, B quænam & quanta sit illa remuneratio, & an fuerit solùm proposita, an verò etiam promissa: sufficit tamen ad jus acquirendum, quòd illam accepterit, quæcumque à Deo, & quomodocumque constituta sit. Nullus est igitur fidelis, qui non habeat saltem confusam fiduciam promissæ divinæ mercedis, quam saltem virtualiter & interpretativè acceptat; quia unusquisque censetur velle suis operibus acquirere quidquid potest, facilè enim quisque in bonum suum consentit.

CONCLUSIO SECUNDA.

X. *Ad meritum requiritur status viæ.* AD meritum de condigno requiritur ex parte operantis quod sit in statu viæ, & gratia. Hæc C pariter est communis quoad utramque partem: quarum

Probatur prima omnibus illis Scripturæ textibus quibus significatur tempus merendi non aliud esse determinatum à Deo quàm tempus præsentis vitæ. Sic Ecclesiastici 9. *Quodcumque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos quò tu properas.* Quibus nominibus *scientia & sapientia* significatur ea cognitio quæ ad merendum est necessaria. Et cap. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et Ecclesiastici cap. 14. *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam apud inferos non est invenire cibum.* Et cap. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius.* Joan. 9. *Venit nox quando nemo potest operari*, ubi per noctem Christus mortem intelligit. Hinc Apostolus monebat 2. ad Corinth. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et ad Galatas 6. *Cùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes*: nam, inquit Hebræorum 9. *statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium.*

Ut significat Scriptura sacra.

Idem etiam docent sancti Cyprianus in lib. ad Demetrianum circa finem: *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, hic vita aut amittitur, aut tenetur.* Hieronymus exponens E hæc verba ad Galatas 6. *Quæ seminaveris homo, hæc & metes*, ait: *Tempus sementis est præsens vita quam currimus; cùm ista vita transierit, operandi*, (nempe meritoriè) *tempus aufertur.* August. in Enchiridio cap. 11. *Nemo speret quod hic neglexit, cùm obierit apud Deum posse promereri.* S. denique Prosper sententia 172. *Frustrà sibi homo post hoc corpus promittit quod in hoc corpore comparare neglexit.*

SS. Patres docent.

Ratio Theologica suadet. Favet etiam ratio. Cùm enim vita præsens via sit ad immortalitatem & præmium, congruum fuit ut stadium esset atque tempus merendi quo re- A promissum nobis præmium possemus assequi, meritum enim est quædam via seu tendentia ad præmium, & subinde decens fuit ut quandiu in hujus vitæ mortalis studio currimus, immortalis benedictionis præmium mereri possimus, non autem extra hunc statum constituti.

Viatoris autem nomine intelligunt Theologi hominem in corpore mortali & conditione mortali degentem: quocirca nec qui soluto corpore è vivis excesserunt, nec qui iterum assumpto resurrexerunt, censentur viatores. Hinc beatissima Virgo quæ post mortem resurrexit & assumpta est in glorioso corpore in cœlum, non est in numero viatorum collocanda; è contra verò Lazarus & omnes illi qui virtute divinâ è mortuis fuerunt suscitati, viatores reverà erant ac mereri poterant. Idem sentiendum non est de *Enoch & Elia* qui tametsi adhuc sint mortales, quia tamen non vivunt conditione mortali, sed à Deo sequestrati peculiari lege fuerunt & vivi servantur usque ad extrema tempora cum Antichristo conflicturi, non debent reputari viatores; nam, inquit Tertullianus libro adversus Judæos cap. 2. *Enoch nedum mortem gustavit æternitatis candidatus.* Vel ut ait libro de Resurr. Carnis cap. 43. *Enoch & Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec vita functi, quâ tamen de orbe translati & hoc ipso jam æternitatis candidati*: Igitur eo in statu mereri non possunt, alioqui vel negandus est illis frequens & ordinarius Dei concursus ad bene agendum; vel æquarent tandem, imò longè superarent cæterorum Sanctorum merita, nec-non & ipsius beatæ Virginis, quia incredibile est eos in tam longo & diuturno tempore non multò plures actus pios & meritorios exercuisse quàm sanctissima Virgo in toto vitæ suæ spatio elicere potuerit: aut infinita propè bonorum actuum multitudine non adæquasse intensos illius actus, maximè cùm illi vitam quietam & tranquillam degant ab omni tentationum molestia liberam, atque adeò ad omnia virtutum opera paratissimam.

His adde quòd huic nostræ observationi favere videatur sacra Scriptura loquens de Enoch quando translatus est, quasi tempus ipsi non computaretur amplius, completaque fuerit illius ætas D numero annorum 365.

PROBATUR ETIAM SECUNDA PARS: nempe quòd ad merendum necessariò desideretur status gratiæ sanctificantis. Probatur, inquam, ex illo Genesis 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.* Quibus verbis, ut observat S. Gregor. 22. Moral. cap. 8. significatur Deum priùs intueri personam quàm munus; nec gratum habere offerentem propter munera, sed munera propter offerentem. Sic pariter Joan. 15. Christus Dominus edocet quòd sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso, sic & vos nisi in me manseritis; scilicet per fidem vivam quæ charitati & gratiæ connexa est. Et paulò post: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent.* XI. *Etiam ad id requiritur status gratiæ.*

Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. inter conditiones ad merendum requisitas hanc ponit, quòd qui merentur sint justificati & Christo tanquam vivi palmites & viva membra inserti: Cùm enim, *inquit*, ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent,

&c. Quapropter meritò error contrarius damnatus fuit per summos Pontifices Pium V. & Gregor. XIII. damnantes hanc propositionem num. 13. Baii: *Pelagii sententia est opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cœlestis meritorium.*

Adstipulantur etiam sancti Patres, maximè sanctus Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. Sequuntur, *inquit*, bona opera hominem justificatum, non præcedunt justificandum; quo loco loquitur de operibus vitæ æternæ meritoriis, non autem de bonis moraliter. Et lib. de spiritu & litera cap. 29. Per spiritum, *inquit*, incorporatus, factusque membrum ejus, potest quisque illo incrementum intrinsecùs dante operari justitiam. Hinc S. Prosper ad capitula Gallorum, cap. 6. B ait, *Justificatus homo, id est ex impio pius factus, nullo p[illegible]dente bono merito accipit donum quò medio acquirat & meritum.*

Favet etiam ratio: qui enim non est justificatus per gratiam justificantem est peccati reus, ratione cujus meretur de condigno mortem & pœnam æternam, juxta illud Rom. 6. *Stipendium peccati mors*, & consequenter incurrit carentiam gloriæ æternæ; sed impossibile est hominem simul mereri carentiam & possessionem gloriæ æternæ: igitur quandiu in peccato jacet, non potest vitam æternam mereri de condigno. *Deinde*, opera omnia facta sine gratia sanctificante sunt opera hominis inimici Dei, & subinde ipsi non possunt satisfacere: ergo multò minùs præmium promereri. *Denique*, C si status gratiæ non requireretur ad meritum, sequeretur quòd per unum peccatum mortale non perirent omnia merita: sicut enim peccatum præcedens non impediret quominus fierent nova merita, ita neque peccatum subsequens extingueret merita facta; sed consequens est contra Scripturam dicentem quòd, *si justus aversus fuerit a justitia sua omnes justitia quas fecerit non recordabuntur amplius.*

Dices primò Scriptura sacra apertè tradit quòd qui servat divina mandata vitam consequetur æternam, nec ad id requirit statum gratiæ. Sic D Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; Hinc sanctus Augustinus lib. de natura & gratia cap. 2. *Natura*, inquit, *humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est de vita æterna: etiamsi in aliqua Gente, aut in aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis Christi: non enim est injustus Deus qui justos fraudet mercede justitiæ*: igitur ad merendum vitam æternam non est necessarius status justitiæ.

XII. Quâ ratione servātes divina mādata merentur.

Nego consequentiam, & ad textum Scripturæ dico neminem servare integrè mandata qui non diligat Deum ex toto corde, tota anima, tota mente & totis viribus, est enim hoc primum mandatum; vi autem istius amoris homo justificatur, si nondum justus sit, ejusdemque virtute salutem æternam consequitur si mandata servare perseveret.

XIII. S. Augustinus non improbat sententiam Pelagianorum asserentiū gratiam adoptionis esse

Ad secundum respondeo, sanctum Augustinum nolle quòd homo possit vitam æternam mereri sine gratia habituali; imò potius contrarium colligitur ex laudatis verbis, *Non enim est injustus Deus qui justos fraudet mercede justitiæ*; supponit enim illis verbis illos quibus vita æterna debetur justos esse. Solùm ergo intendit ostendere contra Pelagianos hominem non posse propriis viribus servare omnia præcepta legis; quia aliàs gratis A Christus mortuus esset, ut ipse infert *cap. 1. & 2.* præfati libri, quam utique illationem ex eo veram esse demonstrat, quòd qui totam legem servat & justitiam implet meretur vitam æternam: Unde fit consequens, quòd si quis possit totam legem implere & justitiam servare sine gratia, etiam sine ea potest vitam æternam consequi: unde sequitur quòd Christus gratis mortuus sit, nec nostræ glorificationis author sit dicendus.

necessariā ad merendum.

Instabis. Sanctus Augustinus pluribi docet sententiam Pelagianorum esse quòd gratia adoptionis per quam homines constituuntur filii Dei, necessaria sit ad consecutionem regni cœlorum: ait enim libro de peccatorum meritis & remissione cap. 18. *Sed illi* (Pelagiani) *movent & aliquid consideratione & discussione dignum. Videntur afferre qui dicunt, parvulos recens vita editos, visceribus matrum non propter remittendum peccatum percipere baptismum, sed ut spiritualem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cœlorum participes fiant, &c.* Idem habet pluries alibi. Pelagiani autem ex alia parte existimabant gratiam non esse necessariam ad servandam totam legem, sed eam posse impleri naturæ viribus: igitur cùm S. Augustinus dicit *(loco suprà citato de natura & gratia)* naturam humanam debere esse securam de præmio, si ad mandata servanda sibi sufficiat; videtur utramque Pelagianorum sententiam confutare, & consequenter concedere quòd ad servandam legem sit quidem auxilium gratiæ necessarium; ad gloriam verò æternam consequendam, gratiam adoptionis non requiri.

Nego consequentiam. Pelagiani enim duo docebant primum quidem, parvulos non egere gratiâ adoptionis ad remissionem peccati originalis, quia ejusmodi peccatum non agnoscebant; secundum verò, quòd egerent gratiâ ad regnum cœlorum. Primam sententiam ut erroneam & hæreticam damnat sanctus Augustinus: non ita secundam; imò libro 6. contra Jul. cap. 4. hæc scribit, *Agimus gratias quia hoc non putatis: non enim ad regnum Dei natos nisi perfundantur adminiśtis, atque ita perfundi multò melius judicâtis quàm nasci.* Approbat ergo sententiam Pelagianorum in eo quòd gratiam adoptionis existimarent necessariam ad regnum cœlorum.

Dices secundò, homo potest mereri apud hominem, etiamsi sit ejus inimicus: ergo etiam apud Deum.

Nego consequentiam. Homo enim potest mereri apud hominem duobus modis: Primò quidem opere grato & placenti dum ejus amicus est: Secundò opere quod tametsi non sit gratum nec placens, tamen meretur mercedem propter pactum initum: secùs autem est apud Deum; homo namque non potest apud Deum mereri, nisi E per opus quod gratum sit, & placens ipsius divinæ majestati, subindeque nisi fiat ab homine amico Dei, etenim *dona iniquorum non probat Altissimus.* Eccli. 34.

Petes, an gratia habitualis sufficiat ad merendum?

XIV. Præter gratiam habitualem etiam requiritur actualis ad meritum.

Respondeo, illam non sufficere, sed ultrò desiderari gratiam actualem, ut colligere est ex dictis in probatione præsentis conclusionis, maximè verò ex verbis Christi Domini Joannis 15. *Ego sum vitis, &c.* Nam quemadmodum ut palmes ferat fructum, non satis est quòd viti unitus sit, sed insuper requiritur ut virtutem ab illo exsugat; ita ut homo producat bona opera, non sufficit

quòdChristo per gratiam sanctificantem tanquam palmes viti, & membrum capiti cohæreat: sed, ut inquit Tridentinum, necesse est *ut in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, qua virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, &c.* Igitur justorum opera, ut sint meritoria, debent procedere ab auxilio gratiæ prævenientis & concomitantis, quæ utique actualis est. *Adde* quòd opus meritorium debeat esse actus supernaturalis, qualis non esset præcisè nisi procederet ab auxilio gratiæ actualis, ut probabit

Conclusio Tertia.

XV. Actus meritorius debet esse liber.

Tres sunt conditiones necessariæ ad meritum ex parte actûs meritorii.

Prima est, quòd actus ille sit liber, & elicitus à voluntate, vel ab ejus imperio liberè agente. *Probaturque* ex modo loquendi Scripturæ, quæ idcirco laudat hominis opera, quòd cùm potuisset malè agere, justè probèque se gessit: Sic Eccl. 31. postquam de viro justo dictum est: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit*; statim subditur: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Quibus verbis satis declaratur ideo bona justorum opera esse laude & præmiô digna; quia à libertate procedunt: Hinc Apost. 1. Corinth. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habebo* (per illud enim volens) intelligit actum voluntatis liberum; quô sensu sanctus Augustinus usurpat & explicat hunc textum lib. de gratia & & lib. arbit. cap. 2.

Subscribunt etiam sancti Patres, qui docent unanimi calculô, quòd sicut nemo meretur pœnam, nisi liberè agendo contra præcepta legis, ita nec præmium & mercedem, nisi ipsamet præcepta liberè implendo. Sic sanctus Basilius homil. 9. *Virtus ex voluntate percipitur.* Hieronym. lib. 2. contra Jovinia. *Liberi*, inquit, *arbitrii nos condidit Deus, nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est.* Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. *Nec laudes*, inquit, *nec vituperationes, nec honores sunt, si anima non habeat potestatem experiendi ut aggrediendi.* Quasi diceret nos nec laude, nec vituperiô dignos esse, nisi propter opera bona & mala quæ liberè fiunt. Et sanctus Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 2. *Quando*, inquit, *volens facit, tunc dicendum est bonum, tunc speranda est boni operis merces, ab eo de quo dictum est, qui reddet unicuique secundùm opera sua.* Hinc lib. de spiritu & littera cap. 5. ait: *Homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec bene, nec malè vivitur. Denique* sanctus Bernardus sermone 81. in Cantica: *Ubi*, inquit, *non est libertas, nec meritum: propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent.*

Quia sine libertate nulla est virtus.

Suffragatur etiam ratio: *Primò* quidem; quia sicut proprietas naturalis & physica supponit esse physicum rei, cujus est proprietas, ita proprietas moralis supponit esse morale: atqui meritum est proprietas moralis actûs: igitur supponere debet illius esse morale: esse autem morale actûs, nihil aliud est, quàm ejus libertas: ergo ut actus sit meritorius, debet esse liber. *Secundò*, operi meritorio debetur merces; debitum autem oritur duntaxat ex eo quòd quis dat alteri quod suum erat, seu cujus dispositio erat in sua libertate; nemo enim dare potest, nisi id solum cujus est dominus, homo autem respectu Dei solùm dominus est suarum actionum liberarum: ergo per solas actiones liberas homo acquirit sibi jus ad præmium. *Tertiò* denique, eadem est ratio mercedis respectu boni operis, ac pœnæ respectu operis pravi: sed opera mala nisi liberè fiant, non merentur pœnam: ergo nec bona merentur mercedem, nisi ex libera voluntate procedant.

XVI. Aliud est opera acceptare ad vitam æternam; & aliud eas acceptare ad præmium vitæ æternæ.

Observandum autem hîc, *primò* aliud esse acceptare aliquas actiones ad vitam æternam; aliud verò eas acceptare ad præmium vitæ æternæ: priori enim modô Deus acceptare potest actiones non liberas, quemadmodum acceptavit mortem Innocentium, quæ licèt non fuerit libera,
B nec propriè meritoria; nihilominus gloriam æternam ipsis obtinuit. Hinc sanctus Bernardus sermone de nativit. Innocentium: *Sunt planè martyres tui Deus*, inquit, *ut in quibus nec h*[illegible], *nec Angelus meritum invenit, singularis hæc prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur.*

Secunda conditio operis meritorii est, quòd sit *actus bonus & honestus:* Suadet idipsum Scriptura, quæ non aliis operibus, quàm bonis tribuit rationem meriti apud Deum. Sic Rom. 2. ubi Apostolus dixit Deum redditurum unicuique secundùm opera ejus, addit: *Iis quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem &*
C *incorruptionem quærunt, vitam æternam, &c.* Secundæ Petri c. 1. *Satagite ut per vestra bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Primæ Joan. 3. *Fiduciam habemus ad Deum, quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram Deo facimus.*

XVII. Actus meritorius debet esse moraliter bonus.

Ratio hujus etiam est aperta; opera enim quæ fiunt *vel* sunt indifferentia, *vel* mala, *vel* bona moraliter: si indifferentia, nec laudem, nec vituperium, nec pœnam, nec mercedem merentur, utpote cùm vel moralem bonitatem vel malitiam induant: si mala non laudem & mercedem, sed vituperium & supplicium merentur: igitur ut præmium & mercedem obtineant, debent esse bona moraliter. *Deinde*, ut opus sit meritorium
D apud Deum, debet habere rationem obsequii erga ipsum: sed actus malus non potest habere rationem obsequii erga Deum, neque etiam actus indifferens, nisi fortè ex fine bono aut alia circunstantia honestetur; quâ ratione desinit esse indifferens: igitur solus actus moraliter bonus potest habere rationem obsequii, & consequenter rationem operis meritorii. *Denique*, actus meritorius, ut mox dicemus, debet esse supernaturalis, & elici ex actuali Spiritûs sancti auxilio: at actus supernaturalis non potest esse malus neque indifferens; nam Spiritus sanctus non movet, neque convertit ad actus malos, neque indifferen-
E tes: igitur, &c.

XVIII. Et in entitate supernaturalis.

Tertia denique conditio est, quòd actus meritorius sit *supernaturalis in entitate*; subindéque quòd eliciatur ex actuali auxilio gratiæ. Ita Doctor in secundum dist. 28. & probatur. *Primò* quidem ex illis omnibus Scripturæ textibus, quibus insinuatur auxiliũ gratiæ actualis necessarium esse ad opus bonum, ut jam pluries demonstravimus. Probatur item ex Conciliis. Sic in Diospolitano jussus est Pelagius agnoscere gratiam ad singulos actus dari: in Concilio Arausicano secundo. Can. 18. *Debetur*, inquit, *merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant*, juxta illud Christi. Joan. 15. *Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis*

facere: & Tridentinum seß. 6. cap. 16. ubi definit sine influxu virtutis Christi quæ bona justorum opera antecedit, & comitatur, & subsequitur, nullatenus posse meritoria reputari: Hinc *seß.* 14. *cap.* 8. docet quòd ad satisfaciendum pro pœna temporali remanente, post remissa peccata requiratur influxus gratiæ: Major autem est ratio quòd requiratur ad meritum de condigno, utpote cùm actus ille videatur nobilior & difficilior ipsâ satisfactione; quia hæc habet duntaxat pœnam temporalem solvendam; ille autem actus meritorius tendit in præmium æternum assequendum; quapropter Concilium ibidem subdit: » Namque ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo quòd per eum qui nos confortat omnia » possumus: ita non habet homo unde glorietur, » sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo » vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.

Quam utique Catholicam doctrinam apertè docuit Cœlestinus Papa. Epist. 1. ad Episcopos Galliæ, cap. 12. ubi ait: Non enim dubitemus à » Dei gratia omnia hominis merita præveniri, per » quam fit ut aliquid boni & velle incipiamus & » facere: quô utique auxiliô & munere Dei non » aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; tanta » est enim erga homines bonitas Dei, ut nostra ve» lit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his » quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus: igitur opera meritoria vel sunt in entitate supernaturalia, quales maximè sunt actus fidei, spei, & charitatis, quæ procedunt ab habitibus & virtutibus supernaturalibus: vel si sint naturalia, quatenus proveniunt à virtutibus moralibus, putà temperantia, justitia, &c. sunt saltem eatenus supernaturalia, quatenus sine gratia Dei speciali auxilioque supernaturali fieri nequeunt.

XIX. Quænam conditiones requirantur ad meritum de congruo.

Petes primò, quænam conditiones requirantur ad meritum de congruo?

Respondeo quòd ad meritum de congruo, *primò* non requiratur ex parte operantis, quòd sit in gratia sanctificante constitutus; siquidem peccator de congruo mereri potest quædam auxilia necessaria ad pœnitentiam agendam, ut jam dictum est agendo de merito ex congruitate. Requiritur verò necessariò quòd sit viator, propter rationes assignatas in præcedenti conclusione; siquidem eadem est ratio de merito congruitatis ac condignitatis quantùm ad statum viæ.

Ex parte verò actûs requiritur etiam quòd sit bonus & liber, quodque eliciatur auxiliô gratiæ actualis, non enim possumus aliquod divinum officium promereri quod spectet ad salutem per actus purè naturales, necessarios, aut indifferentes, subindeque necessum est ut actus meritorius sit aliqua ex parte supernaturalis, sit liber elicitivè vel imperativè, & bonus tam ex circunstantiis, quàm ex fine.

Non autem necessum est ad meritum de congruo, quòd divina promissio intercedat; sunt enim plura quæ homo de congruo meretur, putà donum perseverantiæ, quæ tamen Deus non promisit dare merentibus.

Addo quòd ideircò pactum requiritur in merito de condigno, ut opus inducat jus justitiæ ad præmium; sed meritum de congruo non inducit tale jus: igitur non requirit pactum; contingit tamen interdum quòd pactum interveniat in merito de congruo; nam Deus in Scriptura homini pœnitenti promittit remissionem peccatorum; cùm tamen actibus illis pœnitentiæ ante gratiam habitualem homo duntaxat mereatur de congruo.

Petes secundò, utrum actus externus aliquid addat supra meritum actûs interni?

XX. Actus externus addit supra meritum actûs interni.

Affirmo cum Doctore subtili quotlibetu 18. *De secundo in isto art.* ubi simpliciter & absolutè docet in actu externo, esse peculiare meritum; unde fit quòd in actibus interno & externo simul sumptis, majus meritum interveniat quàm in solo interno: quemadmodum enim in illis duobus actibus sunt duæ bonitates, & ut loquitur Doctor, duæ imputabilitates; ita pariter duo videntur esse merita: quæ utique sententia probari potest illis Scripturæ textibus, quibus merces promittitur actibus externis: sic Matth. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm, in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam*: Et ibidem 12. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: Hinc 2. Cor. 4. Tribulationes & flagella extrinseca patienter tolerata dicuntur conferre ad promerendam, gloriam æternam, *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ...... æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

Suffragatur etiam ratio; meritum enim est obsequium cedens in honorem aut commodum principis & illius qui valet illud præmiô compensare: sed actio exterior auget obsequium Dei, quia maximè cedit in ejus honorem; nam conducit ad excitandam in aliis cognitionem, & laudem Dei affectusque internus virtutum: ergo licèt actus externus non augeat meritum ex ea parte quâ est actio moraliter bona: tamen auget illud in ratione meriti, quia auget in ratione obsequii.

Confirmatur, quia satisfactio nostrorum operum crescit per actum externum, eò quòd satisfactio est vindicta & castigatio voluntaria culpæ, quæ castigatur acriùs actionibus internis & externis, quàm solùm internis: ergo etiam meritum crescit actione externâ.

QUÆSTIO QUARTA.

De Præmio & objecto meriti.

I. Hominis justi opera merentur vitam æternam.

NOtandum primò, certum esse jam ex dictis, quòd justi per opera bona mereantur vitam æternam; hinc Scriptura sacra vitam æternam nomine *mercedis & coronæ* designat, quô significetur eam concedi dignè laborantibus ac generosè pugnantibus; idque definitum est variis in Conciliis, Lateranensi, Florentino & maximè Tridensino seß. 6. Can. 32. his verbis: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Quibus verbis Concilium significat hominem justificatum tria posse promereri: *Primò*, quidem gratiæ augmentum: *Secundò*, consequutionem vitæ æternæ: *Tertiò* ipsius gloriæ augmentum; quòd mereatur consecutionem vitæ æternæ, constat ex dictis: qualiter verò gratiæ & gloriæ augmentum mereri possit, determinandum est in præsenti.

II. Justi non possunt mer

Notandum secundò, certum esse pariter ex dictis, quòd nullus justorum de condigno promereri possit gratiam perseverantiæ finalis, ut con-

reri gratiam perseverantiæ de condigno:

A stat illis omnibus Scripturæ textibus, quibus monentur justi, ut cum timore & tremore operentur salutem suam: Sic, *Qui se existimat stare videat ne cadat*, 1. Corinth. 10. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam:* Apocap. 3. Quapropter Concilium Tridentinum, sess. 6. Can. 16. decernit: *Si quis magnum illud perseverantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Ratio autem hujus congrua est, quia cùm status hujus vitæ præsentis sit status timoris atque sollicitudinis, conveniens fuit Deum non supponere perseverantiam merito de condigno. Nihilominus docet idem

Sed solùm de congruo.

B Conc. ibidem cap. 13. donum illud saltem merito de congruo posse obtineri, his verbis: Nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimè spem collocare & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere: veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate. Formidare enim debent scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum C Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti, Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus; si enim secundùm carnem vixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

VIII. Homo non potest mereri primam gratiam.

Notandum tertiò, certum pariter esse quòd homo sibi non possit mereri, neque de condigno, neque de congruo primam gratiam actualem; quia (ut diximus in præcedenti quæstione) omne meritum supponit ipsum auxilium gratiæ actualis ex pura misericordia nobis à Deo concessum, quæ utique veritas determinata fuit illis omnibus in Conciliis, in quibus jugulatum est & explosum Pelagianorum ac Semipelagianorum dogma. Hinc D illud vulgare Theologicum, *principium meriti non cadit sub meritum*; meritum enim præsupponitur mercedi vel ut existens, vel ut absolutè futurum; ideo namque redditur & debetur alicui, quia vel jam benè operatus est, vel prævidetur esse benè absolutè operaturus: Meritum ergo causat per suum esse, vel actu existens, vel absolutè futurum: subindéque præsupponitur ad suum effectum: ergo & principium à quo habet necessariò, ut sit meritum, præsupponi debet effectus meriti, nec potest esse illius meriti effectus ac proinde non potest cadere sub meritum, nec esse illius merces & effectus moralis; principium enim meriti necessariò præsupponitur isti merito & illius E causalitati: Hinc apertè docet Apostolus Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. c. 8. cùm explicat hæc verba Apostoli ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. si enim gratia jam non ex operibus: alioquin ut itidem Apostolus ait, gratia jam non est gratia.*

His itaque præsuppositis, tria maximè supersunt hîc determinanda: *Primum*, an æqualiter justus mereatur augmentum gratiæ sanctificantis & gloriæ: *Secundum*, an mereri possit de condigno suam reparationem si à gratia eum excidere contingat: *Tertium* denique, quid & qualiter homo justus possit alteri promereri.

Conclusio Prima.

IV. Justi mereri possunt gratiæ augmentum.

R*Everà justi per opera bona facta ex auxilio gratiæ mereri possunt augmentum gratiæ sanctificantis & gloriæ æternæ.* Hæc assertio quoad utramque partem est de fide determinata in Concilio Trid. Can. 32. suprà laudatô.

Probatur primò ex Scriptura sacra, quæ docet homines justificatos ire de virtute in virtutem, nec non & per bona opera amplius justificari: Sic Proverb. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Psal. 91. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur:* vel, ut habet alia versio, *in altum succrescet.* Debet enim esse proportio inter justos & res naturaliter viventes; itaut justi crescant secundùm justitiam & sanctitatem, sicut res viventes crescunt substantialiter donec attingant perfectionem sibi convenientem. Hinc meritò Concilium Tridentinum cap. 10. disertè ait: Si ergo justificati & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus, inquit, de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & ea exhibendo ei arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis justificantur, sicut scriptum est, Qui justus est justificetur adhuc. Et iterum Ne cesseris usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis quoniam ex operibus justificatur & non ex fide tantùm. Hoc vero justitiæ incrementum petit sanctæ Ecclesia cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum: quod utique gratiæ augmentum non obscurè significavit Christus Matth. 25. dum expressa parabola talentorum concessorum eis, qui negotiando alia lucrati fuerant, hoc addit oraculum: Omni enim habenti dabitur & abundabit, ad significandum quòd qui benè utuntur gratiâ jam sibi datâ, accepturi sint illius incrementum.

VI. Et etiam gloriæ æternæ.

Probatur etiam secunda pars ex eadem Scriptura sacra Matth. 19. ubi Christus juvenem requirentem, quid præstare deberet ad verè & securè obtinendam æternam vitam: Primum reponit, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, & postmodum cum ad perfectionem invitans, sic affatur; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo:* Id est, gloriam majorem obtinebis, quàm obtineant illi, qui propter simplicem duntaxat mandatorum observantiam coronandi sunt.

Hinc Apost. primæ Corinth. 5. *Sicut stella differt à stella in claritate: sic erit resurrectio mortuorum.* Quibus significat futuram esse in gloria mercedis diversitatem propter inæqualitatem meritorum: quod luculentiùs significat 2. Cor. 4. dicens: *Quamvis qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem, id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* Pondus autem gloriæ respondere debet mensuræ gratiæ, quæ similiter augetur per tribulationes Christi gratiâ toleratas:

toleratas: hinc cap. 4. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet.* Illis verbis alludit ad illam Christi parabolam Matth. 13. ubi comparat meritum regni cœlorum semini in terram bonam cadenti, & facienti fructum inæqualiter, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud verò centesimum.

Dices primò: Vita æterna datur duntaxat ex misericordia, juxta illud Psalmi 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Insuper appellatur *gratia* ab Apostolo Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et cap. 11. affirmat nos salvos fieri ex gratia & non ex operibus: igitur nec ipsam vitam æternam, nec illius augmentum potest homo justus per bona sua opera promereri.

VII. Quô sensu gloria dicitur gratia.

Nego consequentiam, & ad antecedens dico, vitam æternam appellari misericordiæ & gratiæ beneficium; quia, inquit S. August. lib. de gratia & lib. arbit. cap. 8. *Sine dubio & vita æterna quæ bona vita redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur; sed illa cui datur tantummodò gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia.* Vel, ut ait lib. de Correptione & Gratia cap. 13. *Sine dubitatione confitendum est ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini: rectè quippe ipsa intelligitur quæ in Evangelio legitur gratia pro gratia*, id est, *pro his quæ contulit gratia.*

Dices secundò. Ex Apostolo ad Rom. 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Igitur quò plura sunt bona opera, non ampliorem mercedem promerentur.

Distinguo antecedens: Non sunt condignæ ratione durationis, quia momentaneæ sunt, concedo: non sunt condignæ ratione valoris, nego: quia sunt opera vivorum Christi membrorum, quæ ejus spiritu & gratiâ elicita, merentur vitam æternam & ejus augmentum, juxta illud ejusdem Apostoli 2. Corinth. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

VIII. Justus non potest mereri suam reparationẽ de condigno.

Conclusio Secunda.

Justi de via ordinaria non possunt mereri de condigno suam reparationem, si contingat eos à gratia excidere.

Probatur primò ex illo Ezechielis 18. *Si justus averterit se à justitia sua & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ quas fecerat non recordabuntur.* Hæc enim verba falsa essent si Deus intuitu illorum operum conferat ex justitia homini reparationem post lapsum.

Deinde, Concilium Tridentinum apertè pronuntiat nullum meritum præcedere hominis justificationẽ: at si Deus attenderet ad bona opera ab homine in peccato existente priùs elicita, ut ipsi gratiam sanctificantem largiretur de condigno, sequeretur quòd meritum illius hominis peccatoris præcederet gratiam sanctificantem: igitur, &c.

Denique, Si posset homo justus promereri de condigno suam justificationem post lapsum, consequens esset quòd qui semel justificatus est, nusquam damnari posset, siquidem in statu reparatæ gratiæ posset denuò promereri suam reparationem si iterum labatur. Hoc autem absurdum est & alienum à Catholica veritate: igitur, &c.

Objicies primò illud dictum Josaphæ Regi 2. Paralipomenon cap. 19. *Impio præbes auxilium &* A *his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quòd abstuleris lucos de terra Iuda.* Igitur bona opera facta in statu gratiæ justificantis mereri possunt reparationem post lapsum.

Nego consequentiam: ibi enim non est sermo de merito reparationis post lapsum, sed de evasione pœnarum temporalium, quas Deus non infligit propter bona opera præcedentia. Secundò dico quòd licèt ageretur de reparatione post lapsum, non colligeretur illam fieri propter opera ab ipso Josapha in statu gratiæ facta, jam enim justificatus erat ab illo peccato quod fecerat ineundo B amicitiam & confœderationem cum Rege Achab impio, quippe cap. præcedenti refert Scriptura quod cùm Syrii circundederint eum dimicantes, ille clamavit ad Dominum & auxiliatus est ei atque avertit eos ab illo, subindéque jam egerat pœnitentiam & Dominum sibi propitium fecerat.

Objicies secundò illud Psalmi 70. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Hæc autem oratio foret inutilis, nisi ratione bonorum operum elicitorum in gratia, concederetur homini peccatori auxilium sufficiens ad resurgendum: Igitur, &c.

Distinguo minorem, nisi concederetur ratione meriti de condigno, nego: ratione meriti de congruo: concedo. *Adde quòd* Propheta Regius illis C verbis non postulet reparationem post lapsum, sed auxilia tempore tribulationis & infirmitatis, maximè verò ne ipsum deserat in senectute, quippe cùm fuisset spes ejus à juventute, confirmatus ab utero, & de ventre matris suæ protector.

Objicies tertiò illud Hebræorum 6. *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui ministrastis sanctis & ministratis.*

Respondeo, eò loci non agi de merito reparationis post lapsum; quippe Apostolus ibi loquitur sanctis & justis, ut colligere est ex illis verbis *Ministratis*, sed de mercede bonorum operum quæ facta in gratia revivíscunt per pœnitentiam. D Vel dico quòd Apostolus loquatur Hebræis lapsis in peccatum mortale, ut volunt aliqui Interpretes. Verba illa *non est injustus Deus*, intelliguntur sub hac tacita conditione, si resipueritis & pœnitentiam egeritis, ita ut sit sensus, Deum fore injustum si negaret mercedem justis pro operibus in gratia factis, si vel gratiam perpetuò conservaverint, vel amissam recuperaverint.

Conclusio Tertia.

IX. Purus homo non potest alteri mereri primã gratiam de condigno.

Non potest aliquis purus homo mereri alteri de condigno primam gratiam, nec alia gratiæ beneficia: potest verò id mereri de congruo.

E Probatur prima pars: *Primò* quidem ex Scriptura sacra quæ tradit unumquemque mercedem esse recepturum secundùm suum proprium laborem, non autem secundùm alienum; & Deum unicuique redditurum secundùm opera ejus, ut videre est *Matth.* 16. & 1. *Cor.* 3. Eò etiam pertinet forma judicii Christi tradita *Matth* 25. in qua justus judex unicuique decernit præmium, vel pœnam secundùm propria & privata merita, non autem aliena. Hinc infert S. Chrysostomus *homil.* 13. *ad populum*; neminem alteri mereri, sed quemlibet sibi ipsi: quia unusquisque judicandus est de factis propriis, non autem alienis. Circa quod caput rectè ponderat sanctus Hieronymus prudentes virgines respondisse fatuis, *Ne*

fortè non sufficiat nobis & vobis, &c. non ex avaritia, sed ex timore: unusquisque enim operibus suis mercedem recipiet; neque in die judicii aliorum virtutes poterunt aliorum vitia sublevare.

Ratio verò hujus assertionis est ipsa divina ordinatio, qua videlicet Deus non statuit concedere Justis, ut mercedem de condigno gratiam vel gloriam alterius, sed duntaxat propriam, idque justa de causa; quia gratia sanctificans; quæ est principium meriti de condigno, per se primò tendit ad propriam perfectionem & sanctificationem ipsius justi: conveniens ergo fuit, ut justus sibipsi potius mereatur gratiam & gloriam, quàm alteri.

Dices: Justus potest ex justitia satisfacere pro altero, ut patet tum ex indulgentiis, tum ex peregrinationibus ad satisfactionem impositis, quæ possunt interdum per interpositam personam impleri: ergo pari ratione poterit de condigno aliis mereri gloriam,

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est; quòd in satisfactione pœna sit taxata secundùm proportionem culpæ peccantis, non verò secundùm eam animæ dispositionem, in qua est dum adhuc existit delictum, quia interdum maximus pœnæ temporalis reatus potest reperiri in magis justo, & in minùs justo minor: at verò meritum gloriæ de condigno taxatur secundùm dispositionem ejus, cui debet tribui; nam pro mensura gratiæ sanctificantis & charitatis, erit mensura beatificæ visionis; unde non est eadem ratio de satisfactione ac de merito.

Dices secundò: Primus parens cùm fuerit caput totius humani generis, peccatô suô meruit privationem gratiæ sanctificantis suis posteris: ergo per suam pœnitentiam eâdem ratione potuit mereri ejusdem gratiæ restitutionem.

Respondeo primò, id quidem fieri potuisse, si Deus absolutâ suâ potentiâ ita statuisset; ut de facto statuere potuit; nam, ut dictum est in tractatu præcedenti, potuit Deus absolutâ suâ potentiâ communicare dignitatem capitis puro homini licèt in aliquo inferiori gradu respectu gratiæ conferendæ & promerendæ, quàm Christo contulit. Unde non repugnabat primum parentem, ut erat caput naturale totius humani generis propagandi, ita etiam fieri caput morale ejusdem justificandi, si nempe Deus ita ordinasset: at cùm res ita non fuerint constitutæ, quia Adamus non fuit à Deo institutus caput omnium hominum in spiritualibus, quantùm ad influxum donorum supernaturalium; hoc enim reservatum erat Christo Domino, sed solùm quoad visionem justitiæ originalis, quam pro se & pro suis posteris acceperat; idcirco quantumvis austera fuerit, & severa ejus pœnitentia, non potuit tamen primæ gratiæ restitutionem suis posteris promereri.

X. Id tamen potest de congruo,

Probatur 2. pars, nempe quòd justus possit aliis mereri de congruo gratiam & gloriam. Id enim colligitur ex illis Scripturæ textibus, quibus per se vel per Prophetas statuit Dei ut peccatores justorum opem & orationem implorent ad impetrandã veniam. Sic Job. 42. Deus iratus in amicos ipsius Jobi eos monet, ut offerant holocaustum: *Iob autem*, inquit, *servus meus orabit pro vobis, & faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Sic pariter pluribi testatur Deus se plurima Judæis contulisse beneficia, propter Abraham dilectum suum, propter Isaac servum suum, & Israël sanctum suum, aliosque sanctissimos viros. Hinc sanctus Ambrosius lib. 5. in Lucam affirmat Deum aliorum merito ignoscere aliis: & dum alios probat aliis relaxare errata. Et S. Augustinus serm. 99. cap. 13. de sancto Stephano, ait: *Veniam meruit inimicis: gaudere meruit in cælis de amicitiis beati Pauli subsequentis.*

Ratio etiam hujus est, quòd cùm homines sint membra unius humanæ Reipublicæ, veluti unius corporis moralis, possunt alter alteri prodesse per sua bona opera, & mereri saltem de congruo, juxta illud Psalmi 116. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Faxit ut in æternum nos suiipsius participes efficiat. Amen.

TRACTATUS TERTIUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

NVESTIGATIS & (quantùm pro modulo nostro licuit) reseratis divinæ Gratiæ fontibus & effluviis, jam declarandi sunt nobiliores illius fœtus & fructus, nempe Virtutes supernaturales, quibus homo Christianus è mortali statu ad Deum assurgit, divinæque Trinitati mirum in modum sociatur. Nam, ut ait Seraphicus Doctor l. 5. Compendii Theologici cap. 18. Fides dirigit in summè verum, credendo & assentiendo: Spes verò in summè arduum innitendo & expectando; Charitas autem in summè bonum desiderando & amando. *Hinc tres illæ præclaræ virtutes idcirco dicuntur* Theologicæ, *quòd maximè hominem ad Deum rapiant, ut ejus divino consortio, quantumvis ærumnosæ hujus vitæ miseriis jactatus ac pressus, donetur ac fruatur. In hoc enim, ait Seraphicus Doctor in* Diæta salutis tit. 5. *Theologicæ virtutes à Cardinalibus discrepant, quòd habeant Deum, vel bonum increatum, pro fine & objecto: virtutes autem* Cardinales *circa creatum bonum occupentur.* I. Quid & quæ sint Theologicæ virtutes.

Prætereà virtutes Theologicæ respiciunt magis vitam contemplativam & ordinant hominem ad Deum: Cardinales verò pertinent ad vitam activam, & ordinant hominem ad proximum; & ideo dicuntur Theologicæ, id est, divinæ à theos, *quod est Deus, &* logos, *quod est sermo; quia principaliter sunt ad Deum: sed Cardinales dicuntur à cardine, in quo vertitur ostium, quia principaliter respiciunt vitam activam, quæ tota est mobilis super Cardinales virtutes. Unde tres virtutes Theologicæ pertinent ad Mariam, quæ intendit circa unum, id est, circa bonum increatum, quod non aufertur ab ea, nec mutatur: quatuor verò Cardinales pertinent ad Martham, quæ intendit circa multa, & turbatur erga plurima, scilicet bona.* Qualiter à Cardinalibus discrepent.

Nolim tamen existimes tres eas virtutes divinas in sterili quadam ac otiosa contemplatione torpescere; nam, ut præclarè ait sanctus Gregorius Homil. 12. in Ezech. Unusquisque, qui in activæ vitæ exercitio versatur, tantùm credit quantùm sperat, amat & operatur: tantùm sperat quantùm credit, operatur & amat: tantùm amat, quantùm credit, sperat & operatur: tantùm operatur quantùm credit, amat & sperat. Omnes sunt operativæ.

Vt autem singularum istarum virtutum plana, ac (quantùm Deus dederit) plena habeatur notitia, præsentem Tractatum, sicut & præcedentes, tribus Disputationibus totidem Articulis distinguendis absolvemus: quarum Prima *Fidei objectum, habitum & actum internum ac externum aperiet:* Secunda *Spei naturam, subjectum & actus demonstrabit.* Tertia *verò Charitatis essentiam, dignitatem, & ordinem indigitabit.* Præsentis Tractatûs delineatio.

DISPUTATIO PRIMA.

De virtute Fidei Divinæ.

II. Fidei dignitas & præstantia declaratur. A Guillelmo Parif.

UANTA sit divinæ Fidei dignitas ac præstantia, eleganter describit Guillelmus Parisiensis Episcopus Tract. de Moribus c. 1. ubi fidem ita suas prærogativas & encomia referentem inducit: Ego sum prima vita mentis humanæ: dicente Abacuc, Justus ex fide vivit; cùm enim Deus sit vita animarum, cúmque tres sint coniunctiones ipsius ad animam, prima ad intellectum, secunda ad affectum, tertia ad sensum inferiorem: Ego sum prima, quæ mentem humanam mortifico, & Deo subjicio: Ego sum lux in operibus creationis & reformationis humanæ, primum creata, quemadmodum lux cum operationibus divinis: Ego sum columna lucis de Ægypto erroris eruens intellectum, protegens contra tela Hæreticorum & Philosophorum: Ego sum primus Dei bellator, arcem humanæ mentis, id est, virtutem intellectivam, prima expugnans potenter, & victoriosè ingrediens, & ipsum primum Dei hostem, id est, sapientiam humanam in ea arce occidens, aut saltem captivans, vel, ut loquitur Apostolus 2. ad Cor. 10. in captivitatem redigens omnem intellectum extollentem se adversus scientiam Dei..... Ego sum, quæ Deum (si fas est dicere) in mundo deifico; neque enim ad ipsum colendum acceditur nisi per me..... Ego idola prostravi, dæmones fugavi; templa sanctificavi, terram mundavi, Dei cultum restitui..... Ego sum virginitas mentis humanæ, id est, integritas intellectûs, nec idolatriæ, nec hæresis adulteriô violata, &c.

Hæc est, inquit sanctus Bernardus sermone 76. in Cantica; *quæ falsi nescia attingis inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ, ac usum naturæ, ipsam denique æternitatem suo vastissimo sinu quodammodò circumcludit.*

S. Bernard.

Et S. Aug

Hinc egregiè sanctus Augustinus serm. 1. de verbis Apostoli, & serm. 18. de Tempore cap. 12. ait: *Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major est substantia, quàm fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, Catechumenos beatificat, impios justificat, pœnitentes reparat, Iustos augmentat, Martyres coronat.*

Disputationis distributio.

Hujus itaque præstantissimæ ac omninò divinæ virtutis naturam, fœcunditatem, ac eximias dotes, hac in Disputatione auspicamur delineandas tribus in sequentibus Articulis: quorum *Primus* fidei objectum: *Secundus* habitum: *Tertius* actum explicabit.

III. Cur hic non agatur de locis Theologicis.

Cæterùm nemini mirum videri debet, quòd præter plurium Theologorum consuetudinem, nullas hîc attexam quæstiones de locis Theologicis, seu divinis illis armamentariis, ex quibus depromuntur oracula, quibus fidei dogmata propugnari solent & illustrari, qualia sunt Scriptura sacra, Concilia, summorum Pontificum decreta, ac SS. Patrum documenta: Enimverò præterquam quòd quæstiones istæ nonnisi per occasionem ad hanc materiam exornandam adjiciuntur; certum est illas à Controversistis nostri temporis adeò feliciter & copiosè præoccupatas esse, ut nihil attexendum superesse videatur.

Adde quòd jampridem mibi persuasum sit, has difficultates, nec breviter pro dignitate; nec paucis eô fructu, qui sperandus esset, posse explicari; cùm enim de istis controversiis ultró citróque tam à nostris, quàm ab adversariis propositæ sint rationes plurimæ, & copiosô sermone, hinc utrinque libratæ; earum omnium explicationem paucis velle complecti, non videtur aliquid facilius, quàm si quis prætenderet Oceanum vase concludere. Quapropter ne præsens Tomus justam magnitudinem excedat, & crescat in eam molem, quæ nec sine fastidio legi possec; nec à junioribus Theologiæ studiosis (in quorum maximè gratiam scribimus) nonnisi cum tædioso labore deportari; idcirco ab eis quæstionibus impræsentiarum supersedimus, de eis (si Deus ita dederit aliquando) in speciali volumine disputaturi.

ARTICULUS PRIMUS.

De objecto Fidei.

IV. Quid sit objectum materiale.

COMPERTUM est ex Philosophia, omnem habitum intellectualem ab objecto suo specificari, nec aliter ejus naturam nobis innotescere, quàm per ordinem ad objectum circa quod occupatur; unde congruâ methodô Theologi divinæ Fidei naturam investigantes, illam ab ejus objecti delineatione perscrutantur. Objectum autem alicujus habitûs illud dicitur, quod objicitur, seu proponitur intellectui cognoscendum per ipsum habitum: illudque solitò distinguitur duplex, *materiale* videlicet & *formale*. Primum ita nominatur, non quòd sit corporeum & materiâ physicâ constans; sed *vel* quia est id circa quod intellectus negociatur, ut illius veritatem deprehendat, quemadmodum artifex aliquis occupatur circa materiam, quam juxta suæ artis regulas elaborat: *vel* ratione ejusdem analogiæ ac similitudinis, quam habet cum materia; sicut enim illa est indifferens ad varias formas, à quibus informetur; ita hoc indifferens est ad varias scientias & diversos habitus, à quibus attingatur & percipiatur: idem enim corpus humanum v. g. simul est objectum Medicinæ ut sanabile, Physicæ ut naturale, & Geometriæ ut extensnm est. Objectum autem *formale*, est illa formalitas in objecto materiali reperienda, quæ ipsum determinat ad cer-

Et formale;

tam scientiam, & peculiarem habitum; ita quòd eâdem ratione ab altero habitu non percipiatur; sic naturalitas corporis humani determinat ipsum ad Physicam, sanabilitas ad Medicinam, mensurabilitas ad Geometriam.

Objectum materiale aliud primarium, aliud verò secundarium.

Rursus materiale objectum dividitur in primarium & secundarium: *Primarium* illud est, ad quod omnia, quæ mediante istô habitu intellectus considerat, revocantur; vel quod est primum ptimitate perfectionis, quia cæteris aliis longè nobilius est: secundarium verò appellatur illud, quod ad primarium ordinatur, vel quod eô ignobilius est.

Formalè aliud *quod* & aliud *quô*.

Similiter objectum formale dividitur in objectum formale *quod*, & in objectum formale *quô*. *Primum* est quod terminat formaliter habitum, seu actum intellectûs elicitum mediante habitu, estque illa objecti materialis formalitas, quæ per se & ratione sui attingitur à potentia vel habitu; cætera verò ratione illius. *Secundum* verò, est illa ratio per quam objectum materiale primò movet intellectum ad assentiendum objecto; sic v. g. objectum formale *quod* potentiæ visivæ est color, quia ille per se & ratione sui ab oculo percipitur; objectum verò formale *quô* est lux, quâ mediante visus colores percipit. Quærimus ergo quodnam sit objectum tam materiale quàm formale fidei, de quibus plura veniunt determinanda. *Primum* quidem, quodnam sit objectum tam materiale quàm formale fidei Theologicæ. *Secundum*, in quid ultimò resolvi debeat assensus fidei tanquam in motivum assensûs. *Tertium*, an & qualiter omnia credenda invicem ordinentur, & in Symbolo contineantur. *Quartum*, utrum objecta fidei ita necessariò sint vera, ut nullâ ratione, quæ falsa sunt, à Deo revelari possint, ut pro veris credantur. *Quintum*, utrum objecta fidei debeant esse credibilia, & quæ sint motiva eorum credibilitatis.

Articuli distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quodnam sit objectum materiale Fidei?

I. Fidei vox plura significat.

N*Otandum primò*, Fidei nomen variam habere significationem tam in Scriptura quàm apud SS. Patres. *Primò* namque sumitur pro veracitate in servandis promissis: Sic ad Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem evacuabit? absit; est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, &c.* Quâ ratione Christus D. Apocalyp. 1. dicitur *testis fidelis*, id est, verax: consonatque etymologia vocis, *fides*, quæ deducitur à verbis *fio & dico*, quia fit quod dicitur, ut observat S. Augustinus epistolâ 19. ad S. Hieronymum ex Cicerone lib. Offic.

1. Sumitur pro veracitate.

2. Pro fidelitate.

Secundò, fides usurpatur pro fideli executione ministerii commissi: Sic Isaiæ 11. de Messia venturo prænuntiatur: *Erit fides cinctorium renum ejus.* Et juxta hanc acceptionem, Lucæ 12. Oeconomus appellatur *fidelis dispensator*. Et ibidem cap. 16. Christus D. ait: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.*

Tertiò, usurpatur pro conscientia, seu judicio practico de agendis, quo sensu communiter accipitur illud ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide*, id est (quod est contra dictamen conscientia) *peccatum est.*

Quartò, accipitur interdum pro fiducia: Sic Christus Matth. 8. Apostolos alloquens ait: A *Quid timidi estis modicæ fidei.* Ibi autem est sermo de Apostolis naufragium timentibus: at timor opponitur fiduciæ; ac subinde ibi fides pro fiducia accipitur; Hinc sanctus Jacobus monet fidelem orantem, *ut postulet in fide nihil hæsitans.* Idque conformiter ad illud Marci 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis.* Quam utique fidei acceptionem genuinam esse volunt hæretici, usurpantes fidem Christianam & justificantem pro ipsa fiducia, quâ quis credit sibi à Deo peccata condonari.

3. Pro fiducia.

4. Pro objecto per fidem cognito.

Quintò, fides interdum sumitur pro fidei objecto, seu doctrina: Sic Actor. 6. dicitur: *Multa* B *etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Et Apocalypsis 2. Episcopo Ecclesiæ Pergami dicitur: *Tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Hinc sanctus Athanasius ubi in Symbolo suo expressit ac declaravit præcipuas veritates mysteriorum Trinitatis & Incarnationis, subdit: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

5. Pro actu vel habitu fidei.

Sextò, magis propriè fides sumitur pro habitu vel actu supernaturali intellectûs, quò veritatibus à Deo revelatis, propter ipsius revelationem & authoritatem certò quidem, sed inevidenter assentimur. Quô sensu Apostolus ad Hebræos 11. fidem sic describit: *Est autem fides sperandarum* C *substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ descriptio fit per ipsius fidei proprietatem & effectum; fides namque est basis & fundamentum spei, ideo enim certò speramus bona temporalia, quia per eam novimus à Deo nobis esse repromissa: Est pariter argumentum non apparentium, id est convictio & certissima persuasio earum rerum quæ non videntur, neque sciuntur, neque creduntur aliunde, quàm quia à Deo revelatæ sunt. Hinc fides rectè definiri potest, habitus vel actus supernaturalis intellectûs, quô firmiter sed obscurè assentimur iis quæ Deus revelavit sive immediatè, sive mediatè.

II. Objectum est vel adæquatum vel inadæquatum.

Notandum secundò, objectum alicujus habitûs vel scientiæ esse vel *adæquatum*, vel *inadæquatum*. Primum dicitur quod tantùm partialiter ab D ipso habitu attingitur, sic corpus humanum dicitur objectum inadæquatum Physicæ, quia duntaxat est veluti pars corporis naturalis, circa quod rota physica occupatur: Hoc autem iterum est duplex, nempe vel *primarium* ratione dignitatis, sic Deus dicitur objectum primarium Metaphysicæ, & anima rationalis censetur objectum primarium Physicæ, quatenus agit de homine; cætera namque sunt vel Deô, vel animâ ignobiliora: vel *secundarium*, quatenus scilicet attingitur equidem ab habitu, sed non cum tanta nobilitate ac dignitate propter minorem sui perfe- E ctionem.

Adæquatum est vel primarium, vel secundarium.

Objectum adæquatum illud dicitur, ad quod revocantur omnia, quæ per habitum attinguntur, & ad ipsum ordinantur. Possunt autem dupliciter ordinari, nimirum vel per ordinem intrinsecum, vel duntaxat per extrinsecum: Priori modô sic dicuntur ordinari, quando videlicet omnes actus, qui eliciuntur mediante habitu, sic versantur circa hujusmodi objectum, ut in sua entitate, seu in modo intrinseco tendendi in ista objecta, dicant etiam ordinem & respectum intrinsecum ad objectum attributionis: quemadmodum v. g. omnes creaturæ quæ videntur in Verbo ab intellectu beatifico, sic ab eo percipiuntur, ut cum eis Deus ipse videatur: vel sic

ordinari possunt illa objecta, ut tamen etiam possint attingi per actus, qui vel nullum ex se dicunt ordinem ab objectum attributionis: sic v. g. licèt cognitio, quâ Medicus investigat naturam & virtutem alicujus plantæ conducere possit ad sanitatem infirmo restituendam; tamen non sic ad id ordinatur, quin etiam possit ob alium finem, ad quem illius plantæ natura & virtus deservire possit: illa quippe cognitio solùm repræsentat naturam & virtutem plantæ, quæ ex se indifferens est, ut ordinetur & applicetur ad sanitatem hominis, vel ad alium finem, ad quem posset ordinari; unde illa ordinatio est potius extrinseca, ex parte videlicet habentis illam cognitionem, non verò intrinseca & ex parte ipsius cognitionis. Quæritur ergo utrum Deus vel aliud à Deo sit objectum adæquatum attributionis fidei; ita quòd omnes ipsius actus necessariò dicant ordinem ad Deum, nec possint per fidem attingi, quin pariter Deus ab eo actu percipiatur.

III. Deus per ordinem ad fidem considerari potest 1. sub ratione Deitatis. *Notandum tertiò* Deum per ordinem ad fidem, variis modis posse considerari. *Primò* quidem, sub ratione Deitatis seu divinæ essentiæ, quatenus videlicet illa est fons & origo non solùm omnium divinarum perfectionum, sed etiam omnium prorsus entium creatorum, quæ ab ipso entitatis Occeano, quasi fluvioli quidam emanant, & in eam velut in suum finem refluunt, ac ordinantur. *Secundò* sub ratione supremi Domini, quatenus videlicet authoritatem habet in omnia prorsus entia creata, quæ ipsi ad nutum debent obsequi. *Tertiò*, sub ratione primæ veritatis, idque tripliciter: nimirum vel in essendo, vel in cognoscendo, vel in dicendo; triplex enim distinguitur veritas. Prima quidem *in essendo*, quæ est ipsamet infinita Dei entitas omnimodam ac realissimam entis infiniti rationem ab æterno sibi vendicans, ratione cujus dicitur verus Deus, id est, veram habens Deitatem, & distinguitur à falsis & ementitis Diis: Veritas in *cognoscendo*, est ipsa summa & infinita Dei sapientia, quæ res cognoscit ut sunt in se; itaut impossibile sit illum in earum apprehensione ullatenus decipi. Denique veritas *in dicendo* seu revelando, quæ in nobis est virtus moralis, seu propensio & inclinatio ad dicendum verum; in Deo autem est summa illius inclinatio ad dicendum verum in iis omnibus quæ vel per se vel per alios enuntiat; itaut neminem possit fallere, quæ quidem inclinatio etiam *veracitas* appellatur.

2. Sub ratione Domini.

3. Sub ratione primæ veritatis: idque vel in essendo, vel in cognoscendo, vel in dicendo.

Ex hac autem multiplici Dei consideratione, varia exurgit Authorum sententia de objecto formali fidei. *Aliqui* enim cum Aureolo nostro volunt Deum esse objectum formale fidei sub ratione Deitatis: *nonnulli* cum Guillelmo Parisiensi Tract. de fide, existimant Deum esse objectum ipsius fidei, sub ratione Domini, seu quatenus præcipit aliquid, licèt inevidens, esse firmiter credendum: *Cæteri* verò volunt Deum assignari objectum fidei sub ratione primæ veritatis, idque *vel* in essendo, *vel* in cognoscendo, *vel* in dicendo.

Status quæstionis. Quatuor igitur maximè occurrunt hîc determinanda: *Primum* quidem, quodnam sit objectum adæquatum attributionis fidei: *Secundum*, an Deus sit objectum primarium & magis præcipuum, idque vel sub ratione Deitatis, vel sub ratione Redemptoris ac Salvatoris: *Tertium*, utrum Deus censeri possit objectum formale fidei, sub ratione primæ veritatis in essendo: *Quartum*, quodnam sit objectum formale *sub quo*, seu motivo fidei.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Objectum materiale fidei est omne ens revelabile.

OBjectum *materiale fidei divinæ generatim & adæquatè sumptum, est omne ens revelabile à Deo.* Ita Doctor in 3. dist. 23. num. 6. ubi ait: *Teneri potest quòd sit una fides omnium credibilium, quia non respicit credibile sub propriis rationibus illorum, sed ut revelata sunt à Deo, & credit omnia revelata ab ipso tanquam vera esse, eodem habitu quò credit revelantem esse veracem.*

Probatur autem conclusio. Illud dicitur objectum attributionis alicujus habitûs, in quod omnes actus ab eodem habitu eliciendi directè & per se tendunt: sed omnes omnino actus fidei tendunt immediatè & directè in ens revelabile à Deo: igitur, &c. Major constat ex dictis in 2. Notabili. Minor etiam per se patet: Nullus est enim fidei actus qui directè non tendat in id quod à Deo revelatum est, idque non aliâ ratione, quàm quia revelatum est a Deo, qui nec fallere, nec falli potest.

Deinde. Illud est objectum adæquatum attributionis alicujus habitûs, circa quod operari potest: sed fides non potest operari nisi circa objectum revelatum à Deo, ut constabit infrà: ergo necessum est quòd ens revelabile sit objectum attributionis fidei. Major patet. Nam omnis materia quæ informari potest à ratione formali alicujus habitûs, pertinet ad ipsius objectum materiale, & sub eo comprehenditur: at omne ens revelabile potest informari testimoniô divinô, quod est objectum formale fidei divinæ.

Denique, quanquam de facto omnia non solùm objecta quæ per divinam fidem percipiuntur, sed etiam omnes actus qui eliciuntur per eam, ad Deum directè vel saltem indirectè possint ordinari, attamen certum est quòd Deus possit plures veritates revelare per fidem cognoscendas, quæ non magis ad Dei gloriam aut notitiam ordinantur, quàm illæ veritates naturales, quas Philosophus speculatur.

V. Deus tamé dici potest objectum adæquatum.

Fateor tamen Deum aliquô sensu posse dici objectum adæquatum attributionis fidei, quatenus videlicet omnia quæ per divinam fidem percipiuntur, directè, vel indirectè, referuntur ad Dei notitiam. Siquidem omnia quæ divinâ fide creduntur, reverà conferunt ad Dei essentiam, vel perfectiones, vel operationes perspicaciùs & evidentiùs manifestandas; enimverò in mysteriis quæ ad Divinitatem ipsam immediatè spectant, res est aperta: similiter mysteria quæ ad Incarnationem Verbi pertinent, versantur circa Deum ut existentem & operantem in nostra humanitate; quæ verò sermonem faciunt de Angelis & hominibus, etiam in Deum collineant; quippe Angeli & homines illius sunt imagines, servi, filii, & hæredes. Cætera denique ad Deum mediatè vel immediatè ordinantur, non solùm tanquam ad finem ultimum, sed etiam ut per eorum cognitionem & notitiam, veluti facem præferant ad Deum præstantiùs cognoscendum.

Dices: Fides versari non potest circa omne ens revelabile: igitur ens revelabile ut sic non est objectum attributionis fidei. Consequentia patet; Objectum enim adæquatum alicujus habitûs, non debet ipsius habitûs attingentiam & virtutem excedere. Probatur antecedens; fides enim non potest tendere nisi in quod de facto revelatum

est. *Nam*, inquit Apostolus: *fides ex auditu; auditus autem per Verbum Dei:* multa autem sunt revelabilia, quæ non sunt de facto revelata: igitur, &c.

VI. Quâ ratione fides versari possit circa omne ens revelabile.

Distinguo antecedens: Fides non potest actu versari circa omne revelabile, transeat: virtute & aptitudine, nego. Fateor equidem quòd fides non possit actum assensûs elicere, nisi circa quæ revelata sunt; tamen ipse fidei habitus ex se capax est, ut intellectum, cui inest, inclinet ad assensum cuicumque revelabili, ubi de facto revelatum fuerit. Consultò autem diximus potius *ens revelabile* esse objectum attributionis fidei, quàm *ens revelatum*, ut videlicet fidei virtutem & efficaciam explicaremus apertiùs, significaremusque tantam esse vim illius divinæ virtutis, ut quanquam modò incliner duntaxat intellectum ad assentiendum determinatis articulis, & definitionibus quibusdam; tamen ex se sufficiens est, ut intellectum inclinet & adjuvet ad assentiendum infinitis syncategorematicè propositionibus, si totidem successivè per æternitatem intellectui à Deo proponerentur & revelarentur. Hoc enim, inquit Doctor locô suprà laudatô, non excedit virtutem nec capacitatem potentiæ, aut habitûs finiti.

Conclusio Secunda.

VII. Deus est præcipuum fidei objectum.

Deus *est objectum primarium & magis præcipuum divinæ fidei: idque præcisè sub ratione Deitatis.* Hæc est Doctoris in 3. dist. 23. num. 15. ubi ait: *Oportet ponere fidem infusam propter firmum assensum, ut respiciat Deum pro objecto primo, de quo sicut de objecto formantur aliæ veritates, quæ continentur in articulis mediatiùs vel immediatiùs, secundùm quod ipsum sic vel sic respiciunt.* Dixerat priùs num. 10. *Sic Deus infudit nobis habitum fidei inclinantem intellectum nostrum in assensum articulorum; ita quòd fides respiciat ipsum Deum, de quo formantur articuli, quibus sicut objectis secundariis assentimus per habitum.* Probatur *prima pars* conclusionis: *Primò* quidem ex Scriptura sacra, quæ disertè significat fidem in Deum tendere, ac præcipuè circa ipsum versari; hinc appellatur *fides Dei:* monebat namque Christus Marci 11. *Habete fidem Dei.* Quapropter S. Paulus 1. ad Thessal. ait: *Fides vestra quæ est ad Deum:* Unde ad Hebr. 11. monet, *accedentem ad Deum oportet credere quia est:* Quibus verbis significat primum fidei actum maximè tendere in Dei existentiam: quod utique præclarè docet S. Augustinus lib. 4. de civitate Dei cap. 29. *Fidei primum & maximum officium est, ut in verum Deum credatur.* Quibus omnibus apparet fidem in Deum tendere tanquam in primarium ac præcipuum objectum, ad quod cætera, quæ illa percipit ordinantur ac referuntur, non solùm in ratione entis, sed etiam in ratione objecti credibilis.

Deinde: Illud censetur alicujus scientiæ aut habitûs præcipuum objectum, quod in præcipuis conclusionibus aut articulis & sanctionibus habet rationem subjecti: at ita est de Deo respectu fidei; enimverò constat Deum ut Unum, Trinum, Creatorem, Redemptorem, &c. esse subjectum in præcipuis fidei articulis: igitur, &c.

Denique, Illud dici debet præcipuum objectum alicujus habitûs intellectivi, ad cujus præstantiorem cognitionem ea omnia revocantur, quæ per illum habitum cognoscuntur ab intellectu: at omnia quæ per divinam fidem innotescunt, eò A referuntur, ut cognoscamus, quis, qualis & quantus sit Deus in se, & quâ ratione eum colere, ac in eum tendere debemus, ut ejus æternâ fœlicitate donemur: igitur Deus reverà est præcipuum fidei objectum.

Probatur etiam secunda pars, nempe quòd Deus sub ratione Deitatis habeat rationem objecti fidei, non verò sub ratione alicujus extrinsecæ denominationis, putà Redemptoris, Sanctificatoris aut Glorificatoris. Tum quia idem est objectum Theologiæ ac fidei divinæ, inquit Doctor in Prologo quæst. 3. quæstiunculâ 2. laterali num. 7. siquidem Theologia maximè fidei principiis ac lumine nititur, & utraque circa Deum, ut Deus est, tendit, quanquam diversimodè; nam fides tendit in Deum per simplicem assensum, quem B exhibet rebus à Deo revelatis; Theologia verò per illationem quam elicit ex ipsa Dei notitia accepta per fidem, quæ est veluti ipsius Theologiæ ad Deum manuductio. *Tum quia* Deus censeri debet objectum adæquatum fidei secundùm eam rationem, quæ primariò & principaliter per fidem intenditur: sed Deus priùs intenditur sub ratione Deitatis, quàm sub qualiber alia ratione: igitur censeri debet objectum adæquatum fidei sub ratione Deitatis. Major constat. Minor probatur, duo sunt Prædicatorum & perfectionum ordines in Deo: quarum quædã sunt omnino intrinsecæ, ut esse unum, trinum, bonum, &c. aliæ verò C etiam extrinsecæ, ut esse de facto Creatorem, Justificatorem & Glorificatorem: sed prior ordo divinarum perfectionum, quæ maximè Dei entitatem ac Divinitatem instituunt ac illustrant, per fidem priùs attingitur quàm perfectiones posterioris ordinis; siquidem divina fides in Deum fertur, primò quatenus Deus est, idque primò de Deo credit quod in ipso priùs est credibile: at perfectiones prioris ordinis sicut sunt priores in esse rei: quia prius est rem absolutam esse secundùm se, quàm per ordinem ad aliud, ita sunt priores secundùm rationem credibilis, nam ratio credibilis sequitur ad rei veritatem, veritas autem ad entitatem: igitur cùm Deus sit prior secundùm rationem Divini- D tatis, quàm sub quavis alia ratione, etiam est priùs attingibilis per fidem, & consequenter sub ratione Divinitatis objectum adæquatum fidei.

Objicies primò: Tam Christi humanitas censeri debet objectum fidei, quàm Divinitas: igitur hæc non est fidei objectum adæquatum. Probatur antecedens ex illo Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Quæ verba non solùm sunt intelligenda de cognitione beatifica, sed etiam de notitia fidei, cui concordat illud Joann. 20. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Hinc ipsemet Christus Dominus Joan, 14. monebat; *Creditis in Deum, & in me credite.* Igitur tam humanitas E Christi Domini spectat ad objectum fidei, quàm Divinitas.

VIII. Christi D. humanitas tantùm est secundariũ objectum fidei.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico ex his divinis oraculis solùm elici quòd Christi humanitas proximiùs spectet ad objectum fidei adæquatum, quàm cætera quæque creata, quæ sub objecto fidei comprehenduntur, tum propter intimiorem sui cum Divinitate conjunctionem: tum quia primum & præcipuum est medium nostræ salutis & potissimum Dei in homines beneficium; unde sequitur eam pertinere ad fidem tantùm secundariò, sicut cætera beneficia Dei, & si-

cut alia media nobis collata ad salutem; scilicet ut ex ejus cognitione meliùs innotescat summa Dei erga nos bonitas & misericordia.

Stolida & inepta Calvini criminatio in Theologos.

Hinc stolidè Calvinus Doctores scholasticos arguit, quasi in divinas Scripturas apertè militarent, eùm asserunt Deum esse primarium fidei objectum, non item Christum; quem, inquit, contra divina oracula ab objecto fidei secernunt & excludunt: quod quàm falsum sit, apertè constat; siquidem Christum Dominum veluti primarium inter secundaria fidei objecta censendum esse non abnuimus; ita quòd fides priùs in Deum ut Deus est, quàm in Deum ut homo est intellectum humanum dirigat; quod utique à mente ipsius Christi Domini non est alienum; siquidem ex mox laudatis oraculis & aliis similibus constat Christum insinuare fidem priùs esse dirigendam in Deum, quàm in seipsum.

Objicies secundò: Omnis scientia & habitus intellectivus supponit de suo subjecto aut objecto *quòd sit & quid sit*, ut docet Arist. 1. posteriorum: sed fides est habitus intellectivus: igitur supponit Dei existentiam & essentiam, & consequenter supponit Deum sub ratione Divinitatis, ac proinde sub ea ratione circa Deum non occupatur, nec in eum tendit.

IX. Omnis habitus non debet supponere de objecto quod sit.

Respondeo 1. negari posse majorem universaliter loquendo; nec enim illa prænotio de subjecto & objecto quòd sit, exigitur ab Arist. ad omnem prorsus scientiam & habitum intellectivum: sed tantùm ad demonstrationem perfectissimam, quâ prima proprietas demonstratur de sua scientia; plures enim sunt demonstrationes, quibus ipsa subjecti aut objecti existentia probatur saltem à posteriori; cognitio verò distincta illius essentiæ potius intenditur quàm supponatur per scientiam; unde major generaliter loquendo non est vera.

Maximè quando objectum non concurrit ad formationem habitûs.

Respondeo secundò, distinguendo majorem: Omnis habitus intellectivus supponit objectū suum, tam quoad an sit, quàm quoad quid sit, quando objectum concurrit ad illius productionem unà cum intellectu, concedo: secus, nego: Similiter distinctâ minore, neganda est consequentia; fides enim cùm sit habitus divinitùs infusus, ut dicemus infrà, à solo Deo producitur ut causa efficiente, non verò partim ab intellectu, partim à Deo ut objecto; & subinde non debet supponere Dei essentiam & existentiam, sed circa utramque legitimè occupatur.

Objicies tertiò: Plurima sub fidem cadunt, & per illam certò creduntur, quæ nullâ ratione ordinari possunt ad præstantiorem Dei notitiam aut ejus gloriam manifestandam, putà quòd Tobias habuerit canem, quódque canis iste *quasi nuntius adveniens blandimentò suæ caudæ gaudebat*, ut legimus Tobiæ 11. igitur Deus censeri non potest objectum adæquatum fidei sub ratione Divinitatis.

X. Omnia quæ sub divinâ fidem cadunt, spectant & ordinantur ad Deum.

Nego antecedens, & ad ejus probationem dico historiam illam canis Tobiæ & similia ordinari ad Deum, tum quia conducunt ad manifestandam veracitatem Dei, quæ nec in re levissima deficere potest; cùm enim fides Deum in omnibus veracem profiteatur, & ejus veritati in dicendo maximè innitatur; hinc quidquid illa percipit absolutè, in Deum ordinat: Hic enim est virtualis fidei discursus: *Quidquid Deus dicit est verum, sed Deus mediante saltem Scriptore Canonico libri Tobiæ dicit ipsum Tobiam habuisse canem*: igitur, *id verum est*. Id etiam conducit ad commendandam eximiam Dei bonitatem erga sibi fideles Clientes, qualis erat Tobias; cujus historiæ gratissima aliqua pars fuit adventus ille canis præcedentis & nuntiantis accessum Tobiæ junioris, ac caudâ gestientis. Conducit denique ad significandam sapientissimam illam divinæ Providentiæ ordinationem, quâ post varias ærumnas, diversásque probationes ac tribulationes prosperitatem inducit, & lætitiam non solùm in maximis, sed etiam in minimis ubertim effundit. Cætera quæ possent adversus hanc conclusionem objici, jam expensa sunt & dissoluta in suprà laudata quæstione prœmiali nostræ Theologiæ. Ideo sit

Conclusio Tertia.

XI. Deus est objectum formale quod fidei, ut est prima veritas in essendo.

DEus *sub ratione primæ veritatis in essendo, est objectum formale* QUOD *fidei divinæ*. Probatur: Illud est objectum formale, à quo specificatur, & per quod ab aliis habitibus distinguitur: at fides versatur circa Dei veritatem in essendo, & per eam distinguitur ab aliis habitibus intellectualibus: igitur, &c. Major constat. Minor probatur quantùm ad primam partem authoritate S. Dionysii lib. de divinis nominibus cap. 7. ubi ait: *Fides est circa simplicem & semper existentem veritatem*: sed veritas simplex & semper existens, non est alia quàm ipsa Dei veritas in essendo: igitur, &c. Probatur etiam quantùm ad secundam partem: Deus enim sub alia ratione est objectum fidei, quàm spei ac charitatis: sed est objectum spei, ut Fidelis, charitatis verò ut summè bonus: igitur debet etiam esse objectum fidei ut summè verus. Confirmatur: Si Deus sub aliqua alia ratione censeri posset objectum fidei; maximè, ut volunt plurimi ex nostris, sub ratione primæ veritatis in cognoscendo & dicendo: sed id non videtur admittendum, Tum quia objectum formale unius habitûs debet esse unum: sed veritas Dei in cognoscendo & revelando non est quid unum; siquidem veritas Dei in cognoscendo, est ipsius perfectio intrinseca realissima, & omninò divina: veritas autem in dicendo seu revelando est quid extrinsecum, contingens & respectus rationis: Tum quia objectum formale habitûs realis, debet etiam esse reale; seu, inquit Doctor in 3. dist. 23. n. 7. *Ratio formalis habitûs realis non est ratio, vel ens rationis: sed esse revelatum Deum esse Trinum & Vnum, non dicit ultra Deum Trinum & Vnum, nisi respectum rationis, sicut esse cognitum, non dicit nisi respectum rationis ultra rem quæ cognoscitur: igitur assensio Deo trino, quia revelatum, formalis ratio objecti, cui assensio per habitum realem est ens rationis, quod est inconveniens, cùm habitus realis habeat objectum formale reale, sicut potentia realis objectum formale reale: igitur revelari passivè, cùm sit res rationis, non potest esse formalis ratio tendendi in hoc, Deus est trinus & unus*: Tum denique quia objectum formale debet esse aliquid intrinsecum objecto materiali: sed veritas Dei seu revelatio divina, non est quid intrinsecum Deo: neque divina perfectio afficiens illius essentiam: igitur, &c.

XII. Esse revelatum est denominatio extrinseca & ens rationis.

Dices primò: Illud est objectum formale fidei, in quod ipsa resolvitur, seu quod est ratio propter quam credimus Deo: sed ratio propter quam Deo revelanti credimus, non est ipsa veritas Dei in essendo, sed veracitas seu veritas in dicendo: igitur Deus sub ratione primæ veritatis in essendo, non est objectum formale fidei.

Distinguo majorem: Est objectum formale motivum

XIII. *Veritas in cognoscendo & dicendo est quidem objectum motivum, non verò specificativum fidei.* tivum, & respectu credentis, concedo: specificativum & respectu fidei, nego: objectum enim formale specificativum & motivum in hoc discrepant, quòd primum maximè spectet ad habitum qui circa ipsum versatur: motivum autem ad facultatem & potentiam quæ per habitum in objectum tendit; hinc objectum specificativum debet esse quid intrinsecum objecto materiali; motivum autem potest esse quid extrinsecum; quippe id omne potest habere rationem objecti motivi, quod facultatem pellicere potest, ut occupetur circa objectum.

Dices secundò: Fides est habitus practicus; non enim ordinatur duntaxat ad verum supernaturale cognoscendum: sed etiam ad illud amandum & bonis operibus obtinendum: fides enim sine operibus mortua est, ait S. Jacobus; igitur debet habere objectum practicum & operabile: at Deus sub ratione primæ veritatis in cognoscendo, non est objectum practicum: igitur sub hac ratione non est objectum fidei.

XIV. *Prima veritas in essendo alliciat ad sui amorem.* *Nego minorem;* Deus enim ut prima veritas, non solùm repræsentatur per fidem ut objectum speculabile, sed etiam ut practicum: quia ut objectum aliquod censeatur practicum, non est necesse, quòd sit à nobis operabile; sed sufficit quòd à nobis possit obtineri, & quòd ex illo tanquam ex prima regula omnis morum rectitudinis ac probitatis desumi possit ratio agendorum: hac autem ratione Deus ut prima veritas in essendo spectari potest; ut sic enim est noster finis ultimus, ex quo desumitur agendorum ratio.

Conclusio Quarta.

XV. *Divina veritas in cognoscendo est ratio sub qua fidei divinæ.* *Objectum formale quô seu ratio sub qua fides in Deum tendit, est veritas Dei non solùm in dicendo, sed etiam in cognoscendo.* Hæc videtur esse conformior menti Doctoris in 3. distinct. 23. ubi ait: *Potest dici quòd fides acquisita similis est in aliquo fidei infusæ, imò in multis. Nam sicut fides acquisita assentit vel credit dicto alicujus, quia credit veracitati asserentis illud esse verum: sic fides infusa assentit alicui revelato, quia credit Deo vel veracitati Dei asserenti illud. Et quia quod Deus asserit, supernaturaliter revelat; ideo fides assentiens tali revelato, quia assentit veracitati revelantis, est habitus supernaturalis; revelat autem credibilia, quando infundit habitum: & hòc modò dicendo, fides non habet certitudinem ex objecto, sed ex veracitate testis, scilicet Dei.* Quibus Doctor significat veritatem divinam esse motivum seu rationem sub qua fides in Deum tendit; ita quòd quantumcumque Deus esset prima veritas in essendo, tamen in eum fides non tenderet, nisi pariter esset prima veritas in cognoscendo & dicendo, quæ neminem fallere potest.

Probatur autem conclusio: Sub ea ratione fides circa Deum occupatur, sub qua Deus movet intellectum creatum, ut assensum præbeat rebus revelatis: at id Deus præstat per utramque veritatem in cognoscendo & dicendo. Probatur; sub ea namque ratione intellectum creatum allicit, ut assentiatur rebus revelatis, sub qua apprehenditur omnino verax & infallibilis in proponendo & revelando: sed ad id necessum est, quòd cognoscatur ut prima veritas in cognoscendo, & dicendo: hæc enim utraque veritas necessariò prærequirit, ut intellectus absque ulla hæsitatione aut erroris & deceptionis formidine, assensum præbeat rebus revelatis; etenim si alterutra desit, dubius hærebit intellectus circa res propositas: quantumvis enim Deus sit verax & habeat propensionem ad dicendum verum, si intellectus incertus sit de ejus infinita sapientia, ac infallibili apprehensione eorum quæ cognoscit, anceps erit an id quod Deus proponit, sit seipsa verum; non secus ac quantumvis noverit hominem veracem, tamen quoniam propter limitatam ejus intelligendi facultatem, plerumque errori subjacet, & res aliter quàm sint, apprehendit; inde fit quòd non ita firmiter credat id esse verum quod ab homine proponitur: igitur quemadmodum necesse est quòd certò noverit intellectus Deum non posse fallere quemquam, quoniam est infinitè bonus & verax: ita opus est, ut etiam noverit eum non posse falli, quia summè sapiens, ut hâc utraque concurrente notitiâ firmum assensum præbeat rebus revelatis.

Confirmatur: Ut testimonium Dei sit ratio formalis sub qua fidei, debet apparere omninò infallibile: at ita apparere non potest, nisi Deus apprehendatur ut prima veritas tam in dicendo, quàm in cognoscendo: igitur, &c. Major constat, eò enim fides sit omnino infallibilis, etiam niti debet motivo omnino infallibili. Minor verò probatur: Ut testimonium Dei sit omnino infallibile, non sufficit quòd Deus non possit fallere in dicendo, sed insuper requiritur quòd non possit falli in cognoscendo; ille enim qui potest falli in cognoscendo, potest etiam alios fallere, si non ex malitia, saltem ex ignorantia: igitur ad hanc divinam infallibilitatem adstruendam tam necessum est quòd Deus cognoscatur ut verus & infinitè sapiens in cognoscendo, quàm verax & summè bonus in dicendo.

Dices primò: Diversorum habituum debet esse diversum objectum quô, seu diversa ratio sub qua tendunt in suum objectum: at fides & Prophetia sunt distincti habitus, & subinde diversæ sunt illarum rationes quibus tendunt in objectum: sed Prophetia tendit in Deum, ut in primam veritatem infallibilem in cognoscendo & revelando: igitur sub hac ratione fides in eum tendere nequit.

XVI. *Fides aliter tendit in primam veritatem quàm Prophetia.* *Distinguo minorem:* Prophetia tendit in primam veritatem infallibilem in cognoscendo & dicendo, eô modô, quô fides, nego: aliô, concedo; fides enim tendit quidem in primam veritatem, sed modô inevidenti & obscurô, ita quòd si objecti manifestatio fieret evidentem, assensus qui fieret illi objecto proposito, non esset actus fidei, sed vel scientiæ, vel alterius habitûs: Prophetia autem indifferenter se habet ad obscuram, vel evidentem objecti propositionem. Hinc est quòd etsi fides in Christo D. locum non habuerit, tamen in eo fuit Prophetiæ donum. His adde quòd Prophetia & fides varias alias aliunde habeant differentias; Prophetia namque conceditur solùm ad illustrationem intellectûs; fides verò etiam ad piam voluntatis motionem ordinatur; fides respicit aliquid æternum, & si quædam temporalia contempletur, putà mysterium Incarnationis, illa duntaxat respicit, quatenus eis subest aliquid æternum, nempe quatenus Deus est incarnatus, crucifixus, mortuus, &c. item fides maximè ordinatur ad propriam sanctificationem subjecti: Prophetia verò tendit in temporalia, & ad sanctificationem aliorum. *Et ab ea variè discrepat.*

Dices secundò: Objectum formale *quô*, sicut & *quod*, debet esse quid unum: at ut dictum est suprà, veritas Dei in cognoscendo & dicendo, non est quid unum, quippe cùm una sit æterna,

alia verò temporalis, una Deo intrinseca, altera verò extrinseca: igitur censeri non potest objectum formale quô seu ratio sub qua moveatur intellectus ad assentiendum rebus revelatis.

XVII. Divina veritas in cognoscendo & dicendo sunt quid unum unitate non entitatis, sed motivi.

Distinguo majorem: Debet esse quid unum in ratione entis, seu secundùm entitatem, nego: in ratione objecti moventis, seu secundùm formalitatem motivi, concedo. Minorem similiter distinguo: Divina veritas in cognoscendo & dicendo non sunt quid unum penes entitatem, concedo: penes rationem motivi nego: quemadmodum enim idem actus potest tendere in duos fines partiales, & assensus conclusionis elici propter duos assensus præmissarum, & duas earum veritates; & sicut unus actus fidei humanæ exeri potest propter testimonium duarum personarum, itaut ab utraque partialiter pendeat; sic unus & idem actus fidei divinæ pendere potest à duobus motivis partialiter ad ipsum concurrentibus: unde quanquam divina veritas in dicendo & revelando non sit quid unum secundùm entitatem; tamen quia utriusque notitia præsupponi debet tanquam conditio sine qua non eliceretur assensus fidei, idcirco invicem conveniunt in unitate motivi.

Dices 3. Si veritas Dei in dicendo, esset objectum formale motivum Fidei, maximè vel quatenus est revelatio activa ex parte Dei: vel prout est revelatio passiva ex parte credentis: sed neutrum dici potest: Non quidem *primum*, quia ratio formalis *sub qua* debet esse intrinseca objecto formali quod; nam in omni scientia, ratio assentiendi alicui conclusioni, est ipsa ejus conclusionis veritas intrinseca: revelatio autem activa, cùm sit ratio Dei ad extra, non est aliquid intrinsecum Deo revelanti, nec objectis revelatis: Non etiam *secundum*, cùm enim revelatio passiva sit mera denominatio extrinseca, & respectus rationis, sequeretur motivum fidei divinæ esse ens rationis, ac subinde fidem nostram fundari in ente rationis.

Nego minorem, & ad ejus probationem, dico rationem formalem *sub qua* fidei esse ipsam revelationem activam, seu ex parte Dei, manifestantis veritates spectantes ad fidem; siquidem tota ratio cur assentimur rebus revelatis, est quia Deus, qui infallibilis & verax est in dicendo, hujusmodi veritates credendas proposuit ac revelavit. Unde quanquam ratio formalis *sub qua* in scientiis debeat esse intrinseca conclusioni, quia scilicet assensus scientificus fit propter evidentiam ipsius conclusionis elicitæ ex præmissis evidenter notis; tamen secus est in fide, quæ non movet ad assensum nisi propter testimonium extrinsecum dicentis.

QUÆSTIO SECUNDA.

In quid fieri debeat nostra fidei resolutio, tanquam in motivum certum & infallibile, tum propositionis credendorum, quàm assensûs nostri?

I. Duo concurrunt ad actum fidei eliciendum, nempe propositio credendorum, & assensus qui datur propositis.

Unde duplex est fidei resolutio, alia quidem in propositionem, altera in assensum.

NOtandum primò, quòd sicut ad actum fidei eliciendum duo concurrunt: unum quidem præsuppositivè & aliud formaliter, nempe propositio ac revelatio mysteriorum credendorum, & actus ipsius Fidei quem rebus propositis præbent Fideles: ita etiam duplex distingui potest fidei resolutio; una quidem quæ fiat præcisè quoad solam propositionem & revelationem credendorum, per quam nimirum responderi potest ad interrogationem, quare credamus hoc vel illud esse à Deo revelatum; altera verò fit quoad assensum, per quam respondemus ad interrogationem: quare Deo mysteria revelanti assentiamur? De utraque autem fidei resolutione agendum est in præsenti.

II. Objectum assensus est duplex.

Notandum secundò, ex objectis, quæ proponuntur intellectui, eumque movent ad assensum, quædam esse per se evidentia, quorum objectum formale motivum, est ipsa eorum evidentia; hæc enim immediatè movent intellectum ad sui assensum. Alia verò secundum se nobis inevidentia, quibus idcirco assentimur duntaxat propter aliquod motivum ab eis objectis distinctum. Unde ratio formalis motiva objecti est vel intrinseca objecto, quando scilicet est evidens, vel extrinseca, dum est inevidens; ea enim est intellectûs nativa propensio ad verum, ut nulli objecto assentiatur, nisi quatenus illius veritatem deprehendit, vel per ipsummet objectum, vel per aliud cum quo necessariam aliquam habet connexionem.

Nempe evidens & intrinsecum: vel inevidens & extrinsecum.

Porrò motivum formale extrinsecum, quô allicitur intellectus, ut assentiatur alicui objecto, est duplex: nam quandoque habet connaturalem connexionem cum objecto materiali, ut fit dum cognoscimus effectus per causas, aut causas per effectus; hoc enim medium est aliquô modô intrinsecum rei cognitæ propter naturalem & necessariam connexionem effectûs cum causa, & causæ cum effectu. Interdum verò motivum istud est omnino extrinsecum objecto materiali, nec ullam cum eo habet connexionem naturalem, sed duntaxat moralem, sicut accidit quoties alicui propositioni assentimur propter solum testimonium alterius.

Insuper advertendum est quòd quando cognoscimus aliqua objecta nobis per se evidentia, hujus cognitionis objectum formale motivum est aliquid unum eâdem ratione, quâ res cognita est una: secus autem quando medium est distinctum à re cognita; dum enim credo v. g. aliquid esse verum quia Petrus id testatur, ratio me movens ad istum assensum, est partim quia novi Petrum hominem esse veracem, partim quia novi eum hoc dixisse; quantumvis enim crederem non esse veracem; si tamen mihi compertum esset eum hoc dixisse: aut è contrà, si noverim eum hoc dixisse, nec tamen credam eum esse veracem, illud certè quod mihi per eum proponitur, pro certo ac indubitato non erit.

III. Quid sit Ecclesia.

Notandum tertiò, Ecclesiam esse congregationem omnium Fidelium sub Christo Domino ejus invisibili capite, & Romano Pontifice illius capite visibili, Christi Domini Vicario ac Petri successore: quæ considerari potest dupliciter secundùm ejus duplicem statum, nempe vel primitivum vel successivum; scilicet vel pro tempore Christi & Apostolorum, quâ ratione Apocal. 21. vocatur Ecclesia *primitiva*: vel pro tempore immediatè subsequente, & perseveraturo usque ad finem mundi, quâ ratione Ecclesia præsentis temporis & usque ad seculi consummationem, dicetur; *fundata supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipsô summô angulari lapide Christo Iesu*; ut scribit Paulus ad Ephes. 2. Rursus considerari potest Ecclesia vel quatenus est congregatio omnium Fidelium totô orbe dispersorum, constans pluribus viris summâ doctrinâ & vitæ sanctimoniâ illustribus, quæque jam à Christi temporibus semper in eadem fide sine ulla minima mutatio-

Et quot modis possit considerari.

ne, non obstantibus Paganorum, Tyrannorum, Hæreticorumque oppugnationibus, constantissimè per tot sæcula hactenus perseverat.

Duplicem habet authoritatem circa res fidei.

Quod sanè constat fieri non posse nisi divinâ interveniente virtute; qualiter enim tot ac tam varii homines tantò invicem intervallo dissiti, tantâque animorum diversitate discrepantes, ita concorditer ac constanter circa eadem mysteria prorsus inevidentia, & naturales humani generis vires excedentia convenirent invicem ac consentirent, nisi divinâ aliquâ virtute ad id moverentur; maximè cùm experientiâ constet omnes alias Sectas, falsis opinioribus deditas statim in varias divisiones abire, & facilè extingui?

Secundò, considerari potest Ecclesia prout infallibiliter à SpirituS. regitur & propter ejus divinam assistentiam, non potest errare in suis dogmatibus & fidei decretis. Hinc duplex exurgit Ecclesiæ authoritas in proponendis fidei mysteriis, quarum una censeri potest Politica & civilis; quæ maximè oritur ex veracitate tot hominum sapientiâ ac sanctitate, & consequenter fidei dignitate pollentium. Quâ ratione S. Augustinus in lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4. inter præcipua motiva quæ ipsum intra Ecclesiæ sinum detinebant, & ad præbendum assensum rebus ab ea propositis pellicebant, numerat *sapientiam Doctorum, consensum populorum, vim miraculorum, antiquitatem & perpetuam Pontificum successionem, &c.* Alia autem authoritas Ecclesiæ censetur divina & infallibilis, quæ ipsi convenit, quatenus est organum & instrumentum Spiritûs sancti, per quod ipse sua promit oracula, ipsique perpetuò assistit, juxta illam Christi Domini promissionem, *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis*, Matth. 10. Hinc Apostoli decernentes non esse servanda legalia Actor. 15. aiunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

IV. Variæ ac multiplex authorum sententia circa præsentem quæstionē.

His prælibatis, determinandum est quodnam sit istud motivum, seu principium certum ac infallibile, in quod fides nostra resolvi possit, tam quoad propositionem credendorum, quàm quoad assensum præbendum rebus & objectis revelatis ac propositis. Circa cujus resolutionem tam multiplex ac varia est Authorum sententia, ut penè quot sunt capita, tot sensus appareant. Imprimis namque Manichæi, ut refert sanctus Augustinus lib. *De utilitate credendi cap.* 1. docebant superstitiosum esse fidem ante rationem imperare, quasi nihil credendum sit, nisi quod ratio suaserit: quem utique errorem innovasse videtur Petrus Abailardus, qui, ut narrat sanctus Bernardus Epist. 190. *in primo limine Theologiæ, vel potiùs stultilogiæ suæ, fidem definit æstimationem; quasi cuique in ea sentire & loqui qua libeat, liceat; aut pendeant sub incerto vagis ac in variis opinionibus nostræ fidei sacramenta, & non magis certâ veritate subsistant.* Secunda sententia est Lutheranorum ac Calvinistarum, asserentium ultimam resolutionem fidei nostræ, tam quoad propositionem credendorum, quàm quoad assensum rebus propositis, fieri debere in solam Scripturam, aut internum motum Spiritûs sancti cuilibet fideli specialiter assistentis, ut ex Scriptura sacra cognoscat quid sit credendum. *Tertia* sententia eorum est, qui volunt illam resolutionem fieri in ipsummet divinæ fidei habitum, per quem appareant objecta credenda. *Quarta* sententia est illorum, qui ultimam hanc resolutionem refundunt in authoritatem Ecclesiæ; qui quidem rursus varias in sententias scinduntur. *Primò* namque Medina lib. 6. de recta fide cap. 11. contendit fidem nostram ultimò nisi divinâ authoritate Ecclesiæ. *Secundò*, Valentia q. 1. p. 1. distinguens inter propositionem & definitionem rerum credendarum, dicit fidem resolvi in authoritatem divinam quæ tribuitur Ecclesiæ; propositionem verò in illius authoritatem humanam & civilem. *Tertiò*, Suarez disp. 3. sect. 8. distinguens inter resolutionem fidei quoad se, & quoad nos: ait Fidem spectatam secundùm ipsius naturam resolvi in divinam authoritatem Ecclesiæ, spectatam verò quoad nos, esse resolvendam in ipsius Ecclesiæ authoritatem civilem & humanam. *Quartò*, de Lugo vult assensum fidei partim resolvi in utilitatem divinam, partim verò in testimonium Ecclesiæ, &c. *Quarta* sententia eorum est, qui asserunt ultimam resolutionem quoad propositionem & revelationem credendorum, nec-non & eorum assensum præbendum fide privatâ, fieri in revelationem specialem; ubi verò objecta revelata credi debent fide Catholicâ & Universali, tunc fides debet resolvi in ipsum Ecclesiæ testimonium tam divinum quàm humanum. *Ultima* tandem sententia, quæ communior & verior apparet, ac subtilis Doctoris menti & doctrinæ conformior, eorum est qui docent ultimam fidei resolutionem fieri debere quoad propositionem & revelationem credendorum in ipsam authoritatem Ecclesiæ determinantis ac proponentis hoc vel illud esse à Deo revelatum: Quantum verò ad assensum quem Fidelis præbet rebus ipsis revelatis, illam resolutionem fieri debere in veritatem divinam tam in cognoscendo quàm in dicendo.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Fides non potest resolvi in rationem humanam.

H*Umana ratio non est sufficiens fundamentum quô niti possit fides Christiana: ac subinde illa in eam non potest resolvi.* Hæc est de fide, maximè quantùm ad priorem partem, & probatur ex illo 1. ad Corinth. 2. *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et ideo idem S. Paulus 2. ad Cor. 10. dicit oportere *captivare intellectum in obsequium Christi*: nulla autem esset captivitas intellectûs, si illa tantùm crederet, quæ evidenter apparerent, & solùm per naturalem rationem innotescerent. Eadem veritas apparet ex illis verbis Christi Domini Matth. 10. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus* (nempe mysteria fidei) *& revelasti ea parvulis.* Et cap. 11. idem Christus Dominus alloquens Petrum qui eum Dei filium esse contestatus fuerat, ait, *Caro & sanguis non revelavit tibi*: ubi nomine carnis & sanguinis significat naturalem intellectûs virtutem & operationem.

Ut probatur 1. ex S. Scriptura.

2. Ex SS. Patribus.

Patet eadem veritas ex communi sententia SS. Patrum; maximè verò sancti Dionysii cap. 7. de divinis nominibus ubi ait: *Fides est stabilis credentium sedes, & simplex veritatis notio imperfuasibili veritate certa.* Hoc est, notio eorum quæ ratione naturali non possunt percipi nec probari; unde egregiè monet S. Nazianzenus Orat 34. *Fidem potiùs quam rationem sequamur.* Et sanctus Hilarius lib. 8. de Trinitate circa medium: *Maximum*, inquit, *fidei meritum, est sperare quod nesciat.* Quibus eleganter concinit sanctus Augustinus Tract. 4. in Joann. ponderans illud Isaiæ 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*; ait enim: *Cre-*

dimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus; Unde serm. 20. de verbis Apostoli: *Melior est*, inquit, *fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Nam, ut subdit S. Gregorius, homil. 25. in Evangelium: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

3. Ratione.

Probatur etiam ratione: Si fides inniteretur humanô ratiociniô, maximè vel evidenti, vel tantùm probabili: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia evidentia objecti necessariò allicit intellectum ad assensum: fides autem non ita necessitat, quia est libera & liberrimè suscipitur à voluntate: *Nam*, inquit S. Augustinus homil. 26. in Joan. *cætera potest homo nolens: credere autem non nisi volens*; Unde etiam mysteria fidei pro arbitrii libertate negari possunt, & ipsa fides rejici, ut constat non solùm de infidelibus, qui fidem suscipere repugnant, & fiunt rebelles lumini, dum eis mysteria fidei nuntiantur: sed etiam ex ipsis hæreticis qui jam susceptam fidem abjiciunt, & pro sua libertate, aliqua fidei mysteria credere detrectant. Non etiam *secundum*: alioqui fidei assensus non esset firmus ac stabilis, sed duntaxat fluctuans ac dubius, quod utique in Abailardo damnat sanctus Bernardus his verbis: Si

VI. Egregiè perstringitur error Abailardi de incertitudine fidei.

» fluctuat fides, inanis est & spes nostra. Stulti ergo Martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium. Sed absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubiâ æstimatione pendulum, & non magis totum quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis divinitùs persuasum, stabilitum & consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloriâ Resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo nimis, ipse postremò Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod Filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æstimationem, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? *Scio cui credidi: & certus sum*, clamat Apostolus, & tu mihi subsibilas, Fides est æstimatio? Tu mihi ambiguum garris, quô nihil est certius? Sed Augustinus aliter. Fides, ait, non conjectando vel opinando, habetur in corde in quo est, ab eo cujus est, sed certa scientia, acclamante conscientiâ. Absit ergo; absit, ut hos fines fides habeat Christiana. Academicorum sint istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. Ego verò securus in Magistri Gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide definitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet. *Fides est*, ait, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Substantia, *inquit*, rerum sperandarum non inanium phantasia conjecturarum. Audis *substantiam*, non licet tibi in fide dubitare vel disputare pro libito, non hac illáque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est enim fides æstimatio, sed certitudo. Hæc S. Bernardus.

Objiciebat Abailardus illud Ecclesiastici 19. *Qui citò credit, levis est corde*: sed citò credere, est fidem adhibere rei propositæ ante manifestam illius evidentiam & veritatem compertam per ratiocinium: igitur maximè humanô testimoniô nititur.

Respondeo sensum litteralem illius Oraculi intelligendum esse de fide humana, nempe quòd non sit adhibenda nisi cum prudenti deliberatione, quippe cùm nitatur testimoniô hominis qui errori & mendacio obnoxius est; de hac enim humana fide loquitur Sapiens, utpote cùm ibi agat de iis qui faciles aures præbent alienam vitam vellicantibus ac carpentibus. *Adde* quòd etiamsi oraculum istud intelligendum esset de fide humana, tantùm significaret non esse tam citò tamque facilè credendum dicenti se habere revelationem divinam, quando aliunde non constat per aliquod aliud testimonium hominem istud asserentem esse dignum cui credatur.

VII. Fide humanâ non est citò credendum.

Objiciebat 2. alios Scripturæ S. textus quibus significari videtur priùs esse examinandum quid credi debeat. Sic Lucæ 1. de Virgine dicitur, quòd illa non leviter Angelo mysterium Incarnationis annuntianti crediderit, sed *cogitabat qualis esset illa salutatio*: Sic istud 1. ad Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Nec non & illud 1. Joan. 4. *Probate spiritus an ex Deo sint.*

Respondeo ad primum, B. Virginem prudenter quidem examinasse, an qui loquebatur esset verus aut ementitus Dei nuntius, nec diu in ista dubitatione hæsit, sed quemadmodum nec citiùs, ita nec tardiùs credidit, quàm oportuit; & ideo ejus fides commendatur ab Elizabetha ei dicente, *Beata quæ credidisti*; non tamen credidit propter ullam rationem humanam, sed propter hoc divinum testimonium sibi ab Angelo propositum, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*; hoc enim ubi audivit Maria, statim respondit Angelo, *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Similiter ad alios textus dico, probandos quidem esse Spiritus si ex Deo sint, nec citò credendum esse iis qui Prophetarum instar aut Apostolorum aliquid ex parte Dei nuntiarent, præter traditam ab Apostolis doctrinam, aut ab Ecclesia probatam, ut facere solent omnes hæresiarchæ; illi namque omnes Novatores probandi sunt, & ab eis sunt exigenda suæ prætensæ divinæ Missionis ac delegationis indicia & signa, nempe vel miracula, vel secretorum revelatio, vel futurorum eventuum certa prædictio, &c.

Nec etiam divinâ, quando aliquid præter Ecclesiæ doctrinam annunciatur.

Objiciebat 3. Si absque evidenti ratione objectis propositis credendum sit: consequens erit quòd plura credi poterunt contra manifestam rationem, sicque excusandi venient infideles, si nonnulla absurdissima contra manifestam rationem credant; quippe reponent se, contemptâ & abjectâ suâ ratione, se Deo credere: at id asserere videtur absurdum: igitur, &c.

Respondeo negando majorem, dum enim negamus credendum esse propter evidentem rationis notitiam, non excludimus omnem omninò rationis usum in eliciendo fidei actu: necessaria namque est aliqua objecti intelligentia & notitia prius quàm ipsi fides adhibeatur; non quidem quatenus est in se, sed prout proponitur, & offertur ad credendum; unde non essent excusandi infideles si crederent aliqua præter ea quæ ipsis ab Ecclesia credenda proponuntur.

Unde non excluditur prudens deliberatio ab actu fidei eliciendo.

Conclusio Secunda.

Fides non nititur solâ Scripturâ sacrâ, nec interno motu Spiritûs sancti: & consequenter in ipsa non potest resolvi. Probatur conclusio *primò*, quantùm ad Scripturam sacram, quòd nempe illa non sit regula sufficiens ad discernendum revelata à Deo ab iis quæ ab ipso non revelantur; re-

VIII. Fides non debet regulari tantùm per Scripturam.

gula enim fidei certissima & infallibilis, debet esse constantissima & omnino incorruptibilis: si enim corruptioni & alterationi sit obnoxia, nullus de regulatis per eam poterit esse certus & securus: sed Scriptura sacra alterationi & corruptioni subjacet, mutari namque potest, vel per additionem, vel per detractionem, vel per transmutationem voluntariam, ut fit ab hæreticis qui divinam Scripturam interpolant: sed etiam hominum ignorantia, imò & incuria, ut plerumque contingit apud Amanuenses aut Typographos: hinc tot fuere sacrorum Bibliorum emendationes & editiones, maximè verò *Vulgata* non solùm à Sixtò V. sed & à Clemente VIII. in multis emendatæ, quibus non obstantibus, Franciscus Lucas Theologus & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis, libellum edidit continentem plures lectionum varietates, quibus perfectior reddi possit ipsa Clementis editio, si accederet alterius Romani Pontificis authoritas: collectio autem illius Francisci Lucæ comprehendit quater mille & amplius loca, quæ in Biblis à Clemente porrectis ulteriùs posseot emendari. Idipsum notabiliùs patet in Codicibus Hebræis & Græcis.

2. Quia ipsa non indicat quinam sint libri Canonici.

Deinde, si Scriptura sacra per se sufficeret ad discernendum revelata à non revelatis, etiam sufficiens esset ad dirimendas omnes circa fidem controversias: sed ad id non est ex se sola sufficiens, quippe cùm ipsa nec aperiat quinam sint libri Canonici, sunt enim integri libri, quos uti spurios respuunt Hæretici Lutherani & Calvinistæ: putà librum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum; imò ex receptis libris Canonicis non solùm plurimi versus, sed etiam prolixa capita ab eis exploduntur. Nam in lib. Daniel. cap. 3. habentur continui 67. versiculi, quos omnes illi expungunt; habentur præterea integra & prolixa capita 13. & 14. comprehendentia Susannæ, & Draconis Beli, & carceris Danielis, & translationis Habacuc Prophetæ historias; quas illi non admittunt, quanquam nullò prorsus ipsius Scripturæ testimoniò præfati libri, versiculi ac capitula improbentur.

3. Quia pugnantes in ea textus per illam solam non possunt faciè conciliari.

Denique, plurimos complectitur pugnantes invicem textus, qui non ita facilè per eandem conciliari posse videntur: Sic Joan. 10. Christus D. ait: *Pater major me est*; & cap. 14. idem testatur, *Ego & Pater unum sumus.*

Reponunt hæretici textus pugnantes, sicut & intellectu difficiles explicari ac conciliari per alios.

Verùm, quanquam ingenuè fatear plurimos Scripturarum textus sic posse per alios explicari & conciliari, tamen fatendum plurium interpretationem & conciliationem esse aliunde quàm ab ipsa Scriptura petendam, quod maximè constat de textibus mox laudatis ex Evangelio S. Joannis; cùm enim olim Ariani ut Christi D. Divinitatem elevarent, Catholicis objicerent priorem textum, reponebant Catholici cum S. Athanasio, quòd Christus esset *æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Cùm autem Catholici posteriorem textum Arianis objicerent, hi reponebant illum esse intelligendum de unitate non Divinitatis & essentiæ, sed conformitatis voluntatum & affectuum. Quam utrique confirmationem explicabant ex illo Joan. 17. ubi Christus D. Patrem exorat, ut ejus Discipuli *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*: quibus significat se duntaxat loqui de unitate affectûs, nec enim Fideles invicem aut cum Deo poterant habere unitatem essentiæ & entitatis. Et infrà, *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Unde si vera esset universaliter Hæreticorum responsio, quòd nempe pugnantium Scripturæ textuum conciliatio non esset aliunde quærenda, quàm ex ipsamet Scriptura, palmarium concedendum fuisset Arianis, utpote qui adversantem sibi Scripturam diluebant per alios ejusdem Scripturæ textus; quod itidem ita facili negotiô præstare non poterant Catholici.

Quod maximè constat in causa Arianorum.

4. Quia plura intellectu difficilia complectitur.

Insuper Scriptura sacra plerumque est intellectu difficillima, ut S. Petrus testatur epist. 2. cap. ult. ubi loquens de S. Paulo, ait: *Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant sicut & cæteras Scripturas.* Quibus verbis sanctus Petrus significat in Scriptura sacra quædam esse obscura, quorum sensum non possumus propriâ industriâ assequi; unde idem monebat cap. 1. *Quod* omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit; non enim humanâ voluntate allata est aliquando Prophetia, sed spiritu Dei inspirati locuti sunt sancti Dei homines: igitur Scriptura sacra per seipsam non potest sufficienter discernere quænam sint credenda à non credendis.

IX. Fides non firmatur spiritûs interni afflatu.

Idem ferendum est judicium de interno sancti Spiritûs afflatu, seu privatâ cujusque revelatione. *Primò*, quia regula sufficiens ad discernendum credenda à non credendis, debet esse certa & constantissima: sed privata illa revelatio est omnino incerta, & internus ille afflatus omnino dubius an ex Spiritu sancto sit. Nam ut dicitur 3. Regum ult. *Deus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab*; qui tamen omnes putabant se agi Spiritu Dei, nam Sedecias unus ex illis Pseudo Prophetis Michæam verum Dei Prophetam alloquens, ac percutiens, ait: *Mene ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* Quare S. Joan. epist. 1. cap. 4. monet: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*: Igitur si ipsi debemus probare & dijudicare spiritum, ipse non potest esse judex noster; non enim licet judicem judicare.

1 Quia ei credere S. Scriptura vetat.

Deinde, si spiritus ille internus posset esse certa fidei ac pietatis regula, consequens esset, quòd quisque pro libito posset genio indulgere, & perversissimam à se excogitatam doctrinam, atque etiam horrenda scelera tueri ac defendere, jactitando id sibi à sancto Spiritu esse inspiratum; quis enim poterit ostendere hoc esse falsum, si hujus rei non sit alius judex præter internam inspirationem? Hinc videmus libertinos nefandissima scelera, Lutherum aliosque Apostatas sacrilegas nuptias, adulteria, Monasteriorum compilationes, in præpositos Principes conspirationes, & alia hujusmodi scelera ementitâ Spiritûs sancti authoritate & inspiratione probare.

2. Quia id foret occasio omnis mali.

Denique, si spiritus ille privatus esset sufficiens regula fidei ad discernendum credenda à non credendis, daretur continua occasio schismatum, quilibet enim existimans & fingens se habere spiritum revelantem, seligere poterit pro objecto fidei quod sibi magis arriserit, nec ab ullo prorsus poterit erroris argui, quippe affirmabit se, id à Spiritu sancto interiùs loquente excipere; imò sæpè continget quòd idem spiritus videbitur sibi ipsi contrarius, dum unus asserer sibi esse revelatum id cujus contrarium alter sibi revelatum esse dicit: sic in Lutheranis & Calvi-

3. Quia esset origo omnium schismatum.

nistis (qui hunc internum spiritum pro certa regula excipiunt) spiritus ille est omnino contrarius in plurimis, maximè verò circa divinam Eucharistiam; siquidem Lutherani credunt Christi Domini corpus realiter & substantialiter esse præsens in Eucharistia, cujus contrarium Calvinistæ affirmant.

Ut egregiè probat Campensis.

Quod utique argumentum præclarè urget Campianus Orat. 1. ad Academicos, ubi ita loquitur. „Cur igitur alios alii lancinatis, cùm omnes eôdem spiritu gloriemini? *Calvinianorum* spiritus recipit sex epistolas, quæ spiritui non placent Lutherano; fieri tamen non uterque Spiritu sancto. *Anabaptistæ* Historiam Jobi fabulam appellant, Tragicis & Comicis legibus intermixtam: qui sciunt? Spiritu docente. *Castalio* mysticum illud Salomonis B Canticum, quod ut paradisum animæ, ut manna reconditum, ut opiparas in Christo delicias, Catholici admirantur, nihilo pluris quàm cantilenam de amicula, & cum pedissequis aulæ colloquium amatorium venereus furcifer æstimavit, unde hausit? à Spiritu sancto. Io Apocal. Joan. cujus omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat Hieronymus in epist. ad Paulinum, Lutherus, & Brentius, & Kemnitius, quiddam nescio quid difficile Aristarchi desiderant: eò scilicet propendentes, ut exauctoretur: quem percunctati? Spiritum. Quatuor Evan- C gelia fervore præposterô *Lutherus* inter se committit, & prioribus tribus epistolas Pauli longè præferens, unicum deinceps Evangelium Joannis, pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum. Quippe qui, quòd in ipso fuit, libenter etiam Apostolos suarum rixarum socios adscripsisset: quô Doctore? Spiritu. Quin etiam iste fraterculus non dubitavit Evangelium Lucæ petulanti stylo perstringere, quòd in eo nobis crebrius bona virtutum opera commendentur: quem interrogavit? Spiritum. Theodorus Beza verbum illud arcanum ex Lucæ 22. cap. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui* (Calix) *pro vobis fundetur*; ausus est ut corruptum, vitiatumque traducere, quòd hæc oratio nullam expositionem, D nisi de vino calicis converso in verum Christi sanguinem patiatur, quis indicavit? Spiritus. Denique cùm omnes credant suo quisque spiritui, nomen sancti Spiritûs horribili blasphemiâ mentiuntur. Qui sic agunt, nonne se produnt, nonne facilè refutantur, nonne in consessu talium virorum, quales estis Academici, tenentur ac minimô negotiô constringuntur? Hactenus ille

Objicies primò varios Scripturæ textus, quibus insinuare videtur Scripturam sacram esse potissimùm consulendam in rebus fidei statuendis: Sic Christus Dominus Judæos alloquens qui ejus Divinitatem in dubium revocabant, & illum verum E esse Messiam inficiabantur, ait Joan. 5. *Scrutamini Scripturas, illa enim testimonium perhibent de me.* Et infrà: *Si crederitis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Et Lucæ ult. Scripturis utitur ad confirmandam veritatem suæ resurrectionis, & subinde Christus Dominus apertè docet Scripturam sacram esse veram ac legitimam fidei regulam, quæ in proponendis rebus fidei maximè debeat audiri. Id ipsum indicat sanctus Paulus 2. ad Timoth. 3. ubi postquam ei dixisset, *ab infantia sacras litteras nosti,* addit: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, &c.

X.

S. Scriptura est quidem fidei regula, non tamen per se sufficiens.

Respondeo his & similibus textibus nihil aliud significari, quàm quòd Scriptura sit equidem infallibilis regula fidei, cùm enim illa sit verbum A Dei scriptum, necesse est ut sit regula veritatis, quia nulla est certior regula quàm Dei authoritas, quæ in ejus verbo continetur & per illud applicatur, unde sicut impossibile est Deum mentiri per se immediatè: ita & impossibile est eum mendacium facere per alterum, siquidem moraliter utrumque perinde est. Inde tamen non sequitur quòd Scriptura sacra per se sit sufficiens regula, quâ credenda discernantur à non credendis, quod solùm in præsenti conclusione intendimus.

Objicies secundò plures itidem Scripturæ textus, quibus insinuatur audiendum esse Spiritum Dei in nobis loquentem, ac inspirantem ea quæ credenda & facienda sunt. Sic illud primæ ad Cor. 2. B dicitur quòd *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei...... Spiritualis autem judicat omnia & ipse à nemine judicatur*, unde consequens est, quòd quisquis Spiritu Dei agitur, rectè judicare potest & discernere quæ credenda sint à non credendis: Similiter 1. Joan. 2. hortatur Apostolus Fideles; *Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis &, Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in eo.*

XI.

Quâ ratione quidam dicantur agi Spiritu Dei.

Respondeo ad primum, reverà hominem spiritua- C lem, quatenus agitur & regitur Spiritu Dei, omnia rectè judicare, nec idcirco ab ullo debere reprehendi; quia tamen non semper nobis constat an ille hîc & nunc Spiritu Dei dirigatur, quippe cùm multi existiment se agi Spiritu Dei, qui tamen spiritu nequitiæ impelluntur, ut constat non solùm de Prophetis Achab, sed etiam de illis Judæis, quos redarguit sanctus Paulus, qui habebant zelum Dei, sed non secundùm scientiam; hinc fit quòd alio judice ac directore indigeamus, à quo infallibiliter excipiamus quæ sunt credenda à non credendis.

Ad secundum dico S. Joannem ibi solùm agere cum iis qui in fide, tum à se, tum ab aliis Apostolis erant instructi; unde per *unctionem*, D quam ibi vult in ipsis manere, significat eandem fidem quam per Apostolorum prædicationem à Deo acceperant, hinc eos exhortatur ne ab ea fide excidant, & ne alios Pseudoapostolos à recta fide illos avertentes audiant. Unde præmisit: *Hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos.* Quòd autem alia non possit esse S. Joan. sententia non solùm apparet ex textu, sed etiam id apertâ ratione evincitur; nam si sola interna sancti Spiritûs unctio & inspiratio sufficeret ad discernenda ea quæ credenda & facienda sunt à non credendis & faciendis, sequeretur quòd nec fideles ad quos scribebat; imò nec infideles convertendi ullô prorsus E Doctore & instructore opus haberent; subindéque etiam ipsis frustranea foret Scriptura sacra, quia Deus omnia quæ credenda sunt & facienda sufficienter unicuique privatim revelaret, nec quisquam teneretur alia credere, quàm quæ Deus ipsi per internam illam revelationem nota fecisset, quod est absurdum.

CONCLUSIO TERTIA.

XII.

Assensus fidei non resolvitur ultimò in ipsum fidei habitum.

OBjectum ultimò terminativum assensûs fidei infusæ, non est ipsemet divina fidei habitus. Hæc est Doctoris q. 23. citatâ n. 7. &c.

Probatur primò; quia, ut dicemus infrà, habitus supernaturales non inclinant potentias sensibiliter in sua objecta, nec eis conferunt faciliorem ope-

rationem, sed solùm dant facultatibus virtutem producendi actum in substantia supernaturalem: sensibilis autem illa facultatis propensio, & facilitas in suis operationibus eliciendis provenit aut à gratia præveniente, aut ab habitibus acquisitis: at illud quod ultimò terminat, seu in quod ultimò resolvitur noster assensus fidei infusæ, debet facilitatem conferre ad eliciendum istum assensum; idcirco enim ultimò terminat, quia in eo tanquam in firmissimo sui assensûs motivo quiescit intellectus: igitur assensus ille non potest resolvi in ipsum fidei habitum. Secundò, si assensus fidei infusæ resolveretur in ipsuminet fidei habitum; ita quòd habitus ille esset causa, cur quis ultimò assentiretur rebus propositis: sequeretur, inquit Doctor num. 14. *Primò* quòd omnes habentes habitum fidei infusæ, statim ac ipsis proponeretur aliquid divinâ fide credendum, eis mox assensuros, etsi nusquam audiissent, aut saltem fuissent obliti illam esse à Deo revelatam; haberent enim in ipso fidei habitu motivum sufficienter determinativum intellectûs ad præbendum assensum: absurdum autem est, quòd quis credat aliquid fide divinâ absque ulla prorsus tendentia in Deum: igitur, &c. Sequeretur *secundò* assensum fidei non prærequirere imperium voluntatis, & consequenter non esse liberum, nec subinde virtutem aliquam; quia habitus ille fidei cùm non sit liber ex se, nec ratione sui subjecti, nempe intellectûs, inclinaret naturaliter & necessariò intellectum ad assensum: absurdum est autem asserere fidem divinam virtutem, nec actum fidei esse liberum; alioqui non esset meritorius: unde sanctus Augustinus homil. 26. in Joan. *Cætera*, inquit, *potest homo nolens: credere autem nonnisi volens.* Igitur, &c. Sequeretur *tertiò*, quòd fidelis aliquis habens fidem infusam posset assentiri mysteriis fidei absque ulla prorsus instructione; si enim fides infusa haberet illam vim determinandi intellectum ad assentiendum, quòd Deus esset trinus & unus v. g. per solam apprehensionem terminorum, consequens esset, quòd puer baptisatus, statim ac rationis & libertatis usum obtinet, & apprehendit illos terminos, *Deus est trinus & unus*, inclinaretur necessariò ad assentiendum ipsis terminis absque ulla prorsus ulteriori instructione & ullô motivô, quod ipsum manuduceret ad assensum præbendum: hoc autem falsum esse non solùm experientia demonstrat; sed etiam ratio convincit; quia non potest intellectus assentiri alicui objecto inevidenti, nisi interveniat imperium voluntatis: voluntas autem non potest movere intellectum ad assentiendum, nisi istius assensûs motivum aliquod habeat: igitur, &c.

Ut optimè probat subtilis Doctor.

His adde quòd inde sequeretur fidem non esse fidem; assensus enim fidei sive divinæ, sive humanæ necessariò elicitur propter testimonium alicujus cui creditur: at si habitus infusus per se sufficienter moveret intellectum ad assentiendum, ad id non opus esset ullô testimoniô externô; & consequenter non esset verus assensus fidei.

XIII. Fides est lumen se tenens ex parte potentiæ non verò ex parte objecti

Objicies primò. In id assensus fidei debet resolvi, quod manifestat objecta credenda: at per fidei lumen objecta credenda manifestantur: hanc enim idcirco lucernam appellat S. Petrus epistola 2. cap. 1. *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, &c.* igitur, &c.

Distinguo majorem: Quod manifestat objecta credenda per modum luminis se tenentis ex parte objecti motivi ac terminativi, concedo: ex parte principii, nego. Minorem similiter distinguo, fides est lumen habens rationem principii respectu actûs, & assensûs fidei, quia concurrit tanquam concausa cum intellectu cui inest ad illum assensum eliciendum; non autem movet objectivè, quia non cognoscitur: lumen autem, de quo agimus, est illud quod objectivè manifestat veritatem, quodque appellatur medium cognitum, & est ratio quam proferre possumus cur credamus: hoc autem est testimonium dicentis & attestantis, sive divini, sive humani; si enim quis requirat cur credam aliquid certissimè, rectè reponam, quia homo fide dignus, id certum esse mihi testatus est.

Instabis. Lumen corporeum sufficienter manifestat visui colores: similiter lumen beatificum, licèt sit habitus elicitivus visionis claræ Dei, tamen ita Deum manifestat, ut sine ullo alio modo ei visioni assentiatur intellectus: igitur etiam fides quæ assimilatur lumini corporeo, & cui correspondet lumen gloriæ, etiam per seipsum sufficienter movet intellectum ad assentiendum propositionibus fidei.

XIV. Discrimen inter lumen gloriæ, fidei & visûs corporei.

Nego consequentiam, & ratio disparitatis est: *Primò*, quia, inquit Lugo dist. 1. sect. 2. visus corporeus non movetur à lumine ad veritatem coloris credendam, nec discurrit formaliter aut virtualiter: sed lumen tantùm in eo requiritur, vel tanquam principium coefficiens species colorum, vel tanquam conditio & productio visionis; & fortè licèt sit medium ipsius visionis, tamen non est medium incognitum & imperceptum ab oculo; quia oculus videndo objecta colorata, percipit etiam lumen quô illustrantur: habitus autem fidei est medium incognitum, & per consequens, non potest sufficienter movere intellectum ad assensum, itaut in ipso suam credulitatem fundet, & in eo quiescat. *Ad secundum*, dico similiter, non esse paritatem; quia lumen istud cùm intellectui clarè repræsentet objecta, ut sunt in se, efficit consequenter, ut intellectus iisdem propter eorum evidentiam assentiatur: secus est autem de habitu fidei, qui quantumvis illuminet intellectum, tamen relinquit objecta quæ manifestat semper obscura; unde duntaxat in illa tendit propter alienum testimonium.

His adde quòd habitus fidei & luminis gloriæ in hoc invicem conveniant, quòd sint lumen se tenens ex parte principii, quia solùm objecta manifestant in genere causæ efficientis, quatenus producunt actus manifestationis; sicut etiam ipsi oculi appellari solent lumina apud Latinos, quia videre faciunt: non tamen resolvitur notitia in illos.

Objicies secundò. Assensus fidei resolvitur in revelationem Dei: sed divina revelatio fit mediante fidei lumine: igitur fidei habitus est id in quod resolvitur fidei assensus.

Assensus revelatio est duplex: propria vel impropria.

Distinguo majorem. Assensus fidei resolvitur in Dei revelationem, sumptâ revelatione propriè dictâ pro veracitate Dei mysteria revelantis, concedo: impropriè dicta pro eo omni per quod mysteria manifestantur, nego. Minorem similiter distinguo. Deus revelat mediô lumine fidei impropriè, concedo: propriè, nego: propria enim Dei revelatio, est Dei locutio; Deus autem non censetur nobis loqui propriè; quando concedit habitum fidei divinæ, alioqui censeretur alloqui infantes, dum baptisantur, quippe eis infundit habitum fidei: Similiter diceretur nobis loqui, quando

largitur intellectum, quia per ipsum possumus ei A credere & cognoscere alia objecta, quod certè absurdum est; facultas enim intellectiva, vel habitus fidei non est propriè verbum Dei, unde ejus productio & largitio, non potest censeri propriè dicta locutio vel revelatio.

Objicies tertiò. In id resolvitur assensus fidei de aliquo mysterio, v.g. Incarnationis, per quod mysterium istud nobis fit credibile: at per habitum fidei omnia mysteria fiunt credibilia; eô enim deficiente non possemus ullatenus credere sicut oportet: ergo in habitum fidei ultimò resolvitur assensus cuilibet mysterio datus.

XVI.
Duplex est credibilitas, una ex parte potentiæ, altera ex parte objecti.

Distinguo majorem. In id resolvi debet assensus fidei, per quod objectum fit credibile, credibilitate se tenente ex parte potentiæ credentis, nego: se tenente ex parte motivi suadentis veritatem, & terminativi ejusdem assensûs, concedo: Minorem similiter distinguo, per habitum fidei objectum fit credibile credibilitate proveniente ex parte principii elicientis actum assensûs, concedo: ex parte motivi seu termini ad quem tendere debet iste assensus, & velut in eo quiescere tanquam in ultima ratione, nego: Propriè enim aliquid dicitur credibile, quando adductis rationibus & motivis persuadetur esse fide dignum, nec ei debere assensum negari propter suadentes rationes, quæ ad id pelliciunt.

Conclusio Quarta.

AUTHORITAS *Ecclesiæ, ejusque testimonium non potest esse sive partiale, sive totale fundamentum primum, quô nitatur nostræ fidei assensus: nec subinde terminus in quem ipsa ultimò resolvatur.* Hæc videtur esse genuina Doctoris sententia, quam indicat in 4. dist. 11. quæst. 3. num. 15. ubi postquam dixit Ecclesiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter, rectè definivisse in Eucharistiæ sacramento fieri transsubstantiationem panis in corpus Christi, quanquam hæc veritas implicitè duntaxat in Scriptura sacra contineretur, addit: *Quidquid proponitur per Ecclesiam esse credendum, credendum est esse de substantia fidei, & hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia: & si quæras quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem hujus articuli, cùm verba Scripturæ possent salvari secundùm intellectum facilem, & veriorem secundùm apparentiam de hoc articulo, dico quòd eô spiritu expositæ sunt Scripturæ, quô conditæ; & ita supponendum est quòd Ecclesia Catholica eô spiritu exposuit, quò tradita est nobis fides, spiritu scilicet veritatis adepta, & ideo hunc articulum eligit quia verus est; non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, spiritu veritatis.* Quibus verbis Doctor ipsum etiam divinum Ecclesiæ testimonium in credendis & proponendis rebus fidei, revocat ad supremam Dei veracitatem & sic ad divinam authoritatem debet reduci; ac subinde ex mente Doctoris, Ecclesiæ authoritas sive divina, sive humana, non est etiam partialis terminus in quem fidei assensus resolvi debeat.

XVII.
Fides non nititur ultimò Ecclesiæ testimoniô.

Nec in illud resolvitur.

Sed in testimonium divinum.

Probatur itaque conclusio: Primò quidem, authoritate Scripturæ sacræ, quæ insinuat fidei assensum duntaxat elici propter divinum testimonium: Sic Matth. 15 Christus D. alloquens Petrum qui eum Dei filium confessus fuerat, ait: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, &c.* Et Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse narravit nobis.* Et cap. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Hinc sanctus Paulus 1. ad Thess. 2. ait: *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei; accepistis illud non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei.* Et 1. Joan. 5. *Qui non credit Filio mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Quibus omnibus apertè significatur assensum fidei duntaxat elici debere propter solum divinum testimonium, quô firmetur, & in quod resolvatur.

Ut probatur 1. ex S. Scriptura.

Idem docent SS. Patres, maximè verò sanctus B Augustinus in libro contra epistolam Fundamenti cap. 14. ubi ait: *Eos sequamur qui nos invitant prius credere quæ non valemus intueri, ut ipsâ fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non jam hominibus, sed ipsô Deô mentem nostram intrinsecùs firmante atque illuminante.* Quibus verbis S. Augustinus docet nos promoveri quidem ad fidem per doctrinam & ministerium hominum; at fidei assensum duntaxat fieri propter solam Dei authoritatem.

2. ex SS. Patribus.

Probatur etiam ratione: Fides Theologica in hoc ab humana fide discrepat, quòd hæc humanô, illa divinô testimoniô fulciatur, sed quantumvis Ecclesia dirigatur per infallibilem Spiritûs sancti assistentiam; atque hâc ratione ejus C testimonium nitatur authoritate divinâ, & ab illa firmitatem ac certitudinem accipiat; attamen ejus testimonium duntaxat humanum est, nec proinde dici potest verbum Dei, aut revelatio divina: igitur in ejus testimonium non resolvitur assensus fidei, nec in eo quiescit. Major constat. Minor probatur: Idem ferendum est judicium de authoritate Ecclesiæ à Deo concessa circa determinationem ac propositionem rerum credendarum; ac de potestate ferendi leges circa mores rectè probéque instituendos: sed quantumvis hæc legislativa Ecclesiæ potestas sit à Deo, leges ab Ecclesia sancitæ non censentur divinæ sed humanæ, quia proveniunt duntaxat ab authoritate humana Ecclesiastica; alioqui leges D à principibus sancitæ, etiam dicerentur divinæ; nulla enim est authoritas nisi à Deo: Unde Prov. 8. Deus ipse testatur: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt:* Ergo licèt Ecclesia habeat infallibilem assistentiam Spiritûs sancti in rebus fidei statuendis ac proponendis, illius testimonium non est purè divinum, sed humanum; ac subinde fides ad illud ultimò terminari non debet, sed necessariò reduci debet ad aliquid ulterius, quô fulciatur & nitatur. *Adde quod* authoritas Ecclesiæ quantumvis divina, sit participatio duntaxat authoritatis divinæ, ac proinde E necessariò debet in ipsam authoritatem resolvi: non potest ergo in ea quierè firmari assensus nostræ fidei, sed ulteriùs in divinam authoritatem debet resolvi.

3. Ratione.

Confirmatur: In id ultimò fides etiam partialiter non potest resolvi quoad assensum, quod ex se formaliter est aliquid creatum: sed testimonium Ecclesiæ, etiam quatenus est organum Spiritûs sancti, est aliquid creatum: igitur in illud fides quoad assensum non potest etiam partialiter resolvi. Minor constat; Ecclesia enim quatenus sumitur pro collectione illorum hominum, qui divinô Spiritûs sancti afflatu moventur ac diriguntur, importat duntaxat homines qui haud dubiè sunt quid creatum. Major verò probatur;

XVIII.
Fides non nititur testimoniô creatô etiã particulari.

id

id enim in quod ultimò resolvitur nostra fides quoad assensum, debet esse motivum formale illius assensûs: sed motivum formale talis assensûs, *sub quo* assentimur Deo per fidem, non est quid creatum sed increatum, nempe divina veritas in dicendo & cognoscendo, ut dictum est suprà: igitur, &c.

Reponit de Lugo: Si objectum formale adæquatum *sub quo* fidei nostræ esse partialiter aliquid creatum, fides nostra non esset adæquatè divina, nec Deo crederemus propter solam ejus authoritatem seu veracitatem, sed solùm partialiter; quia nempe etiam eliceretur fidei assensus propter aliquid creatum, nempe propter testimonium Ecclesiæ. *Secundò*, si assensus fidei niteretur partialiter authoritate humanâ, sequeretur eam esse partim fallibilem: fecur enim ideo est infallibilis, quia habet pro objecto formali authoritatem divinam infallibilem: ita si nitatur authoritate humanâ, quæ de se est fallibilis, etiam erit fallibilis. Non enim assensus fidei potest habere majorem infallibilitatem, quàm habeat motivum cui innititur.

Alioqui nec divina esset, nec infallibilis.

Confirmatur, quia intellectus non potest assentiri alicui conclusioni certitudine firmiori quàm principiis, propter quæ assentitur: igitur si testimonium, propter quod partialiter assentitur, sit fallibile, non potest ex integro firmum & infallibilem habere assensum circa objecta proposita per fidem credenda. Adde quòd assensus intellectûs sicut & conclusio, sequatur ut plurimum fortem debilioris & infirmioris principii; ac subinde si unum ex motivis assensûs fidei sit fallibile & incertum, etiam assensus fallibilis & dubius erit.

Objicies primò: Christus D. illam ab hominibus fidem videbatur exigere, quæ non excluderet rationes humanas, sed etiam illis inniteretur: igitur ex illius sententia divina fides potest etiam niti humanô testimoniô. Probatur antecedens ex illo Joan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*: ubi proponit opera miraculosa à se edita tanquam rationem cui assensus fidei innitatur. Et cap. 11. dixit Discipulis: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis. &c.* Similiter Joan. 4. dicitur de Samaritanis: *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia.*

Confirmatur ex illo ad Rom. 10. *Vos estis cives Sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ubi Paulus reducit totam fidem in Apostolos, quorum prædicatione primùm illuxit. Hinc S. Augustinus videtur supponere in libro de spiritu & littera cap. 34. fidem ultimò terminari etiam ad suasionem hominum, siquidem ait: *Neque enim anima rationalis credere potest quòlibet liberò arbitriò, si desit vocatio, vel suasio, cui credat*, non dixit *suasio qua maneat*, sed cui credat, quasi indicans, eam etiam intrare rationem formalem; quod etiam dixit lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Quis potest credere, nisi aliquâ vocatione; hoc est, aliquâ rerum testificatione tangatur?

XIX. Testimonium tamé humanum requiritur ut conditio applicans.

Respondeo his omnibus nihil aliud significari, quàm quòd humana authoritas & suasio requiratur ad assensum fidei, non ut ratio formalis assentiendi, sed solùm ut conditio proponens & applicans, seu disponens intellectum ad assensum; quemadmodum apprehensio intellectûs est conditio applicans objectum formale voluntati; nempe ad illius bonitatem demonstrandam, quæ voluntatem alliciat ad sui prosecutionem; sicut enim voluntas non potest amare objectum, nisi illius bonitas ei proponatur ab intellectu; ita similiter nequit fidelis assentiri Deo, maximè fide Catholicâ & generali, dum mysteria revelat, nisi per Ecclesiam & humanum testimonium ei innotescat & proponatur divina revelatio.

Objicies secundò: Assensus fidei humanæ, qui datur Regi loquenti per Legatos, resolvitur partialiter in authoritatem ipsorum Legatorum: ergo similiter assensus fidei, quem præbemus Deo per Ecclesiam & Sanctos, ac Apostolicos viros loquenti, partialiter resolvi debet in eorum authoritatem. Consequentia patet à paritate rationis: Deus enim (inquit de Lugo) non aliter agit cum hominibus per suos Prophetas aut Apostolos, quàm Reges terreni per suos Legatos; unde S. Paulus 2. ad Cor. 5. scribit: *Pro Christo ergo legatione fungimur.* Antecedens pariter constat; dum enim legatus aliquis qui habetur pro viro probo proponit aliquid ex parte Regis, non solùm creditur ejus verbis propter authoritatem Regis, sed etiam propter privatum ejus ac peculiare testimonium.

Nego consequentiam; & ratio disparitatis est aperta, quòd fides quâ creditur Regi per suos Legatos loquenti, cùm sit humana, non est mirum quòd testimonium legati habeat rationem illius objecti partialis, quia testimonium legati est ejusdem rationis & ordinis cum testimonio Regis, ac per se sufficiens ad conciliandum assensum fidei humanæ: secus autem est de fide Theologica, quæ cùm divina sit, solô Dei revelantis testimoniô fulciri potest, ac proinde per se non potest niti ultimò testimoniô Ecclesiæ quod purè humanum est.

XX. Aliter creditur Legatis Regis, & aliter Dei nunciis ac fidei mysteria annuntiantibus.

Objicies tertiò: Si testimonium Ecclesiæ resolvi deberet in aliquod aliud, putà in testimonium Dei, sequeretur in assensu divinæ fidei committi vitiosum circulum, crederet enim fidelis authoritate Ecclesiæ propter divinam revelationem, & iterum divinæ revelationi propter Ecclesiæ authoritatem; si quæras enim ab aliquo fideli, cur credat Deum esse trinum v. g. respondebit, quia Ecclesia testatur: si rursus exigas, unde sciat Ecclesiæ testimonium esse verum, reponet, quia Deus qui verax est in dicendo revelavit per Scripturam sacram Ecclesiam esse columnam veritatis, & habere assistentiam Spiritûs sancti in rebus fidei decernendis ac proponendis: igitur aut necessum est quòd admittatur circulus vitiosus in assensu fidei, aut quòd in ipsum Ecclesiæ testimonium partialiter resolvatur.

Nego majorem, & ad ejus probationem dico, non eâdem ratione fieri resolutionem assensûs fidei in testimonium Ecclesiæ, quâ fit in testimonium Dei; siquidem resolvitur in testimonium Ecclesiæ, ut in regulam proponentem credenda, & ea discernentem à non credendis; resolvitur verò in testimonium Dei tanquam in rationem formalem credendi, seu assentiendi mysteriis revelatis. Unde in illo assensu nullus committitur vitiosus circulus; siquidem non fit vitiosa circulatio, quando fit transitus de uno in aliud secundùm diversam rationem, & in diverso genere causæ: hoc autem fit in præsenti; quippe Fidelis credit mysteriis revelatis propter divinam revelationem, tanquam propter causam formalem credendi; credit verò revelationem illam esse divinam & veram, propter authoritatem Ecclesiæ, tanquam propter conditionem applicantem ea

XXI. Non committitur circulus in resolutione fidei.

quæ credenda sunt, ac discernentem credenda à non credendis; assentiri autem alicui tanquam rationi formali & alteri tanquam rationi directivæ, vel dispositivæ ad assensum, est assentiri propter diversam rationem & in diverso genere causæ: igitur in eo assensu non fit circulus vitiosus.

Objicies quartò: In id ultimò resolvitur fides, quod est motivum cur cætera credamus: sed Ecclesiæ authoritas est motivum cur omnia mysteria credamus. Probatur authoritate sancti Augustini suprà laudatâ: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoveret authoritas:* Igitur, &c.

Qualiter Ecclesiæ testimonium deserviat ad fidem.

XXII. *Nego minorem.* Et ad authoritatem sancti Augustini dico, ipsum intelligendum esse de motivo credibilitatis Evangelii; non verò de motivo ultimo ipsius credulitatis seu fidei; unde id profert S. Augustinus, non quòd putaret testimonium Ecclesiæ, esse objectum terminativum fidei Theologicæ, per quam inter cætera credo Scripturam sacram esse verbum Dei: sed quia seclusâ Dei authoritate, illud judicium quòd necessariò actum fidei præcedit, nullam habuisset sufficient fundamentum, quo judicaret firmiter credendum Evangelia divinâ authoritate esse conscripta; nec discernendi inter verum Evangelium, ab illis libris, qui primis Ecclesiæ temporibus vulgabantur sub nomine Evangelii Pauli & quorundam aliorum Apostolorum, quos Ecclesia ut supposititios ac spurios fœtus reprobavit.

Objicies quartò. Debemus habere certam aliquam & infallibilem fidei regulam, cui adhæreamus firmiter, *ut non simus sicut parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,* ait sanctus Paulus ad Ephes. 4. sed hæc visibilis & infallibilis regula non potest esse alia ab authoritate Ecclesiæ: igitur in Ecclesiæ authoritatem resolvi potest fides nostra, & in ea firmari.

Et sit fidei regula.

Distinguo majorem: Debemus habere infallibilem fidei regulam per quam cognoscamus quæ sint credenda, nec ne, concedo: in quam tanquam in ultimum terminum & motivum fides nostra resolvatur, nego: & sic distinctâ minore nego consequentiam; licèt enim Ecclesia sit infallibilis fidei regula, in eam tamen non resolvitur fides nostra tanquam in causam formalem ultimam, sed solùm tanquam in conditionem, sive per se, sive per accidens, requisitam ad assensum. Dico *per accidens,* quia fortè fides Patriarcharum & Apostolorum, ac eorum omnium qui divina mysteria immediatè audierunt à Deo revelante, non pendebat ab authoritate Ecclesiæ proponentis, & revelantis res fidei.

Objicies sextò: Divinum testimonium per se spectat ad objectum formale fidei: sed quando Ecclesia aliquid proponit & definit secundùm authoritatem divinam, & per infallibilitatem quam habet ab assistentia Spiritûs sancti, hæc proponit & definit per authoritatem sibi commissam, igitur illius testimonium pertinet ad objectum terminativum fidei.

Et ad divinum revocetur.

Distinguo majorem: Testimonium divinum absolutum & immediatum spectat ad objectum terminativum fidei, concedo: mediatum & duntaxat participatum, quale est testimonium Ecclesiæ, nego. Vel aliter, Testimonium divinum pertinet ad objectum fidei, vel per se, vel reductivè, concedo: reductivè tantùm, nego: testimonium autem Ecclesiæ est tantùm quædam participatio testimonii divini, & ad illud tanquam ad suum principium reducitur; unde in istud non potest fides ultimò resolvi, maximè cùm ipsummet in aliud resolvatur.

Conclusio Quinta.

Fides, quantùm ad propositionem ac revelationem credendorum, resolvitur in testimonium Ecclesiæ, prout ipsa regitur à Spiritu sancto: quantùm autem ad assensum, resolvitur in divinam veracitatem, seu in veritatem Dei in cognoscendo & dicendo. Hæc conformior videtur doctrinæ Doctoris subtilis in 3. dist. 23. num. 11. ubi ait: *Ideo assentio huic propositioni, Deus est trinus & unus, quia prius assentio Deo revelanti hanc veritatem, &c.*

Fides quantùm ad propositionem & applicationem, resolvitur in testimonium Ecclesiæ.

XXIII. Probatur autem *prima pars* illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Ecclesia dicitur regi & gubernari à Spiritu sancto, ac illius esse organum in tradendis & proponendis rebus fidei. Unde 1. ad Timoth. 3. Ecclesia Dei appellatur columna & firmamentum veritatis, quia nimirum fides nostra, quantùm ad propositionem credendorum illi innititur, unde sanctus Augustinus lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 5. constanter ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas, quâ sublatâ nec etiam Evangelio credere potero.* Et infrà sermonem faciens de lib. Act. Apost. ait: *Cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat authoritas.* Tantam autem Ecclesiæ authoritatem æstimari vult Christus Dominus, ut decernat Matth. 18. eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum, qui Ecclesiam non audierit in excipienda correptione, multò magis in assensu præbendo rebus ab ea propositis.

Quantùm verò ad assensum in Divinam veracitatẽ.

XXIV. *Secunda pars* facilè colligitur ex dictis; siquidem in id resolvitur ultimò fides quoad assensum, quod est illius objectum formale *sub quo:* at divina veracitas seu veritas Dei in cognoscendo & revelando est objectum formale sub quo nostræ fidei: ergo fides nostra quoad assensum resolvitur in illam divinam veracitatem. Major constat: id enim in quod fides resolvitur quoad assensum, debet esse motivum formale talis assensûs: motivum autem formale quô per fidem assentimur Deo, & objectum formale sub quo fidei, idem omnino sunt: igitur fides resolvitur in ipsam divinam veracitatem.

Dices: Ipsa divina veracitas, seu veritas Dei in cognoscendo & dicendo, resolvitur in veritatem Dei in essendo: igitur in eam etiam assensus nostræ fidei debet resolvi.

Distinguo antecedens: Ita resolvitur sub ratione entis, concedo: sub ratione motivi, nego: unde neganda est consequentia, primum enim motivum fidei divinæ, à quo ipsa suam infallibilitatem accipit, & per quod distinguitur à fide humana, est ipsa authoritas seu veracitas Dei, quæ complectitur infinitam Dei sapientiam, quæ falli non potest, ejusdemque bonitatem, quæ fallere nequit.

Dices 2. Si fides Theologica niti deberet veracitate divinâ tanquam ultimô fundamentô & terminô, sequeretur plurimos simplices Fideles non credere fide divinâ, siquidem plerique ex illis non credunt præcisè ob Dei revelantis authoritatem: sed vel propter authoritatem parentum, vel pastorum, vel ipsius Ecclesiæ proponentis res fidei: at absurdum consequens: ergo & id unde sequitur.

XXV.
Qualiter vulgus Fidelium credat ob veracitatem Dei.

Nego majorem: Nullus enim reverà Fidelis est, qui non credat rebus sibi propositis ob authoritatem Dei, saltem implicitè, etsi enim multi non cogitent explicitè de divina revelatione & authoritate; in eam tamen confusè saltem & implicitè feruntur, dum credunt ea quæ sibi tum ab Ecclesia, tum à parentibos, aut Pastoribus proponuntur, quando id quod proponitur, æstimant esse à Deo revelatum. Quòd autem plerumque accidat ut etiam docti ac de divinis mysteriis eruditi sæpè non videantur cogitare de divina authoritate aut revelatione dum credunt, id contingit propter assuetudinem & facilitatem in credendo, quâ fit ut authoritare Dei moveantur ad credendum sine olla reflexione: quâ ratione qui sacris etiam ministeriis incumbunt, plerumque illa perficiunt cum legitima intentione etiam actuali; attamen quia super eam non reflectunt, videntur sibi postmodum legitimâ intentione caruisse.

Dices tertiò: Fide credimus Deum esse primam veritatem: atqui hoc non credimus propter ipsius testimonium, ridiculom enim videremur credere aliquem esse veracem, quia ipse hoc diceret.

Deinde, Fide credimus Deum esse: at hoc non credimus propter ejus testimonium: Tum quia absurdum esset credere aliquem existere, quia ipse hoc testaretur; siquidem id testari non posset nisi existeret: Tum quia ignotius non potest esse ratio cognoscendi magis notum: sed notius est Deum existere, quia hoc ratione naturali constat, quàm sit notum hanc veritatem ipsum testari: ergo non possumos credere Deum existere propter ejus veritatem.

Denique, Credimus Deum revelasse articulos fidei: sed id non credimus propter aliam rationem, alioqui daretur processus in infinitum: igitur aliquis assensus fidei non potest resolvi in ipsam Dei veracitatem.

Deus credi debet dum se veracem esse testatur.

Respondeo ad primum negando minorem; non enim solâ ratione naturali nobis innotescit Deum esse veracem: sicut & eôdem lumine constat ipsum esse infinitè perfectum; sed etiam id apparet per testimonium ipsius Dei suam divinam veracitatem attestantis. Unde *ad probationem*, dico non esse parem rationem Dei se veracem attestantis cum homine qui idipsum de seipso testaretur; quia id nullis argumentis probat, nec ulla mihi adest justa ratio quæ me moveat, ut credam eum verum attestari dum se veracem esse pronuntiat: at cùm lumine naturali nobis certò constet Deum esse summè sapientem & bonum; itaut ipsi repugnet aut falli aut fallere: hinc meritò ei credimus dum se veracem esse profitetur; credimus inquam, assenso quidem firmiore quôvis aliô, qui propter rationem naturalem posset elici; fides enim est quàvis scientiâ naturali certior, ut dicemus infrà.

XXVI.
Existentia divina licèt nota naturaliter, tamen credi potest.

Ad secundum nego minorem, & ad ejus probationem dico, non eandem esse rationem de testimonio Dei ac hominum, quia testimonium hominis non solùm facit objectum suum inevidens; sed etiam testimonium istud est fallibile: atque ita est medium cognoscendi longè incertius & imperfectius, quàm sit evidens ratio naturalis; unde illud testimonium solùm generat opinionem, seu fidem humanam; non potest autem fides humana subsistere cum cognitione certa & evidenti de existentia alicujus, ut diximus in Logicis, agendo de assenso intellectùs ac proinde non mirum si non possit aliquis credere aliquem existere pro-

A pter ejusdem testimonium cùm habeat evidentem notitiam illius existentiæ. Secus autem est in fide divina, quæ cùm in certitudine omnem naturalem scientiam superet, quia testimonium divinum est infinitè certius quâlibet naturali scientiâ; idcircò datâ etiam quâcumque cognitione exceptâ ex ratione humana circa Dei existentiam aut aliud objectum, meritò adhuc movemur divinô testimoniô, ut id firmiùs credamus, quàm sit assensus ille, qui ex ratione naturali oriretur; unde licèt ex eo ipso quod nobis Deus loqueretur, evidenter cognoscamus ipsum existere; tamen voluntas adhoc intellectui posset imperare, ut illam divinam existentiam crederet propter testimonium
B Dei id affirmantis. *Ad aliam ejusdem minoris probationem dico*, non semper quod est minùs notum evidenter facere assensum minùs certum, non enim propositio evidentior semper efficit evidentiorem assensum, sed sufficit quòd sit certiùs re cognita, unde obscura Dei revelatio potest esse ratio cur firmiùs assentior alicui rei aliàs naturaliter mihi evidenter cognitæ; & sic licèt fides quâ credo Deum testari sese existere, sit obscurior cognitione quâ naturaliter scio illum esse, cùm sit tamen absolutè certior, etiam firmiorem potest assensum generare.

XXVII.
Divina revelatio seipsam manifestat.

Ad tertium nego minorem; credimus enim Deum revelasse articulos fidei propter eandem ipsam
C revelationem; sicut enim lumen non solùm est ratio cur videam colores, sed etiam cur ipsum lumen percipiam; ita revelatio divina, est formalis ratio simul credendi tam ipsam revelationem, quàm res per eam revelatas; ac subinde non sequitur quòd illa revelatio debeat credi per alteram, quódque fieri debeat processus in infinitum.

QUÆSTIO TERTIA.

Quale sit objectum fidei tam materiale, quàm formale: utrum videlicet sit complexum vel incomplexum; ordinatum vel inordinatum?

D

I.
Fidei objectum tripliciter accipitur.

NOtandum primò, objectum fidei posse tripliciter accipi: *Primò quidem*, pro ipso fidei objecto tam materiali, quam formali, quatenus videlicet significat omnes res credendas propter divinam veracitatem: *Secundò*, pro propositione externa quâ aliquid de subjecto fidei annuntiamus affirmando vel negando; *Tertiò*, pro ipso conceptu mentis, quô objecta fidei concipimus. Certum est autem objectum fidei primô modô acceptum si intelligatur de objecto primario, cùm sit ipse Deus, esse rem omninò simplicem; si verò accipiatur pro secundariis objectis simul cum primario, esse quidem complexum; sic enim
E comprehendit omnes res, quæ possunt objici intellectui per fidem cognoscendæ. Quare tota difficultas esse videtur de objecto fidei ex parte vel cognoscentis, vel loquentis.

II.
Qualiter fiat complexio mentalis.

Observandum insuper complexionem, quæ reperitur in modo concipiendi intellectûs humani, non provenire ex eo quòd ejus objectum explicetur per plures voces; hoc enim per accidens se habet ad complexionem mentalem ponendam vel non ponendam, ut optimè observat de Lugo *dist. 3. sect. 2. num. 33.* per accidens enim est, quòd nunc voces taliter sint destinatæ ad significandum, ut indigeamus pluribus vocibus ad exprimendam unicam propositionem mentalem; quemadmodum

enim Sinenses noo habent sicut nos Alphabetum, ex cujus characteribus formantur omnes nostræ dictiones, sed habent characteres significantes dictionem integram; sic fieri potuit, ut instituerentur singulæ voces pro singulis propositionibus integris; itaut unica vox simplex significaret hoc totum complexum, *homo est rationalis*, & ut sic repræsentaret propositionem mentalem complexè, quæ fieret per compositionem prædicati cum subjecto. E contrà verò fieri potest, ot conceptus sit iocomplexus, licèt explicetur à nobis per voces complexas: sic Angelus v.g. uoico simplici conceptu apprehendit unionem animæ rationalis cum corpore humano, quæ tamen tria; nempe *unionem, corpus* & *animam*, non possumus explicare nisi per plures voces; ac subinde, quemadmodum conceptus complexus potest explicari per unicam vocem; sic etiam conceptus incomplexus potest efferri per enuntiationem complexam.

III. Quid sit Articulus fidei.

Notandum secundò, præcipua fidei mysteria & objecta cootineri in qoibusdam articulis & symbolis. Articulus aotem, ut ait Richardus à S. Victore: *est indivisibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum*, hoc est, ditigens intellectum respectu omnium eorum quæ communiter sunt credenda, vel secundùm S. Isidorum: *Articulus est perceptio divinæ veritatis, tendens in ipsam*: id est, articulus est illud quod illuminat nos ad divinam veritatem percipiendam, & intellectum movet ad eam credendam. Hinc *Articulorum* nomine intelliguntur non quidem omnes veritates revelatæ, quæ in sacra Scriptura vel Coociliis continentur, sed præcipua earundem capita: quemadmodum enim contextura corporis humani certis artubus & articulis sustinetur ac connectitur, ne dissolvatur & pereat; sic in fide nostra sunt aliqua magis principalia & capitalia, quæ si dissolverentur, facilè tota fidei contextura pessundaretur & rueret:

Ex Symbolum.

Symbolum autem est vox Græca, quæ signum seu indicium & collectionem significat: sic in arte militari signum quod datur militibus, ut se se invicem cogooscant, & ab hostibus discernant, dicitur Symbolum: quamvis etiam propriè Symboli nomen usurpetur ad significandam collectionem quæ fieri solet ex multorum adunatione ad aliquod opus. Porrò utrâque hâc ratione symboli nomen usurpatur ab Ecclesia ad significandam brevem summam, seu regulam fidei ex variis articulis rerum credendarum collectam, ac Fidelibus propositam, quâ se-se invicem cognoscant, & ab hæreticis discernant. Dicitur autem Symbolum ab Augustino, seu ab eo qui est author serm. 115. de tempore, *comprehensio fidei nostræ simplex, brevis, & plena*; ut simplicitas ruditati, brevitas memoriæ, & plenitudo consulat doctrinæ.

Triplex est. Apostolicum, Nicænum.

Triplex autem maximè Symbolum admittitur in Ecclesia: Primum quidem *Apostolicum*, quod ab Apostolis compositum est, antequam in varias provincias dividerentur, ut probabitur infrà: Secundum dicitur *Nicænum*, quòd majori ex parte ordinatum fuit in Concilio Nicæno, ut Fideles magis profiterentur explicitè aliquos articulos impugnatos ab hæreticis; & ideo propter Arii potissimùm errorem negantem Filij divinitatem hæc magis explicitè declarata fuit io symbolo Nicæno. Cùm autem Macedonius posteà impugnasset Divinitatem Spiritûs sancti, Concilium Constantinopolitanum priori symbolo Nicæno, post illa verba: *Et in Spiritum sanctum*, addidit: *Dominum & vivificantem; qui cum Patre, & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*. Nec-non & illa verba: *De Spiritu sancto ex Maria Virgine*. Similiter & illud: *Cujus regni non erit finis*.

Et S. Athanasii.

Tertium symbolum appellatur *S. Athanasii*, qui licèt oon habuerit authoritatem condendi symbolum; quia tamen formula illa, quâ suam fidem explicitè professus est, clarè ac nitidè præcipuos fidei articulos declarabat, oon solùm placuit & probata fuit à summis Pontificibus, ad quos illam direxerat; sed insuper acceptata fuit ab universa Ecclesia; idcirco Symboli nomen ac virtutem obtinuit: Athanasium autem hujus Symboli authorem fuisse, constat ex S. Gregorio Nazianzeno in oratione de laudibus Athanasii, nec-non ex S. Augustino in Psal. 120. & ex consensu totius Ecclesiæ, quæ nomine S. Athanasii istud symbolum solemniter recitat diebus Dominicis.

IV. Objecta fidei considerari possunt in esse rei; aut in esse credibilis.

Notandum tertiò, objecta fidei dupliciter spectari posse, nempe vel in *esse rei*, seu quatenus sunt res suis nativis principiis ac proprietatibus constantes: vel in *esse credibilis*; prout videlicet proponuntur intellectui per fidem credendæ. Res autem in esse credibilis possunt invicem habere varium ordinem, nimirum vel ordinem existentiæ, vel dignitatis, vel habitudinis unius ad aliud, vel dependentiæ seu emanationis unius ab altero. *Certum est autem*, inquit Doctor in 3. dist. 23. *quod sit aliquis ordo inter ipsa credibilia*: *Primò*, secuodùm esse existentiæ, quia quædam sunt priora in existendo quàm alia, scilicet divina creatis, necessaria contingentibus, & æterna temporalibus: *Secundò*, penes esse dignitatis, aliqua enim sunt digniora & nobiliora io sua entitate, ut ea quæ pertinent ad Deum in se, sicut & ea quæ pertioent ad Christum D. hæc enim longè præcellunt cæteris rebus quæ per fidem apprehenduntur. *Tertiò* non est etiam dubium de ordine necessitatis; nam aliqua sunt necessaria simpliciter, ut essentia, & attribota Dei: item immortalitas animæ rationalis, & similia. Alia sunt contingentia, ut creatio mundi, passio Christi, &c. Denique non est dubium de ordine durationis, cùm aliqua sint æterna, & ab æterno; alia temporalia, sed præterita, alia futura. Tota difficultas esse posset de ordine in esse credibilis, an scilicet credibilitas aliquorum objectorum pendeat à fide aliorum, quæ debeant priùs supponi credita. Comparari autem possunt vel objecta materialia fidei inter se; ita quòd fides aliqoorum objectorum pendeat objectivè à fide aliorum, nec aliqua nisi propter alia credantur, vel comparari possunt objecta formalia ioter se, putà divina veritas in cognoscendo cum veritate in dicendo; vel denique materialia cum formalibus, nimirum res credendæ cum motivo credibilitatis.

His ita claritatis gratiâ præmissis tria hîc sunt resolvenda. *Primum*, utrum fidei objectum sit complexum vel incomplexum tam ex parte actûs quô creditur, qoàm ex parte rei quæ per fidem cognoscitur. *Secundum*, utrum sit aliquis ordo inter objecta tam materialia, quàm formalia fidei. *Tertium*, an omnia fidei objecta distinctè ac sufficieoter includantur in symbolo Apostolorum.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Objectum

OBjectum fidei tam ex parte rei credita, quàm ex parte actûs credentis, potest esse complexum

Fidei potest esse complexum.

aut incomplexum. Patet hujus conclusionis veritas ex primo & secundo Notabili; enimverò aliqua sunt fidei objecta simplicissima, tam in se, quàm in sua apprehensione, putà divina æternitas, sapientia, & cætera Dei attributa, quæ sicut sunt secundùm se omnino simplicia, ita per simplicem & unicum actum fidei possunt percipi. Aliqua verò sunt complexa tantùm secundùm se, non verò secundùm sui apprehensionem: Sic v. g. in illo fidei assensu: *Homo debitè præparatus, faciendo sacram Synaxim recipit augmentum gratiæ*, est objectum seu propositio objectiva complexa, quæ tamen apprehenditur per unicum & incomplexum fidei actum; aliqua verò sunt complexa tam secundùm se, quàm penes sui apprehensionem v. g. *Discipuli Christi D. in die Pentecostes receperunt plenitudinem Spiritûs sancti*; hæc propositio objectiva fidei, est complexa secundùm se, duo namque involvit prædicata & subjecta. Primùm, quòd Apostoli receperint plenitudinem Spiritûs sancti; secundùm, quòd illam acceperint in die Pentecostes: est etiam complexa penes assensum; quippe duo sunt actus intellectûs saltem partiales, quibus assentitur huic propositioni, quæ est duplex virtualiter, licèt formaliter videatur una.

Si autem assensus fidei consideretur ex parte actûs intellectûs componentis ac dividentis, seu affirmantis vel negantis, aut apprehendentis veritates revelatas per compositionem aut negationem prædicati cum subjecto, certum est hâc ratione fidem esse complexam tam ex parte objecti, quàm ex parte actûs: tum quia homines non aliter recipiunt objecta credenda, quàm per voces humanas, quæ repræsentant objecta complexè, nempe per propositiones constantes ex subjecto & prædicato, quæ cùm generent species similes objecti & prædicati aptas ad producendas apprehensiones distinctas de extremis, hinc est quòd sequatur assensus complexus componens prædicatum cum subjecto.

Adde quòd, inquit de Lugo, *disp. 3. sect. 2. nu. 46.* quoties veritas propositionis non apparet clarè, sed credenda est propter aliud medium & motivum, necesse est quòd interveniat discursus saltem virtualis ad ei assentiendum: cùm ergo veritates revelatæ tales sint, necessum est, ut eis assentiamur, quòd fiat discursus saltem virtualis, inferendo nempe ex eo quòd quæ Deus dicit, sint vera, & quòd Deus hanc rem esse revelaverit; consequens sit illam esse veram: Ubi autem discursus est, necesse est quòd sit complexio, tam ex parte objecti quàm ex parte assensûs: igitur in omni actu composito fidei necessum est, quòd interveniat complexio ex parte actûs & objecti.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.

Omnia objecta materialia æquè immediatè spectant ad fidem.

OMnia objecta materialia æquè immediatè spectant ad fidem: aliqua tamen principaliùs ad eam pertinere videntur, quàm alia. Hæc secundùm rei veritatem debet esse communis quoad utramque partem, licèt nonnulli verbo tenus videantur dissentire. *Prima pars constat.* Omnia enim objecta fidei æquè innituntur motivo formali credibilitatis, scilicet veritate Dei in cognoscendo & dicendo, & æquè immediatè revelantur à Deo, ac proponuntur ab Ecclesia, nec enim majorem infallibilitatem habet Ecclesia in proponendo uno objecto, quàm in altero, nec Deo minùs credendum est quando revelat unum objectum, quàm dum revelat aliud, quippe cùm non minùs sit verax ratione unius quàm alterius: igitur omnia fidei objecta æquali ratione sunt credibilia.

Dices: Deus non æqualiter omnia affirmat, aliqua enim tantùm simpliciter enuntiat, alia verò cum juramento: igitur non omnia revelata exigunt æqualem fidem.

Licèt aliqua Deus asserat cum juramento, non verò alia.

Nego consequentiam; Siquidem non minùs repugnat Deo mendacium, quàm perjurium; hoc enim utrumque directè militat in summam ejus veracitatem: unde licèt ut nostræ infirmitati sese accommodet, interdum utatur juramentô, quô efficaciori modô nostrum assensum provocet; nihilominùs juramentum istud non majorem denotat veritatem alicujus rei, quàm si illam duntaxat enuntiaret ac revelaret.

Adde quòd omnis Dei revelatio & attestatio veritatis censeri posset juramentum; quippe cùm Deus rei revelatæ veritatem testetur per seipsum, velit eam credi propter suam veracitatem, quod propriè est jurare.

Dices secundò: Non omnia quæ revelantur sunt æquè vera: igitur non omnia sunt æquè credibilia. Patet antecedens; quæ enim purè divina sunt, etiam veriora sunt quàm creata, sunt enim magis necessaria & magis entia; ac subinde majorem habent veritatem, & consequenter magis sunt credibilia. *Confirmatur* exemplô charitatis bene regulatæ & ordinatæ; hæc enim magis diligit ea quæ majorem habent bonitatem: igitur etiam fides magis debet credere ea, quæ majorem & firmiorem habent veritatem.

VII.

Quæ majorem habent veritatem, non tamen sunt magis credenda.

Respondeo concessô antecedente, distinguendo consequentiam; magis credi debent quæ habent majorem veritatem, quando motivum credendi est ipsa propria veritas objecti crediti per se evidenter apparens, transeat: quando motivum credendi est alia veritas quæ æquè participatur ab aliis objectis veris, revelatis, & per fidem cognitis, nego: Cùm ergo fidei motivum ultimum non sit veritas evidenter apparens objecti crediti, sed veracitas & testimonium Dei; æquè omnia sunt credibilia, quibus hoc motivum ex æquo convenit; omnia autem revelata æquè participant motivum credibilitatis, quia Deus æquè infallibilis est ac verax in revelando uno objecto, ac aliis; ac subinde fides omnia credit propter idem motivum.

Ad confirmationem, dico retorqueri posse argumentum; quemadmodum enim charitas non semper provocat ad amandum creaturas, quæ secundùm se sunt perfectiores, & quæ magis participant de bonitate ac perfectione divina, sed eas ex quibus Dei gloria major exurgit, quia motivum ultimum amandi propter charitatem, non est ipsa perfectio creaturæ, sed Dei bonitas & gloria: unde si ex creatione hominis major Dei gloria resultaret, quàm ex creatione Angeli, ex motivo charitatis deberet quis plus diligere hominem quàm Angelum: igitur quemadmodum charitas æquè diligit ea ex quibus æqualis gloria Dei resultat: ita fides debet æquè credere omnia credibilia, quia in ipsis æquè apparet divina veracitas.

VIII.

Aliqua objecta sunt aliis nobiliora.

Secunda pars etiam constat; cùm enim inter objecta credibilia alia sint nobiliora, putà quæ divina sunt; alia verò minùs nobilia, qualia sunt omnia creata, inter quæ insuper multiplex ac varius est ordo dignitatis secundùm majorem vel minorem eorum perfectionem; hinc est quòd

quemadmodum lumen naturale intellectûs magis inclinat ad cognoscendam veritatem nobiliorem; sic etiam fidei lumen magis inclinabit intellectum circa divina credenda, quàm circa ea quæ sunt purè creata.

Ex iis igitur sequitur objecta materialia fidei posse seorsim ab invicem credi, quando non habent naturalem dependentiam, nec essentialiter ac necessariò unum alteri ex natura rei præsupponitur; siquidem omnia illa objecta ex æquo à Deo revelantur, & sic æqualiter sibi vendicant infallibilitatem ex veracitate & revelatione divina. Dixi, *quando unum necessariò & naturaliter non præsupponitur alteri:* sunt enim quædam objecta, quæ ut credantur, supponunt fidem aliorum, à quibus necessariò consequuntur: sic non possum credere Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, nisi credam in Deo esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; nec Deum esse remuneratorem, nisi credam existere; nec omnes homines resurrecturos, nisi credam omnes morituros; resurrectio enim supponit essentialiter mortem.

Quem ordinem servent objecta formalia fidei inter se.

Si autem comparentur objecta formalia fidei inter se, v.g. veritas Dei in cognoscendo cum ejus veritate in dicendo & revelando, aliquem servant ordinem in sua existentia, non verò in esse credibilis; quippe priùs est Deum esse verum in cognoscendo quàm in loquendo: etenim veritas in cognoscendo æterna est, divina, & Deo intrinseca; veritas autem in loquendo & revelando temporalis est, & Deo extrinseca: In esse autem credibilis nullum dicunt ordinem prioris aut posterioris; quippe sibi invicem inserviunt, ut credantur, cùm neutra possit credi nisi propter alteram, putà veracitas propter revelationem & revelatio propter veracitatem.

Et cum materialibus.

Si tandem comparentur objecta materialia fidei cum formalibus, certum est quòd invicem servare debeant ordinem in ratione credibilis; materialia namque dependent à formalibus ut credantur; siquidem motiva veracitatis & revelationis non creduntur propter objecta materialia, sed è contra materialia creduntur propter ista motiva.

Verùm hæc omnia leviora sunt, quàm quòd diutiùs in iis immoremur.

Conclusio Tertia.

IX.

Symbolum Apostolorum continet omnia credenda quoad substantiam.

OBjecta credenda sufficienter in Symbolo Apostolorum continentur quantùm ad substantiam. Probatur: Summa credendorum maximè spectat ad Deum in sua Divinitate, vel in nostra humanitate subsistentem, juxta illud Joan. 14. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* Sed duo illa credendorum capita disertè explicantur in Symbolo, & quæ ad utriusque notitiam spectant, in eo sufficienter declarantur, ut testatur S. Augustinus, serm. 181. de tempore: *Symbolum*, inquit, *breve est verbis, sed magnum in Sacramentis, quidquid enim de Deo & Christo in Scripturis traditum est, in Symbolo continetur.* Quam utique veritatem egregiè probant ac elucidant *Alensis* qu. 96. memb. 5. art. 1. *Seraphicus Doctor* in 3. dist. 25. art. 1. quæst. 1. ubi probat sufficientiam credendorum in Symbolo contineri, tum ex parte Authorum componentium; tum ex parte Articulorum fidei veritates continentium.

Ut optimè probat Doctor seraph.

Ex parte quidem *Authorum componentium*; Quia, *inquit*, universitas ibi Apostolorum convenit, quam non est dubium aliquid non potuisse latere de his quæ pertinent ad fidei complementum. Et ut majorem haberent firmitatem, singuli posuerunt ibi suas partes, & omnes insimul singulas approbaverunt: ut una Ecclesia, quæ super Apostolos fundari debebat, unam fidei credulitatem & confessionem haberet, quæ quidem diceretur fides Catholica, hoc est, fides universalis. Universalis, inquam, quia universis data, & ab universis Apostolis, qui erant fundamentum universalis Ecclesiæ constituta. Unde Petrus primò particulam suam dicens. *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.* Secundò Andreas subjunxit: *Et in Iesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Tertiò Joannes addidit: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex M. Virgine.* Quartò intulit Jacobus major: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.* Quintò subjunxit Thomas: *Descendit ad inferna, tertiâ die resurrexit à mortuis.* Sextò addit Jacobus minor: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimò adjecit Philippus: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Octavò intulit Bartholomæus: *Credo in Spiritum sanctum.* Nonò subjunxit Matthæus: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Decimò addidit Simon Chananæus: *Sanctorum communionem.* Quia in Sanctorum communione est peccatorum remissio. Undecimò superaddidit Judas Thadæus: *Carnis resurrectionem.* Et est sensus quòd Deus resuscitabit ipsam carnem. Duodecimò Matthias consummavit. *Vitam æternam.* Amen.

1. Ex parte eorum qui Symbolum ediderunt.

Et sic Apostoli in numero duodenario pleno & integro composuerunt illud Symbolum, quando erant insimul congregati.

2. Ex parte articulorum circa divinitatem.

Potest etiam nihilominus sumi à *parte articulorum constituentium*, cùm enim omnes articuli sint de Deo, aut secundùm quod est in natura propria, aut secundùm quod est unitus humanæ naturæ: necesse est quosdam articulos esse spectantes ad Divinitatem, quosdam ad humanitatem. Illi autem qui spectant *ad Divinitatem*, aut respiciunt divinam essentiam in se, aut respiciunt divinæ essentiæ personas & hypostases aut respiciunt ejus operationes. Si respiciunt ipsam divinam essentiam in se; sic est unus articulus, secundùm quòd unica & simplex est divina essentia; & hoc insinuatur cùm dicitur: *Credo in Deum.* Si autem respiciunt divinæ essentiæ personas, sive hypostases secundùm quod tres sunt personæ; tres sunt articuli. Quorum unus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Alius verò notatur cùm dicitur: *Et in Iesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Alius cùm dicitur: *Credo in Spiritum sanctum.* Si autem respiciant divinæ essentiæ operationes: hoc potest esse tripliciter secundùm quod triplex est ejus operatio, quarum *Una* est in collatione naturæ, & hæc est creatio. *Altera* in collatione gratiæ, & hæc est sanctificatio. *Tertia* est in collatione gloriæ, & hæc est gloriosa resuscitatio. Et secundùm hoc tunc sunt tres articuli: quorum unus notatur cùm dicitur: *Credo in Creatorem cæli & terræ.* Alter cùm dicitur: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Alius cùm dicitur. *Carnis resurrectionem. Et vitam æternam.* Amen. Et sic septem sunt articuli circa Divinitatem respicientes ipsam divinam essentiam in se, & in personis, & in operi-

Et circa humanitatē Christi D.

bus ejus: & patet eorum sufficientia, quia non habet ipsa pluribus modis considerari.

Similiter *circa humanitatem* non est reperiri nisi septem articulos principales secundùm septem actus Christi Redemptoris, qui ordinantur ad nostram redemptionem. Quorum primus est incarnari. Et hoc est unus articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*. Secundus est nasci. Et de hoc est alius articulus: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius est pro nobis pretium solvere: Et de hoc est alius articulus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*. Quartus est infernum spoliare: Et de hoc est articulus: *Descendit ad inferna*. Quintus est de morte triumphare: Et de hoc est alius articulus: *Tertiâ die resurrexit à mortuis*. Sextus est cœlestia transcendere: & de hoc est alius articulus: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Septimus ad judicium venire: Et de hoc est alius articulus: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Et sic patet quòd septem sunt articuli spectantes ad Deitatem, & septem spectantes ad humanitatem, in quibus universitas fidei continetur, secundùm quòd significatur in primo Apoc. ubi dicit Joan. se vidisse septem candelabra, & in medio septem candelabrorum similem filio hominis, & ille habebat ad dexteram septem stellas Per septem namque stellas luminosas, quæ sunt de natura cœlesti, intelliguntur septem articuli spectantes ad Divinitatem: per septem autem candelabra aurea, quæ sunt de terrena materia veruntamen optima, & deputata, intelliguntur septem articuli respicientes humanitatem: & ideo dicit quòd in medio horum vidit similem filiô hominis. Quoniam ergo isti quatuordecim articuli continentur in Symbolo Apostolico: hinc est quòd fides continetur in illo Symbolo sufficienter, & plenè quantùm ad illa, quæ principaliter sunt credenda. Et ideo concedendæ sunt rationes ad istam partem.

IX. Quare Symbolo Apostolorū alia fuerunt addita.

Dices primò: Si in eo Symbolo sufficienter continentur omnes articuli credendi, ent necessum fuit alia addere Symbola: sed præter Symbolum Apostolorum Ecclesia etiam habet alia Symbola, nempe Symbolum Nicænum & Symbolum sancti Athanasii: igitur Apostolicum Symbolum non sufficienter complectitur omnia credenda.

Respondet Seraphicus Doctor *ibidem ad 5. argumentum*, Apostolicum Symbolum sufficiens esse ad credendorum notitiam; cætera verò fuisse addita ad creditorum majorem explanationem, & ad hæresum confutationem; unde Apostolicum Symbolum sufficiens ad instruendam plebem de his, quæ necessariò debet explicitè credere; alia verò duo Symbola necessaria sunt Pastoribus ac Rectoribus, tum ad explicanda ea quæ continentur in Apostolico Symbolo, tum ad confutandos varios errores: Symbolum Nicænum, inquit Seraphicus Doctor, conditum fuit ad confutationem plurium hæresum pullulantium. Unde adduntur aliqua ad majorem expressionem, per quæ possunt hæreses confutari, & propterea ad elidendam hæresim Manichæi non tantùm dicitur: *Credo in Deum, sed credo in unum Deum*. Nec tantùm dicitur: *Creatorem cœli & terræ*, sed etiam *visibilium & invisibilium*. Ad confutationem verò hæres Arianæ non tantùm dicitur: *Credo in Iesum Christum Dominum nostrum*, sed etiam additur: *Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum*, usque ibi: *Per quem omnia facta sunt*. Ad confutationem verò hæresis Eutychis & Nestorii, qui dixerunt Spiritum sanctum servum esse Patris, & Filii, non dicitur tantùm: *Credo in Spiritum sanctum*, sed additur: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit*, & Latini addiderunt, *Filioque* propter errorem Græcorum. *Qui cum Patre & Filio simul adoratur*, &c. Et additur: *Qui locutus est per Prophetas*, ad destructionem erroris quorumdam, qui dixerunt quòd Prophetæ locuti sint sicut phanatici. Et sic patet quòd ista Symbola non superfluunt, nec Apostolicum deficiat; quia quamvis in illo fides sufficienter contineatur quantùm ad propriam & simplicem fidei confessionem, tamen opportunum fuit aliquid ei addere ad majorem explanationem & propter confutandam hæreticam pravitatem.

X. Quonam in articulo continetur existentia Dei.

Dices secundò: Summa credendorum maximè his duobus continentur, nempe existentia Dei & illius justitia per ordinem ad homines remunerandos, juxta illud sancti Pauli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator est*: Sed hæc duo non continentur in Symbolo Apostolico: igitur non complectitur sufficienter omnia credenda.

Nego minorem: Profitemur namque Deum existere, cùm dicimus: *Credo in Deum*; his enim verbis profitemur unum Deum esse: remuneratio verò continetur in ultimis illis verbis; *Et vitam æternam*, in quibus confitemur æternam beatitudinem observantibus mandata Dei; ac proinde sufficienter apparet illius divina justitia in præmiandis bonis & malis plectendis: quemadmodum & omnia alia divina attributa innotescunt, vel nomine *Dei*, vel per omnipotentiam divinam; qui enim est omnipotens, consequenter infinitus est, ac subinde illustratus omnibus perfectionibus quæ ad ens infinitum spectant.

Et Eucharistia.

Dices tertiò: Inter mysteria fidei explicitè omnibus credenda, unum ex præcipuis est Sacramentum Eucharistiæ, quod idcirco appellatur per Antonomasiam *Mysterium fidei*; quia maximè sensûs ac intellectûs humani captum naturalem fugit: at mysterium istud non continetur in Symbolo Apostolico, nec etiam in aliis duobus: igitur ista Symbola non sufficienter complectuntur omnia credenda.

Respondet idem Seraph. Doctor *ad 3.* quòd iste articulus non est principalis, sed sub aliquo articulo continetur, sicut & alia Sacramenta. Volunt autem quidam dicere quòd reducitur ad Articulum de Omnipotentia: alii autem ad Articulum de Passione, quia istud est memoriale passionis: sed meliùs est ipsum revocare ad Articulum de unitate Ecclesiæ & peccatorum remissione, ad quæ etiam alia Sacramenta revocantur: in ipsis enim Sacramentis fit peccatorum remissio, & attenditur totius Ecclesiæ Sanctorum unio.

Addunt aliqui mysterium hoc non esse positum in Symbolo, quia in eo continentur solùm ea quæ scitu erant necessaria ad fidem explicitam pertinentem ad intellectum: fides autem explicita Eucharistiæ non est necessaria propter se, sed ad implendum dignè præceptum sumendi Eucharistiam; unde, ut observat sanctus Augustinus Tract. 11. in Joann. Catechumeni qui olim docebantur omnia mysteria credenda, priusquam susciperent baptisma, nil audiebant de Sacramento Eucharistiæ: non ergo mirum si in Symbolo quod Catechumeni etiam ante baptismum suscipiendum edoceri ac profiteri debent, contineatur hic articulus, cujus fides explicita

ab eis non exigitur, donec hoc Sacramentum A effeot susceptum.

QUÆRES 1. *An Symbolum quod dicitur Apostolicum, sit reverà ab ipsis Apostolis editum?*

IX. Symbolum Apostolicū reverà ab Apostolis fuit editum.

RESpondeo id nulli Catholico videri debere dubium; quippe hoc ipsum apertè tradunt SS. Patres, maximè verò S. Clemens Epist. 1. ad Jacobum, & libro 1. Recognitioonum: S. Ambrosius serm. 38. Chrysostomus homil. 1. & 2. de Symbolo. Augustinus sermone 115. & 118. de Tempore, & S. Leo Epist. 13. ad Pulcheriam, & serm. 3. de Passione, ubi ait: *Ipsa Catholici Symboli brevis & perfecta confessio duodecim Apostolorum est insignita sententiis.* Unde Baronius ad *annum* 44. existimat Symbolum fuisse compositum annô 10. à Passione Christi, antequam videlicet in varias provincias dividerentur. Quod etiam suaderi potest ratione SS. Patrum mox laudatorum, qui volunt idcirco Apostolos hoc Symbolum edidisse, ut haberent unam eandemque regulam fidei, quam omnes omnibus populis proponerent.

Secundo, ut singuli Fideles brevem hanc fidei formulam faciliùs memoriæ mandarent & frequentiùs profiterentur. Sic Augustinus hom. 42. in serm. de Symbolo.

Tertiò, ut possent fideles hâc brevi formulâ veluti clypeô præmuniri adversus omnes hæreticorum fraudes. Ita S. Chrysostomus homil. de Symbolo. Addunt præfati Patres Apostolos non tradidisse Symbolum istud scripto, sed verbo tenus; *Ne*, inquit Eusebius Emissenus hom. 2. de Symbolo, *Ab hæreticis corrumpi posset ac vitiari.*

Non tamen pro Scriptura S. est habendum.

Unde non mirum si Symbolum istud non habeatur à Fidelibus tanquam Scriptura sacra, cùm ab Apostolis non fuerit scriptum, sed traditum Fidelibus, ut in eorum memoria conservaretur.

Adde quòd licèt Apostoli illud tradiderint Spiritu sancto regente & gubernante quoad veritatem sententiarum, non tamen dictante singula verba quod ad Scripturam Canonicam videtur esse necessarium: & insuper, licèt certum sit Symbolum istud esse editum ab Apostolis, id tamen non est de fide nec ab Ecclesia definitum, nec ab ea inter divinas Scripturas receptum.

QUÆSTIO IV.

An & qualiter, fides successu temporum profectum ac augmentum susceperit?

I. Fidei augmentum potest dici triplex.

NOtandum primò, ex Seraph. Doctore in 3. d. 25. art. 2. fidei augmentum considerari posse tripliciter. *Primò* quidem quantùm ad credendorum multitudinem. *Secundò*, quantùm ad plenitudinem luminis. *Tertiò*, quantùm ad certitudinem cognitionis. *Primò*, inquam, fidei augmentum spectari potest quantùm ad multitudinem credendorum, idque vel secundùm eorum additionem, vel penes eorumdem explanationem: objecta enim credenda considerari possunt ut plura vel pauciora unô tempore, quàm aliô: Insuper quæ implicitè duntaxat proponuntor unô tempore, possunt alterô tempore explicitè & distinctè credenda proponi. Similiter fides potest suscipere novum luminis augmentum successu temporum, ita quòd quæ obscuriùs erant revelata uno tempore distinctiùs & apertiùs alterô tempore appareant per uberiorem doctrinæ illustrationem & perspicaciorem rerum credendarum propositionem. Tandem fides comparari potest vel ad veritatem dictantem, vel ad intellectum assentientem. Quæritur autem an his omnibus modis fides augmentum susceperit; ita quòd nunc plura vel pauciora fiant credenda, idque clariùs ac distinctiùs, nec-non & firmiori ac certiori assensu, quàm crediderint nascentis Ecclesiæ Fideles.

II. Fides est vel implicita, vel explicita.

Notandum secundò, fidem de aliquo objecto haberi posse dupliciter, nempe vel implicitè, vel explicitè. *Fides explicita* est, quando assensus fertur ad ipsum objectū, prout tale est, ita ut qui credit, possit interrogatus in particulari dicere se illud credere. Fides implicita est, quando aliquid credimus, B in quo vel alia involvuntur, quamvis nos lateat quæ illa sint, vel non possumus credere hoc, quin eô ipsô saltem in communi alia credamus. Potest autem hæc implicita fides provenire primò ex ratione formalis objecti ejusdem, v. g. qui credit fide infusâ unum articulum propter authoritatem divinam, eò ipsò videtur implicitè amplecti quidquid Deus revelaverit; sicut qui detestatur unum peccatum grave, præcisè quia est offensa gravis Dei, eô ipsô implicitè videtur detestari omne peccatum grave, in quo idem detestandi motivum reperitur. *Secundò*, continentia implicita oriri potest ex eo quòd credatur aliquà collectio rerum confusa, in qua alia objecta continentur, quæ secundùm se & in particulari ignorantur: C sic dum aliquis rusticus credit omnia quæ creduntur ab Ecclesia Romana, fidem habet implicitam de omnibus articulis ac veritatibus Catholicis spectantibus ad integritatem fidei. *Tertiò* denique, potest contingere ut credatur aliquid connexum cum alio, idque vel quia una propositio est connexa cum alia in re ipsa seu per identitatem rei, quamvis connexio ipsâ non possit sine fide cognosci, & hôc modô, qui credit Deum esse infinitum, implicitè credit esse trinum: vel etiam particulare in universali cognoscitur implicitè, ut per se constat.

III. Triplex fidei sicut & Ecclesiæ status.

Notandum tertiò: Fidei sicut & Ecclesiæ statum D distingui posse triplicem juxta triplicem legem Naturæ, Scripturæ, & Gratiæ. *Status Naturæ* fuit ab Adamo usque ad Moysem. *Scripturæ* verò à Moïse usque ad Christum: *Gratiæ* denique ab ipsius Christi D. nativitate usque ad consummationem sæculi. *Insuper* horum statuum quilibet distingui potest in diversa tempora; quemadmodum S. Gregorius homil. 28. in Matth. distinguit statum legis Naturæ ab ipso mundi exordio usque ad diluvium; à diluvio & Noë usque ad Abrahamum; & ab Abrahamo usque ad Moïsem: Similiter in singulis eorum statuum distingui possunt homines in duas classes, nempe in illos qui fuerunt Principes, Pastores & Rectores E aliorum, & in eos qui instar ovium à pastoribus reguntur, ac fidei veritatibus instruuntur ac illustrantur.

His ita præmissis, determinandum est *primò*, utrum semper æqualis fuerit Ecclesiæ fides quovis in statu tam implicita quàm explicita circa eadem objecta credenda. *Secundò*, utrum objecta credenda clariùs in uno tempore quàm in altero innotuerint. *Tertiò*, utrum majori ac firmiori certitudine, unô tempore credita sint quàm alterô.

CONCLUSIO

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Fides quoad substantiam eadem fuit implicitè in omni Ecclesiæ statu.

Fides *quantum ad substantiam credibilium, eadem fuit implicitè in omnibus fidelibus, cujusvis status Ecclesiæ, nec-non & explicitè in Principibus ac Rectoribus: non ita in Fidelium vulgo usque ad statum legis gratiæ.* Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum prima colligitur ex Apostolo ad Heb. 11. ubi cùm dixisset: *Sine fide impossibile est placere Deo*, subdit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* Sed plurimi in quovis Ecclesiæ statu Deo placuerunt: igitur credere debuerunt eum existere, & eum esse remuneratorem eorum qui illum inquirebant; at substantia credibilium maximè his duobus articulis virtute continetur, nempe divina existentiâ, quæ non solùm Deitatem, sed etiam attributa omnia, ac Dei operationes & præcellentias involvit, & humanum salutem, ad quam omnia Dei opera ad extra ordinantur; *omnia* enim *propter Electos*: igitur, &c.

Confirmatur ex eo quòd ibidem Apostolus fidem dicit esse *substantiam rerum sperandarum*: res autem sperandæ quôvis tempore fuerunt eædem secundùm substantiam, scilicet æterna beatitudo, & quæ ad illam spectant, unde ibidem subdit: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti* (nempe antiqui Patres) *non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes.* Quapropter 2. ad Corinth. 4. loquens de antiquis Patribus, ait: *Habentes autem eundem spiritum fidei.* Quibus significat veteres Patres eandem, quam nos, fidem habuisse.

Probatur insuper: Fidei summa maximè concernit Deum subsistentem in sua Divinitate aut in nostra humanitate: at hæc fides in omni Ecclesiæ statu semper extitit: igitur, &c. Major patet ex illo Joan. 17. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Minor verò probatur ex illo Actor. 4. ubi de Christo dicitur: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salves fieri*; unde quotquot fuerunt Fideles quovis in Ecclesiæ statu, omnem suam spem in Christum direxerunt, tanquam in fontem gratiæ & Authorem, ac Mediatorem Dei & hominum. Hinc Heb. 13. dicitur: *Christus heri & hodie, & in sæcula*; quibus Paulus significat, quòd etsi Christus D. tantùm apparuerit in medio temporum, tamen divinæ suæ operationis, ac virtutis influxum in omnes prorsus Gentes quôvis tempore, & sub qualibet lege Naturæ, Scripturæ, aut Gratiæ derivavit: Hinc Apocal. 13. dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*, quoniam futurum hujus divinæ victimæ sacrificium, quô expiari deberent hominum peccata, fuerit semper præsens Deo, ut eorum intellectu & intuitu moverentur ad gratiam impertiendam hominibus: quapropter omnes omnino Fideles in ipso Messia spem suam ac salutem collocârunt; Unde David Psal. 21. *In te speraverunt Patres nostri, speraverunt & liberasti eos: ad te clamaverunt & salvi facti sunt.*

V. Omnes enim fideles quovis tempore in Deum & Christum crediderunt.

Quòd autem illius divini Mediatoris gratia & opitulatio longè ante suum in mondum accessum hominibus profuerit ad salutem, præclarè docet sanctus Paulus 1. ad Corinth. 10. his verbis: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt; bibebant autem de spiritali, consequente eos Petrâ; Petra autem erat Christus.* Hinc SS. Patres docent fidem in Christum semper fuisse hominibus quovis in statu necessariam ad salutem. Quod etiam non obscurè insinuat S. Paulus ad Rom. 3. ubi cùm dixisset; *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei*; subdit: *Iustificati per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Iesu Christi.*

VI. Unde eadem fuit Synagogæ & Ecclesiæ fides.

Hinc S. Augustinus tract. 45. in Joan. præclarè docet eandem esse fidem Synagogæ & Ecclesiæ, quantùm ad ejus objectum: *Tempora*, inquit, *variata sunt, non fides: mutatus est sonus verbi, veniet aus venit; eadem tamen fides utrosque conjungit.* Et serm. 8. de tempore: *Vna*, inquit, *est fides novi & veteris Testamenti.* Quapropter lib. 1. Retract. cap. 13. docet Christianam religionem extitisse ab initio mundi, quanquam eô nomine non fuerit appellata: *Ipsa res*, inquit, *quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, erat & apud Antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse veniret in carnem, unde vera Religio, quæ jam erat, cæpit appellari Christiana. Cùm enim post Resurrectionem, Ascensionemque in cœlum cæpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt Discipuli Christiani. Nostris ergo temporibus, hæc est Christiana Religio, non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit, quam cognoscere & assequi securissima est salus.*

Ut egregiè explicant SS. Patres Augustinus.

Cui concinit egregiè S. Leo serm. de Nativitate: *Cessent igitur*, inquit, *illorum querelæ, qui impiô murmure divinis dispensationibus obloquentes de divina Nativitatis tarditate causantur: tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate est gestum. Verbi Incarnatio hoc contulit facienda, quæ facta; & sacramentum salutis humanæ in nulla unquam antiquitate cessavit. Quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ; nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia verò & benignitas Dei hâc salutiferi operis morâ capaciores nos suæ vocationis effecit, ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis, per tot fuerat sæcula prænuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum; & nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentia erat excessura mensuram, tantò constantiorem in nobis gigneret fidem, quantò prædicatio ejus & antiquior præcessisset & crebrior. Non itaque novô consiliô Deus rebus humanis, nec serâ miseratione consuluit: sed à constitutione mundi unam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gratia autem Dei, quâ semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cæpta: Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quô totus jam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minùs adepti sint, qui in illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum.*

Et S. Leo.

His etiam suffragatur ratio: Omnes enim quôvis tempore Fideles tendere debuerunt in eandem beatitudinem, & per eundem Mediatorem Christum: ergo necessum fuit, ut omnes invicem

convenirent in eadem fide, saltem implicita & secundùm substantiam.

VII. Quòvis tempore Rectores & Pastores habuerunt fidem explicitam mysteriorum.

Secunda pars probatur: nempe quòd omni tempore Fidelium Rectores, Pastores & Principes explicitam habuerunt fidem præcipuorum mysteriorum; hoc enim significat Christus Dominus Lucæ 10. generaliter dicens Apostolis: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis; dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis & non audierunt.* Ex quo rectè colligit S. Irenæus l. 4. cap. 24. *Si desideraverunt: ergo in eum crediderunt.* Hinc S. Leo Epist. 23. dicit à principio generis humani denuntiatum hominibus Christum in carne venturum. Quam utique denuntiationem & fidem propagârunt etiam Gentiles aliqui mediis in idololatriæ tenebris, ut constat de sanctissimo viro Job, qui cap. 19. dicit: *Scio, quia Redemptor meus vivit.*

Verùm cùm hæc fides infidelitate Gentilium obscurata fuisset & pene extincta, denuò suscitata fuit in Abrahamo; qui expressiorem mysteriorum fidem habuit, maximè verò Incarnationis, ut Christus Dominus testatur Joan. 8. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est.* Ab eo autem sanctissimo Patriarcha ad omnes ejus posteros fides de incarnando Verbo propagata est, unde sanctus Paulus ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini ejus.* Eam autem divinam fidem per frequentes revelationes factas Patriarchis Isaac & Jacob, excoluit Deus usque ad ipsius Moysis tempora, de quo priusquam legem acciperet S. Paulus ad Heb. 11. ita scribit: *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Præ cæteris autem Israëlitis qui post Moysem vixerunt, expressionem de Incarnatione Verbi, ejusque mysteriorum Vitæ, Mortis ac Resurrectionis habuerunt David & Isaias: nam de Davide legimus Matth. 22. quòd Christum *in spiritu vocat Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c.* De Isaia verò Joan. 12. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.*

VIII. Non verò ita fidelium veterum vulgus.

Tertiam partem apertè docet sanctus Gregorius homil. 16. in Ezechielem, ubi circa medium ait: *Dei cognitio quæ in Patribus spiritualibus fuit, nota toti populo Hebræorum non fuit: Nam omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem, cùm Prophetæ prædicarent, populus ignorabat, solum decalogum tenebat in fide, legem Trinitatis nesciens.* Quibus significat non omnes fideles Israëlitas habuisse explicitam fidem præcipuorum fidei mysteriorum, putà Trinitatis, nec-non & Divinitatis venturi Messiæ; multò minùs noverant specialia mysteria, quæ nunc explicitè credit populus Christianus, & distinctè exprimuntur ac declarantur in Symbolo; unde sanctus Paulus ad Ephes. 3. ait: *Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis in spiritu.* Cui concinit S. Joan. Epist. 1. cap. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus.*

XI. Vnde fides explicita nō semper fuit æqualis.

Ex his igitur sequitur fidem explicitam aliquorum objectorum in particulari non fuisse semper æqualem, nec Fideles vulgares Testamenti veteris, imò & eorum Rectores ita distinctè mysteria fidei novisse, ac novit etiam rude Christianorum vulgus. Insuper in ipso etiam statu legis naturæ aut scriptæ non semper eadem extitit fidei æqualitas, aliquando obtenebrescente rerum notitiâ; aliàs verò per Prophetas renovata, quod etiam contingit in statu legis gratiæ; non enim Fideles omnium sæculorum æquè explicitam ac distinctam habuerunt plurium objectorum fidem; contigit enim, ut quorum notitiam explicitam habuerant majores, postmodum eadem fides ignorantiæ tenebris in plerisque illorum posteris consopita; rursus in lucem revocata fuerit Conciliorum definitionibus, sanctionibus Pontificum ac Doctorum labore & studiô.

Dices primò: Tota Christiana fides continetur in lege nova: lex autem nova tota continetur in veteri lege; est enim illa mystica rota in rota, ut notat Ezechiel cap. 1. igitur magis apertam & explicitam fidem habere debuerunt Fideles veteris Testamenti, quàm novi.

Nego consequentiam: Licèt enim novum Testamentum implicitè saltem in veteri claudatur, inde tamen non est consequens, veteres Fideles eandem, quam nos explicitam mysteriorum habuisse fidem: nam ut pluribi notat S. Apostolus, *omnia in figura contingebant illis.*

Dices secundò: Variato objectô, etiam habitus mutatur: igitur si aliquid credant novi Testamenti fideles, quod à Fidelibus veteris Testamenti non fuerit agnitum, sequitur etiam mutatam esse fidem, cujus contrarium suprà docuimus ex S. Augustino dicente: *Tempora variata sunt, non fides, &c.*

Distinguo antecedens: Mutatô objectô secundùm rationem intrinsecam objecti, concedo: secundùm variam ejusdem objecti propositionem, & magis aut minùs explicitam ejusdem revelationem; nego: Sic autem objecta fidei duntaxat variata sunt, ut quæ priùs obscuriùs, nunc distinctiùs proponantur & explicentur.

Dices tertiò: Omnia fidei mysteria, maximè quæ concernunt vitam ac statum Christi Domini, quæ nunc vera sunt de præterito, aliquando vera erant de futuro: ergo sicut modò verum est Christum esse incarnatum, natum & passum; ita verum erat in præterito Christum esse incarnandum, nasciturum & passurum: & quâ ratione nunc est credibile de præterito, eâdem ratione credibile de futuro.

Respondeo, quòd omnia quæ credimus de præterito, fuerunt equidem credenda de futuro implicitè: concedo: explicitè tantùm ac distinctè, nego; explicatiùs enim ac distinctiùs nobis proponuntur objecta fidei, quàm olim Judæis; ac proinde plura nunc explicitè credimus quàm creditum fuerit ab iis qui Christi adventum & prædicationem præcesserunt, ut demonstrabit

Conclusio Secunda.

X. Nam secundùm diversa tempora diversum fuit fidei lumen.

Secundum diversitatem temporum fides profectum habuit, quantùm ad augmentum luminis. Ita Seraph. Doctor dist. 25. art. 2. quæst. 2. & probatur ex Scriptura sacra significante per Christum Dominum nobis divina mysteria distinctiùs & apertiùs manifestata fuisse, quàm fuerant olim per Prophetas & Patriarchas: quapropter adorandus ille Salvator dicitur *Lux mundi* Joan. 8. quia ut denuntiaverat Isaias cap. 9. ad ejus adventum *populus qui ambulabat in tenebris vidit lu-*

tem magnam : habitantibus in regione umbræ A *mortis , lux orta est eis.* Hinc dicebat Apostolis Lucæ 8. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis , ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Quapropter Joan. 15. eisdem dicebat : *Vos autem dixi amicos ; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo , nota feci vobis;* unde Apostolus ad Ephesios 1. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus , remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ , quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Quibus omnibus constat Deum uberiori fidei lumine illustrare Fideles novi Testamenti , quàm veteris , ita quòd veteris Ecclesiæ Fideles illustrati fuerint fide , velut auro- B ræ crepusculô, nobis verò divina fides affulgeat secundùm omnem suæ luminis plenitudinem ; Fidelium enim, sicut & *Iustorum semita quasi lux splendens , procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Quam utique veritatem egregiè explicat S. Leo serm. 13. de Passione : ubi cùm dixisset : *Incarnatio Verbi & occisio ac resurrectio Christi universorum fidelium salus facta est : & sanguis unius Iusti , quem nobis Pater donavit , quia eum pro reconciliatione mundi credimus fusum , hoc contulit Patribus , qui similiter credidère fundendum.* Tandem concludit : *Nil ergo , Dilectissimi , ab antiquis significationibus in Christiana religione diversum est, nec unquam a præcedentibus Iustis , nisi in Domino Iesu Christo salvatio sperata est, dispensationibus pro* C *divinæ voluntatis ratione variatis : sed in idipsum coruscantibus & legis testimoniis & Prophetiæ oraculis , & oblationibus hostiarum , quia sic congruebat illos populos esurire, ut quæ revelata non caperent, obumbrata susciperent : & major Evangelii esset authoritas , cui tot signis totque miraculis atque mysteriis veteris Testamenti paginæ deservìissent.* Hinc addit serm. 2. de Ascensione : *Quod Redemptoris nostri conspicuum fuit , in sacramenta transivit , & ut fides excellentior esset ac firmior , visioni doctrina successit : cujus authoritatem supernis illuminata radiis credentium corda sequerentur.*

Vt optimè declarat S. Leo.

Probat etiam hanc veritatem S. Gregorius D *super Ezechielem homil.* 16. ubi ait : Per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses , quàm Abraham ; plus Prophetæ , quàm Moyses ; plus Apostoli, quàm Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor si hæc ipsa Scriptura non loquitur: *Pertransibunt plurimi , & multiplex erit scientia.* Sed hæc eadem quæ de Adam , Moyse , Prophetis , & Apostolis diximus , ex ejusdem Scripturæ verbis , si possumus , ostendamus. Quis etiam nesciat, quia Abraham cum Deo locutus est ? Et tamen ad Moysem Dominus dicit : *Ego sum Deus Abraham , Deus Isaac , & Deus Iacob , & nomen meum* ADONAI *, non indicavi eis.* Ecce plus Moysi, quam Abrahæ innotuerat , qui illud de se indicat, E quòd se non Abrahæ indicasse narrabat: Sed videamus si Prophetæ plus , quàm Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt. Certè Psalmista dicit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine ? totâ die meditatio mea est.* Atque subjunxit : *Super omnes docentes me , intellexi , quia testimonia tua meditatio mea est.* Et iterum : *Super Seniores intellexi.* Qui ergo legem meditari se memorat , & super omnes docentes se , ac seniores intellexisse testatur , quia divinam legem plus , quàm Moyses acceperat , manifestat.

Et S. Greg. Magnus.

Quomodo autem ostensuri sumus , quia plus Apostoli edocti sunt , quàm Prophetæ ? Certè veritas dicit : *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre , quæ videtis , & audire quæ auditis , sed non viderunt.* Plus ergo quàm Prophetæ de divina scientia noverunt , quia quæ illi solô spiritu viderant ipsi etiam corporaliter videbant. Impleta itaque est ea , quam superiùs diximus , Danielis sententia: *quia pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia.* Mensura ergo calami , qui est sex cubitorum & palmô , ducatur ad cubitos decem , & mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tredecim, quia quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis externæ scientiæ aditus largiùs aperitur.

XI. Triplex est fidei augmentum.

Concludendum est ergo cum Seraphico Docto- B re suprà laudato , quòd secundùm diversitatem temporum fides crevit. *Primò* , penes veritatis exhibitionem. *Secundò*, propter majorem gratiæ diffusionem. *Tertiò*, propter planiorem instructionem ; ideo enim credentes clariùs nunc ea quæ credunt, cognoscunt quàm antiquitùs cognoscebant : quia jam est veritas exhibita per Christum: jam etiam gratia sancti Spiritûs , amplius diffunditur in Sacramentis novæ legis propter Christi meritum & pretium jam solutum : jam etiam nunc fides apertiùs prædicatur , docetur , probatur & defenditur per evidens Christi & eorum sequacium documentum.

Conclusio Tertia.

XII. Præstantior est in nova lege ac lucidior quàm in veteri.

C *Fides , quantùm ad firmitatem assensûs , longè major ac præstantior fuit in nova lege quàm in veteri.* Hanc probat Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 11. cap. 4. ubi ait : *Duo sunt secundùm quæ fides crescere dicitur , cognitio & affectus: secundùm cognitionem fides crescit quando eruditur ad scientiam ; s[illegible]dùm affectum vero , quando ad devotionem excitatur.*

Unde dicit præsignatum fuisse in lib. Numerorum cap. 13. per botrum qui à duobus hominibus in vecte portabatur ; botrus enim , inquit , ille in vecte, Christus in cruce est , cujus mysterium in D Sacramento duo populi portant : qui præcesserunt , portaverunt , sed non viderunt : quia præcedentes adventum ejus, sacramenta passionis ipsius portaverunt , sed non omnes per cognitionem intelligere valuerunt : Secundi autem portant & vident , quia Fideles post adventum Christi , Sacramentum passionis ejus per fidem suscipiunt , & per revelatam cognitionem jam apertè cognoscunt ; hinc est quòd cùm nostra fides pleniorem ac pleniorem habeat irradiationem , etiam firmiorem intellectûs assensum importat. Unde S. Leo Serm. 2. de Ascensione Domini ait : *Hanc fidem Ascensione Domini auctam , & Spiritûs sancti munere roboratam , non carceres , non exilia , non fames , non ignes , non laniatus ferarum , nec exqui-* E *sita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum , non solùm viri , sed etiam fœminæ, nec tantùm impubes pueri , sed etiam teneræ Virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit , mortuos suscitavit. Vnde & ipsi beati Apostoli , qui tot miraculis confirmati, tot sermonibus eruditi , atrocitatem tamen Dominicæ passionis expaverant , & veritatem resurrectionis ejus non sine hæsitatione susceperant : tantùm de Ascensione Domini profecerunt , ut quicquid illis priùs intulerat metum , verteretur in gaudium.*

Augetur fides tripliciter.

Concludendum ergo cum Seraphico Doctore quæstione 3. quòd fides augmentum

suscipit tribus modis. Primò *extensivè*, quantùm ad articulorum explicationem. Secundò *intensivè*, quantùm ad clariorem illuminationem. Tertiò *radicativè*, quantùm ad certitudinis & devotionis adhæsionem. Quod quidem augmentum non solùm respicit diversos homines in diversis statibus, sed etiam sub eadem lege viventes. Nam, ut observat Hugo Victorinus suprà laudatus, secundùm incrementa fidei diversa genera hominum inveniuntur. Quidam enim Fideles sunt, qui solâ pietate credere eligunt, sed utrum credendum sit, vel non, ratione non comprehendunt. Alii verò ratione approbant, quod fide jam credunt. Alii verò quod fide credunt, & ratione approbant, purificatæ mentis intelligentiâ experiuntur. Imprimis sola fides facit electionem. In secundis ratio adjungit approbationem. In tertiis puritas intelligentiæ apprehendit certitudinem.

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm *objectum fidei sit ita necessariò verum, ut nullatenus ei falsum subesse possit?*

I. Unde fidei objecto falsitas inesse possit.

NOtandum primò, concipi posse quòd objecto fidei inesse possit falsitas duplici ex capite: *Primò* quidem, ex parte Dei dicentis & revelantis, si videlicet mentiretur, & falsa pro veris proponeret: *Secundò*, ex parte hominis credentis, si nimirum fides humana possit inclinare credentem, ut firmiter existimet aliquid esse revelatum à Deo, quod ita non esset; itaut fide divinâ quis moveatur ad eliciendum assensum falsum & erroneum: fuit autem olim *Priscillianistarum*, qui sic dicti sunt à *Priscilliano* Episcopo Abulensi, blasphemia quâ ore imp[illegible]nti dicebant Deum posse authorem esse mendacii & falsitatis, ut inde concluderent licitum esse non solùm mentiri, sed etiam mendacium firmare juramentò propter tegendum secretum; unde eis istud erat vulgare; *jura, perjura, secretum prodere noli*. Quam utique impietatem licèt Catholici omnes execrati fuerint; attamen non defuerunt aliqui Doctores, qui licèt concesserint Deum de potentia ordinaria nullâ ratione mentiri posse, nec falsum dicere, attamen de potentia absoluta id præstare posse, sive per se, sive per alios existimabant. Ita docuit *Gabriel* in 3. dist. 32. quæst. 1. *Petrus de Aliaco* in 1. quæst. 12. & *Holcot* in 2. dist. 5. Quam tamen sententiam ita temperare videntur, ut ad declinandam vocis *mendacii* invidiam, non admittant quidem Deum posse mentiri; quia, inquit Gabriel mendacium significat falsum dictum cum aliqua deordinatione & malitia morali: Deus autem etsi falsum diceret, nullum faceret malum moraliter, & ideo non mentiretur.

Quæ fuerit Priscillianistarū dogma circa mendacium.

Nec non quorundam Doctorum.

II. Quid sit mendacium.

Notandum secundò: mentiri nil aliud esse, quàm dicere aliquid scienter aliter ac sentimus: Ita S. Augustinus in Enchiridio cap. 18. qui ibidem colligit non idem esse *mentiri ac falsum dicere*: potest aliquis dicere falsum absque mendacio, quia nimirum existimat id verum esse; atque ideo cùm non loquatur præter mentem, etiam non mentitur; siquidem mentiri, est contra mentem ire: è contra verò potest aliquis dicere, verum, qui nihilominus revera mentiretur, quia videlicet id quod ipse profert, verum quidem est, tamen falsum esse existimabat, atque ideo scienter dixit aliter ac sentiebat; quam utique veritatem luculenter ibidem explicat sanctus Augustinus his verbis: *Melior est, qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit; ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo; huic verò qualecumque per seipsum sit, quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est, quod malum proprium est mentientis.*

In verbis duplex potest esse falsitas, nempe materialis aut formalis.

Ex quibus inferre licet duplicem in verbis distingui posse falsitatem, nempe materialem & formalem *Materialis* est, quando aliquis putans esse verum quod dicit, decipitur & decipit, quâ ratione non committitur quidem mendacium, sed forte levitas & temeritas in dicendo, quæ aliquam mendacii notam & malitiam involvit: *Formalis* autem falsitas est, quando quis cognoscens falsum esse quod dicit, illud affirmat & venditat pro vero; aut cognoscens esse verum, illud negat, in quo formaliter consistit ratio & malitia mendacii. Cæterùm in Deo non habet locum deceptio seu falsitas materialis; cùm enim Deus non possit falli, sed necessariò noverit id omne quod verum est; inde consequens est eum non posse loqui falsum quin mentiatur, & loquatur contra mentem.

Notandum tertiò: Deum tribus modis posse concipi per alios mentiri: *Primò* quidem propriè, præcipiendo videlicet alicui, ut suô propriô, vel ipsius Dei loquentis nomine falsa pro veris annuntiet: *Secundò*, eum ad id stimulando & incitando per motum aliquem interiorem; non secus ac gratiâ suâ præveniente nos excitat ad aliqua bona opera: *Tertiò*, producendo in eo vel habitum mendacii, quô moveatur & facilitatem habeat ad dicendum falsa pro veris, vel producendo in ejus intellectu assensum falsum. Quod rursus concipi potest fieri posse duobus modis. *Primò* quidem, se solô eum producendo in intellectu; quo casu intellectus per eum intelligeret passivè, non autem activè. *Secundò*, itaut cum intellectu speciali modô ad ejus productionem concurrat, eum ad illum determinando, quâ ratione in eo causat gratias prævenientes, ac similes veras illustrationes, quæ etsi physicè etiam ab intellectu producantur, tamen quia Deus est præcipua earum causa, & homo ad eas non concurrit liberè, soli Deo tanquam absolutæ causæ tribuuntur. Unde Arausicanum Can. 20. ait: *Deum in homine multa bona facere, quæ non facit homo*, scilicet morali modô agendo & liberè, sive itaut homini imputari debeant.

III. Quot modis concipi posset Deũ posse mentiri per alium.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Deus mentiri non potest nec per se, nec per alterum.

REPUGNAT *Deum mentiri tam per se, quàm per alium, etiam de potentia extraordinaria*. Hæc est communis apud Catholicos Doctores. Et probatur apertis Scripturæ textibus. *Primò*, quidem nu. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur: dixit, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Ex quo testimonio tria licet inferre: *Primum* quòd non solùm Deus non possit mentiri, eô mendaciô quod sit peccatum, sed etiam, nec possit dicere falsum; alioquin nulla esset hæc Prophetæ ratiocinatio: *Deus mentiri non potest: ergo quod promisit, implebit*; posset enim aliquis respondere Deum equidem non posse mentiri; posse tamen falsum dicere, & promittere; atque adeo ex ipsius promissione non esse consequens, quòd res sit ponenda. *Secundum* est, quòd ibi affirmetur non minùs repugnare Deo mendacium, quàm mutatio.

Probatur 1. ex S. Scriptura.

nem: impossibile Deum mutari etiam de potentia absoluta: ergo pariter impossibile est ipsum mentiri: *Tertium* quod inferre licet, est quod cùm Deus ad hominem comparatur secundùm repugnantiam mentiendi, non comparatur secundùm actum; nam sunt quidam homines qui de facto non sunt mentiti, ut patet de B. Virgine, & S. Joanne Baptista: sed illa comparatio fit secundùm capacitatem, quia Dei natura non est capax mendacii, sicut est humana natura; unde per antonomasiam Deus in Scriptura sacra dicitur verax; homo autem mendax: Sic Joan. 8. *Qui misit me, verax est.* Ad Rom. 3. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.*

Confirmatur ex illo ad Heb. 6. ubi Apostolus ait: *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.* Quibus Apostolus significat tam Dei promissionem quàm juramentum esse duas res immobiles, in quibus impossibile sit Deum mentiri tam in promissione quàm in juramento: quapropter Christus D. Lucæ 21. dicebat: *Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt;* perinde enim est ac si diceret, cœlum & terra deficere possent, utique de potentia absoluta, de ordinaria namque non deficient.

V. 1. Ex SS. Patribus, quia aliàs sequeretur quòd non esset Deus.

Probatur secundò, authoritate SS. Patrum, qui communi calculô docent tam impossibile Deum mentiri, quàm Deum non esse, aut non esse omnipotentem: Sic sanctus Dionysius cap. 8. de divinis nominibus: *Negatio*, inquit, *fidi est à veritate prolapsio, est ab eo quod est, prolapsio: Deus autem ab eo quod est prolabi non potest*; quasi diceret, negationem veritatis esse recessum ab ente: Deus autem ab ente recedere non potest: ergo nec à veritate. Similiter S. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, infert ideirco mendacium non posse inveniri in Deo, quia alias non esset Deus, *Absurdum est*, inquit, *dicere, Deum posse mentiri, si enim dixit quod perituri simus, non esset Deus, si non periissemus.* Quam utique consequentiam approbat S. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12. dicens: *Non enim sequitur*, inquit, *justum est mentiri, si Deus vult mentiri; sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas; imò quæ deserendo veritatem corrupta est.* Et subdit: *Cùm ergo dicitur: Si Deus vult mentiri; non est aliud, quàm si Deus est talis natura, quæ vult mentiri; & idcirco non sequitur, justum esse mendacium; nisi ita intelligatur, sicut de duobus impossibilibus dicimus: si hoc est, illud est: quia neque hoc aut illud est.*

Nec valet reponere S. Anselmum loqui solùm de mendacio, prout includente malitiam, quâ ratione repugnat Deo: imò enim probat, non potuisse in Deo reperiri materiale ipsius mendacii sine malitia, & turpitudine: dicit quippe non posse fieri illum actum ex eo quòd Deus illum velit; ergo censet non posse separari à turpitudine. Quod rursus explicat ratio, quam affert, *quia non potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas*: quam veritatis corruptionem supponit repugnare divinæ voluntati, quia alioquin voluntas deserendo veritatem, corrupta esset: ergo ex mente S. Anselmi ipsa etiam corruptio veritatis Deo repugnat, & ideo repugnat mendacium.

VI. Nec omnipotens.

Eandem impossibilitatem demonstrat S. Ambrosius ex repugnantia mendacii cum omnipotentia Dei: *Impossibile istud*, inquit, *non infirmitatis, sed, virtutis est, & Majestatis, quia veritas non recipit mendacium; nec Dei virtus levitatis errorem.* Cui subscribit S. Augustinus: *Deus omnipotens est, & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est! & ideo est omnipotens, quia non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si inique agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.* In eodem sensu loquitur Chrysostomus homil. 1. in Symbolum: *Creditis*, inquit, *Deo omnipotenti, quia posse ipsius non potest invenire non posse; tamen aliqua non potest, utpote falli, fallere, mentiri.* Certum est autem, quòd nec de potentia absoluta falli potest: ergo eôdem modô non potest fallere; quod item repetit *lib. 1. de Providentia post medium.* Item Bernardus serm. de omnibus Sanctis: *Deus neque falli, neque fallere potest.*

VII. Nec prima veritas.

Suffragatur etiam ratio: *Primò* quidem non minùs repugnat Deo mendacium & falsitas, quàm peccatum: sed peccatum absolutè repugnat Deo: ergo & mendacium. Minor constat: Deus enim nec peccat, nec peccare potest, ut sufficienter probavimus in primo volumine agendo de Sanctitate divina. Major verò probatur: Idcirco Deus peccare non potest, quia est intrinsecè ac essentialiter sanctus; sed etiam est intrinsecè ac essentialiter verus & verax, quia est prima veritas, cui omne mendacium omnisque falsitas repugnat; siquidem mendacium est deviatio à veritate, prima autem veritas à veritate deviare non potest; alioqui deficeret à seipsa, sicque non esset prima veritas & indeficiens; quemadmodum non esset prima sanctitas & sanctus formaliter ac intrinsecè si peccare posset: peccatum enim omne est deviatio à rectitudine & sanctitate: igitur Deus nec peccare, nec falsum dicere potest.

Confirmatur: Si Deus quâcunque potentiâ mentiri posset, non esset summa veracitas, sicut non esset summa bonitas, si posset malè agere; major enim esset illa veritas & bonitas, quæ nullâ potentiâ posset à vero & à recto aberrare: at absurdum est, asserere Deum non habere eam veracitatem & bonitatem, quâ major concipi nequeat: Igitur, &c.

Nec credendus in verbis.

Deinde, Infinita authoritas in dicendo, & cui summa fides debeatur, est sanè perfectio simpliciter simplex, quod utique infertur à contrario, cùm etiam inter homines sit quid indignum habere talem authoritatem, cui cum formidine credi possit: sed hæc infinita authoritas in dicendo non esset in Deo, si aliquâ ratione mentiri posset: igitur sicut impossibile est quòd Deus careat aliquâ perfectione simpliciter simplici: ita impossibile est quòd mentiatur. *Denique*, si de potentia absoluta Deus mentiri posset, nutaret tota fides nostra, nec Scripturæ sacræ authoritas constantissima foret ac indubitata: illam enim idcirco certissimè credimus, quia quæ in illa continentur, Deus revelavit: Si autem reverà Deus mentiri posset, unde nobis certò constaret eum vera dixisse, cùm hanc aut alteram Scripturæ partem revelavit? igitur aut dubia est fides nostra, aut impossibile est Deum mentiri.

Nec fides nostra foret stabilis.

VIII. Deus etiam mentiri non potest per alterum.

Ex his autem constat, quòd sicut Deus per seipsum mentiri aut fallere non potest: ita nec etiam per alios qui ejus nomine loquantur; si enim Deus non haberet eandem impotentiam fallendi aut falsum dicendi per alios, anceps esset ac

nutabunda sacræ Scripturæ authoritas; quippe cùm Deus ipse sit, qui locutus est per sacros Scriptores; & ideo Lucæ 1. & ad Hebræos 1. Deus dicitur locutus *per ora Prophetarum*, & in utroque casu æquè dicitur Deus loqui, hoc est tam per se, quàm per ministros: Hinc ubi dicitur Exodi 3. quòd Deus apparuerit Moïsi, & locutus ei fuerit in flamma rubi: S. Stephanus Actor. 7. dixit Deum locutum fuisse Moïsi per Angelum; idem est enim loqui per seipsum, ac per Angelum à se delegatum: igitur quâ ratione Deus non potest mentiri & falsum dicere per seipsum, eâdem nec per Angelum, nec per alterum mentiri posse constat.

Confirmatur: Quia sicut materialiter tantùm se habet, quòd quis loquatur vocibus, nutibus, vel scripturâ, quia obligatio dicendæ, vel significandæ, aut scribendæ veritatis eadem est: ita prorsus materialiter se habet, quòd Deus & per se immediatè, vel per nuntium suum loquatur; quippe cùm nuntius ab eo delegatus sit duntaxat ejus instrumentum; sicut Scriptura vel alia signa, quibus utitur: quapropter David linguam suam appellavit *calamum velociter scribentis*: Igitur, &c.

IX.
Objiciuntur varii Scripturæ textus quibus suadetur Deum posse inducere in errorem & mendacium.

Objicies primò varios Scripturæ textus, quibus Deus dicitur improbos in fraudem & errorem inducere: Sic Job 12. *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare facit eos sicut ebrios.* Et 1. ad Thessal. 2. *Ideo mittet illis* (Deus) *operationem erroris, ut credant mendacio.* Et 3. Reg. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum suorum*: Ibidemque ait Dominus ad spiritum mendacii: *Decipies & prævalebis: egredere, & fac ita.* Similiter Ezechiel. 14. Deus ait: *Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et illud Jeremiæ 20. *Seduxisti me Domine & seductus sum, fortior me fuisti, & invaluisti.*

Sed solvuntur.

Respondeo his omnibus locis verbum *decipere* aut *seducere* usurpari, non quidem activè, quasi Deus præcipiat mendacium, aut aliquem impellat & inducat in errorem & falsitatem: sed tantùm passivè seu permissivè, quatenus Deus permittit aliquem decipi in pœnam peccatorum, nec impedit aut reprimit eum, qui promptus ac paratus est ad decipiendum; non enim infrequens est in Scriptura sacra, ut *præcipere* ac *permittere* pro eodem usurpentur, ut pluries jam aliàs diximus, quod manifestè apparet ex Evangelistis. Nam Marci 10. cùm Pharisæi Christo D. dixissent: *Moïses permisit libellum repudii scribere*: Christus D. respondit: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Idem legitur Matth. 19. cùm enim Pharisæi dixissent: *Quid ergo Moïses mandavit dari libellum repudii?* Christus respondit: *Permisit vobis dimittere uxorem.* Ex quibus textibus invicem collatis apparet verba *præcipere* & *permittere* pro uno eodemque indiscriminatim accipi.

Objicies secundò varios itidem Scripturæ textus, quibus apparet homines Dei spiritu afflatos interdum mentitos fuisse; unde consequens est Deum saltem per ministros posse mentiri, seu falsum asserere: Sic Genes. 22. Abraham ascensurus montem, ut filium Isaac immolaret, dixit servis suis: *Expectate hìc cum asino: Ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*; quæ certè promissio falsa & mendax erat: cùm enim ex præcepto divino deberet filium suum immolare, non poterat absque mendacio asserere, quòd Isaac esset cum eo reversurus. Similiter ibidem cap. 20. Abraham suasit uxori, ut coram Ægyptiis assereret, quòd esset ejus soror: *Dic*, inquit, *quòd soror mea sis.* Et cap. 27. Jacob mentitus videtur cùm dixit Patri *Ego sum primogenitus tuus Esau*: Plura sunt alia his similia reperienda in Prophetis, quorum plurimæ prædictiones falsæ fuerunt ac mendaces. Talis fuit Prophetia Jonæ, cùm dixit cap. 3. *Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur.* Et Isaiæ qui 4. Reg. cap. 2. dixit Ezechiæ Regi: *Morieris tu & non vives*, qui tamen supervixit 15. annis; & sic de plurimis aliis.

X.
SS. Patriarchæ ac Prophetæ non sunt mentiti.

Respondent aliqui, non videri inconveniens admittere quòd personæ illæ in Scriptura celebres aliquod leve mendacium interdum fecerint; quippe cùm eorum varii gravissimè peccarint, quod mendacii genus notavit subtilis Doctor in 3. dist. 31. num. 13. circa factum Jacobi, nec enim sanctissimi illi viri divinô semper instinctu & afflatu loquebantur. Verùm quia sanctus Augustinus, & alii passim sanctos Patriarchas eximunt à reatu mendacii, idcirco

Licèt quæ dixerunt non ita fortè ut putabant evenerint.

Respondeo ad primum cum eodem S. Augustino lib. de mendacio cap. 1. Abraham illa dixisse spiritu Prophetico: *Ego & puer revertemur ad vos*: sperabat enim filium suum post immolationem & mortem esse ad vitam revocandum, ut impleretur divina promissio, quâ spoponderat Deus, quòd multiplicaret semen ejus sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris: Quam utique veritatem indicat S. Paulus cùm ait: ad Hebr. 11. *Fide Abraham obtulit filium Isaac, arbitrans quòd & à mortuis suscitare potens est illum.*

Ad secundum dico cum eodem S. Augustino in quæstionibus super Genesim quòd cùm Abraham dixit Saram esse sororem suam, *veritatem voluit celari & non mendacium dici*: Soror enim dicitur quia filia Patris erat; unde & ipse Abraham Genes. 20. ait: *Verè soror mea est, filia Patris mei, & non matris meæ.*

Ad tertium dico Jacob non fuisse mentitum cùm dixit: *Ego sum primogenitus tuus Esau*; quia reverà erat Esaü non quantùm ad personam & substantiam; sed quantùm ad jus & dignitatem primogeniti, quia primogenitura ei de jure debebatur, idque duplici titulô; primò quidem ex decreto divino; quippe Deus revelaverat quòd major servire deberet minori: secundò humano jure, quippe primogenituram pretiô comparaverat ab Esaü; unde se pro Esaü primogenito, absque mendacio præsentem potuit sistere coram Patre, ut ejus benedictionem primogenito debitam acciperet.

Ad alia verò dico Prophetias interdum fieri tantùm ad comminationem & sub conditione, quòd reverà implendæ sint, si illi, quibus à Deo denuntiantur supplicia, pœnitentiam non egerint: nam, ut testatur Dominus Isaïæ 38. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam super malo quod ego cogitabam facere*: unde cùm Ninivitæ pœnitentiam egerint ad prædicationem Jonæ, mirum non est, quòd Deus intentata eis supplicia non intulerit. Interdum verò Prophetiæ fiunt & res prænuntiantur venturæ, secundùm ordinem ac dispositionem causarum naturalium, nisi Deus per extraordinariam potentiam talem ordinem suspendat. Unde Ezechias Rex reverà moriturus erat ratione prementis infirmitatis, nisi Deus per miraculum ei sanitatem

restituisset; vitamque diuturniorem prorogasset.

Objicies tertiò: Qui potest æquivocè & amphibologicè loqui, potest etiam mentiri: sed Deus tam per se, quàm per alios amphibologicè & æquivocè potest loqui: igitur & mentiri. Major constat; æquivocatio enim est quædam species mendacii: quippe tam ordinatur ad decipiendum & ingerendum sensum oppositum veritati, ac mendacium ipsum; nihil enim interest quòd verba loquentis aliud significent, quàm id quod ipse habet in mente; vel quòd aliud ex verbis loquentis percipiam, si in utroque casu æquè decipior. Minor verò probatur: siquidem Christus Dominus reverà æquivocis verbis usus videtur: Sic Marci 13. interrogatus à Discipulis de tempore consummationis mundi & adventûs Judicis, respondit: *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius.* Et tamen ipse illum optimè noverat. Item Joan. 7. fratribus seu cognatis urgentibus: *Transi hinc, & vade in Iudæam*, Hierosolymam scilicet, velut ad theatrum mundi, *ut & discipuli tui* seu studiosi doctrinæ tuæ, qui ibi sunt, *videant opera tua quæ facis, &c. manifesta te-ipsum mundo.* Respondit Christus: *Tempus meum nondum advenit, &c. Vos ascendite ad diem festum: ego autem non ascendo ad diem festum ipsum.* Et tamen, *ut ascenderunt fratres ejus, tunc ipse ascendit ad diem festum.* Eâdem restrictione usus videtur Raphaël Angelus *Tobiæ* 5. dum rogatus, *de qua domo, aut de qua tribu es tu?* respondit: Ego sum *Azarias Ananiæ magni filius*, & ante respondens Tobiæ juniori dixerat se esse *ex filiis Israël.*

XI. Deus non potest loqui æquivocè formaliter.

Respondeo primò, Duobus modis posse aliquem uti voce amphibologicâ seu æquivocatione. *Primò* formaliter, intendendo videlicet significare verbis alium sensum verum, diversum tamen ab eo, quem Auditores hic & nunc concipiunt, & significari putant; ita quòd nullæ adsint circunstantiæ, ex quibus audiens devenire possit in cognitionem significationis, vel sensûs verborum à loquente intenti. *Secundò* materialiter, quando videlicet sunt aliquæ circunstantiæ, ex quibus audiens concipere possit quis sit genuinus sensus verborum prolatorum à loquente; maximè quando audiens est vir prudens & sagax; licèt fortè ob defectum attentionis ad verba loquentis, nec-non & considerationis illarum circunstantiarum, mentem loquentis verbis æquivocis expressam non percipiat.

Unde *ad argumentum dico*, Deum non posse ullatenus uti verbis æquivocis amphibologiâ formali; hæc enim est species mendacii; talis enim oratio præcisè secundùm se sumpta, est simpliciter falsa, nec potest verum sensum habere ratione intentionis dicentis, aut orationis merè internæ, quam loquens subintelligit, quia nisi hæc aliquô modô externùs exprimatur, non potest cum externa internam orationem concipere, aut ejus significationem mutare, nec consequenter efficere, ut illa significatio, quæ secundùm se est falsa, fiat vera; ac subinde nullâ ratione potest habere significationem veram nec legitimum sensum.

Adde quòd veracitas obliget, non quidem ad conformandam mentem cum mente; id enim supernaturale est, nec aliter fieri potest: sed ad conformanda verba menti; ita ut non appareat aliud in verbis ab eo quod est in mente loquentis; si enim contrarium exprimant, fit contra veracitatem: si exprimunt idem, plenè fit satis veracitati. Quod utique verissimum apparebit, si attendas ad obligationem veracitatis, quæ cùm inducatur ex necessitate conservandi fidem humanam adeo necessariam ad convictum & commercium politicum, non minùs debuit prohibere restrictiones illas mentales, quàm mendacium: eadem enim omninò inconvenientia ex illis restrictionibus, quæ ex mendacio, orirentur. Siquidem æquè dubitarent omnes audientes an loquens ultra voces externas adderet restrictionem mentalem, quâ sensus contrarius contineretur illi sensui, quem verba per se exprimerent, sicut dubitare possent de veritate si mendacium dicerent, & consequenter inutilis omnino foret mendacii prohibitio; siquidem ille qui mentiri non auderet propter prohibitionem, easdem voces omnino usurparet, quas usurpassent mentientes, & illæ voces additâ illâ restrictione mentali, eundem finem ac mendacium obtinerent: igitur quâ ratione Deus nec per se, nec per alios mentiri potest; ita etiam nec potest uti amphibologica æquivocatione formali. Potest verò materialem usurpare, quia licèt qui ita loquitur proferat verba in sensu particulari & non communi, eô tamen ipsô quò adsunt circunstantiæ, quæ possunt illum particularem sensum audienti indicare; non provenit ex parte loquentis, nec illius verborum, quòd audiens in alio sensu verba illa accipiat, sed ex defectu ipsius audientis, qui non vult illam adhibere diligentiam & attentionem necessariam ad circunstantias, quæ facili negotiô genuinum verborum sensum à loquente intentum poterant indicare: quibus præmissis;

Sed tantùm materialiter.

XII. Quâ ratione Christus D. dixerit se nescire diem judicii.

Respondeo 2. ad primum exemplum, Christum Dominum illâ responsione, quâ dixit Discipulis suis se nescire diem judicii, usum fuisse duntaxat æquivocatione materiali; ex circunstantia enim personæ hanc responsionem proferentis, facilè judicare poterant Apostoli eum non negare absolutè se scire judicii diem; quippe pluries eis dixerat se omnia habere quæ Pater, seque verum esse Dei Filium; ac proinde cum Patre habere infinitam rerum omnium scientiam; sed solùm cum aliqua restrictione loqui, verbis quidem non expressâ, sed tamen sufficienter intelligendâ ex conditione personæ loquentis.

Adde quòd Christus eò loci, voluerit significare se legatum fuisse missum à Patre ad nos: quemadmodum itaque legatus verè dicit se non scire id quod curiosiùs aliqui interrogarent, quia illi censentur solùm rogare communicationem notitiæ, quàm legatus ille communicare posset, nec silentiô occultare deberet; sic Christus Dominus dixit se nescire judicii diem quam occultare debebat; ideoque rursum de die illa interrogatus, interrogantium curiositatem repressit Actor. 1. dicens: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.*

Et se non ascensurum ad diem festum.

Ad secundum pariter dico, Christum Dominum respondendo consanguineis quòd non esset ascensurus ad diem festum, usum fuisse æquivocatione non formali, sed materiali, nempe secundùm circunstantiam petitionis eorum, petebant enim, ut ascenderet palam & publicè; dicebant namque: *Transi hinc, & vade in Iudæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* In eodem ergo sensu respondit Christus se non ascendere, quæ non est restrictio mentis, sed retentio sensûs propositi à

rogantibus, sicut si peterent, *veni nobiscum*; & responderet, *non veniam*, subintelligitur *vobiscum*. *Addunt* alii legeodum ibi esse *nondum ascendo*, vel ut alii volunt, *non* ascendo nunc, prout habent alii graves Interpretes: Unde signanter dixit Christus: *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam*, id est, ad diem festum istum, seu ad primum vel ad secundum diem festivitatis; siquidem tantùm 4. die ascendit Jerusalem, ex quibus patet Christum D. non usum fuisse restrictione mentali in illa responsione, sed illam fecisse verbis verum significantibus, maximè in iis circunstantiis.

XIII. Angelus Raphaël non est mentitus.

Ad tertium dico, Angelum Raphaelem dicendo sese Azariam Ananiæ magni filium, nec-non & ex filiis Israël, nullatenus fuisse mentitum; illa namqne verba duplicem habere poterant sensum, nempe quòd talis esset, vel genere & nativitate, vel munere & officiô. *Primò* namque dicit se esse ex *filiis Israel*, vel quia justi omnes Israelitarum nomine censentur, vel quia Israël interpretatur *videns Deum*; Angeli autem intuitivâ Dei visione semper fruuntur: vel quia ad Israëlitarum custodiam specialiter à Deo destinatus fuerat. Verùm etiam dixit cùm se Azariam, Ananiæ magni filium nominavit; *Azarias* enim significat *auxilium Dei*. Talis autem Raphael erat secundùm officium; siquidem plurima auxilii divini indicia ac beneficia Tobiæ ipsi, nec-non & illius uxori ac parentibus contulit: Nam Tobiam ipsum juniorem duxit & reduxit sanum, ab invadente marina bellua illæsum servavit, dæmonem Saræ thalamum infestantem, & sibi matrimoniô junctos homines occidentem abegit, pecuniam à Gabelo debitam recipi curavit, & Tobiæ seniori pridem cæco visum restituit: igitur meritò Azarias seu auxilium à Deo, dictus est.

Pari ratione etiam jure meritô se Ananiæ magni filium appellavit; Ananias enim gratiam Dei, aut Dei misericordiam significat. Cùm autem Deus sit Pater misericordiarum, & Angeli dicantur filii Dei, Job. 1. & Danielis 3. meritò sibi tale nomen vendicavit.

Conclusio Secunda.

XIV. Fides est etiam semper vera & certa ex parte credentis.

FIDEI *etiam non potest subesse falsum ex parte credentis*. Probatur conclusio: Si fidei posset subesse falsum; maximè *vel* quia nobis proponi posset aliqua revelatio tanquam divina, licèt reverà talis non esset; ad quam tamen credendam fides Theologica non minùs inclinaret, quàm si talis revelatio verè divina esset: vel quia fides inclinaret ad assensum præbendum conclusioni illatæ ex duabus præmissis, quarum una esset revelata, alia verò naturalis & falsa, quam tamen veram esse existimaremus: sed in neutro casu fides Theologica inclinaret ad illum assensum: ergo ipsi non potest subesse falsitas per accidens ex parte credentis. Major constat: vix enim potest aliud caput assignari, unde esset repetenda illa fidei inclinatio ad assensum falsum. Minor verò probatur: Non potest ullatenus divina fides inclinare ad assensum falsum & erroneum: sed si ad alterutrum assensum ex prædictis inclinaret, reverà conferret ex se, saltem partialiter, ad eliciendum assensum falsum: ergo, &c. Minor constat; actus enim quô quis credit aliquod falsum, reverà est assensus falsus & erroneus, quanquam falsum istud pro vero habeat; illa enim erronea existimatio non potest efficere, ut quod in se falsum est, sit verum. Major veró probatur: *Primò* quidem authoritate Scripturæ sacræ & SS. Patrum, ex qua constat fidem esse cognitionem certam, ac subinde esse veram: Sic Act. 26. *Secundùm certissimam sectam nostræ religionis*. Et 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi & certus sum, &c.* Hinc Concilium Trident. sess. 6. cap. 9. reprobans inanem fiduciam hæreticorum, ait: *Quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Ut constat 1. ex Scriptura sacra

Idipsum confirmant SS. Patres; nam S. Basilius in Moral. Regulâ 80. cap. 21. ait: *Fides est certissima animi expletio de divinorum veritate verborum*. Chrysostomus homil. 21. in cap. 11. ad Hebr. *Fides*, inquit, *dici non potest, nisi cùm circa ea quæ non videntur, certitudinem quis habuerit, ampliùs quàm circa ea quæ non videntur*. Similiter sanctus Bernardus epist. 190. *Fides*, inquit, *non est opinio, sed in veritate certa subsistit*. Ex quibus omnibus inferre licet, omnem actum fidei esse cognitionem certam, ac subinde veram: certitudo enim est firma adhæsio intellectûs assentientis, & necessaria connexio ipsius assensûs cum veritate objecti propositi: igitur ubi assensus non potest esse verus, nec certus esse poterit; ac subinde non erit assensus fidei, qui cùm necessariò debeat esse ex se certus, repugnat ut feratur circa objectum falsum. 2. ex SS. Patribus.

Probatur insuper ratione: Vera ac perfecta virtus non potest inclinare ad id quod per se malum est: sed assensus erroneus & falsus est per se malus: igitur ad eum fides Theologica non potest inclinare. Major constat: *Tum quia*, inquit sanctus Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. *Virtus est bona qualitas, quâ nemo malè utitur*: Tum quia, ex Arist. & omnibus Philosophis ac Theologis, *omnis virtus disponit potentiam ad optimum*, namque perficit in ordine ad suum objectum; unde sicut virtus moralis, quæ est in voluntate seu appetitu, ipsum perficit ac disponit ad bonum, quod est optimum ipsius appetitûs: Sic virtus moralis debet perficere intellectum ad verum, quod est optimum potentiæ intellectivæ: igitur cùm fides infusa ex sua essentia sit virtus intellectualis; ita necessariò debet inclinare ad actus veros, ut omnino ei repugnet inclinatio ad falsos & erroneos. 3. Ratione.

Deinde: Si fides posset esse principium assensûs falsi & erronei, sequeretur quòd Deus posset esse causa, saltem mediatè, falsitatis & erroris: sed consequens falsum apparet ex prima conclusione: igitur & id unde infertur. Patet major; quemadmodum enim si lumen naturale aut habitus primorum principiorum inclinarent ad assensum falsum, Deus censeretur saltem causa mediata istius assensus: quippe ipse est qui tribuit ejusmodi lumen & habitum primorum principiorum, ut est Author naturæ: sic pariter censendus esset author assensûs falsi & erronei, si fides ad eum inclinare posset, quia ipse est qui habitum illum infundit, ut est Author gratiæ: at repugnat Deum esse etiam causam mediatam assensûs falsi: igitur fides non potest in falsum assensum inclinare.

Denique habitus virtutis Theologicæ, est quasi proprietas gratiæ sanctificantis perficiens facultates hominis constituti in statu filii Dei adoptivi per ipsam gratiam sanctificantem, atque ideo

ex

ex natura sua habitus illi non dantur nisi ad actus, quibus homo possit promereri hæreditatem & gloriam æternam; unde fidei habitus infunditur, ut sit initium primum & necessarium totius meriti, seu ut homo possit per actus supernaturales, & fini supernaturali proportionatos mereri suam salutem: sed talis esse non posset fides, si posset inclinare in assensum falsum. Nam si posset elicere actum seu assensum falsum, per illum actum posset etiam esse principium proportionati actûs supernaturalis, qui esset meritorius salutis æternæ, etiamsi actus ille esset falsus, nec procederet ex vera Dei revelatione. Igitur fides non potest inclinare in assensum falsum.

Dices primò: Doctrina sophistica est à Deo: sed illa inclinat ad falsum, & inducit in errorem: ergo non repugnat quòd fides, quatenus à Deo infunditur, in assensum erroneum inclinet.

XV. Doctrina Sophistica non ordinatur ad decipiendum: sed ad cavendam deceptionem.

Distinguo minorem: Doctrina sophistica inducit in errorem per se, nego: per accidens, concedo; doctrina enim sophistica per se solùm ordinatur ad detegendas & cavendas discursûs & ratiocinationis fallacias, ne videlicet quis verisimile pro vero accipiens decipiatur: unde per accidens est, quòd qui novit illam doctrinam, eâ utatur ad fallendos & decipiendos minùs cautos; & consequenter si quæ per illam doctrinam fiat deceptio, potius erit refundenda in ipsum docentem, quàm in doctrinam.

Dices secundò: Actus aliarum virtutum supernaturalium & moralium possunt versari circa aliquod objectum fictum & falsum: ergo pari ratione fides inclinare poterit ad assensum circa illud, quod quis credit à Deo revelatum esse, quamvis de facto ita non sit; & subinde fides poterit inclinare ad assensum falsum ex parte credentis. Consequentia constat à paritate rationis. Probatur antecedens variis exemplis, putà cùm ex religione adoramus hostiam non consecratam, quam reverà consecratam existimamus, cùm ex misericordiæ motu largimur eleemosynam ei qui reverà non eget tali subsidiô: cùm ex obedientia jejunamus, putantes esse jejunandum ex præcepto, cùm tamen ita non sit: cùm ex justitia solvimus, quod falsò putamus alteri deberi. Similiter cùm diligimus & veneramur hominem hypocritam propter sanctitatem quam ei inesse falsò credimus: item si quis crederet Deum esse videndum oculis corporeis, idque futurum speraret.

XVI. Quare virtutes morales occupari possint circa falsum; non verò intellectuales.

Respondeo negando consequentiam: & ratio disparitatis est inter virtutes intellectuales & morales, quòd illæ versantur circa verum; unde tota earum perfectio consistit in conformitate cum objecto, à quo veritas aut falsitas in intellectu immediatè desumitur: at verò virtutes voluntatis seu morales versantur circa bonum propositum; & earum perfectio consistit in conformitate cum objecto, prout est à parte rei, sed prout proponitur per rationem: tunc enim operatur bene voluntas, quando sese conformat dictamini rationis, sive internum objectum sit reverà bonum vel non à parte rei. Unde virtus voluntatis potest interdum versari circa falsum repræsentatum ab intellectu ut bonum verum, quia tunc conformatur suæ regulæ nempe dictamini rationis; virtus autem intellectualis non potest versari circa falsum; sic enim non conformaretur cum sua regula, quæ non est alia quàm veritas objecti.

Dices secundò: Contingere potest, ut Parochus aut Episcopus aliquis proponeret plebi sibi commissæ aliquid tanquam de fide divina credendum, quod tamen tale non esset, ut plerumque factum est à Pastoribus in hæresim & errorem lapsis: sed eo in casu plebs rudis propositum illud credendum revera crederet, non quidem fide humanâ; quandoquidem proponeretur ut objectum fidei divinæ, ac subinde istud crederet fide divinâ: igitur fieri potest quòd divina fides per accidens, & ex præsupposita falsa existimatione inclinet in assensum falsum.

XVII. Rusticus credens errores quos Pastor proponeret, non eos crederet fide divinâ.

Respondeo, concessâ majore, negando minorem: Nam in illo casu plebs rudis non præberet assensum objecto falso proposito à Pastore fide divinâ, sed duntaxat fide humanâ; cùm enim fides divina sit virtus intellectualis quæ semper tendit in verum, sicut virtus moralis semper tendit in bonum; idcirco deficiente veritate in objecto, actus quô intellectus in illud tendit, non potest esse actus perfectæ virtutis, qualis est fides. Fateor tamen in prædicto casu rusticum, aut quemlibet alium è plebe, habere piam voluntatis affectionem, & quidem supernaturalem, quâ paratus est credere fide divinâ mysterium istud quod sibi proponitur, si verum esset; ratione cujus dispositionis & affectûs contingere potest, ut præbendo assensum etiam objecto falso, reverà mereatur; at nego propterea illum elicere assensum fidei divinæ circa propositum sibi objectum.

Instabis: Rusticus ille qui ita assentitur, eandem facilitatem experitur, cùm præbet assensum objecto falso, ab hæretico Pastore proposito, quàm experitur in credendis articulis veris ab eodem Pastore propositis: sed ita non esset, nisi circa utrumque articulum tam verum, quàm falsum per eundem fidei divinæ habitum tenderet, igitur eâdem fide credit objectum falsum: quod verum esse existimat.

Quæquam ita se credere existimaret.

Nego minorem: Illa namque facilitas non provenit ab habitu fidei infusæ, sed acquisitæ; quia habitus infusi non conferunt facilitatem potentiæ, sed duntaxat virtutem supernaturalem, ut possit actus supernaturales producere. Tota igitur facilitas, quam experitur quisque in credendis objectis propositis veris aut falsis, provenit ab habitu acquisito fidei, quô quisque inclinatur ad eliciendos actus assensûs circa objectum propositum ut à Deo revelatum; sive interim illud sit reverà à Deo revelatum, sive non.

Urgebis: Ille assensus reverà est elicitus à fide divina, qui pro motivo & objecto formali habet veracitatem divinam: sed assensus datus objecto falso, quod existimatur revelatum à Deo, non minùs elicitur propter veracitatem divinam, quàm assensus qui daretur objecto vero: igitur reverà assensus ille provenit à fide divina; ac subinde divina fidei inclinare potest in falsum.

Distinguo majorem: Si cum motivo habeat alias conditiones ad actum fidei divinæ necessarias, concedo: secus, nego: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam, actus enim licèt eliciatur propter veritatem divinam, non tamen censeri potest actus fidei Theologicæ, & supernaturalis, cùm non sit actus virtutis, sed vitium & defectus intellectûs, sed tantùm est actus fidei acquisitæ, quæ solet etiam remanere in hæreticis, qui errantes circa aliquem articulum, deperdunt quidem habitum fidei infusæ, conservant tamen eandem facilitatem, & eundem habitum fidei acquisitæ circa alios articulos, de quibus non controvertitur.

XVIII.
Conclusio illata ex præmissis, quarũ una est de fide & alia falsa, non est credenda fide divina.

Dices tertiò: Fieri potest syllogismus, in quo una ex præmissis erit vera & de fide, altera verò falsa, ex quibus conclusio illata erit falsa, v. g. ex his duabus præmissis: *Vbi est duplex natura, est duplex persona*: sed *in Christo est duplex natura*: infertur conclusio falsa & hæretica: *ergo in Christo est duplex persona*: at ad illum assensum conclusionis falsæ concurrit utraque præmissa, tanquam duplex causa partialis ad eundem effectum producendum: ergo cùm una ex illis sit de fide, habitus fidei videtur saltem partialiter iofluere & concurrere ad eliciendum illum assensum falsum.

Nego minorem: Assensus enim datus conclusioni hujus syllogismi non elicitur etiam partialiter à propositione fidei, sed solùm à propositione naturali, ex perversâ ratiocinatione ac applicatione intellectûs malè detorquentis propositionem veram & de fide certam, ad conclusionem falsam & erroneam; siquidem verum per se non potest inclinare nec rendere in falsum; unde si quis assensus proveniat ex parte fidei, ille tantùm erit materialis, non verò formalis, quatenus videlicet fides inclinabit intellectum ad credendam propositionem veram, nempe quòd in Christo sit duplex natura, non autem inclinabit ad assensum conclusionis falsæ, quia falsitas illa proveoit duntaxat ex parte intellectûs malè applicantis præmissas ad eliciendam illam conclusionem erroneam.

Petes, an Deus possit causare assensum falsum sive actualem sive habitualem, hoc est, utrum Deus possit producere in intellectu creato vel actum erroneum, vel saltem habitum inclinantem ad hujusmodi actûs productionem?

XIX.
Deus potest infundere habitum falsum.

Respondeo recentiores Theologos circa hanc resolutionem in varias ire sententias: *Primò* namque Medina 12. quæst. 24. Suarez *ibidem Tract.* 4. *sect.* 2. *& disp.* 3. *de fide sect.* 5. Turrian. 2. 2. *dist.* 3. *dub.* 4. Coninch. *disp.* 10. *de fide dub.* 2. *num.* 30. tenent Deum noo posse infundere habitum erroris, & consequenter tenere debent, eum non posse ipsummet actum erroris immediatè infundere huc enim magis dedeceret ipsum infundere quàm habitum. *Secundo* Vasquez d. 90. c. 4. & quidam alii contendunt Deum de potentia absoluta, se solo infundere tam actum, quàm habitum erroris, ex hypothesi quòd actus vitalis a solo Deo sine ullo concursu potentiæ produci possit. Smisingus *Tract.* 2. *de Deo disp.* 6. *num.* 285. existimat Deum posse quidem infundere habitũ erroneum, non verò actum. Vasquez autem disp. 90. cap. 4. Arriaga *Tract. de fide disp.* 2. *sect.* 5. Poncius *in commentario ad* 3. *dist.* 38. *num.* 29. Herinx *disp.* 3. *quæst.* 2. *num.* 13. *& sequentibus* docent neutrum repugnare Deo ex hypothesi quòd non repugnet Deum per se [illegible]um, & sine ullo concursu potentiæ, posse producere actum vitalem. Quibus cum aliis Scotistis subscribimus.

Probatur primò de habitu: Tum quia Deus potest habitum erroneum se solô conservare in intellectu, atque adeo concursu non tantùm universali, ut concedit Coninch, sed etiam particulari; quoties enim Deus se solô conservat aliquid, id præstat non solùm concursu universali, sed etiam particulari: nam istud conservat sine ulla causa secunda particulari, ut supponitur; & supplet consequenter concursum particularem causæ secundæ: sed quotiescunque Deus ita se habet ad effectum, non solùm agit concursu universali, sed etiam particulari; quia ejus concursus tunc non determinatur ab aliqua causa secunda individuali, sed divina voluntas seipsam immediatè ac specialiter determinat ad producendum aut conservandum ejusmodi effectum: ergo pari ratione potest Deus habitum erroneum producere. *Deinde*, si repognaret Deo productio talis habitûs, maximè vel propter imperfectionem physicam aut moralem hujusmodi effectûs producti: sed neutrum dici potest. Non quidem ob imperfectionem physicam; nam Deus multa potest producere physicè, & secundùm entitatem imperfecta: Non etiam ob defectum moralem, tum qoia ille habitus erroneus conducere posset ad acquisitionem vitæ æternæ etiam directè; enimverò qui erroneè existimaret aliquid conducere ad vitam æternam, quod reverà non conduceret, & propterea illod faceret in statu gratiæ, haud dubiè mereretur, & ad illud meritum conferret illa existimatio erronea, non minùs quàm si vera fuisset; quippe ille hæc præstando operaretur ex affectu placendi & obediendi Deo: igitur actus ille erroneus meritorius esset, & consequenter habitus ad eum inclinans cooduceret directè ad vitam æternam; tum quia cognitiones probabiles, seu habitus conducens ad ejusmodi cognitiones generandas potest infundi à Deo: sed ex cognitionibus probabilibus aliquæ sunt sine dubio falsæ, quoties videlicet otraque ex contradictoriis est probabilis: ergo Deus potest esse causa per se actûs falsi, & consequenter habitûs erronei.

XX.
Imò & actum.

Probatur etiam de actu: *Tum quia* Deus potest objicere alicui lapidem vel lignum cum talibus accidentibus, ut ille judicaret lapidem istum esse draconem: igitur Deus potest causare actum erroris concurrendo cum intellectu ad ipsum actum. Patet consequentia; nam qui per se dat occasionem alicujus effectûs producendi, ex intentione qnòd talis effectus producatnr, & aliunde concurrit cum facultate ad ejusmodi actum eliciendum, non solùm censetur causa physica, sed & moralis actûs. *Tum quia* nulla exinde apparet repugnantia; si enim id repugnaret, maximè quia Deus inde censeretur esse causa erroris; proinde posset aliquem fallere, quod utique Deo repugnat, qui nec falli, nec fallere potest: at ita noo esset, maximè si actus ille à solo Deo sic produceretur in intellectu, ut hic se haberet omnino passivè; itaut per eum actum intellectus non fieret intelligens & cognoscens, ut volunt adversarii; tunc enim non censeretur intellectus magis errare, quàm lapis, si in illo talis actus à Deo produceretur, ut possibile existimant Scotistæ: igitur non repugnat Deum talem actum erroneum producere.

Dices primò; Deus cùm sit summè bonus & sanctus, non potest in peccatum inducere, nec se solô producere actum peccaminosum: ergo similiter cùm sit summè verus ac verax, non potest inducere in errorem, nec actum erroneum producere.

XXI.
Nun ita dicendum de habitu aut actu peccaminoso.

Nego consequentiam: Et ratio disparitatis est, qoòd Deus actum vel habitum peccaminosum producendo, malè ac perversè ageret contra rectam rationem, & voluntatis suæ rectitudinem: peccatum enim nihil aliud est, quàm deflexio & exorbitatio à rectitudine divinæ voluntatis, & præscriptis ab ea mandatis & legibus: at producendo in altero errorem, seu volendo ut alter erret, non propterea Deus ipse censendus esset errare; quemadmodum causando alteri mortem,

non ipse diciturmori. Unde hoc in casu non diceretur Deus agere contra rationem suæ infinitæ veritatis; quemadmodum ageret contra suam bonitatem, si produceret habitum vel actum peccaminosum; nam infinita Dei veritas in eo formaliter consistit, quòd nihil eum latere possit; ac subinde quòd nec cognoscendo possit decipi, nec loquendo decipere: producere verò erroneum actum vel habitum, non est sic decipi aut decipere; quoniam per eam productionem non significatur, quòd Deus res aliter cognoscat, quàm sint, aut quòd aliter eas significet loquendo, quàm revera cognoscit. Unde non est paritas, siquidem infinitæ bonitati repugnat velle aut facere omne malum; infinitæ autem veritati solùm repugnat, ut ipsa erret, aut alios mentiendo decipiat; non autem quòd Deus producat errorem in altero.

Urgebis: Si Deus produceret naturam humanam immediatè cum inclinatione & necessitate assentiendi falsis principiis, ipse reverà censeretur fallere: ergo à simili si produceret habitum inclinantem ad habitum erroneum, etiam censendus esset inducere in errorem.

XXI. *Non tamen inclinaret ad falsum.*

Nego antecedens: Quanquam enim Deus si produceret naturam inclinantem ad falsum assensum, non propterea ipse dicendus esset fallere modò sibi repugnante & dedecente, hoc est res aliter proponendo quàm reverà sint aut existimet esse; quippe eo in casu Deus ipse non falleret intellectum ipsius naturæ, sed ille deciperetur ab objecto fallente sibi proposito, aut à proponente ipsum objectum: sicut enim Deus non est causa cui debeat attribui moralis interfectio hominis, quanquam ipse fecerit naturam capacem interfectionis & mortis patiendæ à talibus causis sic applicatis, sed potius ipsa interfectio refundi debet in ejusmodi causas: ita licet Deus faceret naturam cum inclinatione ad assentiendum principiis apprehensis falsis; inde tamen non sequeretur ipsi debere attribui talem errorem aut deceptionem, quæ duntaxat refundenda esset in ipsamet principia, aut in eos qui illa principia applicarent.

Nec falsum diceret.

Dices secundò: Implicat Deum aliquid falsi dicere, quia est prima veritas in dicendo, sicut & in cognoscendo & essendo: sed falsum diceret, si se solò errorem in intellectu produceret; Deum enim loqui vel dicere nihil aliud est, quàm ingerere alteri notitiam; siquidem Deus non indiget vocibus, ut loquatur alteri, aliàs non posset loqui Angelo vel animæ separatæ: igitur sicut non potest quemquam fallere loquendo, ita nec errorem producendo.

Nec id otiosè operaretur.

Nego minorem: In ea enim hypothesi Deus non censeretur loqui seu aliquid dicere; quia ad divinam locutionem requiritur, quòd Deus manifestet, se hoc vel illud sentire: quod utique non faceret producendo actum vel habitum erroneum, quia per illum errorem productum non significaret Deus se idem judicare.

Dices tertiò: Nulla causa subesse potest cur Deus producat ejusmodi actum vel habitum erroneum: sed Deus cùm sit sapientissimus, nihil potest operari absque legitima causa: igitur hunc actum aut habitum non potest producere.

Nego majorem: Primò, namque Deus hæc præstare posset, ut suam omnipotentiam in hoc manifestaret, ne videlicet, de ea dubitarent homines circa productionem hujusmodi habitûs aut actûs erronei; quemadmodum ad id eum impotentem adversarii censent: *Secundò*, ut suam exerceret justitiam, puniendo videlicet eum in quo hujusmodi actum vel habitum erroneum produceret, propter neglectam assecutionem vel conservationem legitimæ ac veræ cognitionis.

Adde quòd, etiamsi nullam possemus assignare causam particularem cur ita ageret, inde non est consequens, quòd non posset tales effectus edere propter causam nobis ignotam: plura namque Deus potest, quam humanus capiat intellectus, & eo in casu esse posset illi pro ratione voluntas, sicut & fuit, quòd mundum non priùs produxerit, quum id potuisset: nulla enim alia assignari potest causa, quàm quia ita ipsi placuit.

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum objectum fidei ita necessariò debeat esse obscurum, ut nullâ ratione possit esse evidens?

I. *Duplex est in fide obscuritas.*

NOtandum primò, duplicem obscuritatem in fide posse distingui: aliam quidem ex parte objecti formalis quod creditur, alteram verò ex parte subjecti seu credentis. Obscuritas ex parte *objecti* formalis seu medii, cui innititur, consistit in eo quòd medium istud etiamsi certam cognitionem efficiat, non tamen illam efficit claram & intuitivam: obscuritas verò ex parte *subjecti*, seu intellectûs in quo residet fides, consistit in eo quòd talis intellectus credat quidem Deum & ea quæ ab ipso revelata sunt, propter divinum ejus testimonium, ipsum tamen & ab eo revelata non videat. Quæritur autem an obscuritas tam ex parte objecti formalis, quàm ex parte subjecti, consistens in eo quòd veritas per fidem credita non videatur clarè, nec intuitivè percipiatur per ipsum actum fidei, ita pertineat ad rationem formalem ejusmodi actûs, ut nullâ ratione possit esse evidens.

II. *Quid sit evidentia.*

Notandum secundò, evidentiam esse claram & perspicuam objecti veritatem, quæ innotescit ex perspecta necessaria connexione prædicati cum subjecto, quæ utique est duplex; aliquod enim objectum est evidens ex terminis, quando videlicet apparet naturali lumine necessaria connexio prædicati cum subjecto, putà cùm dicitur *Deus est*; aliud verò dicitur evidens ex principiis; sic per discursum evidenter colligitur Petrum esse risibilem, quia omnis homo est risibilis. *Insuper* evidentia rei duplex est, alia quidem intrinseca, alia verò extrinseca. Prior est quæ petitur ex ipsamet rei manifestatione & præsentia; ita quòd intuitivè conspici possit in se, aut saltem ex alio evidenter & intuitivè, cognito, ita apertè deduci, ut intellectus circa ejus assensum ipsô luminis rationis præbendum, nullatenus anceps aut dubius hæreat: Posterior verò est ea quæ petitur ex principiis extrinsecis, cum quibus non habet quidem naturalem & necessariam connexionem, sed duntaxat moralem; ita quòd ista sint signa, seu notæ quædam, ex quibus ita evidenter constet rem existere, ut meritò vir prudens eam ita esse certò credat. Hinc quæritur utrum hâc duplici evidentiâ, an duntaxat posteriori, objectum fidei possit esse evidens, seu evidenter credibile.

Est duplex; alia intrinseca, altera extrinseca.

III. *Fides & scientia non possunt circa idem in*

Notandum tertiò, hîc non moveri controversiam de existentia simultanea habitûs scientiæ & fidei sive divinæ, sive humanæ in eodem intellectu circa idem objectum, hoc quidem esse pos-

eodem intellectu subsistere quoad actū.

ſibile jam ſatis ſuperque demonſtravimus in noſtra Philoſophia, agendo de characteribus & proprietatibus ſcientiæ: Nec etiam præſens movetur quæſtio utrum aſſenſus fidei poſſit connaturaliter conſiſtere cum notitia intuitiva ac ſcientifica objecti; iſtud enim ibidem fieri non poſſe probavimus, ex eo quòd dum intellectus noſter evidenti ſcientiæ lumine objectum apprehendit, non poſſit illud ipſum per inevidens fidei lumen iſtud percipere, ut egregiè probat Doctor in 3. diſt. 24. num. 21. ubi concludit: *Si tenetur quòd omnium articulorum ſit una fides, poteſt dici quòd Apoſtoli habuerint fidem de articulis, & ita credidiſſent Chriſtum eſſe crucifixum ſi non vidiſſent: ſed ea quæ viderunt, non crediderunt pro tunc, nec unquam poſteà, recogitando illius crucifixionem, habuerunt fidem de ea; ſicut nec cùm viderunt intuitivè: habebant tamen habitum, quò illud credidiſſent ſi non vidiſſent.* Quapropter num. 13. poſtquam explicuiſſet quatuor neceſſarias conditiones ad ſcientiam, nempe quòd ſit certa, evidens, rei neceſſariæ & per cauſam, ſubjungit: *Illô modô excipiendo ſcientiam, impoſſibile eſt de eodem eſſe ſimul ſcientiam & fidem.*

Quæ utique aſſertio firmatur etiam apertiſſimâ SS. Patrum doctrinâ; nam S. Auguſtinus tract. 68. in Joan. ait: *Fides autem, quâ eorum, qui Deum ſunt viſuri, quandiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt, credit; nam ſi vides, non eſt fides.* Et S. Chryſoſtomus homil. 22. in epiſtolam ad Hebræos, ait: *Si fides eſt argumentum eorum quæ non videntur, quid eſt quòd vultis ea videre, ut excidatis à fide?* Et ſanctus Gregorius homil. 26. in Evangelia: *Fides*, inquit, *earum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt; quæ enim apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem.* Quibus ſubſcribit S. Bernardus lib. 5. de Conſideratione, cap. 3. ubi ait: *Fides eſt voluntaria quædam certa prælibatio nec dum propalatæ veritatis.* Unde iidem SS. Patres explicantes illud Joan. 20. *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti:* dicunt ipſum aliud vidiſſe, aliud credidiſſe; vidit enim hominem & credidit Deum.

Status quæſtionis.

Quibus ita præmiſſis, tria duntaxat hîc ſuperſunt reſolvenda; *Primum*, quòd fides neceſſariò debeat habere obſcuritatem tam ex parte objecti, quàm ex parte ſubjecti: *Secundum*, quòd objectum fidei ſit evidenter credibile: *Tertium*, quænam ſint præcipua fidei noſtræ motiva & argumenta.

CONCLUSIO PRIMA.

IV.

Fides eſt neceſſariò obſcura ex parte objecti.

FIDES *Theologica neceſſariò habet annexam obſcuritatem tam ex parte objecti, quàm ex parte ſubjecti.* Hæc eſt communis quantùm ad utramque partem, quarum probatur *prima* ex illo Apoſtoli ad Hebræos 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quibus verbis apertè indicat, quòd objectum fidei ita ſit obſcurum, ut non appareat; hinc Dionyſius lib. de myſtica Theologia cap. 1. ait: *Non niſi per ſacræ caliginis tenebras, humanæ mentes nec poſſunt, nec debent divina contemplari myſteria.* Quapropter idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. ait: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; ſpeculum autem & ænigma obſcuritatem divinæ revelationis, cui fides innititur, apertè declarant. Unde ſanctus Cyrillus fidei myſteria appellat; *Sacratiſſima fidei ænigmata.* Ad id probandum deſerviunt omnes illæ SS. Patrum authoritates mox laudatæ in 3. notabili: ſignificant enim fidem & viſionem intrinſecè opponi: ſed hæc oppoſitio non provenit præcisè ex objecto formali *quod*, nempe ex divina veritate; ſiquidem divina veritas poteſt eſſe objectum fidei & viſionis intuitivæ: eandem enim divinam veritatem, quam credunt viatores, Beati intuitivè conſpiciunt: igitur ratio hujus oppoſitionis & diſcriminis inter fidem & ſcientiam, petenda eſt ex objecto *quò*, ſeu ex ratione *ſub qua* fides & ſcientia in ſuum objectum feruntur; ita quòd fides obſcurè, ſcientia intuitivè illud percipiat.

Nec non & ſubjecti.

Patet etiam *ſecunda pars*, nempe quòd fides etiam ſit obſcura ex parte ſubjecti; ita quòd ipſemet fidei habitus intellectum, cui ineſt, ſic inclinet ad percipienda myſteria modô obſcurô & inevidenti, ut veritatem quam credit, intuitivè per alium actum non percipiat; enimverò cùm fides tota innitatur revelatione, talis eſt ejus actus, quale medium & motivum, per quod tendit in objectum: ſed divina revelatio eſt omnino inevidens & obſcura: igitur & ipſe fidei actus obſcurus eſſe debet & inevidens: hæc autem inevidentia maximè conducit ad fidei commendationem & meritum: *Nam*, inquit S. Auguſtinus tract. 79. in Joan. *hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur.* Unde S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſione: *Magnarum hic vigor eſt mentium, & valde fidelium lumen eſt animarum, incunctanter credere, quæ corporeô non videntur intuitu, & ibi figere deſiderium, quò nequeas inferre conſpectum, &c.* Hinc ſanctus Gregorius homil. 26. in Evangelia præclarè ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Dices: Obſcuritas nil aliud eſt quàm negatio evidentiæ & viſionis: ſed nulla negatio ſpectare poteſt neceſſariò ad objectum & actum fidei: igitur obſcuritas non eſt de ratione formali objecti & actûs fidei. Minor conſtat, ſiquidem objectum & actus fidei ſunt aliquid poſitivum: nulla autem negatio eſt de ratione formali entis poſitivi. Major pariter eſt evidens: ſiquidem obſcurum per ordinem ad cognitionem, nihil aliud eſt quàm non eſſe viſum: at non eſſe viſum eſt aliquid negativum aut privativum: Igitur, &c.

V.

Obſcuritas illa eſt quid poſitivum.

Nego majorem, & ad ejus probationem dico, quòd etſi eſſe obſcurum exprimatur nomine negativô, nihilominus eſt aliquid poſitivum; plura namque ſunt poſitiva, quæ non niſi nominibus negativis ſignificantur, ut diximus agendo de attributis negativis Dei.

Dices ſecundò: Fieri poteſt ut quis habeat evidentem notitiam revelationis ſibi factæ: ſed eo in caſu fidei actus non erit obſcurus: igitur obſcuritas non eſt de ratione formali actûs fidei. Major conſtat variis exemplis: nam primus Angelus dum eſſet viator, certò & evidenter cognovit ſe à ſolo Deo poſſe illuminari, quia non habebat ſuperiorem Angelum, à quo illuminationem acciperet: ſimiliter B. Virgo cùm noviſſet ſe non peperiſſe viâ ordinariâ ac ſimul ſe eſſe Virginem & Matrem, taleque ſignum excepiſſet ab Angelo, tanquam certum argumentum, quòd filius ex ea naſcendus, eſſet filius Dei, ex comperta ſua Virginitate & fœcunditate habebat evidens teſtimonium de divinitate Filii ſui. Eandem evidentiam habuerunt plerique Prophetæ, unde David 2. Reg. cap. 23. ait: *Dixit Deus Iſraël mihi locutus eſt fortis Iſraël, dominator hominum, juſtus dominator in timore Dei; ſicut lux auroræ orien-*

te sole, mane absque nubibus rutilat, & sicut pluviis germinat herba de terra. Hanc pariter evidentiam habuerunt Apostoli & Evangelistæ; nam S. Joan. epist. 1. cap. 1. ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectaverunt de verbo vitæ...... testamur & annuntiamus vobis, &c.* igitur actus fidei non necessariò obscuritatem importat.

VI. Fides stare potest cum evidentia revelationis.

Respondeo: Cum evidentia revelationis ex parte attestantis, nihilominus remanere obscuritatem & inevidentiam ex parte rei revelatæ, & consequenter de ea haberi posse fidem, quamquam enim evidenter mihi constaret Deum mihi revelare aliquod mysterium; inde tamen mysterium istud non mihi foret intrinsecè evidens, quantumvis foret evidens Deum summè veracem id testari, solùm enim rei revelatæ inde accederet evidentia quædam extrinseca, fundata in his principiis extrinsecis; attamen evidentibus: *Quidquid Deus revelat, est verum: sed Deus revelat se esse trinum in personis.* Inde enim evidenter sequitur, hanc propositionem esse veram, igitur *Deus est trinus*; adeoque existentia veritatis istius propositionis est evidens, non evidentia rei in se, sed duntaxat extrinsecè elicita ex præfatis præmissis. hinc non obstante evidentia ex parte attestantis & revelantis, semper remanet obscuritas ex parte rei revelatæ; unde res ista adhuc fide divinâ credi potest.

Quod utique præclarè docet Doctor in 3. dist. 14. num. 17. ubi loquendo de Prophetis & SS. Apostolis eximiis illis viris, qui habuerunt certam notitiam, quòd Deus ipsis veritates revelârit, ait: *Tales habuerunt habitum prabentem magnum assensum, ita quòd illo stante non potuerunt non assentire veritati. Illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei, quia tunc contradictio esset, quod hujusmodi notitia, & fides simul starent: fuit tamen certitudo illa firma, sicut est certitudo scientialis, qua causatur ex principiis notis ex evidentia terminorum: sed non causabatur à talibus principiis: ideo scientia non potuit dici ex evidentia rei: fuit tamen major certitudo, quàm certitudo fidei; quia fides non excludit omnem dubitationem, sed aliqua dubitatio potest stare cum fide.* Quibus verbis significat Doctor, non quòd Prophetæ & Apostoli habuerint cognitionem mysteriorum per habitum à fide distinctum, & medium inter fidem & scientiam, ut existimant aliqui: sed duntaxat quòd habuerint evidentiam extrinsecam, quæ eos quidem certiores efficiebat, quòd Deus istas veritates revelasset, quàm cæteri fideles credunt ejusmodi mysteria à Deo esse revelata, non tamen habebant evidentiam intrinsecam, quæ requiritur ad intuitivam aut scientificam cognitionem: unô verbô habuerunt illi evidentiam revelationis, non autem evidentiam rei revelatæ.

CONCLUSIO SECUNDA.

VII. Fidei mysteria sunt evidenter credibilia.

CHRISTIANÆ *fidei mysteria sunt evidenter credibilia*: Hæc est communis apud Theologos. Et probatur *primò* authoritate Scripturæ sacræ, maximè ex Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: quasi diceret; Plurimis argumentis demonstrasti mysteria à te revelata, & legem à te præscriptam reverà te Deum habere authorem, ubi signanter particula *nimis*, non videtur minorem quàm evidentem notitiam significare; unde Lyranus noster sic exponit: *Credibilia facta sunt nimis, idest, magis quàm, prima principia scientiarum.* Quapropter S. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. ait: *Faciliùs dubitarem vivere me, quàm esse vera quæ audivi.* Idem evincitur ex illo Joan. 15. ubi Christus de Judæis perduellibus sermonem faciens, ait: *Si non venissem & locutus fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quibus verbis significat motiva fidei generare posse evidentiam credibilitatis; nam si solam probabilitatem efficerent, excusationem haberent, qui sequerentur aliud judicium probabile, quò existimarent hæc mysteria non esse credibilia.

Idipsum etiam suadet ratio: Cùm enim Deus velit nos firmissimè & indubitanter credere quæ nobis revelat, & idcirco æternâ salute ac beatitudine privet eos, qui ejusmodi mysteriis non assentiuntur, illósque æternis suppliciis subjiciat; recta justaque ratio exigebat, ut evidentia præberet signa veritatis quam credendam exhibebat, ex quibus certò cognosci posset, quæ sint ab ipso revelata, quæ verò non. *Deinde*, Sicut sine evidentia scibilitatis nihil est certò & evidenter cognoscibile, & sicut sine evidentia probabilitatis, nihil est utrimque opinabile: ita pariter sine evidentia credibilitatis nihil est credibile.

Nec dicas voluntatem posse pro suo in intellectum dominio ipsi imperare, ut credat aliquid quod etiam non apparet evidenter credibile; voluntas enim non potest movere intellectum, ut feratur ultra sphæram sui objecti. Cùm autem objectum intellectûs sit id quod apparet verum, non potest voluntas movere intellectum, ut credat firmiter & certò quod certò non apparet credibile.

VIII. Præclara S. Augustini sententia de motivo certitudinis fidei.

Denique, Illud censeri debet evidenter credibile, quod efficacissimis rationibus ac validissimis argumentis firmatur: at plura sunt argumenta & motiva, quibus mysteria fidei apparent vera; unde S. August. lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 4. ait: *Multa sunt quæ in Ecclesia me justissimè tenent, consensio populorum & gentium, authoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & vetustate nutrita. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. Tenet denique ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cùm omnes hæretici sese* CATHOLICOS *dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad* CATHOLICAM *conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

Cui egregiè concinit Picus Mirandulanus.

Hinc egregiè Picus Mirandulanus epist. 1. scribit: *Magna insania est, Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major insania est, de veritate Evangelii non dubitare; vivere tamen, quasi de ejus falsitate non dubitares.*

Dices primò: Si mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia, nemo sanæ mentis cui sufficienter proponerentur, posset illa respuere, & eis quod contrarium est magis credibile judicare: sed hoc in assiduam experientiam militat: igitur, &c. Minor patet; Constat enim ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio, non solùm sapientiores inter Judæos, & gentiles Philosophos, sed etiam hæreticos aliunde in rebus Christianæ religionis versatos plurima oppugnare fidei mysteria, & eis contraria pro vero habere & constantissimè tueri.

Major verò probatur, nemo sanæ mentis sentire potest contrarium, ei quod cognoscit evidenter verum, ac judicat esse fide dignum, alioqui veritati manifestæ refragaretur, ac subinde rationis dictamen ac lumen exueret.

Quâ ratione fidei mysteria negari possunt à veris prudentibus.

Nego majorem: Licèt enim objecta fidei sint evidenter credibilia, nihilominus negari & oppugnari possunt à viris aliunde prudentibus & sagacibus: *vel* quia eis non debitè proponuntur: *vel* quia ipsi quâ debent attentâ & diligenti consideratione ea non ponderant & expendunt, sed plerumque ab eorum examine considerationem avertunt, convertuntque ad alia ipsis opposita: *vel* quia pravô affectu ducuntur, ne hujusmodi mysteriis ac divinis veritatibus assensum præbentes, inde tenerentur non solùm captivare intellectum in obsequium fidei, & sic quodammodò exuere libertatem naturalem assensûs & usûs rationis; verùm etiam ea amplecti quæ sensuum oblectationi repugnarent: hinc fit quòd metu istius captivitatis molestæ in obsequium fidei, nec-non & ineundæ obligationis ad vitam austeriorem, *vel* proposita mysteria examinare ac penetrare refugiunt: *vel* rationes & motiva quibus fiunt evidenter credibilia, infirmare ac contrariis rationibus obscurare tentant: *vel* quia pro sua libertate illis attendere respuunt; sicut enim licèt quis sciat evidenter bonum temperantiæ esse prudenter amabile, potest tamen illud non amare: ita etiam licèt aliquis cognoscat suam sectam non posse prudenter retinere; affectu tamen depravatô potest velle ipsi adhærere sicut omnis qui ex malitia peccat, novit evidenter se imprudenter agere, nec tamen propterea ab operatione cessat. *His adde quòd* Deus nonnunquam denegat infidelibus & hæreticis illa auxilia proximè efficacia, quibus eorum intellectus moveatur & applicetur, ad percipiendam evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, ut docet S. Paulus 2. ad Cor. 4. dicens: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.*

Instabis: Si ita esset quòd infideles quibus proponuntur mysteria fidei, cognoscerent illa esse evidenter credibilia, sequeretur quòd pariter cognoscerent suas sectas & aliàs Christianæ religioni oppositas esse evidenter incredibiles, nec prudenti judiciô esse sequendas; quia essent improbabiles; enimverò quod est incredibile non est probabile: at contrarium apparet: igitur, &c.

Et contrariæ sectæ assensus præberi.

Distinguo majorem: Scirent evidenter illas sectas non esse prudenter credibiles, concedo: non esse ullatenus credibiles sive prudenter, sive imprudenter, nego: licèt enim post sufficientem mysteriorum propositionem adhuc pertinaciter in suo errore permaneant; inde non est consequens, quòd non noverint suæ sectæ non esse prudenter adhærendum; sed ita sese gerunt quoniam sunt rebelles lumini, & diligunt magis tenebras quàm lucem.

Dices secundo: Si mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia, posset quilibet Philosophus illorum possibilitatem naturaliter cognoscere: sed id fieri posse negant Theologi: ergo, &c. Probatur sequela majoris; Quod judicatur impossibile est incredibile: ergo quod judicatur esse evidenter credibile, judicatur etiam evidenter non esse impossibile: sed possibile & non impossibile sunt termini æquipollentes: ergo quod judicatur non esse impossibile, judicatur evidenter esse possibile: enimverò ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis bene arguitur, v. g. *Petrus currit: ergo movetur,* rectè infertur, *non movetur: ergo non currit.*

X. Id quod est evidenter credibile non semper judicatur esse possibile.

Nego sequelam majoris, ad cujus probationem dico, hanc consequentiam non valere: aliquid judicatur evidenter esse credibile: ergo judicatur evidenter non esse impossibile: sed inferri debet: ergo evidenter judicatur illud non apparere impossibile: ut enim aliquid sit credibile, non est necesse quòd judicetur non esse reverà impossibile, sed sufficit quòd ejus impossibilitas non appareat.

Unde ad illam regulam Logices, *ab opposito consequentis bene arguitur ad oppositum antecedentis,* dico illam duntaxat intelligi de opposito contradictorio, non verò de opposito contrario, v. g. *Petrus est homo: ergo est animal;* non bene argueretur, *Petrus non est animal: ergo est brutum,* cùm tamen brutum sit oppositum hominis, quia nimirum brutum non opponitur homini contradictoriè, sed contrariè: solùm ergo potest inferri, non est animal: ergo non est homo; sic enim arguitur ad propositionem contradictoriam antecedentis, seu ad negativam illius. Idem dicendum in præfato argumento.

Instabis: Hæc consequentia est evidens: Aliquod objectum est credibile fide divinâ: ergo est verum: nam divinâ fide nihil nisi verum credi potest: ergo si mysteria Christianæ religionis sint evidenter credibilia fide divinâ, sequitur quòd sint evidenter vera: sed falsum est quòd nostræ fidei mysteria sint evidenter vera; alioqui non essent objecta fidei, sed scientiæ: Igitur non sunt evidenter credibilia.

XI. Quod est evidenter credibile, non est semper evidenter verum.

Respondeo, non esse consequens quòd si mysteria fidei sint evidenter credibilia, etiam sint evidenter vera; aliud enim est, quòd aliqua propositio sit vera, aliud autem quòd sit credibilis; veritas namque petitur ex connexione intrinseca subjecti & prædicati: credibilitas autem sumitur à testimonio extrinseco dicentis, nec-non & ab signis & motivis, quæ reddunt illam propositionem credibilem, seu fide dignam. *Adde quòd* quanquam mysteria fidei sint evidenter credibilia, non tamen sequitur quòd sint evidenter credibilia fide divinâ; quomodo enim cognosci posset evidenter, quòd aliquid esset credendum fide divinâ, cùm sciri non possit evidenter dari fidem divinam & infusam? Solùm igitur evidenter cognoscimus mysteria illa talia proponi, ut quantùm ex nobis est, prudenter conari possimus ad illa credenda firmiter & sine ulla hæsitatione, præscindendo ab eo, quòd assensus iste eliciatur, aut solis naturæ viribus, aut per fidem infusam.

Vrgebis: Si sola mysteriorum credibilitas cognosceretur evidenter, non autem eorum veritas; sequeretur quòd in illo priori eorum mysteriorum veritas solùm cognosceretur probabiliter, ac subinde quòd etiam probabilis appareret veritas contrariæ & oppositæ propositionis, & consequenter haberi non posset assensus certus; non enim possumus certò assentiri alicui objecto, si eôdem instanti oppositum illius appareat probabile.

Respondeo, quòd etsi in eo instanti quô proponuntur objecta fidei cum illis motivis, quibus apparent evidenter credibilia, etiam veritas objecti oppositi probabilis videatur, tamen motiva illa manifestantia credibilitatem objecti fidei,

licèt non habeant vim sufficientem ad manifestandam evidenter eorum veritatem, habent tamen vim sufficientem ad ostendendum evidenter, quòd voluntas prudentissimè potest imperare assensum excludentem omnem formidinem, quæ nasci posset ex motivis contrariis; unde in illo instanti, quô elicitur fidei assensus, non est formido actualis pro opposito objecto, nec assensus probabilis illius, sed solùm adsunt motiva nonnulla, quæ possent generare formidinem, nisi cohiberentur per voluntatis imperium.

Instabis iterum: Omnia argumenta contra nostram fidem evidenter solvuntur: ergo etiam evidenter ostenditur ea mysteria non solùm esse evidenter credibilia, sed etiam evidenter vera; ubi enim ostenditur inefficacitas argumentorum contrariorum, apparet quòd falsum probabant.

Nego consequentiam: Aliud enim est quòd argumenta illa non convincant intentum, aliud verò probare quòd tendant ad falsum probandum; unde licèt possimus primum ostendere evidenter, non tamen secundum evidenter ostendi potest.

Dices denique: Illa doctrina non est evidenter credibilis, quæ plurima Dei majestate prorsus indigna continet: at ita est de doctrina fidei Christianæ; hæc enim docet Deum hominem fieri, in Virginis utero recludi, ejus lacte nutriri, crucifigi, mori, &c. quæ Dei majestate indigna sunt: igitur fidei mysteria non sunt evidenter credibilia.

XII.
Fidei mysteria nihil significant Dei majestati indignum.

Nego minorem: Hæc enim omnia mysteria, etsi aliqua ex parte Dei depressionem & humilitatem significent; aliunde tamen mirum in modum divinam majestatem commendant; conceptus est siquidem Christus, sed opere Spiritûs sancti; natus est, sed ex Virgine; in præsepio reclinatus, sed à Regibus stellâ radiante & viam monstrante quæsitus & inventus adoratur; crucifixus & mortuus, sed ad ejus mortem terra tremuit, sol obscuratus est, & omnia elementa suâ concussione eum esse mundi Rectorem & supremum Dominum demonstrârunt.

Adde quòd ista mysteria eò Dei majestate digniora censenda sint, quòd humanam rationem omnino transcendant, nec ab ea valeant ullatenus penetrari; unde præclarè Tertullianus jam semel & iterum à nobis laudatus, ait lib. de carne Christi: *Natus est Christus, non pudendum, quia prudendum est: mortuus est, credibile, quia incredibile: resurrexit, possibile, quia impossibile judicatur. Quid enim est universum Euangelium, nisi mera stultitia, si cum humanâ ratione conferatur?* Et contra Marcionem, ait: *Assumpsisse Deum quadam sibi indigna, nobis autem necessaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm salus hominis.*

Conclusio Tertia.

XIII.
Sex sunt motiva credibilitatis mysteriorum nostræ fidei.

Varia; sed præcipuè sex capitalia sunt motiva & argumenta, quibus nostra Religionis Christiana mysteria fiunt evidenter credibilia. Hæc est communis apud Theologos qui licèt plurima ejusmodi motiva assignent, & subtilis Doctor *quæst. 2. prologi num. 3. & 13*, ad decennarium numerum ea multiplicet; attamen rectè ad quinarium reduci possunt.

Primum petitur ex doctrinæ

Primum *argumentum* petitur ex *doctrina puritate, efficacia & concordia.* Apparet inquam Religionem Christianam reverà esse divinitùs editam ex *puritate illius doctrina & miranda ejusdem Doctorum consensio*; nulla enim alia secta æquè perfectè ac sublimiter de Dei magnitudine, ac divinis ejus præcellentiis sentit, sicut Christiana, quæ Deum infinitè perfectum ac sanctum prædicat, & ab eo removet id omne quod vitium aut defectum sapit: quod utique non præstant cæteræ sectæ: nam Judæi postquam à vera fide defecerunt, varios in errores lapsi sunt circa Dei perfectiones, ut fusè demonstrat Ludovicus Granatensis in suo Catechismo p. 22. Gentiles verò vitia pro numinibus colunt, & dæmones pro diis venerantur: Hæretici autem etiam indigna de Deo censent.

Christianæ puritate.

Nulla pariter est alia secta, quæ suis sectatoribus tantùm perfectionis studium ingerat, ac Christiana religio; ea enim est quæ ab affectu terrenorum mentes avocat, & ad cœlestium amorem traducit: hæc enim suadet divitiarum, honorum & voluptatum contemptum, provocat ad frequentanda jejunia & alias corporis afflictiones, quibus carnis frangantur impetus, & ipsa spiritui subjiciatur; ex quo argumentum esse debet, Christianam religionem esse omnino cœlestem, non enim potest illa religio non esse cœlestis, quæ naturam humanam infimis ac caducis rebus adhærentem avellit, ut ad bona cœlestia promoveat, quæ terrenorum amorem expugnat, ut æternorum dilectionem inferat: Denique eò humanum affectum traducat, ut homo, qui mores suos ad præscriptæ fidei ac doctrinæ Christianæ regulas & instituta reformat, verè cœlestis esse censeatur, illius enim conversatio tota in cœlis est.

Efficacitate;

Illius etiam doctrinæ efficaciam præclarè explicat S. Paulus dum Christianismum appellat, hominis renovationem, Ephes. 4. *Renovamini*, inquit, *spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, &c.* Et reformationem Romanorum 12. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri.* Unde de lege Christiana vaticinatus videtur Regius Psaltes Psal. 18. dum ait: *Lex Domini immaculata convertens animas.* Immaculata quidem, quia omnia prorsus vitia & peccata eliminat etiam minima: *Convertens animas*; quia non tantùm ordinat & probè componit actus exteriores, ut omnes humanæ leges, sed etiam interiores, quippe non solùm prohibet occidere, sed etiam ulteriùs irasci, nec solùm vetat adulterium, sed etiam videre mulierem ad concupiscendum; unde ipsa totum hominem reformat, ut pulchrè explicat Lactantius lib. 3. cap. 25. Dei præcepta, quia & simplicia & vera sunt, quantùm valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum; tam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis, jam cruces & ignes, periculum & taurum contemnat. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem; continuò & æquus & prudens & innocens erit: tanta enim divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, delictorum stultitiam unô semel impetu expellat.

Et concordia.

Denique apparet doctrinam Christianam esse divinitus inspiratam ex miranda consensione & concordia tum aothorum sacræ Scripturæ, tum sactorum Doctorum, oam inquit Doctot num. 4. plures Authores diversarum ætatum & temporum non possunt convenire in priocipiis ac Conclusionibus presertim moralibus, nisi Deus eis specialiter assistat, & ab eo ipsorum animi inclinentur ad assensum: sed nostri Doctores quantumvis diversimode dispositi & diverso tempote existentes, mirum in modum consenserunt quantùm ad præcepta moralia, nec-non & quantùm ad veritates præcipuas fide credendas: igitur, &c. *Majorem* probat Doctor, *primò* quidem authoritate S. Augustini lib. 18. de civitate cap. 41. *Auctores nostri sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod charum religione esse oporteret: nec tamen ita pauci, ut eorum non miranda sit consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam litterariò monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis invenerit, quod inter cuncta, qua sensere, conveniant.* Probat etiam hâc ratione: Cùm intellectus, inquit quantùm ad assensum, sit natus moveri ab objecto evidente in se, vel in alio, nihil aliud ab objecto videtur talem assensum posse causare, nisi mutabiliter includat evidentiam objecti: nam si nihil tale moveat intellectum, remanebit sibi Theologia neutra. Nihil autem est tale de non evidentibus ex terminis, nisi intellectus soperior nostrô; nihil autem intelligens superius homine potest hominem effectivè edocere, nisi Deus.

Confirmat maximè ex eo quòd Scriptores illi sacri, posteriores non fuerint priorum discipoli; nec enim, *inquit*, Ezechiel prophetans in Babylone eô tempore, quo Jeremias vaticinabatur in Judæa, potuisset eum eo concordare, nisi habuissent aliquem communem Doctorem sopra intellectum humanum. Quod maximè verum est de Authoribus novi Testamenti, qui cùm multa præcepta legalia & ceremoniaha veteris Testamenti proscripserint, etiam haud dubiè dissensissent ab Authoribus ejusdem Testamenti circa præcepta moralia, nisi qui prioribus Scriptoribus vetus Testamentum dictaverat, eadem novi Testamenti Authoribus scribenda inspirasset.

XIV. *Secundum ex vitæ & morū probitate.*

Hinc oritur *secundum* motivum & argumentum veritatis nostræ fidei ac religionis, nempe *sanctitas vita ac morum puritas*, quæ maximè relucet in Christianæ fidei ac legis cultoribus; plurimi enim omni sæculô omnique ætate vitæ sanctimoniâ celebres extiterunt, etiam ex illis, qui ante susceptam hanc cœlestem religionem gravissimis peccatis erant dediti; quod certè argumentum est religionem quam sectati sunt, esse veram: quia religio falsa ad sanctitatem veram non perducit; religio enim est sanctitatis fundamentum, nec posset illud cœleste ædificium exstrui super mendacio pernicioso & sacrilego, qualis est omnis simulatio, & omne mendaciom in religione; fieri etiam nequit ut religio falsa animum à terrenis avocet, & ad cœlestia traducat, ut divinô amore mentem accendat, & ad proximorum salutem, ac Dei gloriam promovendam etiam cum aperta bonorum omnium jactura, & imminenti vitæ dispendiô etiam per medios infestissimos labores, ac varia tormentorum genera impellat: hæc aotem omnia operatur Christiana fides & religio in suis sectatoribus.

Neqoe bis obstat, quòd etiam inter Fideles Catholicos multi sunt, qui non solùm sanctè non vivunt, sed etiam gravissimis vitiis subjacent; id enim non faciont ex indulgentia religionis, sed ex perverso usu liberi arbitrii; cùm enim tria sint, quæ hominem à malo avocare, & ad bonum incitare queant, nempe timor supplicii, spes præmii, & honestas ipsa operis boni; tria hæc excellentissimè proponit, & ubique inculcat suis sectatoribus religio Christiana; unde si aliqui ex ejos sectatoribus ad eam sanctimoniam non aspirant, id non ipsi religioni, sed libertati arbitrii, quæ contra illa omnia ad boonm incitamenta perverse his utitur, impotandum est.

XV. *Tertium motivum est antiqua ipsius Religionis institutio.*

Tertium motivum est quod ipsa Christiana fides sit mundo coæva; fides enim nostra ab ipso muadi nascentis exordio ad nos usque immutabili successione propagata est; quippe, ut diximus, objectum fidei sempet idem fuit creditum, id enim Antiqui implicitè crediderunt, quod nos explicitè credimus; unde religio Christiana & Catholica non solùm hæreticos, sed & Gentiles omnes idololatras antiquitate superat, quibos proinde ingerere possumus quæ Tertullianus objiciebat hæreticis sui temporis lib. de præscriptione cap. 37. *Qui estis? Quando & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quô denique Marcion jure sylvam meam cadis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Quâ potestate Appelles limites meos commovet? Mea est possessio: quid hîc cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus quorum fuit res. Ego sum hares Apostolorum: sicut caverunt testamentô suô, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exharedaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.* Nota.

XVI. *Quartum motivum est quòd per universum mundum fuerit propagata.*

Quartum argumentum veritatis nostræ fidei petitor ex miranda ejusdem propagatione per universum mondum; opus enim fuit Dei virtute ejusque speciali protectione ac beneficio, ut Christiana fides per oniversum orbem diffunderetur, qood maximè verum apparebit, si quis consideret *primò* promptitudinem seu celeritatem, quâ fides illa apud omnes nationes annuntiata & recepta fuit; nam S. Paulus testatur ad Coloss. 1. quod veritas Evangelii suô tempore jam per universum mundum illuxerat: *Evangelium*, inquit, *quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat & crescit, sicut & in vobis, &c.* Hinc Justinus martyr qoi vixit initiô sæculi 2. in dialogo eum Triphone ait: *Nullum hominum genus est, sive Barbarorum, sive Gracorum, aut eorum qui plaustris pro domibus utuntur vel qui domorum usum non habent, apud quos Iesu, qui cruci suffixus est nomine, preces & Eucharistia omnium rerum Creatori non fiant.* *Secundò*, verè divinum est opus quòd fides Christiana propagata fuerit; non potentiâ, non armis, non opibus, sed per bomines rusticos, despectos, ignobiles, indoctos, & contemptibiles, qoi fidem omnino sensui repugnaotem, præcepta difficilia, rerum temporalium contemptum, & vitæ ipsius ac unius hominis publicè poniti & crucifixi, supremum cultum & Divinitatem persuaserunt Principibus, Doctoribus, Sophistis, Ducibos, Oratoribus & regnis ac Provinciis, totiqoe mundo; qood quidem impossibile esset, nisi Dei digitus causam suam promoveret, & nisi opus hoc, ut dixit Augustinus lib. 22. de civitate, cap. 7. *Virtutis fuisset divina, non persuasionis humana.* Præsertim cùm id factum fuerit opponentibus sese Regibus, Principibos, Imperatoribus, Sacerdotibus,

Idque nullô humanô adminiculô.

tibus, Magistratibus, Plebe & mundô universô. Hæc omnia præclarè expendit S. Chrysostomus serm. 3. Pentecostes his verbis: *Peragrârunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam exigentes, non in eloquentia confidentes; pecuniâ indigentes, sed regnum cælorum possidentes; non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragrârunt universum orbem, oves simul cum lupis, & vulnerata à bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.*

XVII. Quintum argumentum est quod Deus nostram religionem revelavit.

Quintum argumentum petitur ex *divino testimonio*; Deus namque nostræ fidei mysteria revelavit, confirmavit & roboravit. Revelavit, inquam per Prophetas pridem antequàm peragerentur: unde sic argumentatur Doctor num. 3. Solus Deus potest naturaliter non ab alio futura contingentia certitudinaliter prævidere: ergo solus ille vel ab illo instructus potest ea certitudinaliter prædicere, juxta illud Isaiæ: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos:* Sed omnia Christi D. mysteria prænuntiata sunt à Prophetis pridem antequam ipsemet in terris appareret, & cum hominibus conversaretur; illius enim Incarnatio prænuntiatur Baruch. 3. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Nativitas ejus ex Virgine. Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Locus Nativitatis Michеæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël.* Ejus prædicatio Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, &c.* Ejus miracula Isaiæ 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ingressus ejus in Jerusalem Zachar. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Proditio ejus per discipulum, Psal. 40. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Venditio ejus 30. argenteis, Zachar. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et paulò post: *Tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini.* Dolores & cruciatus passionis ejus cum summa patientia & mansuetudine tolerati, Isaïæ 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum, &c.* Crucifixio ejus inter latrones, ibidem versu 12. *Cum sceleratis reputatus est.* Irrisiones & blasphemiæ Judæorum, & vestimentorum divisio, & oratio pro inimicis in cruce, Psal. 21. ferè totô. Fellis & aceti potatio. Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me acetô.* Resurrectio Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Denique ascensus in cœlum Psal. 67. prædicitur: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.* Unde egregiè Tertullianus, cùm dixisset in Apologetico cap. 20. *Idoneum, opinor, testimonium Divinitatis, veritas divinationis:* concludit: *Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eadem voces sonant eadem litteræ notant, idem Spiritus pulsat, unum tempus est divinationi futura præfari, &c.* Eôdem argumentô utitur sanctus Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli cap. 4. ubi ait: *Sunt enim homines infideles qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quod fecit* (ut Judæi illi qui dicebant: In Beelzebut, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia, Lucæ 11.) *Possunt ergo infideles delatam è cœlo vocem, per illicitas curiositates ad magicas artes referre: sed Prophetæ antea fuerunt. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur mortuus, nunquid erat magus antequam natus?*

Miraculis confirmavit.

Secundo. Deus eadem mysteria confirmavit per innumera miracula; hæc enim sunt quasi subscriptiones ipsius Dei, *qui facit mirabilia solus*, Psal. 135. unde Apostolus ad Hebr. 1. loquendo de Christiana fide, ait: *In nos confirmata est contestante Deô signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs sancti distributionibus:* cùm autem miracula ista Deum habeant anthorem, fieri non potest, ut edita sint in confirmationem alicujus falsitatis; unde concludendum est cum Richardo Victorino lib. 1. de Trinitate, cap. 2. *Sanè quæ revelata sunt nobis cœlitus, tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur esse dementia, in his vel aliquantulum dubitare. Vtinam attenderent Iudæi, utinam animadverterent Pagani cum quanta conscientia securitate, pro hac parte, ad divinum judicium poterimus accedere! Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, si error est, à te decepti sumus. Ista enim in nobis sunt tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.*

Non inficior infideles & hæreticos vellicare miracula edita in confirmationem Christianæ & Catholicæ fidei. Verùm aut ista miracula verè fuerunt edita, vel non; si fuerint edita, non est cur in dubium revocentur: si autem nulla fuerint patrata miracula in confirmationem fidei Christianæ, magnum sanè miraculum est quod absque miraculo mundus universus religionem & cultum idolorum tot sæculis probatum, à tot sapientibus ac potentissimis viris in pretio & veneratione habitum; nihilominus absque ullis signis & prodigiis fuisse neglectum, ut Christiana religio usurparetur. Quô utique ratiociniô utitur S. Augustinus oratione contra infideles, ubi ait: « Cùm constet Romanorum imperium, universumque orbem tot potentibus viris, Philosophis, Oratoribus refertum, Christi doctrinæ ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum: quæro an virtute signorum & prodigiorum, ab antiquis ritibus, diúque observatâ religione, in hanc novam & inauditam sit hæc facta mutatio? Si fateberis mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit, à Deo authore miraculorum, & qui facit mirabilia magna solus, religionem hanc processisse: sin autem negas ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuiss[illegible]vocatum, negando miracula, ingens miraculum ingeris: quid enim potest dici mirabilius, quàm Romanum Imperium totamque Gentilitatem, religionem quam tam acriter impugnabant, subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, & in ea retinenda tam constantes fuisse. Hæc sanctus Augustinus. »

Tertiò denique, etiam infidelium Christianis ad-

versantium testimoniô roboravit, ut præclarè docet Doctor ibidem num. 13. nam ut pulchrè loquitur Eucherius homil. 2. de Paschate: *Validis absque dubio nititur privilegiis, qui causam de adversariis asserit instrumentis.* Plurimi autem infideles præclarè dixerunt & scripserunt de Christo ac Christianis; præ cæteris autem Josephi testimonium laudat Doctor: Ille enim lib. 18. de antiquit. c. 4. hæc de Christo Domino refert: Fuit autem his temporibus Jesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: Erat enim mirabilium operum effector & Doctor omnium eorum qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusationem primorum nostræ gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum decrevisset, non deseruerunt hi qui ab initio eum dilexerant: Apparuit enim eis tertiâ die iterum vivus: Secundùm quod divinitùs inspirati Prophetæ vel alia innumera miracula futura prædixerant; sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat & genus. Philo etiam disertissimus Judæorum librum scripsit de sanctitate & puritate vitæ primorum Christianorum, Alexandriæ degentium, ut testatur sanctus Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi agens de S. Marco & Ecclesia Alexandrina, ait: *Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaïsantem, quasi in laudem Gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit.*

Etiam testimoniis adversariorum.

Denique, Deus sufficientissimè testatus est religionem Christianam esse divinitùs inspiratam per mirandam illam ac omnino stupendam innumerabilium Martyrum fortitudinem & constantiam, qui inde etiam nomen acceperunt (inquit Suarez) quòd suô sanguine magnum fidei testimonium præbuerint; licèt enim infideles tam Pagani quàm hæretici pro suis erroribus tuendis mortui fuerint ut ex Apollinari refert Nicephorus l. 4. Hist. cap. 23. *Plures hæreses de suis Martyribus gloriantur, non tamen propterea in earum sententias imus*; plures tamen sunt circunstantiæ Christianorum ac Catholicorum Martyrum, quæ mirum in modum Christianæ religionis veritatem ac sanctitatem declarant ac confirmant: *Primò* namque, ad id maximè confert innumerabilis Martyrum multitudo; enimverò pro aliis sectis tuendis, rari sunt qui mortem subierunt: at pro tuenda propagandaque Christiana fide, tot generosam mortem per atrociora quæque tormenta sustinuerunt, ut meritò scripserit S. Hieron. ad Heliodorum, se invenisse numerum Martyrum in Pontificum Annalibus ita copiosum, ut si omnium memoriam celebrare vellemus, singulô quôque die plusquàm trium millium fieret solemnitas: quapropter jure meritò S. Gregorius hom. 27. in Evangelia fideles Christianos alloquens, ait: *Totum mundum, Fratres, aspicite, Martyribus plenus est, jam pene tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes [illegible]bemus: Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt; quia quanti sunt, à nobis comprehendi non possunt. Secundò*, specialem Dei protectionem & manutenentiam in Christianis ac Catholicis Martyribus commendat ipsum eorum patiendi pro Christo æstuans desiderium, quô non solùm tormenta non refugiebant, sed & ultro sese tyrannis ac lictoribus trucidandos & mactandos offerebant: unde Tertullianus initiô libri ad Scapulam: *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur: cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras autorati, in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, consequi optantes, & ea quæ diversa vita comminantur, pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, ut etiam ultrò erumpentes: magisque damnari quàm absolvi gaudemus. Tertiò*, idipsum testatur miranda illa non solùm animi constantia, sed & alacritas in subeundis dirioribus & atrocioribus quibusque tormentis ac suppliciis. Quod enim de Apostolis & Discipulis narrat S. Lucas Actor. 5. *Illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, etiam contigit in aliis Martyribus qui cœlesti consolatione ac voluptate etiam mediis in tormentis inebriati, plerumque divinas laudes personabant, ac lictoribus eos cruciantibus insultabant, & Christi Domini nomen ac Divinitatem constantissimè profitebantur, ut generosissimè testati sunt SS. Marcus & Marcillianus fratres Romani, ad quos ad stipitem alligatos cùm exclamasset Judex: *Resipiscite miseri, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite*: responderunt: *Nunquam tam jucunde epulati sumus, quàm hæc libenter Iesu Christi causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tandiu nos hæc pati sinat, quandiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.*

Ac tandem eam roboravit per constantiã Martyrum.

XVIII. Sextum motivum petitur ex perpetuitate Ecclesiæ.

Sextum denique motivum & argumentum credibilitatis ac firmitatis nostræ fidei deducit Doctor ex stabilitate ac perpetuitate Ecclesiæ: enimverò illa religio censenda est divinitùs instituta, quæ ab initio suæ constitutionis mansit stabilis in ejusdem fidei, ac doctrinæ professione per annos plurimos, etiam nonobstantibus variis persecutionibus adversariorum, idque nullô potentiæ sæcularis ac terrenæ subsidiô: at talis est Christiana & Catholica religio: igitur, &c. Major constat: Deus enim non solet concurrere ad conservationem ullius sectæ tam diuturnô tempore, quàm duravit Christiana religio, nisi illius quæ veritatem profitetur, maximè ubi illa religio impugnatur à variis hostibus, & fit licentia disputandi, de mysteriis ac fidei articulis, ut veritas evidentiùs appareat; sicut fit in Christiana religione. Minor etiam patet: Nam Ecclesia ab initio suæ institutionis ad nos usque per universum orbem propagata est; unde concludit Doctor num. 9. cum sancto Augustino lib. de utilitate credendi cap. 17. *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitamus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circum etiam latrantibus: & partim plebis ipsius judiciô, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit?* Et parùm post: *Quid est aliud quod tam ingratum potest esse opinioni atque auxilio divino, quàm tanto labore prædictæ authoritati velle resistere?* Unde Gamaliel Act. 5. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè & Deo repugnare videamini.* Plura ad hoc argumentum subjicere licèt ex præclarissimis characteribus ac notis, quibus illustratur Ecclesia Catholica, & à conventiculis hæreticorum secernitur. Verùm convenientiori locô de iis fiet sermo, cùm (Deô dante) Tractatum de Ecclesia auspicabimur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De habitu Fidei.

Articuli scopus & distributio.

NON levis est inter Catholicos, & Hæreticos Lutheranos ac Calvinistas controversia de habitu Fidei, Spei & Charitatis: hi namque cùm perfractè denegent in justificatione quidquam reale nobis divinitùs infundi, affirmentque nos justificari solâ peccati non imputatione, ac extrinseco Dei favore, atque acceptatione, ut ex eorum scriptis demonstravimus in superiore tractatu agendo de gratia sanctificante: Hinc omnem etiam denegant ac respuunt habitum seu qualitatem ac virtutem divinitùs infusam; quæ nos ad actus supernaturales eliciendos non solùm adjuvet, sed & ad id facultatem & virtutem conferat. Quod utique hæreticum dogma ut expugnemus, & Catholicam veritatem ac sententiam de habitibus supernaturalibus inconcussô ac firmissimô fundamentô stabiliamus, quatuor maximè hoc in articulo sunt discutienda. *Primum*, utrum detur fidei habitus: *Secundum*, quid & qualis sit: *Tertium*: in quibus subjectis reperiatur ac perseveret: *Quartum* quas habeat causas.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum detur habitus fidei infusa jugiter in nobis perseverans?

I. Fides, Spes, & Charitas tam adultis quàm parvulis in baptismate infunduntur.

NOtandum primò, certum esse & indubitatum apud omnes Catholicos admittendas esse virtutes infusas, quæ divinitùs hominibus tam adultis, quàm parvulis in baptismate tribuuntur. Quantùm enim ad adultos id disertissimè tradit Innocentius III. *cap. Majores*, ait enim: *Illud verò, quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, à plerisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi, parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & infundi virtutes habentes illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.* Ubi apertè supponit ab omnibus ut certum & indubitatum haberi, adultis, utpote consentientibus suo baptismo, ac divinæ vocationi, dictos habitus, dum baptizantur, infundi, solúmque esse dubium, an idem accidat in infantibus. *Similiter* Concilium Viennense relatum in Clementina *de summa Trinitate*, cùm docuisset baptismum tam parvulis, quàm adultis prodesse ad salutem; disputari tamen inter Theologos an etiam parvulis in baptismo præter culpæ remissionem infunderentur virtutes ac gratia informans, subjungit: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri baptismô gratiam informantem & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacrò approbante Conciliò duximus eligendam.* Ubi apertè tanquam indubitatum supponit dictas virtutes infundi; cùm autem efficacia mortis Christi generatim tam parvulis, quàm adultis in baptismo applicatur, ex eo quòd illæ virtutes infundantur adultis, infert has etiam infundi parvulis (hoc enim significant illa verba: *Nos attendentes, &c.* quibus redditur ratio secutæ decisionis) illudque ut magis consonum Patribus & Theologis eligendum esse. Est autem difficultas, utrum virtutes illæ reverà sint habitus, iique supernaturales jugiter in nobis perseverantes: quod ut appareat evidentiùs.

II. Quodnam discrimen sit inter habitus naturales & supernaturales.

Notandum secundò, hoc reperiri discrimen inter habitus supernaturales & divinitùs per se infusos, & naturales ac propriô labore & geminatis ac repetitis actibus comparatos: *Primò*, quòd hi duntaxat facultati cui insunt, facilitatem conferant, ut promptiùs & expeditiùs suas in operationes erumpat, & actus eliciat: illi verò non tam facilitatem illam, quàm virtutem potentiæ cui insunt, tribuant ad suos actus eliciendos; ita quòd facultas sine habitibus comparatis posset quidem absolutè operari, licèt cum aliqua difficultate: at sine habitibus supernaturalibus non posset ullatenus actus, ad quos illi habitus inclinant, elicere. *Secundò*, in eo differunt illi habitus, quòd acquisiti non promoveant potentiam ultra sortem & statum naturalem, sed eam ad actus sibi connaturaliter debitos eliciendos stimulent & adjuvent: supernaturales verò facultatem & animam promoveant ad statum naturaliter indebitum, eique vim conferant ad eliciendos actus supra naturæ vires; ita quòd facultas sine hujusmodi habitibus non posset ullatenus tales actus exercere; quanquam ad id omnem suam vim & activitatem expenderet. Conveniunt nihilominus in eo quòd utrique illi habitus facultati inexistant per modum comprincipii, & cum ea partialiter concurrant ad productionem actûs, ad quem illi ordinantur.

III. Supernaturalitas est duplex; nempe vel quoad substantiam, vel quoad modum.

Notandum tertio, aliquid dici posse supernaturale alterutrô ex his duobus modis, nempe vel quoad substantiam, vel quoad modum. Illud dicitur *supernaturale quoad substantiam*, quod in sua entitate tale est, ut a nulla causa secunda ordinis naturalis, quantumvis debitè ad agendum applicata & parata produci posset, nisi inderetur aliquod principium ipsi causæ secundæ jam naturaliter completæ, & sufficienter quidem dispositæ ad eliciendos actus naturales, non autem ad producendos illos actus aut effectus, qui supernaturales appellantur. Dixi *jam naturaliter completa & disposita ad agendum*: certum est enim causam secundam quantumvis ex se paratam & expeditam ad agendum, non posse elicere suos actus, nec effectus edere sine speciali Dei concursu, qui necessarius est ad quemlibet effectum producendum; atque ideo illa facultas non habet virtutem adæquatam physicam ex se sine tali concursu ad illum effectum: sed hic concursus requiritur ob essentialem subordinationem causæ secundæ ad primam, nec-non propter essentialem dependentiam cujuscumque effectûs ad eamdem causam primam, nec illa exigentia fit propter perfectionem, & dignitatem specialem alicujus effectûs potius quàm alterius: tam enim concursus ille requiritur ad eliciendos actus & producendos effectus imperfectos & perfectos; unde hic concursus non supponit potentiam sufficienter completam, sed eam complet ac perficit per modum comprincipii in elicitione actuum sibi connaturalium. Quando verò actus est talis entitatis & dignitatis, ut à potentia sic completa & ad agendum expedita non possit produci, nisi facultas

illa juvenir, & ad illam productionem efficiatur potens mediante aliquâ formâ à solo Deo producendâ & infundendâ, tunc actus ille censetur supernaturalis quantùm ad substantiam; quia illius productio omnino excedit captum & activitatem facultatis aliunde sufficienter dispositæ ad eliciendos actus qui purè essent naturales.

Supernaturale verò secundùm modum illud dicitur, quod licèt naturæ viribus posset fieri & produci a causis secundis absque ulla forma divinitùs indita; tamen hic & nunc à Deo præter naturæ exigentiam fit, ut visus cæco restitutus, rosa hieme producta, aqua in vinum conversa per miraculum; ut factum est in Cana Galilææ.

His præmissis duo maximè supersunt determinanda: *Primum* quidem, utrum virtutes Fidei, Spei & Charitatis sint habitus seu qualitates in nobis jugiter permanentes: *Secundum*, utrum sint supernaturales quoad substantiam vel quoad modum.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Virtutes Theologicæ sunt habitus jugiter in nobis perseverantes.

REVERA *virtutes Fidei, Spei & Charitatis sunt qualitates in nobis jugiter permanentes per modum habitûs.* Hæc est communis inter Theologos. Et probatur authoritate Concilii Viennensis & Clementis V. in primo notabili laudatis: Constat enim ex ejusdem Concilii sententia virtutes supernaturales, sicut & gratiam justificantem divinitùs infundi parvulis in baptismate: sed non infunduntur per modum actûs, cujus illi parvuli sunt omnino incapaces: igitur infundi debent per modum habitûs.

Probatur 1. ex Concil. Viennensi.

Nec refert quòd Clemens V. approbante Concilio Viennensi non definiat esse omnino certum virtutes in baptismo infundi; etiam parvulis: sufficit enim quod asserat id esse probabilius, & dictis Sanctorum Patrum & Doctorum Theologiæ magis consonum & consequenter contra illam definitionem, quam approbante Conciliô Viennensi fecit Clemens V. peccaret quisquis contrarium doceret esse probabilius. *Adde quòd* Clemens V. in æquali gradu certitudinis asserat tam parvulis quàm adultis conferri in baptismate *gratiam informantem & virtutes.* Quibus insinuat utrumque ex æquo esse certum, nec unum sine altero negari posse: at omnino certum est parvulis in baptismate infundi gratiam informantem seu justificantem: igitur ex mente tum Concilii Viennensis, tum Clementis V. pariter debet esse certum virtutes Fidei, Spei & Charitatis per modum habitûs ipsis parvulis infundi, quippecùm actûs omnino sint incapaces.

Confirmatur hanc mentem esse Concilii Viennensis: Quia multò ante illud Concilium habebatur in Ecclesia erronea sententia negans in adultis infusionem virtutum; nam inter errores Petri Joannis, qui vixit sub Innocentio III. propter quos damnatus & exhumatus fuit, ponitur iste, quòd scilicet *docebat in baptismo gratiam & virtutes, quas Theologicas vocant, minimè infundi.* Sic refert Prateolus *lib. 14. Elenchi hæresum in Petro-Ioannis.* Alphonsus de Castro adversus hæreses, verbô *baptismus* hæresi 4. & Abrahamus Bzovius *tom. 13. Annalium Eccles. annô* 1199. *num.* 39. ergo non est credibile eandem scientiam, quæ tantô ante tempore, ut erronea damnabatur, fuisse postea relictam ut probabilem in Concilio Viennensi.

2. Ex Tridentino.

Probatur secundò, & præcedens ratio confirmatur, authoritate Concilii Tridentini sess. 6. cap. 7. ubi post numeratas dispositiones quæ justificationem præcedunt, & in ipsis actum fidei & spei recensitum, subdit: *Hanc dispositionem & præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam, & renovatio interioris hominis per susceptionem gratiæ & donorum.* Ubi susceptio gratiæ & donorum in justificatione inclusa condistinguitur à præparatione, quam consequitur, & in qua supponebatur jam fides actualis: ergo nomine donorum quæ postea infunduntur, intelligi debet aliquid permanens, & ab actibus condistinctum.

Confirmatur, ex eo quòd ibidem Concilium, postquam dixit causam formalem justificationis esse justitiam inhærentem divinitùs infusam, juxta cujusque dispositionem, statim infert: *Vnde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia accipit homo simul infusa per Iesum Christum, cui inseritur: Fidem, Spem & Charitatem.* Quibus verbis Concilium declarat quæ sint illa dona, quorum susceptionem superiùs dixerat includi in justificatione. *Confirmatur* etiam bis verbis sequentibus, ubi Concilium docet hanc fidem, de qua loquitur, eam esse quam, inquit, *ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem:* Hæc autem fides ab Ecclesia non petitur neque datur, nisi per baptismum, ad quem ipsi Catechumeni accedunt: per baptismum autem noo datur fides actualis; quippe cùm parvuli sint illius incapaces, nec etiam actum fidei postulant Catechumeni, quia cum fide actuali seu actu fidei accedunt ad baptismum: igitur mens Concilii est, illas virtutes de quibus loquitur, esse qualitates per modum habitûs jugiter in nobis perseverantes. *Confirmatur* denique ex Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 24. ubi docet de fide esse post Tridentinum infundi virtutem fidei ab actu credendi distinctam; postquam enim retulisset verba Concilii Viennensis laudati in primo notabili, sic ipse celebris doctrinæ Concilii Tridentini interpres, utpote cùm illius fuerit testis oculatus & auritus, ait: *Visum est huic sanctæ Synodo* (scilicet Tridentinæ) *acceptare sententiam istam, & asserenti oppositum anathema indicere: intellexit enim hanc esse communem Ecclesiæ fidem, tametsi non sub nomine habituum.* Idem Sotus lib. de natura & gratia cap. 18. qui & ipse Tridentino Concilio interfuit.

Ex quibus legitimè infertur, post Concilium Trident. certum videri quòd virtutes Fidei, Spei & Charitatis nobis infundantur per modum habitûs: *Tum quia,* Concilium expresè definit nobis infundi Fidem, Spem & Charitatem: at secundùm communem loquendi usum hæc necessariò significant aliquem actum vel habitum: ergo Concilium definit nobis infundi actum vel habitum: sed non potest dici quòd infundatur nobis actus; quia actus non solùm à Deo nobis dantur, sed etiam à nobis eliciuntur: igitur Concilium definit nobis infundi habitum: *Tum quia,* ibidem Concilium *cap. 15.* & *Can. 28.* definit fidem, amissâ per peccatum mortale gratiâ justificante, non amitti, nisi per infidelitatem, & esse veram fidem: at hæc non possunt convenire actui: hîc enim nec per peccatum amittitur, nec idem ante & post peccatum remanet, ac subinde Concilium loquitur de fide habituali & jugiter perseverante.

Dices primò: Concilium non expressè definit in nobis infundi habitus Fidei, Spei & Charitatis: sed solùm ex aliquibus ejus dictis infertur: at propositio quæ non expressè definitur in Conciliis, sed tantùm ex aliquibus eorum dictis infertur, non est omnino certa: sed est tantùm propositio Theologica: Igitur, &c.

Distinguo minorem: Si inferatur tantùm ratione alicujus connexionis quam haberet illa propositio, cum re in Concilio definita, non esset omnino certa transeat: si inferatur ex vi significationis verborum, & identitate significati; sive quia res utrisque verbis significata est eadem, nego: at, ut diximus, Concilii verba si propriè sumantur, non significant actum, sed habitum fidei: Igitur, &c.

Dices secundò: Concilium Tridentinum solùm intendit damnare hæreticos asserentes justificationem nostram non fieri per aliquam formam nobis intrinsecè inhærentem, sed tantùm extrinsecam Dei acceptationem: igitur solùm definit nos esse formaliter justos per aliquam formam intrinsecam sive interim hæc sit actus, sive habitus.

Nego consequentiam: Tum quia hæretici Lutherani, in quos præsertim militat illa Tridentini Concilii definitio, non solùm hæc docebant, sed etiam perversè negabant nos esse justos per aliquos habitus intrinsecos; & damnabant sententiam quæ docet nobis infundi habitus Fidei, Spei & Charitatis; & consequenter sicut Concilium intendit eos damnare, ita intendit etiam hanc sententiam definire. *Tum quia*, sæpè Concilia in suis definitionibus non solùm damnant sententias hæreticorum, sed simul etiam explicant quid circa propositam materiam sentiendum sit, ut etiam ex verbis ipsius Concilu patet.

Dices tertiò: Deus nil frustrà molitur, nec quidquam inutile concedit: sed virtutes supernaturales per modum habitûs essent inutiles & frustraneæ in plurimis suis subjectis, maximè verò in parvulis; quod utiqoe probatur: quia habitus dantur propter actus eliciendos: sed parvuli sunt incapaces eliciendorumactuum: ergo & recipiendorum habituum.

Respondeo primò, quòd si argumentum aliquid concluderet, etiam esset consequens parvulos per baptismum non suscipere Fidem, Spem & Charitatem, quia sunt incapaces actûs earum virtutum; hoc autem directè militat in definitionem Concilii Tridentini: Igitur, &c.

Respondeo secundò cum Seraph. Doctore in 4. d. 4. q. 2. quòd incapacitas infantium ad eliciendos actus, non efficiat eos incapaces ad recipiendos habitus: Notandum est enim, *inquit*, quòd potentiæ animæ dupliciter impediuntur ab habitu malo, & à concupiscentia, sive à culpa: & è contrà hoc impedimentũ est gratia, sive virtutes per quas expediuntur ad operandum. Virtutes ergo reddunt potentias faciles, ipsas perficiendo, & hoc removendo culpam: aliam autem expeditionem non faciunt. Unde cùm parvulus sit habens utrumque impedimentum, alterum removetur per virtutes, non utrumque: & ideo non est omnino facilis ad operandum; hujusmodi autem habitus expeditivus habet multiplicem ortum. Nam quidam est innatus, quidam acquisitus, quidam infusus. Primus incipit cum natura, & ab ejus principiis ortum habet: & ideo est in natura imperfecta, imperfectus, & cum natura crescente crescit, & cum natura perfecta perficitur, ut patet in naturali judicatorio. Secundus verò, scilicet acquisitus, ortum habet à libero arbitrio, qui non habet usum donec natura aliquô modô perficiatur: & ideo sequitur naturam perfectam. Tertius verò ortum habet à Deo, non à natura, nec à libero arbitrio, & potest esse in parvulo ante usum liberi arbitrii: quia verò non habet ortum à natura, potest esse perfectus, naturâ existente imperfectâ.

Conclusio Secunda.

V. Tres illæ virtutes sunt infusæ.

TRes *virtutes Theologicæ, nempe Fides, Spes & Charitas sunt per se infusæ, & supernaturales in entitate.* Probatur *primò* ex Scriptura sacra: Nam Joan. 6. *Hoc opus Dei est ut credatis in ipsum.* Ad Philipp. 1. *Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, &c.* Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* Deinde, inquit Doctor in 3. d. 23. num. 3. Apostolus ad Hebræos 11. ait, *Sine fide impossibile est placere Deo:* sed certum est, quòd multi placent & multi placuerunt Deo: igitur necesse est ponere fidem respectu credibilium nobis revelatorum, & quòd loquatur de fide infusa, patet per eundem 1. ad Corinth. 12. ubi dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro,* & post caput 13. subdit de istis virtutibus Theologicis, quæ sunt viæ excellentiores omnibus habitibus acquisitis: ibi enim loquitur de fide infusa, sicut de charitate infusa. *Denique*, ejus est concedere fidem, cujus est augere; sed solius Dei est augere fidem; & ideo, inquit Doctor *nu.* 15. Apostoli petebant, Lucæ 17. *Domine adauge nobis fidem.* Et Ecclesia in Collecta pro Fidelibus idem fidei augmentum exorat his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum:* istud verò non opus esset petere, si totus assensus esset à voluntate.

Probatur 1. ex Scriptura sacra.

2. Ex Conciliis, maximè Moguntino.

Probatur eadem veritas ex definitione Concilii Milevitani Can. 4. Arausicani secundi Can. 25. & Tridentini sess. 6. Can. 3. & cap. 7. ut dictum est Conclusione præcedenti. Quam utique veritatem luculenter definivit Concilium Moguntinum celebratum duobus annis post dictam sessionem sextam Concili Tridentini; unde cap. 7. habet quandam periphrasim illius capitis septimi sessionis sextæ Tridentinæ, in hæc verba: *Justificatio cum peccatorum remissione, etiam sanctificationem & interiorem renovationem confert. quatenus per meritum Christi, quod jam credenti communicat, cum venia peccatorum, Dei gratiam, & per Spiritum sanctum unà cum fide simul, spem, & charitatem in corde diffusam accepit: hisque donis in ipso permanentibus, non solùm reputatur, sed verè existit justus.* Ex quibus verbis constat Patres illius Concilii asseruisse Fidem, Spem & Charitatem, quas Concilium Tridentinum definierat divinitùs infundi in justificatione, non esse actus, sed dona habitualia in ipso justificato permanentia, idqne ad Catholicam doctrinam permanere. Idipsum præclarè docet S. Ambrosius lib. de vocatione Gentium cap. ult. & S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 2. 3. & 4. & alibi sæpe; unde eximiè concludit Doctor num. 14. *Quòd oportet ponere fidem infusam propter authoritatem Scripturæ & Sanctorum.*

V. Id tamen ratione evinci non potest.

Nonnullæ etiam proferuntur rationes à Theologis hanc veritatem suadentes, verùm cùm illa pendeat ex sola divina revelatione; *Inde fit*, inquit Doctor mox laudatus num. 14. *quòd non po-*

test demonstrari fidem infusam inesse alicui, nisi præsuppositâ fide, quòd velis credere Scriptura, & Sanctis: sed infideli nunquam ostenderetur; sed sicut credo Deum esse trinum & unum, ita credo me habere fidem infusam, quâ hoc credo, & hoc à Deo, ut perficiat animam in actu primo: quia Dei est perfectè perficere, quando perficit. Vnde sicut quando sanat aliquem secundum corpus, perfectè sanat pro statu in quo est: ita etiam secundum animam: & quia in anima est imago Dei secundum tres potentias, quæ deformatæ erant per peccatum, ideo Christus reformando, sicut perfecit voluntatem per charitatem, sic intellectum per fidem.

Sed tantùm suaderi.

Nihilominus affirmare possumus idcirco Deum voluisse indere habitus supernaturales, ut scilicet actus illarum virtutum connaturaliùs elicerentur; cùm enim generieè loquendo effectus comparetur ad suam causam, ut ramus ad suam radicem; connaturalius est, ut quantùm fieri possit, effectus oriatur à causa sibi proportionata, & quæ in sua virtute contineat effectum vel totaliter, vel saltem partialiter. Unde cùm actus fidei, spei & charitatis sint ordinis supernaturalis, ut dicemus articulô sequenti, coogruum fuit, ut elicerentur à facultate ad eum ordinem sublimata, & proportionata in actu primo ad ejusmodi operationes: hæc autem sublimatio & proportio fit maximè per habitum supernaturalem jugiter in facultate perseverantem, & se habentem ut comprincipium cum facultate elicitiva ejusmodi actûs supernaturalis.

Nimirum ut actus supernaturales connaturaliter eliciantur.

Quando enim causa aliqua secundùm se noo habet proportiooem cum effectu, oportet ut accipiat saltem in se aliquid, per quod in actu primo proportionetur cum effectu producendo, & eum in se contineat; ideo intellectus ut producat actum supernaturalem, ad quem de se non habet proportionem intrinsecam, proportionatur intrinsecè per habitum infusum intrinsecum, per quem jam est causa proportionata ad talem effectum, & illum in se continet.

Dices: Ad eliciendum actum in entitate supernaturalem, satis est quòd potentia elevetur per virtutem aliquam transeuntem & intrinsecam, & auxilium duntaxat actuale: igitur ad id non videtur necessariò requiri habitus infusus.

Respondeo, id equidem fieri posse, sed non ita connaturaliter; quippe cùm habitus seu qualitas jugiter in anima perseverans se habeat per modum comprincipii, hinc est quòd convenientiori ordine animam constituat in eo gradu & statu supernaturali, ut sic reverà sit proportionata & commensurata dignitati actûs supernaturalis eliciendi: licèt enim hæc proportio & commensuratio etiam fieri posset per auxilium actuale & transiens, nihilominus cùm auxilium istud non esset perseverans in anima; ita nec videretur sic esse in ejus potestate, ut eô posset uti pro libito ad eliciendum actum: quemadmodum uti potest habitu sibi infusô, & in ea diu perseverante.

His adde, quòd per tres illas virtutes supernaturales homo censeatur constitui in ordine supernaturali, unde sicut ad animam rationalem, quæ constituit hominem in ratione naturæ rationalis, consequuntur potentiæ seu facultates intrinsecæ, quibus homo ut rationalis operetur; sic ad statum gratiæ justificantis, per quam homo constituitur quasi in superiori natura & statu supernaturali, debentur etiam potentiæ congruentes naturæ in eo statu positæ, quibus operetur conformiter ad finem ad quem in eo statu ordinatur: illæ autem facultates seu potentiæ non possunt esse aliæ quàm virtutes illæ habituales supernaturales: igitur convenientiùs & connaturaliùs homo elicit actus supernaturales, per concursum ejusmodi habituum, quàm per concursum alicujus auxilii naturalis & transeuntis.

VII. Qualiter infusi habitus subsint voluntati.

Petes primò, an habitus illi infusi ita subsint voluntati in operando, ut pro libito eis possit uti vel non uti?

Respondeo habitum sive acquisitum sive infusum non esse primò & per se ac immediatè ita in potestate voluntatis, sicut est actus eliciendus, quem voluntas per se, vel per potentias sibi subditas producere potest aut elicitivè aut imperativè: sed tantùm indirectè & quatenus est in potestate ipsius voluntatis, uti ipsô habitu agendo vel non agendo. Nam cùm habitus sit causa omnino necessaria & naturaliter determinata ex se ad agendum; hinc est quòd ex se facultatem cui inest, inclinet ad operandum eô ipsô quô posita sunt omnia ad operationem requisita, nec potest voluntas cohibere activitatem naturalem illius habitûs, nisi auferendo ei aliqua, quæ ad operationem erant necessaria, v. g. aut desinendo proponere ipsi objectum circa quod tendendum est, & aliò cogitationem avertendo, aut seipsam determinando ad non agendum. Quemadmodum enim cùm potentia visiva sit agens ex se omnino necessarium, voluntas non potest directè ejus actionem impedire, sed tantùm indirectè, nempe vel claudendo oculos, vel eos in aliud objectum convertendo: ita cùm habitus sive acquisiti sive infusi noo necessitent potentiam ad agendum, sed eam suæ naturali libertati relinquant, si illa sit libera; inde coosequens est quòd habitus indirectè sit subditus voluntati in operando; atque ita est in potestate voluntatis, ut habitus operetur vel non operetur, & producat actum, aut non producat.

VIII. Conferunt virtutem potentiæ non verò facilitatem.

Petes secundò, utrum habitus supernaturales noo solùm virtutem, sed etiam activitatem facultati conferant?

Respondeo probabilius videri habitus supernaturales solam agendi facultatem & activitatem, non autem facilitatem tribuere. Quod utique probatur *primò* experientiâ: nam puer baptisatus, licèt habeat habitum fidei, non tamen ideo experitur majorem facilitatem ad credendum quando fit adultus, quàm si non esset baptisatus: imò adultus hæreticus, qui ad Catholicam fidem se recipit, licèt in sua justificatione accipiat habitum fidei, non minus posteà experitur inclinationem & propensionem ad hæresim; ac subinde habitus fidei infusus non tollit facilitatem contrariam, quæ inducta fuerat per habitum hæresis: ergo non confert facilitatem, sed solùm activitatem & virtutem ad actum fidei eliciendum.

Deinde, Si habitus infusi conferrent facilitatem, sequeretur quòd qui haberent habitus ejusmodi magis intensos, etiam deberent cæteris paribus in operando experiri majorem facilitatem, quàm ii qui habent eos minùs intensos: at hoc repugnat apertè experientiæ: Tum quia qui diu tepidè sine mortali peccato vivunt, & sæpe sacramenta frequentant, per eorum susceptionem ac bonis operibus, licèt remissè elicitis, gratiam sanctificantem, & habitus infusos in se augent, nec tamen post diuturnam exercitationem majorem facilitatem sentiunt in exercitio virtutum, quàm initiô: igitur signum est habitus illos facilitatem non tribuere.

Denique, Si ejusmodi habitus conferrent facilitatem in eliciendis virtuosis actibus, id facerent vel per se immediatè potentiam inclinando ad eliciendos ejusmodi actus; quemadmodum habitus acquisiti facilitatem conferunt inclinando potentiam, ut promptiùs & expeditiùs suos actus exerat: vel indirectè & mediatè, nempe efficiendo ut efficaciùs objecti bonitas, quatenus conveniens apprehenderetur & expeteretur; quemadmodum efficax oratio sæpe audientium animos ad aliquod opus præstandum stimulat & inclinat: at neutrum dici potest: Non quidem primum, quia alias possemus in nobis sentire ejusmodi inclinationem, atque ita deprehendere nos habere habitus infusos, maximè quando B aliunde novimus nos non habere habitus comparatos & acquisitos, quod tamen experientiâ constat esse falsum. Non etiam secundum, nam ipsâmet experientiâ notum est habitus voluntatis nusquam in nobis ejusmodi apprehensionem excitare, nisi priùs per se immediatè voluntatem in amorem objecti inclinent; atque ita efficiant ut objectum placeat; ac subinde ut intellectus hoc ut expetendum apprehendat, & tandem etiam affectus magis in ejus amorem & prosecutionem exardescat: igitur non apparet qualiter ejusmodi habitus facilitatem possent conferre.

IX. *Habitus fidei est unicus.*

Petes denique, utrum habitus fidei sit unicus & simplex, vel compositus ex aggregatione plurium habituum correspondentium pluribus articulis; C quemadmodum diximus quamlibet scientiam totalem non esse unam simplicem qualitatem, sed ordinatam congeriem distinctarum scientiarum particularium inclinantium ad assensus diversarum conclusionum?

Respondeo communem Theologorum sententiam esse, quòd habitus fidei sit unicus: Id enim docet S. Thomas quæst. 4. art. 6. & subtilis Doctor dist. 23. num. 6. ubi ait: Teneri potest, quod sit una fides omnium credibilium, quia non respicit credibilia sub propriis rationibus illorum, sed ut revelata sunt a Deo, & credit omnia revelata ab ipso tanquam vera esse eôdem habitu, quô credit revelantem esse veracem. Si D enim habeo habitum, quô credo te esse veracem, per eundem habitum credo hæc quæ asseris, esse vera, quantumcumque illa sint diversarum rationum: quia illis non assentio, nisi per accidens, per hoc scilicet, quòd assentio veracitati tuæ: & ita assentio illis, ut sunt à te asserta. Ita hîc: nam credibilibus revelatis à Deo assentio, quia assentio veracitati Dei, & sic fides respicit omnia credibilia, ut revelata à Deo, non autem sub propriis rationibus: & ideo una fides posset esse de omnibus credibilibus, quamvis geometricalia, & physicalia, & quantumcumque diversa, & alterius rationis introducerentur hîc tanquam credibilia; in E omnibus enim esset una ratio credendi illa esse vera, quia revelata sunt à Deo.

Probari potest responsio ex illo ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*, ubi Apostolus comparat unitatem fidei cum unitate Dei & baptismatis: certum est autem quòd Deus sit unicus numerô, sicut & baptisma: ergo pari ratione signum est quòd fides eandem habeat unitatem.

Probatur etiam ratione: Ibi est unicus habitus, ubi est unicum formale motivum: at fidei est unicum formale motivum, nimirum veritas divina revelans, quæ eôdem modô informat omnia credibilia, licèt diversimodè fiant illæ revelatio- A nes: igitur etiam fides est unica specie.

Non censeo tamen illam esse unam & simplicem qualitatem omnino indivisibilem, quasi nullô modô componi possit ex partibus intensivis ejusdem speciei: certum est enim quòd fides, sicut & cæteri habitus supernaturales, suscipere potest gradus intensionis, sive per frequentationem sacramentorum; sive per actus meritorios; sive per summam Dei liberalitatem; ideo, ut diximus, pro suis filiis orat Ecclesia: *Da nobis fidei, spei & charitatis augmentum.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid & qualis sit fides habitualis?

TRIA maximè hîc veniunt determinanda: *Primum* quidem, utrum fidei habitus infusus veram ac perfectam habeat rationem virtutis: *Secundum*, utrum habitus ille dicendus sit speculativus vel practicus: *Tertium* denique, an sit discursivus, vel duntaxat assensivus. Quæ ut percipiantur evidentiùs;

I. *Virtus alia est intellectualis: & alia moralis.*

Notandum primò, virtutem generatim distribui in moralem & intellectualem: *Moralis* est quæ ordinatur ad opus, seu actum ex se moraliter bonum: intellectualis verò quæ tendit in verum, quatenus perfectivum intellectûs, ut ipsemet C tradit Arist. 6. Ethic. capitibus 1. 2. & 3.

Intellectualis alia in ordine ad solum intellectũ; & alia in ordine ad voluntatem.

Insuper, virtus intellectualis spectari potest dupliciter; *alia* enim est simpliciter intellectualis, ac per se duntaxat ordinatur ad perfectionem ipsius intellectûs, consistitque tantùm in veri cognitione & apprehensione; *alia* verò est partim intellectualis & partim moralis; intellectualis quidem quatenus tendit in verum cognoscendum, quô perficitur intellectus: moralis verò prout illa veri cognitio & apprehensio ordinatur ad informandam voluntatem, eamque dirigendam in actibus moraliter bonis eliciendis. *Rursus*, hæc virtus intellectualis moralis considerari potest, vel quatenus est vera, vel quatenus est perfecta D virtus; aliud enim est quòd aliquis habitus sit virtus, & aliud quòd sit virtus perfecta: ad primum enim sufficit quòd virtutis essentiam & definitionem habeat; ad secundum verò requiritur quod habeat modum ac perfectionem virtutis, seu quòd ordinet hominem ad finem ultimum simpliciter: *Nam*, inquit Arist. lib. 7. Physic. *virtus est dispositio perfecti ad optimum*: unde alibi docet virtutem esse id quod facit habentem simpliciter bonum, & opus ejus reddit perfectum. Quæritur ergo utrum fides secundùm se, & quatenus à charitate & spe distinguitur, sit vera virtus ac perfecta.

Utraque est vel perfecta, vel imperfecta.

II. *Duplex est fidei habitus, unus in intellectu: alter in voluntate.*

Notandum secundò præter habitum infusum fi- E dei in intellectu residentem, quô inclinatur ad assentiendum veritatibus propositis licèt inevidentibus, alterum communiter admitti in voluntate, quô scilicet voluntas inclinatur ad imperandum intellectui, ut præbeat assensum propositioni revelatæ quamvis obscuræ & inevidenti, quem habitum quidam volunt esse specialem virtutem obedientiæ, ut docet Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 2. Quoniam, *inquit*, nemo potest credere nisi captivet intellectum in obsequium fidei, ut docet Apostolus cap. 6. Actuum, & 2. ad Corinth. cap. 10. nullus autem potest captivare intellectum, nisi eum subjiciendo imperio voluntatis, quod utique præstatur per vir-

tutem obedientialem. Aliqui cum Lessio tract. de prædestinatione Angelorum & hominum, disp. 1. sect. 6. assertione 2. existimant esse *habitum religionis:* Nonnulli verò cum Valentia tract. de fide, qu. 1. punct. 4. dub. 1. contendunt esse *habitum studiositatis*, quippe cùm ejus officium sit applicare intellectum non solùm ad eliciendum suum actum, sed etiam ad eliciendum taliter aut aliter circa hoc vel illud objectum. Sunt etiam qui existimant habitum in voluntate residentem, quô ipsa inclinatur ad movendum intellectum, ut assentiatur propositioni inevidenti, esse *ipsum fidei habitum* in voluntate residentem: non quòd unus & idem habitus physicè insit intellectui simul & voluntati, sed quòd ille habitus sit quidem duplex physicè, moraliter autem unicus, quia ordinantur ad eundem actum, nempe ad præbendum assensum propositioni revelatæ. Ita docere videtur Alensis 3. part. quæst. 78. memb. 3.

Qui non est virtus obedientiæ;

Verùm nulla ex his sententiis mihi probatur. Non quidem *prima*, quia obedientia per se solùm habet pro motivo præceptum superioris; honestas verò credendi non est præceptum superioris, licèt sit materia supra quam possit cadere præceptum: unde priùs debet esse honesta quàm præcipiatur; ac subinde honestas illa spectat ad habitum alterius virtutis quàm obedientiæ.

Nec Religionis.

Non etiam *secunda*, quia objectum motivum virtutis Religionis, est voluntas exhibendi cultum debitum in signum & notam supremæ excellentiæ Dei: at velle credere Deo propter ejus veracitatem, non est præcisè velle ei exhibere talem cultum & reverentiam; siquidem dæmones credunt divinæ veracitati, nec tamen id præstant, ut reverentiam Deo exhibeant: igitur, &c.

Nec studiositatis;

Non etiam *tertia*, quia studiositas ordinatur ad regulandum appetitum sciendi, & ad refrænanda vitia sibi opposita, nempe curiositatem & ignaviam, seu nimietatem & negligentiam: at velle credere ad id non ordinatur, tum quia supponit scientiam & notitiam illius quod credendum est: tum quia aliquis studiosus postquam novit quod credendum est, potest non velle illud credere; ac subinde studiositas, non movet ad eum assensum.

Nec fidei;

Non denique *quarta*, tum quia habitus fidei propriè intellectualis est, ac subinde ad solum intellectum spectat, tum quia velle credere & credere de facto, pertinent ad diversas facultates, ac subinde etiam pertinent ad diversos habitus; si enim pro diversis actibus diversarum potentiarum, idem habitus sufficeret, consequens esset, quòd pro diversis actibus voluntatis & intellectûs sufficeret unus habitus, quod omnino falsum est.

Sed piæ affectionis.

Censeo igitur probabilius habitum à quo inclinatur voluntas ad imperandum intellectui, ut assentiatur propositioni revelatæ, esse specialem quendam habitum, qui vocari potest *habitus piæ affectionis*: ita docent Suarez in 3. part. quæst. 7. & d. 3. de fide, q. 2. & plures alii Recentiores etiam ex nostris, maximè Castillo d. 6. qu. 8. num. 19. habitus enim sicut & potentiæ specificari debent per ordinem ad objecta specialia: at honestas reperta in voluntate credendi, est specialiter distincta ab objectis aliarum virtutum, ut mox dicimus, ac subinde spectat ad specialem virtutem, quæ rectè potest appellari, *pia* motio voluntatis, quippe cùm per eum habitum piè moveatur voluntas ad imperandum intellectui, ut assentiatur propositioni revelatæ: difficultas igitur est utrum habitus fidei in intellectu residens, & quatenus distinguitur ab hoc habitu piæ motionis, sit vera virtus ac perfecta.

III. Discursus alius est objectivus, alius verò formalis.

Notandum tertiò, ex Aristotele *lib. 3. de anima* duplicem esse discursum: alium quidem objectivum & alium formalem: *objectivus* est omne illud objectum, seu objecta illa quæ inter se talem habent connexionem & dependentiam, ut ex natura sua postulent terminare actus intellectûs, qui ad discursum formalem concurrunt. *Formalis* verò discursus est argumentatio quæ est *oratio, in qua propositio minùs nota infertur ex notiori*, sivè interim illa propositio nota sit lumine naturali, sive sit evidens, sive tantùm certa: unde necessariò requiritur quòd in discursu plures interveniant cognitiones, quodque ultima causetur ex prioribus, sive in genere causæ efficientis, ut docet S. Thom. 1. p. qu. 14. art. 7. sive in genere causæ materialis, seu dispositivæ, ac habentis se per modum conditionis antecedentis, ut vult Durandus in 2. d. 54. q. 2. *Insuper* advertendum est assensum fidei cogitari posse niti discursu dupliciter.

Assensus fidei cogitari potest nisi discursu duobus modis.

Primò, quidem ita ut ea præmissis continentibus divinum testimonium deduceretur assensus veritatis testificatæ, v. g. quidquid Deus dicit, est verum: sed dicit se esse trinum in personis & unum in essentia: ergo verum est: *Secundò*, ita ut ex præmissis creditis eliciatur assensus alterius veritatis, v. g. omnis homo est risibilis: sed Christus est homo: ergo est risibilis. Hinc controvertitur inter Theologos utrum fides nitatur discursu, à propositione revelata tam ad revelatam quàm ad non revelatam.

His ita prænotatis tria maximè supersunt determinanda: *Primum*, an fides sit vera & perfecta virtus: *Secundum*, an sit discursiva; *Tertium*, an sit speculativa vel practica.

Conclusio Prima.

IV. Fides per se est vera virtus.

FIDES *intellectualis seorsim à Spe & Charitate, est quidem vera virtus; sed non simpliciter perfecta.* Ita communiter omnes Theologi cum Doctore in 3. d. 36. num. 30. ubi supponit doctrinam communem, Fidem, Spem & Charitatem esse virtutes Theologicas. Probatur etiam ratione: De ratione virtutis est: *Primò* quòd perficiat potentiam in ordine ad aliquem actum bonum & honestum. *Secundò*, quòd actus ille sit quôdam modô arduus & difficilis. *Tertiò*, ut ex se dicat ordinem ad finem ultimum, sitque ex natura sua aptus, ut ad illum referatur: sed tria hæc in habitu & actu fidei reperiuntur, etiam seorsim à charitate: Primò namque hæc inclinat & determinat potentiam intellectivam ad rectam operationem, credere enim revelanti bonum est notabile: similiter perficit potentiam intellectivam, quippe ipsi notitiam ingerit longè præstantiorem, quàm sit quæcunque scientia & cognitio naturalis. Secundò, inclinat ad arduum & difficile; siquidem difficile est assentiri veritatibus inevidentibus, & plerumque contra, aut saltem præter commune judicium rationis. *Denique*, ex natura sua ordinatur ad finem ultimum, nempe Deum: idcirco enim mysteria detegit ac declarat, ut faciliori negotiô voluntas ad divinum amorem accendatur.

IV. Non tamen simpliciter perfecta.

Secundam partem docet Doctor *num.* 31. ubi ait: Si quæritur utrum Fides & Spes sine Charitate essent virtutes: Dici potest, sicut priùs dictum est de virtutibus moralibus, quòd in specie sua possunt esse perfectæ, in quantùm scilicet sunt principia propriorum actuum respectu pro-

priorum

» priorum objectorum: sed perfectiorem illam ul- » timam, quam habent in attingendo finem, ad » quem ordinantur ex charitate, non possunt habe- » re sine ipsa. Et hæc quidem perfectio tam in mo- » ralibus, quàm in istis, licèt dicatur communiter » esse in attingendo finem per aliquam operatio- » nem elicitam, sive per aliquem ordinem istarum, » vel eorum actuum ad finem, potest tamen dici » præcipuè in hoc, quod est acceptari à Deo, or- » dinando ad beatitudinem; sic quippe nulla virtus, » nec ejus actus acceptatur sine charitate, quæ so- » la dividit inter filios regni & perditionis.

Dices: Virtus est quæ ponit potentiam in ultimo gradu perfectionis debitæ suo actui: sed fides cùm sit obscura, non communicat intellectui ultimum gradum perfectionis debitæ suo actui: non enim ipsi communicat claritatem & evidentiam: igitur est solùm virtus impropriè & latè sumpta, quatenus videlicet significat habitum laudabilem inclinantem ad bonum.

Distinguo majorem: Ita constituit vel in genere, vel in specie, concedo: in specie tantùm, nego. Verum quidem est quòd omnis virtus debeat constituere potentiam in optimo sui, si optimum accipiatur in genere & universaliter: quælibet enim virtus voluntatis disponit eam ad honestatem, quod est optimum voluntatis; & quælibet virtus intellectûs disponit eum ad cognitionem veri, quod est optimum intellectûs. Si autem sermo sit de optimo in specie, falsum est: non enim quælibet virtus voluntatis affert illi supremum gradum honestatis; hoc namque soli charitati competit, cùm tamen aliæ etiam virtutes sint in voluntate. Nec etiam omnis virtus intellectûs affert ei supremum gradum evidentiæ; nam scientia Physica non est in eo evidentiæ gradu, in quo est Mathematica. Ad rationem ergo virtutis sufficit, quòd infallibiliter attingat bonum suæ potentiæ, quod ex Aristotele colligitur 6. Ethic. cap. 2. & 3. qui aliam conditionem non postulavit. Id autem maximè competit fidei; licèt enim illa excedatur à scientia secundùm evidentiam, tamen scientiâ præstantior est, tum in supernaturalitate, tum in certitudine & infallibilitate: propter quod potiori jure meretur appellationem virtutis.

Dices secundò: Fides non numeratur inter virtutes intellectûs ab Aristotele: ergo signum est quòd eam pro virtute intellectûs non agnoverit.

Nego consequentiam: Non enim mirum est quòd fidem non computaverit inter virtutes intellectuales; siquidem ipse non agnovit fidem divinam supernaturalem cum infallibilitatis excellentia, quam in ea Theologi agnoscunt. Fidem autem humanam meritò inter virtutes non numeravit, cùm sit exposita errori, in quem quantùm est de se, potest intellectum inducere, quod potissimùm obstat definitioni virtutis, ut constat.

Conclusio Secunda.

V. Fides Christiana non est discursiva.

Fides *Christiana non est discursiva, sed rebus revelatis immediatè assentitur, quatenus revelata sunt*. Hæc est subtilis Doctoris in 3. d. 24. num. 14. eàmque probat authoritate S. Augustini lib. 18. de civit. cap. 41. ubi loquens de iis quæ continentur in Scriptura sacra, dicit quòd illa *commendata sunt nobis divinis eloquiis, quamvis per homines, non argumentorum concertationibus inculcata, ut non hominis ingenium, sed Dei eloquium contemnere formidaret qui illa cognosceret*, nempe

A quæ tradita sunt in Scriptura; unde concludit Doctor, quòd qui eis assentitur, habet habitum, „ non quidem scientiæ: sed habitum, quò immediatè assentit omnibus & singulis, & non uni propter aliud, de his, quæ traduntur in Scriptura, „ quin imò si aliqua ibi tradita probarentur ex aliis, „ non assentiret eis, quia sic probata: sed cuilibet „ dicto in Canone assentit non quia probatur modò dictô, sed solùm propter authoritatem Dei, „ ratione cujus immediatè assentit omnibus traditis in Scriptura, non uni propter aliud per syllogisticum discursum. Idem docet S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. ubi probat fidem non esse *inquisitivam*, nec consequenter discursivam. Hinc sanctus Ambrosius lib. 1. de fide ait: *Auferte hinc argumenta, ubi fides quæritur*, quasi diceret B non esse ratiocinandum. Quapropter Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 7. ait: *Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium: cùm credimus, nihil ultrà desideramus credere.* Ità docet subtilis Doctor, Ex SS. Patribus.

Probatur similiter ratione: Primò namque in omni discursu, assensus qui præbetur præmissæ sive principio, distinguitur realiter ab eo, qui versatur circa conclusionem: sed assensus Fidei circa divinam revelationem non distinguitur realiter ab assensu qui est de re revelata: igitur assensus ipse non est propriè discursivus. Major C constat, discursus enim est oratio in qua unum infertur ex alio; non infertetur autem unum ex alio, si eôdem actu quis assensum præberet principio & conclusioni: hic enim assensus esset simplex, non verò illativus. Minor etiam est evidens; objectum enim formale assensûs fidei est res revelata, non quidem considerata materialiter & secundùm suam entitatem, sed formaliter, seu reduplicativè ut revelata; ac subinde quando aliquis assentitur rei revelatæ, etiam assentitur revelationi. Et ratione. 1. Quia fides eodem actu assentitur revelationi & rei revelatæ.

Confirmatur ex eo quòd habitus fidei distinguatur ab habitu Theologico, ut conveniunt omnes Theologi: sed ab eo non aliunde distinguitur, quàm quia Theologia est formaliter discursiva, D supponens divinam revelationem, seu propositionem revelatam tanquam veram, ut ex ea alteram eliciat; fides verò unicò intuitu divinam revelationem & rem revelatam immediatè attingit.

Deinde, divina revelatio immediatè & sine discursu creditur ut quod: igitur & articulus ab ipsa revelatus. Antecedens constat: In illo enim argumento probari potest aliquid esse reverà à Deo revelatum. Consequentia probatur exemplô visionis; quemadmodum enim res colorata & illuminata immediatè videntur, quia color & lux ipsi rei inexistentes videntur immediatè, color quidem ut objectum materiale visûs; lux verò ut objectum ejus formale; atqui res quæ revelatur à Deo, est objectum tantùm materiale actûs E fidei; divina verò revelatio objectum formale: ergo unicô & simplici actu fides credit rem revelatam, & dignam revelatione; ac subinde fides non est discursiva. 2. Quia utrique assentitur, immediatè.

Denique, assensus ille duntaxat est propriè discursivus, quando per aliquod judicium antecedens duo aliqua ita judicantur esse vel eadem, vel conjuncta, ut ex uno concesso aliud etiam videatur concedendum: atqui internus assensus fidei non requirit illud judicium antecedens, de connexione revelationis cum re revelata: igitur ille actus non est discursus, nec consequenter habitus 3 Quia non creditur propter cognitam bonitatem illationis unius propositionis ab alia,

ad eum inclinans est discursivus. Major patet ex communi doctrina Dialecticorum docentium ad argumentationem duo requiri judicia, nempe judicari debet de bonitate consequentiæ, & proinde etiam judicium ferri debet de connexione extremorum cum medio, & ex vi istius judicii de tali consequentia, assensus debet dari rei enuntiatæ per conclusionem. Minor verò probatur: Tum quia quando aliquis credit Deum esse trinum, v. g. non ideo præcisè & formaliter credit rem ita esse ob connexionem quam extrema hujus propositionis habent inter se, & cum ipso motivo seu medio, scilicet divina revelatione; nec idcirco assentitur ex eo quòd videat talem connexionem, & judicet de bonitate istius consequentiæ illatæ ex antecedenti, ut maximè constat de hominibus idiotis & rudibus, qui licèt nesciant judicare de bonitate consequentiæ ex antecedenti, nihilominus præclaros actus fidei eliciunt, & interdum longè excellentiores, quàm qui peritissimi sunt Theologi.

Confirmatur: Si judicium istud requireretur ad fidem, consequens esset quòd qui meliùs apprehenderet connexionem illam extremorum, nempe veritatis credendæ & divinæ revelationis, & acutiùs penetraret bonitatem istius consequentiæ ex antecedenti, eò etiam perfectiores eliceret actus divinæ fidei, quemadmodum qui meliùs penetrat connexionem alicujus veritatis scientificæ cum medio scientifico, habet actum perfectiorem scientiæ: sed hoc experientiâ constat esse falsum: igitur, &c.

Dices primò: Omne argumentum fit cum discursu: sed ex Apostolo ad Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium*: igitur est discursiva.

VI. *Quare fides divina appellatur argumentum.*

Distinguo majorem: Argumentum propriè dictum, quatenus significat illationem rei ex alia, fit cum discursu, concedo: argumentum impropriè dictum & quatenus duntaxat significat certitudinem, seu ostensionem ac convictionem earum rerum, quæ nec sensu nec ratione comprehenduntur, fit cum discursu, nego. Hôc autem posteriori modô Apostolus fidem appellat argumentum, ita quòd quemadmodum argumentô discursivô devenimus in cognitionem rei quæ ex alia infertur, & ipsâ vi argumenti convincimur ad certò assentiendum veritati ejus: sic etiam per fidem divinam habemus cognitionem rerum à Deo revelatarum, non minùs certam quàm sit ea cognitio quæ per argumentationes, & demonstrationes certissimas comparatur.

Dices secundò: Eôdem modô servatâ proportione philosophandum est de assensu fidei divinæ, ac de assensu fidei humanæ; at hic elicitur per discursum: ergo & ille.

Nego majorem quantùm ad præsens institutum: & ratio disparitatis est, quòd fides humana non fertur in ipsam authoritatem humanam, tanquam immediatè & per se certam, sed ut certam & cognitam per aliquid aliud, putà per experientiam de probitate vitæ & perfectâ scientiâ dicentis; quibus maximè constare debet humana authoritas, ut moveat ad assensum: unde intellectus potest ex cognitione ejusmodi principiorum inferre conclusionem continentem assensum: at divina fides immediatè fertur in ipsam authoritatem, seu veritatem Dei; sicque intellectus illi soli tanquam formali motivô innixus, determinari potest à voluntate, ut absque ullo discursu tendat in quodcumque objectum materiale divinæ fidei; quem-

A admodum ob certitudinem primorum principiorum immediatè tendit in assensum ejusmodi principiorum.

Dices tertiò: Si non esset necessarium, ut assensus fidei fieret per discursum, una propositio de fide non deberet inferri ex alia: sed ita fit plerumque; nam 1. ad Cor. 15. sic ratiocinatur Apostolus: *Si mortui non resurgent: ergo Christus non resurrexit*: sed Christus resurrexit: ergo mortui resurgent. Similiter S. Joann. cap. 4. primæ suæ epistolæ, sic discurrit: *Diligamus nos invicem, quoniam ipse prior dilexit nos*: igitur fides est discursiva.

VII. *Quomodo credenda sit una propositio illata ab alia egregiè doceat Doctor.*

Distinguo minorem: Non deberet fieri talis illatio in ordine ad ipsum inferentem, quasi ipse
B egeret tali discursu ut propter assensum unius propositionis, moveretur ad assentiendum alteri propositioni ex ea deductæ, concedo: in ordine ad eos qui non cognoscerent propositionem deductam fuisse revelatam, nisi fieret talis illatio, nego minorem: Ad cujus autem probationem respondet Doctor *numerò 15.* illos Scripturæ textus non esse veras argumentationes: Quia, inquit, argumentum est de re aliqua faciens fidem de ea, quæ aliàs erat dubia: ideo in argumento propriè dicto creditur, & consentitur conclusioni propter argumentum, & ejus evidentiam. Sed si Paulus dixisset istud, Mortui resurgent, tantùm credidissem ei tunc, sicut modò: nec est majoris formalitatis illa conclusio,
C quàm si simpliciter narrasset eam: Similiter sicut credo conclusioni, vel consequenti, sic & antecedenti, & è converso: sicut enim credo, quòd mortui resurgent, credo Christum resurrexisse, quia nullam certitudinem habemus de Christi resurrectione, nisi ex testimonio aliorum, sicut patet per Apostolum ubi suprà, qui dicit: *Si Christus non resurrexit, invenimur falsi testes*, & ideo tota certitudo, quæ habetur de resurrectione Christi, & mortuorum, non est nisi certitudo fidei, & non ultrà. Similiter quod dixit Joannes. *Diligamus nos, &c.* hoc dixit ad movendum animos
D nostros ad Christi dilectionem: quòd tamen Christus dilexerit nos tali dilectione, de qua loquitur, hoc est nobis creditum, & sic habet certitudinem de conclusione, non tamen majorem quàm de principio; & ideo cùm principium non cognoscatur ex evidentia rei, non potest habere scientiam de conclusione: sed si aliquis habet habitum ultra fidem, ille assentit omnibus & singulis quæ dicuntur in Canone, & nulli uni propter aliud; quia etsi unum possit sequi ex alio, non habet tamen majorem certitudinem de illo, quod sequitur, quàm de illo, ex quo sequitur. *Hæc Doctor.* Quibus apertè significat omnes propositiones quæ eliciuntur ex aliis in Scriptura, sive una sit de fide, sive utraque, nullatenus ut sic
E deductas debere censeri de fide, quia assensus illis sic datus non nititur immediatâ revelatione, seu testimoniô Dei.

Dices quartò: Sæpiùs contingit ut ex propositionibus creditis per fidem aliæ inferantur quæ etiam pertinent ad fidem: sic ex hac propositione fide credita, Christus est verè Deus & homo, rectè collegerunt Patres Concilii Constantinopolitani, in eo esse duplicem voluntatem, nempe divinam & humanam hôc syllogismo: Ubi est duplex natura intellectualis, ibi est duplex voluntas: sed in Christo duæ sunt naturæ intellectuales, divina & humana: igitur & duplex voluntas, quæ utique ultima propositio est de fide,

& elicita ex illa priori quæ est pariter de fide, nempe, in Christo duæ sunt naturæ iotellectuales.

Respondeo, illationes illas non fieri pet habitum fidei, sed Theologiæ. quæ ex principiis revelatis conclusiones eas eruit; unde veritates in illis propositionibus deductis expressæ, non sunt de fide, sed sunt conclusiones Theologicæ, quatenus considerantur ut illatæ per discursum, licèt eædem sint de fide prout subsunt immediatè divinæ revelationi.

Dices deniqae: Quoties assensus aliquis duo respicit, itaut unum attingat duntaxat mediante alterô à quo causatur, toties est legitimus ac verus discursus: sed interior assensus divinæ fidei respicit primò ac per se divinam revelationem, & eâ mediante ipsam tem revelatam, cui idcirco Fidelis assentitur, quia assensum præbet divinæ revelationi: igitur interior assensus divinæ fidei est discursivus.

VIII. Duobus modis assentiri possumus uni propositioni propter aliam.

Distingao majorem: Si attingat unum mediante alterô pet modnm inducentis in cogoitionem alterius, concedo: si per modnm objecti formalis afficientis ac determinantis objectum materiale, nego: duobus enim modis intelligi potest aliquem assensum ita duo respicere, ut unum attingat mediante altetô: *Primò* quidem si versetur circa unum, tanquam circa formale, & ipsô mediante attingat objectum materiale quatenus tali objectô formali informetur: *Secundò*, si attingat unum tanquam primariò cognitum, ut eô mediante deducatur in cognitionem secnndi: Primus autem modus nullatenus importat rationem formalem discursûs, alioqui operationes sensuum: v. g. visio quâ oculus terminatur io coloratum prout lucidum, esset discursiva, quia non percipit colorem nisi mediante lumine; secundus verò modus est quidem discursivus: at assensus nostræ fidei divinæ attingit tantùm rem revelatam tanquam objectum materiale; revelationem verò ut objectum formalo, sicque oulla ratiooe dicendus est discursivus.

Conclosio Tertia.

IX. Fides est verè practica.

FIdes divina absolutè dicenda est practica, non autem speculativa. Hæc est Doctoris quæst. 4. Prologi oum. 31. ubi resolvit idcirco Theologiam esse practicam, quia oititur divinâ fide quæ est practica. Et nnm. 41. respondens ad argumenta ait: *Ad primum respondeo, quòd fides non est habitus speculativus; nec credere, est actus speculativus, nec visio sequens credere est visio specalativa, sed practica: nota est enim ista visio conformis esse fruitioni, & prius aaturaliter haberi in iatellectu creato, ut fruitio recta illi conformiter eliciatur.* Quibus Doctor significat fidem esse absolutè practicam, & nollum esse argumentum eorum qui contendebant idcirco fidem esse speculativam, quia ei succedit visio beatifica quæ est speculativa: negat enim Doctor beatificam visionem esse speculativam, contenditque illam esse reverà practicam, quia idcirco visio beatifica præcedit in intellectu, ut fruitio sequatur in voluntate. Hæc autem conclosio sufficienter probata manet ex articulo 1. quæst. 1. disputationis proœmialis de Theologia in communi; nititur enim iisdem rationibus, quibus ibi probavimus Theologiam esse practicam, solvimusque omnes difficultates & rationes, quibus oppugnari solet à Thomistis contrarium sentientibus, idcirco ne trita jam stadia remetiamur, ab eis repetendis supersedimus.

Quæstio Tertia.

In quibus subjectis insit fidei infusa habitus?

NOtandum primò, varias ac multiplices præsentem quæstionem difficultates complecti, qoas otiqoe fusiori stylô declarant & explicant nonnulli Theologi; nos verò brevitati ac claritati studentes, ad tria potissimùm capita eas omnes revocabimus, inquirentes ac resolventes. *Primò*, utrum fidei habitus extiterit in viatoribus innocentibus: *Secundò*, ottum perseveret in omnibus viatoribus qui peccatô mortali inquinantur. *Tertiò*, utrum existat in iis qui sunt in termino beatitudinis aut damnationis. Certum est autem Angelos fuisse aliquandiu viatores, nec initiô suæ creationis, in statu beatitudinis fuisse constitutos, ut docuimus in Tract. de Angelis, disp. 3. quod etiam luculenter docet sanctus Augustinus super Genes. lib. 4. c. 3. ubi ait *Angelicam naturam primò uniformiter fuisse creatam, &* CÆLUM *appellatam; juxta illud*: IN PRINCIPIO DEUS CREAVIT CÆLUM, *&c. & secundo fuisse formatam & appellatam* LUCEM, *quando ad Creatorem est conversa, & ei inhæreat perfectâ directione, juxta illud; Et dixit Deus,* FIAT LUX, ET FACTA EST LUX. In eo autem statu viæ donati fuerunt Angeli mediis necessariis ad promerendam beatitudinem: an autem etiam habuerint fidem infusam controvertitur apud Theologos: plurimi oamque cum *Alensi* 3. part. quæst. 68. memb. 8. art. 2. contenduot in Angelis viatoribus non fuisse propriè dictam fidem, sed habuisse præstantiorem aliquam connexionem scientificam, nempe vel notitiam supernaturalem scientiæ infusæ, vel evidentiam in attestante, quæ propriè loquendo non est fides, sed scientia; cæteri verò Theologi affirmativam partem tuentur, quibus & nos subscripsimos, in 2. *volumine Tractatu* 1. *disp.* 3. *art.* 2. *quæst.* 3. *conclusio.* 3. unde hîc duntaxat agendum est de primis Parentibus. I. Angeli viatores habuerunt fidem.

II. Tria sunt in beatitudine Sanctorum.

Notandum secundò, Beatos omnes habere omnem omnino perfectiouem, quæ statum eorum beatitudinis maximè decet; quippe cùm beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus; ac proinde certum est eos donari ac illustrari omni prorsus virtute, quæ oullam habet repugnantiam nec incompossibilitatem cum illo beatitudinis stato. Qoia verò tria maximè felicem illam Beatorum sortem complent ac perficiunt, nempe intuitiva Dei visio, æterna & intima fruitio, & ineffabilis delectatio ac divina voluptas, quæ ex Dei visione per intellectum, & fruitione per voluntatem, in ipsam animæ substantiam, ejusque facultates omnes exundat: hinc illi beatifico statui ea repugnare dicuntur, quæ vel illi perspicuæ Dei visioni, vel ùltimæ fruitioni, vel delectationi opponuntur; an autem fides directè vel indirectè pugnet cum aliquo ex his tribus, ratione cujus non possit cum statu beatifico subsistere, determinandum est in præsenti.

Notandum tertiò, peccatores viatores posse maximè considerati in duplici statu. Vel enim sunt hæretici, vel duntaxat peccatô mortali inquinati. Hæreticum dico eum, qui licèt initiatus

doctrinâ Christianâ, & baptismi sacramentô cum Christianis ac Fidelibus deputatus, nihilominus errorem aliquem pertinaciter contra fidei objectum & regulas, ac Ecclesiæ definitionem profitetur ac tuetur.

III. Tria ad hæresim requiruntur. Unde ad hæresim tria maximè concurrunt: *Primò*, quòd talis error sit pertinax, qui enim duntaxat propter sibi non compertam divinam revelationem aut Ecclesiæ definitionem, circa aliquam propositionem ab omnibus aliis fidelibus vulgò receptam & creditam, dubius fluctuaret, nec in alterutram assensûs partem affirmantem aut negantem animô obfirmatô declinaret, non esset censendus hæreticus. *Secundò*, quòd qui pertinaciter illum tuetur, fuerit initiatus non solùm baptismi sacramentô, sed etiam quòd fidem Christianam quantùm ad alios articulos profiteatur; per hoc enim distinguitur hæreticus ab infideli; siquidem infidelis ille est, qui nec baptismô fuit initiatus, nec ullatenus Christianam fidem profitetur. *Tertiò* denique, necessum est ut quis censeatur hæreticus quòd fidem profiteatur secundùm aliquam partem sub novo Testamento saltem fide humanâ, si enim illam omni ex parte ejuret, sive sit baptisatus, sive non, dicendus non erit hæreticus, sed vel Judæus, vel Paganus, licèt ratione suscepti baptismatis sit subditus Ecclesiæ, & consequenter iisdem pœnis, quibus hæretici, subjaceat. Quæritur ergo utrum tam peccatores mortali peccatô inquinati, quàm qui solâ hæresi inficiuntur, fidem infusam servent.

Status quæstionis. *Quatuor* igitur hac in quæstione supersunt resolvenda. *Primum*, an primi Parentes habuerint fidem in statu innocentiæ, eamque peccando perdiderint. *Secundum*, utrum animæ fideles ex hac vita migrantes sive in cœlum receptæ, sive in purgatorio lugentes, habitum fidei servent. *Tertium*, utrum damnati tam homines quàm dæmones habeant fidem infusam. *Quartum*, utrum ille fidei habitus infusus perseveret in hæreticis.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Fides fuit in primis Parentibus innocentibus. PROBABILIUS *est primos Parentes in statu innocentiæ habuisse fidem infusam, & eam per suum peccatum perdidisse*. Hæc est communior apud Theologos, maximè quantùm ad *primam partem*, quæ utique probatur primò, quia primi Parentes in statu innocentiæ Deo erant accepti & grati, ut omnes fatentur: at ex Apostolo 1. ad Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit*: Igitur, &c. Secundò eadem veritas firmatur authoritate summorum Pontificum, qui damnârunt propositionem Baii, *Absurda est sententia eorum qui dicunt, hominem ab initio donô quôdam supernaturali & gratuitô, super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate supernaturaliter Deum coleret*: Igitur propositio contraria huic damnatæ est approbata. Tertiò denique, in eo statu mereri poterant primi Parentes: sed fides congruentior est ad meritum quàm scientia: Igitur fatendum est primos Parentes eam habuisse.

Dices: Fides est cognitio imperfecta; sed in statu innocentiæ nihil erat imperfectum: ergo nec fides.

Distinguo majorem: Est cognitio imperfecta per ordinem ad cognitionem intuitivam & beatificam, concedo: per ordinē ad omnes alias cognitiones, quas de via ordinaria potest habere viator, nego. Minorem similiter distinguo: Status innocentiæ nihil imperfectum admittebat quod spectaret ad statum viatoris, concedo: quod imperfectum diceretur per ordinem ad statum beatificum, nego:

VI. Videntur eam per peccatum perdidisse. *Probatur etiam secunda pars*, & superior confirmatur: Primò quidem authoritate veterum Theologorum ac sanctorum Patrum, nam inprimis Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem cap. 12. ait: *Quis dubitabit illud ipsum Adæ delictum hæresim pronuntiare, quod per electionem suæ potius, quàm divinæ sententiæ admisit? nisi quòd Adam nunquam figulo suo dixit: Non prudenter deffinxisti me: confessus est seductionem, non occultavit seductricem: rudis admodum hæreticus fuit, &c.* Idem docet S. Ambrosius epist. 33. quæ est ad Marcellinam sororem suam, ubi Deum inducit Adamo sic loquentem: *Agnoscis te nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti*.

Hanc autem veritatem apertissimè tuetur sanctus Prosper pluribi, maximè verò in responsione ad excerpta Genuensium, dubiô 3. ubi loquens de Adamo ac de natura humana, quæ per ipsius peccatum lapsa fuerat, ait: *Quid est autem quod eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteri bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo non credidit Deo*. Et infrà: *Quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?* Et paulò infra sic concludit: *Omnes igitur quos Adam perdidit, perdiderunt; perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam debemus accipere*. Quibus verbis luculenter significat Adamum revera fidem amisisse. Idem docet in libro contra Collatorem cap. 19. Id etiam docet S. Fulgentius librô de Incarnat. & gratiâ Christi dicens: *Primus homo diabolica est persuasione dejectus in humilitatem; quia perdidit fidem: perdens autem fidem perdidit divinam protectionem*.

Dices primò: Si Adamus & Eva fidem infusam amisissent, reverâ fuissent hæretici; sed ita non est; nam ille non est censendus infidelis & hæreticus, qui veritati sibi divinitùs revelatæ pertinaci animô peccando non adversatur: at nec Adamus, nec Eva peccando divinitùs sibi revelatæ veritati pertinaciter adversati sunt: ergo, &c. Major patet: hæresis enim est error fidei contrarius simul cum pertinacia. Unde S. Augustinus epist. 162. ait: *Si qui falsam ac perversam sententiam nullâ pertinaci animositate defendunt, & parati sunt corrigi, & totâ sollicitudine quærunt veritatem, non sunt inter hæreticos deputandi*. Et lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 16. assignans differentiam inter duos homines credentes eundem errorem, sed eum hoc discrimine, ut unus sit in Ecclesia, alius extra Ecclesiam, & ab hæreticis baptisatus, sic loquitur: *Constituam duos aliquos istô modô, v. g. unum horum sentire de Christo quod Photinus omnino opinatus est, & in ejus hæresi baptisari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem; alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica Ecclesia baptisari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem: istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi fidei Catholicæ doctrina resistere maluerit*. At nec Adamus, nec Eva fuerunt in peccato pertinaces, nec divinæ reprehensioni rebelles; imò suum uterque peccatum excusavit, ille uxorem sociam, illa serpentem patrati criminis instigatorem accusando: ergo, &c.

VII. Unde hoc *Distinguo majorem*: Qui non adversatur verita-

Ratione dici posset eos fuisse aliquandiu hæreticos.

ti cum pertinacia, quando veritas cui adversatur, ipsi non constat, nec certus est eam fuisse à Deo revelatam, non est censendus hæreticus, concedo: secus, nego: At primis hominum Parentibus constabat apertissimè Deum ipsis mortem fuisse comminatum, si de fructu vetitæ arboris comederent: ergo fidem dantes diabolo dicenti, *Nequaquam morte moriemini, &c.* consequens est ut eam denegaverit illi qui dixerat: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quacunque enim hora comederis, morte morieris.*

Instabis: Etiamsi notum habuissent primi Parentes Deum illius vetiti fructûs usum sub mortis interminatione prohibuisse, non propterea constabat eis an comminatoria solùm, an verè executioni demandanda foret illa divina sententia. Cùm enim supremum in omnes creaturas imperium essent adepti, haud difficulter suspicari poterant, Deum noluisse eorum libertatem ad unius arbusculæ fructum constringere; ac proinde constat vel eos divinis verbis non sat attendisse, vel eorum sensum & intelligentiam nequaquam assecutos.

Confirmatur ex eo quòd diabolus serpentis imagine larvatus, non aliud tentando præstiterit, quàm mendacibus verbis se Dei amicum, & divinæ gloriæ zelatorem simulans divina verba, non eo quô putabant sensu, sed longè diversô esse intelligenda; *Cur precepit, &c.* quasi diceret, Nolite arbitrari id verbis esse prohibitum; cur enim præcepisset Deus, ut à fructu alicujus arboris manum abstineretis, cùm omnes bonæ sint & salutares? Ita fermè interpretatur S. Epiphanius in hæresi Cainorum quæ est 38. & deducitur ex Apostolo 2. ad Cor. 11. ubi comparat eorum seductionem per Pseudo-Apostolos, seductioni Evæ per serpentem, dicens: *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ suâ; ita corrumpantur sensus vestri.* Sicut enim Pseudo-Apostoli Deum apertè non calumniantur, nec eum falsa dixisse pronuntiant; hæc enim si dicerent, meritò nullum haberent auditorem, sed ab omnibus exploderentur: sed transfigurantes se in Apostolos, Dei zelare honorem & salutem animarum simulant, affirmantes hæc aut illa divina eloquia, non ut alii sentiunt esse intelligenda. Non enim Calvinistæ dicunt Christum fuisse mentitum, cùm dixit: *Hoc est Corpus meum:* sed affirmant ea verba à Catholicis non rectè, ut sonant, acceptari, cùm per tropum sint interpretanda. *Inferendum* ergo Proto-parentes errore potius & dubiô quàm infidelitate & hæresi lapsos.

Etenim divina verba alium in sensum detorquebant.

Nego consequentiam: Non enim sine aperta dei jactura potuerunt divinæ prohibitionis verba alium in sensum detorquere, cùm eis sat fuisset insinuatum, tum per lumen rationis naturalis ac inditarum scientiarum; tum per lumen fidei, hôc præceptô eorum esse probandam obedientiam, nullâque passione urgerentur, nec errore aut ignorantiâ aliquâ laborarent, divinaque verba absque ulla ambiguitate essent insinuata; haud dubium est eos nonnisi in fide hæsitantes & deficientes, aliud à nostra significatione verborum potuisse suspicari, nec tentatori aliud insinuanti credere. Quid enim aliud præstat hæreticorum animus, quàm divina verba Christianas veritates indicantia præter nativum eorum & Ecclesiæ sensum interpretari? Nec aliud voluit Apostolus: quemadmodum enim Corinthii fidem dantes Pseudo-Apostolis à Christi fide ceciderant; ita Eva præter divinum imperium cum diabolo sentiens à divina fide unà cum marito excidit.

Dices secundò: Quisquis solùm peccat, vel ex temeraria præsumptione, vel ex inordinato creaturarum amore, à fide non excidit; sed vel à Spe, vel à Charitate, vel ab utroque simul: at Adamus ita peccavit; primò quidem temerariâ præsumptione veniæ consequendæ: ut enim ait S. Augustinus lib. 14. de civitate Dei c. 11. *Adamus cùm inexpertus esset divinæ severitatis, in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum.* Capite 13. *Putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vita sua sociam non desereret etiam in societate peccandi.* Secundò, ex inordinato conjugis amore; nam, ut loquitur idem S. Augustinus lib. 11. de Genes. ad litteram cap. 42. vel quisquis alius ejusdem libri author: *Adamus noluit Evam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, & omnino illa interire discordia; non quidem carnis victus concupiscentiâ, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quâdam benevolentiâ, quâ fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.*

Distinguo: Quisquis peccat ex præsumptione aut inordinato amore non habente ullam antecedentem aut consequentem infidelitatem, concedo: secus, nego: Adami autem si quis fuerit præsumptionis aut inordinati amoris motus, haud dubium est antecedentem aut consequentem habuisse infidelitatem; cùm enim nullâ ad peccatum carnis & passionis illecebrâ pelleretur, quô pactô fieri potuisset, ut in id laberetur, si mortem corporis & animæ, omniumque cœlestium charismatum, ac supremi in universas creaturas imperii jacturam illico inferendam, uti Deus fuerat comminatus, credidisset? Fateor plerumque homines concupiscentiâ victos, aut ineluctabili peccandi assuetudine catenatos, etiam ad intentata & expectata supplicia non evocari: Verùm nihil simile fas est in Adamo suspicari; quippe cùm, ut ait laudatus Augustinus, nulla in eo membrorum lex adversaretur legi mentis; ac proinde necessum est divinam fidem priùs extinxerit, vel Dei verbis non credendo, vel alium in sensum detorquendo, quàm in præsumptionem aut inordinatum affectum fuerit lapsus.

Conclusio Secunda.

VIII. *Fides non est in Beatis.*

PRobabilius *est Beatos non habere fidem, secus verò est de animabus in Purgatorio lugentibus.* Hæc est communior apud Theologos quantùm ad utramque partem; quanquam contradicat Alensis, 3. p. q. 64. memb. 7. & Durandus in 3. d. 32. qu. 3. quibus favere videtur Magister sententiarum in 3. dist. 23. Primam partem probat Doctor *dist.* 31. *num.* 2. ubi apertè significat habitum fidei aut spei manere in Beatis: Nullus, inquit, habitus ponendus est ibi manere frustrà: frustra autem esset ibi habitus, cujus inclinatio tunc esset impossibilis; fides autem ex ratione sua inclinat tantùm in verum latens, secundùm glossam super illud Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium:* & spes tantùm inclinat in bonum commodum absens, juxta illud Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes*, accipiendo spem pro sperato, scilicet pro objecto: inclinationes autem istæ non poterunt haberi in patria, ubi erit verum patens, & bonum habitum: igitur isti habitus non manebunt,

Ut optimè declarat Doctor.

quia essent superflui. Quibus verbis Doctor non solùm affirmat habitum fidei & spei non remanere in Beatis, sed etiam id probat hoc argumento: Nil otiosum ac inutile patitur status perfectissimus, qualis est beatificus: sed habitus fidei ac spei in eo statu forent otiosi; cùm in eo nunquam possent elicere actum suum, quia actus fidei involvit imperfectionem obscuritatis; actus autem spei connotat absentiam objecti, cognitio autem obscura & actualis possessio objecti non possunt subsistere cum ejusdem objecti visione clara & intuitiva, & ejusdem actuali possessione: igitur in statu beatitudinis frustrà forent habitus fidei & spei.

Quoniam est cognitio imperfecta.

Confirmatur eadem veritas ex Apostolo 1. ad Cor. 13. ubi docet omnem cognitionem imperfectam ablegandam esse à statu beatifico: ait enim: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cùm venerit autem quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Id est, quod est imperfectum, nec nisi incompletam perfectionem ingerit, qualem duntaxat per fidem habemus, quæ nobis quidem confert cognitionem certam de divinis mysteriis, sed inevidentem & obscuram; unde cognitio illa est quidem perfecta ex parte certitudinis, imperfecta verò ex parte obscuritatis; unde subdit ibidem Apostolus: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes & charitas.* Ubi per illam adversativam *autem*, videtur innuere diversitatem viæ, in qua manent hæc tria, à statu patriæ, ubi sola manet charitas, de qua præmiserat; *charitas nunquam excidit*, juxta quem sensum acceperunt verba sancti Pauli Hieronym. ibi dicens: *Charitas nunquam excidit, id est, ipsa sola permanet in futuro.* Chrysostom. hom. 34. in eum locum, dicens charitatem esse majorem, quia fides & spes transeunt, charitas autem semper durat. August. *Serm. 53. de Tempore.* Anselmus *in illum locum Pauli*, & alii.

VIII.
Explicantur Patres contrarium innuentes.

Objicies primò sanctum Irenæum lib. 4. cap. 25. ubi docet in statu beatitudinis tres virtutes Theologicas remanere, ait enim: *Paulus inquit omnibus evacuatis manere fidem, spem, dilectionem.* Cui subscribit Tertullianus lib. de Patientia circa finem, dicens: *Meritò charitas nunquam excidet, cætera evacuabuntur, consummabuntur; exhaurientur linguæ, scientia, prophetia, permanent fides, spes, dilectio.*

Respondeo S. Irenæum & Tertullianum non velle quidem, quòd fides & spes remaneant in Beatis secundùm suas rationes formales specificas, nempe cognitionem inevidentem objecti revelati, & firmam tendentiam in objectum absens; sed tantùm secundùm aliquam rationem communem attingendi primum verum & summum bonum; in quantùm videlicet per visionem beatificam fidei succedentem, habetur cognitio firma & certissima de Deo, quemadmodum habebatur per fidem, licèt imperfectiori modô: similiter per fruitionem succedentem spei Deus perfectissimè possidetur ut præsens, qui antea per spem duntaxat possidebatur ut absens.

Objicies secundò: Si habitus fidei & spei non remanerent in Beatis, maximè quia in eis forent inutiles: sed ita non est: igitur, &c. *Major* constat ex mox dictis. *Minor* verò probatur; cùm enim triplicis generis objecta possint subesse cognitioni Beatorum, quorum aliqua per se spectant ad beatitudinem, ut visio divinæ essentiæ suis attributis illustratæ, & in tribus divinis personis subsistentis: alia verò sunt quæ tantùm concomitanter ad eam pertinent, ut omnia mysteria Verbi Incarnati, & nostræ Redemptionis: Alia verò sunt omnino extra statum ac sortem beatitudinis, qualis censeri potest notitia eorum omnium quæ vel in mundo peracta sunt, vel geruntur, vel efficientur usque ad consummationem sæculi; quanquam fortè in Beatis non remaneat fides quantùm ad objecta primi & secundi generis, ad quæ per se terminatur visio beatifica: tamen remanere potest quantùm ad objecta tertii generis: enimverò nil obstat quominus unus Beatus possit Deô specialiter revelante nosse quæ vel gesta sunt, vel geruntur, vel fient imposterùm; & illa credere propter divinam revelationem: nulla enim excogitari potest contradictio, quòd Deus alicui manifestam reddat suam essentiam per visionem intuitivam, & tamen ei occultet quæ in mundo aguntur vel agenda sunt, quæ postea vel per se, vel per Angelos manifestet: igitur quantùm ad hæc objecta poterit esse actus fidei; ac proinde habitus in Beatis non erit omnino inutilis.

IX.
Beati possent habere fidem humanam.

Respondeo, equidem hæc ita esse, verùm assensus ille non erit actus fidei Theologicæ, sed vel Angelicæ vel humanæ, si id quod revelatur fiat mediante Angelô vel alterâ animâ beatâ; non enim actus illi tendunt in Deum tanquam in objectum, in eis objectis ad quæ terminantur, directè vel indirectè inclusum. *Vel dico* quòd Beatus eo in casu certissimè quidem assensum præbebit objectis sibi à Deo propositis, idque propter testimonium Dei, non quidem obscurè, sed clarè cognitis: ac proinde assensus ille non erit propria & stricta fides, sed notitia evidens per medium demonstrativum à posteriori; quæ notitia evidens non repugnat cum statu beatifico, saltem de iis objectis, quæ non videntur in Verbo, nec aliunde perfectissimâ cognitione immediatâ possidentur.

Objicies tertiò: Si habitus fidei & spei non remanerent in patria, maximè quia in eo statu vel habitus vel actus sunt incompossibiles: at ita non est; enimverò si esset quædam oppositio fidei cum beatitudine, maximè vel penes actum vel penes habitum, vel penes actum beatitudinis cum habitu fidei, potest enim fieri triplex comparatio: Primò quidem inter actum visionis & actum fidei: Secundò inter habitum fidei & luminis gloriæ: Tertiò inter actum visionis cum habitu fidei, vel inter actum fidei cum habitu luminis gloriæ: at neutra ex parte repugnat fidem posse subsistere cum visione beatifica: igitur, &c.

X.
Actus & habitus visionis beatificæ repugnant cum actu & habitu fidei.

Nego minorem: Primò namque constat actum fidei repugnare cum actu visionis; tum quia unum & idem objectum non potest simul clarè & obscurè videri, ut jam sæpius probatum est; tum quia beatitudo cùm sit status omnium bonorum aggregationem inferens, nec-non & exclusionem totius mali, consequenter debet excludere formidinem de omni malo, qui enim timet malum aliquod proprium, non est undequaque beatus: assensus autem obscurus, qualis est assensus fidei, semper annexam habet formidinem erroris; ac proinde infert potentiam formidandi quæ per se malum est, nam posse ipsum malum timere, non leve malum est; si verò actus fidei stare posset cum actu visionis, sequeretur quòd in eodem instanti staret malum obscuritatis cum visione Dei, & per consequens eo instanti homo non esset planè & undequaque beatus.

Repugnat etiam habitus fidei cum habitu luminis gloriæ: quia inclinant ad oppositos actus nempe inevidentes & evidentes, unde necessum est alterutrum habitum fore perpetuò inutilem: talis autem non erit habitus luminis gloriæ, qui ex natura sua exigit permanentiam, seu perpetuitatem ac statum beatitudinis completæ in subjecto beato, & per consequens exigit perpetuam carentiam totius obscuritatis, & fidei actualis; ac proinde infert inutilitatem habitûs fidei, quippe ad nullum actum jam deservire potest.

Tertiò denique, repugnat habitum fidei subsistere cum actu luminis gloriæ, quia visio Dei clara non potest connaturaliter dari nisi habenti lumen gloriæ: ergo cùm istud lumen gloriæ ex se exigat negationem habitûs fidei, idem pariter infert ejus actus.

Nec refert quòd sanctus Paulus in raptu, fortè habuerit visionem beatificam. Respondeo enim quòd etsi sanctus Paulus reverà habuisset visionem beatificam, cujus contrarium docuimus agendo de visione beatifica, tamen non esset consequens quòd actus visionis beatificæ subsistere posset connaturaliter cum habitu fidei: illa enim conjunctio visionis cum habitu fidei in S. Paulo non fuisset connaturalis, sed contra leges connaturales utriusque. Unde ex ea non licet inferre, quòd ille actus visionis subsistere posset connaturaliter cum habitu, qualiter reverà subsistere deberet in Beatis, alioquin perpetuum requireretur miraculum, ut conservaretur habitus fidei cum actuali visione beatifica; quemadmodum opus fuit miraculô, ut conservaretur frigus modicum in tribus pueris projectis in fornacem Babylonicam.

XI. Fides remanet in animabus existentibus in Purgatorio.

Secunda pars etiam communiter admittitur à Theologis: tum quia illæ animæ adhuc sunt in statu viæ, ac proinde id omne habent, quod per se conducit ad sanctitatem ejusmodi statûs, quales sunt virtutes Theologicæ: Tum quia nihil est in eis animabus quod cum habitu vel actu fidei repugnet; Licèt enim (inquit de Lugo) ex creaturis possint evidenter cognoscere Deum earum Creatorem: hæc tamen cognitio non est incompossibilis cum fide de eodem objecto, ut constat in Angelis, qui in statu viæ perfectiùs cognoscebant Deum, & adhuc habere potuerunt fidem.

Deinde, Multa sunt credibilia de Deo, quæ ex creaturis naturali virtute non cognoscuntur, ut Trinitas, & alia etiam plura de creaturis creduntur per fidem, quæ ratione naturali non possent deprehendi, ut unio hypostatica, resurrectio futura, judicium universale, & alia innumera.

Denique, Non repugnat statui harum animarum revelatio obscura, in qua fides stricta fundari possit, cùm ille non sit status beatificus excludens omnes defectus & angores, sed status potius tenebrosus, plenusque sollicitudine & anxietate, quamvis cum certitudine propriæ salutis. Quamvis autem circa aliqua forsasse objecta habeant revelationem sibi evidentem, non autem obscuram, sufficit tamen si ejusmodi revelationem ita claram non habeant circa omnia objecta, ut debeat retineri habitus fidei, qui non erit ibi omnino otiosus.

CONCLUSIO TERTIA.

Dæmones & damnati non habent fidem infusam. Hæc est communior apud Theologos contra Durandum in 3. d. 23. quæst. 9. ubi dicit fidem in damnatis manere; idque probatur *primò* authoritate sancti Dionysii lib. de Divinis nominibus cap. 4. ubi ait, *damnatos carere omnibus divinis donis*, nec-non & sancti Augustini lib. 9. de Civit. Dei cap. 21. dicentis dæmones cognoscere Christum, *non lumine fidei*, inquit, *sed efficaciâ signorum*.

XII. Non est autem in damnatis.

Probatur etiam ratione: *Primò*, quia fides infusa habitualis idcirco conceditur, tum ut quis fiat membrum Christi ejus corpori mystico insitum, quod est Ecclesia; tum ut sit radix justificationis, & fundamentum rerum sperandarum: sed damnati sive sint homines, sive dæmones, nec actu nec potentiâ sunt membra Christi & Ecclesiæ, quippe sunt veluti palmites abscissi, aridi, & in ignem missi; neque etiam sunt capaces tum justificationis, tum sperandæ beatitudinis ac salutis: igitur pariter sunt incapaces fidei.

Secundò, Dona & auxilia gratiæ non communicantur damnatis: at habitus fidei est donum eximium: igitur non remanet in damnatis. Major constat ex illo Matth. 7. ubi Christus dixit: *Sanctum non datur canibus. nec margarita projiciuntur ante porcos.* Insuper, status damnatorum est status summæ miseriæ: sed si haberent aliquod donum supernaturale, eorum status non esset summæ miseriæ. Major enim miseria dari posset in eis qui ipsum supernaturale donum non haberent: igitur censendum est statum illum damnatorum non illustrari habitu fidei.

Tertiò tandem, Deus nil concedit frustraneum: at habitus ille fidei infusæ omnino esset frustraneus in dæmonibus & damnatis, quippe cùm ad nullum fidei actum efficaciter concurreret; non enim elici potest actus fidei absque auxilio supernaturali gratuito; hoc autem auxilium meritò negatur damnatis, quibus jam gratiæ & misericordiæ locus non est.

Adde quòd frustrà illis tale auxilium daretur: cùm enim actus supernaturales ordinentur ad justificationem & beatitudinem, cessante illô fine, prout desinit in damnatis, etiam desinere debent omnia media supernaturalia ad utrumque ordinata.

Nec obstat quòd in damnatis remaneat character Baptismi, vel Confirmationis, vel Sacerdotii: siquidem character ille non est per se qualitas operativa, sed solùm signum indelebile potestatis, vel gratiæ acceptæ, quod utique signum meritò in eis perseverat ad majorem eorum cruciatum & confusionem: at verò habitus fidei infusæ est qualitas per se operativa, quæ ubi non potest amplius suum elicere actum, necessum est quòd pereat.

XIII. Quâ ratione dæmones dicantur credere.

Dices primò: Sanctus Jacobus *cap.* 2. docet fidem actualem esse in dæmonibus, igitur & habitualem. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, ait enim: *Dæmones credunt & contremiscunt.* ubi certè loquitur de actu fidei infusæ, alioquin non rectè uteretur illô exemplô; ut probaret solam fidem etiam infusam non sufficere ad salutem, quod utique ibidem intendit, ut præclarè observat & monet Salvianus lib. 4. *de Providentia* non longè à principio, ubi præfatum Apostoli oraculum sic expendit: Hunc ipsum fi-

Egregiè explicat S. Salvianus.

dei fructum infructuosum Apostolus sine operibus bonis esse testatur dicens: *Fides sine operibus bonis mortua est*. Et iterum: *Sicut enim corpus sine spiritu, sic fides sine operibus mortua est*: addit quoque asperiora quædam ad confundendos eos, qui sibi præsumptione Christianæ fidei blandiuntur. Sed dicet aliquis: *Tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi sine operibus fidem tuam, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Quô utique hoc indicat, actus bonos, Christianæ fidei quasi testes esse: quia Christianus nisi opera bona fecerit, fidem suam penitus probare non possit, ac per hoc quod probare non valeat quia sit, sic omnino habendum esse quasi non sit. Nam quàm pro nullo hoc habendum existimaret, in subditis statim ipse demonstrat, dicens ad Christianum: *Tu credis quia unus est Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt.* Consideremus quid hôc locô voluerit Apostolus dicere; ne irascamur in divinis testimoniis, sed acquiescamus: nec contradicamus, sed proficiamus. *Tu credis*, inquit ad Christianum sermo divinus, *quod Deus unus est; bene facis: & dæmones credunt & contremiscunt*: Nunquid erravit Apostolus, ut hominis Christiani fidem dæmoni compararet? Non utique: sed ostendere illud volens quod suprà dictum est; quia sine operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium usurpare deberet. Idcirco autē ait à dæmonibus Deum credi, scilicet ut sicut dæmones cùm esse Deum credunt, tamen in perversitate perdurant: ita & quosdam homines quasi credolitatem dæmoniacam habere, qui cùm se Deum credere asserunt, tamen à malo opere non cessant.

Nota.

Subjungit autem ad pudorem & condemnationem hominum peccatorum, non credere solùm dæmones Dei nomen, sed etiam timere & contremiscere, hoc est dicere: Quid tibi, *inquit*, blandiris ô homo quisquis es de credulitate, quæ sine timore atque obsequio Dei nulla est? aliquid plus dæmones habent. Tu enim unam rem habes tantummodò; illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem: illi & credulitatem habent pariter & timorem.

Respondent aliqui primò, Apostolum uti verbô *credunt* in præsenti pro præterito; ita quòd sit sensus, dæmones quando erant viatores, etiam crediderunt, & tamen quia non habuerunt opera damnati sunt: igitur & tu Christiane habens fidem sterilem & sine operibus, non minùs æternæ damnationi subjacebis; familiarissimum enim est apud Hebræos, unum tempus scribere pro alio, ut constat ex illo Lucæ 7. *Cui autem minus dimittitur, minùs diligit*, id est, *minus dilexit*, ut exponunt sancti Patres, Ambrosius, Chrysostomus, &c.

Respondent alii Apostolum non æquiparare in omnibus fidem dæmonum cum fide hominis viatoris, sed solùm quoad hoc quòd utraque sterilis & inutilis est ad salutem quandiu sine charitate & bonis operibus existit. *Verùm* hæc solutio supponit fidem eô modô esse in damnatis, quomodò in peccatore, ac proinde ipsum fidei habitum etiam in damnatis ac dæmonibus subsistere, quod est contra conclusionem. *Idcirco* aliter cum aliis censeo rectiùs dicendum, Apostolum ibi solùm probare ex defectu operum fidem esse mortuam, sicut ex defectu etiam fructuum ostenditur arbor mortua, ad hoc autem probandum affert fidem dæmonis, quam fidem (quæcumque illa sit, sive acquisita, sive infusa) idcirco colligimus esse mortuam, quia caret operibus: pariter ergo fides hominis peccatoris quæ sterilis est, probabitur mortua. His adde quòd dæmones & damnati credere possint fide acquisitâ quam sibi comparaverunt per repetitos actus fidei infusæ, dum erant viatores, ut constabit ex infrà dicendis.

XIV. Quomodo fides extinguatur in damnatis.

Dices secundò: Fides infusa solô peccatô infidelitatis deperditur: sed plures sunt damnati qui nusquam admiserunt peccatum infidelitatis, & qui cum habitu fidei defuncti sunt: igitur eundem fidei infusæ habitum retinent.

Respondeo, fidem infusam non solùm destrui peccatô infidelitatis illi oppositæ absolutè loquendo, sed etiam ex defectu piæ affectionis ad credendum sicut oportet, & ratione indignitatis statûs; quanquam enim in viatoribus non soleat deperdi habitus fidei nisi ratione infidelitatis; attamen non mirum est quòd deperdatur in damnatis, qui nullum infidelitatis actum elicuerunt; tum quia non habent amplius piam affectionem ad credendum; tum quia eorum status est summæ miseriæ, ac proinde nullum habet supernaturale beneficium, qualis est habitus fidei; tum denique quia, ut diximus, non amplius ordinantur ad justificationem & beatitudinem; ac proinde fides in eis esset inutilis. Hinc fit quòd licèt damnati cognoscant in inferno easdem veritates supernaturales, quas cognoscebant in via, illas tamen non cognoscunt eôdem modô, nempe habitu fidei infusæ, sed duntaxat habitu fidei acquisitæ; vel fortè etiam speciali Dei manifestatione, quâ videlicet Deus eis proponit ea mysteria quæ in via crediderant, maximè verò quæ spectant ad æternam felicitatem, quam propriâ culpâ amiserunt, nempe ut ad ejus intuitum acerbiùs torqueantur.

Non habent ullam piam affectionem.

Instabis: Nihil officit quominus in damnatis remaneat pia affectio ad credendum: ergo pariter nil obstare potest quominus in ipsis remaneat fidei habitus. Consequentia patet ex mox dictis. Antecedens verò probatur; cùm enim in damnatis remaneat synderesis, & inclinatio in bonum, non repugnat in illis quoque reperiri pium aliquem affectum, ut constat ex divite epulone, qui licèt in inferno sepultus & flammis cruciatus, suis fratribus salutem exoptabat, & exorabat Abrahamum ut ad eos mitteret Lazarum, quatenus illos adhortaretur ad pœnitentiam.

Nego antecedens: quanquam enim damnati semper habeant synderesim ad acerbiorem cruciatum, tamen cùm semper operentur ex prava intentione finis, omnesque eorum actus, quantumcunque habeant objectum bonum, sint ordinariè mali; repugnat quòd in iis sit aliquis pius affectus erga primam veritatem mysteria revelantem & exponentem. Neque etiam ex pio affectu, imò omnino perverso exorabat dives epulo, ut Lazarus suorum fratrum conversioni incumberet. Id enim flagitabat, ne scilicet diriùs torqueretur propter eorum damnationem & pessimum exemplum ac peccandi occasionem quam eis dederat

Conclusio Quarta.

XV. Perseverat fides in peccatore.

HABITUS *fidei infusa perseverat in peccatore gratiâ sanctificante & charitate spoliato.* Hæc determinata est in Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 15.* ubi definitur, *asserendum esse non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quôcunque aliô mortali peccatô, quamvis non amittatur*

tatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. Et Can. 23. *Si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.*

Probatur: Primò quidem è Scriptura sacra; nam Apost. 1. ad Cor. 13. clarè supponit fidem posse esse sine charitate, ac proinde illam subsistere in homine peccatore, ait enim: *Si habuero omnem fidem..... charitatem autem non habuero, nil mihi prodest.* Et sanctus Jacobus id apertè demonstrat cap. 2. ubi ait: *Fides sine operibus mortua est:* Est ergo fides viva & fides mortua; fides quidem viva, nempe ea *fides quæ per charitatem operatur,* inquit Apostolus ad Galat. 5. fides autem mortua quæ à charitate sejungitur, cùm enim vita animæ in gratia & charitate consistat, illa dicetur fides viva, quæ charitate formatur; illa verò mortua quæ sine charitate existit; unde S. Augustinus 1. de Trinit. cap. 18. præclarè ait: Fidem sine charitate *esse posse, non prodesse.* Et sanctus Bernardus serm. 2. de resurrectione: *Sicut,* inquit, *corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex bonis operibus. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur & sentit: vita verò fidei charitas est: quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: fides quæ per dilectionem operatur: unde & refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus animâ recedente.* Quemadmodum ergo corpus per animæ recessum non desinit esse: ita nec omnino fides perit propter ipsius à charitate & gratia sanctificante separationem.

XVI. Sed est mortua.

Probatur etiam ratione: Fides non destruitur per id quod sibi non opponitur nec physicè, nec moraliter: sed omne peccatum non opponitur fidei, nec rationem formalem ejus objecti destruit; ac subinde potest homo in peccato mortali existens credere omnia quæ proponuntur ut revelata à Deo: igitur potest in eo statu habere & exercere fidem.

Insuper, inquit *Suarez* disp. 8. sect. 3. num. 3. potest homo sperare & pœnitere imperfectè per attritionem supernaturalem, & Deum ut Authorem supernaturalem orare, adorare, & ei obsequi ac inservire, quantùm ad aliqua præcepta quæ servanda occurrunt: sed hæc præstare nequit sine fide infusa: igitur homo in statu peccati potest conservare fidem.

Denique: Idcirco per peccatum censetur deperdi fides, quia illa haberet necessariam connexionem cum gratia sanctificante, qualem habet charitas: at ita non est, nec enim est illius proprietas, nec compars, sed duntaxat fundamentum illius, sicut & totius ædificii spiritualis; quod utique manere potest destructô illô ædificiô, quemadmodum destructâ domô, non minùs integrum fundamentum subsistit.

Adverte tamen fidem in peccatore subsistentem appellari *informem* & mortuam: quæ autem permanet in homine justo, viva dicitur & formata: charitas enim est veluti forma perficiens fidem, non quidem physicè, ut volunt aliqui; quia falsum est habitum charitatis immediatè concurrere cum habitu fidei ad ejus assensum, cùm hic prior sit omni actu charitatis: igitur non est necessaria talis informatio charitatis ad hunc effectum: sed tantùm moraliter: idque duplici titulô, primò quidem quatenus ex consortio charitatis actus fidei efficiuntur meritorii vitæ æternæ, quæ sine charitate nullum habent honorem. Secundò, quia fides informis habet se ad modum radicis, seu arboris non ferentis fructum, in quo statu censetur mortua, hoc est, privari vitâ spirituali, & omni venustate ac decore, per quem Deo fiat grata & accepta.

XVII. Quomodo fides *informis & formata* differant.

Nolim tamen existimes cum quibusdam Theologis antiquioribus, fidem informem & formatam esse distinctos habitus in entitate, quorum unus in peccatore subsistat, & pereat adveniente gratiâ: è contrà verò hic recedat cum gratia succedente alterô habitu fidei informis; nec, ut volebant alii, utrumque illum habitum manere in homine justo, in peccatore verò solùm subsistere habitum fidei informis. Quæ utique opinionum varietas ex eo fortè ortum habuit, quòd fidem vivam & mortuam non minùs differre putabant, quàm hominem vivum & mortuum: quos non solùm numerô, sed specie differre existimabant. Verùm jam concors Theologorum sententia docet eandem numerô fidem, quæ anteà erat informis propter gratiæ carentiam, fieri formatam per ejus augmentum: quemadmodum enim idem corpus quod vivum fuerat, non solùm mortuum idem permanet, sed etiam reverà est idem, cùm denuò suscitatur ac revocatur ad vitam: ita & fidei habitus qui vivus erat præsente charitate, moritur per illius absentiam, & iterum vitam recipit per ejus adventum.

Quod utique, inquit de Lugo disp. 16. sect. 3. num. 54. verum indicant parabolæ ac similitudines, quibus Scriptura & Patres hoc solent significare. Nam fides sine charitate assimilatur lampadi sine oleo, qualem fatuæ virgines habebant, quam eandem lampadem, ut reviviseeret, oleô additô ornare parabant, non aliam lampadem, sed eandem. Sic etiam S. Hieronymus tom. 4. in caput 26. Isaiæ sub initium comparat bona opera, seu charitatem muro, fidem antemurali: *Et ponetur,* inquit, *in ea murus & antemurale: murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei, ut duplici septa sit munimentô; non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides operibus confirmetur.* Ubi vides ipsam eandem fidem, quæ sine operibus non sufficit, debere bonis operibus confirmari: neque enim positô murô antemurale mutatur, sed idem omnino perseverat. Ita etiam loquitur S. Bernardus serm. 24. in Cantica: *Mors fidei,* inquit, *est separatio charitatis: credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio, non incurvet terrenum opus; quem fides cœlestium erigit.* Eadem ergo fides est, quæ abscedente charitate moritur, & redeunte vivificatur, & animatur. In quo etiam sensu Beda *in cap.* 2. *Jacobi* dixit, fidem mortuam per opera charitatis reviviscere, & animari. Certum autem est non posse reviviscere, & resurgere, nisi illud idem, quod ceciderat & mortuum fuerat.

Quid sit fides informis.

Ratio hujus assertionis est clara: quia eadem fides, quæ informis est, cùm sufficiat ad assensum supernaturalem de rebus revelatis propter divinam authoritatem; sufficit adveniente charitate ad eadem objecta credenda; qui assensus in homine jam justo gratus erit Deo, & meritorius de condigno: ut quid ergo alius habitus fidei addendus est? Adde non esse credibile, quòd peccante homine, detur tunc ei alter fidei habitus novus, qui certè esset donum Dei supernaturale datum de novo homini absque ulla ejus dispositione; imò cum indispositione & demerito actuali, ob quod dignus esset expoliari donis omnibus, non quidem nova recipere.

Conclusio Quinta.

XVIII. *Fides non remanet in hæreticis.*

Habitus fidei infusæ non remanet in hæreticis. Hæc est determinata in Concilio Tridentino locis in præcedenti conclusione laudatis, ubi dicit fidem amitti per peccatum infidelitatis. Quod etiam probatur ex Scriptura sacra, nam Lucæ 8. dicitur, esse quosdam, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: Et Apostolus 1. ad Timoth. 1. loquens de Alexandro & Hymenæo, hortatur Timotheum, *ut habeat fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.*

Dicuntur autem naufragasse, qui navem, id est, Ecclesiam perdiderunt, ut exponit sanctus Chrysostomus homil. 5. dicens: *Sicut ille qui naufragium facit, amissis omnibus nudus evadit; ita is, qui ex fide excidit, nihil sibi ex Dei donis ac virtutibus amplius retinet.* Unde ibidem cap. 6. de homine hæretico loquens, ait: *Superbus est nihil sciens*, id est nihil certò & firmiter credens; unde ibidem hortatur Timothæum: *Depositum custodi devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*: Quibus verbis significat Apostolus reverà hominem infidelem & hæreticum à fide excidere.

Ut probatur ex S. Scriptura.

Idem colligitur ex prima epistola sancti Joannis cap. 2. ubi Apostolus loquens de hæreticis quos Antichristos nominat, ait: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ex quibus verbis colligunt SS. Patres hominem hæreticum esse sejunctum ab Ecclesia, nec ullatenus amplius Christi mystico corpori conjunctum.

Ex ratione.

Probatur insuper ratione: Primò quidem: Ille fidem deperdit, qui non potest censeri fidelis: sed hæreticus non potest censeri fidelis: igitur in eo fides non perseverat. Minor constat: hæresis enim est formalis infidelitas, ac proinde hæreticus non potest fidelis æstimari. Major etiam patet, quandiu enim quis habet habitum fidei, quantumvis dubius hæreat circa quosdam articulos, reverà appellari potest fidelis, sicut is qui plures conclusiones philosophicas novit, etsi circa unam vel alteram erret, nihilominus absolutè dicitur Philosophus.

Deinde, Ille non habet habitum fidei infusæ, qui non potest moveri à ratione formali objecti talis habitûs: sed hæreticus non potest moveri à ratione formali objecti fidei infusæ; hæc enim formalis ratio est ipsa revelatio, ut notificata per Ecclesiam omnino infallibilem: ergo cùm hæreticus non credat Ecclesiam infallibilem esse in proponendis omnibus objectis à Deo revelatis, alioqui non magis crederet unum articulum quàm alterum, consequens est quòd fidem perdiderit.

Denique, Si quis ante susceptum fidei habitum nollet credere aliquem ex articulis, putà præsentiam corporis Christi in Eucharistia, quamvis paratus esset credere omnibus articulis in tribus Symbolis, Apostolorum sancti Athanasii, & Concilii Nicæni, expressis, non posset suscipere fidem: ergo si ita pravè afficiatur post illam susceptam, non poterit eam servare. Consequentia patet à simili: Sicut enim aliquis unum hominem odiô prosequens, quamvis omnes alios diligat, non potest excipere nec conservare habitum charitatis: ita à pari qui pravè afficitur circa unum articulum credendum, non potest recipere habitum fidei; quemadmodum enim charitas movet ad amandum omnes omnino homines: ita & fides ad credendum omnibus omnino objectis à Deo revelatis.

XIX. *Hæretici habent fidem acquisitam.*

Dices: Hæreticus qui negat unum articulum fidei, putà purgatorium aut aliquod ex Sacramentis, eandem adhuc experitur facilitatem ac promptitudinem circa alios articulos: igitur habet adhuc eundem fidei habitum.

Distinguo antecedens: Experitur eandem facilitatem ratione fidei infusæ, nego: ratione fidei acquisitæ per varios actus quos ante hæresim exercuit, concedo. Consequentiam similiter distinguo; Habet eundem fidei habitum divinitùs infusum, nego: acquisitum, concedo. Ille igitur, inquit Doctor d. 23. num. 4. sine fide infusa credit aliis articulis, quia fides infusa corrumpitur cùm hæresis generatur; alias starent simul fides & hæresis: igitur fide acquisitâ credit aliis articulis, quæ scilicet fuit cum infusa præcedenti, aliqua tali fuit: non enim in illo instanti, in quo corrumpitur fides infusa per hæresim, generatur primò fides acquisita, nam ille error non disponit ad fidem pro tunc, immo est indispositio, ut pro tunc non generetur: igitur præfuit ante illum errorem, & sic certum est esse in nobis fidem acquisitam. Ita Doctor.

XX. *Quomodo destruatur fides potiùs per infidelitatem quàm per alia peccata.*

Dices secundò: Si per peccatum infidelitatis destrueretur fidei habitus, illa destructio fieret vel physicè vel moraliter: at neutrô modô id fieri potest; non quidem moraliter sive demeritoriè; enimverò si per peccatum infidelitatis destrueretur fidei habitus, maximè quia propter sui indignitatem & enormitatem moveret Deum ut auferret ab homine omne donum supernaturale; sed id dici nequit; quia alia sunt peccata graviora, putà odium Dei, quod tamen non movet Deum, ut auferat habitum fidei ab eo qui tale odium habet. Non etiam physicè, si enim peccatum hæresis destrueret physicè habitum fidei, vel istud efficeret in ratione causæ formalis, seu per modum formæ quæ per sui præsentem & formalem efficacitatem pugnaret cum fide illamque destrueret; sicut calor pugnat cum frigore, & albedo cum nigredine: vel per modum causæ efficientis & mediatè, producendo videlicet aliquid quod esset omnino incompossibile cum fide: at neutrum dici potest. Non quidem primum: tum quia actus non opponitur formaliter & immediatè habitui, sed tantùm alteri actui ab opposito habitu elicito: tum quia actus hæresis qui non est voluntarius, sed indeliberatus, habet omnimodam entitatem physicam actûs hæresis, qui est deliberatus, nec tamen ad ejus præsentiam perit habitus fidei. Neque etiam in genere causæ efficientis; siquidem primus actus hæresis, quantumvis intensus, non potest producere habitum contrarium habitui fidei, nisi fortè secundùm entitatem & primum gradum istius habitûs infidelitatis: at ille habitus sic productus secundùm primum gradum non sufficeret, ut expelleretur habitus acquisitus: ergo multò minùs, ut per eum physicè & efficienter destruatur habitus infusus, maximè cùm nullus habitus acquisitus repuget ex natura sua cum habitu infuso: peccator enim quantumvis habeat habitus infusos vitiosos, non minùs tamen justificari potest, etiamsi illi habitus vitiosi in ipso justificato remaneant.

Respondeo, actum infidelitatis sive hæresis expellere duntaxat habitum fidei moraliter, non

ſolùm demeritoriè ſed etiam diſpoſitivè: duplex enim genus deſtructionis quantùm ad præſens inſtitutum diſtingui poteſt; nempe demeritum & indiſpoſitio; actus autem infidelitatis non ſolùm pugnat in fidem demeritoriè, quatenus videlicet movet Deum, ut ab infideli ſubſtrahat fidem; ſed etiam diſpoſitivè, qui enim non vult aſſentiri uni propoſitioni fidei propter authoritatem & revelationem divinam ab Eccleſia propoſitam, eô ipsô habet impedimentum ne aſſenſum præbeat fidei infuſæ circa alias propoſitiones; ſiquidem authoritas & revelatio divina propoſita per Eccleſiam eſt unicum & indiviſibile motivum, quô aſſentimur per fidem infuſam omnibus myſteriis revelatis: ergo ubi motivum iſtud cenſetur inſufficiens ut excitet intellectum ad aſſenſum reſpectu unius, pari ratione cenſeri debet inſufficiens ad aſſentiendum aliis propter idem motivum credendis.

Dices tertiò: Poteſt aliquis perdere habitum acquiſitum; v. g. ſcientiam circa unum objectum, & eam perfectam ac integram conſervare circa aliud objectum particulare ejuſdem ſcientiæ; medicus enim facili negotio perdere poteſt habitum Phyſicæ quantùm ad principia & proprietates corporis naturalis, eum verò retinere quantùm ad Animaſticam & proprietatem corporis humani: igitur pari ratione poterit hæreticus perdere fidei habitum quantùm ad unum articulum, & eundem conſervare quantùm ad alios articulos divinâ fide credendos.

Nego paritatem, & ratio diſparitatis eſt quòd habitus ſcientiæ totalis non ſit ſimplex & indiviſibilis, ſed multiplex & adunatus ex variis ac diſtinctis habitibus qui circa diverſa ejuſdem objecti generalis ac communis occupantur; habitus verò fidei eſt omnino ſimplex & indiviſibilis; ac ſubinde mirum eſſe non debet quòd ubi deperditur, totus pereat.

Quæstio Quarta.

A quo & qualiter fidei habitus producatur?

I. Quænam ſit fidei cauſa materialis, formalis & finalis.

Notandum primò, citra controverſiam eſſe, quòd cauſa *materialis* ſeu ſubjectiva fidei infuſæ ſit intellectus hominis vel Angeli viatoris; quippe, ut diximus, cùm habitus ille ordinetur ad cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ nonniſi per divinam revelationem innoteſcunt, neceſſum eſt quòd in ea facultate ſubjiciatur, quæ unica cognoſcitiva eſt & capax perceptionis ejuſmodi objectorum. Cauſa autem *formalis* illius, alia non eſt quàm ipſa prima veritas in dicendo & revelando: habitus namque non aliam habent cauſam formalem, per quam innoteſcant, & ab aliis diſtinguantur, quàm illam rationem formalem objecti à quo ſpecificantur eorum habituum actus: & *finalis* ſimiliter cauſa fidei eſt ipſa hominis juſtificatio ac ſalus, juxta illud S. Petri 1. cap. 1. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum*. Reſtat igitur dicendum aliquid de cauſa efficiente.

II. Scopus quæſtionis.

Notandum ſecundò, omnes Theologos convenire habitum fidei infuſæ non produci vel generari à repetitis actibus credendi myſteria ob revelationem divinam: ideo enim habitus virtutum Theologicarum dicuntur infuſi per ſe, & non ſolùm per accidens, quia ex natura ſua poſtulant non fieri ab actibus, ſicut fiunt habitus acquiſiti: A ſed divinitùs conceduntur ad modum potentiæ, quæ ordinatur, non ad faciliùs, ſed ad ſimpliciter operandum; ideoque certum eſt hos habitus à Deo infundi. Difficultas autem eſt, an fidei habitus per ſe ita poſſint à Deo infundi ut ſeorſim ab aliis habitibus ſpei maximè charitatis ac gratiæ ſanctificantis produci poſſint. Circa quam difficultatem reſolvendam triplex eſt Authorum ſententia; *Plurimi* namque docent cum Suarez diſp. 7. ſect. 5. num. 6. habitum fidei ſæpe infundi ſine habitu gratiæ ſanctificantis: *nonnulli* verò cum Soto lib. 2. de Natura & Gratia cap. 8. contendunt quòd licèt habitus fidei non infundatur extra ſacramentum; infunditur tamen fides habitualis in baptiſmo homini aliunde B diſpoſito per fidem actualem, licèt habeat obicem ad habitum gratiæ ſanctificantis; quia, inquiunt, cùm baptiſmus ſit ſacramentum fidei, ſaltem habebit hujus habitûs fidei infuſionem pro effectu. *Tertia* denique ſententia negat infundi unquam habitum fidei abſque habitu gratiæ.

III. Quâ ratione habitus per repetitos actus producatur.

Notandum tertiò, habitum eſſe quoddam veſtigium ipſius actûs ab eo relictum in potentia ac impreſſum, illumque inclinans in objectum ejuſdem actûs, ut alios ſimiles actus producat. Sicut enim actus formaliter per modum tranſeuntis movet & inclinat potentiam in ſuum objectum; ita habitus eſt quædam habitualis ac perſeverans inclinatio, potentiam, quantùm eſt ex parte ſua, C movens continuò in idem objectum, maximè quando iſtud occurrit & facultati objicitur; quando enim frequenter aliquos actus circa objectum aliquod elicuimus, experimur nos paulatim magis ac magis ad ſimiles actus exercendos inclinari, & præſente objectô quodammodò violenter rapi, itaut neceſſe ſit nobis vim inferre, ut ab ejuſmodi actibus abſtineamus. Porrò actus ille quô generatur habitus, conſiderari poteſt duobus modis: *Primò* quatenus eſt quædam qualitas potentiæ inhærens; itaut ipſa hanc nullomodò percipiat, nec ſenſibilem habeat vel dum producitur, vel dum inhæret: *Secundò* quatenus ipſam D potentiam ſenſibiliter afficit, ipſaque per eum vitaliter tendit in objectum. His præmiſſis duo hîc occurrunt determinanda. *Primum*, utrum neceſſariò fidei habitus cum habitu charitatis & gratiæ ſanctificantis infundatur: *Secundum*, utrum actus fidei infuſæ producere poſſint habitum fidei acquiſitæ.

Conclusio Prima.

IV. Fides datur ſimul cum charitate.

Fides ſemper infunditur cum habitu charitatis, quanquam revera poſſint ſeorſim infundi. Hæc eſt Doctoris quantùm ad utramque partem; in 3. d. 36. n. 30. ubi loquens de virtutibus Theologicis E & earum connexione, ait: *Sed nunquid in fieri vel in infuſione ſunt connexa, ita quòd una non poſſit infundi ſine alia? Reſpondeo, quæcunque ſeparari poſſunt in eſſe, poteſt Deus ſeparare in fieri; & ideò quantùm eſt ex ſe non neceſſario connectuntur in infuſione, ſed ex liberalitate divina connectuntur: quia Deus totum hominem perficit; ita quòd ſicut corporaliter nullum ſanavit niſi perfectè: ita etiam ſpiritualiter non ſanat hominem, niſi perfectè ſanet: perfecta autem ſanitas eſt, ſi quantùm ad intellectum habet fidem, & quantùm ad voluntatem, ſpem & charitatem.* Quibus verbis Doctor docet ſecundùm legem & viam ordinariam Deum in juſtificatione ſimul infundere fidem, ſpem, &

Ut docet Doctor.

Charitatem, quanquam illas virtutes seorsim possit infundere.

Et colligitur ex Conciliis.

Probatur prima pars: Primò quidem ex Concilio Viennensi, ubi determinatur probabilius esse tam parvulis, quàm adultis infundi per baptismum gratiam & virtutes. Et ex Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi dicitur in justificatione, Fidem, Spem & Charitatem simul infundi. *Vnde*, inquit, *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accepit homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem.* Quæ verba nolim tamen sic accipias, quasi nusquam illæ virtutes seorsim possint infundi, quod ita fiet si justificandus sit optimè ad eas virtutes dispositus, vel nisi aliquas ex illis virtutibus antè habuerit. Subdit enim: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, quâ ratione verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam & otiosam esse.* Ubi apertè supponit fidem quandoque nobis priùs infundi quàm charitatem; agit enim de totali hominis conversione & justificatione, quâ infidelis conversus justificatur per infusionem Fidei, Spei & Charitatis, atque fidem infusam, nisi accedat spes & charitas, non efficere nos membrum Christi, sed otiosam & mortuam esse, quæ utique minùs congruè dicerentur si fides nunquam nobis infunderetur ante charitatem.

Quòd autem id non fiat ordinariè, probat Doctor ex d. 3. de pœniten. cap. *sunt plures, &c.* Ubi dicitur quod Deus neminem unquam sanavit, quem ex integro non fecerit sanum, ad cujus probationem profertur illud Matth. 9. ubi dicitur quòd *totum hominem sanum fecerit in Sabbato*, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione peccati liberavit. Subditur autem in eo Canone ratio hujusce assertionis: *Quædam enim*, inquit, *impietas infidelitatis est ab illo qui justus & justitia est, dimidiatam sperare veniam.* Congruum est igitur, ait Doctor, quòd Deus qui hominem sanat per infusionem virtutum supernaturalium, eum ex integro sanum efficiat, ac subinde quòd tres eas virtutes simul infundat.

V.

Potest tamen infundi sine Spe & Charitate.

Nihilominus secunda pars etiam est evidens, nempe quòd Deus interdum priùs fidem & spem infundat, quàm charitatem, ut docet S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa initium, ubi ait: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum.* Loquitur autem de Catechumenis habentibus fidem sine charitate; unde subdit: *In quibusdam verò tanta est, ut jam corpori Christi, & sancto Dei templo deputentur.* Hinc concludit: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed & nasci opus est, &c.* Quibus verbis significat S. Doctor aliquem initiò suæ conversionis posse habere fidem, quamvis nondum habeat spem & charitatem. Quod utique verum apparet ex Joan. 12. ubi de quibusdam Principibus Judæis dicitur: *Veruntamen ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* Quibus significatur eos Principes habuisse quidem fidem, non verò spem & charitatem.

Ut docet S. Augustinus.

Et ratione suadetur.

Probatur etiam ratione: Congruum enim videtur, quod quando aliquis habet dispositiones ex se præerequisitas ad habitum fidei, eum accipiat, etiamsi ob defectum dispositionis prærequisitæ ad charitatem illum non possit suscipere: sed adultus potest interdum habere omnes dispositiones prærequisitas ad habitum fidei, etiamsi non habeat illas, quæ prærequiruntur ad charitatem: igitur congruum est, ut ipsi fidei habitus infundatur, dum baptismum cum hac dispositione suscipit, v. g. etiamsi propter indispositionem habitum gratiæ sanctificantis & charitatis non possit recipere. Major constat: Solet enim Deus, quatenus est author naturæ aut gratiæ, formam producere secundùm dispositionem subjecti. Minor verò probatur: fieri enim potest ut adultus paratus habeat animum ad credendum, imò & de facto credat omnia mysteria fidei, ut revelata à Deo, & proposita ab Ecclesia, nec-non ut profiteatur illam fidem, quòd accedat ad baptismum, habens aliunde affectum aliquem pravum, putà odium proximi, quo in casu ille haberet omnes dispositiones prærequisitas ad recipiendam fidem; non autem ad recipiendam charitatem; ac subinde posset fidem sine charitate recipere.

Repones, quòd ipsa indispositio ad recipiendam charitatem eum indignum efficiat, ut ei fidei supernaturalis habitus conferatur; ac proinde quâ ratione non potest recipere charitatem, eâdem non potest fidem consequi.

Contrà: Demeritum, seu indignitas sufficiens, ut Deus moveatur ad auferendum habitum charitatis, non sufficit ut itidem moveatur ad auferendum habitum fidei, qui conservatur in anima, etiam deperditâ charitate: igitur pari ratione indignitas ad recipiendam charitatem non obstabit, ut quis recipere possit habitum fidei. Probatur consequentia: non enim est major gratia quòd Deus peccatori gratiam fidei infundat, quàm quòd eam in ipso conservet, nec unum magis Deum dedecet, quàm alterum: igitur utrumque ex æquo fieri potest.

Ex iis apparet facilè conciliari pugnantem Authorum sententiam circa infusionem fidei conjunctim vel seorsim à charitate & gratia sanctificante, quòd nempe Deus nusquam infundat habitum fidei, sine habitu charitatis, quando subjectum est sufficienter dispositum ad utrumque habitum excipiendum, infundit verò unum sine altero, quando habet quidem dispositionem ad receptionem unius habitûs, non verò ad receptionem alterius.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.

Actus supernaturales possunt producere habitus acquisitos.

ACTUS *supernaturales Fidei, Spei & Charitatis in nobis viatoribus generant habitus naturales & acquisitos circa idem formale objectum, in quos actus supernaturales illorum habituum tendunt.* Hæc est pariter Doctoris in 3. d. 23. num. 4. ubi probat dari in nobis fidem acquisitam, *Tum quia* S. Augustinus dicit, quòd non crederet Evangelio, seu rebus in ipso contentis, nisi crederet Ecclesiæ Catholicæ: ergo potest aliquis credere Evangelio ob solam Ecclesiæ authoritatem; cùm autem possit credi fide humanâ rebus approbatis ab Ecclesia, sequitur quòd possit quis fide acquisita credere mysteriis fidei contentis in Evangelio. *Tum quia* si puer Judæus non baptizatus educaretur inter pueros Christianos, nec sciret se esse Judæum aut non baptizatum, ipse iisdem omnino mysteriis crederet, quibus crederent Christiani: at non crederet per fidem infusam, quia non conceditur infideli sine baptismate, quod

ipse non accepit: igitur crederet per fidem acquisitam.

VII. Datur fides acquisita.

Confirmat ex eo quòd nos ipsi credamus multis rebus ex relatione parentum, & aliorum quos non vidimus: igitur, inquit, pari ratione propter eandem veritatem credere possemus fide acquisitâ eadem mysteria, quæ fide divinâ credimus: „ tum denique quia si aliquis baptizatus qui credidit fide infusâ omnibus articulis, incidat in hæresim nolendo credere uni articulo, putà Trinitati personarum, in eo statu non amplius habet fidem supernaturalem, ut suprà dictum est, nec tamen minùs firmiter credit aliis articulis quàm anteà, quatenus ipsos propriâ experientiâ percipit, qui enim labitur in hæresim propter negatam realem Christi D. corporis in Eucharistia præsentiam, experitur se non minùs firmiter credere unitatem Dei, personarum Trinitatem, Incarnationem, &c. quàm anteà: at non illis credit fide infusâ, quia illam perdidit per hæresim: igitur credit fide acquisitâ; ac subinde datur illa fides acquisita, non solùm actualis, sed etiam habitualis.

Nec refert quòd Doctor ibi asserat illam fidem acquisitam non comparari per elicitos actus supernaturales fidei infusæ: sed duntaxat per actus merè naturales; sufficit enim quantùm ad propositum quòd approbet Doctor dari fidem acquisitam circa idem objectum formale, in quod tendit habitus fidei infusus; quod etiam alibi probat, maximè quodlibetô 14. ubi expressè ait, quòd *Deo immediatè revelanti posset quis credere credulitate acquisitâ.*

Quòd autem reverà actus supernaturales producere possint habitum acquisitum naturalem, patet, quia actus producit habitum, quatenus potentia per eum sensibiliter movetur, sive fertur in objectum: at intellectus eôdem planè modô perceptibili ac veluti sensibili fertur in objectum per actum supernaturalem ac per naturalem: igitur uterque actus in eo producit habitum. Major constat, non enim aliter per actus repetitos facilitatur potentia & habitum acquirit producendi actus subsequentes, quàm quia, ut dictum est, illi actus ut sensibiles relinquunt sui vestigium in potentia. Minor probatur, non enim aliter potentia, ex parte sua influit in actus supernaturales, quam in naturales, nec illi eam sensibiliter afficiunt aliter quàm hi; itaut nullô modô possimus percipere ac distinctè cognoscere, utrum producamus actum supernaturalem, an verò duntaxat naturalem; & consequenter cùm potentia eôdem modô se habeat circa objectum per actus supernaturales ac naturales, inde fit quòd quemadmodum actus naturales producunt habitum, etiam & supernaturales debent producere.

Confirmatur ipsâmet experientiâ, quâ constat justos, qui sæpius se exercent in aliquo actu virtutis supernaturalis, acquirere magnam in ejus exercitio facilitatem: quod est apertum signum eos acquirere habitum naturalem: ergo actus supernaturales hujusmodi habitum gignunt.

Objicies primò: Actus non producunt habitus, nisi similes eis, à quibus geniti fuêre: atqui actus supernaturales non generantur ab habitibus naturalibus: ergo illi nequeunt ejusmodi habitus producere.

VIII. Quomodo habitus na-

Distinguo majorem: Actus illi non producunt habitus nisi omni ex parte similes illis habitibus, à quibus sunt geniti, nego: aliqua ex parte, concedo: habitus autem geniti per actus supernaturales sunt similes habitibus infusis, non quidem secundùm rationem supernaturalitaris, sed secundùm rationem inclinationis & determinationis potentiæ ad tendendum in objectum: ad hoc enim sufficit quòd potentiam formaliter inclinent ad eliciendum aliquem actum circa objectum formale ejusmodi actuum supernaturalium, abstrahendo à ratione naturalis vel supernaturalis, hôc ipsô enim quô potentia ita inclinatur, sufficienter determinatur ad istum actum facilè eliciendum. turales produci possint ab actibus supernaturalibus.

Objicies secundò: Non minùs distinguuntur fides acquisita & infusa, quàm scientia & opinio: sed scientia non potest parere habitum opinionis, nec opinio habitum scientiæ: igitur assensus fidei elicitus propter authoritatem Dei non potest generare habitum credendi propter solam authoritatem humanam.

Nego majorem; & ratio disparitatis est, quòd opinio & scientia habeant omnino distincta objecta formalia: fides autem infusa & acquisita non distinguuntur penes objecta formalia; siquidem utraque tendit in idem objectum formale, nempe in rem revelatam credendam propter authoritatem Dei: absurdum enim esset dicere, quòd non posset quis viribus naturæ credere aliquid esse verum, quia est revelatum à Deo, sicut potest credere aliquid esse verum quando judicat hominem veracem istud dixisse, nam sine dubio Dei revelatio probabiliter cognita, est fortius motivum ut inducat hominem ad credendum quàm revelatio hominis.

IX. Possumus credere fide humanâ & divinâ propter idem motivum.

Adde quòd si non posset quis ob idem motivum credere fide humana & divina, sed necessariò moveri deberet aliò motivô, ut credat per fidem humanam, & aliò per fidem divinam, sequeretur quòd etiam cognoscere posset quando moveretur unô motivô, & quando moveretur alterô; & consequenter posset cognoscere, quando eliceret actum fidei supernaturalis, aut quando duntaxat eliceret actum fidei acquisitæ, & sic à paritate rationis distinctè posset cognoscere quando haberet charitatem supernaturalem & quando non haberet; & per consequens posset cognoscere certò absque ulla revelatione se esse in statu gratiæ, aut non esse; quod utique erroneum esse demonstravimus agendo de gratia justificante. Constat ergo fidem acquisitam & infusam posse versari circa idem objectum formale & per idem motivum, quod insuper confirmatur: posset enim Deus revelare homini vel Ecclesiæ, quòd subvenire pauperi, v. g. esset honestum honestate naturali, nihil revelando de particulari honestate quam haberet ut conducit ad vitam æternam; quo in casu posset voluntas per habitum naturalem misericordiæ tendere in illum actum: ergo habitus naturalis tendere potest in objectum solâ fide naturali cognitum.

ARTICULUS TERTIUS.

De actu Fidei Divinæ.

I. Duplex est fidei actus.

EXPLICATO divinæ fidei objectô & habitu, ex quibus tanquam ex principiis procedit actualis fides, rectô ordine occurrit consideratio & disceptatio de ejusmodi fidei actu. Cùm autem hic sit duplex, *Internus* videlicet, qui est ipsemet assensus firmus in authoritate Dei obscu-

tè revelantis fundatus; & *Externus*, qui est ipsa exhibitio sensibilis, ac declaratio actûs interioris fidei, seu illius professio per aliquod signum externum & apparens, quô internus fidei actus manifestatur & declaratur: Hinc de hoc duplici actu agendum erit in præsenti articulo, inquirentes ac resolventes: *Primò*, quid & quotuplex sit fidei actus internus: *Secundò*, quæ sit ejus certitudo: *Tertiò*, qualiter & quando sit necessarius: *Quartò*, quâ ratione voluntas ad ipsam concurrat: *Quintò* denique, quomodo & quando necesse sit externô signô fidem profiteri?

Articuli distributio.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex sit actus fidei internus?

II. Proponitur ac refellitur fidei definitio quam expendit S. Thomas.

NOtandum primò, hanc proferri fidei definitionem ab aliquibus Theologis, ex sancto Augustino, qui lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. dicit, *credere nil aliud esse, quàm cum assensione cogitare*: quam utique definitionem sic explicat S. Thomas quæst. 2. art. 1. ut velit illis verbis comprehendi genus & differentiam ipsius fidei: nam *cogitatio* locum generis tenet: *assensus* verò denotat differentiam ipsius actûs fidei a cognitione evidenti, quatenus significat aliquam libertatem in ipsa adhæsione intellectûs, quâ firmum præbet assensum alicui propositioni propter solam authoritatem divinam. Quod utique explicari videtur ex ipsomet sancto Augustino, qui lib. *de Spiritu & Littera cap.* 31. ait: *Quid est credere, nisi consentire verum esse quod dicitur?* Itaque *assensus* ille, licèt non sit actus voluntatis, qui potiùs dicitur *consensus*, est tamen elicitus dependenter à consensu voluntatis: quapropter *Suarez* disp. 6. sect. 1. num. 9. & *de Lugo* disp. 8. sect. 3. num. 30. apprimè notant quòd etsi illa explicatio S. Thomæ videatur acuta, non tamen est ad mentem sancti Augustini; quippe sanctus Augustinus ibi non intendebat definire fidem divinam, sed solùm explicare aliquod prædicatum genericum, ex quo probaret contra Semipelagianos non solùm progressum vel augmentum, sed etiam ipsum initium fidei debere in nobis esse ex Dei gratia. Ad quod usurpat piam cogitationem, quæ videtur genus fidei divinæ: per eam enim videtur convenire cum fide humana: ex ea autem inferri fidem ad salutem spectantem esse duntaxat ex gratia Dei; quoniam, inquit sanctus Paulus ad Philipp. 3. *non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis*, scilicet in iis quæ ad pietatem pertinent, ut ibidem explicat sanctus Augustinus: quapropter alia investiganda est fidei definitio.

III. Qualiter accipienda sit fidei definitio ab Apostolo tradita.

Notandum secundò, definitionem fidei, quam communiter recipiunt Theologi, tradi ab Apostolo ad Heb. 11. ubi ait: *Est autem fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. In qua definitione fit sermo de fide actuali, quidquid in contrarium reclamet Erasmus, qui in suis Annotationibus ad eum locum vult nomine *fidei* ibi non significari actum intellectûs, sed voluntatis qui dicitur *fiducia*: quæ etiam sententia videtur fuisse sancti Damasceni lib. 4. de Fide c. 11. at licèt senserit ibi fuisse sermonem de fiducia; non tamen de illa sola, sed simul etiam de fide intellectuali, ut explicat Magister sententiarum dist. 23. Idque colligitur ex ipso contextu Apostoli, qui postquam *in fine capitis* 10. dixerat: A *Iustus ex fide vivit*; statim cap. 11. incipit de eadem fide dicere: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: & de eadem subdit: *Sine fide impossibile est placere Deo; quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Quod quidem ad intellectum pertinet, & postea de eadem fide addit: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbô Dei, &c.* & alia exempla affert; quæ omnino dicunt assensum intellectualem. *Advertendum* etiam non ibi sermonem instituere Apostolum de fide objectiva, seu de objecto fidei, sed de fide ipsa formali, seu de assensu nostro interno; nam fides objectiva sunt res quæ sperantur & non apparent: fides autem quæ hîc definitur est substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium; ac subinde B condistinguitur ab objecto fidei; objectum enim omnes substantias, seu fundamentum sui ipsius, neque augmentum probans seipsum. Utrum autem præfata fidei definitio accurata sit, an verò sit duntaxat ejusdem fidei encomium, ut vult Erasmus, aut sola illius per effectus descriptio, ut volunt aliqui Theologi, determinandum est.

IV. Actus fidei infusæ sunt ejusdem speciei.

Notandum tertiò, omnes actus internos fidei infusæ esse ejusdem speciei, utpote cùm habeant idem objectum formale, nempe divinam veracitatem, C & idem motivum, hoc est, eandem revelationem divinam quæ non variatur specie, licèt distincta specie objecta manifestet. Nec obstat quòd actuum fidei aliqui videantur affirmantes, alii verò negantes, putà cùm credimus id non esse nec futurum esse, quod taliter à Deo negatur, exempli gratiâ cùm credimus inferni pœnas nunquam finiendas; quoniam Deus asserit illas esse æternas; hic enim assensus quamvis videatur negativus, nihilominus est reverâ affirmativus; non enim hæc aliam ob causam credimus, quàm quia Deus, qui verax est in dicendo, ista revelavit. Unde actus ille potiùs est assensus quàm dissensus.

Adde quòd, non credamus pœnas inferorum D nusquam finiendas, quàm quia credimus illas fore æternas: credere autem aliquid esse æternum, non est assensus & dissensus: igitur actus fidei non videntur hâc ratione specie distingui: quamobrem hîc superest investigandum quomodo dividatur actus internus divinæ fidei, penes diversum modum tendendi in Deum proponentem objecta credenda.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Fides optimè ab Apostolo definitur.

FIdes rectè definitur ab Apostolo, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* E Ita Seraphicus Doctor distinctione 23. articulo 1. quæstione 5. cum cæteris Theologiæ Principibus. Quam utique Conclusionem sic egregiè probat: Tunc definitio sive notificatio est « rectè assignata, quando nihil continet super- « fluum, nihil etiam diminutum. Et hoc est quan- « do per ipsam notificationem ipsius definiti essen- « tia planè indicatur, & apertè manifestatur, & ab « omnibus aliis separatur: hoc autem est reperire « in proposito, si quis attendat. Nam ipsa fides se- « cundùm essentiam suam aliquid respicit ex parte « intellectûs, & aliquid ex parte affectûs. Habet « enim affectum stabilire, & intellectum illuminare. Et in quantum affectum stabilit, dicitur *substantia*, sive fundamentum: in quantùm autem « intellectum illuminat, dicitur *argumentum*. Ut ex

Ut egregiè probat Doctor Seraph.

» go plenè fidei essentia explicaretur, oportuit eam definiri sive notificari, ut diceretur substantia simul & argumentum; debet enim definitio totam essentiam definiti in se claudere; debet etiam nihilominus apertè notificare. Quoniam ergo habitus virtutis dupliciter notificari habet, videlicet per finem ultimum, & per suum objectum: finis autem ipsius fidei consistit in æterna beatitudine quam speramus, & ita in rebus sperandis: objectum autem consistit in veritate non visa, & ita in rebus non apparentibus: ideo opportunum fuit fidem definiri per res sperandas, & non apparentes, ut sic notificatio fidei non solùm essentiam definiti explicaret plenè per intellectum & affectum, sed etiam manifestaret apertè per finem, & objectum. Deberet etiam definitio definitum ab omnibus aliis separare. Et quoniam fides formata distingui habet a fide informi: distingui etiam habet ab habitu cujuslibet alterius virtutis: à fide inquam, informi distinguitur, in quantùm sustentat totam fabricam spiritualem: ab aliis autem virtutibus in quantùm veritati non visæ facit adhærere. Ideo quantùm ad hæc duo, dicitur substantia rerum sperandarum, ut distinguatur à fide informi. Et argumentum non apparentium, ut distinguatur ab habitibus aliarum virtutum; & sic patet, quòd prædicta notificatio nihil continet superfluum, nihil diminutum, nec est in ea clausula, nec dictio; imo nec etiam syllaba otiosa. Fatendum est ergo ipsam esse convenienter, & secundùm artem assignatam; ita quòd in se habet veritatem, convertibilitatem, evidentiam, & sufficientiam adeo perfectè & completè, ut nec peritissimi Philosophorum possent eam artificialiùs, & completiùs assignare.

VI. **Dicitur substantia non propriè, sed per appropriationem.**

Dices: Fides est qualitas, ut diximus: igitur rectè non dicitur substantia. *Respondet* Seraphicus Doctor, quòd substantia sumitur duobus modis, scilicet propriè & transsumptivè seu per appropriationem: Propriè quidem cùm significat materiam vel formam substantialem, vel compositum, vel rei cujusque essentiam: Per appropriationem autem, quando ipsi convenit aliqua proprietas substantiæ: hôc autem posteriori modô fides dicitur substantia, quia videlicet est fundamentum fabricæ spiritualis, quam sustinet; quemadmodum substantia est fundamentum accidentium, & materia fundamentum formarum. Hinc S. Damascenus lib. 4. cap. 11. locô *substantia* scribit *hypostasis*, dicendo: *Fides est eorum quæ sperantur, hypostasis & redargutio earum rerum quæ non videntur.*

Dices secundò: Nulla virtus est argumentum, nec ullum argumentum est virtus: sed fides est virtus: igitur non rectè dicitur argumentum.

Similiter appellatur argumentum.

Respondet idem Seraphicus Doctor, etiam argumentum sumi vel propriè, vel per appropriationem. Propriè quidem argumentum dicitur quatuor modis: *Primo*, pro ratiocinatione: *Secundò*, pro brevi prolixioris discursûs collectione: *Tertiò*, pro medio in quo consistit tota vis argumentationis: *Quartò* denique, pro ipsa propositione maxima, in qua consistit totius illationis firmitas: quæ omnia argumentum idcirco dicuntur, quoniam arguunt mentem, eamque illuminant, quatenus aliquid deprehendat, & ei firmiter adhæreat. Juxta quam acceptionem fides dici potest argumentum rerum non apparentium, quia mentem arguit & illuminat, ut præbeat assensum rei obscurè propositæ propter authoritatem divinam; quemadmodum argumentatio movet intellectum, ut adhæreat propositioni manifestatæ & probatæ.

Dices tertiè: Per fidem credimus pœnas æternas futuras: sed illa credulitas non est substantia rerum sperandarum, sed potius timendarum, ac fugiendarum: igitur præfata definitio non convenit omni actui fidei.

VII. **Quare potius dicatur substantia rerum sperandarum, quàm timendarum.**

Respondet idem Seraphicus Doctor ad minorem, quòd credulitas suppliciorum possit considerari vel per modum objecti, vel per modum finis: est autem, inquit, rerum sperandarum non per modum objecti, sed per modum finis; ideo enim credimus æterna supplicia, ut inde stimulemur ad beatitudinem æternam assequendam.

Dices denique: Fides est substantia totius ædificii spiritualis: sed ad istud ædificium non minùs confert charitas, imò longè magis quàm spes; ac subinde fides non minùs dici debet substantia rerum diligendarum quàm sperandarum: igitur præfata definitio non est sufficiens.

Et credendarum ac diligendarum.

Respondet idem Seraphicus Doctor, quòd congruentiùs fides dicatur substantia rerum sperandarum, quàm credendarum, vel diligendarum: Per hoc enim, inquit, quod dicitur sperandarum, magis datur intelligi finis virtutis, qui est ipsa beatitudo expectata, quàm per hoc quod dicitur credendum, vel amandum, vel timendum. Nam isti actus non tantummodò sunt in finem, sed etiam in ea quæ sunt ad finem.

VIII. **Præfata definitio non est accurata.**

Verùm, siquis rem penitiùs inspiciat, facilè deprehendet cum subtili Doctore d. 23. præfatam definitionem Apostoli potiùs esse descriptionem fidei per suos effectus, quàm accuratam definitionem. Unde rectiùs fides actualis infusa definiri potest, dicendo quòd *fides est actualis assensus, firmus ac certus intellectûs creati, in authoritate Dei obscurè revelantis fundatus.* Dicitur *assensus*, per quod quasi genericè convenit cum plurimis actibus intellectûs, v. g. scientiæ, opinionis & fidei humanæ. Dicitur *actualis*, ut distinguatur à fide habituali. Additur *supernaturalis*, ut appareat illius discrimen ab omnibus actibus naturalibus intellectûs. Additur *firmus & certus*, ut distinguatur ab opinione, quæ non movet ad assensum certum & firmum, sed probabilem & dubium. Denique additur *propter authoritatem Dei*, ut distinguatur à fide humana, quæ movet ad assensum propter duntaxat authoritatem hominis proponentis.

Unde accuratior traditur & expenditur.

Conclusio Secunda.

IX. **Tribus modis fidei actus exeritur.**

TRIBUS *modis actus internus divinæ fidei elici potest, nempe vel credendo* DEO, *vel credendo* DEUM, *vel credendo* IN DEUM. Hæc est communis apud Theologos. Probatur: Tot modis aliquis actus potest exerceri, quot habere potest diversas tendentias in suum objectum principale: at fides tribus modis tendere potest in Deum, qui est ipsius objectum principale. Primò namque tendit in ipsum tanquam in objectum materiale & attributionis, & sic habetur primus actus, qui est *credere Deum*, hoc est credere Deum esse, seu existere. Secundò fides tendere potest in suum objectum formale, quod est ipsa divina revelatio, seu authoritas Dei revelantis; & sic exurgit secundus actus fidei, nempe credere Deo, scilicet aliquid revelanti seu proponenti tanquam verum, quia ipse nec falli, nec fallere potest. Tertiò denique, quis tendere potest in Deum per

pium voluntatis affectum inclinantem intellectum, ut assentiatur propositionibus fidei, & sic tertius actus admittitur, nempe *credere in Deum*, id est, credendo in ipsum tendere tanquam in finem ultimum per affectum voluntatis, seu ut loquitur sanctus Augustinus sermone 18. de tempore, &c. de verbis Domini; *credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & membris ejus incorporari.*

Non tamen sunt tres actus realiter distincti.

Nolim tamen existimes tres illos modos tendendi in Deum importare totidem actus fidei realiter distinctos; enimverò in quolibet actu divinæ fidei tria hæc includuntur, nempe credere Deum, credere Deo, & credere in Deum; siquidem quilibet verus actus fidei divinæ habet pro suo materiali objecto saltem attributionis Deum ipsum, pro formali authoritatem Dei revelantis, proceditque ab intellectu, ut stimulato & excitato à voluntate; sed hæc tria nihil sunt aliud, quàm credere Deum, credere Deo, & credere in Deum; ac proinde tres illi modi credendi non important diversos actus fidei.

Peccator enim credere potest in Deum.

Confirmatur: Si enim aliquid obesset quominus hæc tria uni & eidem actui competere possent, maximè quia peccatores possunt credere Deum & credere Deo, non autem credere in Deum; quia piô voluntatis affectu in ipsum non feruntur: at hoc verum non apparet; siquidem dum peccatores sunt, profitentur se credere in Deum; non quidem solùm in persona Ecclesiæ, ut significat S. Thomas, sed etiam in persona propria; unde sanctus Bernardus serm. 24. in Cantica, peccatori tribuit fidem in Deum; quod utique sumitur ex Scriptura Joannis 12. ubi dicitur: *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei*: Illi ergo qui dicuntur in Christum credidisse, erant reverà peccatores, quippe cùm magis homines quàm Deum offendere timerent. Unde sanctus Chrysostomus homil. 52. in Matthæum: *Nihil prodest*, inquit, *si credas in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum assensus divinæ fidei sit certior quolibet assensu scientiæ vel notitiæ naturalis?

I. Quid sit & quotuplex sit certitudo.

NOtandum primò, quòd certitudo est firmitas & constantia alicujus rei, Quæ est triplex; scilicet certitudo *objectiva, subjectiva & formalis*. Certitudo objectiva est necessitas & immobilitas rei in se. Hæcque duplex est: nimirum necessitas & invariabilitas *essentiæ & existentiæ*, quæ soli Deo competit, & necessitas *essentiæ seu propositionis*, quæ est necessaria connexio prædicati cum subjecto. Quæ rursus est triplex. Prima *Metaphysica*, quâ nequidem divinitùs res potest esse aliter, v. g. homo est rationalis. Secunda *Physica*, quando saltem naturaliter propositio non potest esse falsa, v. g. omnis ignis comburit. Tertia *Moralis*. quando propositio secundùm consuetum naturæ ordinem vera est: hæc autem cùm non tollat contingentiam, etiam ad scientiam non sufficit. *Certitudo formalis* est necessaria determinatio cognitionis ad veritatem. Quæ considerari potest vel ex parte suæ causæ; vel ex parte sui objecti. Primò sensu illud dicitur certius, quod habet certiorem causam seu motivum; sicque actus fidei certior est actu scientiæ, quia veritati divinæ innititur. Secundò sensu illud dicitur certius, quod pleniùs assequitur intellectus, & evidentiùs percipit, quâ ratione actus scientiæ certior dicitur actu fidei, quia objecta scientiæ, utpote nobis proportionata, faciliùs percipimus. *Certitudo subjectiva*, est firma adhæsio intellectûs alicui objecto propter motivum infallibile. Hæc autem oritur vel ex experientia, qualem habemus certitudinem de calore ignis; vel ex evidentia luminis naturalis, qualis est certitudo circa prima principia; vel ex debita illatione, qualis est certitudo de conclusione ex præmissis in legitima forma & materia deducta. Unde ad certitudinem quatuor ex Doctore in Prooemio lib. 1. Post. colliguntur conditiones. Prima est, ut intellectus firmiter adhæreat. Secunda, ut illud cui adhæret sit certum. Tertia, ut motivum propter quod adhæret sit infallibile. Quarta, ut motivum sit debitè applicatum.

II. Ea quæ dicuntur certa sunt in triplici genere.

Notandum secundò, ex nostro Alensi *q. 68. memb. 9. a. 1.* quòd inter ea quæ certa dicuntur, *quædam* habent certitudinem ex seipsis: *quædam* verò ex aliis, Ex aliis certitudinem habent, ut ex principiis conclusiones: & ex articulis fidei, quæ sequuntur ad articulos: quia Deus justus est, reddet unicuique secundùm opera ejus. Quæ verò habent certitudinem ex seipsis sunt tribus modis. Nam quædam habent certitudinem ratione evidentiæ: ut principia, quæ sunt per se nota; ut de quolibet affirmatio, vel negatio. Quædam verò habent certitudinem ex informatione conscientiæ: & hæc est certitudo fidei, sive formatæ; cùm enim prima veritas ipsam fidem inspirat, sic conscientiam informat, ut si aliquis cogitur ipsâ evidentiâ consentire isti veritati, Omne totum majus est parte: ita per habitum infusum fidei ipsâ informatione conscientiæ arctatur, & cogitur consentire veritati primæ propter se: unde sicut negaret hoc, Omne totum majus est suâ parte contra suam scientiam: ita negaret quemvis articulum contra suam conscientiam. Et ideo sanctus Ignatius, cùm compelleretur ut negaret Christum, respondit se non posse negare, quia nomen ejus habebat scriptum in corde. Unde ad probandum qualem impressionem faciat fides in mente, post mortem ejus inventum est nomen Christi scriptum litteris aureis in corde ejus. *Item quædam* habent certitudinem sensu experientiæ, quæ certitudo per modum gustûs, vel tactûs: talis certitudo est in virtutibus respectu suorum objectorum & in fide formata respectu credibilium primæ veritatis.

III. Variæ Theologorum sententiæ circa fidei certitudinem.

Notandum tertiò, variam esse Theologorum sententiam in assignanda præcisa ratione, cur fides sit certior quâlibet aliâ notitiâ. *Quidam* enim cum Caïetano contendunt assensum fidei esse certiorem scientiâ secundùm se, non verò secundùm nos: *alii* verò volunt illam majorem certitudinem esse repetendam ex parte objecti, non verò subjecti; ita quòd fides sit quidem certior quâlibet scientiâ ex parte Dei, quia impossibile est ipsum falli & fallere; scientia verò sit certior ex parte subjecti, quàm fides, quia fides secum patitur dubitationem, non verò scientia. *Nonnulli* majorem illam certitudinem reperiunt ex firmiore radicatione ipsius in subjecto; ita quòd fides longè tenaciùs & immobiliùs inhæreat intellectui, quàm quilibet habitus scientificus. *Sunt etiam*, qui ingeniosè & acutè philosophantes, dicunt

fidem esse quidem certiorem scientiâ appretiativè, non verò aliter. Quemadmodum enim, inquiunt, ille censetur magis diligere Deum, qui paratus est omnia propter ipsum relinquere; sic ille dicendus est appretiativè magis certus, qui paratus est omnes assensus naturales deserere propter assensum fidei: *Tandem* volunt aliqui ideo assensum fidei certiorem esse quôlibet assensu scientificô, nec-non & eô, qui procedit ab intelligentia seu habitu primorum principiorum, quia scilicet elicitur à principio effectivo longè certiori, quàm sit qualibet naturalis notitia ingenita vel acquisita.

Duo itaque hîc sunt determinanda: *Primum*, utrùm fides sit reverà certior quâlibet aliâ notitiâ: *Secundum*, unde proveniat major illa certitudo.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Assensus fidei certior est assensu scientiæ.

Assensus fidei reverà certior est assensu cujuslibet scientia naturalis. Ita Doctor pluribi, maximè verò in 4. dist. 14. quæst. 3. num. 5. ubi ait: *Illa vera sunt excellentiora vera pro quanto ad ea non attingit lumen naturale viatoris: tum quia illa vera sunt certiora, quàm multa alia ad qua attingit lumen naturale viatoris; quia vera sunt ab illa veritate qua nec fallere potest, nec falli. Unde habenti fidem, quod Deus inspiravit totam sacram Scripturam, & quod ipse est veritas infallibilis; certius debet esse quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum, quàm illud ad quod quicunque intellectus potest naturali lumine attingere.* Ita pariter docent *Alensis* 3. part. quæst. 68. *Seraph. Doctor* in 3. d. 23. q. 4. & *Angelicus* 2. 2. q. 4. a. 8. nec-non & omnes penè Theologi contra Durandum in 3. dist. 23. q. 7. n. 10.

V. Ut colligitur ex S. Scriptura.

Probatur primò, ex Scriptura sacra, quæ pluribi assensum fidei longè certiorem esse docet quôlibet assensu elicitô per scientias naturales. Hoc ipsum namque significare voluit Christus Dominus Lucæ 21. ut aliqui interpretantur, cùm ait: *Cælum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt*, hoc est, Philosophia deficiet è cœlorum speculatione & investigatione eorum motûs, influxûs, & incorruptionis; verba autem mea non deficient: Quapropter sanctus Petrus comparans certitudinem Prophetiæ & fidei cum visione oculorum, ait epist. 2. c. 2. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, &c.* Idem significat S. Joan. 1. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus*, inquit, *testimonium Dei majus est.* At omnium clarissimè hanc veritatem docet S. Paulus 1. ad Corinth. 10. ubi loquens de doctrina nostræ fidei, eamque comparans cum humana sapientia, ita scribit: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*; & ad ostendendùm magis hanc fortitudinem & certitudinem doctrinæ nostræ fidei suprà omnem fortitudinem, & certitudinem humanæ scientiæ, ita subjungit: *Qua stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit, ut confundat fortia.* Id est, Deus, ut ostenderet vim, efficaciam, & certitudinem doctrinæ nostræ fidei, eos elegit ad illam prædicandam, qui juxta humanum judicium erant inepti ad docendum alios. Item 2. ad Cor. 10. ita ait: *Arma militia nostra non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Quibus verbis Apostolus significat doctrinam fidei, quam prædicabat, validiorem esse, ac proinde certiorem humanis scientiis; quibus Pseudo-Apostoli adversus eum utebantur.

Et SS. Patribus.

Eandem veritatem apertè docent SS. Patres, maximè sanctus Basilius Concione in Psal. 115. ubi ait: *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahit.* Chrysostomus homil. 21. in epist. ad Heb. *Fides*, ait, *dici non potest, nisi cùm circa ea qua non videntur amplius, quàm circa ea qua videntur, certitudinem quis habuerit.* Ipsis concinit S. August. l. 7. Confess. c. 10. scribens: *Faciliùs dubitarem vivere me, quàm esse veritatem, quam audivi in corde.* Nec-non & sanctus Bernardus epist. 190. cap. 4. ubi docet fidem non esse æstimationem dubiam, ut volebat Abaïlardus, sed certitudinem, eamque longè majorem quàm sit Philosophia.

VI. Ac suadetur ratione.

Probatur etiam ratione: Ille enim assensus est simpliciter certior omnibus aliis, qui est magis determinatus ad veritatem: sed assensus fidei magis est determinatus ad veritatem respectu sui objecti, quàm sit ullus assensus naturalis: igitur est certior. Probatur minor: Ille assensus est magis determinatus ad veritatem qui innititur motivô magis immutabili, quantùm ad veritatem: sed assensus fidei divinæ innititur motivô magis immutabili quantùm ad veritatem, quàm sint motiva assensûs omnium habituum naturalium intellectûs; siquidem nititur divinâ revelatione ac veritate, quæ longè certior est & magis immutabilis, quàm motiva omnia creata, quibus omnes notitiæ naturales innituntur: igitur assensus divinæ fidei longè certior est quàm sit assensus omnium habituum naturalium.

Deinde, Certitudo fidei divinæ pendet ex lumine infuso & divino, quod longè præstantius est, ac perspicaciùs veritatem indicat, quàm lumen naturale intellectûs; ac subinde assensus ille longè certior est.

Denique, Ille assensus dicendus est certior quô longè firmiùs ac tenaciùs veritati propositæ adhærent homines, quàm adhæreant per alios quoslibet assensus intellectûs: sed ita est de assensu fidei per comparationem ad assensus cujuslibet cognitionis naturalis; quod utique constat ex eò quòd nullus Philosophorum etiam peritissimorum voluerit unquam veritates quibus assentiebatur, quasque tuebatur ductu luminis naturalis, ad effusionem usque sanguinis & mortem propugnare: sed Fideles innumeri omnem profuderunt sanguinem, & sapientiùs æstimârunt subeunda graviora quæque supplicia, quàm aliquantulum à veritate sibi per fidem cognita discedere; ac subinde tenaciùs inhærent Fideles propositionibus fidei, quàm peritus quisque inhærere possit veritati sibi per lumen naturale cognitæ.

Dices primò: Illud certius dicitur de quo non potest quis esse dubius, quàm id de quo potest dubitari: sed dubitari potest de veritate nota per fidem: secus autem est de veritate nota per scientiam, quæ excludit omnem dubitationem: igitur assensus fidei non est certior assensu qui haberi potest per scientiam. Major constat: siquidem certitudo illa censetur major, quæ omnem excludit dubitationem. Minorem admittit Doctor in 3. dist. 23. num. 16. ubi objicit fidem infusam non magis excludere omnem dubitationem, quàm fidem acquisitam: *Adeo*, inquit, *non est certior quantùm ad non decipi fides infusa, quàm acquisita.* Quam utique objectionem in-

ſolutam relinquit, ait enim: *Si propter aliquam certitudinem majorem velitis dicere*, (nempe infuſam eſſe neceſſariam, non verò acquiſitam) *ſolvatis argumentum factum, quod non.* At diſt. 24. num. 17. loquens de Prophetis & Apoſtolis, qui habuerunt habitum inclinantem ad aſſenſum firmum omnibus revelatis, dicit illum non fuiſſe habitum ſcientiæ, quia non erat ex evidentia rei; *fuit tamen major certitudo fidei, quia fides non excludit omnem dubitationem: ſed aliqua dubitatio poteſt ſtare cum fide.* Minor etiam eſt evidens; notitia enim ſcientiæ & primorum principiorum omnem omnino dubitationem excludunt, ac ſubinde eorum aſſenſus eſt certior aſſenſu fidei.

VII. Fides omnem dubitationem liberam excludit.

Nego minorem: Fides enim, omnem prorſus dubitationem ſaltem liberam, ſeu voluntariam ac deliberatam non admittit; quanquam enim indebita deliberatio reperiri poſſit cum fide habituali, nuſquam tamen eſſe poteſt cum actuali, unde non officiunt majori certitudini fidei aliquæ dubitationes indeliberatæ. Ad Doctorem verò dico, eum locis in objectione laudatis solùm dubitando hæc dixiſſe, non verò confirmando; unde quodlibetô 14. & 17. apertè contrarium docet, affirmans aſſenſum fidei omnem prorſus dubitationem excludere.

Dices ſecundò: Aſſenſus datus propter evidentiam certior eſt, quàm qui datur duntaxat propter adhæſionem: ſed aſſenſus ſcientiæ eſt propter evidentiam; fidei verò ſolùm propter adhæſionem & imperium voluntatis: igitur, &c. Major conſtat, nam aſſenſus propter evidentiam eſt neceſſarius & naturalis, ac proinde immutabilis: aſſenſus autem propter adhæſionem eſt voluntarius; ac ſubinde non eſt ejuſdem certitudinis & neceſſitatis.

VIII. Evidentia objecti naturalis, eſt minùs certa quàm teſtimonium Dei quô fides nititur.

Diſtinguo majorem: Si evidentia illa objecti efficaciori ac firmiori motivô intellectûs aſſenſum alliciat, quàm motivum illud, propter quod intellectus adhæret alicui propoſitioni propter teſtimonium dicentis, concedo: ſecus, nego. Certum eſt autem quòd evidentia cujuſlibet objecti naturalis non ſit æqualis virtutis & efficacitatis cum divina veracitate, cui omnino repugnat falli aut fallere; ac ſubinde minùs efficaciter pellicit aſſenſum intellectûs; unde neganda eſt conſequentia.

Dices tertiò: Eò major eſt certitudo aſſenſûs, quô ipſe aſſenſus eſt intenſior: at ſæpe contingit quòd aſſenſus naturalis evidens longè major ſit & intenſior aſſenſu fidei divinæ: igitur etiam eſt certior.

IX. Intenſior aſſenſus nō eſt ſemper certior.

Diſtinguo majorem: Si illa intenſio attendatur penes certitudinem, concedo: Si penes entitatem actûs, nego: Hæc enim intenſio major aut minor aſſenſûs omninò indifferens eſt ad certitudinem; unde quantumcumque aſſenſus evidentiſſimus ſcientiæ naturalis creſceret, quantùm ad ſui intenſionem, nuſquam perveniret ad certitudinem aſſenſûs fidei divinæ; res enim inferioris ordinis & ſpeciei quantumcumque creſcat intra ſuum ordinem & ſpeciem, nuſquam attingit illam perfectionem, quæ reperitur in aliquo individuo etiam infimo ſuperioris ordinis & ſpeciei; quantumcumque enim perficiatur corpus in perfectione corporis, nuſquam attingeret perfectionem ſubſtantiæ ſpiritualis, etiam minimæ.

Dices quartò: Viſus eſt certior auditu, unde notitia intuitiva præſtantior eſt, quàm quæ per diſciplinam comparatur: ſed ſcientia eſt quædam intellectualis viſio, & inſuper ejus principia interdum reſolvi poſſunt in cognitionem intuitivam, ut patet in Mathematicis: *Fides autem ex auditu*, inquit Apoſtolus ad Romanos 10. *nec ulla ejus principia reſolvi poſſunt uſque ad cognitionem intuitivam:* igitur aſſenſus ſcientiæ videtur certior aſſenſu fidei.

X. Viſus non ſemper eſt certior auditu.

Diſtinguo majorem: Si viſus & auditus ſint æquè perfecti, concedo: ſecus, nego: poteſt enim aliquis habens viſum valdè debilem videre columnam à ſe diſtantem, quàm ligneam exiſtimabit: at audiens à viris fide dignis illam eſſe marmoream, in eo caſu certiùs credet auditis, quàm à ſe viſis: Idem autem, inquit Iſambertus d. 22. art. 3. contingit in præſenti difficultate: noſter viſus intellectualis, ſeu vis noſtra intelligendi ſecundùm ſe ſpectata, eſt valde debilis in ordine ad objecta ſupernaturalia: & licèt per infuſionem divinæ fidei reddatur illis proportionata, quia tamen fides divina ſemper habet obſcuritatem ſibi adjunctam, fit, ut intellectus illâ inſtructus non poſſit ſe ſolô ad ejus aſſenſum ſe determinare: at ſpiritualis noſter auditus habet divinam authoritatem ſcilicet primam veritatem *in dicendo*, quâ nihil poteſt eſſe certius; ideoque noſter intellectus plus debet ei deferre, & illi potiùs credere, quàm ſpiritali ſuæ viſioni, ſeu naturali ſuæ cognitioni.

CONCLUSIO SECUNDA.

XI. Unde maximè petenda ſit fidei certitudo ſupra ſcientiam.

MAjor *illa certitudo fidei ſupra omnes notitias naturales, maximè provenit ex eo quòd procedat ab habitu vel auxilio omnino & infallibiliter determinante ad veritatem.* Ita Doctor in 3. d. 23. num. 18. ubi ait: *Licèt fides acquiſita ſufficiat ad aſſenſum & certitudinem actûs, prout credere opponitur opinari: tamen non eſt ita perfectè certus, ſicut cum fide infuſa: nec eſſet actus ita intenſus, nec ſufficit in eſſe primo; quia fides acquiſita non perficit animam ita perfectè, ſicut infuſa.* Quibus verbis Doctor ſignificat rationem majoris certitudinis actûs fidei eſſe repetendam ex ejuſdem habitu infallibiliter ad verum inclinante ac determinante; quod utique luculentiùs declarat & explicat quodlibeto 14. §. 1. ubi probat fidei nullatenus poſſe ſubeſſe falſum, quia eſt participatio divini luminis; & conſequenter quemadmodum ipſum divinum lumen non poteſt inclinare niſi in verum, ita & habitus infuſus fidei, cùm ſit ejuſdem ſpecialis participatio, non poteſt elicere actum, qui non ſit omnino certus.

Probatur itaque concluſio: Actus ille ideirco omnino eſt certior omnibus aliis cum quibus genericè convenit, qui provenit à principio infallibilius & efficaciùs determinante ad verum: ſed actus fidei provenit ab ejuſdem habitu, qui infallibilius & efficaciùs determinat ad verum, quàm quilibet habitus naturalis: igitur hâc ratione cenſendus eſt aliis certior. Major conſtat, non enim aliâ ratione actus ſcientiæ aut intelligentiæ cenſetur eſſe certus, quàm quia illa principia ex quibus procedit, inclinant infallibiliter ad verum, quantùm ex ſe eſt. Minor etiam patet: Quia habitus fidei (cùm ſit nobilior & intimior participatio divini luminis, quàm ſint omnes ſcientiæ naturales, quæ duntaxat participant divinum lumen ſecundùm eſſe naturale, fides autem illud participat ſecundùm eſſe ſupernaturale, ac proinde modô nobiliori & ſublimiori;) inde eſt quòd quemadmodum in entitate ſua eſt lumen præſtantius, ita & in operatione efficaciùs determinat ad verum.

Confirmatur: Si major illa certitudo non eſſet

præcisè repetenda ex parte ipsius habitûs fidei, desumenda esset ex aliquo alio principio, maximè ex assignatis in ultimo notabili: sed ita non est, *primus* enim ex eis dicendi modus, nempe quòd fides sit quidem certior quoad se, non verò quoad nos, seu ut est in nobis, stare non potest; *Tum quia* ex Scriptura sacra apertè constat actum fidei etiam prout est in nobis, esse certiorem omnibus actibus scientiarum naturalium: quod utique indicat Apostolus, ad Galatas. *Licèt nos*, inquit Apostolus, *aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ad quod magis inculcandum tanquam verissimum & certissimum, statim repetit. *Et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Quibus verbis significat nos debere firmiùs credere articulis & veritatibus divinæ fidei, quàm ulli humanæ cognitioni, vel etiam Angelicæ persuasioni: *Tum quia* modus ille dicendi non explicat qualiter assensus fidei censeri possit certior omni assensu scientiarum naturalium. Nam si fides nos magis certos non efficiat quam habitus naturales, nullâ ratione illum certiorem possumus asserere: *Tum denique* quia omnis forma actuans & informans subjectum aliquod, ei communicat necessariò formalem & immediatum suum effectum juxta gradum suæ perfectionis; talis enim effectus nihil aliud est, quàm ipsamet actualis communicatio propriæ suæ formæ: sed assensus fidei divinæ est quædam forma actuans & informans intellectum cujuscunque Fidelis, & ejus primarius effectus (cui proprium est, quòd sit certior quolibet naturali assensu:) Igitur eundem gradum certitudinis confert intellectui, cui inest, ac subinde fides non solùm est certior quoad se, sed etiam quoad nos.

Refellitur prima sententia.

Nec valet reponere idem esse de lumine fidei proportione servatâ, quemadmodum de lumine Solis, quod quamvis secundùm se & ex se sit longè majus, quam lumen candelæ; interdum tamen fieri potest, ut aër meliùs illuminetur à lumine candelæ, quàm à lumine Solis, propter obscuram aliquam nubem constitutam inter Solem ipsum & oculum videntem. Hoc, inquam, non juvat; siquidem exemplum istud non est ad propositum; quippe idcirco clariùs illuminat candela, quàm lumen Solis, quia est improportio ex parte medii ad recipiendum lumen Solis; nulla autem est similis improportio inter habitum fidei & intellectum cui habitus ille immediatè inest.

Et secunda,

Non etiam admitti potest *secunda sententia*, nempe quòd fides sit quidem magis certa ex parte objecti, non verò subjecti: hæc enim penè coincidit cum superiori, & eisdem momentis impugnatur.

Et tertia,

Non etiam tertia, nempe quòd major fidei certitudo consistat in majori ipsius radicatione in subjecto, quippe major aut minor radicatio in subjecto nihil confert ad intentionem qualitatis, ut probatum est in Physicis; siquidem potest aliqua qualitas in summo divinitùs infundi, quæ longè majorem habebit in subjecto radicationem, quàm illa quæ à causa naturali successivè producetur; ac subinde non erit præstantior ratione illius radicationis: igitur idem dicendum est de habitu & assensu fidei.

Et quarta,

Non etiam *quarta*, nempe quòd scientia sit quidem certior certitudine evidentiæ; fides verò certitudine scientiæ: licèt enim fides dependeat à voluntate, tamen voluntas non confert illi certitudinem, alioqui fides non haberet certitudinem intellectualem, sed tantùm esset certa affectivè; nec aliter essemus certi de propositione fidei, quàm quia ita volumus, cujus tamen contrarium apparet; idcirco enim volumus assentiri Deo per fidem, quia cognoscimus eum id revelasse, nec posse fallere aut falli.

Et quinta.

Denique non potest probari *ultima sententia*, nempe quòd fides sit certior quidem appretiativè quàm scientia, non verò aliter: hæc enim major certitudo appretiativè solùm est affectiva, non verò intellectiva; ac subinde non est intrinseca ipsimet fidei, quæ est habitus aut assensus intellectûs. Deinde fides & scientia possunt esse circa unum objectum, putà quòd Deus sit unus, bonus, omnipotens, &c. quo in casu voluntas nòn potest esse parata ad deferendum lumen scientiæ, ut solò fidei lumine & ductu proposito objecto assentiatur: Igitur, &c.

QUÆSTIO TERTIA.

An & quomodo actus internus fidei sit necessarius ad salutem?

I. Duplex est necessitas: una medii: altera præcepti.

Notandum primò, quantùm ad præsens instituum duplicem esse necessitatem, unam *præcepti*, alteram *medii*: Prior est obligatio proveniens ex præcepto & lege à Superiore condita: posterior verò est necessitas ejus sine quo aliquid obtineri nequit, sive interim illud fit ex natura ipsarum rerum, quæ ita inter se sunt connexæ, sicut alimentum dicitur necessarium ad conservandam vitam animalis; sive ex ordinatione superioris decernentis ut unum sine altero non possit obtineri. Porrò inter utramque necessitatem hoc discrimen intercedit, quòd necessitas medii nullam excusationem patiatur; necessitas verò præcepti interdum excusationem admittat, quia non viget, nisi præceptum cognoscatur ab eo qui parere tenetur, atque in ejus potestate est illud exequi.

II. Necessitas medii iterùm duplex: una absoluta altera secundùm quid.

Notandum secundò, duplicem rursus distingui medii necessitatem; unam quidem simplicem & absolutam, quando nempe medium destinatum ad aliquem finem obtinendum, tale est ut sine ipso realiter & de facto habito finis non possit obtineri: aliam verò secundùm quid, quando nempe sufficit ut illud medium sit vel in re, vel in voto: Priori modò gratia sanctificans est absolutè necessaria ad salutem obtinendam; nullus namque salvari potest, qui reverà gratiam sanctificantem non habuerit: Posteriori verò modò baptismus aut sacramentum pœnitentiæ dicitur necessarium adultis, quia sufficit ut habeantur in voto, quando reverà non possunt obtineri; siquidem contritio cum voto baptismatis aut sacramenti pœnitentiæ suscipiendi sufficere potest ad salutem, ubi non adest facultas excipiendi illa sacramenta. Quæritur ergo quànam ex illis necessitatibus necessarius sit actus internus fidei ad salutem obtinendam?

III. Insuper duplex est penes actû eliciendi, alia directa altera indirecta.

Notandum tertiò, præter duplicem necessitatem medii & præcepti, iterum duas alias posse subdistingui penes aliquem actum exercendum: unam quidem *per se & directam*; alteram *per accidens & indirectam*. *Directa* necessitas seu *per se* exercendi aliquem actum censetur tunc esse, quando ratione propriæ suæ honestatis obligamur illum exercere, & non tantùm ratione alicujus alterius, ad quod obligamur, & ad quod assequendum est

necessarius; tunc verò necessitas exercendi aliquem actum est tantùm *indirecta & per accidens*, quando hæc nascitur ex occasione alicujus alterius, quod tenemur facere, & ad quod talis est necessarius. His præmissis determinandum est, *Primò*, an actus fidei divinæ sit necessarius necessitate medii ad salutem omnibus omnino adultis. *Secundò*, an & quali præceptô idipsum sit necessarium.

Conclusio Prima.

IV. Actus internus fidei, est necessarius ad salutem necessitate medii.

Actus internus fidei divinæ est necessarius necessitate medii ad salutem consequendam. Ita pene omnes Theologi, quibus consentit Doctor in 3. dist. 25. quæst. 1. num. 2. ubi ait: Dico quòd fides infusa sit necessaria homini salvando pro omni statu, quia sicut anima non est accepta Deo, nisi ornetur & perficiatur per charitatem quoad voluntatem; sic non acceptatur à Deo, nisi perficiatur habitu supernaturali quoad intellectum: & sicut potentiæ illæ sunt naturaliter ordinatæ in actibus suis, quia intelligere præcedit velle, sic in perfectionibus, quia priùs natura perficitur intellectus supernaturaliter, quàm voluntas, licèt simul duratione: ista autem supernaturalis perfectio, quâ anima determinatè assentit vero & credit verum, est fides infusa. Ubi licèt sermonem instituat duntaxat de fide habituali, tamen n. 6. apertè dicit etiam esse necessarium actum fidei explicitum, ait enim: Dico quòd necessarium fuit pro omni statu habere actum implicitum de omnibus: tunc enim habetur actus implicitè, quando habetur habitus: sed habere solùm talem actum non sufficit, sed in habente usum rationis requiritur actus distinctior & explicitus. Hæc Doctor.

Ut optimè declarat Doctor.

Et probatur 1. Ex Scriptura.

Probatur itaque conclusio. Primò ex Scriptura sacra, nam Abacuc cap. 2. dicitur: *Iustus ex fide vivit*: igitur, inquit sanctus Chrysostomus hom. de fide: *Nullus sine fide vitam habuit*: Similiter S. Paulus ad Hebr. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Quo in loco Apostolus agit de fide, non habituali, sed actuali. Ibidem autem Apostolus agit de fide actuali, sive de actu fidei, ut indicat *ly* accedentem, quod significat actu properantem & tendentem in Deum. Hinc ad Galat. 3. & ad Ephes. 2. & alibi passim, justificationem attribuit fidei tanquam fundamento & radici totius salutis.

2. Ex Concilio Tridentino.

Eandem veritatem luculenter tradit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi ait, quòd causa instrumentalis nostræ justificationis, *est sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Hinc cap. 8. ait, quòd *fides est humanæ salutis initium; fundamentum & radix*; quapropter Canone 3. sic definit, *Siquis dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Cùm ergo ex mente Concilii fides sit fundamentum, radix & initium salutis aut justificationis, haud dubium est, quòd ipsa sit necessaria necessitate medii ad salutem.

3. Authoritate SS Patrum.

Probatur etiam authoritate SS. Patrum, imprimis verò sancti Augustini quæ hanc fidei summam necessitatem ad salutem consequendam, pluribi inculcat, maximè verò in præfatione Psal. 31. ubi docet non solùm in singulis hominibus, sed etiam in singulis operibus fidem esse fundamentum pietatis, itaut sine illa nemo pius aut justus censeri possit. Quod utique præclarè etiam explicat serm. 38. de Tempore, ubi ait: *Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Ipsi concinit S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum in principio dicens: *Sine fide nulla potest prodesse, imò neque esse conversio.* Et iterum: *Sine hac fide nemo ad numerum filiorum potest pervenire*: Idem docent *S. Leo* sermone 4. de Nativitate, & *S. Bernardus* epist. 77. Unde præclarè Doctor in 3. dist. 23. num. 14. ait, *necessitatem fidei esse admittendam propter authoritatem Scripturæ & Patrum.*

4 Ratione.

Ratione etiam suaderi potest hæc veritas: Tum quia fides, ut dictum est, est fundamentum & radix justitiæ: sed sine fundamento non potest ædificium construi, nec sine radice arbor fructum edere potest: igitur nullus sine fide reverà potest justificari, nec beatitudinem, quæ est justificationis fructus, obtinere: *Tum quia* extra Ecclesiam nulla est speranda salus: sed fides est vinculum quô invicem Ecclesiæ membra compaginantur: ergo sine fide nemo potest inter Ecclesiæ membra connumerari, nec consequenter salvari: Tum denique quia debet esse proportio mediorum cum fine: sed beatitudo quæ consistit in visione & amore Dei, est supernaturalis: igitur media per quæ debemus eam consequi, debent pariter esse supernaturalia: sed illa media sunt Dei cognitio & amor: igitur quemadmodum amor Dei est supernaturalis nempe charitas: ita & Dei cognitio quatenus est medium ad salutem, debet esse supernaturalis, qualis est cognitio quæ habetur per fidem.

Dices primò: Ad salutem instituendam, & beatitudinem obtinendam sufficit observare Dei mandata, juxta illud Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: sed eorum mandatorum observatio haberi potest naturæ viribus; siquidem Apostolus ad Rom. 2. testatur: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*: igitur per solam naturæ notitiam & vires ingenitas possunt præstari omnia ad salutem necessaria; ac subinde non videtur ad eam absolutè necessaria fides infusa.

V. Quomodo Gentes potuerint observare Dei mandata naturaliter.

Respondeo negando minorem, & ad Apostoli authoritatem dico, primò particulam *naturaliter*, ut explicat S. Augustinus lib. 1. de Spiritu & Litera cap. 27. non excludere cognitionem divinitùs infusam, quam habuerunt etiam quidam Gentiles, seu illi qui non censebantur ex Israëlitis, putà Jetro, Job, & alii plurimi: sed tantùm per illam particulam excludi legem Mosaïcam & Evangelicam; itaut sit sensus, quòd Gentes quæ legem scriptam à Moïse, aut evulgatam à Christo & ejus Apostolis, non habent, *naturaliter*, hoc est, naturæ ductu & ipsô lumine à Deo ut Authore naturæ inditô, ea quæ legis sunt faciunt; quam quidem expositionem etiam admittit S. Thomas *ibidem sectione* 3. Favet etiam ratio; sicut enim sunt peccata quæ dicuntur contra naturam, sic etiam gratia & supernaturalis cognitio dici potest naturalis, hoc est naturæ conveniens & consentanea.

Vel dico per particulam *naturaliter* Apostolum significare quòd Gentiles aliqua præcepta naturalia observârint; ea videlicet quæ vel ratio natura-

lis, vel ipsa conscientia servanda & exequenda A dictitat: Enimverò cùm ratio naturalis sufficienter aperiat unum esse Deum, quem supremum omnium entium, ac cæterorum principium & finem, nec-non & omnium perfectionum centrum & oceanum indicat; facilè etiam significat illum esse colendum; quod utique præcipitur in præceptis primæ tabulæ Decalogi: Similiter conscientia dictitat non esse alteri faciendum, quod quisque sibi fieri non vult; ac proinde cùm nemo velit sibi injuriam fieri, nec in persona propria per violentiam, nec in persona conjuncta per concupiscentiam, nec in propriis bonis per vim aut fraudem: hinc etiam ipsamet conscientia suadet hæc non esse alteri facienda; ac subinde nec B alteri necem inferendam, nec ejus bona diripienda, nec illius uxore abutendum, &c. quæ sunt ipsamet præcepta legis Mosaïcæ. Non tamen dicit Apostolus quòd omnia præcepta servaverint.

Dices secundò: Non magis fides videtur necessaria ad salutem, quàm baptismus: sed hic non est ita de facto & reipsà necessarius, quin suppleri possit: igitur potest etiam aliquis salvari absque actu fidei supernaturalis. Major constat: quemadmodum enim ad Hæbræos 11. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo:* sic etiam Joan. 3. scribitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Minorem etiam admittunt Theologi communiter docentes posse baptismum in voto explicito vel im- C plicito sufficere, quando videlicet nec baptismatis de facto suscipiendi adest facultas; vel quando non adest ejus copia vel notitia.

VI. Baptismus in voto sufficere potest, non verò fides.

Nego majorem: Nam baptismus reverà suppleri potest in voto, quia votum illius suscipiendi continetur virtualiter in ipsa fide: actus verò fidei supernaturalis in nullo contineri potest virtualiter: si enim in aliquo contineri posset, maximè in cognitione naturali tum Dei, tum ejus præceptorum: at cùm hæc sit inferioris ordinis, nullâ ratione continere potest in voto, & virtualiter fidem supernaturalem complecti.

Dices tertiò: Omnis adultus in hac vita sufficiens habet in se auxilium ad salutem consequen- D dam: sed contingere potest, ut fides alicui homini sit impossibilis; ac subinde sine fide poterit ille salvari. Major patet: cùm enim Deus velit omnes homines salvos fieri, dat omnibus media sufficientia ad salutem. Minor etiam constat: Tum quia plerique mortales habent ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei; nam ut loquitur S. Paulus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Sed plurimæ sunt nationes, quibus nondum prædicatum est Evangelium, & ante Christi Domini adventum notus erat duntaxat in Judæa Deus: ac subinde fides plurimis est impossibilis.

VII. Quomodo Gentilis servans naturæ mandata salvari possit.

Respondent ad minorem communiter Theologi, E quòd si homo in illo statu faciat quod in se est, hoc est, si servet ea quæ sibi facienda dictitat lumen rationis & conscientiæ, Deus suâ providentiâ efficiat ut talis homo vel per internam inspirationem, vel ministeriò alicujus prædicationis exterioris illuminetur de mysteriis fidei, quæ adjuficationem & salutem consequendam necessariò credenda sunt: quemadmodum contigit Eunucho Reginæ Candacis *Actuum* 8. ad quem missus est sanctus Philippus, ut eum baptizaret, & Cornelio, qui speciali Angeli apparitione missus est docendus ad sanctum Petrum, *Actuum* 10. sicut etiam *cap.* 16. Paulus ad quosdam in Macedonia speciali Dei revelatione missus est. Hinc pariter sanctus Dionysius cap. 9. de cœlesti Hierarchia plurimos ex Gentilibus refert, qui Angelorum ministeriò fidei mysteria discentes, salutem æternam sunt adepti, ut fusiùs videbimus in sequenti Tractatu de Gratia.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. Datum est præceptum de interno actu fidei eliciendo.

Hominibus datum est præceptum de interno actu fidei eliciendo. Colligitur ex Doctore d. 25. suprà laudatâ. Et probari potest primò è Scripturâ sacra: nam habetur expressè t. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Insuper eadem veritas colligitur ex illa generali maxima, quòd omnia quæ in Scriptura sacra proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, præsupponunt divinum præceptum: sic enim rectè colligitur præceptum esse de suscipiendo Eucharistiæ Sacramento ex eo quòd Joan. 6. Christus Dominus dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* sed fides præcipitur in Scriptura sacra sub interminatione divinæ damnationis; nam Matth. ultimò dicitur: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et ad Hebr. 2. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Et cap. 10. *Justus ex fide vivit, quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ:* ergo, &c.

Confirmatur: Quia nemo damnatur nisi propter peccatum: sed ut probavimus agendo de peccatis in priori volumine: omne peccatum est alicujus mandati transgressio, ac proinde cùm fides exigatur sub interminatione damnationis æternæ, illius omissio peccatum est, & consequenter alicujus mandati transgressio. Hîc inquirere solent Theologi qualiter & de quibus fides explicita necessaria fuerit in quovis hominum statu, sed illa sufficienter jam explanavimus agendo de fide habituali.

QUÆSTIO QUARTA.

An & qualis actus voluntatis prærequiratur ad actum fidei.

I. Non movetur quæstio de fide habituali, sed de actuali.

Notandum primò, hîc non esse sermonem de fide habituali; jam enim probavimus, quòd ut nobis infundatur habitus fidei, non necessariò debeat simul in voluntate infundi aliquis habitus supernaturalis inclinans voluntatem, ut velit intellectum assentire objectis obscurè propositis & à Deo revelatis, ut optimè probat Doctor d. 25. quæst. 2. num. 2. contra S. Thomam: sed difficultas est de fide actuali, utrum videlicet necessariò prærequiratur aliquis actus imperativus voluntatis, ut intellectus eliciat actum credendi; seu utrum ad credendum necessarius sit pius affectus voluntatis imperantis actum fidei; an verò intellectus possit habere actum fidei, absque eo quòd voluntas habeat ullum actum positivum concurrentem ad eliciendum illum actum fidei: ex hypothesi verò quòd talis requiratur actus ex parte voluntatis, etiam difficultas est utrum talis actus debeat esse supernaturalis.

II. Duplex actus voluntatis de quo possit

Notandum secundò, quæstionem moveri posse de duplici actu voluntatis: *Primò* quidem de pia affectione & motu ipsius voluntatis circa revelantem & objectum à revelante propositum; qui quidem motus, est quædam animi propensio &

esse præsens quæstio.

inclinatio ad credendas res fidei, quæ proponuntur; qualem inclinationem Discipuli habent erga suum Præceptorem & Doctorem: Sic Thomistæ tali piâ affectione moventur erga Doctorem Angelicum, & Scotistæ erga Subtilem; ex qua affecti[illegible] piâ fit ut quisque investiget rationes non solùm quibus tueatur dogmata sui Doctoris, sed etiam quibus movetur, ut assensum illis præbeat. *Secundò*, moveri potest quæstio de actu voluntatis, qui dicitur imperium, quoque est quædam volitio efficax, quâ voluntas directè imperat intellectui, ut assensum præbeat alicui propositioni revelatæ, quaquam illa obscura sit & inevidens; quod quidem imperium communiter appellari solet *pia affectio credulitatis*, eò quòd non B tam respiciat Deum revelantem & objecta revelata, quàm ipsam credulitatem, seu assensum fidei. Hîc autem non est sermo de priori actu voluntatis, quia non determinat directè intellectum ad credendum, sed tantùm indirectè, & quatenus movet intellectum ad investiganda motiva credibilitatis: sed tantùm difficultas est de posteriori; utrum videlicet possit elici actus fidei, quin eum imperet voluntas.

III. Tres circa præsentem controversiam Authorum sententiæ.

Notandum tertiò, circa præsentem quæstionem tres potissimùm esse Authorum sententias, quarum *prima* negat imperium voluntatis prærequiri ad determinandum intellectum quantùm ad exercitium actûs fidei; quam quidem sententiam C Almainus in 3. disp. 2[illegible]quæst. 1. tribuit Holcot, eamque nonnulli Re[illegible]res, quibus subscribit Gonetus, attribuunt [illegible]tili Doctori, sed perperam, ut constabit infrà. *Secunda* sententia affirmat prærequiri actum voluntatis directum, ut intellectus eliciat assensum fidei divinæ. *Tertia* verò quasi media inter utramque contendit actum voluntatis directum requiri ad assensum fidei divinæ acquisitæ, non verò ad assensum qui elicitur mediante habitu fidei infusæ; quam quidem sententiam genuinam esse subtilis Doctoris contendit Castillo d. 6. quæst. 3. num. 12. Quænam autem omnium earum sententiarum sit verior, & subtilis Doctoris menti magis congrua, jam de- D terminandum est; resolventes *primò*, utrum actus fidei sit liber libertate exercitii, & etiam specificationis: *Secundò*, utrum ad actum fidei necessariò requiratur imperium seu concursus immediatus voluntatis: *Tertiò*, utrum ille actus voluntatis sit aliquo modo supernaturalis.

CONCLUSIO PRIMA.

IV. Actus fidei divinæ debet esse liber quoad exercitium.

ACtus *divinæ fidei est liber semper quoad exercitium: non ita quoad specificationem.* Hæc quoad utramque partem est Doctoris d. 25. q. 1. circa finem, ubi eum objecisset; *Aliquis potest credere, nolens, quia quæ sunt in intellectu, præcedunt velle:* Respondet: *Dico quòd non sequitur, quia* E *actus credendi dependet ex duobus, scilicet habitu inclinante, & credibili præsentato, non quomodocunque, sed præsentato tanquam credibile; & sic communiter non præsentatur nisi per doctrinam; & adhuc si sit præsentatus, non necessariò credit intellectus; nam ut sic credere præcedit velle; quia proponens credibile intellectui non demonstrat, itaut cogat intellectum ad assentiendum: ideo non credit nisi volens: quamvis autem voluntas habeat imperium super actum credendi, non tamen habet imperium super actum oppositum, stante fide, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis; sed solùm potest impedire intellectum, ne*

Ut docet Doctor.

A *exeat in actum suum credendi elicitum circa credibilia proposita.* Quibus Doctor duo significat: Primum quidem, quòd actus fidei quoatùm ad exercitium semper sit liber, quia quantumcumque proponantur objecta credibilia cum motivis credibilitatis, tamen voluntas potest imperare intellectui, ne eliciat actum fidei: Secundum, quòd proposito objecto fidei cum motivis credibilitatis, voluntas non possit imperare intellectui, ut actum dissensûs eliciat circa istud objectum; ac subinde quòd actus fidei non sit liber quoad specificationem; quia intellectus non potest circa objectum revelatum debitè propositum elicere actum assensûs vel dissensûs.

Et probatur 1. ex Scriptura.

Prima pars videtur de fide; siquidem apertè satis traditur in Scriptura sacra, maximè Lucæ ultimò, ubi duo Discipuli, quibus Christus occurrerat post resurrectionem, tardi fuerint ad credendum: *O stulti & tardi corde ad credendum, &c.* Et Marci ultimò dicitur, de omnibus Discipulis quòd Christus D. *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt:* Perperam autem reprehenderentur, nisi eis liberum fuisset credere vel non credere: Igitur actus fidei est liber quantùm ad exercitium.

Confirmatur ex eo quòd ipsa fides in Scriptura sacra nomine obedientiæ insignitur: Sic Actor. 6. *Multa turba Sacerdotum obediebat fidei.* Ad Rom. 10. *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Et cap. 16. *Vestra obedientia* (id est fides) *in omnem locum divulgata est*: unde 2. ad Corinth. 10. dicitur: *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi*: captivatur autem intellectus per voluntatem, cujus maximè est obsequium præstare Christo.

2. Ex Conciliis.

Probatur secundò, ex Conciliis, maximè verò ex Arausicano cap. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, & ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs sancti corrigentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem: sed naturaliter inesse dicit, contradicit Apostolicis dogmatibus.* Et ex Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi ait: *Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt.*

3. Ex SS. Patribus.

Probatur etiam ex SS. Patribus, maximè verò S. Irenæo lib. 4. cap. 62. *Non tantùm*, inquit, *in operibus, sed etiam in fide liberum, & sua potestatis arbitrium homini servavit Deus.* Similiter S. Ambrosius in cap. 4. ad Rom. ait: *Credere aut non credere voluntatis est:* Sed omnium optimè S. Augustinus tract. 26. in Joannem ait: *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens: credere autem non potest nisi volens.* Quapropter S. Bernardus lib. 5. de Consideratione cap. 6. fidem sic definit: *Fides est voluntaria quadam & certa prælibatio nondum manifestata veritatis.*

4. Ratione.

Patet etiam hæc veritas ratione: *Primo quia* fides est virtus Theologica & supernaturalis; ordinata ad salutem, ac subinde debet esse meritoria: sed omnis actus meritorius est liber: igitur, &c. *Secundò quia* intellectus est facultas subordinata voluntati quantùm ad omnes suos actus; ita quòd eum vel directè impedire possit voluntas, prohibendo ne exerceat aliquem actum: *vel in-*

directè, revocando eum à considetatione objecti propositi, & ad considarationem alterius objecti provocando; ac proinde potest ipsum intellectum præpedire, ne exerceat ullum actum fidei, etiam dum objecta credenda & motiva credibilitatis proponuntur. *Nec refert* quòd sit potentia naturalis & naturaliter agens; siquidem aliæ potentiæ naturaliter agentes sunt subordinatæ voluntati: igitur etiam intellectus. *Nec etiam obstat*, quòd sit potentia priùs operans quàm voluntas, quia non omnis actus intellectûs præcedit voluntatem, sed plures ad voluntatis imperium potest elicere.

Denique, nihil est quod determinaret necessariò intellectum, eumque impelleret ad assentiendum fidei objectis non obstante voluntatis imperiô; ac proinde ipsâ reluctante non potest in actum suum prorumpere. Patet antecedens; si enim aliquid ita intellectum necessariò & ineluctabiliter moveret ad assentiendum objectis revelatis sibi propositis, maximè moralis evidentia motivorum habentium necessariam connexionem cum attestatione divinæ veritatis infallibilis, & cum veritate propositionis credendæ: sed illa evidentia moralis non potest sic necessariò intellectum determinare reluctante voluntate; alioqui non esset evidentia moralis, sed metaphysica, seu physica: In hoc enim moralis evidentia à physica discrepat, quòd hæc necessariò & ineluctabiliter intellectum dicatur movere ad assensum; illa verò duntaxat moraliter. His adde experientiâ constare quòd si nollemus credere objectis propositis, id utique nobis liberum esset, ac subinde dum credimus, liberrimè credimus, & consequenter fidei actus est liber.

Objicies primò Doctorem subtilem laudatâ quæstione secundâ, nu. 1. *Sed contradictionem non video, quin intellectus si fieret meri per se, & haberet objectum præsens, posset intelligere vel credere sibi præsentata.* Ergo ex ejus mente intellectus non obstante reluctatione voluntatis credere potest objecto proposito, & consequenter actus fidei non est proximè liber.

V. Neque his contradicit subtilis Doctor.

Nego consequentiam. Et ad antecedens dico Doctorem præfatis verbis nihil aliud significare quàm quod intellectus secundùm se consideratus, etiamsi nullum adsit voluntatis imperium, possit sufficienter allici ab objecto præsente & movente, ut ei assensum præbeat. Quanquam si reluctaretur voluntas nonobstante illâ objecti præsentiâ & motione, nequaquam posset in talem actum erumpere. *Vel dico* eum esse sic intelligendum, ut velit quòd intellectus possit assentiri objectis revelatis propositis, etiamsi ad eum assensum non moveat directè voluntas ad id stimulata & adjuta per aliquem habitum supernaturalem sibi inexistentem, ut docet sanctus Thomas, quem ibi impugnat. Vel denique quòd rationes ab Angelico Doctore allatæ in rationem suæ sententiæ, non ita erant efficaces, ut quis non posset contradictorium illius assertionis sustinere.

Objicies secundò: Si imperium voluntatis prærequireretur ad actum fidei, sequeretur quòd fides non esset initium justificationis: sed falsum consequens: ergo & id unde sequitur.

VI. Non minus tamen fides est salutis initium.

Nego sequelam majoris: Non enim fides idcirco dicitur initium justificationis, quòd nullum alium actum præsupponat, enimverò ad assensum fidei prærequiruntur apprehensio objecti credibilis, revelationis divinæ, & sæpissimè judicium de

A credibilitate, seu de motivis illius credibilitatis: sed idcirco dicitur initium justificationis, quia est primus actus supernaturalis in substantia; ac proinde primus actus inter dispositiones prærequisitas ad justificationem; siquidem imperium seu actus voluntatis moventis ad assensum fidei, non est semper supernaturalis in substantia, sed duntaxat in modo, ut dicemus infrà.

Probatur etiam secunda pars, nempe quòd fidei actus non sit liber libertate contrarietatis, & quoad specificationem, circa objecta fidei proposita cum evidentia morali credibilitatis; siquidem in eo casu nihil est quod movere possit in-

VII. Intellectus non semper est liber quoad specificationem actus fidei.

B tellectum, ut eliciat actum dissensûs; ac proinde eum non potest elicere. Consequentia patet, quia intellectus non potest habere aliquod judicium, nisi ad id moveatur ab aliquo. Antecedens verò probatur: Si ad dissensum in eo casu moveretur intellectus, maximè vel ab objecto, vel à voluntate: sed neutrum dici potest. Non quidem ab objecto; quia objectum revelatum eùm proponatur ut supervestitum motivis credibilitatis, non potest ullatenus movere ad dissensum; non etiam à voluntate, quia, ut optimè probat Doctor *ibidem num.* 2. non potest voluntas movere intellectum ad actum, nisi suppositâ aliquâ motione ex parte objecti: ergo cùm in casu proposito non possit esse aliquod motivum ex parte objecti ad dissensum, non poterit voluntas movere ad dissensum.

Siquidem non potest semper dissentire objectis debitè propositis.

Probatur secundò: Non potest quis credere nisi proponatur objectum credibile: ergo nec discredere seu dissentire potest, nisi res proponatur ut incredibilis, seu ut non credibilis: sed objecta proposita per motiva credibilitatis evidenter cognita, sive evidentiâ morali, sive physicâ, nullatenus sunt incredibilia vel non credibilia: ergo intellectus etiam imperante voluntate non potest illis dissentire. Confirmatur: quia, ut optimè probat Doctor ibidem nu. 2. si voluntas posset mo-

D vere intellectum, ut dissentiret alicui objecto, quod apparet sine ullo motivo dissensûs, sequeretur, quòd ad imperium voluntatis posset intellectus judicare astra esse paria, nec-non baculum qui in aqua positus fractus aut curvus apparuerat, dum ab ea extrahitur & integer ac rectus visu & tactu percipitur, nihilominus esse reverà fractum; at experientia contrarium manifestè docet: igitur, &c.

Denique, non magis determinatur aut necessitatur intellectus ad assentiendum conclusioni scientificè propositæ, quàm necessitetur ad assentiendum per fidem objecto credibili proposito, eadem enim apparet utrobique ratio; quippe cùm

E objectum fidei sic propositum sit evidens evidentiâ extrinsecâ, sive morali, sive physicâ, prout sunt evidentia illa motiva credibilitatis: sed, ut fatentur omnes, intellectus determinatur necessitate specificationis ad præbendum assensum scientificum respectu conclusionis scientificè propositæ: ergo pari ratione necessitatur ad assensum fidei præstandum objecto proposito cum motivis credibilitatis evidenter cognitis.

Dices: Plurimis infidelibus & hæreticis proponi possunt prædicta motiva credibilitatis, qui tamen non credunt, sed etiam discredunt ac dissentiunt: igitur intellectus non determinatur determinatione quoad specificationem, ut præbeat assensum objectis fidei propositis cum motivo credibilitatis.

VIII. Quare hæretici non credant articulis debitè propositis.

Distinguo antecedens: Ipsi dissentiunt articulis fidei, quando motiva credibilitatis ita apprehendunt, ut ab ipsis determinentur moraliter aut physicè ad assentiendum, nego: secus, concedo: Quòd itaque ipsi discredant, inde fit quòd sive defectu ingenii, sive defectu attentionis & considerationis, sive ob contraria motiva, quæ ratione suæ infidelitatis & hæresis habent, non judicant mysteria sic proposita esse evidenter credibilia. Imò contingere potest quòd licèt internis convincantur de credibilitate mysteriorum, dum rem exactè librant ac perpendunt; attamen motivis suorum errorum toti incumbentes, facilè intellectum avertunt ab ejusmodi motivis credibilitatis fidei, ut obstinatâ voluntate in suis erroribus permaneat.

IX. Potest tamen intellectus interdum dissentire.

Fateor nihilominus plerumque assensum fidei esse liberum quoad specificationem, etiam stante propositione motivorum; eò quòd nimirum non semper perspicuè appareat evidentia credibilitatis, sive defectu propositionis ejusmodi motivorum non sufficienter expositæ; sive defectu capacitatis aut attentionis ex parte audientis. Quapropter experientiâ constat, quòd etsi hæreticis sufficienter proponantur articuli fidei, itaut peccent non credendo, nihilominus pertinaciter in suis erroribus permanent; quemadmodum contigit Judæis, de quibus Christus Dominus Joan. 15. dicebat: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et infrà: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum: sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odiò habuerunt me gratis.* Quibus Christus Dominus apertè significat Judæos per miracula à se patrata, quibus similia nullus unquam operatus fuerat, habuisse sufficiens motivum ut crederent eum reverà esse Messiam; sed iis non obstantibus, noluisse tamen credere, quanquam non haberent ullum motivum, cur discrederent.

Conclusio Secunda.

X. Ad omnem actum fidei requiritur voluntatis concursus directus.

P*Robabilius est ad omnem actum fidei propter revelationem obscuram eliciendum, requiri concursum immediatum voluntatis talem actum imperantis.* Hæc est Doctoris dist. 25. quæst. 2. ubi licèt n. 1. significaverit contrariam assertionem non esse improbabilem; tamen addit num. 2. *Et esto quòd requiratur motio positiva voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic movendum in puris naturalibus: quia positô verò supernaturali præsente intellectui, posset voluntas movere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu esset habitus inclinans intellectum in illud.*

Probatur conclusio illis omnibus tum Scripturæ, tum Conciliorum, quum SS. Patrum authoritatibus, quibus suprà probatum est actum fidei esse liberum: multò enim faciliùs hâc ratione apparet quomodo actus fidei sit maximè liber. *Deinde,* etiam favet experientia, quippe cùm experiamur nos non solere credere, nisi positivè volendo; nam quando duo homines æqualis authoritatis & veritatis apud nos, quorum unus diceret aliquid à Deo esse revelatum; alius verò id negaret, possumus pro libito intellectum flectere ad unam partem, alterâ relictâ; quod utique non fit, nisi per directum voluntatis imperium, potiùs determinantis intellectum, ut credat homini affirmanti id revelatum esse à Deo, quàm neganti. *Denique,* intellectus debet determinari sufficienter ad credendum, vel ab objecto proposito, vel à voluntate: sed non potest sufficienter determinari immediatè ab objecto: ergo intellectus determinari debet à voluntate. Major constat: nihil enim apparet, quod potest esse determinativum intellectûs, præter objectum & voluntatem. Minor verò probatur: Objectum non potest sufficienter determinare intellectum, nisi vel in se immediatè videatur; ut constat cum in his, quæ sub experientiam cadunt, tum in primis principiis, quæ per ingenitum lumen deprehenduntur; vel per necessariam consequentiam inferatur ex principiis clarè cognitis, ut apparet in conclusionibus: sed objectum fidei nullô ex istis modis evidenter cognoscitur à nobis; cùm tale objectum sit veritas obscurè revelata: igitur intellectus non potest sufficienter determinari ad credendum ab objecto proposito; & consequenter ad id determinari debet directè per voluntatis imperium.

XI. Neque adversatur subtilis Doctor.

Objicies primò: Doctor subtilis num. 2. suprà laudatô, ait: *Positâ fide acquisitâ, credibili præsente, potest intellectus per habitum infusum, credere, dummodò voluntas non contra moveat, nec plus requiritur,* hoc est, non alius desideratur concursus voluntatis præter non contra motionem, seu ex hypothesi quòd intellectum ab objecto non avertat, ut ad alterius considerationem moveat & convertat.

Confirmatur, quia ex sententia Doctoris, potentia non impedita potest ex se directè ferri in objectum sibi sufficienter propositum absque alterius facultatis adminiculô, maximè quando naturaliter & necessariò agit, quomodò certum est intellectum operari: quippe solius voluntatis est, positis omnibus ad agendum prærequisitis, posse agere vel non agere: igitur quando intellectus habet objectum fidei sufficienter propositum, cum motivis credibilitatis evidenter apprehensis, non eget ullô voluntatis imperiô.

Respondeo Doctorem, id duntaxat probabiliter dixisse, unde statim subdit: *Et esto quòd requiratur motio passiva voluntatis, &c.* Quibus apparet eum priorem sententiam non assertivè protulisse.

Ad confirmationem dico potentiam quidem non impeditam ferri ex se in objectum sufficienter propositum, quando ab eo determinatur, directè & per se, concedo: secus, nego: Intellectus autem, ut mox diximus, non potest sufficienter determinari ab objecto fidei; quia quantumlibet sufficienter proponatur, semper manet obscurum & inevidens, ac subinde ad id necessum est quòd per voluntatis imperium moveatur.

Objicies secundò: Dæmones credunt sine imperio voluntatis: igitur ad credendum non requiritur illa voluntatis motio & imperium.

XII. Dæmones interdum credunt sine imperio voluntatis.

Distinguo antecedens: Credunt fide naturali, transeat: supernaturali, nego: certum est enim, ut diximus, dæmones non habere fidem supernaturalem. *Vel aliter* concessô antecedente, distinguo consequentiam: Dæmones ita credunt, quando motiva credibilitatis physicè sunt ipsis evidentia, concedo: secus, nego: constat autem aliqua objectiva fidei à dæmonibus apprehendi cum evidentibus motivis credibilitatis: sic enim ex oraculis Prophetarum designantium tempus Incarnationis, nec-non & ex Christi miraculis, ac perfecta vitæ sanctimonia dæmones cognoscere potuerunt ipsum esse Messiam, &c.

Objicies tertiò: Voluntas non potest movere intellectum

intellectum ad assentiendum, potius quàm ad dissentiendum rebus fidei: igitur ad talem assensum præbendum intellectus non eget monione & imperiò voluntatis. Consequentia est evidens. Antecedens verò probatur: Voluntas non potest movere intellectum duntaxat ad specificationem actûs, sed solùm ad ejus exercitium: ergo potest duntaxat movere ad assensum, non verò ad dissensum.

Nego antecedens, nec-non & ejus probationem; quippe, ut diximus, quando intellectus relinquitur indifferens ad speciem actûs, hoc est, ad assensum, vel dissensum, ut contingit dum duo homines æqualis authoritatis, quorum unus asserit aliquod objectum esse à Deo revelatum, alius verò id negat; eo enim in casu voluntas determinat intellectum ex se indifferentem ad assensum vel dissensum pro suo beneplacito.

Conclusio Tertia.

XIII. Actus imperii voluntatis movens ad credendum, est supernaturalis quoad modum.

Actus *ille internus voluntatis est aliquâ ratione supernaturalis, non verò secundùm substantiam, & in entitate.* Hæc est Doctoris d. 15. q. 2. nu. 2. ubi ait: *Ad hoc quòd voluntas moveat intellectum ad credendum credibile, sufficit dispositio intellectûs, & non est necessarium dispositionem proportionalem illi poni in voluntate: nec ad hoc, quid differenter operetur per instrumentum, requiritur talis dispositio proportionalis in voluntate, qualis est in actu credendi perfectiori, & minùs perfecto, sed sufficit proportionalis dispositio in intellectu differens, secundùm quod gradus differentes in perfectione sunt in actibus.*

Ut docet Doctor.

Quibus Doctor refellit argumentum S. Thomæ, quô contendebat admittendum esse habitum supernaturalem in voluntate, ut moveat intellectum ad actum fidei eliciendum; quemadmodum requiritur habitus supernaturalis in intellectu, ut ejusmodi actum fidei in ratione supernaturali eliciat. Quod utique argumentum S. Thomæ erat ejusmodi: Quando duo agentia concurrunt ad eundem effectum, unum per modum causæ principalis, aliud per modum causæ instrumentalis; major, aut saltem æqualis requiritur perfectio in causa instrumentali, ac in principali: sed voluntas est causa principalis actûs fidei; intellectus verò est causa instrumentalis, aut saltem minùs principalis: igitur si admittatur habitus supernaturalis in intellectu ad eliciendum actum fidei, multò magis admittendus est in voluntate, ut ad ejusmodi actum eliciendum moveat. Quod utique argumentum nullum esse *ibidem* demonstrat Doctor negando majorem; quia, inquit, de facto in instrumentis artium requiruntur dispositiones quædam ad perfectionem effectuum, putà acuties, soliditas, & durities in securi, qualis perfectio non requiritur in potentia loco-motiva: igitur gratis concessô, quòd intellectus sit duntaxat causa instrumentalis respectu actûs fidei, non est consequens, quòd si in eo ponendus habitus supernaturalis ad eliciendum actum fidei, pari ratione etiam in voluntate admittendus sit supernaturalis habitus, ut per eum voluntas moveat intellectum ad productionem talis actûs: sed sufficit quòd illa voluntas ad illud imperandum stimuletur & adjuvetur per auxilium aliquod actuale supernaturale. En genuina subtilis Doctoris sententia.

Et colligitur ex Scriptura.

Probatur prima pars conclusionis, nempe quòd actus voluntatis, quô intellectum movet ad credendum sit aliquô modô supernaturalis. Primò quidem ex illis omnibus Scripturæ oraculis, quibus probatur, quòd omne opus conducens ad vitam æternam, sit ex gratia: Sic Joan. 15. Christus D. ait: *Sine me nihil potestis facere.* Et Rom. 9. *Quid habes quod non accepisti?* Et ad Philip. 2. *Ipse est qui operatur in nobis & velle & perficere, &c.* Sed ille actus voluntatis moventis intellectum ad fidem, conducit ad vitam æternam: igitur est ex gratia; ac proinde aliquô modô supernaturalis; nam, inquit Poncius in commentario ad præfatam quæstionem Doctoris num. 284. aliquem actum esse supernaturalem aliquô modô, nihil aliud est quàm ipsum procedere ex gratia supernaturali, & conducente ad vitam æternam. Nec sanè quantùm ad hanc conclusionis partem aliqua appare difficultas, nisi fortè ex quibusdam verbis subtilis Doctoris, qui videtur etiam illud auxilium supernaturale actuale non judicare necessariò ponendum in voluntate, ut moveat intellectum ad credendum. Unde

Objicies: Qui dicit voluntatem in puris naturalibus sufficere ad movendum intellectum, non videtur ad id requirere auxilium actuale supernaturale: sed ita censet Doctor, ait enim num. 2. *Esto quòd requiratur motio positiva voluntatis, sufficit voluntas ad sic volendum in puris naturalibus:* Igitur, &c.

Distinguo majorem: Qui id dicit per exclusionem cujuscumque auxilii supernaturalis tam habitualis, quam actualis; concedo: Per exclusionem solius habitualis, nego: Ad minorem dico Doctorem per voluntatem *in puris* naturalibus, intelligere voluntatem non informatam habitu supernaturali, de quo duntaxat ibi erat ipsi controversia cum S. Thoma; non verò voluntatem sine auxilio gratiæ actualis prævenientis, excitantis & adjuvantis voluntatem in illo formando imperio, quod sanè prorsus extraneum erat à scopo difficultatis propositæ. Hinc graviter lapsus est Suarez: eùm disp. 6. de fide sect. 7. ait Scotum non videri à sententia Semipelagianorum distare; ab ea enim sententia, si rectè intelligatur Doctor, non minùs distat, quàm quivis alius Catholicus Doctor. XIV. Doctor subtilis vendicatur.

Probatur secunda pars, nempe quòd actus ille voluntatis non sit supernaturalis in entitate: *Primò* quidem: Volitio illa quantùm ad entitatem proportionari debet & esse ejusdem ordinis, ac est cognitio intellectûs illam dirigens: sed cognitio dirigens hanc volitionem non est supernaturalis in entitate: igitur nec illa volitio in entitate; debet enim esse proportio inter cognitionem proponentem & prosecutionem voluntatis, quantùm ad naturalitatem & supernaturalitatem; unde de facto admittitur ab omnibus necessaria connexio fidei supernaturalis cum charitate & spe: quoniam cùm hæ duæ virtutes in voluntate residentes sint ordinis supernaturalis, etiam præsupponunt in intellectu virtutem quæ sit ejusdem ordinis. Minor verò probatur; cognitio enim illa antecedens imperium voluntatis consistit in judicio tam speculativo quàm practico intellectûs de evidentia credibilitatis: sed judicium illud est tantùm ordinis naturalis. XV. Ille tamen actus non est supernaturalis in entitate.

Probatur: Si judicium illud intellectûs esset ordinis supernaturalis, fides non rectè diceretur fundamentum & initium totius salutis: sed consequens ex dictis apparet falsum: Igitur, &c. Probatur sequela majoris, quia eatenus fides habitualis dicitur initium habitualis justificationis,

quatenus non præsupponit aliquem habitum supernaturalem in substantia: igitur à simili eatenus fides actualis est initium actualis justificationis, quatenus est primus actus supernaturalis in substantia, qui haberi possit: at si judicium præcedens ac dirigens voluntatis imperium, esset supernaturale in substantia, fides actualis non esset primarius actus supernaturalis, sed potius istud judicium; ac subinde judicium istud potius dicendum esset initium justificationis actualis, quàm actus fidei.

Confirmatur: Non omnis actus intellectûs in entitate supernaturalis, requirit universim prævium similem actum voluntatis: ergo nec primarius fidei actus necessariò prærequirit actum fidei in entitate supernaturalem. Antecedens patet: Judicium enim intellectûs præcedens affectum credendi in voluntate, non supponit aliquem actum voluntatis in entitate supernaturalem, alioquin procedendum esset in infinitum: igitur, &c. Consequentia etiam constat à paritate rationis.

Dices primò: Ex Scriptura sacra, Conciliis & SS. Patribus, voluntas credendi requirit gratiam specialem, ac subinde debet esse supernaturalis in entitate.

XVI. Gratia actualis requiritur interdum ad aliquos actus qui non sunt in entitate supernaturales.

Nego consequentiam, siquidem gratia requiritur ad plura quæ non sunt in entitate supernaturalia; enimverò per actus virtutum moralium acquisitarum, qui non sunt supernaturales in substantia, sæpissimè saltem, observamus præcepta, vincimus tentationes gravissimas; sed ad actus, quibus hæc fiunt, requiritur gratia particularis Christi, ut suppono ex Tractatu de gratia actuali.

Insuper, quia certum est esse maximum donum Dei, quòd hîc & nunc, quando aliquis non esset daturus eleemosynam, nisi excitarentur tales species, aut applicarentur tales circunstantiæ, excitantur illæ species, & apponuntur illæ circunstantiæ, ad quas sequatur eleemosynæ largitio, etiam ob honestatem naturalem; ac subinde gratia actualis interdum requiritur ad actus qui sunt in entitate supernaturales.

Instabis: Idcirco colligitur actus fidei, spei & charitatis esse supernaturales in substantia, quòd Scriptura sacra & Concilia significent eos non posse elici sine gratia: igitur cùm idem dicatur de volitione credendi, etiam illa dici debet supernaturalis in entitate.

Respondeo ad antecedens, non ex hac præcisè ratione inferri illas virtutes esse supernaturales, sed maximè ex aliis capitibus, præcipuè verò quia habitus illi infunduntur in justificatione & baptismo: habitus autem per sa infusi per se sunt supernaturales quantùm ad substantiam, ut diximus suprà: igitur, &c.

Vrgebis: Ideo Deus infundit habitus qui dicuntur per se infusi, ut sit aliqua proportio inter nostra merita & præmium beatitudinis, quod cùm sit supernaturale, requirit etiam meritum ejusdem ordinis: sed meritum fidei etiam dependet ab illa volitione credendi; ideo enim præcisè assensus fidei habet rationem meriti, quia imperatur à voluntate mediante ipsâ volitione: igitur tam ipsa volitio debet esse supernaturalis in entitate quam habitus fidei.

Respondeo distinguendo majorem: Idcirco conceduntur illi habitus infusi, ut sit proportio inter eorum actus & præmium beatitudinis, præcisè, nego: ratio enim infusionis eorum habituum rectè refunditur in voluntatem divinam, cujus motiva nobis sæpe occultantur: conceduntur ob alios fines, concedo. Ad minorem similiter dico fidem supernaturalem præcisè infundi ut proponatur objectum supernaturaliter voluntati, & sit quædam proportio inter actum intellectûs proponentis, & voluntatis prosequentis.

Adde quòd meritum fidei posset habere proportionem in supernaturalitate cum præmio beatitudinis, quamvis dependeret à volitione quæ non esset supernaturalis; quippe cùm præter illam volitionem concurrat habitus supernaturalis fidei ad ejusmodi actum eliciendum.

QUÆSTIO QUARTA.

An, quomodo & quando fides sit exteriùs profitenda?

I. Externa fidei confessio fieri potest duobus modis.

NOtandum primò, externam fidei confessionem sumi posse duobus modis. Primò quidem communiter & latè pro omnibus bonis operibus, qui mediante fide, seu ad illius illustrationem exercentur; de qua confessione dicit sanctus Jacobus cap. 2. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Secundò, strictè & propriè pro ipsa manifestatione fidei per aliquod signum sensibile, sive vocis, sive scripturæ, sive actûs, quibus testaremur nos habere internam fidem & credere articulis fidei, quæ quidem manifestatio dicitur propriè fidei confessio, estque secundùm omnes Theologos externus fidei actus: sicut è contra externa fidei negatio est actus externus infidelitatis. Hæc autem professio fidei potest habere bonitatem extrinsecam provenientem ex ordinatione intrinseca alicujus virtutis interioris. Difficultas autem est, an proveniat ab ipsomet interno fidei habitu, quemadmodum honestas actûs exterioris eleemosynæ est propria actui misericordiæ, an verò ab aliqua alia virtute proveniat, putà charitate erga Deum, veracitate, fortitudine, &c. Circa quam difficultatem explicandam, triplex potissimùm est Authorum sententia: *Prima* quidem eorum, qui contendunt confessionem externam esse reverà actum fidei, quia procedit ab ipsa fide interna, quatenus connaturale est homini conceptum internum exteriùs propalare, & ipsemet ad id instigat. *Secunda* negat esse actum virtutis fidei, seu habere honestatem propriam illius, quippe cùm possit esse sine actu interiori ipsius fidei, imò & exterior fidei negatio possit esse sine actu interiori: potest enim quis confiteri exteriùs fidem per simulationem, & absque eo quòd habeat assensum internum circa articulos fidei; potest etiam quis negare fidem exteriùs absque eo quòd eam interiùs deneget, quemadmodum credendum est contigisse sancto Petro, dum se non novisse Christum contestatus est. *Tertia denique* sententia contendit fidei confessionem exteriorem nón esse propriè actum fidei, sicut actus exterior temperantiæ est actus virtutis temperantiæ: sed se habere sicut signum manifestativum actûs interioris, ac veluti actum secundarium & indirectum virtutis fidei.

Controvertitur à quo habitu proveniat.

II. Præceptum de fide confitenda, est vel Ecclesiasticum.

Notandum secundò, quòd attinet ad præceptum confessionis fidei, illud generatim esse duplex, nimirum Ecclesiasticum & divinum: Ecclesiasticum maximè fundatur in constitutionibus, seu Canonibus Ecclesiæ, quibus universim aut certo generi personarum præscribitur emittenda fidei

professio; quemadmodum in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de reformatione ordinatur, ut *provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur à die adepta possessionis ad minùs intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eò impeditò coram generali ejus Vicario seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romana Ecclesia obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non solùm coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo, idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi ut suprà, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Et sess. 25. cap. 2. de reformatione: *Præcipit sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant; nec-non veram obedientiam Romano Pontifici spondeant & profiteantur, &c.*

A

B

Vel divinum.

Idem vel affirmativum vel negativum.

Præceptum divinum confessionis faciendæ exprimitur in plurimis sacræ Scripturæ oraculis infrà referendis. Illud autem est duplex, unum quidem affirmativom, aliud autem negativum. Illud præcipit fidem aliquando manifestandam esse per sigoum aliquod externum & sensibile; aliud verò vetat fidem oegari, aut aliquid contrarium confessioni fidei fieri. Istud obligat, noo quidem pro singulis vitæ momentis, sed tantùm aliquando, & pro aliquo solùm tempore aut circunstantiis: hoc autem obligat semper & pro semper, seu pro qualibet temporis differentia, quia ousquam licet fidem negare, ut dicemus infrà.

C

Notandum tertiò, nonnullos aliquando hæreticos, maximè vero *Elcesætas* asseruisse, licitum esse fidem in tormentis oegare, dummodò corde retineatur, ut refert Eusebius lib. 6. historiæ cap. 28. & Epiphanius hæresi 19. quibus accenseri possunt *Priscillianistæ*, qui, ut tradit S. Augustinus hæresi 70. asserebant posse aliquem occultare suum errorem, etiam pejerando; quem errorem suscitaverunt Anabaptistæ, & alii, ut refert Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 3. contra quos omnes Errones disertè pronuntiat Ecclesia, fidem nusquam esse negandam, quanquam consentiat illam aliquando posse licitè occultari. *Sciendum* autem est aliud esse occultare seu dissimolare veram fidem, aliud factis aut dictis falsam simulare; dissimulatio enim veræ fidei locum habet, quando fit aliquid, ex quo positivè non colligitur eum qui tali dissimulatione utitur, esse Christianum seu Catholicum, sic tamen ut inde nihil contrarium siguificetur: simulatio verò falsæ fidei consistit in factis significantibus hìc & nunc ipsum simulantem profiteri aliam fidem Christianæ aut Catholicæ fidei directè oppositam.

III.
Aliud est fidem dissimulare, & aliud falsam profiteri.

D

E

Status quæstionis.

His præmissis, quatuor supersunt hac in quæstione determinanda: *Primum* quòd exterior fidei confessio non sit propriè actus fidei, elicitus aut imperatus: *Secundum*, quòd aliquibus in circunstantiis aut occasionibus teneamur profiteri fidem ex divino mandato: *Tertium*, quòd nusquam liceat ipsam negare: *Quartum* denique, quòd liceat interdum veram fidem occultare, nusquam verò falsam profiteri.

CONCLOSIO PRIMA.

IV.
Externa confessio fidei non imperatur ab illius habitu.

EXTERNA *fidei confessio non est actus elicitus aut imperatus ab habitu fidei.* Probatur: Externa confessio consistit in actione aliqua, quæ quoad substantiam producitur à potentia naturali loco-motiva, à qua elicitur, seu producitur locutio, scriptio, nutus, aut aliud opus protestativom fidei internæ: sed ista omnia non habent fidem internam pro principio elicitivo; ac subinde externa illa confessio non elicitur ab habitu interno fidei in intellectu residente. Quòd autem coofessio exterior etiam oon imperetur ab habitu fidei constat, quia habitus aut assensus fidei, qoatenus est in intellectu, non potest imperare actibus internis, hoc enim solùm spectat ad voluntatem, quæ per volitionem imperare potest aliis potentiis.

Sed à volitione credendi.

Itaque actus fidei exterior non est propriè actus elicitus aut imperatus ab habitu fidei: igitur fatendum est confessionem externam eatenus spectare ad fidem, quatenus propriè imperatur à voluntate per volitionem confitendi exteriùs fidem, quæ quidem volitio specialem habet honestatem, eam nimirum quam habet volitio credendi: sicut enim honestum est velle credere, sic & velle confiteri quod credimos; & coosequenter in ipso credere & confiteri est similis honestas objectiva fundata in excellentia divinæ veracitatis. Excellentia enim veracitatis divinæ eadem est, cujus cultum intendit voluntas imperando assensum fidei, & captivando intellectum in ejus obsequium ad vitandam irreverentiam, quæ divinæ veracitati inferretur, oon assentiendo ejus dictis. Gravis autem divinæ veracitati irrogaretur irreverentia, si quis negaret exteriùs fidem objectis à Deo revelatis; sicut è contra cedit in cultum & reverentiam ejusdem palam profiteri veritatem ejusmodi objectorum revelatorum: ad eundem ergo habitum voluntatis pertinet utrumque actum imperare & amare; unde Apostolus 2. ad Corinth. 4. ait: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.*

V.
Quare confessio fidei ad fidem spectet.

Censeo igitur confessionem fidei posse dici illius actum: *primò* ratione similis honestatis, quæ inest utrique actui interiori & exteriori fidei, quippe cùm uterque tendat in veracitatem divinam honorandam. *Secundò*, quia uterque imperatur ab eadem pia motione voluntatis, quæ non solùm imperat actui interno, sed etiam actui externo confessionis. *Tertiò*, quia confessio externa est signum fidei internæ, quemadmodum arteriæ pulsus dicitur sanus, quia est signum internæ sanitatis. *Quartò*, quia confessio externa, & assensus fidei internus innituntur eâdem ratione formali, nempe revelatione Dei. Hâc igitur ratione conciliari possunt omnes præfatæ sententiæ, nempe qoòd confessio exterior fidei imperetur quidem per piam volitionem credendi, dirigatur per habitum & assensum internum fidei, eliciatur verò per potentiam loco-motivam, quæ ejosmodi signum fidei manifestativum exhibet.

CONCLUSIO SECUNDA.

VI.
Fides ex præcepto divino est interdum confitenda.

PRÆCEPTUM *Divinum est fidem exteriùs interdum confitendi, nusquam verò eam negandi.* Probatur primò plurimis Scripturæ sacræ oraculis: Sic Matth. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me*

coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre A *meo, qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Idem repetitur, *Lucæ* 12. *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Et *Lucæ* 9. dicitur: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum.* Idem significatur, *ad Rom.* 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio ad salutem.* Unde sanctus B Augustinus lib. de fide & Symbolo cap. 1. rectè dixit: *Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ:* sub officio linguæ veluti principaliori signo expressivo omnem exteriorem confessionem intelligens.

In quibus verbis duplex exprimitur præceptum, affirmativum unum, quô tenemur fidem interdum profiteri exteriùs; negativum alterum, quô nusquam eam negare licet.

Quòd autem interdum teneamur exteriùs fidem profiteri, colligi potest *primò*, quia, inquit de Lugo *d.* 14. *sect.* 4. Deus non voluit de facto Ecclesiam solùm invisibilem & mentalem, sed visibilem per unionem & conjunctionem sensibilem, C ut nempe fieret unum corpus mysticum visibile animatum, unô & eôdem spiritu visibili internô. Hæc autem conjunctio visibilis fieri non potest, nisi membra ad invicem sensibiliter conjungantur inter se, quod fit dum singula sese manifestant aliquô signô sensibili se esse membra hujus corporis mystici, profitendo eandem fidem & religionem communem aliis membris. *Secundò*, quia id cedit maximè in Dei gloriam, & celebrationem ejus divinæ majestatis; quemadmodum enim ille indignus censeretur, qui ascriptus in familiam Principis, & ab eo famuli stipendium accipiens, nollet tamen se ex ipsius Principis famulis profiteri, nec ullum nisi clam vellet obsequii sui signum Principi exhibere: sic enim agendo videretur dedignari dominum, & erubescere professionem suæ servitutis: sic irreverentia eò major D fieret Deo ab illo, qui per baptismum inter ejus famulos consignatus, nollet publicè se veri Dei servum & cultorem profiteri, quò infinitè major Dei dignitas ac majestas, & innumera illius erga famulos beneficia ac merita, assiduam ab eis exigunt suæ professionem servitutis & fidei erga Dominum infinitè excellentem, & cui tot se nominibus obstrictos noverunt.

Quomodo fiat illa cõfessio ordinariè. Cæterùm, huic præcepto ordinariè faciunt satis fideles, quoties implent opera aliorum præceptorum Christianæ legis, putà cùm recipiunt sacramenta, adsunt Missæ sacrificio, templa devotè frequentant, & faciunt satis omnibus mandatis ab Ecclesia Catholica singulis Fidelibus præscriptis. Nec requiritur quòd illa opera fiant ex speciali motivo manifestandi & confitendi fidem; non enim necessum est, ut quis satisfaciat præcepto, quòd opus præceptum impleat ex motivo illius præcepti: qui enim ex pia consuetudine jejunare solet diebus singulis Veneris, reverà satisfacit præcepto Ecclesiæ, dum ipsô die Veneris occurrit feria quatuor temporum, aut Vigilia alicujus festi, in qua ex præcepto Ecclesiastico jejunandum est, etsi de præcepto jejunii non cogitet.

VII. Extra verò casus ordinarios variæ possunt occurrere circumstantiæ, in quibus exterior fidei professio fieri debet ex ipsa virtute fidei. *Primò* namque, toties tenemur fidem publicè profiteri, quoties fide de fide interrogati taceremus, silentium istud præberet ansam vel cogitandi quòd fides non esset vera, vel esset occasio aliis, ut averterentur à fide. *Secundò*, quando adultus suscipit baptismum; eô namque tempore ipsa reverentia erga divinam veracitatem & authoritatem obligat ad exhibendum signum fidei externum, & profitendos nos ejusdem fidei cultores. *Tertiò*, quoties omissio confessionis fidei esset occasio & in causa, cur alii à fide deficerent: aut inde esset periculum morale ipsi fideli deficiendi à fide, nisi per actum illum contrarium & protestationem externam timorem & erubescentiam excuteret, sese Christianum & Catholicum publicè profitendo. Sunt etiam plures alii casus, in quibus videtur urgere obligatio profitendi fidem ex præceptis aliarum virtutum. Sic v.g. fidem debemus saltem implicitè profiteri, quando debemus sacramentum aliquod suscipere, audire Missam, recitare officium, adire templa, Eucharistiam adorare, imagines Sanctorum, vel eorum reliquias colere, observare jejunia, vel dies festos & similia: Hæc autem obligatio in iis casibus non oritur ex virtute fidei, sed ex aliis præceptis, quæ servari non possunt sine explicita vel implicita fidei confessione. *Quando extraordinariè fieri debeat.*

VIII. Quantùm autem ad secundam partem, nempe fidem nusquam esse negandam, res est in comperto, quòd scilicet negatio ista fieri non posset citra peccatum, quia quicumque negat fidem, opponit se authoritati divinæ, negando aliquam veritatem revelatam; Deo autem gravis fit offensa negando ejus veracitatem; quippe implicitè per istam negationem significatur Deum esse mendacem, ac subinde illa negatio fieri non potest citra peccatum: Ex quibus fit consequens nusquam licitum esse fidem negare. An autem licitum sit illam interdum dissimulare aut occultare, gravis est difficultas & multiplex inter Theologos contentio. Quid autem in hac re nobis verius videatur, aperiet *Nusquam licet fidem negare.*

CONCLUSIO TERTIA.

LICITUM *est interdum fidem occultare non solùm negativè, illam per aliquem actum positivum non manifestando, sed etiam positivè & affirmativè, quando alias non adest obligatio confitendi fidem.* *Licet interdum fidem occultare.* Hæc est communis quoad utramque partem apud Theologos, maximè quantùm ad primam partem, quia licitum est fugere, vel se occultare tempore persecutionis, ut docet Christus D. Matth. 10. ubi prædicens Apostolis persecutiones eis faciendas, ait: *Cùm autem persequentur vos in civitate* E *illa, fugite in aliam.* Et S. Paulus 2. ad Cor. 11. de seipso ait: *Damasci præpositus gentis Aretæ Regis voluit me comprehendere, & à fratribus per murum dimissus sum in Sporta, & sic evasi manus ejus.* Hic pariter fuit totius Ecclesiæ sensus, ut docet S. Augustinus libro 1. contra epistolam Gaudentii Donatistæ cap. 20. Et sanctus Athanasius in insigni Apologia pro sua fuga in persecutione. Quod etiam patet exemplis plurimorum sanctorum Pontificum, qui tempore persecutionis latitabant & in antris, & locis abditis, nec-non & exemplo sanctorum Blasii, Athanasii, Cæsarii & aliorum, qui fugerunt vel se occultârunt tempore persecutionis, quamvis essent Episcopi & animarum

Rectores, cujus ratio est quia, fugere & sese occultare, non est fidem negare; sed potius eam ipsô factô profiteri, tanti scilicet eam faciendo, ut exilium præferatur ejus negationi.

Adde quod fides necessaria esse potest, ad majus bonum, vel ad vitandum majus malum, putà ad consulendum suæ fragilitati, vel ad vitam pro aliorum salute conservandam, quæ utilitas vel fragilitas tanta est interdum, ut non solùm fuga illa sit licita, sed etiam videatur moraliter necessaria.

Nec obstat quòd Christus Dominus dixerit Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propria, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.* His enim verbis Christus Dominus non improbat, nec damnat simpliciter eum qui fugit, sed qui fugiendo dimittit oves in eminenti periculo suæ direptionis & jacturæ spiritualis. Unde universaliter loquendo non semper licet fugere tempore persecutionis; maximè verò quando inde grave detrimentum potest accidere proximo, præcipuè dum illius salutis cura nobis incumbit; hinc non potest Pastor, tempore persecutionis fugere, nisi adsit aliquis, qui oves curet, ut docet sanctus Augustinus Epistola 180.

IX. *Utrum liceat uti vestibus infidelium ad occultandā fidem.*

Difficultas autem est quantùm ad secundam partem conclusionis, quibus videlicet modis liceat interdum fidem occultare, utrum licitum sit uti vestibus & ritibus infidelium ad occultandum C suam fidem? Quantùm autem ad vestes quibus infideles distingui possint à Fidelibus, dici potest eas esse in quadruplici differentia: *Primò* namque sunt vestes quibus infideles distingui solent materialiter à Fidelibus, non quidem formaliter, seu prout infideles sunt, sed duntaxat quatenus pertinent ad talem nationem, quales sunt vestes Turcarum, quæ magis pertinent ad nationem aut provinciam, quàm ad Religionis sectam; unde fit quòd licèt omnes converterentur ad fidem Christianam non propterea ritum antiquum utendi ejusmodi vestimentis deponerent. Consentiunt autem Doctores Catholici posse Fidelem uti ejusmodi vestibus, quando per illorum Infidelium re- D gionem transire aliqua necessitas urget: vestis enim illa nec explicitè, nec implicitè continet negationem fidei, aut professionem alterius sectæ.

Nec obstat quòd alii existimantes eum esse ex natione infideli decipiantur, putantes eum esse ex eadem nationis secta; illa enim deceptio fit per accidens & ex ignorantia decepti, quam per se non intendit ille qui ejusmodi vestibus utitur. Dixi (*dum necessitas urget*) cùm enim sine causa sufficienti non possimus proximi deceptionem in- A tendere, præsertim in re gravi, qualis esset dum nos falsæ sectæ cultores existimaret; certum est quòd etiam non liceat absque necessitate uti ejusmodi vestibus, nec subministrare tale deceptionis fundamentum.

Secundùm genus vestium est earum quæ usurpantur ad dignoscendos infideles formaliter, ut infideles sunt, prout Judæi Romæ ex ordinatione summi Pontificis uti debent galero flavi coloris; eorum verò fœminæ flavô velô caput debeant obtegere. *Tertium* genus vestium earum est, quæ ad protestandam & significandam falsam religionem assumuntur, quales essent vestes quibus uti solent sacerdotes falsæ religionis in usu communi. *Quartum* denique genus vestium illarum est, quæ non B solùm utcunque continēt & significant professionem falsæ sectæ, sed insuper denotant cultum actualem ejusmodi falsæ religionis, quales sunt quibus utuntur vel Sacerdotes Mahumetani, vel Sacrificuli in suis sacrificiis & superstitiosis ritibus. An autem hujus triplicis generis vestium licitus sit usus Fidelibus, non consentiunt Doctores, ut videre est apud Lugo d. 14. sect. 5. qui eorum sententias refert & partim approbat, partim improbat, faceturque ibidem num. 42. ex tot diversis Authorum sententiis posse hanc generalem formari regulam in qua fortè convenirent omnes, aut parùm dissentirent. Nempe quòd usus prædictatum vestium non sit licitus, quando ex institutione aut circumstantiis determinatur ad significationem falsi cultûs, seu pravæ religionis. Non repugnat autem, inquit, quòd circumstantiæ tales sint, in quibus vestis possit habere significationem æquè determinatam, ac habent voces, puta princeps infidelis præciperet subdito Christiano negare fidem, & in signum negatæ fidei gestare imaginem idoli, aut aliquid ejusmodi, hoc enim in casu non est dubium, quòd gestatio illius vestis esset signum negatæ fidei; atque ideo quòd esset omnino illicita.

Cùm autem non omnis usus talium vestium sit semper ita determinatus, infertur quòd tunc ex gravissima causa liceret uti vestibus primi & secundi generis, quando videlicet qui hominem Christianum eis utentem videt, eô ipsô non determinatur ad judicandum, quòd fidem deseruerit, sed dubitare aut judicare potest, quòd ad alium finem diversum tali veste utatur. Qui ampliorem hac de re controversiam, desiderat consulat ipsum de Lugo sectione citatâ, Suarem d. 14. sect. 5. & alios Theologiæ moralis seu practicæ Auctores; non enim hujus voluminis jam ad finem properantis congesta materies patitur fusiorem hac de re discussionem. Unde his omissis, aliqua de Spe Christiana delibanda sunt.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Spe divinitùs infusa.

CUM objecti optimi ac præstantissimi notitiam ejusdem appetitio & prosecutio sequatur, inde est quòd affulgente nobis divinæ fidei lumine, quô Deum optimum omnesque divinas ejus præcellentias deprehendimus, ac cæcutientibus licèt oculis inspicimus, statim in nobis accenditur illius possessionis ac fruitionis desiderium quô stimulamur ad ipsius assecutionem; quem utique stimulum divinitùs indita spes excitat; spes enim est quasi pes animæ, non solùm quô subsistit, sed & quô veluti incedit, & ad Dei suavissimam possessionem rapitur & anhelat.

I. Spem divinam præclarè commendat S. Bernardus.

Quam utique divinam spem, veluti *hominis pii thesaurum* sic præclarè commendat sanctus Bernardus serm. 9. in Psalm. *Qui habitat:* Hæc una, inquit, mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejonare bis in sabbato dicat, postremò non se esse sicut cæteros hominum glorietur: *mihi autem adhærereDeo bonum est, ponere in Domino meo spem meam* Sperent in aliis alii, fortè hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitare, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimenta feci, & ut stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea; Speret qui vult in incerto divitiarum: ego verò ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus & omnia adjicientur vobis, nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si fæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat; in te ego sperabo. Fratres hoc sapere, ex fide vivere est, nec alius ex sententia dicere potest: *Quoniam tu es Domine spes mea;* nisi cui intus sit persuasum à spiritu, ut quemadmodum monet Propheta, *jactet cogitatum suum in Domino,* sciens quòd enutriendus sit ab eo, juxta illud quoque Petri Apostoli c. 5. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum: ipsi enim cura est de nobis.*

II. Eam esse salutis anchoram pulchrè dixit Apostolus.

Quapropter eam præclarô encomiô celebrat S. Apostolus ad Hebr. 6. cùm dixit eam esse firmam animæ anchoram: *Confugimus*, inquit, *ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus animæ tutam & firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* Spes enim est firmissimum animi nostri fulcrum, ac velut anchora sacra, quæ nutantem animum, ac inter hujus vitæ procellas & tempestates fluctuantem obfirmat, ne ab optato cursu deviet, & in procelloso hujus mundi pelago naufragium incurrat.

Ut S. Augustinus expendit.

Quapropter sanctus Augustinus egregiè ait: *Hanc spem in terram sanctam tanquam anchoram præmisimus; ne in isto mari turbati naufragaremus; quemadmodum enim de navi, quæ in anchoris est, rectè dicimus, quòd jam in terra sit, licèt adhuc fluctuet: sic contra hujus peregrinationis nostræ tentationes spes nostra fundata est in illa civitate Ierusalem.*

Cæterùm non ita multa sunt, quæ de divina spe disputare solent Theologi; quocirca in referenda illius natura & præstantia frustrà teramus tempus, omnes de ipsa solitas agitari controversias, ad tria potissimùm capita revocamus, inquirentes videlicet quid & qualis sit illa divina virtus, quodnam illius objectum ac subjectum, qui & quando ejusdem actus debeant ex præcepto elici, quæ tribus in sequentibus quæstionibus explanabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & qualis sit divina Spes?

III. Varia spei nominis significatio.

NOtandum primò, hujus vocis *Spes*, significationem esse multiplicem, significat enim interdum affectum & passionem appetitûs sensitivi, quô in bonum arduum tendit, quâ ratione inter passiones recensetur; alias etiam habet ejusdem rationis acceptiones: verùm eis omnibus omissis, utpote non Theologicis, tripliciter à Theologicis solet usurpari: Primò quidem, pro objecto seu bono quod speratur. Sic ad Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes.* Et ad Titum 3. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei:* Secundò interdum usurpatur pro eo ad quem spes dirigitur: sic plerumque Scriptura sacra Deum nostram spem appellat, purà Psalmô 13. *Dominus spes ejus est.* Et Psal. 21. *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ.* Verùm illæ acceptiones sunt minùs propriæ; itaque spes de qua hîc est sermo, propriè accipitur pro actu spei, quô bona supernaturalia speramus à Deo; sic ad Rom. 8. *Spe salvi facti sumus:* cùm autem habitus denominetur ab actibus, ille habitus supernaturaliter indutus, qui ad eum actum eliciendum inclinat & stimulat, dicitur etiam spes, de qua Job. cap. 19. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Et Apostolus 1. ad Cor. 3. *Manent tria hæc, fides, spes, & charitas;* quod utique non de actibus qui transeunt, sed solùm de habitibus qui permanent potest intelligi. De hac autem ultima spei acceptione futurus est sermo.

IV. Cujus facultatis sit spes disceptatur.

Notandum secundò, non levem apud Authores tam veteres quàm recentiores moveri controversiam, cujusnam facultatis sit spes, an videlicet spectet ad intellectum aut voluntatem: fuerunt enim, ut refert Doctor *d.* 25. *num.* 2. qui existimârunt spem non esse distinctam à fide & charitate; quia, inquit num. 3. posset dici quòd spes

spes aggregat in se quodammodò duas virtutes, scilicet fidem & charitatem: actus enim spei qui est *expectare*, includit certitudinem, & hæc certitudo pertinet ad intellectum & fidem; includit etiam desiderium quod pertinet ad voluntatem, & si sit desiderium meritorium, pertinet ad charitatem quæ perficit voluntatem: sicut igitur expectatio perfecta & meritoria includit certitudinem intellectûs, & desiderium voluntatis ordinatæ, ita spes ut virtus perfecta diceretur includere per quamdam aggregationem fidem & charitatem: & secundùm hoc poneretur virtus tertia, non formaliter nec simpliciter, sed secundùm quod aggregat formaliter in se duas virtutes. Ita Doctor. *Secunda sententia* eorum est, qui existimant spem esse actum intellectûs indistinctum à fide, quia videlicet ideo speramus aliquid, quia credimus Deum esse fidelem in suis promissis. *Tertia* sententia contendit quidem spem ad intellectum pertinere, quanquam non eliciatur ex habitu fidei: sed sit actus judicii, quô intellectus judicat Deum sibi daturum beatitudinem, ex eo quòd promisit se illam concessurum observantibus mandatum; ac subinde cùm sit fidelissimus in promissis, inde sperat se beatitudinem illam consecuturum si præcepta servaverit. *Quarta* sententia eorum est, qui existimant spem esse quidem actum voluntatis, sed omnino indistinctum ab actu charitatis, quia voluntas eadem virtute charitatis, qualis ponitur ad velle ordinatum, eadem disponitur ad ordinatum nolle, nam ex Aristotele lib. 1. de anima textu 85. *Rectum est judex sui & obliqui*: Igitur pari ratione eadem virtus charitatis, quæ disponit ad amandum bonum præsens, pariter disponit ad desiderandum bonum absens: sicut grave eâdem gravitate, quâ tendit in terminum non habitum, quiescit in ipso termino, ubi eum comparavit; ac per consequens cùm voluntas determinetur ad amandum Deum sibi præsentem per charitatem, per eandem disponitur ad illum desiderandum, seu sperandum.

V. Qualis sit voluntatis actus.

Notandum tertiò, quòd etsi numerosior ac celebrior Theologorum cœtus conveniat spem esse actum voluntatis, nihilominus invicem controvertuntur quisnam sit formaliter ille actus. Duplex enim generatim est actus voluntatis, alter quidem fugæ & aversionis à malo; alter verò prosecutionis & accessûs ad bonum. Certum est autem spem non esse actum fugæ, quia non habet malum pro objecto; quandoquidem malum quà malum est, non desideretur, nec speretur, sed potius timeatur; neque etiam versetur circa objectum ab ipso recedendo, sed potius ipsum amplectendo, & ad ipsum per affectum accedendo: necessum est ergo, quòd spes sit actus prosecutionis; cùm autem prosecutionis actus sit duplex: alius scilicet qui dicitur actus prosecutionis amicitiæ, qui tendit in objectum propter solam ipsius excellentiam; alter verò prosecutionis concupiscentiæ, quô aliquis tendit in bonum non propter solam illius excellentiam, sed quatenus conveniens nobis aut aliis quos diligimus;

Status quæstionis.

Quæritur cujusnam prosecutionis actus sit spes. Quatuor igitur hîc sunt determinanda: *Primum*, utrum spes sit virtus Theologica: *Secundum*, utrum sit à fide & charitate realiter distincta: *Tertium*, utrum sit actus voluntatis & omnino idem cum desiderio, seu prosecutione concupiscentiæ, qua aliquis desiderat sibi ipsi bonum, quatenus bonum suum proprium. *Quartum*, quæ sint spei species.

CONCLUSIO PRIMA.

VI. Spes est virtus perfecta.

REVERA *spes est virtus, eaque Theologica*. Hæc est communis inter Theologos contra Durandum in 3. d. 26. qu. 1. dicentem spem non esse virtutem, nisi impropriè, & largô modô sumptam: Quia, inquit, virtus, ex Philosopho, est dispositio perfecti ad optimum; spes autem, cùm versetur circa bonum arduum, absens, & nondum possessum, non est dispositio perfecti ad optimum, ut neque fides, quæ versatur circa Deum obscurè tantùm modô cognitum.

Primam partem probat Doctor *num.* 10. Omnis habitus inclinans ad actum bonum, & bonis circumstantiis affectum, reverà est virtus: sed talis est spes: igitur, &c. Probat antecedens: Sperare Deum ut summum bonum, est aliquid honestum, & conforme regulis legis æternæ, quippe cùm sit præceptum à Deo, & aliunde nullum sit bonum perfectè satiativum creaturæ rationalis; quia solum istud bonum infinitum est: igitur appetitio illius boni est actus honestus. *Deinde* actus ille etiam afficitur circumstantiis bonis; quippe cùm fiat per media ab ipso Deo ordinata; unde quanquam appetitio boni infiniti possit esse illicita, qualis fuit in Lucifero; tamen desiderare bonum infinitum per media ab ipsomet ordinata, non potest esse nisi bonum.

Fertur enim in bonum honestum.

Dices primò: Per spem aliquis desiderat & expectat aliquid tanquam bonum sibi proprium; ac subinde fertur in bonum, non quà honestum, sed quà utile: sed omnis virtus debet tendere in bonum non quà utile, sed quà honestum: ergo spes non est virtus.

Negat secundam partem majoris Doctor *nu.* 12. Nam quòd quis desideret sibi bonum, non officit honestati illius actûs, quando desiderat illud per media proportionata, & à ratione dictata; neque enim circumstantia illa personæ cui bonum appetitur, variat rationem formalem boni; quando enim voluntas desiderat bonum sibi, non variatur propterea ipsum bonum intrinsecè, sed solùm extrinsecè, quatenus ex eo quòd sic ipsum voluntas appetat, bonum istud accipit denominationem voliti & desiderati à voluntate, quæ denominatio potest dare occasionem intellectui ad concipiendum respectum rationis inter ipsum bonum & voluntatem.

Licèt ut nobis conveniens.

Instabis: Omnis actus quô utimur fruendis, non potest censeri actus virtutis: sed actus spei talis est; quippe cùm per eum voluntas amet bonum infinitum propter seipsam, non autem propter excellentiam ipsius boni.

Negat minorem Doctor: Non enim voluntas sic sperando bonum infinitum utitur fruendis, quia non utimur fruendis, quando volumus bonum, quod propter se amandum est, ut perfectionem nostri, quando reverà illud bonum est nostri perfectivum, nec illud volumus tanquam aliquid minus bonum, quod nobis inserviat ad acquisitionem alicujus boni; sed solùm illud optamus tanquam bonum præstantissimum, quod nos perficiat & efficiat beatos.

Dices secundò, Nulla passio est virtus: sed spes est una ex undecim passionibus: igitur non est virtus.

Respondet Doctor *num.* 21. spei nomen esse æquivocum usurpatum ad significandum illum motum appetitûs sensitivi circa bonum sensibile, ut acquisitu facile, quâ ratione non est virtus, sed

passio: aliter verò spei nomen usurpatur ad significandum habitum inclinantem ad actum circa bonum spirituale futurum, quatenus animæ perfectivum, & hoc modò est virtus.

VII. Est etiam virtus Theologica.

Probat secundam partem Doctor, nempe quòd sit virtus Theologica, *num.* 11. Virtus enim illa est Theologica, quæ respicit Deum ut objectum *quod*, & aliquid divinum tanquam objectum *quo*: at ita est de spe, ut dicemus quæstione sequenti: igitur est virtus Theologica. Deinde, inquit *n.* 15. tres vulgò conditiones requiruntur ad virtutem Theologicam, per quas distinguatur non solùm à virtutibus moralibus, sed etiam ab acquisitis per actus virtutum supernaturalium: *Prima*, quòd Deum respiciat pro primario suo objecto: *Secunda*, quòd habeat pro regula primam regulam humanorum actuum, non autem aliquam regulam acquisitam. *Tertia*, quòd immediatè infundatur à Deo, sicut à causa efficiente: duæ quidem priores conditiones possunt competere fidei, spei, charitati acquisitæ, quæ tendunt in Deum tanquam in objectum, & habent aliquid divinum pro prima regula; fides quidem divinam veritatem, spes divinam fidelitatem, & charitas divinam bonitatem: sed deficiunt in tertia, quia nempe non infunduntur à Deo, nec consequenter sunt supernaturales in substantia, quales esse debent virtutes verè Theologicæ.

Dices primò: Nulla virtus Theologica est inter duo extrema vitiosa per excessum aut defectum: sed spes habet duo extrema vitiosa, nempe præsumptionem & desperationem: igitur non debet censeri virtus Theologica. Minor constat: siquidem desperatio & præsumptio opponuntur spei, illa quidem per defectum, hæc verò per excessum. Major etiam fit evidens; enimverò non potest committi excessus in fide, quia impossibile est quòd aliquid nimis firmiter credatur; nec in spe, quia non potest Deus nimis desiderari, nec urgentiori investigatione & inquisitione exoptari; nec denique in charitate, quia Deus non potest plus amari, quàm sit amabilis, aut debeat amari: igitur spes non est dicenda virtus Theologica.

Nec obstat quòd mediet inter duo vitia.

Respondet Doctor num. 14. negando majorem: Potest enim concedi, inquit, quòd virtus Theologica sit propriè media, non ex parte objecti, sed ex parte excessûs, qui potest esse in actu; neque inde sequitur eam distingui à morali; virtus enim moralis habet excessum & defectum non solùm ratione modi actûs, sed etiam ratione objecti, in quod tendit ille actus: secus est autem de virtute Theologica, quæ non potest habere excessum ratione objecti, quia cùm illud sit infinitum, non potest excedi ab actu virtutis, qui in eum fertur, & idcirco non potest firmiùs credi Deo, nec constantiùs in eum sperari, nec ille ardentiùs amari, quàm mereatur; potest tamen peccari in istud objectum infinitum ratione modi tendendi in illud, nempe per actum immoderatum qui magis aut minùs, quàm par esset, in istud objectum tenderet.

Quâ ratione fides potest esse media inter levitatem, quâ quis assentiretur firmiter ei quod non est ita credendum; unde illud Eccles. 19. *Qui citè credit levis est corde*: & inter pertinaciam, quâ quis nimis resistit credendis, nolens alicui assentiri, nisi ratione naturali id esse verum ostendatur: sic etiam amore nimiò potest quis tendere in aliquod diligibile, sicut & nimis remissè: Licèt non possit uims tendere in bonum infinitum amando, nec

A nimis firmiter ipsi credendo. Simili ratione spes est inter desperationem & præsumptionem; quatenus desperans non vult desiderare Deum, nec in eum sperare; præsumens verò vult & desiderat ipsum, sed per media improportionata; sperans verò desiderat Deum per media proportionata & rationabilia, & sic utrumque hoc vitium excludit; neque necesse est, ut virtus quælibet habeat duo extrema, quorum uno ametur excessivè objectum illius, & alterò minùs intensè.

Dices secundò: Virtus Theologica versatur duntaxat circa Deum: sed spes non solùm habet pro objecto Deum ipsum possidendum, sed etiam media, nempe gratiam & dona, quibus comparari potest ejus possessio: igitur non est dicenda virtus Theologica.

B

Neque quòd versetur circa media quæ sunt quid creatum.

Distinguo majorem: Virtus Theologica versari debet circa Deum & bonum increatum, tanquam circa objectum primarium & specificativum, concedo: tanquam circa unicum objectum & omnino simplex, nego: quemadmodum enim fides non versatur duntaxat circa ea quæ omnino divina sunt; sed etiam circa ea quæ facta sunt, ut omnia Christi mysteria, & omnes propositiones revelatas: & sicut charitas tendit non solùm in Deum, sed etiam in proximum; sic etiam spes ordinatur ad Deum tanquam ad objectum primarium & adæquatum, ad gratiam autem & media conducentia ad possessionem Dei, tanquam ad objectum secundarium.

C

Conclusio Secunda.

VIII. Distinguitur realiter à fide & charitate.

Spes est realiter à fide & charitate distincta. Ita Doctor num. 17. ubi conclusionem sic probat, primò quòd sit distincta à fide, quia nullum desiderare est credere: sed omnis actus fidei est credere: ergo spes non est eadem cum fide.

Deinde, Sperare idem est ac desiderare: sed desiderare est actus voluntatis: credere autem est actûs intellectus: igitur fides & spes non sunt unum & idem.

Ut optimè probat Doctor, Subtilis.

D *Denique*, Si idem esset sperare nos consecuturos vitam æternam, ac credere nos illam assecuturos, sequeretur quòd esset certum, quòd quisquis speraret consecutionem vitæ æternæ, haud dubiè eam esset consecuturus; objectum enim fidei est verum infallibile: sed hoc manifestè falsum est; plurimi namque Fideles sperant beatitudinem, quam tamen propter morum improbitatem; & finalem impœnitentiam non assequentur.

Confirmatur etiam contra Lutherum, qui *serm.* 2. *Quadragesima* docet spem esse eandem cum fide, quam pro fiducia accipit; quod utique erroneum est: nam si fides & fiducia idem essent, nugaretur Apostolus, cùm ait ad Ephes. 3. *In quo*

E (*scilicet Christo*) *habemus fiduciam per fidem ejus.* Sequeretur enim quòd haberemus fiduciam per fiduciam, quod esset aperta nugatio; unde 1. ad Cor. 13. tres virtutes Theologicas tanquam tria distincta numerat, cùm ait: *Fides, spes, charitas tria hæc, &c.* Idem docent SS. Patres, maximè Chrysostomus homil. de fide, spe & charitate. Et Augustinus homil. 22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo probatur.* Hinc in Enchiridio cap. 8. ait: *Distinguenda est fides à spe.*

Similiter probat eam esse à charitate distinctam: *Primò*, quia charitas est amor amicitiæ quô Deus diligitur propter seipsum; ita quòd non minùs diligeretur

diligeretur amore charitatis, etiamsi nusquam à creatura rationali esset possidendus: spes verò est amor concupiscentiæ, quia est amor quô aliquis concupiscit bonum, quatenus est bonum suum proprium; unde si aliquis non consideraret, quòd ex possessione Dei haberet beatitudinem, non desideraret ipsam possessionem desideriô spei: igitur spes à charitate distinguitur.

Deinde, Ex S. Anselmo lib. de Concordia c. 19. voluntas habet duas affectiones & inclinationes; nempe unam justitiæ, quâ prosequitur bonum propter se; & aliam commodi, quâ prosequitur bonum quatenus sibi conveniens; prima autem ex iis affectionibus est nobilior, quàm secunda: igitur distincti habitus ponendi sunt in voluntate in ordine ad actus, qui competunt ipsi secundùm diversas istas inclinationes; & consequenter desiderium spei competens ipsi, quatenus habet affectionem commodi, non oritur à voluntate, quatenus habet justitiæ affectionem. Unde spes & charitas non solùm distinguuntur penes actus, quos possunt habere, sed etiam penes diversas affectiones, secundùm quas perficiunt voluntatem.

Et Seraphicus.

Deinde, Inquit Seraphicus Doctor dist. 26. art. 1. quæst. 3. Quemadmodum in patria tres erunt dotes secundùm tres animæ vires, quarum una reformabit & consummabit rationalem, videlicet ipsa visio; alia concupiscibilem, videlicet dilectio; tertia irascibilem, videlicet ipsa tentio & seu possessio, sic & in via necesse est ponere tres virtutes Theologicas, fidem cui visio, charitatem cui dilectio, & spem cui possessio respondeat.

Dices: Homo duntaxat habet duas facultates perfectibiles per habitus infusos in ordine ad Deum, nempe intellectum & voluntatem: ergo sufficiunt duo habitus infusi, videlicet fides quæ intellectum, & charitas quæ voluntatem perficit.

Negat consequentiam Doctor num. 26. quia, inquit, voluntas habet duas affectiones, & duo genera actuum, quibus correspondere debent duo habitus infusi; intellectus verò non habet ullos actus, propter quos debet habere duos habitus per se infusos; ac subinde tres distincti admittendi sunt habitus.

CONCLUSIO TERTIA.

IX. Spes non videtur à desiderio distincta.

Spes est actus voluntatis idem cum desiderio. Ita Doctor n. 19. ubi soluit argumenta quæ contra hanc assertionem formaverat.

Probatur: Spes fertur in bonum absens ut possidendum: sed actus ille quô bonum absens ut possidendum appetitur, est desiderium; ac subinde spes est actus appetitûs concupiscibilis, quô voluntas tendit in Deum quatenus sibi commodùm & convenientem.

Dices: Desperans desiderat beatitudinem: sed non babet spem: ergo desiderium non est actus spei. Probatur major, quia tristatur de beatitudine amissa; nemo autem tristatur de amissione rei quam non concupiscit: igitur, &c.

Distinguit majorem Doctor *num.* 20. Desiderat desideriô inefficaci & conditionatô, concedit: desideriô efficaci & absolutô, negat. Ad probationem dico quòd equidem nemo tristetur de amissione rei, quam non concupiscit; sed ut tristitiam habeat de ejus amissione, non est necesse quòd illam concupiscat absolutè & efficaciter, ut patet exemplô projicientis merces in mare, qui tristatur de earum amissione; quia inefficaciter & conditionatè vellet eas conservare, nisi adesset periculum vitæ.

Dices secundò: Eôdem habitu quis amare potest alterum amore amicitiæ, & concupiscere ipsi bonum, & eôdem etiam habitu potest quis amare bonum præsens, & absens: sed ex charitate amat quis bonum præsens: ergo ex charitate concupiscit quis ac desiderat bonum præsens, & etiam ex eadem amat ac desiderat bonum absens: ergo desiderium boni etiam absentis est actus charitatis.

Distinguit consequens Doctor num. 21. Desiderat desideriô & concupiscentiâ proportionatâ amori amicitiæ, & ex ipso oriunda, concedit: desiderat desideriô & concupiscentiâ distinctæ rationis, negat. Itaque potest aliquis bonum absens concupiscere duobus modis: Primò quidem affectu charitatis & amicitiæ, quô diligit proximum & ipsi concupiscit bonum propter se: Secundò, quatenus considerat bonum istud esse sibi commodum absque ullo respectu ad amorem alterius, & sic desiderium istud non est actus charitatis, sed spei quæ in ipso desiderio constituitur, non verò in priori.

Dices tertiò: Desideramus beatitudinem naturaliter: ergo non videtur necesse admittere aliquem habitum supernaturalem ad ipsam desiderandam; & consequenter virtus spei non consistit in desiderio.

X. Naturaliter desideramus beatitudinem in communi, non in particulari.

Distinguit antecedens Doctor: Naturaliter desideramus beatitudinem in universali, & qualiscumque illa sit, sive naturalis, sive supernaturalis, transeat: in particulari & quatenus est beatitudo supernaturalis, negat: unde neganda est consequentia. Quemadmodum enim non obstante amore naturali Dei, datur habitus charitatis, ut ametur Deus amore supernaturali; ita non obstante desideriô naturali beatitudinis dari debet habitus spei infusæ, quô speremus beatitudinem supernaturalem propter ipsam Dei bonitatem & infallibilitatem in promissis.

Dices quartò: Si desiderare esset actus virtutis Theologicæ, esset pariter meritorius: sed non potest esse meritorius, nisi vel eliciatur, vel imperetur à voluntate: ab ea autem non potest imperari, alioqui voluntas simul haberet duos actus circa Deum, unum actum quô desideraret, & alterum quô imperaret ejusmodi desiderium, qui etiam actus respiceret Deum, quippe cùm à charitate procederet: si eliciatur à charitate, non erit actus ab ea distinctus: igitur, &c.

XI. Voluntas potest habere duos actus circa idem objectum.

Respondet Doctor nil implicare quominus voluntas possit habere duos actus circa idem objectum, maximè quando unus imperatur & alter imperat; nec enim unus impedit productionem alterius, cùm non sint ejusdem rationis: *Nec est inconveniens*, inquit, *in actibus subordinatis plures inesse uni, imò forte est necessarium scientem conclusionem, dum actus speculatur scientificè, intelligere simul principium, & amantem ordinatè illud quod est ad finem utendo, simul frui fine.*

Dices quintò: Si spes & desiderium essent unum & idem, quotiescunque utimur nomine spei, possemus pariter uti nomine desiderii, & vice versâ: sed hoc est falsum: non enim propriè dicere possum, desidero consequi beatitudinem propter bonitatem divinam: sicut possum dicere, spero propter bonitatem & misericordiam divinam

meconsecuturum beatitudinem : igitur non sunt unum & idem.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico quòd utrumque hoc nomen posset in rei veritate ad idem significandum usurpari, quando significat motum facultatis appetitivæ circa bonum consequendum ; idcirco autem propriè non accipitur desiderare pro sperare, quia verbum *spero* est impositum ad significandum desiderium præsupponens & connotans opinionem conceptam de consecutione boni desiderati; verbum verò *desidero* non involvit illam connotationem, unde indiscriminatim ad idem propriè significandum non assumuntur.

Conclusio Quarta.

XII. Septem sunt actus Spei. SEPTEM *sunt species, seu distincti actus spei, ad quos cæteri possunt facili negotiò revocari.* Hanc conclusionem optimè expendit Guillelmus Parisiensis lib. de moribus, ubi refert septem illas spei species quas filias appellat, quarum Prima est *fiducia*; Secunda, *securitas* seu vallationis & protectionis divinæ roboratio; Tertia, *constantia* & erectio contra motus & impetus insurgentium; Quarta, *consolatio*: Quinta, *respiratio*, confortatio & resumptio virium ex præsentia Dei : Sexta, *expectatio* bonorum repromissorum absque hæsitatione : Septima, *jucunditas* quæ spem hujusmodi velut comes inseparabilis comitatur.

1. Fiducia. *Fiducia* est firma mentis in Deum adhæsio, quæ non confunditur, dicente David : *In te Domine speravi non confundar.* Qui confidit in homine confunditur, quia is absque illo se substrahit, aut propter malitiam & aversionem, aut propter impotentiam, aut propter voluntatis & amicitiæ mutationem; hæc autem ex parte Dei non sunt timenda.

2. Securitas. *Securitas* est de qua Salomon: *Secura mens quasi juge convivium.* Proverb. 15. ubi Gregorius; *Spes æternæ societatis, continuatio est æternæ refectionis.* Securitas ista duplex: *Prima*, de obtinenda æterna felicitate : *Secunda* contra timores vitæ præsentis. Et quidem tenet se securam per pignus Spiritûs sancti : *Qui signavit nos & dedit pignus Spiritûs sancti in cordibus nostris.* 2. ad Cor. 1. Et ad Ephes. *Qui est pignus hæreditatis nostræ.* Unde sanctus Augustinus : *Ipse est pignus hæreditatis nostræ, & redemptionis mihi datum per litteras patentes Evangelicas, quibus non est aliud sigillum, quàm ipse Dei Filius, imago Dei invisibilis, & figura seu character substantiæ Patris, qui pro confirmatione & testificatione veritatis Evangelicæ, appensus est in ligno crucis. Incarnatio, Passio, Mors, Resurrectio Domini me fulciunt undique & firmant, ut de venia, gratia & gloria nulla remaneat hæsitatio; qui enim proprio filio suo non pepercit, nonne cum illo omnia nobis donavit? &c.* Unde in Dei logica nullum argumentum validius ad bene syllogizandum, atque probandum, quàm mors unigeniti Filii ipsius, nullum ad destruendam hæsitationem vel objectionem mihi contrariam adeo efficax aut validum, cùm non solùm inferatur, sed etiam conferatur securitas de beneficiis Dei per tale medium. In Dei thesauris nullum pignus pretiosius, & magis assecurans aut certius, quàm ipse Dei Filius & Spiritus sanctus; uterque autem nobis in pignus datur : ergo qui per tantas cautiones securi non sunt, deterioris conditionis habent Deum, quàm quemcunque mendacem aut perjurum : Patet ergo quantam Deo contumeliam (Nota.) faciant, qui hæsitant. Secunda securitas adversus calamitates hujus mundi; *Deus enim noster refugium est & virtus, &c. Dominus illuminatio mea, &c. Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Erectio seu roboratio, quâ per spem resumuntur vires, ut acriùs pugnemus, & tentationibus resistamus. Veternus vel vafer serpens innumeris tentationibus animam lacessit & fatigat; ut in desperationem inducat, dicatque illa pusillanimis Hieremiæ 2. *Desperavi, nequaquam facio.* Quapropter tantò studiosiùs erigenda est mens, quantò crebriores urgent tentationes. Illos invitat spiritus, *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat? Surge qui dormis & illuminabit te Christus,* Ephes. *Remissas manus & genua soluta erigite.* 3. Constantia. 4. Erectio.

Consolatio quæ non est animi lætificatio, sed potiùs timoris & doloris lenitio ac mitigatio; consolatur enim qui tristitiam deponit, licèt gaudium non recipiat : spes autem, ut ait David: *Hæc me consolata est in humilitate mea*, id est, depressione. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, &c.* Ex hac oritur lætitia; unde tunc *repletum est gaudiò os nostrum, &c.* 5. Consolatio.

Nonnulli sunt qui propter varios casus ita mœrent, ut nullam salutem sibi remanere putent; hos Deus gratiis irradiantibus, ac cœlestibus suavitatibus solatur, ut animos resumant, Isaiæ. 15. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Et Job. 11. *Quasi meridianus fulgor tibi consurgens ad vesperum, & cùm consumptum te putaveris, orietur ut lucifer.* Hinc nascitur. 6. Jucunditas animi.

Consolatio quæ est animi robur & constantia animans & firmans adversus tentationes : *Statuisti supra petram pedes meos, si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Et impulsus eversus sum, ut caderem & Dominus suscepit me*, &c.

Expectatio bonorum est firma animi constantia, quâ attendens ad repromissa bona, omnes vincit amaritudines; *Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam.* Ex hac gignitur jucunditas: *Spe gaudentes.* Gaudium autem, hoc est ex præsentia Dei inhabitantis; unde gaudium illud est velut arrha æternæ mercedis, & velut præodoratio futuræ sanitatis; *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* 7. Expectatio.

Quæstio Secunda.

Quod nam sit objectum Divinæ Spei?

I. Quænam sint conditiones ad objectum spei. NOtandum primò, certum esse objectum Spei debere esse primò aliquod bonum honestum; non enim nisi bonum, saltem apprehensum ut tale, speramus seu prosequimur; uti non nisi malum timemus ac fugimus : cùm autem spes sit virtus, & omnis virtus tendat in bonum sub ratione honesti, nemini debet esse dubium, quin objectum spei debeat esse aliquod bonum honestum.

Secundò, debet esse possibile, impossibilia enim ut talia cognita sperari nequeunt nec desiderari, desideriò saltem efficaci, & stimulante ad prosecutionem boni apprehensi; etsi fortè secundùm doctrinam Doctoris appeti possint appetitu inefficaci & ex complacentia. *Tertiò*, debet esse bonum arduum, seu non ita facilis acquisitionis: quæ difficultas non alia tamen inesse debet, quàm quæ oritur ex eo quòd objectum speratum non

possit à nobis obtineri sine labore seu molestia, vel ex eo quòd istud nullâ ratione possimus ex nobis assequi, sed debeat nobis concedi ex liberalitate donantis aut præmiantis. *Quartò*, addunt aliqui quod bonum istud sit tantùm probabiliter, seu non certò futurum. Verùm hæc conditio non videtur necessaria, quippe cùm bonum etiam certò futurum sperari possit; hinc confirmati in gratia, quamvis securi de sua beatitudine, non minùs eam sperare possunt. *Denique*, objectum spei dicitur bonum absens. *Nam*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectemus.* Verùm Doctor dist. 26. num. 12. contendit hanc conditionem non esse absolutè necessariam; quia, inquit, idem objectum est spei & tentionis: sed tentio non respicit absentiam objecti: igitur nec spes. Quod utique confirmatur, quia illud est objectum *quod* spei, quod desideratur, & illud est objectum formale *quo* ipsius, quod movet ad illud desiderium: sed certum est quòd voluntas non desiderat absentiam objecti, sed potiùs illius præsentiam; nec illa absentia est ratio movens voluntatem ad desiderandum seu sperandum, quamvis videatur conditio sine qua non speraret nec desideraret; quia si bonum esset perfectè possessum, non ampliùs desideraretur, sed amaretur. Unde concludit Doctor: *Sicut in effectivis non variat rationem efficiendi, quod non pertinet per se ad rationem efficiendi; ita in finibus illud non variat rationem finis, quod non variat rationem terminandi: tale est esse absens vel præsens modò prædictò: Igitur non variat formalitatem objecti, sive rationem, formalem ejus.* Ex quibus inferre licet absentiam, possibilitatem, & futuritionem objecti non esse de ratione formali objecti spei.

II. Controvertitur in quo consistat ratio ardui, in objecto spei.

Notandum secundò, rationem boni ardui, seu cum aliqua difficultate compatabilis, spectare ad objectum spei, ut omnes Theologi conveniunt: at controversia est in quo consistat illa arduitas desideranda in ipso spei objecto; sunt enim qui existimant cum Vasque in 3. part. d. 41. cap. 2. arduitatem objecti spei in eo consistere, quòd res sperata obtinenda sit dependenter ab alio, quia objectum arduum ex eo quod obtinendum per proprios labores, est objectum audaciæ, non verò spei. Nonnulli docent arduitatem consistere in difficultate consecutionis rei quæ speratur, sive hæc difficultas proveniat ex ipsa rei magnitudine, quæ vires proprias excedit, sive oriatur ex aliis circunstantiis; scilicet ex distantia, contingentia, temporis diuturnitate, labore, impensis. At verior apparet eorum sententia qui existimant arduitatem objecti Theologicæ spei in eo consistere, quòd non solùm contingens sit ex parte Dei liberaliter nobis bonum speratum conferentis, & ex parte nostri, quia confertur propter merita; quæ necessariò debent esse contingentia, quia sunt libera. Quam utique rationem insinuat Doctor disp. 26. num. 20. & 22. ubi ait: Quod efficaciter, & absolutè desideratur, seu speratur aliquid, nisi sit possibile attingi, seu consequi, & ideo persuadentur desperati ut credant; non ut diligant, quia prima radix desperationis non est in voluntate, sed in intellectu: ac si diceret quòd tantùm est objectum spei, illud cujus consecutio est nobis possibilis, licèt sit contingens, & quòd ideo suadenda est certitudo de possibilitate consecutionis ne desperans cadat animô; sed potius erigatur, & speret id, quod licèt contingenter, tamen possibile est fieri.

III. Quodnam sit objectũ materiale & formale spei, non convenit inter Theologos.

Notandum tertiò, Theologos communiter convenire, quòd beatitudo supernaturalis sit objectum materiale magis præcipuum & adæquatum spei nostræ; quoniam autem beatitudo supernaturalis duo complectitur, nempe visionem vel fruitionem Dei, & Deum ipsum videndum & fruendum, seu beatitudinem formalem & objectivam; difficultas est quodnam horum sit objectum materiale spei Theologicæ. Durandus enim in 3. d. 26. q. 2. vult beatitudinem formalem esse objectum materiale immediatum spei Theologicæ; beatitudinem verò objectivam tantùm esse objectum indirectum & mediatum. Sunt etiam qui existimant cum Gregorio Ariminensi Deum esse immediatum objectum materiale spei, fruitionem verò & visionem esse tantùm conditionem sine qua non. Tertia tandem sententia docet spem directè & immediatè attingere utramque beatitudinem, scilicet objectivam & formalem, objectivam quidem ut finem *qui*, formalem verò ut finem *quò*. Quantùm autem ad objectum formale ejusdem spei quadruplex est diversa Authorum sententia. *Prima* contendit quòd objectum formale sit Deus sub ratione omnipotentis & fidelis in exequendis suis promissis. Ita S. Thomas quæst. 4. de virtutibus art. 4. *Secunda* contendit Deum esse objectum spei sub ratione Deitatis absolutæ, & nullum dicentis ordinem ad nos, à quibus possideri potest. Ita plurimi ex nostris cum Pitigiano in 3. d. 26. art. 6. *Tertia* propugnat objectum formale spei esse Deum, ut nobis convenientem & à nobis possidendum. *Quarta* tandem ait Deum ut nobis convenientem esse quidem objectum formale terminativum spei: Ejus autem bonitatem esse objectum terminativum.

CONCLUSIO PRIMA.

UTRAQUE *beatitudo tam objectiva, quàm formalis, seu Deus ut à nobis possidendus per visionem & amorem, est objectum tam materiale quàm formale terminativum spei nostræ.* Hæc est communior & verior. Eamque apertè satis tradit Doctor d. 25. nu. 11. ubi dicit spem esse virtutem Theologicam: *Quia*, inquit, *respicit Deum pro objecto immediato; nam per omnia alia quæ adduntur ipsi objecto, non tollitur ratio objecti, ut objectum est; quia enim desidero illud mihi vel tali, non tollitur quin desiderem illud ut objectum: igitur illud circa quod est actus spei, est bonum infinitum, & ita æternum.* Idem habet *nu.* 15.

Probatur primò, ex Scriptura sacra, idque ex secundo capite Tobiæ, ubi dicitur: *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab illo;* Ideoque Christus D. monet Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei... & hæc omnia adjicientur vobis.* Quibus significat regnum Dei, hoc est, beatitudinem æternam esse quærendam tanquam principale objectum; cætera verò non esse quærenda principaliter, sed tantùm secundariò, nec subinde quærenda. Hoc ipsum docet S. Apostolus ad Rom. cap. 5. cùm ait: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei:* quasi diceret, speramus gloriam & beatitudinem æternam Dei filiis ut hæreditatem repromissam. Et ad Titum 1. *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, &c.* Quibus significat spem tendere in vitam

æternam, tanquam in objectum magis præcipuum. Hoc etiam indicat ad Hebr. 11. cùm ait: *Fides est substantia rerum sperandarum*, hoc est, res quæ per fidem cognoscitur est res speranda: sed solus Deus, qui est nostra beatitudo objectiva, est objectum materiale & formale fidei; cætera verò tantùm sunt objecta materialia & secundaria: ergo & spei. His consonat illud sancti Augustini lib. 22. de civitate Dei cap. ult. *Præmium virtutis*, inquit, *erit ipse qui virtutem dedit, qui seipsum, quò nihil majus esse potest, promisit*. Et lib. 1. confess. cap. 23. *Beata quippe vita est gaudium de veritate, hoc est, de te, qui veritas es Deus meus*. Et super Psalm. 11. *Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, à quo omnia in suo genere facta sunt bona*.

Probatur etiam ratione: Spes quatenus est virtus Theologica tendit in Deum: sed non tendit in Deum nisi ut possidendum; Deus autem possideri non potest à creaturis nisi per visionem & amorem, in quibus consistit beatitudo formalis: igitur, &c. Major constat. Minor probatur: Actus desiderii quô spes tendit in Deum, distinguitur à desiderio, quô charitas in illud tendit, optando ipsi bonum, nempe gloriam propter se: sed non potest aliter distingui, quàm quia spes tendit in Deum ut nobis convenientem: igitur, &c.

Confirmatur ex eo quòd aliud sit sperare Deum, & aliud sperare in Deo: nam sperare Deum est habere efficax desiderium habendi Deum pro objecto visionis & fruitionis beatæ, seu desiderare bonum infinitum quatenus nobis conveniens; sperare verò in Deo, est habere desiderium efficax ut Deus sit nobis auxiliator & juxta suas promissiones nobis conferat auxilia necessaria, quibus possemus promereri beatitudinem quam speramus; hi namque duo actus possunt esse aliquando sine se invicem, maximè primus sine secundo, putà dum quis præsumptuosè sperat: secus verò quando actus spei Theologicæ est honestus tam ex se, quàm ex circumstantiis. Hoc significat Doctor *num.* 23. cùm ait, quòd actus spei Theologicæ sit desiderare bonum infinitum, ut mihi bonum à Deo liberaliter conferente ex meritis quæ habeo, vel mihi spero: quibus verbis duo prædicti actus designantur, ut rectè notat Castillo quæst. 7. num. 6. Primus quidem per hæc verba, *desiderare bonum infinitum*: Secundus verò per hæc verba, *liberaliter à Deo ex meritis, quæ habeo, vel mihi spero*.

Confirmatur iterum: Deus est objectum spei ut summum bonum nos beans: sed ut sic includit non solùm beatitudinem objectivam, verùm etiam formalem; ac proinde sub ratione utriusque beatitudinis est objectum adæquatum spei.

Deinde, Deus ut possidendus includit formaliter possessionem sui, quæ fit solùm per visionem & amorem; sed ut possidendus est objectum spei: igitur ut objectum spei includit sui possessionem; subindeque formalem beatitudinem. *Denique*, objectum formale spei est ultimus finis creaturæ rationalis: at beatitudo formalis, quæ est visio, & beatitudo objectiva, quæ est Deus clarè visus, non sunt duo fines, sed unicus: ergo ex illis constituitur objectum formale, quod est spei in via, & delectationis seu fruitionis in Patria.

Dices: Deus non potest à nobis desiderari, nec consequenter sperari, quatenus bonum nostrum: igitur ut sic non est objectum spei. Antecedens patet, quia sic Deum desiderare est uti fruendis, quod est perversum.

A *Nego antecedens*: Desiderare enim bonum nostrum, quatenus reverà est nobis conveniens, non est uti fruendis, quia ut sic bonum istud non ordinamus tanquam medium ad consecutionem alterius boni; ac subinde ut sic non utimur fruendis.

Instabis: Bonum quod est à nobis omnino distinctum, nec potest nos perficere, non potest à nobis desiderari nec sperari tanquam bonum nobis conveniens: sed Deus est bonum omnino à nobis distinctum, quod nobis inesse non potest, neque nos perficere: igitur non potest esse objectum spei nostræ.

Distinguo majorem: Non est bonum nobis conveniens, quod non potest nos perficere, B nec formaliter, nec objectivè, concedo: formaliter tantùm, nego. Ad minorem dico, Deum non equidem perficere formaliter, seu per modum formæ inexistentis, sed objectivè, seu per modum objecti allicientis & ad sui jucundam fruitionem & visionem.

Urgebis: Deus per seipsum non est immediatum objectum tristitiæ damnatorum, sed malum ab ipso eis inflictum: ergo similiter non est objectum immediatum gaudii Beatorum, sed bonum ab ipso concessum, nempe ipsius visio aut fruitio. *Insuper*, Objectum spei debet esse futurum: sed Deus non potest apprehendi ut futurus, quippe cùm ubique præsens existat: igitur secundùm se non potest esse objectum spei. *Iterum*, spes & desperatio, tanquam motus contrarii versantur C circa idem objectum materiale per modum prosecutionis & fugæ: sed nemo desperat Deum, sed ejus adeptionem: ergo nemo sperat Deum, sed ejus consecutionem: ergo non est materiale objectum spei.

Quartò denique, quia Deus non est referibilis ad creaturas, cùm ipse sit ultimus finis omnium: ergo non potest respici per amorem concupiscentiæ, qui semper refert objectum ad amantem: ergo neque potest esse objectum materiale spei, quia spes est amor concupiscentiæ, quô desideratur objectum tanquam bonum sperantis.

Respondeo ad primum, non eandem esse rationem Dei per ordinem ad Beatum & damnatum; D siquidem respectu Beati consideratur ut bonus; cùm autem sit bonus in se & per se, etiam per se potest esse objectum illius spei, sicut & amoris & visionis: at verò per ordinem ad damnatum apprehenditur per modum mali disconvenientis; cùm autem in se nec per se non habeat rationem mali; sic etiam non potest esse objectum tristitiæ damnati, sed tantùm per aliquid aliud, nimirum ratione pœnæ inflictæ.

Ad secundum *dico*, quòd etiamsi Deus in se non sit objectum futurum, tamen ut terminat visionem & fruitionem, dici potest futurum & arduum, quia illius visio & fruitio est futura.

Ad tertium concedo quidem, quòd nemo desperet E Deum spectatum secundùm se, bene tamen ut futurum objectum terminationis aut fruitionis.

Ad quartum *respondet* Doctor, Deum equidem non esse referibilem ad nos tanquam majus bonum ad minus, sed tanquam bonum superabundans ad minus bonum, cui liberaliter conceditur ex ipsamet munificentia Dei, seipsum communicantis creaturæ rationali, ut ipsam suâ possessione perficiat.

Dices: Objectum virtutis sicut & scientiæ debet esse unum: sed ex beatitudine objectiva &

formali non potest fieri quid unum, siquidem beatitudo objectiva est quid increatum, nempe Deus; formalis verò est quid creatum, scilicet actus visionis & amoris beatifici: igitur objectum totale & adæquatum spei non potest esse simul beatitudo objectiva & formalis.

Distinguo majorem: Debet esse unum unitate entis, nego: unitate objecti terminantis, concedo: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: beatitudo enim objectiva & formalis sunt reverâ quid distinctum secundùm entitatem; cùm verò conveniant in ratione beatitudinis perfectæ & adæquatæ, etiam conveniunt in ratione objecti spei.

Instabis: Ex beatitudine objectiva & formali non potest fieri aliquid unum: igitur solutio nulla. Probatur antecedens: Vel beatitudo formalis æquè primò pertinet ad hoc objectum spei Christianæ, ac Deus, seu beatitudo *objectiva*, vel non æquè primò pertinet: sed Deus principaliter directè & *in recto*: formalis autem beatitudo tantùm *in obliquo*: & velut connotatum: Primum non potest dici, quia hæc duo simul juncta, vel facerent unum solummodò per accidens, & sic totale objectum primarium spei non esset unum in genere objecti, vel ita facerent aliquod unum, ut Deus sese haberet tanquam materiale in hoc objecto, & beatifica visio ut *formale*, quod dici non potest; quia tunc spes non esset propriè *Theologica*; nam unumquodque debet tale denominari a sua ratione formali; quæ in hac hypothesi non esset Deus, sed visio beatifica: igitur visio beatifica non ingreditur rationem objecti primarii spei Christianæ, tanquam pars illius, sed solùm ut aliqua conditio sine qua præposita voluntas non posset exercere actum spei.

Respondeo concedendo quidem beatitudinem formalem & objectivam non pertinere æquè ad rationē objecti principalis beatitudinis; enimverò beatitudo objectiva magis principaliter concurrit ad illud integrandum & constituendum; formalis verò minùs principaliter. Illud enim censetur principaliùs concurrere ad integrandum objectum spei, quod maximè satiat appetitum animæ Christianæ sperantis, & à quo ratio bonitatis, & appetibilitatis, quæ est in beatitudine derivatur, & provenit: at Deus ipse est, qui principaliùs satiat appetitum animæ sperantis, quatenus anima illa obtinet bonum speratum, & tota ratio appetibilitatis, quæ reperitur in beatitudine formali, ab eo derivatur; ideo namque appetimus visionem beatificam, ut summum bonum; quia appetimus Deum fontem omnium bonorum; ita quod si Deus non esset objectiva nostra beatitudo, visio Dei non haberet rationem beatitudinis, ac subinde beatitudo formalis minùs principaliter spectat ad rationem objecti spei.

CONCLUSIO SECUNDA.

Objectum motivum, seu ratio formalis sub qua spei Theologicæ, non est divina omnipotentia, nec Deus sub ratione Deitatis absoluti, sed quatenus est nobis bonus. Hæc conclusio tribus partibus constat, quarum

Probatur prima: Deus est objectum spei Theologicæ quatenus est finis ultimus creaturæ rationalis ab ea possidendus: sed talis non est sub ratione omnipotentis aut auxiliantis, ut sic enim habet rationem causæ efficientis: igitur sub hac

A ratione non est objectum motivum spei Theologicæ.

Deinde, Ratio sub qua spei Theologicæ debet esse aliqua ratio boni: at divina omnipotentia etiam sub ratione auxiliantis, non habet rationem boni formaliter, quia ut sic pertinet ad rationem entis & causæ efficientis: ergo non potest esse ratio sub qua neque objectum motivum spei.

Denique, Illud tantùm est objectum formale spei Christianæ, quod est ratio appetendi bonum speratum: atqui potentia Dei & alia superiùs enumerata, non sunt rationes appetendi bonum speratum, quia ut sic sunt vel aliquid præsupposi-
B tum ad actum spei, & sic habent rationem causæ efficientis; vel sunt tantum media ad bonum speratum: sed media ut media non possunt esse ratio motiva appetendi finem, nemo enim prudenter appetit finem propter media, sed è contra appetit media propter finem: igitur divina omnipotentia, seu auxilium & fidelitas Dei in implendis promissis non possunt habere rationem formalem sub qua spei Theologicæ.

Dices: Scriptura sacra hortatur nos ad sperandum in Deum propter ejus omnipotentiam, liberalitatem & fidelitatem in implendis promissis: sic lib. 2. Reg. cap. 22. *Deus fortis meus, sperabo in eum.* Isaiæ 23. *Sperastis in Domino Deo for-*
C *ti in perpetuum.* Psal. 17. *Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Similiter & Tridentinum sess. 6. cap. 13. hortatur fideles sese disponentes ad justificationem; quatenus in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeant, igitur, &c.

Respondeo, hæc equidem requiri non tanquam rationes motivas ad sperandum, sed solùm velut media quædam, aut conditiones aliquot prærequisitas, ut faciliori negotiò actus divinæ spei elicitatur.

Probatur secunda pars: Ratio formalis sub qua spei debet esse distincta à quovis alio habitu in Deum tendente: sed alii sunt habitus à spe qui tendunt in Deum sub ratione Deitatis, putà Theologia quæ versatur circa Deum sub ratione
D Deitatis: igitur sub hac ratione Deus non potest esse objectum formale spei.

Probatur secunda pars: Illud est objectum motivum spei, quod est ratio formalis motiva amoris, quò Deus diligitur amore concupiscentiæ: ac illius amoris concupiscentiæ objectum motivum est bonitas increata, quatenus est summum bonum nostrum comprehendens utramque beatitudinem formalem & objectivam: igitur est præcisa ratio sub qua spei.

Deinde, Illud est objectum formale motivum, quod propriè movet ad sui appetitum ac desiderium: sed ad sic appetendum Deum tanquam fi-
E nem possidendum movet prædicta bonitas: igitur, &c.

Denique, Verisimile est aliquam esse virtutem, quæ Deum quatenus nobis bonum consideret, quemadmodum charitas eum honorat, quatenus est summum bonum in ordine ad se: sed nulla alia apparet virtus, cui magis hæc consideratio congruat quàm spei: igitur talis ratio motiva ipsi est assignanda.

Dices primò: Objectum motivum spei Theologicæ, debet esse aliquid increatum: sed divina bonitas ut nobis conveniens, non est aliquid increatum: igitur Deus quatenus bonum nostrum, seu prout cedit in nostrum commodum, non est for-

rum ſtatum, ſcilicet viæ & termini. Statum viæ appello eum qnô tendimus ad æternitatem, qui videlicet complectitur non ſolùm homines fideles in hoc mundo degentes, ſed etiam animas è corpore ſolutas in Purgatorio lugentes. Statum termini dico eſſe eorum omnium qui jam æternitati ſunt conſignati, ſive beatæ in cœlis, ſive æternitati miſeræ in inferis, de quibus omnibus moveri poteſt præſens difficultas, utrùm videlicet ſpes exiſtat in omnibus viatoribus fidelibus. *Secundò*, utrum in animabus in Purgatorio degentibus: *Tertiò*, utrum in comprehenſoribus & Beatis: *Quartò*, utrum in damnatis & reprobis.

Notandum tertiò, ſpem ſicut & alias virtutes Theologicas poſſe deperdi tribus modis: *Primò*, quidem per ceſſationem divini influxûs illam conſervantis, ſicut enim virtutes infuſæ ſpecialiter à Deo dependent ut creentur & infundantur; ſic etiam dependent à ſpeciali concurſu Dei, ut in ſuo eſſe conſerventur, ipſa enim rei conſervatio, nihil aliud eſt quàm continuata quædam rei productio: quapropter ceſſante divinô influxu conſervativô, neceſſum eſt quòd illa virtus pereat. *Secundò*, deſinere poſſuot charitas & ſpes per ſubſtractionem fidei; quæ eſt earum fundamentum; ſublatô enim fundamentô neceſſum eſt, quòd omne ædificium ruat. *Tertiò*, deſinere poſſunt virtutes Theologicæ per vitia ſibi contraria: unde quemadmodum divina fides deperditur ſaltem demeritoriè per infidelitatem, & charitas per quodcunque peccatum mortale: ſic etiam ſpes Chriſtiana amittitur per actum præſumptionis aut deſperationis.

CONCLUSIO PRIMA.

SPES *Theologica ſubſiſtit in viatoribus tam in hoc mundo quam in Purgatorio degentibus.* Hæc concluſio conſtat duabus partibus, quarum probatur prima: Primò quidem ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. nbi docet: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hac omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem & charitatem: nam fides niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.*

Nec obſtat quòd plurimi Fideles graviſſimis peccatis inquinentur, non enim propterea ſpem deperdunt, quandiu ſervant fidem divinam, nec admittunt ullum peccatum præſumptionis aut deſperationis; ſiquidem cum gratia ſanctificante non recedunt omnia dona cœlitùs infuſa per aliquod admiſſum mortale peccatum; ſed fides & ſpes in nobis permanent, veluti divinum ſemen vitæ ſpiritualis, juxta illud Iſaiæ: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, qu ſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus.*

Spes tamen oon remanet in iis qui fidem perdiderunt; cùm enim fides ſit fundamentum ſpei ſupernaturalis, manifeſtum eſt quòd eô ſublatô fundamentô nulla remaneat ſpes infuſa. Unde hæretici ſolùm habent ſpem acquiſitam & naturalem, quæ eſt amor quidam naturalis concupiſcentiæ reſpectu beatitudinis, & ejuſdem expectatio, quod totum humanum eſt.

Secunda pars, nempe quòd ſpes inſit animabus exiſtentibus in Purgatorio, facilè colligitur ex dictis de fide; cùm enim fides ſit ſpei fundamentum & fulcrum, hæcque remaneat in ipſis animabus, etiam in eis eſſe poteſt ſpes. Inſuper cùm beatitudo reſpectu illarum ſit adhuc abſens, & aſſequenda per graves cruciatus ac pœnas quas luere tenentur, beatitudo eis proponitur ſub ratione boni abſentis & ardui, ac ſubinde ſub ratione objecti ſpei. Denique animæ Purgatorii habent efficax deſiderium beatitudinis ſupernaturalis obtinendæ, tanquam boni abſentis ardui & ſibi acquiſitu poſſibilis: igitur habent actum ſpei Chriſtianæ & Theologicæ. Conſequentia patet ex dictis in primo notabili præcedentis quæſtionis. Antecedens probatur; Nam animæ ibi ſunt tanquam in carcere, dooec ſolverint uſque ad ultimum quadrantem, quæ ſolutio cùm ſit laborioſa ac ſummè pœnalis, eſt illis medium arduum ad bonum deſideratum obtinendum; ac ſubinde poſſunt elicere actus ſpei.

Dices: Animæ illæ ſunt certæ de ſua beatitudine, a qua deficere & excidere non poſſunt: Igitur non poſſunt habere ſpem.

Nego conſequentiam: Certitudo enim, ut ſuprà diximus, oon obeſt actui ſpei, quia non tollit ab illa rationem ſummi boni ſupernaturalis ardui & abſentis, nec impedit ardens & efficax deſiderium illius tanquam boni proprii ſeu cedentis in commodum deſiderantis illud, quod ſufficit ad propriam & præciſam rationem actûs ſpei: igitur etiamſi animæ exiſteotes in Purgatorio ſint certæ de ſua ſalute & aſſecutione beatitudinis æternæ, hacque ratione ſint in pace, quia tamen nondum fruuntur illâ beatitudine, rectè poſſunt illam ſperare perfectô actu ſpei Theologicæ: quemadmodum viator in hoc mundo exiſtens qui certus eſſet de ſua ſalute, qualis fuit latro pœnitens in cruce, dum audivit a Chriſto D. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, reverà poterat ſperare ſalutem æternam, quam nondum habebat.

Dices ſecundò: Illi non poſſunt babere actua ſpei, qui non poſſunt elicere actus ipſi contrarios: ſed animæ exiſtentes in Purgatorio non poſſunt elicere actus oppoſitos ſpei, putà actum deſperationis: igitur nec actus ſpei. Major patet; eadem enim potentia ſecundùm Philoſophos eſt contrariorum.

Nego majorem: Noo enim neceſſe eſt ad actum ſpei exercendum quòd elici poſſit actus ei oppoſitus, quia non eſt neceſſarium abſolutè, ut qui poteſt exercere unum actum, poſſit etiam actum ei oppoſitum elicere; enimvero Beati poſſunt amare Deũ ex charitate, quem tamen odiſſe non poſſunt. Ad probationem, quòd cùm dicitur, potentia eſt contrariorum, iſtud oon debet univerſaliter accipi, ſed per accommodationem ad ſtatum & coonditionem ejus cujus eſt potentia: Hinc cùm animæ in Purgatorio exiſtentes ſint confirmatæ in gratia, & hâc ratione non poſſint deſperare, tamen actum ſpei poſſunt elicere reſpectu beatitudinis ſibi repromiſſæ, ad quam aſpirant.

Dices tertiò: Actus ſpei cum charitate conjunctus, eſt meritorius: ſed animæ exiſtentes in Purgatorio non poſſunt amplius mereri: ergo nec ſperare. Confirmatur, quia ſpes innititur meritis præſentibus: ſed animæ in Purgatorio non poſſunt habere merita præſentia: igitur nec ſpem.

Diſtinguo majorem: Actus ſpei ſic eſt meritorius, quando elicitur à viatore ſimpliciter & ante mortem, concedo: ſecus nego: certum eſt autem quòd animæ in Purgatorio non ſint amplius ſimpliciter in ſtatu viæ, qui finitur in ipſa morte, ſed ſunt tantùm in ſtatu viæ ſecundùm quid; ac ſubinde non poſſunt amplius mereri: meritum enim omne clauditur cum vita, ut dicetur tractatu ſequenti.

Ad confirmationem dicu, spem niti meritis, non A quæ de præsenti eliciantur, sed quæ elicita & comparata fuerunt, dum in terris viverent: quemadmodum viator existens in statu peccati mortali is potest habere actum spei innixum bonis operibus, quæ exercere potuit cùm sanctificantem gratiam virtute Sacramenti pœnitentiæ fuerit adeptus.

Adde quòd licèt animæ in purgatorio existentes sint extra statum meriti; attamen spes in eis non est otiosa; quippe eis divinam consolationem instillat, & robur cœleste indit, ut inflictas sibi pœnas & cruciatus acerbos animò constanti perferant.

CONCLUSIO SECUNDA. B

SPes nullatenus permanet in Beatis nec in damnatis. Hæc conclusio sufficienter probata manet ex dictis de fide, ubi diximus fidem infusam non remanere in Beatis, nec in damnatis; ac subinde nec spes: par enim est utriusque ratio, maximè cùm fides sit spei fundamentum & regula.

De damnatis res est evidens: Tum quia Prov. 11. dicitur: *Mortuò homine impiò, nulla erit ultrà spes, & expectatio sollicitorum peribit*: ac proinde damnati cùm sint in ultimo termino impietatis nullam possunt habere spem: Tum quia sunt certi de sua perpetua damnatione, & beatitudinem æternam ipsis nullatenus esse possibilem, juxta illud Job 15. C *Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circunspectans undique gladium*: Tum denique quia nullum habent auxilium supernaturale, quò salutem suam possint promereri, ac proinde nulla ipsis inest illius consequendæ spes.

Dices: Damnati appetunt æternam beatitudinem; nullus enim est adeo miser, qui non desideret esse beatus: igitur illam sperare possunt.

Distinguo antecedens: Appetunt appetitu naturali & omnino inefficaci, concedo: appetitu supernaturali & efficaci, nego: spes autem est actus seu desiderium & efficax & omnino supernaturale circa beatitudinem ut possibilem speranti, & comparandam ex auxilio divino ac bonis operibus; ac D proinde damnati illam non possunt habere.

Secunda pars etiam constat: Spes enim tendit in bonum non possessum: at beati fruuntur Deò per visionem & amorem, ac subinde non possunt amplius habere actum spei. Major constat: nam, ut diximus, ex Apostolo ad Rom. 8. *Spes qua videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?*

Dices: Beati præstolantur sui corporis resumptionem & beatitudinem, quam nondum habent: igitur respectu beatitudinis sui corporis possunt habere spem.

Distinguo consequentiam: Possunt habere spem E quæ sit virtus Theologica & tendens in Deum possidendum, nego: quæ sit desiderium naturale, quò una pars naturaliter appetit conjunctionem cum altera, cum qua totum efficiat, nec non & desiderium elicitum, quò anima exoptat ut corpus quod sibi fuit salutis instrumentum & medium, sit etiam consors mercedis & præmii, concedo: unde in animabus Sanctorum potest equidem esse desiderium respectu gloriæ corporis, non tamen propriè loquendo spes, quæ sit virtus Theologica, & cujus objectum est ipse Deus ut possidendus, non autem aliquod bonum creatum.

Petes primò, utrùm saltem in Beatis remaneat habitus spei?

Respondeo quòd non, cum Doctore in 3. dist. 31. num. 2. quia, inquit, nullus habitus ponendus est ibi manere frustrà; frustra autem esset ibi habitus, cujus inclinatio tunc esset impossibilis: fides autem ex ratione sua inclinat tantùm in verum latens, secundùm gloss. super illud Heb. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: & spes tantùm inclinat in bonum commodum absens, juxta illud Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes*; accipiendo spem pro sperato scilicet objecto: inclinationes autem istæ non poterunt haberi in patria, ubi erit verum patens & bonum habitum: igitur isti habitus non manebunt, quia essent superflui. Quibus verbis Doctor significat idcirco spem non remanere in patria, quia spes non potest tendere nisi in bonum absens: in patria autem bonum non est absens, sed præsens & possessum, ac proinde circa istud non potest esse actus spei, nec consequenter habitus, quia esset omnino superfluus.

Petes secundò: qualiter habitus spei desinat tum in Beatis, quum in damnatis?

Respondeo ipsum desinere per cessationem influxûs Dei conservantis illum; cùm enim virtutes infusæ per se speciali modò exigant produci & infundi à Deo, etiam specialiter ab eo debent conservari; ipsa enim rei conservatio nihil aliud est quàm continuata ipsius productio. Idcirco autem Deus desinit conservare habitum spei in Beatis, quia in eis omnino foret otiosus, cùm non posset inclinare in eo statu voluntatem ad illum actum spei producendum; Deus autem nihil frustraneum multitur nec conservat, maximè in statu perfectissimo, qualis est beatitudinis. In damnatis verò præter negationem influxûs conservantis, etiam desinit spei habitus per actum ipsi oppositum, nempe per actum desperationis; sicut enim per actum infidelitatis divina fides deperditur, saltem demeritoriè, sic etiam & spes Christiana amittitur per actum desperationis: sed damnati sunt in continuâ desperatione; nôrunt enim æternam beatitudinem esse sibi acquisitu impossibilem, cùm tamen aliunde noverint se ad illam fuisse à Deo creatos: igitur, &c.

Petes tertiò, an sit, & quando urgeat præceptum de eliciendo actu spei.

Respondeo primò, reverà dari præceptum de eliciendo interdum spei actu. Quod utique probatur ex Apostolo ad Timoth. cap. 6. ubi ait: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Similiter Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ & sperate in Domino*, quod frequenter Psalmista repetit & inculcat. Favet etiam ratio: omnis enim actus censetur esse in præcepto, cujus omissio est specialе peccatum: etenim peccatum omissionis est semper contra aliquod præceptum positivum, sicut peccatum commissionis contra negativum; sed omissio actûs spei supernaturalis pluribus imputatur ad peccatum: sic 1. Paralipp. cap. 10. dicitur Saül damnatus *propter iniquitates suas, eò quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat .... nec speraverit in Domino.* Et Sap. 2. damnantur impii, quòd *nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.*

Respondeo secundò, quòd attinet ad tempus obligationis, illud præceptum obligare indirectè quoties

quoties sine actu spei pœnitentia ooo potest exerceri, nec oratio exaudiri, nec reportari tentationis victoria; quia præceptum obligans ad aliquem fioem, simol obligat ad ponenda media necessaria ad consecutionem fiois. Verùm hæc obligatio est tantùm indirecta, quia non oritur tam ex præcepto spei, quàm ex præcepto pœnitentiæ, orationis & tentationis vincendæ; & consequenter illius omissio non tam pugnat in spem, quàm in virtutem cui peccatum per spem vitandum, repugnat.

Unde quantùm ad obligationem directam spei, omissis aliorum sententiis, censerem præceptum spei obligare, quando sufficienter oobis proponitur objectum sperandom, nec ullum adhuc spei actum circa ipsum elicuimus; habitus enim supernaturales à Deo nobis non conceduntur, ut sint perpetuò otiosi; ac proinde debemus interdum eorom actus elicere. *Secundò* obligat spei præceptum ad illius actum exercendum, quoties gravis occurrit vincenda tentatio desperationis; tunc enim quis tenetur sperare eôdem præceptô, quô obligatur non desperare, ac proiode sin aliter saltem facili negotiô, quàm cum ordinatio divinæ gratiæ subsidio vinci possit illa gravis tentatio desperationis nisi per actum spei, eo in casu ex præcepto debet elici. Cætera quæ ad hanc virtutem spectare possunt resolventur in sequenti disputatione de charitate, cum qua Christiana spes summum habet commercium; quippe cùm, ut notat Doctor dist. 31. num. 4. Spes & Charitas versantur circa eandem divinam bonitatem tanquam circa suum objectum, cum hoc discrimine quòd Deus ut summum bonum attingatur à Spe tanquam objectum absens & ut nobis conveniens, à Charitate verò tanquam bonum præsens & secundùm se spectatum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Virtute Charitatis.

I. Charitas ab Apostolo celebratur.

CHARITATEM omnium virtutum tam Moralium, qoàm Theologicarom, præstantissimam esse, ac veluti coronidem, luculenter significavit Apostolus, cùm ait: *Fides, Spes, Charitas tria hæc, major autem horum est charitas.* Unde ad Coloss. 3. monebat: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Hojus autem perfectissimæ virtutis encomium egregiè celebrat 2. ad Cor. ult. scribens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis.* Quibus verbis tria præcipua divinæ charitatis munia & elogia commendat: Illa namqoe egregia virtus reverà est *gratia*. *Primò*, quia gratuità Dei bonitate, ut donum ejus eximium oobis tribuitur: *Secundò*, quia nos Deo gratos & acceptos efficit: *Tertiò* denique, quia stimulat & allicit, ut gratô ac gratulabundô animô omnia nostra opera in Dei gloriam & hooorem impendamus.

1. Quòd sit Gratia Domini nostri Jesu Christi.

Dicitur aotem gratia *Domini nostri Iesu Christi*, quoniam adorandus ille Salvator hanc præ cæteris virtutem Discipulis commendavit, dicens Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut & ego dilexi vos.* Voluit insuper illam esse genoinum characterem qoô ejus amantissimi Discipuli ab exteris secernerentur; unde dicebat Joan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Tandem, per hanc divinam virtutem ipsemet Christus ab æterno Patre nobis io Salvatorem & Redemptorem consignatus est; unde dicebat Joan. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cui concinit Apostolus ad Ephes. 2. *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, &c.*

2. Quòd sit Charitas Dei;

Addit Apostolus ad illustriorem hujus divinæ virtutis commendatiooem, qoòd illa nominetur *charitas Dei*; Nam, inquit S. Augustinus tract. 9. in epist. Joannis: Nescio utrum magoificentiùs nobis charitas commendari possit, quàm ut dicatur, Deus charitas est. Brevis laus, & magna laus: brevis in sermone, magna in intellectu. Quàm citò dicitur, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo?* Sit tibi domus Deus, esto domus Dei, mane in Deo, ut maneat in te Deus: Manet in te Deus ut contineat, manes in Deo ne cadas; qui sicut de charitate dicit Apostolos, *Charitas nusquam cadit.*

3. Quòd sit communicatio Spiritûs S.

Tandem appellatur *communicatio Spiritûs sancti*; quippe per Spiritum S. hæc eximia virtus oobis infunditur, dicente Apostolo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Est, inquam, *communicatio*; omnia namque bona Spiritûs sancti inter fideles facit esse communia, itaut quisque eorum cum Psalmista 118. dicere queat: *Particeps ego sum omnium timentium te:* Hinc nascentis Ecclesiæ filii summô divinæ charitatis æstu flagrabant (ut notat S. Lucas Actuum 4.) *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Denique, societatem intimam Deum inter & homines instituit, ut præclarè explicat S. Joan. epist. 1. cap. 1. *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Iesu Christo.*

Longum esset ire per singula hujus divinæ virtutis encomia, quod Oratorem magis, quàm Theologum Disputatorem exigit; quocirca ab amplioti ejus commendatione abstinentes quædam de ipsius natura ac proprietatibus disputanda suot. Quoniam autem potissimæ ad eam spectantes quæstiones jam libratæ sunt in præcedenti Tractatu, ubi actum est de Gratia sanctificante, qua

Charitati realiter identificatur; hinc tres duntaxat capitales quæstiones hîc supersunt examinandæ: quarum *Prima* aperiet hujus eximiæ virtutis naturam: *Secunda* illius objectum: *Tertia* ordinem hominis ad Deum, proximũ, & seipsum declarabit.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm & qualis virtus sit Charitas?

II. Quid significet nomen *charitatis* & unde deducatur.

NOtandum primò, charitatis nomen secundùm vocis etymologiam deductum esse vel à voce Græca χάρις, quod gratiam sonat, vel ut verisimilius est à nomine adjectivo *carus*, cujus substantivum est *caritas*, significans excellentiam rei alicujus, quæ cùm magnô pretiô constet, etiam speciali dilectione habetur: unde traductum est ad ipsammet dilectionem exprimendam. Licèt autem contingat interdum nomen istud usurpati ad designandum amorem illicitum, quô sensu Judith Deum exorans cap. 9. dicebat de Holoferne: *Capiatur laqueô oculorum suorum in me, & percuties eam ex labiis charitatis meæ*, id est, qui possent allicere ad amorem & complexum vetitum: nihilominus communis Scripturæ sacræ, ac SS. Patrum usus jam invaluit, ut vox *charitas* solùm designet habitum aut actum supernaturalem, quô Deum propter se, & alia propter Deum ipsum diligimus. Quanquam autem S. August. lib. 4. de Civitate Dei cap. 7. dixerit tria hæc; *amor, dilectio, charitas*, unum & idem plerumque in Scriptura sacra significare; nihilominus ibidem observat diversam significatinnem ipsis inesse; *amor* siquidem latiùs patet, & significat omnem voluntatis affectum, sive naturalem & necessarium, sive supernaturalem & gratuitum: *dilectio* præcisè non denotat mutuum affectum duorum vel pluriũ inter se, sed duntaxat bonam voluatem quam ex electione & librato consilio habemus erga aliquem potiùs, quàm erga cæteros: *charitas* verò significat mutuum affectum gratuitum & supernaturalem, quem habemus erga Deum aut proximum; unde charitas sortitur amicitiæ nomen ac dignitatem. Quod ut pateat evidentiùs.

Discrimen inter amorē, dilectionem & charitatem.

III. Quid sit amicitia.

Notandum secundò, amicitiæ nomen ex Aristotele lib. 8. Ethicorum cap. 2. sic definiri, *Amicitia est mutua aliquorum benevolentia, quæ non latet ipsos animos, sed illis invicem est cognita.* Dicitur *benevolentia*, ut distinguatur ab amore concupiscentiæ, quô quis sibi bonum vult. Additur *mutua*, quia est veluti vinculum quô duo invicem ex electione utriusque, atque adeo ex judicio rationis constringuntur. Cætera definitionis vocabula significant exercitium ipsius amicitiæ, quæ amicos stimulat non solùm ad mutuum affectum; sed etiam ad præstanda sibi invicem mutua obsequia; enimverò si amicus nesciat se ab altero diligi, non stimulabitur ad impendendum ei amorem, & ei in necessariis subveniendum. Hinc quatuor potissimùm ab eodem Aristotele ibidem assignantur conditiones ad veram & perfectam amicitiam desiderandæ: *Prima*, ut sit benevolentia, seu volitio boni quod amico optamus: cùm autem bona quæ possumus velle amico sint in duplici differentia; alia enim sunt quæ jam possidet, & alia quibus caret: priora bona ipsi volumus amore complacentiæ: posteriora verò amore desiderii; illa nimirum ei desiderando & optando: *Secunda* conditio est, ut amor iste sit mutuus, si enim hæc desit, amor quidem esse poterit, non verò amicitia: *Tertia*, ut hæc mutua benevolentia sit utrinque cognita: *Quarta* tandem, ut inter amicos sit mutua bonorum communicatio, hoc est, quòd amici sibi invicem communicent sua bona, & mutuis erga se officiis amorem suum foveant,

Quatuor conditiones requisit.

IV. Charitas est quid creatum.

Notandum tertiò, certum esse, ut constat ex iis quæ diximus de gratia sanctificante, quòd charitas non sit ipsemet Spiritus sanctus, seu amor substantialis aut personalis Dei nobis formaliter conjunctus, ut videtur docuisse Magister sententiarum in 1. d. 17. quanquam subtilis Doctor ibidem quæst. 3. num. 30. eum cum sententia communi conciliare nitatur; sed reverà esse qualitatem divinitus infusam, ut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ubi statuens justificationem nostram fieri per formam inhærentem, ita concludit: *Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis meritò, per Spiritum sanctum charitas Dei infunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret; unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem.* Quibus verbis Concilium tria docet: *Primum*, quòd charitas per Spiritum sanctum diffundatur, quibus significat Deum esse causam efficientem charitatis, ac subinde illam esse realiter à Deo, & consequenter à Spiritu sancto distinctam: *Secundum*, quòd charitas infundatur; Spiritus autem sanctus non potest dici infundi: *Tertium*, quòd charitas justificatis inhæreat; quod utique Spiritui sancto competere non potest, sed duntaxat alicui formæ creatæ intrinsecè inhærenti: Unde præclarè S. Augustinus lib. de Spiritu & Littera cap. 32. ait. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ ipse nos diligit, sed quâ nos facit dilectos suos: sicut justitia Dei, quâ justi ejus munere efficimur, & Domini salus, quâ nos salvos facit.* Constat etiam charitatem, utpote à gratia sanctificante realiter indistinctam, esse qualitatem supernaturalem, eamque vel habitualem, vel actualem; unde solùm hîc restat determinandum an charitas sit virtus eaque specialis propriè dicta, nec-non & perfecta amicitia hominis cum Deo.

CONCLUSIO PRIMA.

V. Charitas est vera virtus.

HAbitus charitatis quantumcumque remissus, est virtus Theologica. Hæc duobus partibus constat: *Prima* quòd sit virtus: *Secunda* quòd hanc dignitatem sibi vindicet etiam in gradu remisso. Has autem conclusionis partes tradit & probat subtilis Doctor d. 27. n. 2.

Primam quidem sic probare licet: Virtus ex sancto Augustino est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus male utitur.* Ex Aristotele verò est qualitas quæ facit habentem bonum, & ipsum ejus opus honestum ac rectæ rationi consentaneum: atqui charitas Theologica eum quem informat, bonum efficit, & ejus actum etiam bonum exhibet, ut probat sanctus Paulus 1. ad Cor. 13. ostendens maximè quòd sine charitate cæterarum virtutum opera quantumcunque bona ex objecto nil prosint, maximè ad beatitudinem æternam: igitur, &c.

Probat secundò Doctor: Omnis ille habitus, cujus singuli actus sunt propriè morales, recti & conformes rectæ rationi, est etiam virtus moralis propriè dicta: at tales sunt actus charitatis: igitur, &c. Minorem probat: quia diligere Deum super omnia, inquit, est actus conformis rationi

naturali rectæ, quæ dictat optimum esse diligendum: igitur est rectus; imò ejus certitudo est per se nota, sicut rectitudo primi principii in operabilibus; patet enim ipsô ingenitô naturæ lumine, quòd ex omnibus diligibilibus summum bonum sit maximè diligendum, sicut summum verum est maximè credendum: ergo cùm Deus sit summum bonum, est etiam necessariò summè diligendus.

Confirmat, nempe quòd actus diligendi Deum super omnia sit actus bonus, & conformis rectæ rationi; quia quæ sunt de lege naturæ, sunt conformia rectæ rationi, aliàs non essent de lege naturæ, absurdum enim esset quòd natura præciperet aliquid pugnans in ipsam rectam rationem, cùm ipsa naturæ lex sit ingenitum nobis lumen, ac dictamen rectæ rationis: sed illud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum*, est de lege naturæ: igitur naturaliter natum est hunc actum esse rectum; ac proinde habitus inclinans ad hunc actum est verè Theologicus: *Quia*, inquit Doctor, *est circa objectum Theologicum, scilicet Deum immediatè: & insuper innititur immediatè primæ regulæ humanorum actuum, & infundi potest à Deo, & sic natus est perficere supremam portionem animæ, quæ non perfectissimè perficitur, nisi immediatè à Deo.* Quibus significat actum charitatis habere quatuor conditiones ad virtutem Theologicam necessarias; quarum Prima est, quòd habeat Deum pro objecto: Secunda, quòd innitatur primæ regulæ humanorum actuum, videlicet legi æternæ nobis notæ per lumen fidei: Tertia, quòd divinitùs infundi debeat, non autem propriis actibus comparari: Quarta tandem, quòd nata sit perficere superiorem portionem. Hæc autem omnia competunt charitati: igitur est virtus Theologica: Inde

VI. *Probatur secunda pars*, quia illi omnes virtutis Theologicæ characteres competunt charitati quantumcunque remissæ, ut per se constat; ac subinde hæc etiam habet rationem virtutis.

Eaque perfecta etiam in gradu remisso.

Adde quòd omnis habitus operativus, qui conducit ad actum unitivum hominis cum Deo, est reverà virtus Theologica: sed charitas quantumcumque remissa est ejusmodi; siquidem, inquit S. Joannes epist. 1. cap. 4. *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.* Ubi loquitur simpliciter & absolute de dilectione supernaturali, abstrahendo ab eo quòd sit remissa vel intensa; non enim hæc vocabula *perfecta est*, intelliguntur de perfectione charitatis quantùm ad gradus valdè intensos, quam possumus appellare perfectionem excellentiæ, sed intelliguntur solùm de perfectione sufficientiæ, quatenus quicumque amat proximum ex virtute charitatis Theologicæ, habet charitatem completam in ratione virtutis, eò quòd amando proximum propter Deum, in ipsum met Deum tanquam in objectum *quod* feratur.

Confirmatur ex eo quòd ibidem cap. 2. S. Joan. disertè pronuntiet: *Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est*: at hæc perfectio non potest intelligi quantùm ad perfectissimam intensionem graduum, ibi namque Apostolus agit de operibus præceptis, ad quorum observantiam non desideratur perfectissima charitas, ut colligitur ex Matth. 19. ubi Christus D. juveni adolescenti requirenti, *quid faciendo vitam æternam possidebo?* cùm dixisset: *Si vis vitam ingredi, serva mandata*, & ab ipso adolescente fuisset responsum: *Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc* A *mihi deest?* Christus D. eum hortatur ad ulteriorem charitatis excellentiam, nempe ad sectanda opera consilii & supererogationis, dicendo: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & sequere me*: Igitur charitas etiam in gradu remisso, quæ sufficit ad observantiam præceptorum ex mente sancti Joannis, est charitas perfecta; ac proinde habet veram rationem virtutis Theologicæ.

VII. *Dices*: Omnis virtus propriè dicta, est circa arduum & difficile: sed habitus Theologicæ charitatis non est circa arduum, nec ejus actus aliquam habet difficultatem; nihil enim jucundius B nec facilius quàm amare Deum: igitur ille habitus non habet rationem virtutis.

Quà ratione virtus dicatur versari circa arduum.

Respondeo majorem virtutem versari circa arduum *vel* ratione objecti quod transcendit virtutem naturalem potentiæ; *vel* ratione impedimenti, quod removet ab eliciendo actu virtutis: hôc autem utròque modò actus charitatis potest censeri difficilis: *Primò* namque, actus ille transcendit vires facultatis naturalis consideratæ intra lineam & ordinem naturæ. Insuper habet etiam adjunctum impedimentum, quatenus videlicet difficile videtur amare Deum super omnia: tum quia ab eo amore revocant omnia terrena, & quæcumque objecta creata sub sensus cadunt: C tum quia suprema Dei bonitas cùm nobis adhuc mortalibus non ita perspicuè ac in prospectu pateat, hinc minùs efficaciter ad supernum sui amorem allicit: Hinc S. Petrus epist. 1. cap. 1. Fideles commendat, eò quod, *quem cùm non videritis diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis.* Adde quod non sit commune omnibus virtutibus, nec etiam sit de ratione formali virtutis, quatenus præcisè virtus est, quòd occupetur circa difficile, hoc enim præcipuè convenit virtutibus moralibus, quæ occupantur circa frænandas ac moderandas passiones.

Dices secundò: Virtus tantùm inchoata seu in gradu remisso, non est propriè dicenda virtus, ut D docet Aristoteles *lib. 2. magnorum Moralium cap. 7.* ubi dicit temperantiam in gradu remisso non habere rationem virtutis: sed omnis charitas, quam in hoc statu mortali habemus, est tantùm incboata & imperfecta, solùm enim consummabitur in Patria: Igitur non habet nunc rationem perfectæ virtutis, quod maximè verum est de charitate in gradu remisso.

Respondeo majorem esse veram de virtutibus acquisitis, quæ occupantur circa moderandas passiones; cùm enim illæ acquirantur per actus, qui plerumque sunt debiles, inde fit, quòd nisi sæpe repetantur, non promoveant habitum ad perfectum statum virtutis: at habitus Theologicæ E charitatis, cùm per se infundatur à Deo, eôdem instanti quô infunditur, habet perfectionem sufficientem ad rationem virtutis.

CONCLUSIO SECUNDA.

VIII. CHARITAS *Theologica est virtus specialis distincta ab aliis virtutibus.* Hæc etiam est communis, eamque probat subtilis Doctor locô suprà laudato: *Hæc virtus*, inquit, *distincta est à fide, quia actus ejus non est credere: Similiter à spe, quia actus ejus non est concupiscere bonum amanti, in quantum est commodum amantis: sed tendere in objectum secundum se, etiam si per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas ejus in amantem*,

Charitas est virtus specialis.

Ut probat Doctor subtilis.

Patet etiam hæc veritas in Apostolo 1. *ad Cor.* 13. ubi recenset fidem, spem & charitatem tanquam tres virtutes distinctas non solùm ab invicem, sed etiam ab aliis virtutibus moralibus, quarum actus ibidem celebrat.

Suadet etiam ratio; quia ubicumque est specialis honestas secundùm quam virtus tendit in objectum suum, ibi etiam debet esse specialis virtus ab aliis distincta: sed formalis ratio sub quâ charitas Theologica tendit in Deum, est honestas specialis distincta ab omni alia ratione, secundùm quam aliquæ aliæ virtutes in Deum tendunt: igitur charitas debet esse virtus specialis.

Major constat. Minor verò probatur: alia enim est honestas amandi Deum ut summum bonum propter se, & alia honestas credendi in eum ut summè verum, & sperandi in eum ut summum bonum nobis conveniens & promissum, ut per se constat. Quanquam enim divina bonitas, quatenus apprehenditur à charitate, complectatur perfectionem ac bonitatem specialem cujuscunque sive essentiæ, sive personæ, sive proprietatis divinæ, quæ possunt esse objecta aliquarum aliarum virtutum: attamen illam divinam bonitatem etiam particularem sive essentiæ, sive personæ, sive proprietatis divinæ aliô modô considerat, quàm cæteræ virtutes; siquidem illam considerat ut amandam propter se, & ratione illius summæ excellentiæ: Igitur habet specialem honestatem.

Ex Seraphicus.

Hanc autem charitatis à cæteris virtutibus diversitatem colligit Seraph. Doctor dist. 27. art. 1. quæst. 1. ex sextuplici comparatione ejosdem virtutis: *Primò* quidem ex comparatione ad objectum, quod sub ratione movendi ab aliis distinguitur; formalis enim ratio sub qua charitas Theologica tendit, & secundùm quam attingit omnia, & singola sua objecta, est ipsa increata Dei bonitas continens in se quamlibet perfectionem in omni genere excellentiæ, bonitatis & perfectionis, quæ ratio est specialis & distincta ab ea bonitate & perfectione, sub qua cæteræ virtutes tendunt in Deum, vel in quodlibet aliud objectum; hæc enim sumpta formaliter nihil est aliud quàm una formalis ratio, quâ omnes perfectiones divinæ quasi integrant & componunt unam summam bonitatem & integritatem Dei, ob quam Deus est in seipso summè amandus: sub qua speciali ratione nulla alia virtos tendit in ipsum Deum, ac subinde ex parte objecti est virtus specialis. *Secundo*, eadem diversitas colligitur per comparationem ad actum, quia amor Dei ob suam excellentiam in se & propter se dirigendam differt ab actibus aliarum virtutum. *Tertiò*, per comparationem ad subjectum proprium, quia hæc est in voluntate, non ut concupiscibilis est simpliciter, neque etiam irascibilis, sed ut complacet in objecto, in quod tendit per amorem amicitiæ, seu ut loquitur Seraph. Doctor, *sicut fides est in rationali, spes in irascibili, ita charitas in concupiscibili. Quartò*, per comparationem ad opposita; cæteræ namque virtutes habent vitia quædam sibi opposita; charitas verò omnibus omnino repugnat. *Quintò*, per comparationem ad præmium; habitus enim fidei & spei evacuatur in patria; charitas autem permanet. *Sextò*, deniqoe per comparationem ad suum principium quod repræsentat; consistit enim, inquit, imago recreationis in tribus virtutibus Theologicis, & unitate gratiæ: sicut imago creationis in tribus potentiis & unitate substantiæ; quemadmodum ergo potentiæ naturales, intellectus, voluntas & memoria quatenus referunt imaginem Dei creatoris invicem distinguuntur realiter, quia divinas personas non repræsentant nisi quatenùs sunt sub actibus, seu actualiter operantes: ita fides, spes & charitas quæ repræsentant Deum ut reparatorem & salvatorem, pari ratione debent distingui realiter.

Dices primò: Ex Apostolo 1. ad Cor. 13. Charitas habet effectum omnium virtutum: Siquidem, inquit, *charitas patiens est, benigna, &c.* ubi enumerat quindecim opera virtutum, quæ charitati conveniunt: sed virtus quæ habet actus omnium virtutum, non est specialis, sed communis: igitur charitas non est virtus ab aliis distincta.

IX. Charitas imperat actus omnium virtutum, non tamen elicit.

Distinguit majorem Seraph. Doctor: Charitas habet actus omnium virtutum, ut principium elicitivum, negat: ut imperativum, concedit: igitur actus aliarum virtutum attribuuntur ipsi charitati non sicut elicienti, sed sicut imperanti, vel sicut motori primo, non sicut motori immediato, quâ ratione monebat Apostolus 1. ad Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant.*

Dices secundò: SS. Patres charitatem appellant *virtutem generalem*, nam S. Hieronymus laudatus à Seraphico Doctore, ait: *Vt breviter complectar omnem definitionem virtutis, virtus est charitas, quâ diligitur omne diligendum*: Similiter S. Augustinus lib. 15. de civitate cap. 22. Et S. Bernardus lib. de amore Dei cap. 6. dicunt virtutem nihil aliud esse quàm ordinem amoris, seu amorem ordinatum: sed amor ordinatus nihil aliud est, quàm charitas: igitur cùm omnis virtus sit amor ordinatus, etiam omnis virtus est charitas, ac subinde hæc non est à cæteris virtutibus distincta.

X. Charitas est omnis virtus causaliter, non verò entitativè.

Respondet Seraph. Doctor, omnes virtutes appellari posse charitatem causaliter; quia, inquit, « charitas respectu aliarum in movendo quodammodò habet rationem causæ *efficientis*, quodammodò *formalis* quodammodò *finalis*: amor autem charitatis aliis virtutibus, ut in actus suos exeant, imperat, & imperando informat, & facit eos meritorios, & informando, jungit fini, & in ipso quietat, dum facit nos adhærere Deo, & ipso frui; & ideo meritò virtus gratuita per charitatis amorem est definienda. Posset etiam aliter dici, quòd amor ille, qui cadit in definitione virtutis, generaliter non est amor charitatis, qui est una de virtutibus Theologicis, sed est amor omnibus & cæteris virtutibus communis & generalis; & ideirco neganda est conseqoentia. »

Dices tertiò: Sicut se habet præceptum charitatis ad alia præcepta, sic se habet habitus charitatis ad alios habitus virtutum: sed præceptum charitatis omnia alia præcepta comprehendit: *Nam*, inquit, Apostolus ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit*: Igitur habitus charitatis in se continet habitus omnium aliarum virtutum.

XI. Quomodo præceptum charitatis omnia præcepta complectitur.

Respondet Seraph. Doctor, distinguendo minorem: « Præceptum charitatis comprehendit omnia præcepta non per omnimodam entitatem, sed per quandam reductionem: omnia enim præcepta reducuntur ad illam, & in illa consummantur; & ideo ex hoc non potest concludi, quòd habitus charitatis sit aliis communis, nisi solùm per radicationem, secundùm quod dicit S. Gregorius, quòd *præcepta sunt multa per diversitatem operis, & unum in radice dilectionis; quia quidquid præ-*

„ cipitur, in sola charitate radicatur: Hoc autem „ non idcirco verum est quasi solus charitatis sit exequi præcepta injuncta, sed quia aliæ virtutes sine charitate non exequuntur divina præcepta secundùm acceptationem divinam.

Dices quarto: Sicut se habet objectum charitatis ad objecta aliarum virtutum, sic se habet habitus charitatis ad alios habitus: sed objectum charitatis est commune omnibus objectis aliarum virtutum; siquidem illius objectum est bonum sub ratione boni simpliciter: Igitur, &c.

Et illius objectum ad alia virtutum objecta sese extendit. *Respondet* idem Seraph. Doctor negando minorem: objectum enim charitatis distinguitur secundùm substantiam ab objectis virtutum Cardinalium, quæ duntaxat versantur circa objectum B creatum: ab objectis verò virtutum Theologicarum secundùm diversam rationem movendi: quia sicut fides respicit Deum sub ratione veri, & spes sub ratione ardui, sic charitas sub ratione boni. Si ergo bonum sub ratione boni, & verum sub ratione veri dicunt diversas rationes movendi; quia secundùm diversitatem rationis movendi est distinctio in actibus, & habitibus; hinc est quòd charitas differat ab aliis Theologicis virtutibus.

Conclusio Tertia.

XII. Charitas veram habet rationem amicitiæ. CHARITAS *veram habet rationem amicitiæ.* Ita communiter Theologi contra *Durandum* in 4. dist. 49. qu. 4. negantem hominis ad Deum esse propriam amicitiam. Eam autem assertionem tradit ac declarat subtilis Doctor *dist.* 27. *nu.* 10. ubi ait: Concedo quòd charitas propriè potest „ dici amicitia, licèt non omnino accipiendo ami- „ citiam strictè, sicut accipit Philosophus ibi, sed „ aliquantulum extendendo: sicut secundùm inten- „ tionem ejus ad Deum est aliquid excellentius „ amicitiâ. Illa enim excellentia objecti, non tol- „ lit quod est perfectionis in objecto, sed illud quod „ est imperfectionis. Honestas quippe in diligibili, „ & redamatio in dilecto sunt conditiones per se in „ diligibili, non quidem imperfectionis, imò non „ esset perfectior si non redamaret: sed æqualitas D „ in istis est conditio concomitans. Deus autem ha- „ ber honestatem, & redamationem, sicut amatio- „ nem, & excellentiùs potest esse amicitia ad ip- „ sum, itaut dicatur superamicitia. Et sic arguitur „ quòd æqualitas est ratio amicitiæ. Verum est sup- „ posita honestate, quæ est prima ratio amabilis: „ æqualitas autem est ratio amicitiæ strictè sumptæ: „ sed excellentia est ratio habitûs magis similis; vel „ perfectionis quam sit amicitia. Talem in propo- „ sito voco charitatem. Hæc Doctor.

Ut declarat subtilis Doctor.

Quibus tria maximè declarat. *Primum*, quòd charitas sit verè & propriè dicta amicitia; ita quod si hæc ratio amicitiæ hominis ad Deum alicui virtuti conveniat, maximè tribui debeat charitati, quæ est principium habituale amandi Deum E propter se, & quidem super omnia: *Secundum*, quòd propter suam excellentiam possit dici *superamicitia*, hoc est *vel* omnium amicitiarum præstantissima, *vel* amor, qui præcellit omnem prorsus amorem, qui vocari possit amicitia. *Tertium*, quòd non sit amicitia strictè dicta prout illam defendit Philosophus, quippe cùm non habeat omnes conditiones ab eo pro vera amicitia assignatas.

Et probatur 1. ex Scriptura sacra. *Probatur* itaque conclusio: Primò quidem ex Scriptura sacra, nam Sapientiæ 7. de sapientia divina dicitur: *Transfert se in animas sanctas & amicos Dei constituit.* Et Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Scriptura sacra passim A justos, Dei amicos appellat, maximè in novo Testamento, cum Christus D. suis Apostolis dicit Joan. cap. 15. *Vos amici mei estis.* Et ibidem: *Iam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre, nota feci vobis.* Denique totô librô Canticorum satis superque hæc divina amicitia significatur ac commendatur.

Eandem assertionem probant SS. Patres quotquot ejusmodi Scripturæ oracula suis interpretationibus exposuerunt, & illustrârunt, maximè S. *Basilius* in Psal. 44. *Ambrosius* lib. 3. officiorum cap. 26. Et *August.* sermone 5. de Sanctis, qui pariter lib. 8. Confess. cap. 6. refert famosam illam conversionem Potentiani curiæ imperatoriæ Aulici, qui fortuitô casu in Monachi cellulam ingressus, cùm in ea reperisset ac legisset vitam sancti Antonii Monachorum Principis, sic suum Commilitonem est allocutus: *Dic quæso, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus gratiâ militamus? Major ne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et per quos pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio.* 2. Ex SS. Patribus.

Probatur etiam ratione: Illud verè & propriè C est supernaturalis amicitia, quod est mutuus supernaturalis amor benevolentiæ propter honestatem supernaturalem, non latens ipsos amantes, fundatus super aliqua communicatione bonorum supernaturalium: sed charitas supernaturalis mutua inter Deum & homines justos, est reciprocus amor supernaturalis benevolentiæ propter honestatem supernaturalem; & amor est reciprocus ipsi Deo & homini justo cognitus, fundaturque in communicatione bonorum quorundam supernaturalium: igitur mutua illa charitas supernaturalis inter Deum & justos homines est vera & propriè dicta supernaturalis amicitia. Major patet ex dictis in 3. Notabili. Minor probatur quoad singulas partes. Quoad primam, *quòd scilicet hæc charitas sit amor reciprocus:* Primò namque Deus charitate increatâ amat homines justos, à quibus ipse vicissim diligitur; nam ipse ait Proverb. *Ego diligentes me diligo.* Et Christus Joan. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* 3. Ratione Theologica.

Secundò, iste amor mutuus non latet amantes, quia licèt non simus certi fide divinâ quòd Deum verè, sicut oportet, diligamus, & ab eo vicissim amemur; id tamen justis ex conjecturis probabilibus, & moraliter certis notum est; quod utique ad veram amicitiam sufficit; quippe cùm etiam inter homines mutuus amicorum amor non aliter innotescat. *Adde quod* etiam per internam Spiritûs sancti motionem contingat interdum nos fieri certos, quòd reverà diligamur à Deo, ac simus ei grati, ut Apostolos testatur ad Rom. 8. dicens: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*

Tertiò, intercedit etiam inter amantes aliqua bonorum communicatio, quippe Deus seipsum nobis donat seu communicat, hîc per gratiam variis modis, in patria verò per gloriam; unde S. Petrus epist. 2. cap. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, per quæ efficimur consortes divinæ naturæ.* Nec bona tantùm, sed etiam secreta communicat, ut constat ex præfatis Christi ad Discipulos verbis: *Omnia quæcumque audivi à*

Patre meo nota feci vobis; nos autem vicissim exhibemus Deo cultum, reverentiam & honorem in observatione præceptorum, in actibus religionis, putà adoratione, sacrificiis, &c. Similiter debemus ipsi revelare viam nostram: *Psal.* 36. Effundere coram illo corda nostra, *Psal.* 61. imò & præbere illi cor nostrum, *Proverb.* 23. non quod illum quidquam lateat, sed ut amicitiæ munere fungamur, & ita ab eo imploremus opem, à quo duntaxat possumus adjuvari.

Tandem est intima saltem moralis unio amici cum amico, quæ unio maximè consistit in conformitate voluntatum; ratione cujus amicus reputat amicum ut alterum se, ut bona & damna illius ac sua propria: at hæc unio est in charitate, hæc enim nos facit unum spiritum cum Deo 1. ad Cor. 6. *Qui adhæret Domino unus spiritus est.* Et Christus Dominus apud S. Joan. cap. 17. rogans pro credentibus, ait: *Vt sint unum, sicut & nos unum sumus.* Hinc sanctus Bernardus serm. 27. *in Cantica*, sic ait: *Dicit Filius: Ego in Patre, & Pater in me est, & unus Spiritus sumus.* Et ibidem paulò antè: *Planè nemo nisi demens sive de terra, sive de cœlo, usurpabit sibi illam Vnigeniti vocem,* EGO ET PATER UNUM SUMUS: *& tamen ego licèt pulvis & cinis, fretus quidem Scripturæ authoritate, minimè istud dicere verear, quia unus cum Deo spiritus sum, si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis, Deo me adhærere instar unius illorum qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis.* Idem patet ex illo Apostoli ad Galat. 2. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

XIII. Quænam æqualitas sit inter Deum & homines.

Dices primò: Vera & propria amicitia est inter æquales; unde S. Hieronymus super cap. 7. Michææ: *Amicitia pares accipit aut facit: ubi inæqualitas est, non est amicitia.*

Confirmatur: Inter servum & dominum non potest intercedere amicitia: sed quilibet justus est servus Dei, juxta illud Psal. 115. *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Respondet Doctor *locô suprà laudatô* æqualitatem requiri quidem ad amicitiam strictè sumptam, non verò ad amicitiam excellentiæ, ad quam sufficit quædam proportio inter ipsos amantes.

Adde quòd quædam æqualitas etiam constituatur per charitatem inter Deum & homines: siquidem charitas non est virtus hominis in quantùm est homo, sed in quantùm per participationem gratiæ fit Dei filius, & quodammodò æqualis Deo, juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus:* Unde Doctor ibidem ait: *Dico quòd duæ conditiones concurrunt in objecto amabili, scilicet unitas & bonitas, & licèt bonitas quandoque superet bonitatem, tamen unitas ex alia parte recompensat*; hoc est, infinita Dei bonitas sic suam excellentiam quasi deprimendo, & nostram vilitatem sublimando, quandam æqualitatem cum ipsa constituit, licèt non sit unitas, id est, similitudo, quia bonitas divina compensat id quod deest ex nostra parte ad illam divinam similitudinem.

Ad confirmationem dico, quòd etsi servi, quà servi, non possint reverà habere amicitiam cum domino quà dominus est, & sic homines quatenus sunt præcisè creaturæ à Deo dependentes, non possint ad eum habere amorem amicitiæ; tamen reverà quatenus elevantur ad esse filiorum Dei, possunt eum amare non solùm ut Dominum, sed ut Deum in se infinitè perfectum, & Deus potest simul creaturas diligere propter perfectiones & dona quæ ipsis contulit, quibus illæ creaturæ quò magis Deo sese subjiciunt, eò sublimiùs moventur; unde præclarè dicebat sanctus Antonius: *Servire Deo, regnare est.*

Dices secundò: Amor ille non est amicitiæ nec benevolentiæ; sed concupiscentiæ, qui solùm tendit in amici visionem & fruitionem: at finis amoris charitatis est visio & fruitio Dei: igitur charitas est amor benevolentiæ, non verò amicitiæ.

Distinguo majorem: Qui tendit in visionem & fruitionem amati propter proprium amantis bonum, ejusque peculiarem delectationem, concedo: propter bonum ipsius amati, ut videlicet ei honor & gloria impendatur, nego: & similiter distinctâ minore neganda est consequentia; spes equidem desiderat visionem & fruitionem Dei, quatenus speranti bonam & delectabilem, & idcirco non est amor amicitiæ, sed concupiscentiæ: at charitas, ut ait Apostolus, non quærit quæ sua sunt, nec appetit visionem & fruitionem Dei ob propriam delectationem, sed propter Deum ipsum, cui in quantùm potest, conjungi exoptat; unde non est censenda amor concupiscentiæ, sed amicitiæ; quamvis enim amicus delectationem percipiat ex amici præsentia, non tamen propterea quærit amici præsentiam, ut in ipso delectetur; sed propter amicum ipsum cui conjungi exoptat.

Dices tertiò: Amicitia est mutuus amor benevolentiæ: sed Deus non diligit homines amore benevolentiæ: igitur nec amore amicitiæ, ac subinde cùm amicitia mutuam dilectionem benevolentiæ postulet, non potest esse vera amicitia inter Deum & homines. Major constat ex dictis. Minor verò probatur: Amor benevolentiæ ille est quô quis diligitur propter seipsum: sed Deus non potest diligere creaturas propter ipsasmet; siquidem, ut dicitur Proverb. 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus:* igitur, &c.

Respondeo, concessâ majore, negando minorem, & ejus probationis distinguendo majorem: Amor benevolentiæ ferri debet in bonum amati propter ipsummet; ita quòd particula propter excludat utilitatem & jucunditatem, quam amans inde percipit vel expectat, nego; ita quòd significet dilectionem per se & directè tendere in bonum ipsius amati, ex cujus amore, quasi per concomitantiam aut resultantiam emanat amantis vel amati delectatio, concedo: hâc autem posteriori ratione charitas tendit in Deum tantùm propter se diligendum, & amor ipse quô Deus etiam creaturam rationalem diligit, quanquam in Deum ipsum tanquam in proprium & adæquatum suum objectum tendit, nihilominus terminari potest ad ipsam creaturam, licèt non ultimò; quod utique satis est ut Deus ipsi creaturæ velit bonum aliquod tanquam proprium bonum ipsius creaturæ, licèt ordinandum ad ipsummet Deum tanquam ad ultimum finem.

Vel aliter *respondeo:* Amor benevolentiæ terminari debet ad bonum amici; ita quòd excludatur ordo ad ultimum finem, nego: ita quòd ille ordo excludat omnes alios fines particulares ad quos amor ille terminari posset, concedo: & similiter distinctâ minore, nego consequentiam: Omnis enim amicitia ut sit honesta, dum vult bonum amico, non debet excludere, sed includere ordinem ad finem ultimum; si quis enim alterum diligeret, cum exclusione amoris Dei, amor ille non esset amicitiæ, sed turpis complacentiæ. Ut

igitur Deus creaturam rationalem dicatur diligere amore amicitiæ, non est necesse quòd ipsam creaturam ad seipsum non referat, sed sufficit quòd bonum volitum ipsi creaturæ ab ipso non ordinetur ad alios fines.

Petes, an charitas sit præstantior omnibus aliis virtutibus?

Affirmo; *Primò*, quia cæteræ virtutes Theologicæ evacuantur in patria; ipsa autem constantissimè perseverat; unde Christus Dominus Matth. 22. de præcepto charitatis ait: *Hoc est primum & maximum mandatum*: utique quia procedit ab actu præstantissimæ virtutis, quapropter Apostolus 1. ad Cor. 12. loquens de charitate ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, quæ sic expendit pius Idiota cap. 17. Illa est via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque cumulo, via secura absque periculo, via jucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo duce. *Secundò*, hæc omnibus aliis virtutibus imperat uti princeps ac regina; unde præclarè S. Augustinus serm. 39. de Tempore admonet: Sectamini charitatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est; & cum qua pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis in bonis operibus hilaris, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata, in Noë per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moise inter injurias lenissima, in tribulationibus mansuetissima: in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat, casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christo ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. *Tertiò* denique, charitas est finis & quasi corona omnium prorsus præceptorum, juxta illud Apostoli: *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quem utique textum sic expendit sanctus Ambrosius in cap. 13. ad Rom. *Omnium virtutum maxima est charitas. hanc finem esse dixit, id est, perfectionem, consummationem omnium præceptorum, si tamen ex corde puro sit & bona conscientia. Vera enim charitas non potest malam vitam agere, nec simulatam fidem habere, in quibus lex impletur & Prophetæ.* Chrysostomus verò hom. 2. in 1. ad Timoth. hæc trahens ad mutuam inter fratres charitatem, ex cujus defectu existimat hæreses nasci, hoc ipsum aliò modò inculcat, dicens: *Porro ex ea ambitione hæreses nascebantur, idcirco & Paulus cùm dixisset, ut denunties quibusdam non aliter docere, modum etiam suggerit, quò id fieri possit. Quinam verò hic est? Charitas. Quemadmodum denique dixit: Finis legis Christus, hoc est, impletio: ita & præceptum istud charitati conjungitur, atque ex ea dependet. Medicina nempe finis sanitas est: itaque cùm adest sanitas curatione multâ nihil opus est: etiamsi adsit charitas, præceptis non est opus. Charitatem verò cujusmodi dicit? Synceram, & quæ non verbis tantùm sed quæ ex scientia & intimo cordis affectu, proximorumque miseratione proveniat.*

Nota.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Charitatis?

I. Deus est objectum charitatis.

Notandum primò, omnes Theologos convenire objectum primariũ charitatis esse Deum ipsum; siquidem charitas est virtus Theologica, omnis autem Theologica virtus habet Deum pro objecto; ac subinde charitas in Deum tanquam in proprium objectum tendit. Cùm autem charitas sit amor, cujus objectum est bonum, idcirco citra controversiam est, quòd hæc Theologica virtus tendat in bonum, quatenus bonum; ita quòd divina bonitas sit ratio formalis sub qua virtus charitatis Deum ut proprium objectum attingit. Difficultas autem est, ut notat subtilis Doctor dist. 27. num. 3. quâ ratione virtus charitatis in Dei bonitatem feratur, an videlicet in ejus bonitatem absolutam, seu quatenus Deus est bonus secundùm se: an in ejus bonitatem respectivam, seu quatenus est bonus amanti; vel denique quatenus ejus bonitas utrumque complectitur, nempe bonitatem absolutam, quâ Deus bonus est secundùm se, & respectivam quâ bonus est creaturis, seu prout nobis conveniens est & commoda.

II. Triplex est bonitas Dei.

Notandum secundò, bonitatem absolutam Dei posse distingui triplicem, seu tripliciter considerari: Primò quidem, pro bonitate suprema solius divinæ naturæ, quatenus hæc convenit essentiæ divinæ prout distinguitur formaliter à suis divinis attributis: vel pro bonitate attributali, seu quæ est unum ex attributis ipsius divinæ essentiæ ab ea, sicut & à cæteris attributis formaliter distinctum: vel denique pro bonitate transcendente, quatenus est communis bonitati divinæ per essentiam, quæ in solo Deo reperitur, & bonitati divinæ per participationem, quæ in creaturis relucet. Prior bonitas nihil est aliud quàm summa illa perfectio divinæ essentiæ sumpta adæquatè, prout scilicet complectitur omnes & singulas perfectiones Deo convenientes, quâ ratione idem est esse bonum, ac absolutè & simpliciter ac omnimodè perfectum; juxta quam significationem Christus Dominus dixit Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*; quippe soli Deo convenit esse bonum & perfectum per essentiam, quatenus ita habet in seipso omnes perfectiones debitas suæ naturæ, ut solus ille eas actu & de facto habeat per naturam & necessitatem essentialem. Secunda bonitas nil est aliud quàm positiva illa perfectio, quâ Deus ex se movetur & inclinatur ad sese communicandum & aliquid producendum extra se, sicque est ipsa Dei beneficentia, benignitas, & veluti habitualis amor ejus erga creaturas. Tertia denique bonitas est ipse conceptus bonitatis divinæ abstrahens & præscindens ab ipsa bonitate quatenus est in Deo per necessitatem essendi; in creaturis verò per ejusdem bonitatis divinæ communicationem & participationem. Quæritur autem sub quanam ratione bonitatis Deus censeatur objectum virtutis charitatis.

III. Tria sunt in objecto diligibili per charitatem.

Notandum tertiò, ex Doctore dist. 27. num. 7. posse considerari triplicem rationem in objecto diligibili per charitatem: Prima est ad quam terminatur ipsemet actus charitatis *ut quô*; ita scilicet ut persona dilecta constituatur in esse Dei per Deitatem: Secunda est aliqua ratio præcedens actum dilectionis, & sine qua fortassis talis

dilectionis actus hîc & nunc non eliceretur, ot siquis considerando Deum sibi multa beneficia contulisse, hac consideratione stimularetur ad ipsum amandum. Tertia denique est aliqua ratio necessariò concomitans, vel sequens actum dilectionis: Sicut inquit, si diceretur Deus diligere, in quantùm summè diligitur, hoc enim non provenit ex ratione formali objecti, sed sequitur rationem in objecto concomitantem actum dilectionis; enimverò Deus diligentes se diligit. Quam utique triplicem rationem illustrat Doctor exemplô rei quæ primò pulcherrimè esset visibilis ex natura sua, secundò quæ daret virtutem visivam oculo quâ videretur, tertiò quæ quietaret & satiaret visum in quantùm attingitur ab oculo per actum videndi, qui esset ratio formalis terminandi amorem visivum ex hypothesi quòd visus posset amare tale objectum. Prima ratio quâ Deus tenderet in suum objectum est ipsamet ratio naturæ rei visibilis, quia in tali natura est perfectè ratio objecti adæquati talis potentiæ. Secunda est quædam ratio eliciens ad amorem ratione beneficii collati, videlicet ratione potentiæ videndi ab ipsa re visibili concessæ. Tertia verò esset ratio concomitans actum in quo perfecte quietaretur visus. Quæritur ergo quænam ex iis rationibus sit ratio objecti formalis charitatis; ac subinde tria maximè sunt hîc determinanda: *Primum*, utrum Deus sit objectum charitatis quatenus bonus est secundùm se, vel quatenus est bonus nobis, seu bonum nobis conveniens: *Secundum*, utrum ratio terminativa actûs charitatis sit illius bonitas essentialis vel attributalis, vel bonitas divina, quatenus præscindit à ratione boni essentialis & ut est in Deo, & à ratione boni per participationem, quatenus est in creaturis: *Tertium*, utrum illa ratio terminativa actûs charitatis sit quid concomitans aut subsequens talem actum.

Conclusio Prima.

IV. Obiectum formale charitatis non est divina bonitas nobis conveniens.

OBJECTUM *formale & primariè terminativum charitatis non est divina bonitas quatenus nobis conveniens: neque bonitas divina analogicè conveniens Deo & creaturis per participationem: sed est ipsa bonitas absoluta Dei.* Hæc est Doctoris, *num.* 3. & sequentibus: Primam partem sic probat: Objectum formale perfectissimæ virtutis, qualis est charitas, debet esse perfectissima ratio ob quam Deus sit summè diligibilis, alioqui daretur alia virtus, quæ tenderet in Deum sub perfectiori illa ratione: sed perfectior est ratio divinæ bonitatis prout consideratur secundùm se, quàm prout consideratur in ordine ad creaturas: igitur objectum primarium formale charitatis non est divina bonitas ut conveniens creaturæ.

Secundò, si Deus ut nobis conveniens, & ot est bonum nostrum, esset objectum formale principale charitatis, hoc ei maximè competeret quatenus est beatificativus nostri: sed id dici nequit. Probatur: Si Deus quatenus beatificativus haberet rationem formalem objecti *quò* charitatis, maximè *vel* quatenus beatificativus aptitudinaliter, *vel* ut beatificativus actualiter, seu quatenus aptus est & potest beare, vel de facto beatitudinem confert: sed neutrum dici potest. Non quidem *primum*, quia non potest quis amare aliquod objectum ob respectum aptitudinalem quem habet, nisi quatenus amat ipsum propter perfectionem absolutam, ratione cujus talis respectus ei convenit; ac proinde non potest Deus amari, quatenus est beatificativus aptitudinaliter, nisi propter bonitatem absolutam ob quam convenit ipsi talis virtus beatificandi; perfectio enim & virtus beatificandi non consistit formaliter in ipsomet respectu, sed in perfectione absoluta ad quam sequitur. Non etiam *secundum*, quia priùs competit ipsi esse objectum beatificum, quàm actu beatificare, in quantùm actus beatificandi dicit respectum actualem ad illum actum beatitudinis, quô quis tendit in objectum.

Confirmat Doctor: quia esse beatificativum tam actualiter quàm aptitudinaliter, non dicit nisi respectum rationis; si enim diceret respectum realem actualem & aptitudinalem, dependeret à creatura: omnis enim respectus dependet à suo termino; ita quòd si terminus esset impossibilis, talis respectus etiam impossibilis esset: absurdum autem videtur quòd Deus in se habeat aliquid realiter dependens à creatura; ita quòd si creatura esset impossibilis, illud pariter esset impossibile, ac subinde respectus ille seu ratio beatificativi non potest esse in Deo aliquid reale: sed charitas, quæ est virtus realis, non potest pro objecto formali habere aliquod ens rationis; ac subinde non habet pro objecto Deum, ut beatificativum formaliter; nec consequenter ut est bonum nostrum. *Tertiò* denique, appetere bonum ut nobis conveniens spectat ad affectionem commodi, non verò justitiæ: sed charitas perficit voluntatem in quantùm dicit affectionem justitiæ, non autem commodi, sub hac enim ratione distinguitur à spe, quæ fertur in Deum per affectum commodi: Igitur, &c.

V. Neque bonitas ut conveniens bonitati creatæ & increatæ,

Probatur secunda pars, nempe quòd objectum formale & primarium charitatis non sit ipsa divina bonitas, ut conveniens analogicè bonitati divinæ per essentiam, & humanæ per participationem; *Primò* quidem, quia eô modô se habet charitas ad Deum ut bonum, quomodò fides se habet ad Deum ut verum: sed fides non tendit in veritatem divinam, quatenus abstrahit ab ipsa divina veritate per essentiam & per participationem: igitur nec charitas tendit in divinam bonitatem, quatenus præscindit à bonitate per essentiam & à bonitate per participationem. *Deinde*, charitas nostra est formalis participatio charitatis quâ Deus seipsum diligit: sed charitas Dei non habet pro objecto formali, aliquod bonum in communi, sed tantùm bonitatem Dei absolutam: Igitur, &c. *Insuper*, virtus Theologica habet Deum pro objecto formali & primario, non verò aliquid commune Deo & creaturis: sed charitas est virtus Theologica, ac subinde non habet aliquid pro objecto commune Deo & creaturis. *Denique*, ut ait Doctor ibidem *nu.* 6. omnis actus & habitus debet habere unicam rationem formalem specificativam: sed illa bonitas prout analogicè convenit Deo per se, & creaturis per participationem, non est una ratio formalis specificativa; quippe cùm non habeat unam eandemque rationem bonitatis, nec specificam, nec individualem; non quidem specificam, quia bonitas creata & increata non sunt ejusdem speciei; nec etiam individualem, quia illæ duæ bonitates cùm sint specie distinctæ, sunt etiam multò magis numerô diversæ.

Dices: Bonitas divina quatenus Deo conveniens per se & creaturis per participationem, potest habere rationem objecti formalis alicujus habitûs

habitûs

bitûs Theologici seu tendentis in res divinas: sed non alterius quàm charitatis: ergo objectum specificativum charitatis est ipsa bonitas, quatenus Deo & creaturis conveniens.

Respondeo primò, negari posse majorem: Tum quia nullus reverà potest esse talis conceptus bonitatis analogicè conveniens Deo & creaturæ, ut dictum est; tum quia bonitas Deo & creaturæ conveniens non potest habere unitatem quæ sufficiat ad specificandum unum & eundem habitum: habitus enim unus specie, qualis est charitas, requirit objectum specie unum, qualis non potest esse illa bonitas conveniens Deo per se & creaturis per participationem.

Respondeo secundò, etiam negari posse minorem; enimverò si daretur aliquis habitus tendens in bonitatem divinam, quatenus Deo & creaturis convenientem, ille esset omnino distinctus à charitate, utpote cùm haberet objectum omnino specie distinctum.

Dices secundò: Charitas ex æquo tendit in Deum & proximum: ergo simul habet Deum & creaturam pro objecto formali & specificativo; ac proinde tendit in divinam bonitatem; quatenus convenientem Deo & creaturis.

Nego consequentiam: Quemadmodum enim charitas increata Dei non solùm tendit in Deum, sed etiam in homines & Angelos, quos Deus ex amicitia charitativâ diligit, nec propterea habet pro objecto formali charitatem Deo & creaturis convenientem: sic proportione servatâ charitas nostra, quæ est participatio quædam charitatis divinæ, potest tendere in Deum & proximum ex amicitia diligendum, etiamsi solam bonitatem divinam quatenus soli Deo convenientem habeat pro objecto formali.

CONCLUSIO SECUNDA.

OBJECTUM *formale terminativum ut quod divinæ charitatis est bonitas divina essentialis, non verò attributalis, neque quid concomitans aut consequens ad ejusmodi charitatis actum*. Hæc est Doctoris ibidem *num*. 7. Eamque sic probat. Illa est ratio formalis principaliter terminativa perfectissimæ virtutis, qualis est charitas, per quam ejus objectum materiale, nempe Deus perfectissimè potest voluntatem quietare ac satiare, nec non & habere perfectissimam rationem objecti: sed Deus id solùm habet per bonitatem essentialem: igitur illa essentialis bonitas habet rationem objecti formalis charitatis. Major per se constat. Minor verò probatur: Quotiescumque potentia respicit pro objecto adæquato terminativo totum ens non potest perfectè quietari per illud objectum, nisi habeat perfectissimam rationem entitatis; sed voluntas habet pro objecto adæquato ens seu bonum in communi: igitur non potest perfectè quietari ab alia ratione, quàm ab ea quæ habet primariam & principalem rationem bonitatis, sed sola bonitas essentialis id sibi vendicat; bonitas enim attributalis ab ea tanquam à radice profluit: igitur sola bonitas essentialis habet rationem objecti formalis terminativi *quod* divinæ charitatis.

Porrò divina illa bonitas seu perfectio essentialis Dei absolutè sumpta complectitur infinitam sapientiam, omnipotentiam, æternitatem, immensitatem, & omnes alias perfectiones formaliter infinitas, ex quibus resultat ens infinitū in omni genere entis: sic tamen spectata illa Dei essentialis bo-

A nitas in se est simplicissima ratio sufficienter movens ad actum charitatis & amoris supernaturalis.

Cæterùm ibidem concedit Doctor *num*. 8. divinam bonitatem ut nobis beneficia largientem posse habere rationem objecti motivi charitatis; hoc enim docet S. Joan. in 1. epistola cap. 4. dicens: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*: hinc experientiâ quotidianâ constat, quòd ex consideratione beneficiorum receptorum ab aliquo, moveamur & stimulemur ad ipsum amandum efficaciùs quàm diligeretur ipse propter suas perfectiones. Doctor autem hanc rationem vocat secundariam; quoniam si quis duntaxat Deum diligeret propter sibi collata à Deo beneficia, non attendendo ad illius divinas perfectiones, à quibus habet quòd sit sum-

B mè propter se amabilis; talis actus amoris non censeretur propriè Theologicus, nec supernaturalis: sed duntaxat naturalis; quippe naturale est rependere amorem amori, & dilectionem nobis beneficia conferenti. Illa tamen consideratio beneficiorum divinorum potest esse secundaria ratio motiva, quæ provocet & alliciat ad actum charitatis quatenus Deus non tam diligitur propter beneficia à Deo excepta, quàm propter bonitatem divinam, à qua provocatur ut ipsa nobis beneficia conferat.

Non abnuerem etiam Deum à nobis pro hoc

C statu mortali diligi posse amore charitatis propter speciale aliquod ejus attributum, putà providentiam quâ nos tegit, potentiam quâ protegit, bonitatem quâ fovet, misericordiam quâ indulget; &c. quemadmodum etiam fides supernaturalis habet pro objecto motivo sui assensûs aliquod attributum, scilicet veracitatem Dei: nec aliquid officit quominus amor ille sit verus actus charitatis; licèt enim Deus sic consideratus videatur objectum amoris concupiscentiæ quô concupiscimus divina beneficia nobis à Deo conferri; tamen potest esse actus charitatis & amoris amicitiæ, quatenus scilicet providentia, potentia & cæteræ perfectiones attributales considerantur ut perfectiones infinitæ, & concurrentes ad

D illam bonitatem infinitam, quâ Deus dicitur ens infinitè bonum & perfectum: contingit enim sæpè ut Dei amatores interdum stimulentur ad considerationem & admirationem singularium Dei perfectionum, indeque accendantur ad vivificum & ardentissimum amorem Dei dilecti; quemadmodum legimus de cœlesti sponsa Canticorum 5. quæ cùm filiis Jerusalem requirentibus, qualis esset ejus dilectus, varias illius perfectiones recensuisset, tandem concludit: *Et totus desiderabilis*. Ita quòd consideratio omnium perfectionum dilecti fuerint veluti incendium ac stimulus, quô provocata fuerit cœlestis illa sponsa ad amandum suum dilectum propter absolu-

E tam & summam illius perfectionem. Quòd verò ratio concomitans vel subsequens terminationem actûs amoris, non sit ratio objectiva & terminativa propriè loquendo, probat ibidem Doctor *num*. 9. Quia, inquit, ratio objectiva propriè loquendo, præsupponi debet actui qui terminatur; hæc verò ratio concomitatur vel sequitur actum, ex quo infert quòd Deus ut bonum actu beatificans, non est objectum charitatis propriè dictum, quia ut sic actu terminat charitatem; habet enim actu beatificare, quatenus terminat amorem beatificum, unde non prius est esse ipsum actu beatificantem quàm proponitur, & habetur ipsemet actus amoris beatifici. Fatetur

tamen posse aliquomodo illam tertiam rationem A vocari objectum charitatis, vel de objecto ejus, quatenus scilicet tenet se ex parte objecti eoncomitaoter ad charitatem actualem, itaut nunquam possit haberi charitas actualis circa Deum, quin Deus sit terminans ipsam; sive habeat terminare ipsam ab aliquo respectu, quod improbabilius est, sive seipsô, positô actu, sive per denominationem extrinsecam desumptam ab actu, ut probabilius videtur.

Conclusio Tertia.

Eadem omnino ac indivisibilis virtus charitatis habitualis inclinat ad amandum Deum tanquam B *objectum primarium, & proximum tanquam secundarium.* Hæc est communior inter utriusque scholæ, Subtilis & Angelicæ Sectatores.

Probatur primò ex SS. Patribus, Augustino lib. 8. de Trinitate cap. 8. dicente: *Ex una eademque charitate Deum, proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Insuper ser. 17. qui est de Ascens. *Arbitror,* inquit, *ideo Spiritum sanctum bis datum, semel in terra, & iterum in cælo, ut commendarentur nobis duo præcepta charitatis, scilicet Dei & proximi. Una est charitas & duo præcepta, unus Spiritus & duo data: quia alia charitas non diligit proximum, nisi illa quæ diligit Deum: quâ ergo charitate proximum, eâdem Deum diligimus, &c.* Similiter S. C Gregorius lib. 7. Moral. c. 10. loquens de amore Dei & proximi ait: *Sunt duo isti amores duæ quadam partes, sed unum totum est ex utrisque compositum; duo annuli, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas; duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est.*

Eandem veritatem Seraph. Doctor d. 27. a. 2. q. 2. *Primò*, quia idem est motus in finem, & in id quod est ad finem; motus enim non fit diversus propter differentiam medii, sed extremi: at motus charitatis in Deum tendit ut in finem, in proximum verò ut in medium: igitur unus & idem motus seu habitus charitatis potest inclinare ad D actum qui tendit in proximum & Deum. *Secundò*, idem est honor quô honoratur imago alicujus Sancti, cum eo quô honoratur ipse Sanctus, quia bonor imaginis refertur ad prototypum, ut docet sanctus Damascenus lib. 4. de fide cap. 17. sed dilectio proximi refertur ad Deum: ergo similiter unus est motus seu unum principium inclinans ad diligendum Deum & proximum. *Tertiò*, unô & eôdem amore diliguntur tres adorandæ personæ Trinitatis, quia in eis est una ratio dilectionis, scilicet suprema divina bonitas: sic etiam una est ratio motiva ad diligendum Deum & proximum: igitur est una eademque ratio. E

Confirmatur à simili: Licèt enim fides plura credibilia attingat, & spes ad plura sperando se extendat; quia tamen omnia attinguntur sub eadem ratione formali sub qua, nimirum veracitate Dei & ejus omnipotentia ut auxiliante, illæ virtutes specie non multiplicantur: atqui similiter charitas, etsi ad plura diligenda se extendat, omnia tamen sub una ratione formali bonitatis divinæ & increatæ attingit: ergo est una specie atoma virtus.

Dices: Diversus habitus requiritur, ubi occurrit diversa difficultas in actu eliciendo: atqui alia occurrit difficultas circa amorem proximi, & alia circa amorem Dei: qui enim diligit Deum summa cum animæ suavitate ac voluptate, non minùs gravem patitur difficultatem in diligendis inimicis propter Deum: igitur actus dilectionis Dei & proximi requirunt diversos habitus.

Distinguo majorem: Requiritur diversus habitus acquisitus, concedo: infusus, nego: habitus enim infusi non conceduntur, ut facilè quis possit operari, sed tantùm ut simpliciter habeat operandi virtutem. Ad minorem dico, difficultatem illam diligendi inimicos amoveri per ipsam virtutem charitatis, quatenus nempe applicat motivum istius amoris, nempe ipsum diligendum propter infinitam bonitatem Dei, qui istud jubet & ordinat.

Dices secundò: Charitas solùm movet ad diligendum id quod est diligibile propter infinitam Dei bonitatem: atqui proximus non occurrit sic diligendus. Probatur: Nullus est diligendus propter infinitam Dei bonitatem, nisi in quo illa bonitas infinita existit: sed hæc non existit in proximo: igitur, &c.

Nego minorem, & ad ejus probationem dico, non esse necesse quòd divina bonitas insit alicui, ut ille per charitatem diligatur, sed sufficere quòd habeat habitudinem extrinsecam ad ipsam Dei bonitatem. Sicut enim medicina quantumvis ingrata & amara, & sic non diligibilis, tamen amatur propter sanitatem ad quam ordinatur; sic etiam proximus quantumvis aliunde odiosus diligi potest propter bonitatem divinam ad quam ordinatur.

Hæc autem ordinatio proximi ad divinam bonitatem considerari potest diversimodè: *Primò* quidem, quatenus qui Deum diligit, exoptat ut ipse ab omnibus diligatur, adeoque ut ametur à proximo; hoc ipsum autem desiderando, maximum ipsi proximo bonum cupit propter ipsam divinam bonitatem, quam dignissimam existimat ut à proximo diligatur. *Secundò*, qui diligit aliquem, exoptat ei omne bonum cujus est capax, atque adeo qui Deum diligit, cupit ut omnia cedant ad bonum & gloriam ejus: spectat autem ad Dei gloriam quòd diligatur à proximo: igitur, &c. *Denique*, qui diligit aliquem, etiam diligit ea quæ ad ipsum spectant: unde S. Joan. in prima epistola cap. 5. *Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.* Unde infert: *In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus & mandata ejus faciamus.* Quasi diceret; nos qui Deum diligimus, debere quoque diligere propter Deum omnes homines qui ex Deo nati sunt; & divinam ejus præ se ferunt imaginem.

Hinc sequitur quòd si proximus præcisè ametur ob suam bonitatem intrinsecam, & naturalem, non erit charitas Theologica; cùm virtus Theologica necessariò tendat in Deum, saltem tanquam objectum formale. Quarum actus erit amicitiæ moralis sive acquisitæ, sive infusæ, si detur. Quamvis & hic posset reflexè imperari per distinctum actum ex motivo charitatis divinæ elicitum; ut patet.

QUÆSTIO III.

An sit præceptum speciale de diligendo Deo & quomodo ac quando impleri debeat?

NOtandum primò, certum esse quòd detur præceptum diligendi Deum; istud namque exprimitur Deuter. 6. & Christus Dominus denuò repetit & inculcat Matth. 22. his verbis: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me: qui non diligit me, sermones meos non servat.* Hinc cap. 15. Apostolos alloquens, ait: *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quare hîc non est difficultas de dilectione effectiva Dei, quæ consistit in observantia divinorum præceptorum; hæc enim generatim præcipitur per singula ejusmodi divina præcepta: sed controversia est de dilectione affectiva, utrum videlicet sit speciale præceptũ affirmativum, quô teneamur elicere actum amoris erga Deum propter se & super omnia diligendum. Circa quod duplex est Theologorum sententia. Quidam enim cum Maldonato cap. 22. in Matth. Jansenio in concordia Evangelii cap. 18. existimant non esse speciale aliquod præceptum de diligendo Deo; quippe cùm dilectio Dei & proximi omnia prorsus præcepta contineat, & velut in eis claudatur ac comprehendatur. Alii verò Theologi reclamant.

Notandum secundò, non levem esse controversiam inter Theologos in assignando tempore, quô debeat impleri præceptum de eliciendo actu amoris divini. Sunt enim qui existimant illud esse implendum statim atque homo rationis usum obtinet: alii semel quolibet annô; aliqui eô tempore quô quis accedit ad sacramenta, maximè Baptismi & Eucharistiæ: nonnulli pro indeterminato tempore totius vitæ, modò ante mortem eliciatur, maximè verò circa instans mortis; cæteri verò diebus festivis, maximè Dominicis, ut probabile existimat Doctor n. 18. Quid autem veriùs sentiendum sit, determinandũ erit in sequentibus.

Notandum tertiò, aliquod objectum posse tribus modis magis diligi quàm aliud: *Primò* quidem objectivè, quando ei volumus & optamus majora bona, quàm velimus alteri: *Secundò* intensivè, quod diligitur cum majori conatu & ampliori fervore, quàm ullum alterum; itaut actus amoris erga istud plures habeat gradus intensionis, quàm quicumque alius actus amoris erga aliud objectum: *Tertiò* denique appretiativè, quod pluris æstimatur quàm aliud; ita quòd propter objectum dilectum consequendum vel conservandum, quodcunque aliud omittatur, sive interim illud objectum dilectum, intensiùs & majori cum conatu ametur, sive non. Hi autem tres modi amandi ita distincti sunt, ut possint ab invicem separari; enimverò qui peccat mortaliter propter delectationem terrenam v. g. magis tum intensivè, tum appretiativè seipsum & delectationem illam diligit quàm Deum; siquidem majori conatu, & ferventiori dilectionis æstu tendit in illam delectationem, quàm in Dei amorem: similiter eam magis appretiativè diligit, quatenus peccando moraliter præfert istud bonum delectans ipsi Deo summo bono & ultimo fini: attamen plus Deum objectivè diligit, quàm quodlibet aliud quod actu vitiosô prosequitur, loquendo videlicet de absoluto & efficaci seu deliberato actu voluntatis; siquidem vult Deo omnes divinas affectiones ipsi convenientes, quæ sanè longè sunt bonum præstantius, quàm quodlibet bonum quod sibi optare posset. Similiter potest aliquis diligere aliud magis objectivè & intensivè, quod tamen appretiativè minùs diligit, ut patet exemplo Patris, qui plerumque primogenitum filium pluris æstimat, quàm parvulum, quem tamen intensiùs & teneriùs diligit.

His præmissis, tria supersunt determinanda: *Primum*, quòd sit speciale præceptum de eliciendo actu interno amoris erga Deum: *Secundum*, quando id fieri debeat: *Tertium*, an Deus ex præcepto magis sit diligendus, non solùm intensivè & objectivè, sed etiam appretiativè.

CONCLUSIO PRIMA.

PRæceptum affirmativum de diligendo Deo obligat ad eliciendum, actum internum amoris erga Deum. *Ita Doctor d. 17. num. 18. ubi ait: Dico quòd illud præceptum affirmativum, Deuteron. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* non tantùm obligat semper ad oppositum fugiendum, ne scilicet insit actus odii: sed obligat pro aliquando ad actum elicitum, quia ille actus est circa finem, ex cujus bonitate descendit omnis bonitas moralis in actibus, qui sunt ad finem. Sicut ergo homo tenetur habere aliquem actum virtuosum, ita tenetur habere aliquem actum illius præceptum circa finem gratuitè diligendum.

Probatur primò, ex illo Deuter. 6. ubi primum ex decem præceptis à Deo datis sic effertur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod etiam præceptum inculcat Christus Dominus Matt. 22. ubi vocat hoc præceptum *primum & maximum*, non quia primô locô scribitur, sed quia primò & maximè per se præceptum est, adeo ut reliqua omnia idcirco debeant observari, ut hoc omni ex parte perfectè impleatur; atque ita impletio illius præcepti videatur finis reliquorum omnium, ut dicitur 1. ad Timoth. 1. *Finis autem præcepti est charitas de corde puro*: vel dicitur *primò* per comparationem ad alterum de dilectione proximi, quod secundum appellat, & ista recenset tanquam duo distincta præcepta, ac subinde sufficienter indicat dilectionem Dei esse specialiter præceptam. Quod utique confirmatur; ubi enim est verus numerus, ibi datur specialis distinctio inter ea quæ numerantur: omnis enim numerus fundatur in aliqua distinctione earum rerum quæ numerum efficiunt: at præceptum de dilectione Dei, comparatum cum cæteris præceptis Decalogi, facit verum numerum: igitur hoc præceptum speciale est.

Probatur secundò ex SS. Patribus, maximè Augustino lib. 1. quæstionum Evangelicarum q. 33. Hieronymo, Anselmo, & aliis Patribus, qui explicantes verba Matth. 22. *In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ*, illam dependentiam sic interpretantur, ut velint eam esse ut ramorum à radice, membrorum à capite, radiorum à sole, rivulorum à fonte, effectuum à principio: sed radix à ramis, rivulus à fonte, caput à membris, &c. sunt specialiter distincta: igitur iidem SS. Patres censent præceptum de dilectione Dei esse specialiter à reliquis præceptis distinctum.

Tertiò, non minùs videtur præcipiendus amor circa divinam bonitatem & summam Dei perfe-

ctionem, quàm assensus fidei circa divinam veritatem: sed non solùm præcipitur fides effectiva quæ exhibetur per orationem, adorationem & confessionem mysteriorum fidei; sed etiam præcipitur fides effectiva & actualis, quâ quis firmiter assentitur articulis propter divinam veritatem: igitur non tantùm præcipitur charitas effectiva, sed etiam affectiva, ac subinde datur speciale præceptum de ipso actu interiori dilectionis Dei. Quod utique confirmatur, quia non videtur congruum, quòd Deus tot præceptis inculcaverit proximi dilectionem prohibendo, ne ullum ei malum inferatur; nullum autem præscripsisset præceptum circa dilectionem sui.

Dices primò: Finis præcepti non cadit sub præceptum: sed charitas est finis præcepti, ut mox diximus ex Apostolo: ergo illa non cadit sub præceptum; ac subinde illius actus non est præceptus.

Distinguo majorem: Finis extrinsecus, concedo: intrinsecus, nego: Duplex est enim cujuslibet præcepti finis: alius quidem extrinsecus ipsi præcepto & rei præceptæ, v. g. in præcepto jejunii, finis extrinsecus est domatio carnis, & illius subjectio spiritui, & alia id genus propter quæ jejunium est institutum: alter verò finis est intrinsecus præcepto, ut abstinentia cibi quæ est materia circa quam jejunium occupatur. Minorem similiter distinguo: Dilectio Dei est finis præceptorum extrinsecus, concedo: intrinsecus, nego: cætera enim præcepta servari possunt absque eo quòd eliciatur aliquis actus dilectionis Dei.

Dices secundò: Christus Dominus præfatis verbis Matth. 22. testatur quòd in his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ: igitur significat dilectionem Dei & proximi; quæ sunt duo mandata includere universa legis præcepta, necnon & oracula Prophetarum, quæ ejusmodi præcepta intimant. Insuper Joan. 14. idem Christus Dominus explicans quid sit diligere Deum, ait: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Similiter ad Rom. 14. *Plenitudo legis est dilectio.*

Respondeo ad primum, idcirco Christum dicere quòd à dilectione Dei & proximi, eatenus pendet universa lex, quatenus omnia alia præcepta servantur ut Deus perfectissimè diligatur; unde qui Deum diligit, videtur legem implevisse, quia finem obtinet ad quem lex ordinatur, pari ratione solvuntur alia duo testimonia.

Dices tertiò: Sanctus Bernardus serm. 50. in Cantica explicans illa verba: ordinavit in me charitatem, ait: *Est charitas in actu & in effectu: & de illa quidem, quæ operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque formatum; nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur.*

Respondeo primò, S. Bernardum ibidem negare datum esse præceptum de interno actu charitatis, quem charitatem in affectu appellat; imò id expressè fatetur; ait enim ibidem: *Si placet magis de affectuali* (nimirum charitate) *datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quòd minimè in vita ista ab aliquo homine possit vel poterit impleri.*

Respondeo secundò, S. Bernardum ibi duplicem distinguere actum internum charitatis: alterum quidem quô ita perfectè diligitur Deus, & tantâ suavitate animus diligens ei inhæret, ut animus sui rerumque omnium aliarum quasi omnino oblitus, cum summa suavitate in Deum feratur. Alterum quô impellimur ad opera externa, ut proximo succurramus; nam, ut ibidem scribit: *Quoties inde* (id est ab orando Deo, hoc enim affert in exemplum) *charitate jubente abducimur, & avertimur propter eos, qui nostrâ indigent operâ, vel loquelâ.* Hanc charitatem vocat actualem, quia ad agendum impellit: & affectuosam, quia tota sistit in interno affectu. Secundam docet habere rationem meriti, ideoque propriè pertinere ad patriam, ibique solùm perfectè reperiri, quamvis hîc quandoque in contemplatione prægustanda detur. Unde infrà cùm distinxisset triplicem amoris affectionem, scilicet in eam quam caro gignit, & quam ratio regit, & quam condit sapientia, subdit: *Prima quidem dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis; ultima pinguis & suavis: Igitur per secundam opera fiunt* (sive imperantur) *& in ipsa charitas sedet, non illa affectuosa, quæ sole sapientiæ condita pinguescent magnam importas menti multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potius actualis: quæ etsi nondum dulci amore suaviter reficit, tamen amoris ipsius* (scilicet omnino perfecti, quo animus totaliter in Deum rapiatur) *vehementer accendit.* Et infrà: *Opere diligamus & veritate, quò videlicet moveamur ad bene imperandum magis quôdam vivida virtutis impulsu, quàm sapida illius charitatis affectu.* Ubi apertè duplicem illum actum internum, ut suprà dixi, distinguit.

Conclusio Secunda.

DEus est ex præcepto diligendus super omnia: non solùm objectivè, sed & appretiativè: non verò intensivè. Hæc pariter est Doctoris locô suprà laudatô num. 17.

Prima & secunda pars facilè constant; enimverò Deus est objectum infinitæ perfectionis, cui voluntas ex inclinante habitu charitatis non solùm omnibus bonis præstantius optat, cùm inclinatur ad volendum ei omnia sua divina attributa & divinas præcellentias, sed etiam ad ipsum amandum eum æstimatione & appretiatione supra quodcunque amabile. Quod utique probatur 1. de habitu charitatis; quia propter quod unumquodque tale est, & illud magis: sed habitus charitatis Theologicæ inclinat nostram voluntatem, illamque stimulat & potenter afficit ad amandum unum objectum creatum plus appretiativè, quàm aliud propter Deum summè bonum; in tantùm enim aliquod objectum creatum æstimatur dignum quod ametur ex charitate, in quantùm participat aliquibus ex divinis præcellentiis, & est aliquid Dei; ac subinde quò aliquid nobiliùs participat divinis perfectionibus, eò etiam magis diligendum apparet ex charitate: ergo cùm charitas inclinet voluntatem ad amandum aliquod objectum creatum magis quàm aliud propter majorem illius affinitatem cum Deo, etiam pariter inclinat ad diligendum Deum super omnia appretiativè diligibilem.

Eadem veritas constat de actuali charitate, hoc enim apertè significat Christus D. cùm ait Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Et apud S. Lucam 14. cap. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quibus locis hæc particula (*plus*) significat excessum secundùm appretiationem, ut satis indicat alia hæc particula apud S. Lucam,

(*odit*) idem enim sonat ibi, ac *postponit*, *præ alio contemnit*, *minùs æstimat aliô*, quemadmodum ad Rom. 13. cap. quando dicitur, *Iacob dilexi*, *Esaü odiô habui*, id est, *postposui*, & apud S. Matth. 6. cap. *Aut enim unum odiô habebit*, id est, minùs appretiativè amabit, *& alterum diliget*, id est, *pluris faciet*: Igitur ex actu charitatis Deus appretiativè diligitur super omnia.

Dices: Justi amant Deum super omnia: sed dum peccant venialiter, magis volunt placere sibi, vel aliis, ob quorum amorem peccant, quàm Deo: Igitur amor Dei super omnia non semper fit appretiativè.

Distinguo minorem: Magis placere cupiunt sibi vel aliis in re levi, transeat: in re gravi, nego: unde neganda est consequentia. Ut enim aliquis amet Deum appretiativè, non est necesse quòd ipsi velit in omnibus placere plusquam aliis, etiam in rebus levissimis; sed sufficit, quòd velit ipsi magis placere simpliciter quantùm ad omnia quæ ipsi præcepit, nec necesse est, ut velit etiam ipsi magis placere secundùm quid, & quantùm ad omnia quæ non præcipit. Fieri quidem potest, ut adeo sit perfectus charitatis amor, quòd etiam determinaret ad magis placendum Deo, quàm ulli alteri: sed illa perfectio non est præcepta pro hoc aut tali statu, in quo corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; alioqui paucissimi essent justi: quippe cùm paucissimi sint qui præceptum istud servarent, Deum super omnia, etiam in levissimis rebus diligendo.

Ut autem res hæc fiat comperta, sciendum est Deum posse super omnia appretiativè diligi tribus modis: *Primò* quidem, dum expressè præfertur Deus in particulari rebus carioribus, ut parentibus, fratribus, amicis: *Secundò*, si præferatur explicitè aliis rebus confusè ac in genere conceptis, ut intellectu proponente Deo placendum in omnibus, potius quàm ulli creaturæ, voluntas id velit facere: *Tertiò*, si præferatur implicitè rebus omnibus, ut siquis concipiat propositum Deo in omnibus semper placendi, aut fugiendi, vel detestandi omnia peccata, quatenus sunt offensa Dei, aut siquis simpliciter Deum amat, eô benevolentiæ affectu, ex quo sequeretur propositum placendi ipsi in omnibus, aut fugiendi peccata, si de eo cogitaret.

Tertia pars etiam constat, nempe quòd Deus ex præcepto non sit diligendus super omnia intensivè, quia ad observantiam hujus præcepti sufficit charitatis amor efficax, quô quis velit efficaciter potiùs Deo placere, quàm ulli creaturæ, quique omnem excludat affectum peccandi mortaliter, & stimulet ad observanda omnia præcepta: sed amor minùs intensus secundùm gradus hæc omnia sibi vendicare potest: igitur ut fiat satis præcepto diligendi Deum, non opus est quòd ametur super omnia intensivè. Major constat, quia ex observantia præceptorum, optimè colligitur à posteriori aliquem amare Deum super omnia, prout requiritur ad implendum illud præceptum: unde etiam Christus D. solùm proposuit illam observantiam præceptorum tanquam signum dilectionis ex affectu charitatis: *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* Minor verò probatur: Ad dilectionis Dei præceptum implendum non requiritur summa intensio amoris: igitur ad id sufficere potest amor in quocunque gradu. Consequentia patet: Si enim non desideretur amor summè intensus, non etiam erit determinatus numerus graduum necessariorum, ut impleatur istud præceptum. Probatur verò antecedens, quia aliàs unus justus non posset intensiùs amare Deum, quàm alius, nec etiam amor requisitus ad implendum præceptum de diligendo Deo posset ullatenus augeri, quod apertè absurdum apparet: igitur talis amor non necessariò requiritur.

Confirmatur: Si Deus necessariò esset diligendus intensivè super omnia, sequeretur quòd qui nunquam elicuisset actum amoris Dei, nisi ut sex; peccaret amando suam, aut parentis salutem ut septem ex amore spei, aut pietatis erga parentem: at hoc videtur absurdum, hi enim actus amoris ut septem, habent honestum objectum, & sunt veri actus virtutis: Igitur, &c.

Dices: Sicut ratio naturalis dictat Deum esse diligendum extensivè super omnia, ita etiam dictat esse diligendum amore majoris intensionis, quàm ullum aliud objectum: sed ex tali dictamine sequitur quòd Deus sit super omnia diligendus extensivè: ergo pariter inde sequitur quòd sic debeat diligi intensivè.

Nego minorem: Nam ut quis faciat satis dictamini rationis de diligendo Deo, sufficit ut habeat actùm amoris, qui includat affectum placendi Deo, & ejus mandata observandi; excludat verò affectum peccandi; non autem requiritur, ut actus ille amoris maximam habeat intensionem graduum.

Instabis: Non solùm naturalis rationis dictamine Deus est diligendus, sed etiam diligendus ex toto corde, ex tota anima & ex tota fortitudine, ut fert præceptum Deuteronomii quod est juris naturalis: sed sic diligi non potest, nisi habeat summam intensionem graduum: Igitur, &c.

Nego minorem: Ad hoc enim, ut Deus ita diligatur, sufficit quòd habeat voluntatem magis placendi Deo in omnibus, quàm ulli alteri: hoc autem obtinere potest absque illa summa intensione graduum. Hinc S. Augustinus præfata verba sic explicat lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. *Cùm ait, Diliges ex totô corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui: sed quidquid aliud venerit, in animum illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens sicut seipsum totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur.* Sanctus verò Bernardus serm. 20. in Cantica sic exponit: Mihi, inquit, amor videtur cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ verò amor in industriam seu judicium rationis; virtutis verò dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem.

Dices secundò: Idem S. Bernardus lib. de diligendo Deo, ait: Causa diligendi Deum Deus est, modus verò est sine modo diligere: at qui diligendus est sine modo, diligendus est summa cum intensione actûs amoris: Igitur, &c.

Respondeo primò, Deum esse quidem diligendum sine modo, id est, in quantùm se se nostri cordis affectus extendere potest: sed id consulitur, non verò præcipitur; hîc autem sermo est de Dei amore eliciendo ex præcepto, non verò ex consilio.

Respondeo secundò cum Seraph. Doctore dist. 27. art. 2. quæst. 5. quòd tripliciter dici potest aliquis actus habere modum. Unô modô per limitationem quantùm ad seipsum. Aliô modô per

aggregationem circumstantiarum. Tertiò modò A ex mediato inter superfluum, & diminutum. Primò modò est dicere, quòd habet modum omnis actûs virtutis creatæ. Omnis enim virtus creata finita est, & limitata: & ideo omnis actus ejus finitatem habet, & modum loquendi de limitatione & finitione non secundùm possibilitatem, sed secundùm actum. Secundò verò modò est dicere modum esse circa actum virtutis moralis & meritoriæ; quia nullus actus fit laudabilis, nisi ad eum concurrant debitæ circumstantiæ. Tertiò modò est dicere quòd modum habet actus omnis virtutis Cardinalis, sive politicæ. Omnes enim in medietate consistunt inter superfluum & diminutum, ex hoc ipsoque habent objectum creatum & finitum. Quoniam ergo charitas est B virtus creata, & virtus gratuita, & virtus Theologica; hinc est quòd actus ejus modum habet ex virtutis limitatione. Modum etiam habet ex debitarum circumstantiarum additione, ut patet, quia modus, qui est circa actum charitatis, est ut quis diligat Deum super omnia, & propter se ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: Sed modum illum, qui est ex medietate inter superfluum, & diminutum non habet, quia objectum ejus est immensum & infinitum.

Conclusio Tertia.

PROBABILIUS *est Deum esse diligendum ex præcepto in triplici temporis circumstantia: Primò* C *nempe statim ac sufficientem habet rationis usum, ut peccare possit mortaliter: secundò diebus Dominicis & solemnioribus; tertiò circa mortis articulum.* Primam partem tradit S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. quem sequuntur ejus Discipuli, qui hanc assertionem prnbant primò, ex eo quòd homo statim ac rationis est compos, tenetur se convertere in suum ultimum finem, omnesque suos actus in eum dirigere: at hoc fit per dilectionem Dei super omnia: igitur ad eam tunc eliciendam tenetur. Majorem probant, quia quòd in lapide est gravitas necessitans eum, ut tendat ad suum finem, scilicet ad centrum terræ, hoc in D homine est obligatio ad suum finem: at lapis statim ac formatus est, sublatô omni impedimentô tendit ad terræ centrum: igitur pari ratione homo statim atque formatus est, ac usum rationis obtinet, tenetur se convertere ad Deum. *Verùm*, hæc ratio nulla est; major enim est apertè falsa, si enim eadem esset hominis obligatio ad amandum Deum, qualis inest necessitas lapidi ad petendum centrum, sequeretur quòd quemadmodum lapis quoties non impeditur, quantùm potest, continuò tendit ad centrum terræ, donec eò perveniat: ita homo quoties posset, obligaretur ex præcepto ad eliciendum actum amoris Dei, non autem solùm statim ac rationis est com- E pos, ut volunt Thomistæ.

Probant secundò: Si non teneretur quis ad amandum Deum in primo instanti usûs rationis, posset tunc peccare venialiter tantùm: quia non posset tunc peccare mortaliter, nisi quatenus omitteret illam conversionem sui ad Deum, quæ omissio esset peccatum mortale: sed falsum est quòd homo pro illo instanti possit duntaxat peccare venialiter; quia inde sequeretur quòd aliquis habere posset peccatum originale cum solo veniali: at hoc est falsum, quod utique probatur primò; quia, ut docet Innocentius tertius cap. *Majores de Baptismo*, adultis dormientibus non potest per baptismum remitti peccatum originale, quia istud remitti non potest sine mortali: Igitur censet Pontifex peccatum originale non posse reperiri in adultis sine mortali: Secundò, Concilium Florentinum ait: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali discedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus cruciandas.* Ubi nullam facit mentionem eorum qui discedunt cum solo peccato originali & veniali: ergo sentit nullos tales esse. Tertiò, quia nullus pro his posset assignari locus: nam nec limbus puerorum, quia ibi non puniuntur actualia, nec etiam locus damnatorum ob peccata mortalia, quia ipsi non commisissent peccatum mortale: & nullus tertius locus damnatorum datur.

Verùm respondeo negando minorem, ad cujus primam probationem nego consequentiam cum Poncio in Commentario ad dist. 27. nu. 55. Qoia, inquit, non propterea nequit per baptismum adulto dormienti peccatum originale dimitti, quòd necessariò debeat habere peccatum mortale, nec id asseritur in illo loco, cùm certum sit quòd posset adultus, etiamsi daretur obligatio illa convertendi se ad Deum, se ad ipsum convertere, & non habere consequenter peccatum mortale, quia nequit originale dimitti, quin dimittatur mortale quodcunque simul habitum, & adultus dormiens non habet dispositionẽ requisitam ut dimittatur ipsi peccatum mortale distinctum ab originali. Itaque nihil aliud vult in illo cap. Pontifex, quàm quòd adulto dormienti habenti peccatum mortale, non possit per baptismum tolli peccatum originale, & quòd propterea quandoquidem incertum sit an habeat peccatum mortale, non debeat ipsi applicari baptismus.

Ad secundam probationem, nego Concilium sensisse quòd non decedant aliqui cum originali & veniali; quia quamvis non fecerit mentionem de ipsis, hoc tamen non oritur ex eo, quòd non putârit tales dari; sed quia non erat necessarium, nec utile intento ipsis de iis facere mentionem, sicut non fecit etiam mentionem de iis qui moriuntur cum originali, & mortali personali.

Ad tertiam denique probationem, aliqui respondent casum esse impossibilem ex suppositione providentiæ jam statutæ à Deo: sed prorsus gratissimè asseritur talis providentia, nec habet ullam verisimilitudinem. Itaque meliùs & faciliùs respondetur locum, in quo remanerent si cum solo originali & veniali obirent, esse illum ipsum, in quo remanerent si cum solo originali decederent, sive ille locus sit limbus, sive infernus; & gratissimè dicitur, quòd in limbo non puniantur peccata actualia commissa in vita, pro quibus non est satisfactum.

Igitur censeo assertionem hâc ratione meliùs probari: præceptum diligendi Deum aliquando obligat: at non videtur congruentiori tempore obligare, quàm ubi homo est rationis compos: Tum quia cùm Deus sit Creator ac Formator noster, qui nos idcirco condidit, ut ei debitum amorem & obsequium impenderemus, ut appositè docet S. Leo serm. 1. de jejunio decimi mensis, ubi ait: *Si fideliter atque sapienter creationis nostra intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset Authoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo divina benignitatis forma resplendeat:* Cùm inquam, Deus ad id nos condiderit, congruum est ut in

nostræ gratitudinis & obsequii argumentum pro tanto beneficio amorem impendamus.

Dices: Illud præceptum diligendi Deum non potest obligare pro eo tempore, in quo videtur moralis impossibilitas ipsum observandi: sed ita est pro primo instanti usûs rationis; tum quia nemo potest cognoscere quando primum habeat usum rationis: tum quia non apparet verisimile quòd primò illô instanti Deus ita perfectè proponatur amandus, ut quis existimare posset se pro illo instanti ad ejus amorem teneri, sed absque hac prævia cognitione præceptum istud servari non potest: Igitur, &c.

Nego minorem: Non enim absolutè censeo illud præceptum urgere pro primo instanti rationis simpliciter, sed tantùm pro eo, in quo sufficientem homo haberet rationis usum, ut peccare posset.

Secundam partem tradit & probat Doctor *nu.* 18. ubi ita scribit: Fortè determinavit hoc illud præceptum divinum. *Sanctifica Sabbatum.* &, *Maneat unusquisque apud se*, id est, recolligendo, & ascendendo ad Deum suum. Et Ecclesia specificavit quantùm ad Missam audiendam in die Dominico *de consecr. dist. 2. cap. Missas.* Nos autem simile de præcepto diligendi proximum, sicut patebit dist. sequenti.

Confirmatur: Tum quia innumera Dei in nos collata beneficia hunc amorem animô gratitudinis exigunt; non potest autem convenientiori tempore hic amor impendi, quàm diebus ipsis Deo sacris, ac subinde illis ipsis diebus videtur præceptum istud urgere. Confirmatur, quia dies illi Deo sacri maximè designati sunt ad actus religionis & observantiæ in Deum eliciendos; nullus autem actus videtur cedere magis in Dei gloriam, quàm actus charitatis, utpote præstantior omnibus aliis actibus: igitur maximè illis diebus est eliciendus. *His adde* quòd actus charitatis non sit voluntati molestus, sed jucundus, nisi fortè quatenus affectus oppositi erga creaturam aliquam ipsum aliquantulum difficilem efficerent: at ex virtute præcepti negativi, obligamur ad non prorumpendum in actum amoris inordinati erga creaturas, nec difficilius est alicui habenti talem affectum habitualem, illum exuere, ut habeat affectum oppositum, quàm habere omissionem actûs charitatis, ac proinde nulla est difficultas superanda in eliciendo actu amoris, quæ non debeat removeri per præceptum negativum, quô tenemur non amare creaturam supra Deum, aut æqualiter cum Deo.

Dices: Si teneamur omnes ex præcepto ad eliciendum actum amoris erga Deum: igitur peccat quisquis talem etiam actum non elicit: at hoc videtur falsum: tum quia fideles non solent confiteri se non adimplevisse hoc præceptum diebus Dominicis, ac proinde signum est se non existimare ad id ex præcepto teneri: sed verisimile non est, quòd in re tanti momenti ita communis ac periculosa esset fidelium ignorantia: Igitur, &c.

Tum quia, si omnes tenerentur ad eum actum charitatis eliciendum diebus Dominicis, sequeretur quòd Fidelis in statu peccati mortalis existens teneretur se se accingere ad recuperandum statum gratiæ per sacramentalem confessionem; non enim apparet qualiter posset quis amare Deum super omnia, quin haberet voluntatem se reconciliandi cum ipso, & ejus gratiam habere: sed nemo asserit peccatores teneri ad sacramentalem confessionem singulis diebus Dominicis: Igitur, &c.

Nego minorem, & ad ejus primam probationem dico, non requiri, ut expressè & distinctè quis confiteatur se non observasse præceptum istud; quippe Confessarius sufficienter id potest cognoscere, ex eo quòd audiat pœnitentem fuisse in statu peccati mortalis cum affectu continuò peccandi, & eô ipsô quô confitetur se fuisse tantô tempore in tali dispositione, significat sufficienter se non observasse istud præceptum, si verò fuerit immunis ab omni peccato mortali, etiam facilè judicare potest eum præceptum istud implevisse; quippe cùm non habuerit ullum impedimentum illud observandi, & aliunde actus ille possit facilè elici. Ad secundam probationem distinguo majorem: Teneretur peccator divinam gratiam recuperare per elicitionem actûs amoris Dei super omnia, qui fortè nusquam est absque statu gratiæ, concedo: ad id teneretur per applicationem actualem omnium mediorum ordinariorum conducentium ad ejusmodi recuperationem gratiæ, nego.

Tertia pars etiam est evidens, nempe quòd teneamur elicere actum charitatis circa articulum mortis; quippe cùm tunc gravissima instent certamina, ideoque homo omnibus modis se teneatur contra ea parare, nec securius sit medium, quàm hic actus, si quis velit se periculo damnationis eximere, idque subinde etiam confesso. Ratio est, quia etsi certum sit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficere attritionem; tamen non semper satis certi sumus nos habere veram attritionem: unde sequitur eô casu nos etiam expositos esse periculo salutis.

His addo quòd etiam sæpè potest contingere, ut homo aliis in occasionibus teneatur elicere actum amoris Dei supra omnia, maximè quoties proponitur Deus cum motivis sufficienter persuadentibus illum sic esse diligendum: *Primò* quia, secus faciendo videretur Deum contemnere: Secundò, quia ubicunque est eadem obligatio juris naturæ Deum amandi pro aliquo tempore, eadem obligatio etiam occurrit quoties ratio motiva eadem est: sed ubi Deus proponitur sufficienter amandus, eadem est ratio Deum amandi, quæ occurrit diebus Dominicis: Igitur, &c.

Idem dicendum quoties quis existimat actum amoris Dei esse necessarium, ad vincendam aliquam gravem tentationem, aut ut sufficienter animum comparet ad aggrediendum aliquod opus heroïcum, quod jam implere tenetur. Licèt enim fortè actus ille amoris Dei non esset à parte rei medium hîc & nunc necessarium ad illos fines obtinendos; tamen hôc ipsô quô putat id ita esse necessarium, ad illud obligatur, quandiu in ea opinione manet, ne aliàs peccet contra conscientiam. *Deinde*, quia sæpè potest contingere, ut illud sit verè medium necessarium ad dictos fines obtinendos: idque vel ob ejus dispositionem, qui aliis viis non sit fortasse sufficienter excitandus, ut tentationem superet, aut opus illud constanter aggrediatur, vel etiam quia aliâ viâ non est à Deo impertiturus eas gratias, quibus indiget ut eos fines de facto obtineat. Etsi enim Deus nobis in necessitate non desit suam gratiam subministrando, tamen sæpè ut det nobis gratias majores, & quas videt habituras effectum, requirit ut eas certis rationibus conemur impetrare: quas si ex negligentia omittamus, dat nobis minores,

„ Deum convitiis afficerent, audiens hæc Paulus A
„ ægrè ferens ac pro Dei gloria dolens, precatus est
„ anathema esse, si modò fieri posset, ut illi salvi fo-
„ rent, & convitium ejusmodi cessaret, nec videre-
„ tur Deus illorum majores decepisse, quibus dona pollicitus est.

Instabis: Ipsemet sanctus Paulus ad Philipp. 1. non conditionatè, sed absolutè optat, pro aliquo tempore carere beatitudine propter salutem aliorum, ait enim: *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei.*

Respondeo, Apostolum ibi non optare in carne permanere propter alios; sed ob necessitatem aliorum positâ libertate eligendi nescire quid eligeret, vitam scilicet, an mortem: atque hoc non est contra charitatem ad seipsum, quippe conferebat ad majus ejusdem charitatis incrementum, & ad accumulandum majora semper merita & præmia, quæ non ita per brevem atque per longam vitam comparantur.

Plurima circa ordinem charitatis hominis erga parentes, filios, propinquos & extraneos disputari solent à Doctoribus Theologiæ moralis, Verùm quoniam hæc non sunt nostri præsentis instituti, idcirco duntaxat moneo, primò parentes magis esse diligendos quàm filios; quia etsi filii sint velut pars parentum, quorum proinde amor qui descendere potiùs, quàm ascendere dicitur, magis in filios propendeat, nihilominus in C extrema necessitate providendum esset potiùs parentibus, quàm filiis; quippe cùm ab eis post Deum, maximum beneficium, nempe vitam fuerimus adepti: unde etiam præceptum honorandi parentes & eis subveniendi, immediatè ponitur post tria præcepta ad Deum spectantia. Unde S. Ambrosius exponendo illud Cantic. 2. *Ordinavit in me charitatem*, ait: *Multorum charitas inordinata est, quod in primo est, ponunt tertium vel quartum. Primò Deus diligendus est, secundo parentes, inde filii, post domestici, qui si boni sunt, malis filiis præponendi sunt, &c.*

Post filios verò magis succurrendum est propinquis, juxta ordinem intimioris affinitatis & majoris conjunctionis naturalis, quam habent nobiscum: Ut docet sanctus Augustinus librò de vera Religione cap. 41. *Cùm omnibus quos pariter diligis prodesse non possis; ni conjunctioribus prodesse malis injustus es.* Et librò de Doctrina Christiana cap. 28. *Omnes homines æquè diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte conjunguntur.* Nihilominus qui majori pietate sunt illustres etiam amore potiori ac præstantiori sunt à nobis diligendi ex motivo charitatis; cùm enim hujus præstantissimæ virtutis objectum sit Deus ipse, etiam propensiori inclinatione ipsa nos stimulat ad eos diligendos, qui intimiorem ac perfectiorem cum Deo conjunctionem servant: quanquam non dubitem quòd si Justus aliquis, & unus ex nostris propinquis minori pietate donatus, æquali necessitate premerentur, potiori jure subveniendum esset propinquo, quam alieno: ordo enim dilectionis proximi in hac vita maximè dicitur ex conjunctione, seu proximitate illius nobiscum. Major autem est proximitas & conjunctio naturalis propinquorum, quàm exterorum, ac subinde potiori ratione eis subveniendum esset. Si plura desideras, consulas Theologiæ moralis Doctores, qui uberrimè B de ordine servando in actibus charitatis disputant.

Cæterùm hoc unum nobis sapere necessarium est, ut charitatem perfectam habeamus; charitas namque perfecta omnis sanctitatis coronidem, quantùm haberi potest in hac mortali vita, inducit. *Nam*, ut præclarè ait sanctus Augustinus lib. de Natura & Gratia cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est; sed charitas de corde puro & fide non ficta.*

Hæc est pretiosa illa Evangelica margarita, quam qui invenit homo, vendit omnia quæ habet, & emit eam, ut docet idem S. August. Tract. 5. in Epist. Joan. *Hæc*, inquit, *pretiosa margarita charitas est; sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris: quam si solam habeas, tibi sufficit. Hæc est*, ait ibidem, *quæ discernit inter filios Dei & filios diaboli: signent se omnes signô crucis Christi: respondeant omnes*, AMEN: *cantent omnes*, ALLELUIA: *baptizentur omnes: intrent omnes Ecclesias: faciant parietes basilicarum; non discernuntur filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate.*

Sola est, ut addit Tract. de Laud. Charit. *quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur: sola est quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria, secura est: inter odia benefica: inter iras placida: inter insidias innocens: inter iniquitates gemens: in veritate respirans. Quid illa fortius, non ad retribuendas, sed ad curandas injurias? Quid illâ fidelius, non vanitati, sed æternitati? Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita: & suffert omnia quæ hic irrogantur, quia sperat omnia quæ hic promittuntur. Meritò nunquam cadit. Ergo sectamini charitatem: & eam sanctè cogitantes, afferre fructum justitiæ: & quidquid uberiùs, quàm ego dicere potui vos inveneritis, in ejus laudibus, appareat in vestris moribus.* Amen.

FINIS.

Omissio (quæ me longiùs à prælo absente Typographis, excidit) restituenda ad paginam 594. ante paragraphum tertium.

§. II.

In statu naturæ integræ non sufficiebat ad primam voluntatem bonam auxilium habituale cum illustratione intellectûs; sed præterea opus erat auxilio quò moveretur voluntas ad eliciendum illum actum amoris casti, per quem homines adhærerent Deo.

Gratia sanitatis erat etiam necessaria ad primam bonam voluntatem.

PRobat hanc veritatem luculenter S. Augustinus à simili de SS. Angelis cap. 9. ubi quærens, *an SS. Angeli, quem habent Creatorem naturæ, in eodem habeant bonæ voluntatis authorem per Spiritum sanctum in eis charitate diffusâ.* Proponit duas opiniones, quarum *altera* Angelos amore castô nunquam caruisse; *altera* sine eo aliquandiu extitisse defendit: Tum ex utraque certum esse demonstrat voluntatem illam bonam non nisi à Deo potuisse concedi: nam primò pertractans priorem sententiam asserentem Angelum amore castô nunquam caruisse, ait: *Porrò, quia facta est* (voluntas bona Angelorum SS.) *utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerant prius? sed si cum ipsis, non dubium est, quòd ab illo facta sit, à quo & ipsi; simulque ut facti sunt, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt adhæserant, eòque sunt isti* (boni) *ab illorum* (malorum) *societate discreti, quòd hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, malâ scilicet voluntate.* Quibus verbis apertè significat charitatem non habitualem, sed actualem, per quam Angeli boni discreti sunt à malis.

Probatur à simili de Angelis ex S. August.

Postquam autem ex priori opinione, quâ Angelos sine amore casto nunquam extitisse decernitur, ita disputavit, alteram sententiam sic expendit: Si autem, *inquit*, boni Angeli fuerunt priùs sine bona volontate, eamque in seipsis Deô non operante fecerunt: ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt, absit. Qoid enim erant sine bona voluntate, nisi mali, aut si propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, neque enim ex ea, qoam nondum cœperant habere, defecerant; rectè nondum tales, nondum tam boni, quàm esse cum voluntate bona cœperunt, aut si potuerunt seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quô nemo melius quidquam facit, profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent, &c. Unde sic probatâ utrâque illa parte, tandem concludit, primam illam bonam voluntatem fuisse in Angelis per Spiritum sanctum diffusam: *Confitendum est igitur*, inquit, *cum debita laude Creatoris, non ad homines pertinere; verùm etiam de SS. Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa est in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis.*

Et de homine innocente.

Quod autem de Angelis docuit S. Augustinus, eos primam bonam voluntatem actualem non habuisse, nisi juvante divinô gratiæ auxiliô, hoc etiam de primis parentibus statuendum esse, sæpiùs declarat, maximè verò l. 14. de Civitate Dei cap. 11. ubi scribit: *Fecit Deus*, inquit, *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab eo factus est homo.* Et lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Quibus verbis non solùm significat charitatem habitualem, sed etiam actualem, quâ ab ortu primus homo Deo adhæsit, ac subinde quòd in statu naturæ integræ gratiam Adamo & Angelis ad amorem castum concipiendum collata, motionem voluntatis complectebatur; adeoqoe persimilis erat illi, quæ nobis in hoc statu miseriæ nostræ subvenit, & consequenter per id gratia sanitatis à medicinali non discrepat, quòd hæc requiratur ad primam bonam voluntatem exercendam; illa verò non ita.

Confirmatur ex altera ejusdem S. Doctoris sententia petita ex libro 8. de Genesi ad Litteram cap. 10. 11. 12. ubi expendens illa verba cap. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis ut operaretur & custodiret illum,* dicit illius divini oraculi duplicem posse proferri sensum, nempe hominem ideo positum in paradisi: *vel* ut ille hortum illum deliciarum excoleret & custodiret: *vel* ut Deus hominem ipsum virtutibus ac gratiâ sanctificante illustraret & exornaret. *Quâ locutione*, inquit, *dicitur homo operari terram quæ jam terra erat, ut ornata & fœcunda sit; eâ locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit:* Et paucis interpositis: *Sumpsit Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso operari, etiam ut justus esset, ...* Cujus utique assertionis veritatem confirmat ex illis Scripturæ locis qui de homine lapso maximè loquuntur: *Ipsius enim*, inquit, *figmentum sumus, nam & Apostolus cum fidelibus ab impietate conversis, gratiam, quâ salvi facti sumus commendaret: gratiâ enim inquit salvi facti estis, per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est.* Quæ verba cùm S. Doctor adhibeat ad probandum idcirco hominem fuisse à Deo positum in paradiso *operari eum ut justus esset*, satis indicat Adami justitiam perinde ac nostram esse ab eadem gratia quæ ad primam bonam voluntatem efficiendam concurrat: quapropter addit: *Et alibi cùm dixisset: Cum timore & tremore vestram salutem operamini, ne sibi putarent tribuendum tanquam ipsi se facerent bonos, continuò subjecit, Deus enim est qui operatur in vobis. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem quem fecit & posuit in paradiso operari eum.*

Adamus innocens virtutem non accepit nec coluit nisi ex beneficio & gratia Dei.

Vides ergo S. Augustinum eisdem verbis ac textibus uti ad probandam gratiam sanitatis Adamo fuisse necessariam ut bonam voluntatem haberet, quam S. Apostolus in homine lapso commendat; ac proinde gratia sanitatis à medicinali in eo non discrepat quòd hæc ad primam bonam voluntatem exercendam homini lapso sit necessaria, non ita homini innocenti. Hæc constabunt evidentiùs ex sequenti paragrapho.

§. III.

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QVÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Gratia

INDEX.

Incarnatio.

Inclinatio.

Infantes.

Infideles.

Innocentius.

Institutio.

Intentio

L.

Lex.

M.

Machabæi.

INDEX.

T.

FINIS.

5-2